SS.
THEOLOGIAE PROBLEMATA,

SEV

LOCI COMMVNES, ET MISCELLANEÆ QVÆSTIONES:

Authore D. BENEDICTO ARETIO, Theologo Bernensi.

EDITIO QVARTA,

Locupletior & emendatior superioribus.

CVM INDICIBVS.

B.  A.

GENEVÆ,

Apud Ioannem le Preux.

M.D.LXXXIX.








GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO

D. IOANNI STEIGERO,

AMPLISS. REIPVB. BERNENSIS CONSVLI, Rotuli, & Montis veteris ac magni Domino, Mœcenati suo piè colendo.



VÆ sunt res (vir amplissime) quibus bonæ literæ, in primis propagantur, & conseruantur, diligentia scilicet, & fauor. Illa efficitur vt artes rectè doceantur, & feliciter addiscantur. Fauore autem hospitia publicè consequi possunt, vt durent in cursu proposito. Et diligentia quidem ad ipsos literarum sectatores pertinet, horum enim interest, rectè docere, & feliciter discere. Quemadmodum autem in faciundo itinere, compendio via conficitur, si commodus accesserit ductor: ita discentium turba plurimùm adiuuatur docentium vigilantia & industria. Vtroque verò commendat hominibus si vita & moribus professionem suam quàm elegantissimè ornauerint. Nam sunt hodie artes & bonę literę Christo consecratæ, ideò sacra est omnis nostra philosophia, & ob id, non tam sermone consistit, quàm moribus. Christus beatos nos prædicat, si fecerimus ea quæ vera esse intelligimus: & Apostolus ad Titum scribens, iubet doctrinam seruatoris Dei nostri, ornare in omnibus, quod etiam approbat recta ratio, vnde promanauit illud Socraticum, non tam lingua, quàm moribus philosophandum esse. Et Plato in legibus similem habet sententiam, optimam esse iuuentutis ad virtutem assuefactionem, non monere quidem multa, sed eadem facere quæ monueris alium. Et hac quidem re admirabiles, & laude digni facti sunt veri philosophi, quia his philosophari nihil aliud erat, quàm secundùm virtutem viuere. Fauor autem publicus eorum est, qui gubernatores sunt Rerumpub. horum interest hospitium præbere bonis literis. Est enim Magistratus, Dei in his terris vicarius, vnde etiam Dij vocantur in scriptura, & ob id ad eos pertinet defensio vtriusque tabulæ. prior curam religionis complectitur, posterior ciuiles contractus

in hac communi vita. Ad religionem porrò referuntur bonæ literæ & artes,cùm ſint inſtrumenta quædam, per quæ religio diſci rectiùs,& doceri commodiùs poteſt.

Hæc duo ſunt crura, quibus bonæ literæ incumbunt, ex quibus quodnam ſit nobilius vix dixerim:author tamen eſt Galenus,dextra eſſe meliora:omne enim dextrum validius & calidius eſſe videtur, hinc initia motus proficiſcuntur à dextris, ſiniſtra verò omnia apparent languidiora, & imbecilliora. Quare ego quidem vtrunque optarim eſſe dextrum, hoc eſt,& diligentiam profitentium literas,& fauorem præſidum. Nihil enim video Reipub.accidere poſſe fortunatius,quàm ſi & profitentes religionem cùm docendo, tum diſcendo, ſummam declarent diligentiam, & gubernatores,hoſpitium Muſis benignè,&liberaliter prębeant. Ac de priore quidem illo hic nolo plura dicere, nequid in fauorem mei ordinis pronuntiare videar. De proceribus autem Reipub. hoc auſim, & vt apparet, ſine aſſentatione dicere, liberaliter agi cum Muſis publicè & priuatim. Publicè enim magis ſumptibus ſcholæ apertæ ſunt, in quibus docentium & diſcentium turba de publico alitur, priuatim quoque ſinguli ſtudia, & bonas literas ſubleuant conſilio,re & opera:inter quos vnus nominari potes,καὶ κλέος ἔξοχος ἄλλων:cuius rei illuſtre ſunt argumentum, dedicationes bonorum virorum tuo nomini factæ, & ſaluberrimum conſilium toties agitatum, tua etiam confirmatum tandem authoritate, de turba iuuentutis noſtræ diſtribuenda per claſſes. Quod vt graui iudicio approbaſti, ita non diffido, quin ſis futurus Ergodioctes apud ampliſſimum Senatum, vt conſilio manus aliquando adhibeatur: ad quam rem loci opportunitas, & iuuentutis turba nos commouere debet. Sapienter ait Diomedes apud Homerum σύν τε δύ' ἐρχομένω. quod Latini dixerunt, duobus pariter ambulantibus, Platonici interpretati ſunt conſilium & opem, ſignificantes ſalubri conſilio aliquando admouendam.

Itaque ſic æſtimare debes, non minùs vrgendo hoc opus,quàm ſapienter conſulendo in hac re,& nomini tuo, & patriæ communi æternum decus comparari poſſe.

Porrò præter huius animi tui erga literarum ſtudia fauorem,alias etiam habeo inſtituti mei rationes,quæ me priuatim tibi plurimùm deuinciunt, quas cùm ad illum nunquam ſatis laudatum fauorem refero, hunc quidem προκαταρκτικῆς αἰτίας locum tenere fateor,illas tamen προηγουμένας eſſe affirmo: priuatim enim multa & ſingularia tua in me meóſque extant beneficia, quibus quantùm me ames, non obſcurè teſtatus es. Et dictat certè ratio, plurimùm nos illos oportere amare,& reuereri,quibus plurimùm nos debere fatemur. & eſt ſumma ingratitudo ſemper habita, nolle fateri beneficium,aut immemorem eiuſdem videri. Cæterùm cùm mihi nulla alia via relicta ſit,animi mei obſeruantiam declarandi,quàm hæc ipſa,quæ hominibus ſtudioſis conceſſa eſt,non immeritò eandem ſecutus videbor. Offero igitur tibi, vir magnifice, ſcriptum hoc, iis quas dixi de cauſis, ac ſcio

etiam, feliciùs prodire in publicum, nominis tui aſpicio, quod vt noſtris hominibus & gratiſſimum, ſic quæ eius patrocinio, & authoritate commendantur, non poſſunt non eſſe accepta. In qua cogitatione confirmauerunt me amicorum iudicia, quorum hac in re vſus ſum conſilio, è quorum numero vnum producam, vtrique familiariter notum, D. Stephanum Conzenum, Reipub. noſtræ medicum, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Plinius eruditè alibi ſcribit, multa videri pretioſa, quia templis dedicata ſint, alioquin non tanti futura. Id vt de hoc meo ſcripto nonnulli ſentiunt, per me quidem licebit: mihi enim in præſentia ſatis fuerit bonæ conſcientiæ teſtimonium, quod affero non ſolùm in dedicando hoc opuſculo, ſed etiam in publicando. Natum eſt illud horis ſucciſſiuis in ſchola noſtra, in qua iam ſupra annos xx. laboro, nec alio fine, quàm vt noſtris adoleſcentibus prodeſſet hic meus labor priuatim, cùm verò progreſſu temporis creſceret locorum numerus, cœpi de colligendo & conſcribendo cogitare creſcentem materiam, amicis communicaui, quibus ſuadentibus permiſi quoque vt publicaretur hæc prior pars. In qua re ſi nimium fui in concedendo facilis, veniam mihi dabunt æqui & recti æſtimatores.

Te verò imprimis rogo, vir ampliſſime, vt opellam hanc meam, eodem animo quo à me offertur, hoc eſt, candido & pio, excipere, me meóſque in tutela tua conſeruare, vti hactenus feciſti, pergas. Viciſſim precor ego æternum Deum, per Filium ſuum Ieſum Chriſtum, & dignitatem, familiam, fortunáſque tuas, quàm diutiſſimè ad nominis ſui gloriam, & patriæ noſtræ vtilitatem conſeruet, Amen. Datum ex muſæo noſtro, 1573.

Tuæ dignitati ſtudioſiſſ. B. Aretius B.



BENEDICTO ARETIO doctiss. Theologo, I. Serranus.

HOc luctuosi temporis, Areti statu,
Dum sæua bellum veritati vastitas,
Indicit atro sempiternum vulnere:
Quàm gratus opportuna promis munera,
Qui veritati suppetias mœstæ feras!
Quòd si meretur Mundus ingratus bona
Carere luce Veritatis, rursus &
Mendacii in tetram ruere caliginem.
Diráſque tremere perfidi erroris minas,
Væsanus illis perfruatur, heu, malis.
Itáne peribit, Veritas & impia
Vbique victrix peruagabitur lues?
At emicabit veritas, hostes suos,
Cædendo, vincens: haud ei deerit locus
Quo sub fidelis hospitis fida manu,
Præclara nitescat, haud carebit strenuis
Potens ministris nescia vinci veritas.
ARETI, secundo perge felix numine
Patefacere veritatis & mendacii
Discrimen, vt per te potenter veritas
Appareat victrix, beatæ & lucis copia
Pacata abundet Berna. BERNA plurimis
Cumulata commodis, primarium hoc bonum pia
Piè tuêre: námque te victoria
Victrix beabit sempiterna veritas.

ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Τῆς ἀρετῆς φώστειραν ἀλήθειαν ἐπιλάμψας,
Τῆς τ' ἀρετῆς δείξας τὴν, ἀρέτειε, τρίβον,
Ἡ δὲ καλὸν φαίνει ἀρετῆς φάος ἀνθρώποισι,
Τοῦ δ' ἤθεν βιότου φέγγος ἐπουρανίου.
Ὧν γ' ἀρετῆς, ἀρέτειε, παρώνυμος, οὐ μάκαρ ἐστὶ
Ὧν καὶ ἀληθείης ὢν κ' ἀρετῆς θεράπων;

Felici memoriæ BENEDICTI ARETII doctissimi Theologi viri & opt. & humaniss. Ioan. Serranus ad sempiternum amicitiæ monumentum. M. P.

Τοιάδε συγγράψαντι προβλήματα τῷ Ἀρετείῳ
Θείου νημερτῆς εἰπελόγου ταμίας.
Ταῦτα μὲν ὦ Ἀρέτειε, καλῶς γράφες, οὐκ ἔτ' ἄρ' ἔμπης
Παντελέος, τέκμωρ ἵκεο φραδμοσύνης.
Μοῦνον ἔχει δ' ἡ χθὼν σαθερῶν εἴδωλον ἐόντων,
Οὐρανὸς αὖ τ' ὄντων τόδ' ὕπαρ ἐγκατέχει.
Βασκ' ἴθι γοῦν, Ἀρέτειε, θεορρήτων ὑποφῆτα
Καλὲ λόγων, σὺν ἐμοὶ οὐρανὸν εἰσανάβα.
Οὐκ ἀπίθησ' Ἀρέτειος, ἀτὰρ χθόνα κάλλιπε πρόφρων.
Ἄκρον φραδμοσύνης δραξόμενός τε τέλος
Οὐρανὸν εἰσανέβη, καλὴν δ' ἄρα δεῖξε κέλευθον
Ἄμμι φίλοις, ἄκρης φραδμοσύνης λαχέειν.

EIVSDEM.

DVm misera incerto quassatur Gallia motu,
Et fœlix stabili Berna quiete viget:
Perspicuè hæc miseri monstrat discrimen imago
Felicisque, soli, tunc Areteius ait.
O te felicem, te terque, quaterque, beatam,
Alma peregrino perspice, Berna, malo:
At non plena tamen perfectaque, scilicet hæc est,
Berna, quies, magnis vel cumulata bonis:
Certa quies cœlo constat, tu pignora plenæ
Ista quietis habe: verùm ego continuò
In cœlum pergo, perfectæ munera pacis
A Deo adepturus, dixit, & ille polum
Conscendit plenè felix, Bernamque reliquit,
Quam tamen immemorem non sinit esse sui.

PIET. VIRT. HONORI, ET FOEL. MEMORIÆ
D. BENED. ARETII PRÆSTANTISS. SACRÆ THEOLOG.
Professoris, post multa vitæ & eruditionis luculenta
exempla in meliorem vitam
translati,

Vrbanus Calueto multis cum lacrum. Parentabat.

Perfida cùm catulis ouium Lupa cæde piarum,
Illita fallaci fœdera coniugio,
Imbuerat: plébsque indomitas bacchata per vrbes,
In mare purpureas præcipitarat aquas:
Ingemuere omnes: omnes, sed Aretius inter,
O Deus: ærumnis quis modus, inquit, erit
Siccine te satias ouium caput Agne tuarum?
An gregis Agne tui te piget esse ducem?
Agnus ad hæc: nunquam piguit: porróve pigebit,
Nec pereunt totæ, quæ lacerantur, oues:
Sed quæ vix cernis caligine pressus opaca,
In loca visurus liberiora veni.
Ergo functe malis cum Christo viuis Areti,
At nos, heu miseri, quotidie morimur!

Doctissimo ac Pientissimo viro D. Domino Fedmingero
Bernensis Ecclesiæ Pastori vigilantissimo,
Petrus Rossinetus.

Rara auis in terris, albóque simillima coruo,
(Inualuit feritas) intemerata fides.
Nam licet ore tenus (dictu mirabile) multi
Prætexunt sacrum nomen amicitiæ:
Attamen haud tanta est fidorum copia, vt illos
Non simul impositos vnica cymba vehat.
Causa mali tanti, quia non sæpissime vinclo
Mortales virtus colligat ipsa suo.
Nempe alios stultè copulat malè sana voluptas,
Vtilitas alios semper auara ligat.
Sic, vbi pertingunt iucundum, atque vtile finem,
Vt malè conceptus, sic malè cessat amor.
Non te talis amor Benedicto adiunxerat olim
Fedmingere, fides candida vestra fuit.
Nam pietas (quo vix fuerit præstantior alter
Nexus) vos nodo vinxerat ipsa suo.
Sic, quia vos pariter ratio copulauit honesti,
Vt bene conceptus, sic bene pergit amor.

Mors potuit, fateor, Benedictum auferre, perinde
Non potuit vestram soluere amicitiam.
Nam quibus officiis viuum es dignatus, iisdem
Defuncti fœtum non malè prosequeris.
Tu, quæ deseruit summo digesta labore,
Non finis obscuro scripta iacere loco.
Sic studiis hominum non tanta hæc commoda sacris
Eripis, hæc potius sedulitate iuuas.
Ecquis amicitiæ in maiora requirere signa
Audeat, & fidei pignora plura tuæ?
Sic licet in terris fidus reputetur amicus
Rara auis, hic saltem est vna reperta mihi.
Ergo age, Fedmingere, Deo studia ista probantur,
Quæ sunt ingenuis grata futura viris.

Eruditiss. ac Pientissimo viro D. Domino Musculo, Bernensis Ecclesiæ Pastori vigilantissimo, Petrus Rossinetus.

MVscule, non dubium, quin te graue funus amici,
Imo mœrentem pectore perculerit.
Nam qui te quondam præsens recreauit amicum,
Ille absens lachrymas nunc tibi mille creat.
Muscule, non dubium, dum tu monumenta reuoluis
Quæ docta doctor scripserat ille manu.
Quin ita vel summum valeas lenire dolorem,
Solaríque animos hac ratione tuos.
Námque tibi illius facies inscripta legenti,
In scriptis sese prodit adusque suis.
Illic sollicitus si quis quid quærat ac illo,
Quærenti occurrens mutua verba serit.
Instruit, & Christi varios acerrimus hostes
Scripturæ sacris sternit vbique locis.
Quid moror? hunc nobis rediuiuum Muscule libri
Reddunt: vox tantùm viua subesse cupit.
Ergo, piis sit acerba licet mors ipsa piorum,
Non tamen hæc illis vtilis esse nequit.



PROBLEMATVM SEV LOCORVM THEOLOGICORVM LOCVS PRIMVS.

DE COGNITIONE DEI, QVA GENTILES FVERVNT PRÆDITI.



LVMEN naturæ, & ingenij humani acumen, quantùm posset præstare, in Ethnicis declarauit. Iudæi enim legem habebant, cui meritò debuerunt acquiescere, sine scrupulosa inquisitione. Gentes verò destitutę aperto Dei verbo, ad ingeniorum pręsidia & naturę iudicia diuinitus illis in pressa sese contulerunt.

Hinc apud eos nata philosophia: in qua quid præstiterint, illorum libri declarant, sed & Apostolus ad Rom. cap. 1. illis non dubitat tribuere Dei cognitionem, nec pœnitendam nec casu oblatam: sed Deo ipsis reuelante diuinitatem æternámque suam potentiam: quæ non sunt pœnitenda in rebus diuinis membra. Ac cap. 2. natura præstitisse illos legem: sibíque ipsos fuisse legẽ ait. NB.

Ex quo sequitur præsens illa quæstio: quantùm cognoscendo profecerint: & num hoc modo salutem consequi potuerint? Quęstio.

Eam quæstionem, in præsentia quoad fieri potest, explicabimus. Ac vt res per se obscura fiat dilucidior, illa quatuor vobis proponemus. Principiò ipsam cognitionem Ethnicorum expendemus, vt constet quanta fuerit. Secundò vnde eam consecuti sint, ne putemus fortuitò, aut naturali inclinatione solùm fretos, hoc boni, quicquid est consecutos. Tertiò, quod proprium est huius loci, demonstrabimus non suffecisse ad salutem, & quid illi pro se afferre possunt, breuiter quoque expediemus. Quartò, cur igitur tanta dona illis sint collata, si per eadem non debuerunt salutem consequi? De his dicemus, si possumus, dilucidè & compendiosè. Quatuor notanda, pro quęstionis explicatione.

I. Ac de cognitione Gentilium quidem, sic existimo statuendum esse, Præclaram & valde illustrem fuisse illam: nec solùm de rebus humanis & sublunari hoc mundo: sed de Deo rebusque diuinis, quantùm ingenio hominis fas erat, ad summã notitiã peruenisse. Idquod ex ipsorũ libris abundè confirmari potest, imò ex sacris quoque literis, & consensu scriptorũ nostræ religionis, res eadem declarabitur. Quanta fuerit Gentiliũ cognitio.

Nam quòd nonnulli dicunt Ethnicos omni cognitione Dei caruisse, quòd idololatræ fuerint & alieni à populo Dei: speciosum quidem hoc est, sed non perinde verũ. Nec plus valet, quàm si hodie dicas bonam partem Christianorum veram Dei & Christi cognitionem non habere, quia colant imagines: aut Turcas, quia alieni sint à Christo. Non animaduertũt isti, aliud esse nouisse, & aliud facere, secundùm id quod cognitum sit. Apostolus non dubitat Gentibus tribuere cognitionem diuinitatis & potentiæ: & quidem tantam, quæ ad damnandos Ethnicos suffecerit apud tribunal Dei. Non igitur extenuanda est nimiùm: sed dandum quod illis concessit Deus, & sacræ literæ illis tribuunt, in hoc vt sint inexcusabiles. Sed ad cœptam diuisionem reuertamur.

Ex illorum scriptis colligi potest, quid de Deo cognouerint. Plato sanctissimè passim de Deo loquitur, secundùm quem, Deus est, Viuens, immortale, sibi sufficiẽs ad fœlicitatem, substantia æterna, & causa boni in natura. Quod Xenocrates quoque & alij de Deo sensêre. Aristot. lib 12. Metap. cap. 8. palàm Deũ ponit esse vnũ numero & ratione, immobilem: & paulò antè fatetur ill[u]m esse sempiternũ, optimum, &c. Mercurius ille Trimeg. inquit, Θεὸς ἐστι εἷς ὁ δ' εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται· ἐστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. id est, Deus vnicus est, qui autẽ vnicus est, nomine non eget: Nã is qui Est, caret nomine. Sibyllæ quãta de Deo Gentibus cecinere? non solùm causam omnium, & vnum, & prouidum, sed redemptorem humani generis pronuntiarunt, adeò vt filij Dei nomen carminibus suis expresserint: quæ quia nota sunt, hîc libenter prætereo. Apollo Colophonius aliquando interrogatus quid esset Deus, respondit αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος· οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων. Τουτὶ θεός. Qui est ex sese, sine doctore, sine matre, indiuisus: nomen sermone non comprehen-

Quid de Deo senserit Plato.

Sibyllæ

sum, in igne habitans, illud Deus est.

Ethnici Latini. C... C...o.

Latini Ethnici satis etiam Deum cognouerant, si voluissent cognitis inhærere. Distichorum moralium autor Spiritum esse fatetur, & pura mente colendum. Cicero mentem secretam ab omni labe. Sed nolo in his esse prolixior.

Platonis sententia.

Dei cultum verum satis intellexit etiam bona illorum pars. Platonis est sententia, non rectè coli sacrificiis: cùm omnia bona ab illo nos accipiamus: ipse verò à nobis nihil, tanquam indigus. Ideoque ei soli nos debere honorem & gratiam: de quo & in 2. Alcibiad. In secundo lib. Polit. natura bonum esse dicit, non mali authorem: & alibi salutis authorem.

De Dei prouidētia.

De Dei imagine in homine non obscurè locuti sunt. Plato hominis formam dicit esse θεοειδῆ, id est, Deo similem, & virum bonum ac iustum proximè ad Deum accedere. In Sibyllinis legitur Dei sententia de homine, εἰκὼν ἐστὶν ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα. id est, Homo mea imago est, rectam rationem obtinens.

De prouidentia tota philosophia testatur. Plato in Phædro, & libro decimo de legibus suauissimè de illo philosophatur. Hermetis etiam sancta est sententia de Dei cura pro piis. Μία inquit φυλακὴ εὐσέβεια, εὐσεβοῦ γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ, θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ, id est, Pietas est custodia: nā virum pium neque malus dæmon, neque fatum superat. Nam pium liberat Deus ab omni malo. Quæ postrema sententia planè ex diuinis sumpta est. Lactan. 2. cap. 16.

Plato, Deum mundi conditorem facit.

Deum omnia cōdidisse per se, omnes etiam cognoscere poterant, non minùs quàm Plato. Cuius de origine rerum omnium extat iudicium in Sophista. & lib. 10. Politicorū: in Timæo quoque totius mundi cōditorem & patrem facit Deum. Et inter epistolas eius est numero sexta, quæ pium habet ad finem clausulam de Deo patre. Taceo illum sanctissimè loqui ἂν θεὸς ἐθέλῃ, σὺν θεῷ εἰπεῖν ῥᾴδιον: id est, si Deus velit, Deo fauente facile est dicere: & similia, quæ occurrunt passim apud eum scriptorem.

De immortalitate animarum, manifesta sunt Platonis testimonia in Phædone. In Phædro idem quoque tractat argumentum. In Gorgia quoque idem attingit. in Politicis lib. 10. de legibus lib. 10. & 12. copiosè idem persequitur, quæ prudens hic solùm attingo.

Resurrectionem corporū ex terra attingit alibi in politico: quę Aristoteli absurdiora visa sunt: tamen animam dicit secundum quid immortalem κατὰ τὸν νοῦν id est, quod ad mētem attinet. scilicet libr. 12. metaph.

Mortem non esse metuendam in Apologia satis declarat, nec deserēdam esse, illius metu, stationem, in qua singulos Deus hic posuit. Idem in Phædone asserit, & alibi: & Socrates hoc satis suo exemplo comprobauit.

De pœnis & præmiis post hanc vitam, omnes tragœdiæ loquuntur, nedum philosophi. In Platone nota sunt præmia, in Gorgia. Pœnas etiam recenset lib. 10 Polit. in Phædone.

In Lachide docet vitam oportere doctrinæ & professioni respondere. In Critia Genios prouinciarum dicit esse præsides. Alibi virtutem diuinitus inspirari, non natura, nec arte comparari. Iustitiam esse consensum rationis & affectuum.

Ethnicorū cognitio de Deo ad eorū damnationem fuit sufficiens.

Sed desino singula persequi, ne videar nimis ista admirari. Nos de his audiamus Sacræ scripturæ censuram. Apostolus ad Rom. 1. manifestè dicit Deum illis patefecisse, id quod de Deo cognosci debuit & potuit. Deinde indicat modum patefactionis, quòd per visibilia creaturę cognouerint inuisibilia Dei: hoc est, potestatem eius & diuinitatem, potestatem cognouerunt ex mundi machina, diuinitatem ex ratiocinatione causarum: quanquam non desint, qui de filio Dei interpretentur, quos tamen in præsentia non sequor, satis est præclaram fuisse in genere diuinitatis cognitionem: quod vnico adhuc ostendam argumēto. Apostolus eodem loco dicit inexcusabiles factos esse, quia Deum, vt illum cognouerunt, non glorificarunt, nec grati fuerunt. Ex quo sequitur cognitionem ad damnationem sufficientem fuisse, ideóque fieri non potest, quin excellens fuerit. Et Actor. 14. Paulus apud Lystrios dicit, Deum apud Gētes non caruisse testibus, & argumentis, ex quibus Ethnici illum agnoscere potuerint.

1 Multa nostræ religionis propria, probant patres, ex Ethnicis.

Patres hoc viderunt etiam. Hinc est, quòd ferè omnia arcana fidei Christianæ, apud philosophos & poetas Gentiles quæsiuerint, ac quædam non malè inuenerint. Nec dico ciuilia illa & physica, quæ propria sunt philosophiæ: sed nostræ religionis propria. Vt est vita æterna, resurrectio, Deus, creatio mundi & hominis, &c. similia.

2 Prima defensio Christianorum, senatui Romano oblata per Iust. Martyrem.

1 Certè Lactantius Firmianus nihil non ex Ethnicis probat, resurrectionem, lib. 7. cap. 20 23. pœnas impiorum, lib. 7. cap. 7. Deum vnum esse, lib. 1. cap. 6. 7. Diaboli inuidia peccatum ingressum esse in mundum, lib. 2. cap. 9. & alia infinita. Idem facit Augustinus in libris de ciuitate Dei. Vide lib. 22. cap. 28. & alios. Tertullianus quoque in Apologetico omnia ferè ex Ethnicis probat. vide cap. 46. Iustinus ille Martyr & philosophus, ex Orpheo, Sibyllinis libris, aliisq; infinita adfert in Parænetico, aliisque. In prima defensione Christianorū quam 2 Senatui Romano scripsit, non dubitat dicere Christum ἀπὸ μέρους, id est, quadantenus cognitum Socrati. Et in secunda defensione, eādem Socratem dæmonum opera occisum dicit, quia voluerit abolere cultum. Notus est Augustini locus, quo dicit se initium Euangelij Ioannis

apud Platonicos reperisse.

Eusebius in præparatione Euangelica, quid non ex Ethnicis affert? totam Theologiam, ex Platone ferè profert. In primis conferatur lib. 12. cum his quę ex Platone affert: quę nos olim studiosè ex Platone comportauimus: quæ si omnia nostris conferas: verè dices parum abesse quin Plato Christianus esset.

Trinitatis vestigia quædam fuerunt apud eos, quanquam malè, vt reliqua omnia intellecta. In Philebo coniunguntur ista tria, βασιλικὴ ψυχὴ, βασιλικὸς νοῦς, & αἰτία δύναμις, id est, anima regia, mens regia & facultas causalis. lib. 4. de legibus, principium, medium, & finē rerum omnium in Deo esse: ac dicit παλαιὸν id est, antiquum hūc esse λόγον, quod Iustinus interpretatur de Mosis doctrina à Platone dici, quem non ausit nominare.

In Timæo sæpe Triadis mentio est, sed malè applicantur, παράδειγμα, μίμημα, & λόγος exemplar, imitamentum & sermo, infra est πατὴρ μήτηρ, ἔκγονον Pater, Mater, natum. quę quo modo explicent Platonici, vide Proclum, qui affirmat Triadem ex se omnia efficere. *Trinitatis quædam cognitio apud Ethnicos.*

In lib. 6. Polit ἀγαθοῦ, id est, Boni, filiū esse dicit inexplicabilem, cùm ἀγαθὸν Bonum, per se exprimi non possit.

Hermes ille, ἐν λόγῳ τελείῳ. i. sermone perfecto, ait Deū alium ὁρατὸν καὶ αἰσθητὸν. i. visibilē & sensibilem genuisse, referente Lactantio lib. 4. cap. 6. & Sibylla ibidem canit, αὐτὸν σὸν γίνωσκε θεὸν, θεοῦ υἱὸν ἐόντα. i. ipsum Deum tuum cognosce, qui Dei filius est. Citatur & Serapidis responsum Thuli datum in Ægypto, πρῶτα θεὸς μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς σύμφυτα δὲ τὰ τρία, πάντα καὶ εἰς ἓν ἰόντα, primùm Deus, deinde sermo, & spiritus: cum ipsis connata sunt tria, & omnia in vnū coeuntia: quod manifestam & aptis nominibus exprimit Trinitatem. Obscuriora sunt apud Peripateticos illa. Habet quidem Aristoteles νόησιν, νοῦν & νοητὸν, notionem, mentem & mente perceptum, quæ in Deo collocat, sed remota sunt à Veritate. Platonicorum, Sibyllarum, & Pythagoræorum doctrina apertior fuit, quæ ne quis vana putet, legat August. 10. de ciuit. cap. 23.

II. Diximus de præstantia cognitionis Ethnicorū in rebus diuinis, quantum de illa ex scriptis eorum, sacris literis, & nostris scriptoribus iudicare possumus, nec dubium est quin in multis excellentior fuerit. Nunc non abs re fuerit videre, vndénam illis tāta cognitio, per quid, aut quomodo data sit? Quod vt intelligamus, hoc vtamur fundamēto. Cognitionis diuinæ tres esse vias. Vna naturalis est: quę deducit per res apparentes, earúmque causas ad Deum inuisibilem. Habet hic modus amplissimum librum, nempe hunc ipsum mūdum visibilem: quem librum, qui rectè legere norunt, authorem Deum, aliáque arcana infinita addiscent. Alter modus est, qui scripto vtitur libro per Mosen & Prophetas, quo populus Dei est vsus, & hodie nos vtimur. Tertius modus est in Filio Dei, qui vt est imago Dei Patris, ita cognitionem Dei plenam suis communicat. Hinc est, quod dicit, *qui videt me, videt Patrē*, Ioan. 14. Primùm igitur Deus Ethnicis sui cognitionem est largitus per visibilia mundi, quò pertinet locus ad Rom. 1. in hoc tanquam amplissimo theatro Dei maiestatem contemplati sunt, per visibilia ad inuisibilia Dei penetrarunt, potentiam, maiestatem, bonitatem, diuinitatem illius perceperunt. Librum Dei vocarunt veteres: & Plato quoque hunc mundum agnoscit epistolam esse Dei Patris ad genus humanū, qui in Timæo sic de natura hac loquitur. & Arist. palàm fatetur, Deum sua natura inuisibilem, ex operibus tamen suis contemplari posse: locus est in libello de mundo, πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν ἔργων θεωρεῖται θεὸς, omni mortali naturæ inuisibilis, ex ipsis operibus inspicitur Deus. quod manifestè congruit cum dicto Apost. ad Rom. 1. Deinde naturale lumen in eis viguit, & ardor philosophandi. Admiratio philosophiam peperit: hinc cùm omnia scire vellent, Deus eadem via in sui quoque cognitionem pertraxit. Socrates apud Plat. in Theæt. inquit, μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος. τὸ θαυμάζειν, οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη, id est, Id inprimis philosopho contingit, nempe admirari. non enim aliud est philosophiæ principium, quàm hoc: quod idem postea dixit Aristotel. lib. 1. Metaph. cap. 2.

Vnde tāta Dei cognitio Ethnicis.

Cognitionis Diuinæ tres sunt modi.

Sentētia Platonis.

Admiratio philosophiā peperit.

Et opificium Dei mutum erat futurum, nisi cupiditas perquirendi omnia illis esset diuinitus indita, tanquam stimulus quidam.

Præterea per manus multa receperunt: quę licèt à posteris sint deprauata, tamen vmbras quasdam retinuerunt, & in vetustis maior est integritas, vt in historia Iobi qui Ethnicus fuit, magna est diuinarum rerum cognitio, in Melchizedek similiter, hi suis posteris tradidere pietatem veram, quam posteritas fabulis contaminauit, paucis retentis, tanquam vmbris. Hoc etiam agnoscunt Philosophi. Plato ex veteribus, multa piè repetit, & sæpè facit mentionem vetusti sermonis qui verissimus sit, quem à maioribus audiuerit, ἀρχαῖον istum λόγον Iustinus interpretatur de vera traditione, quam apud Mosen legisset, vel à sanctis viris audiuerat in Ægypto.

Iobus Ethnicus fuit.

Iustinus. Platonē libros Mosis legisse putat.

Et Arist. in libello de mundo, ait veterem esse traditionem, & quidem hæreditariam omnium hominum, quòd omnia à Deo, & per Deum nobis sinè condita. Itaque Aristoteles nouit Deum esse, eundémque seruatorem & parentem esse omnium, non tam ex rebus cōditis quàm per veterum traditionem: cui tanquam veræ (vti est verissima) hic acquiescit &

Per veterū traditionē multa

credit. Et lib.12. metaph. cap.8. multa piè tradita esse ab antiquis: sed per posteros corrupta fabulis: quòd scilicet dij sint, & numen omnem naturam cōtineat: hoc quidem rectè dictum: sed fabulas malè inductas de diis ait. Ideóque vulgi opinionem de idolis reprehendit, planéque paternas has traditiones veras esse agnoscit.

Eodem pacto credibile est, Ethnicos singulis ætatibus multa hausisse à Iudæis in captiuitatibus, in quas Deus dispersit eos sæpe, vbi veram religionem exercuerunt more patrio. Sic in Babylone docuit Daniel, vt rex & alij sapientes intelligerent verum cultum Dei. In Ægypto filij Israel docuerunt, & postea Ieremias, vt indubiè multi Ægyptij veritatem agnoscerent. Idem factum est apud Persas, Medos, Assyrios, Græcos, apud quos peregrinati sunt Iudæi.

Accedit his, quod de multis probabiliter dicitur, eos legisse etiam libros sacros. Iustinus Martyr in secunda Apol. pro Christianis, ostendit Platonem multa à Mose mutuatū esse: In Parænetico Platonem dicit, quæ à Mose & Prophetis de vno Deo acceperit, mysticè proposuisse: Mosen autem metu mortis non sit ausus nominare. Similia habes apud Tertull. in Apolog. cap. 44. & apud Euseb. libr. 9. de præparat. Euang. cap. 3. Aristobulus Iudæus testis est Platonem & Pythagoram legisse Mosen, & Græcè exposuisse, quæ ille inuenisset. Et Numenius Pythagoricus Platonem dixit nihil aliud esse, quàm Mosen Atticè loquentē, quod & extat lib.11. cap. 6. præparat. & apud August. lib. 8. ciuit. Dei. cap. 11. Legit igitur Plato, & Pythagoras quoque Mosen in Ægypto, vbi magos conuenit. Nec desunt qui putent Ieremiā in Ægypto docentem conuenisse: quod tamen Augustino displicet, qui melius in Pythagoræ tempora congruere hæc ait: fortè autem didicisse linguam, vt legeret Hebraicè Mosen, quod ex similitudine argumenti colligit, quod in Timæo tractat ex Genesi Mosis. Et vicinas Gētes legisse Prophetas & Mosen, vel hinc colligi potest, quòd in Act. 8. Eunuchus Æthiops & Ethnicus homo in curru Esaiam Prophetam legit, quem illi mox Philippus interpretatur.

Plato, Pythagoras legerunt Mosis libros.

Addamus etiam hoc, Deum multos singulariter afflasse, vt essent doctores mysteriorū eius inter Gentes quoque. Cùm enim deberent esse inexcusabiles coram Deo, singulis ætatibus aliqua patefactio accessit, quam spernendo, cumulum peccatorum compleuerunt. Sic enim Apost. ad Rom. cap. 1. inexcusabiles facit, vt coniungat inexcusabiles non cum originali peccato, sed cum patefactione, contra quam peccarunt in Deum. Hinc factū etiam, vt Patriarchæ diu inter Gentes oberrarint. Abraham inter Chananæos, in Gerar, in Ægypto, inter quos suam familiam non passus est corrumpi: sed veram religionem docuit, vt vicini, indubiè eam non ignorarent, quæ hominum est curiositas. Ita Isaac, Iacob, filij Israel in Ægypto. Talis fuit Iob, homo Ethnicus, rectè tamen de Deo & sentiens & loquens. Talis Melchizedek homo Gētilis ex Chananæis, sacerdos tamen Dei altissimi, & insuper typus Christi. Tales fuerunt Sybillæ quas diuinitus afflatas esse nemo dubitat: & affirmat hoc August. lib.8. de ciuit. Dei cap. 11. & libr.18. cap.23. & Iustinus in Parænesi Sybillis plurimum tribuit: putat illarum carmina legenda: & quanquam se non semper intellexerint, tamen eo ipso verum pronūtiasse. De Platone hoc præcipuè credit Augustinus libr. 8. ciuit. cap. 11. In Act. cap. 18. Paulus, Gentium doctores vocat poëtas, cùm vellet Arati citare testimonium. Et ad Tit. cap. 1. Prophetas eosdem vocat, quia verè multa cecinêre, quamuis & ipsi non sint omnia assecuti. Socrates apud Platonem affirmat, se à Deo singulariter datum esse Atheniensibus, vt moneret eos de rebus honestis, ideóque testatur se gratis oberrando, singulos publicè & priuatim docuisse in summa paupertate sine mercede gratis: quod non leue testimonium est, Deum inter Gentes quoque suos habuisse semper doctores honestatis, & cognitionis diuinæ secretioris, &c.

Patriarchæ diu inter Gentes cōmorati, veram religionē docuerunt.

Deus suos habuit doctores honestatis inter Gentes.

III Hîc quæri iam solet, an cognitio illa sufficere potuerit Gentibus ad salutem? quam rem alij aliter expediunt. Nos sic breuiter respondemus. Quanquam præclara fuerit illorum notitia, & singulari Dei munere illis conce[illegible], tamen ad salutem insufficiens erat. Nam certum est, extra Christum non solùm imperfectam esse omnem cognitionē: sed etiam nullā sperari posse salutem. Christum verò Ethnici sapiētissimi & iustissimi non agnouerunt. Itaque ad salutem cætera omnia imparia erant. Vnus enim mediator est Dei & hominum, homo Iesus Christus. Quòd verò Iustinus dicit de Socrate illum agnouisse λόγον, hoc est, Christum, non concedimus. λόγον enim, hoc est, dictamen rationis, honestorum & turpium vtcunque agnouit. Vt doceret de ciuili iustitia rectiùs fortè, quàm alij multi, magisque congrueret cum doctrina Christi: sed mysteriū crucis & Filium Dei ignorauit: de quo annotauimus quædā in censuris Iustini.

Cognitio Gentilium de Deo ad salutē nō fuit sufficiēs.

Deinde in multis planè se non intellexerunt, aut quæ dixerunt non crediderē: sed vsus est eorū opera Deus, non secus ac vsus est opera asinæ in redarguendo Bileam. Quod manifestum est in Caiapha, qui oraculum edidit de morte Christi, quod non intelligebat, & Bileā de Israële oracula promit, quæ non intelligit. Id accidisse etiam Philosophis certum est. Iust. Martyr hoc affirmat de Sibyllis: hinc factum est vt carmine vt plurimùm sua proposuerint, & ex his multa sint omissa, quòd quæ loquerentur, non semper assequi possent. Id Prophetis

Ethnici similes asinę Balami: multa enim di-

phetis etiam accidisse videmus, non igitur nouum sit hoc de Ethnicis affirmare.

Tertiò, esto etiam, demus quòd se intellexerint Philosophi, (quandoquidē rationem in omnibus ferè sequuntur,) aut auitā traditionem: non tamē ad salutē sufficiebat, cùm per se cognitio nō saluet. Christus suis inquit, beati estis si feceritis illa. Et dæmones habent perfectā cognitionē multorū mysteriorum, in primis norunt omnia quę ad salutē hominis spectāt, Christum sciunt natum & sedere in cœlestibus ad dextrā Dei: & nouerat Satan illū aliquādo nasciturū ex semine Dauid. Talem notitiam nemo Ethnicorum habuit: nec tamen sufficit dæmonibus ad salutem illa vtut exquisita notitia. Nam oportet fidem cognoscentis accedere, vt sibi illa possit applicare & vtilia reddere per fidē: qua cùm caruerunt Gentiles, nulla cognitio eis profuit ad salutem.

xerunt quæ non intellexerunt.

Sola cognitio non sufficit ad salutem.

Accedit etiam quarto loco, quòd cognitis rebus non insisterent. Cognouerunt quidem Deum, sed non vt Deum glorificarunt, nec illi grati fuerunt. Extra controuersiam igitur est illos minimè iustificari potuisse illa notitia. Christus apud Luc. 12. inquit de seruo, qui Domini voluntatem nouit, & non facit, pluribus plagis esse affligendum. Id de Ethnicis plenè verū est, satius erat eos non agnouisse Deum, quàm cognitum iterum negare, quod de malis Christianis affirmat etiam D. Petrus 2. Pet. 2. & D. Stephanus in Act. 7. Iudæis hoc ipsum obiicit, semper Spiritui sancto restitistis, &c.

Debuit etiam excludi gloriatio. Nam vt Iudæi per legem non potuerunt iustificari, ne gloriarentur, sed gratuitum agnoscerent Dei miserantis beneficium: ita quoque Gentes gloriari non debuerūt de iustificatione, quasi naturalibus mediis, & sapientia carnali ad illam peruenerint. Exclusa est igitur hoc etiam pacto gloriatio.

Demum nondum vocatæ erant plenè, vocandæ autem erant ad Christi in carnem aduentum. Hoc tempus non debuerunt præuenire: sed Christo nato tandem accedere, per fidem in eum. Hanc rationem affert Lactantius alibi, docens cur Plato & Pythagoras non accesserint etiam ad Iudæam in suis peregrinationibus, vt inde quoque discerent sapientiam & religionem, cùm non dubitarint accedere ad Indiam, Ægyptum, Babylonem, Philosophiæ desiderio.

Respondet hoc factum esse, ne à Iudæis veram religionem de vno Deo perfectè addiscerent: sed hoc conseruaretur aduentui Christi, & doctoribus Apostolis.

Porrò quòd nonnulli dicunt, eundem spiritum fuisse, qui veritatem illis patefecerit, & locutus sit in Prophetis ac philosophis, hoc quidem verum est. Veritas est veritas vbicunque reperiatur, aut quisquis illam loquatur. Tamen multum refert quis illam dicat: aliter veritatem dicit vir sanctus & Dei Angelus, aliter Satan & vir malus: hos non iuuat quòd veritatem interdum loquutur: sic aliter in Caiapha operatur spiritus veritatis, aliter in Esaia.

Similia sunt quæ ex Apostolo proferūt, cognouerunt diuinitatem & potentiam Dei. Verum quidem est: sed obserua sequentia, Deum non vt cognouerunt, glorificarunt. Cur igitur per hanc cognitionem salutem assequerentur, cui non responderent?

Sic concedimus Deum quoque illis patefecisse τὸ γνωστὸν suum, sed magis illos damnat, cùm palam sit in cognitis illos non mansisse.

Addunt, abusu damnantur, ergo recto vsu saluari poterant. Negamus consequens, malè enim quæritur de re futura, cuius nullum potest dari exemplū. Deinde impar est collatio: nam abusus & mala opera per se causa sunt damnationis: cùm vsus rectus & bona nō sint per se causa salutis, sed ex veris causis, hoc est, ex fide & gratia Dei fluat.

Præterea inferunt, non grati fuerunt, ergo si grati fuissent, poterant. Non sequitur. Loquitur enim Apostolus de effectu indurationis, quam infinita vitia sequuntur: in primis ingratitudo, quæ vt effectus est reprobationis: sic ingratitudo non est causa, sed fructus iustificatorum.

Demum aiunt, ignorantia summum est malum: ergo cognitio Dei summum est bonum, à quo parum distare videtur beatitudo ipsa. Rectè quidem: sed non animaduertunt, Ethnicis adimi summum bonum, hoc est, veram Dei cognitionem: cùm initiis cognitis non inhæserint, sed variis modis illa corruperint. Itaque ignorantia illis affectata rectè ascribitur. Sed nolo in his esse prolixior. Addamus vltimum membrum instituti nostri.

IIII. Cur ergo data est illis tanta cognitio, si per illam non debuerūt plenè ad Deum vocari & iustificari?

Cur tanta Dei cognitio Ethnicis data est.

Multis modis profuit cùm ipsis Gentibus, tum gloriæ Dei interfuit concessa eis cognitio. Nam quod Ethnicos attinet, præparati fuerunt hoc pacto ad Christum, vt illum deinceps faciliùs admitterent, si audirent maiorum suorum doctrinam in præcipuis hic approbari, vt erat iudicium honestorū & turpium, vnius Dei cultus, vita ęterna, resurrectio mortuorum, & similia. Hinc exempla passim sparsa fuerunt vocatorum Ethnicorum, ad vnius Dei cultum. Vt Ruth sub iudicibus admittitur, Rahab sub Iosua, Sareptana vidua, Naaman Syrus, Niniuitæ per Ionam. Hac pædagogia vsus est Melchizedek, Iethro, regina Saba, alíique qui inter infideles veritatem tamen docuerunt de vno Deo. Sic Sancti inter peregrinandū, vt Iacob in Ægypto, & posteri eius, Daniel in Babylonia, Ieremias in Ægypto, &c.

Deinde, Dei qualicũque cognitione debuerunt conseruari in ordine, vt Deum vindicem peccatorum timerẽt. Hinc Plinius homo impius & prophanus dicit cultum deorum nulla alia ratione inductũ, quàm vt homines metu religionis in disciplina retinerentur. Impia est hominis vox: quanquam nõ credat quod pronuntiat.

Præterea Deus voluit agnosci Clemens, Bonus, & Misericors, Beneficus & summè Potẽs. Huc facit, quod Apostolus ait, potentiam Dei illis cognitam esse.

Demum verissima causa à Paulo est expressa, vt redderentur inexcusabiles. *Ideo omnes conclusit sub peccatum, vt omnium misereretur.* Et reuera, quantò singuli doctiores fuére, & plura cognouêre: tantò redditi sunt magis inexcusabiles. De Platone & Platonicis hoc indicat Augustinus, de Cicerone Lactan. lib. 2. cap. 3. Sic Aristippus cùm in aliis damnaret scortationem, ipse Laidem quoque accessit: quasi satis esset gratis scortari, cùm alij sua cum scorto profunderent. Sic in vniuersum authoritas philosophorũ manca est, & vacillat, cùm præclarè docuerint, non autem ita vixerint bona ex parte. Nam homines etiam malunt exempla quàm verba, sicut loqui facilius est, difficilius præstare.

Dei verò gloriæ intererat, eo modo omnes ad sui plenam cognitionem vocare, quo ipse vellet, non quo nobis placeret. Ita summè sapiens, misericors, & potens deprehenditur, cùm in mera desperatione nostrarum virium priùs deprehendimur.

LOCVS II.

QVO MODO INTELLIGI DEBEAT SENTENTIA ILLA, VNVS EST DEVS, *VBI AGITVR DE DEO PATRE.*



CHRISTVS apud Marcum 12. cap. interrogatus quodnam esset primum omnium mandatum, respondet ex Mose, *Audi Israël, Dominus Deus noster Deus vnus est:* quod respõsum admiratus Scriba subiicit, Benè præceptor & verè dixisti, ὅτι εἷς ἐςι θεὸς quòd est vnus Deus, *nec est alius præter ipsum.* Hoc tanquam cordatum responsum laudauit Dominus: statim enim subiecit, *Haud longè abes à regno Dei.*

Mansit hæc sententia hactenus rata & ἀναμφισβήτητος apud Christianos: sed maior credentium pars pia simplicitate, magis credidit & adorauit in vnitate Deum: quàm quomodo vnus esset scire contenderet. in qua fidei simplicitate multa obdormierunt millia, de quorum salute dubitare nec possumus, nec debemus.

Doctiores, & si eandem vnitatem crederent cum populo Christiano: tamen quia maiore veritatis luce prædití, & donis illustrioribus ornati erant: de eadem vnitate & loqui dissertè & scribere perspicuè potuerunt: ita vt consensus in vera Ecclesia manserit, vnum esse Deum substantiali numero, seu κατὰ τὴν οὐσίαν: in qua tamen Essentia tres sint distinctæ ὑποστάσεις siue personæ. Nostrum verò seculum vt feracissimum est καινῶν δογμάτων: ita hunc quoque consensum & indiuiduam de vnica Deitate vnionem, conatur conuellere. Est enim hæc quæstio impietate multorum hodie ἀμφισβήτητος imò περιμάχητος, An vnus sit Deus, & quomodo illa sententia debeat intelligi.

Deus vnus est essentia & trinus personis.

De hac igitur in præsentia paucis & sobriè disseramus: verissima enim est Iustini Martyris & Philosophi sententia θεὸν νοῆσαι μὲν ἐςι χαλεπὸν: φράσαι δὲ ἀδύνατον, τὸ καὶ νοῆσαι δυνατόν. id est, mente comprehendere Deum, difficile quidem est: oratione autem exprimere illud ipsum quod mente comprehendes est impossibile. Ideóque monemus pios adolescentes vt cum timore Domini & reuerenter illa & audiant & tractent mysteria.

Huius combinationis propositio secũda sola vera est.

Cùm dicimus, Vnus est Deus, potest vel de essentia vel hypostasi intelligi: hoc est, vt vel ad naturam referatur, vel ad personas. Ex quo illa quadruplex emergit combinatio. Deus vnus est, vel vsia & hypostasi simul: vel vsia tantum, non autem hypostasi: vel hypostasi solùm, non autem vsia, aut denique nec vsia, nec hypostasi. Præter illa quatuor nihil est, quod in hac controuersia dicatur, sicut videre est apud Damascenum lib. 1. cap. 7.

Expendamus ergo has propositionum formas, vt constet tandem, quomodo Deus sit vnus.

Prima illa propositio, Deus vnus est vsia & hypostasi, falsa est. Nam manifestè eludit omnem pluritatem in personis diuinæ illius & vnicæ essentiæ. Sic de Deo docent Iudæi & Turcæ: qui vnum solum agnoscunt ingenitum spiritum, vt ipsi loquuntur, creatorem omnium, quem vocant Deum Patrem omnium.

Iudæi & Turcę vnum essentia Deũ non

Iudæi enim de Messia hodie & loquuntur & scribunt, tanquam de homine qui nihil sit nisi homo, qui filius Dauidis sit futurus & monarcha in hoc mundo, qualem ferunt Alexandrum Magnum, aut Iulium Cæsarem fuisse. Ideóque Iudæi etiam tempore Christi obstupescunt ad quæstionem illam, quomodo Messias & Filius & Dominus Dauidis sit & dicatur ab ipso Dauide. Sic Turcæ Christum admittunt inter Prophetas, non autem quòd

natura

natura sit Deus: sed essentia & persona vnum Deum esse affirmant.

Verùm nos ex sacris literis & consensu perpetuo veritatis, qui in Ecclesia permansit, agnoscimus Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritũ sanctum. Ideóque Deus vnus, respectu personarum non dicitur: tres enim sunt, quæ vna persona dici nec debent, nec possunt: quæ est secunda propositio vera.

autẽ persona triũ ignoscitur. sed Ecclesia, in vnitate essentiæ personarum trinitatẽ

Falsa est etiam tertia, qua dicitur, Deus vnus hypostasi nõ autẽ vsia: manet enim in hac, membrum illud de vnitate personali, cuius respectu prima illa falsa fuit: ideóq; hæc vtrinque falsa est, cùm prior vna solum parte fuerit falsa. Falsum enim est Deum hypostasi vnum esse: & falsum etiam Deum vsia vnum non esse. Prius illud Sabellianum est, qui vnam in Diuinitate personam constituit, ac tria nuda nomina Patris, Filij, & Spiritus sancti, quæ diuerso respectu eidem tribuerentur personæ: idem Deus iam Pater, iam Filius, iam Spiritus sanctus diceretur. Verùm Ecclesia docet ex sacris literis, quòd Pater non sit Filius, nec Spiritus Sanctus: nec Filius, Pater, aut Spiritus sanctus: Spiritus sanct. Pater non est, nec Filius, vt rectè Ignatius contra Patripassianos explicat. Posterius verò ex Gẽtilismo fluit, qui πολυθεΐαν, idest, deorum multitudinem cõstituit & tuetur: quam res & ordo causarum satis refutat, in quo non nisi vnum potest esse primum, & vera causa causarum.

Quartum axiôma, quoque falsum est, cùm dicitur, Deus nec vsia, nec hypostasi vnus est. Habet tamen quod verum sit, quemadmodum & prima propositio. Nam quòd dicit, Deum hypostasi non esse vnum, rectè dicitur: quòd verò præmittit non vsia vnum esse, palàm impium est, cùm diuinitas ita simplex, perfecta & vna sit, vt diuisionem prorsus nullam admittat.

Præterea sacræ literæ vnum Deum nobis proponunt: quem dum patefaciunt, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nominãt distinctis personis, non autem diuisa essentia.

Superest igitur secunda propositio, quam secundo loco proposuimus, DEVS, VNVS EST VSIA SOLVM, NON AVTEM HYPOSTASI: aut VNVS EST DEVS ESSENTIA, NON AVTEM PERSONA: vera & orthodoxa, ex qua fluit & illa vera propositio, Deus est vnus & trinus, nihil enim contradictionis habet, cùm vnitas ad οὐσίαν trinitas verò ad ὑποστάσεις, siue personas referatur.

4. Verus modus quo vnus dicitur Deus.

1. Porrò qui rem hanc in controuersiam, hodie vocarunt, defendendam sibi arbitrantur illam quartam propositionem, Deum non vnum esse, nec essentia, nec persona, sed esse Deum, distinctum in tres æternos spiritus, tam substantiali quàm personali numero. Ac inuenere quintum vnitatis modum: quo scilicet Deus vnus dicatur ὁμοφωνίᾳ, hoc est consensu & voluntate: quæ sententia si vera esset, non obstaret, quò minùs tres sint essentiæ, consensu pares, quemadmodum *testes plures dicimus vnum esse, quia consona & consentientia proferunt testimonia.

Ad quod respondemus. modum hunc otiosum esse in hac quæstione, non enim quæri solet hic, diuersáne, an vnũ velint, Deus pater, Filius, & Spiritus sanctus: sed, vnúsne sint Deus, natura, & essentia. Pater, Filius & Spiritus sanctus.

Ideóque libenter sumimus ab ipsis quod verum est, & ita concludimus, Vnum volunt, sentiunt, & operantur, Pater, Filius & Spiritus sanctus, igitur vnus sunt Deus. Prius illud verum est, non solùm quia aduersarij hoc dant: sed quia scriptura dicit, *& hi tres vnum sunt*. Posterius verò ex eo verum est, quia diuisæ essentiæ & numero distinctæ non vnam habent voluntatem: sed pro numero & multitudine personarum indiuiduarum, plures sunt voluntates.

At deitatis vna & perpetua est voluntas, eáque indiuisa. Indiuisa igitur sit oportet deitatis vsia. Manet igitur collectio illa ex partitione superiori, Deus vnus est vel vsia solùm, vel hypostasi solùm, vel vtroque vel neutro. At vnus dici vtroque non potest, neutro vnus dici non debet, hypostasi solum vnum esse vetat religio, superest igitur vt vnus dicatur essentia & κατὰ τὴν οὐσίαν: quo cùm vnus sit Deus, sequitur consensum etiam vnum & voluntatem vnam: ideoque frustra illi hoc asserunt.

Argum. à sufficiẽti partitione.

2. Quòd autem in deitate vnam essentiam asserimus vel naturam, illi rident, & dicunt, non effici hinc, ideo Deum vnum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nam ita illi colligunt, vna est in his tribus deitas, vna etiam natura, vna voluntas: at nõ ob id vnus Deus: sed tres dij æterni substantiali numero distincti, tres rationales, & intelligentes spiritus, non autem vnus in tribus.

Verùm illi mihi vehementer videntur ludere in rebus diuinis: & metiri diuina, creaturarum modulo & legibus. In creatis naturis aliud est abstractum, aliud concretum: vt aliud est homo, aliud humanitas: aliud bestia aliud bestialitas: aliud iustus, aliud iustitia: nam concreta imperfectiùs sunt, quod dicuntur: nec totam abstracti naturam in vno indiuiduo concreto est reperire: contrà, abstracta perfectionem quandam naturæ significant, quantùm species in suo ordine ad summum potest ascendere: & est diffusa abstracti natura per infinita cõcreta. sic Plato homo quidem est, sed non complectitur omnem in se humanitatem, quæ in Socrate vel alio, aut magis aut minùs elucet. Ita illi in deitate temerè ludunt. Deus

In creatis naturis aliud est abstractum & aliud concretum, sic homo non est humanitas.

at Deus est ipsa Diuinitas.

est ipsa diuinitas, & extra Deum nulla nec cogitari nec dari potest diuinitas. Itaque manet argumentum, Vna tantùm est diuinitas Patris, Filij, & Spiritus sancti, ergo vnus tantùm sunt Deus. Nec est huic simile cùm dicunt: Vna est humanitas Socratis & Platonis, ergo vnus sunt homo. Nam in hoc argumẽto indiuidua comprehenduntur sub vna specie: cuius abstractum, humanitas scilicet, non singulis inest eadem perfectione, sed distinctis gradibus: deinde non est eadem humanitas Socratis quæ est in Platone, sed gradu & numero differens: quod dialectici aiunt maius admittere, non autem magis.

In singulis personis tota residet diuinitas.

Quæ in diuinitate locum non habent, cùm Pater, Filius, & Spiritus sanctus sub Deo aut diuinitate non vt indiuidua sub specie comprehendantur: sed in singulis potiùs sit tota diuinitas sine mensura, sine gradu: sic Pater totam in se habet diuinitatem, sic Filius, sic Spiritus sanctus. Et quicquid Deus vel diuinitas est, hoc ipsum in his tribus est personis sine distractione, separatione, aut diuisione.

3. Sed obiiciunt, Tres vnus esse non possunt: Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres: ergo vnus esse non possunt. Respond. naturæ creatæ hoc impossibile esse: nunquam enim Socrates, Plato, Alcibiades, vnus sunt homo: ita enim sunt indiuidua, quæ vnum quidem specie sunt, vnus non sunt. Sed quæ est illa petulantia, diuina mysteria his communibus naturæ legibus obnoxia facere? quæ cùm sint omni rationi humanæ inexplicabilia, adoranda potiùs quàm ventilanda erant. Verùm vt ad argumentum respondeamus, malè interea cõcludit: hoc enim infert, Tria indiuidua non sunt vnum indiuiduum, hoc libenter damus, si tria indiuidua tres personas diuinitatis intelligant. Vera enim est sententia, Tres personæ diuinitatis non sunt vna persona. Patripassiani enim id fortè dicerent, aut his alij nequiores. At nõ obstat, tres personas esse vnũ Deum, de quo nobis est cõtentio. Ac vt humana diuinis, & parua magnis lucẽ afferãt, Socratem, Platonem, Alcibiadem non dicimus vnum indiuiduum, sed vnum hominem, respicientes ad communem speciem & naturam, in qua vnum sunt. Sic Patrem, Filium, & Spiritum sanctum non vnam indiuiduam personam dicimus, sed vnum Deum: est enim μία φύσις, μία οὐσία, μία θεότης.

Tres personæ diuinitatis sunt vnus Deus

Claudicat tamen similitudo: quòd illi tres diuidui sint homines, Socrates scilicet, Plato, & Alcibiades, diuisi loco, tempore, numero. At Pater, Filius, Spiritus sanctus, vnus indiuisus Deus, qui nec loco, nec tempore, nec numero vllam admittit separationem.

Expendamus deinceps tertio loco, quare in diuina essentia non sit admittenda diuisio. Nam in eo, cardo rei versatur. Aduersarij οὐσίας tres constituunt, pro personarum numero, aut vnam οὐσίαν in tria diuisam indiuidua. Id nos negamus & statuimus Deum vnum οὐσίᾳ in qua sine contradictione sint tres personæ.

1. Deus ens est simplicissimum & perfectissimum, qui nec compositionem admittit (cùm ex partibus non constet, & numeri sit prorsus expers) nec etiam diuisionẽ aliàs non esset simplicissimus & perfectissimus, & caderet in partes deitas. At in partes non cadit, & numeri separationem nescit, est ergo diuinitas, & ipse Deus ἀδιαιρετόν τι. Cæterùm cum sit indiuisibilis diuinitas & ipse Deus: facile est colligere verè & propriè vnum dici Deum ratione οὐσίας. Etenim πρώτως καὶ μάλιστα ἓν dicuntur, ἃ μὴ δύναται χωρῆσαι μήτε χρόνῳ, μήτε τόπῳ, μήτε λόγῳ.

1 Deus est prima causarũ omniũ, vnus est igitur.
2 Infinitũ esse est Dei proprium.
De Deo nihil nobis aliud est sentiendum quàm quod sacra docet scriptura.

Talis autem essentia Dei est: quia est perfectissima, separari loco non potest: non tempore, quia vnita est sine tempore: non ratione definitionis, quia omnem definiendi modum humanum superat, & qualis sit sua natura Deus φράσαι est ἀδύνατον.

Deinde ordine causarum necessum est vnam tantùm esse primam: [1] Deus autem prima est causarum omnium: quare hunc vnum & indiuisum esse oportet.

Tertiò, non possunt esse plura infinita: absurdum enim est & impossibile plura in natura rerum dare infinita.

At si Deus pater οὐσίᾳ diuisus sit à Deo Filio, & Spiritu sancto, tria habibis infinita. Erunt enim tria numina, quæ AVT VERE singula erunt Deus, & ob id infinita: cùm Dei hoc sit proprium, [2] INFINITVM ESSE: AVT NON VERE, & ob id nec infinita, ideóque non Deus. at verus Deus est Filius & Spiritus sanctus cum Patre, & verè infinitus: est autem vnus solus infinitus, ergo vnus solus Deus.

Quartò, scriptura nos cogit vnum fateri & colere Deum, vnus igitur est, & non tres.

De vno Deo nota sunt scripturæ loca etiam aduersariis. Deut. 6. 1. Cor. 8. Mar. 12. Iacob. 2.

Et in hac vnitate includi tres personas, inde constat, quòd de Deo non humano iudicio sentiendum est, sed vt seipsum patefecit. at in patefactione tres nobis proponuntur. Matth. cap. 3. & 17. Marci 9. Lucæ 9. Ac fixum interim manet principiũ, VNVM ESSE DEVM. Quare non est liberum nobis ab hac patefactione discedere. Sic in Symbolo vnus proponitur Deus & tres personæ.

3 Arrius nullos interpretes habuit sui erroris fautores.

Credo in Deum: ac mox per explicationem res exponitur, quis sit ille vnus Deus: Patrem scilicet, Filium, & Spiritum sanctum. Ad hunc modum patres omnes explicarunt ante & post Nicenam Synodum. [3] Nam Arrius nullos pro sua noua expositione citare potuit patres, quorum authoritate nouum stabiliret dogma: quod non fuerat neglecturus, siquidẽ aliquos habuisset fauentes suæ opinioni.

Ac

Ac queamdmodum falsa est, & impia illa sententia, quæ in deitatis essentiam separationem & numerum inducit: ita falsa sunt λήμματα, quibus hanc stabiliunt separationem.

Primùm enim vt substantiali numero distinctos constituant tres æternos Spiritus, affirmant solum Patrem vnum esse illum & solum Deum, quem scriptura nobis proponit. Itaque nouo stratagemate de solo Patre interpretantur, quoties scriptura vnius & solius Dei facit mētionem, vt Deut.30. Videte quòd ego sum solus, & non est alius præter me. Psal. 85. Tu es Deus solus. Dan.3. Vt sciant quòd es Dominus Deus solus. Ioann.17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum illum verum Deum, & quem misisti Iesum Christū. Rom. 16 Soli sapienti Deo per Iesum Christum honor & gloria.

Hęc & similia de solo Patre intelligunt. Nos scimus quidem scripturam interdum distinctè loqui de personis: sed non vbique nomen Dei personaliter sumitur, sed sæpiùs etiam essentialiter. Ideóque ab illa vnitate non excluditur Filius & Spiritus sanctus. Nam de vno & solo illo Deo multa prædicantur, quę λόγῳ etiam tribuuntur, vt Mar.1. Nemo bonus nisi SOLVS Deus. vtique solus Pater bonus erit hac ratione, & excludetur Filius à diuinitatis vnione & bonitatis communione.

In scriptura Dei nomen interdum personaliter sed sæpius essentialiter sumitur.

Sic Esa. 41. 43. 44. primus & nouissimus dicitur Deus ille vnus & solus: quæ Ioan. Apoc. 1.2.22. Christo tribuit. sic Ioan. 1. Colos. 1. quod Christus etiam creator sit: quare ab vnione deitatis excludi non debet.

Falsa est illa propositio, quòd solus Pater sit αὐτόθεος, hoc est, Deus per se: λόγος autem sit essentiatus. Nam deitas simplicissima est, nec diuisionem admittit: nihil prius, nihil posterius habet: quod omnino sequitur, si demus in deitate aliud esse αὐτόθεον, id est, per se Deum, aliud esse essentiatum ab illo αὐτοθεῷ.

Nec iuuat hanc causam, quòd dicunt manere interea communem essentiam Patris, Filij, & Spiritus sancti. Non enim aliter manet illa communis essentía, quàm in creaturis indiuiduis, quæ propter communem naturæ & speciei communicationem, singulæ capiunt denominationem à specie, sub qua comprehenduntur: sic quilibet indiuiduus homo, homo est, auis indiuidua, auis est, piscis indiuiduus, piscis: ex quo, numerus hominum, auiū, pisciū, &c. constituitur. Ita illi censent Patris, Filij, & Spiritus sancti distinctionem, pari ratione metiendam, vt nō solùm sit communis essentia, sed in ipsa essentia distinctio, velut essentiantis ab essentiato.

Verùm illa non possunt consistere. Etenim in deitate nihil dari potest prius essentians, nihil posterius, essentiam: sed tota indiuisa & simplicissima deitas, sibi per omnia est coæterna. Et quod attinet generationem Filij ex Patre, & processionē Spiritus sancti ab vtroque, mysterium illud est humano ingenio inperscrutabile. Generationem eius quis enarrabit? exclamat Esaias & Dauid, Ante luciferum genui te.

In diuinitate nihil est prius aut posterius.

Genitus itaque Filius à Patre est, sed actum generandi præcedentem dare non possumus: genitus est, sed vt nunquam fuerit non genitus. Genitus est ex substantia Patris, sed sine sectione, diuisione, aggregatione: quod rectè explicat Theophilus Antiochenus, Pater, inquit, ἐγέννησε τὸν λόγον οὐ κενωθεὶς αὐτὸς, ἀλλὰ τῷ λόγῳ αὐτοῦ διὰ παντὸς ὁμιλῶν, id est, genuit sermonē suum, non euacuans se, sed cū sermone suo, semper conuersans: & mox explicans initiū Euāgelij Ioannis, indicat Ioannem ostendere quòd ἐν πρώτοις μόνος ἦν ὁ θεὸς καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος: primùm vnus erat Deus, & sermo in ipso: & paulò superiùs inquit, ὁ λόγος ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ, semper ipsi patri simul adsistens.

Verùm illis hominibus probandæ erant hæ nouę voces αὐτόθεος, essentiator: cùm scriptura diuina non sic de diuina loquatur generatione, imò κενοφωνίαν palàm damnet. scriptura per vnum oponit Deum, & patefacit nobis Patrem, Filium & Spiritum sanctum coæternos, pari gloria, potentia, essentia præditos. Christus ait, Ego in Patre sum, & Pater in me est. Ioannis 14. Item ego & Pater vnum sumus. Ioan.10. & Apostol. 1. Cor. 12. diuisiones operationum sunt, sed idem Deus, &c. In hac simplici & perspicua patefactione nobis piè & reuerenter consistendum erat.

Falsa est etiam illa tertia propositio, quæ ex superioribus fluit, qua statuunt, Tres esse æternos Spiritus: quam inuidia Athanasij inducunt, qui affirmat, rectè quidem, non tres, sed vnum æternum, quemadmodum non tres dij, sed vnus Deus.

Nam si tres sint æterni, erunt plura infinita, quod impossibile est: Deus vnus & solus infinitus est, sustinens & regens omnia. Itaque aut tres illi Spiritus æterni aut infiniti erunt, aut non singuli, verè Deus. At Pater, Filius & Spiritus sanctus, verè vnus & solus Deus est: & infinita plura esse non possunt: falsa igitur est sententia quæ constituit tres spiritus æternos & distinctos ordine, numero & gradu. Et certè pernitiosum dogma est, tres constituere spiritus ęternos & distinctos. Nam ianuam aperit non solùm ad Arianismum: sed palam, Gētilismum sapit: nisi quòd hi nouatores, in ternario consistant, cùm Gentiles plures deos & infinitos affirment. Cauenda igitur est illa doctrina, quæ tria inter se distincta numina constituit. NAM DEVS NOSTER VNVS EST, NEC EST ALIVS PRÆTER ILLVM, &c.

LOCVS III.
DE CHRISTI DEITATE, ET CVR DICATVR ΛΌΓΟΣ.

Λόγος varias habet significationes.



ΌΓΟΣ vox est πολύσημος, quemadmodum apud Hebræos *Dauar*, quæ nunc rem, nunc verbum, nunc orationem, nunc aliud significat. Ideóque Græci Hebræam vocem *Dauar*, verterunt nunc ῥῆμα, nunc λόγον. Nos de λόγου significationibus hîc pauca addemus. In nouo Testamento illustris est illius significatio denotans Filium Dei, quatenus ab æterno est genitus Deus de Deo. Sic Ioannes λόγον describit, primò quòd fuerit ab initio. secundò quò fuerit apud Deum. tertiò quòd fuerit Deus. quartò quòd fuerit incarnatus. Idem Ioannes 1. epist. 1. λόγον ζωῆς appellat, & 1. epist. 5. λόγον secundã personam diuinitatis constituit, cùm ait tres esse in cœlo, qui testimonium perhibent, Patrem λόγον & Spiritum, & Act. 13. λόγος σωτηρίας dicitur à senioribus crucifixus. Hæc significatio meritò primum debet habere locum, propter Filium Dei Redemptorem nostrum: sed qui illius ignominiam quærunt, callidè illam reponũt ad inferiorem locum.

2 Deinde sumitur pro conuitio synecdochicῶs, genere posito speciei loco, vt Luc. 12. Omnis qui dicit λόγον in Filium hominis, hoc est conuitium. sic Matth. 12. qui dicit λόγον κτ τοῦ υἱοῦ, hoc est conuitium & blasphemiam, illa quidem remittetur: sed qui in Spiritũ sanctum conuitiatus fuerit, ei non remittetur. Caueãt igitur illi qui λόγον Dei Filium hodie criminantur, tanquã non verum Deum, ne illi Spiritum sanctum ignominia afficiant.

3. Præterea significat vim & potentiam diuinam edendi miracula, qua Christus doctrinam suam confirmauit, & suos Apostolos induit ex alto. sic Matth. 8. legitur de Christo eiecit πνεύματα λόγῳ, significans potenter & facilè expulisse immundos spiritus. Sic Luc. 4. dicitur, quòd λόγος illius fuerit ἐν ἐξουσίᾳ, hoc est, cum potentia efficaci coniunctus. Idem fatentur duo euntes in Emaum, Luc. 24. erat potẽs ἔργῳ καὶ λόγῳ, ita Petrus sanat claudum nudo verbo, In nomine Iesu surge & ambula.

4. Item doctrina hoc nomine exprimitur. Matth. 15. Pharisęi audientes τὸν λόγον τοῦτον offensi sunt, hoc est, doctrina Domini sunt offensi. Matth. 19. Non omnes capiunt τὸν λόγον τοῦτον, hoc est, doctrinæ huius non omnes sunt capaces. Marc. 4. Seminans τὸν λόγον seminat, hoc est, doctor spargit doctrinã in corde auditorum. 2. Tim. 2. Minister debet rectè secare τὸν λόγον ἀληθείας, hoc est doctrinã veritatis: & hac significatione frequentissimè dictio illa occurrit.

5. Item prophetica sententia, oraculum, aut visio, dicitur λόγος. Esa. 2. hic est λόγος quem vidit Esaias filius Amos super Iudam, hoc est, visio est, Luc. 3. vt scriptum est in libro τῶν λόγων Esaiæ, hoc est, in libro oraculorum, Ioan. 2. vt impleretur λόγος Esaiæ, hoc est, oraculum. Ioan. 15. vt impleretur λόγος scriptus in lege ipsorum, hoc est, sententia scripta apud Mosen, &c.

Itẽ promissio eo nomine exprimitur Rom. 9. λόγος ἐπαγγελίας, hoc est, λόγος ἐπαγγελτικός: promissio ipsa Abrahæ facta.

Præceptum etiam significat λόγος, vt 1. Ioan. 2. qui seruat λόγον αὐτοῦ, hoc est, ἐντολὴν qua voce paulò suprà est vsus, & Ioan. 8. Christus inquit, ego λόγον eius seruo, hoc est, præceptum.

Defensio quoque est λόγος, & ratio defensionis. vt Matth. 12. de omni verbo otioso dabunt λόγον Act. 19. λόγον δοῦναι, Rom. 14. δώσει λόγον θεῷ. 1. Pet. 4. reddent λόγον θεῷ.

Affinis est significationi huic Matth. 25. cum seruis inire λόγον. Matth. 18. voluit inire λόγον Luc. 16. redde λόγον dispensationis tuæ: in quibus λογισμὸν significat λόγος, ratiocinationem authenticam.

Fucata eloquentia, & phalerata oratio Apostolo etiam λόγος dicitur. 1. Cor. veni 2. non καθ᾽ ὑπεροχὴν τοῦ λόγου, hoc est, nullo fastu tumidus in dicendo, sic 1. Cor. 1. non in sapientia λόγου, 2. Pet. 2. πλαστοὶ λόγοι dicuntur. Ephes. κενοὶ λόγοι, quo titulo traducitur inanis philosophia & eloquentia mundana.

Singularis sermo, & qui fidem in ore, non in operibus possidet etiam λόγος est. 1. Ioann. 3. ne diligamus λόγῳ & lingua: sed operibus, hoc est, danda est opera, vt vita & mores nostri respondeant professioni.

Alibi colloquia significat, & captiosas disputationes, vt Matt. 22. vt illa quærerent illum ἐν λόγῳ, & Marc. 12. vt caperẽt illum λόγῳ, hoc est, vt captiosis quæstionibus propositis, illum in respondendo caperent.

Interdum quotidianum sermonem. Matt. 5. sit λόγος ὑμῶν, vester sermo quotidianus. Iac. 3. si quis λόγῳ non offendit, hic integer est vir. Hinc Eph. 4. iubet ne λόγος σαπρός ex ore nostro egrediatur, ostendens pudicum & castum oportere nostrum esse sermonem.

Addamus minutiora etiam. λόγος etiam liber est oratio composita. Act. 1. πρῶτον λόγον hoc est, librum primum vocat Euangelium à se scriptum.

Et oratio quæ ad populũ habetur λόγος est. Act. 13. interrogant Apostolos, an habeant aliquem λόγον παρακλήσεως, hoc est, an ad populum præsentem verba facere velint. λόγος παρακλή-

ρακλήσεως est λόγος παρακλητικὸς, quemadmodum προτρεπτικὸς, παραινετικός. Act. 20. Paulus extendit λόγον in mediam noctem, &c.

Demum λόγος ῥῆμα significat, hinc 1.Cor. 4. Apostolus mauult in ecclesia πέντε λόγους, quam in aliena lingua prolixam sententiam, & Matth.3. Centurio inquit solùm dicito λόγον, hoc est, verbum, & Matth.22. nullus potuit illi respondere λόγον, hoc est, ne γρῦ quidem respondere poterant.

II. Reuertamur ad primā significationē, hoc est, ad λόγον θεόν. Cur Christus sit appellatus λόγος aliquot retulimus rationes in explicatione primi capitis apud Ioannē. Non tamen pigebit hic testimonia aliquot veterum referre.

Cur Christus vocetur logos.

Iustinus martyr in apolog. ad Anton. Imp. videtur sentire dici λόγον, quia illi principatus debeatur: de λόγῳ enim inquit οὐ βασιλικώτατον καὶ δικαιότατον ἄρχοντα μετὰ τὸν γεννήσαντα θεὸν οὐδένα οἴδαμεν ὄντα, id est, illo, principem regno digniorem & iustiorem, secundùm Patrē, qui ipsum genuit, nouimus neminem. Nam in rebus humanis ratio ὁ λόγος dominatur & principatum tenet, vt idem in Tryphone indicat τὸν λόγον ἡγεμονεύοντα πάντων: deberi autē Christo principatum Apostolicæ literæ affirmant.

Athanasius λόγον appellat, quia sit sapientia, quæ est virtus Dei essentiæ propria, atque inde inseparabilis. Eáq; vt alia non est, ne duo sint initia: ita quoq; Verbū λόγος, quod ex vno est, non fluxibiliter aut caducè, aut simpliciter vox significatiua est: sed substātiale quoddam est, & substantialis sapientia, quæ quidē reuera est Filius Dei, &c. Ita quidē Filius Dei λόγος dicitur, quia per hunc sapientiam suam mundo declarauit: & quia ex Deo substantialiter procedit, sine decisione, aut mutatione substantiæ.

Augustinus in libro octoginta trium quæstionum scribit. In principio erat verbum, quod Græce λόγος dicitur, Latinè & rationē & verbum significat: sed hoc loco meliùs Verbum interpretamur, vt significetur nō solùm ad patrem respectus: sed etiam ad ea quæ per verbum facta sunt, operatiua potentia, &c. Sic quidem Verbum dicetur, quia per illum facta sunt omnia Gen.1. Rom.11. Col.1. & 3.

Hieronymus eandem sequitur sententiā in Epist.1. ad Paulinum presbyterum. Λόγος, inquit, Græcè multa significat. Nam & verbum est & ratio, & supputatio, & causa cuiusque rei per quam sunt singula: quæ subsistūt, quæ vniuersa rectè intelligimus in Christo, &c.

Basilius copiosè rem hanc persequitur homilia in principium Ioannis. verba illius sunt. Διὰ τί λόγος; ἵνα δειχθῇ ὅτι ἐκ τοῦ νοῦ προῆλθε. Διὰ τί λόγος; ὅτι ἀπαθῶς ἐγεννήθη. Διὰ τί λόγος; ὅτι εἰκὼν τοῦ γεννήσαντος ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν γεννήσαντα, οὐδὲν ἐκεῖθεν ἀπομερίσας καὶ τέλειος ὑπάρχων καθ' ἑαυτόν. ὡς γὰρ ὁ ἡμέτερος λόγος ὅλην ἡμῶν ἀπεικονίζει τὴν ἔννοιαν, ἃ γὰρ κατὰ καρδίαν ἐννενοήκαμεν, ταῦτα τῷ ῥήματι προενέγκαμεν, καὶ ἔστι τοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ νοήματος ἀπεικόνισμα τὸ λαλούμενον, &c. id est, Cur Sermo dicitur? vt ostendatur, quod ex mente processit: Cur sermo vocatur. Quia genitus est absq; gignentis passione. Cur sermo appellatur? Quia est imago genitoris, ipsum genitorem totum in seipso demonstrans, nihil à Dei forma decidens, sed per se perfectus existens: quomodo mentē nostram totam exprimit sermo: quæ enim pectore cōcepimus, eadem verbo proferimus, & quod loquimur est simulachrum eius quod in pectore habemus.

Gregorius Nazianzenus sermone 2. de Filio rem eandem sic explicat. *Logos* dicitur Filius, quia se habet ad Patrem, quemadmodū λόγος πρὸς νοῦν. i. vt sermo ad mentem: nec solum διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς, καὶ τὸ ἐξαγγελτικὸν id est propter generationem passionis expertem, sed propterea quòd ei est adhærens & eiusdem est internunciatus. Et fortasse etiam qui se habet ad patrem quemadmodū ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον id est, definitio ad definitū: quandoquidē & *Logos* etiam definitionem significat, dicit.n. qui nouit, hoc est, videt Filium, is nouit etiā Patrem: & est quædam σύντομος ἀπόδειξις. i. demōstratio compendiosa & facilis paternæ naturæ. *Logos* enim est γέννημα quoddā τοῦ γεγεννηκότος id est quòd genitore est genitum. Sed & si quis dixerit ob id dici λόγον διὰ τὸ ἐνυπάρχειν τοῖς οὖσι id est qui inest in rebus quæ sunt, non sanè errauerit. Quid enim est, quod λόγῳ non constet? &c. Et in libello de fide λόγον dici affirmat, quia sit certa ratio, quæ inter filium & patrem, personas distinguat, quia & ipse filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur, &c. Et mox infrà, nam ob hoc Verbum dicitur, quia semper in patre, & de patre, & nihil sine eo pater iussit aut fecit.

[1] Mea sententia est, dici λόγον, propter diuinitatem. Nam ita Ioannes, filium Dei, nobis ab æterno fuisse inducit: quomodo autem hic *Logos* ab æterno à patre sit natus credi facilius, quàm exprimi verbis potest, & verè vt Basilius inquit, inenarrabile est humanis verbis.

1Quomodo Christus ab æterno à Patre sit natus, credi facilius quàm verbis exprimi potest.

Deinde addo dici λόγον, quia est illud *Dauar*, hoc est, verbum Domini, quod patribus fuit promissum. Promissionum autem apex erat Messias & semen illud benedictum. Hoc Verbum iam exhibitum & incarnatum patefacit Euangelium. Ac cùm de Christi humanitate reliqui solùm scribant: ideò λόγον non vocant. Ioannes autem deitatem explicaturus, nos ad nomen diuinum reuocat, &c.

Christū, ęternum esse, multis rationibus probatur.

III. Porrò hoc Verbum æternum esse, hoc est, fuisse ante incarnationem, ante Ma-

riam virginem, ante etiam prædicationis initium, ostendi facilè potest. Vtamur solùm Ioannis testimoniis.

Primùm verbum hoc erat in principio, hoc est, antequam quicquam esset, cùm res condi inciperent, tum erat: quare verbum factũ tum non est, non erat autem necessaria quidem: æternum igitur est. Quòd autem hic Principium interpretantur de prædicationis initio, hoc est, cùm publicaretur Christus iam incarnatus, id falsum est. Non enim concludit quod Ioannes vult, scilicet Verbum esse Deum. Ad quod probandum sumit medium illud, quia in principio fuit: intelligi igitur debet tale principium, ex quo cõcludatur, Christum esse Deum: deinde illorum interpretatio manifestè Arrianismum renouat: nam si ita ἀρχὴν intelligas, sequetur quod Arrius dixit ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν, erat aliquãdo, cùm non erat. Nec sequitur Principium Mar. 1. Luc. 1. Ioan. 15. 16. Act. 1. sumitur pro temporali principio, hoc est, incarnationis tempore, ergo etiã hic apud Ioan. pro eodem debet sumi. Ideóque indicauimus multiplicẽ vocis huius significationem. Quòd autem non debeat sic accipi, ratio est: quia pugnat cũ scripturis illa interpretatio, quæ nobis Filium Dei æternum proponunt. Esa. 53. Generationem eius quis enarrabit? & Psalm. 72. Ante solem permanens nomẽ eius. Ioann. 8. Christus inquit antequam Abraham esset, ego sum.

2. Ratio. Deinde Ioannes manifestè Verbum cum Deo æquat: erat apud Deum, hoc est, ratione æternitatis semper apud Deum fuit, nõ enim solùm personas hìc distinguit, sed Verbũ Deo patri coæquat. Dicit enim aliud esse Verbum, quod erat in principio, & alium Deum Patrẽ, apud quem erat, hoc est, distinctas esse personas Filij & Patris: sed in eo pares facit, quia sint coæternæ, Nec admitti debet hic ille cauillus. Apud Deum fuisse Verbum, hoc est, solo Deo notum esse, hominibus autem ignotũ. Ea quidẽ cœlestis philosophia totũ negotium redemptionis comprehendit: ideóq; Filius qui est in sinu Patris is nobis illam patefacit: sed cùm de æternitate Verbi dicendũ est, nũ satis est verbum fuisse Deo cognitũ? Sic enim Christus nihil nobis habebit sublimius: fuimus enim omnes sic apud Deum, hoc est, illi præsentes antequam ponerentur fundamenta mundi. Christus apud Deum Patrem erat, hoc est, reuera extitit: illud Verbum, erat ὑφιστάμενον, erat hypostasis, hoc est, res per se subsistens: quod de nobis, & de vniuersa creatura non potest dici. Est igitur Verbum antiquius sua incarnatione.

3. Ratio. Tertiò, manifestè Deus appellatur ὁ λόγος ἦν θεός, sermo ille erat Deus: quam propositionem propriè accipimus: quemadmodum 1. Ioan. 5. hic est verus Deus & vita ęterna. Tit. 1. secundum delegationem Seruatoris nostri Dei, quod de Christo Deo intelligi debet. 1. Tim. 2. Hoc bonum est, & acceptũ coram Seruatore nostro Deo, hoc est Christo. Verè igitur Christus Deus est. Qui hic inducũt Catachresin, opponunt exemplum Mosis, qui Deus Pharaonis dicitur. Exod. 7. & Cyri qui Messias Domini dicitur, Es. 45. sed negamus consequentiam. Rectè quidem Moses Deus dicitur Pharaonis per Catachresin, quia Deus natura non erat Moses, & Cyrus non erat verus Messias patribus promissus, typus tamen veri liberatoris: sed qua impudentia concludunt, ergo Christus Iesus etiam Deus dicitur, cùm Deus non sit? Nec illud etiam concludit 1. Cor. 2. Factus est nobis sapientia, ergo Deus natura non est? Christus inquit Ioan. 16. sine me nihil potestis, ergo efficitur Deum esse. Quòd autem Scriptura illi plenam potestatem tribuit vt 1. Cor. 16. non debet eò trahi, quòd eam precariò habeat: sed quod erat, & semper habuit, id in tempore nobis est patefactum, in persona mediatoris, quam assumpsit filius Dei.

Quom. Moses dicatur Deus Pharaonis.

4. Ratio. Quartò, *omnia per illum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est.* Opus creationis euincit Verbi æternitatem: oportet enim opificem operis priorem opere esse, creatorem suis creaturis: iam *Logos* creator est, oportet igitur illum ante Mariam fuisse. Hic confugiunt illi nouorum Dogmatum inuentores, ad intempestiuam distinctionem. Omnia per illum facta sunt: scilicet, noua creatura, quasi opus creationis rerum omnium sit solius Dei Patris. Sic Mosen illi intelligunt, opificem sine filio. Nouæ autem creaturæ opus, hoc est, renouationem creaturæ per Christum à Deo Patre præstitam, ac vt hic sensus illis maneat etiam sequentia torquent, & sine eo factum est nihil, quod factum est. scilicet ab ipso, hoc est quod à Christo factum est, non est sine eo factum. Ridiculum caput, quid illa inepta repetitio? tamen hoc inducunt, alia esse quæ sine Christo facta sint, nempe tota creatio vetus, sed noua creatura, hoc est, beneficium regenerationis per Christum nobis contingat. Verùm hanc distinctionem nõ admittimus: certum est Christi beneficium esse regenerationem: non tamen hinc sequitur, ergo opus creationis Christi non est. Opera Trinitatis AD EXTRA indiuisa dixerunt veteres: & rectè quidẽ. Quod ista in regeneratione quoque non seruant. Nam illam soli Christo tribuunt, cùm & Patris & Spiritus etiam sancti opus sit. Eph. 2. opus redemptionis Deo Patri tribuitur, sed exhibitũ nobis per Christum. Sic Eph. 3. Deus vniuersa condidit per Iesum Christum: quod vt dem de regeneratione dici, tamen illi malè de solo Christo intelligunt excluso Deo Patre: sic impiè faciunt dum in Mose Patrem creatorem intelligunt sine Verbo, Moses Deum creatorem inducit loquentem, non mutum: ac quanquam dicere Dei sit & iubere vt sint, & reipsa proferre quæ esse

Opus creationis euincit verbi æternitatem.

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

vult

vult: tamē cùm de illo dicat, Et dixit Deus fiat hoc aut illud: manifestè λόγον Patri coniungit, quod ne Iudæi crucis Christi atrocissimi hostes negare audent. Reliqua loca quæ adducunt, vt 1. Cor. 8. 2. Corinth. 5. Hebr. 9. Ephes. 1. tantùm abest vt eos iuuent, vt potiùs potenter iugulent impietatem hanc.

Quintò, *Mundus per ipsum factus est*, fuit igitur ante Mariam: ac Ioannes hic duo connectit. Prius quòd in mundo fuerit, hoc est operi suo semper adfuerit. Deinde quòd mūdus per illum sit factus, Prius indicat conseruationem rerum omniū beneficiū esse Christi, quo sanè res omnes indigebant iam inde à prima origine, fuit igitur iam tum Verbum. Quòd autem illi hic per mundum solùm homines intelligunt, falsum est, quia reliquæ creaturæ, vt est cœlum & terra cum homine vnum & eundem habent opificē: nisi (vt impudentia nullas habet leges) illi duos opifices rerum velint nobis obtrudere. Fateor quidem mundū aliàs pro hominibus accipi, vt Ioā. 6. erat in mūdo, hoc est, inter homines: sed dū scriptura loquitur de creatore rerū omniū, nō separat mund. partes, vt has vni, alias alteri ascribat opifici. Mundus igitur per illum factus est, ad totā machinā pertinet. Sed excipiunt mundus per illū factus est, hoc est, homines per illū renati sunt, vt de noua intelligamus creatura, negamus hoc verum esse: sed loquitur Ioannes de opere creationis, cuius hic nobis producit authorē λόγον. Quare æternum est illud Verbum, factum tandem etiam visibile, manens interim filius Dei æternus.

5. Ratio.

Conseruatio rerum omnium est beneficiū Christi.

Sextò, illud *Verbū caro factum est*. Est quo efficitur Verbum antiquius esse carne assumpta: erat enim Verbū, & incarnatus est: nemo autem ita hebes est, quin intelligat aliud esse Verbum, aliud autem incarnari. Iā cùm Verbū sit factum caro, manifestum indicat discrimen. Et quòd verbum FACTVM EST hic significet carnē assumere, incarnari, vniri carni, declarat Apost. 1. Tim. 3. Deus manifestatus est in carne. Falsam igitur isti interpretationem huic loco astruunt, cùm dicunt, Sermo ille erat caro, vel fuit caro, hoc est, nudus homo, vilis, despectus, mortalis. Ita illi ex Christo nudum faciunt hominē. Nos cōtrà, Christum nouimus verum hominem, qui carnem de carne nostra sibi assumpsit, vt eam in cœlis exaltaret: sed eundem nouimus Deum de Deo, Verbum æternum, æterni Dei filium, &c.

6. Ratio.

Hactenus responsum sit illis, qui hodie nobis Verbum illud Dei extenuant, & ita hominem faciunt, vt Deū esse non sinant, ita tēpus concludūt, vt extra tempus illum fuisse negēt, dicūtque reipsa cum Arrio & Samosetano. Fuit aliquando, cùm non esset Verbum.

Falsa & impia Arrij & Samosetani sententia.

IIII. Λόγος ille æternus & Dei filius sic describitur ex Ioan. Est vnigenitus Dei filius coæternus & consubstantialis Patri, in tempore assumpta nostra carne homo factus, in qua peccata nostra expiauit, offerens Deo Patri mundam pro mortalibus hostiam.

Partes definitionis ex Ioanne declarari possunt.

Primùm enim vnigenitus Dei Filius appellatur, quæ differentia illum à Filiis adoptionis separat: qui licèt sint multi, tamen Christus vnigenitus manet: quia consubstantialis siue ὁμοούσιος est. id reliquis deest. Deinde coæternus est, quia apud Deum in principio, & creator omnium, non minùs quàm Pater. Tertiò in tempore assumpsisse carnem veram inde constat: quia Ioannes prędicat de Verbo, quo in tempore caro sit factum. Hinc vnam personam Christi agnoscimus: sed duas naturas simul fatemur, vnam quæ æterna est, secundùm quam in cœlis fuit priusquam incarnaretur, Alteram, quæ humana est, carne vera & ossibus nostris vestita, excepto peccato. Secūdùm hanc visus est, passus, mortuus, resurrexit, ascēdit ad cœlos, aliásque proprietates humani corporis exercuit, quæ à peccato immunes sunt. De incarnatione autem loquentes non affingimus illis phantasmata tantùm, aut similitudinem, sine veritate bearius, sed secundùm Apostolum, carnem ex carne nostra.

Definitio totius Christi veri Dei & hominis.

Deinde in hac Christi vna persona agnoscimus quoque geminam voluntatem. Vnam diuinam, Verbi propriam. Alteram humanam hominis propriam, secundùm quam creuit sapientia & ætate, & secūdùm quam orauit in horto, Pater si possibile est, transeat à me calix iste, sed tamen non quod ego volo, sed tua fiat Pater voluntas.

Sicut in Christo duas naturas, sic duas voluntates agnoscimus.

Sic verbum illud essentiale & incarnatum est, multùm discrepans à cogitato, & in mente concepto verbo, *&c.* Valeant igitur illi qui visibilem & incarnatum solùm asserūt, cùm ante Mariam quidem promissus fuerit: sed non extiterit, quo suo tempore compescet ipse Dei æternus Filius, Amen.

LOCVS IIII.

DE SPIRITV SANCTO.



Omē SPIRITVS variè accipitur. Primùm dicitur vētus ac flatus aëris, *vt Ioan. 3. Spiritus vbi vult spirat*, hoc pacto apud Gręcos ἄνεμος dicitur πνεῦμα. Latini etiam ita Spiritum pro vento accipiunt, vt Vergil. Æneid. 12.

Boreæ cùm spiritus alto Intonat Ægæo.

Multiplex huius vocabuli, spiritus acceptio.

Spiritus de homine dicitur, ac vel alteram, hoc est, meliorem totius hominis partem significat: vel totum iam renatum ac viuentem secundùm spiritum. Prioris exem-

plum eſt in morte Chriſti, Ioann.19. *& inclinans caput tradidit ſpiritum:* hoc eſt, animam humanam efflauit vt verus homo. & Act.17. Stephanus ait, *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum*. Poſterioris verò, vbi ſpiritus renatum hominem ſignificat, habes locum illuſtrē in Corinth.1. Cor. 3. *non potui* inquit, *vobis loqui vt ſpiritualibus, ſed vt carnalibus:* ſignificans in prima prædicatione, illos adhuc fuiſſe rudes ac carnales. & ad Gal.6. *Vos ſpirituales, hoc eſt, qui eſtis renati, inſtaurate eum qui aliquo peccato obrutus fuerit, vt ſpiritu manſuetudinis à vobis reædificetur.* Hinc illa ſuauiſſima antitheſis Spiritus & carnis, qua ſpiritus ſignificat interiorem hominem ad Dei imaginem renatum: Caro verò carnaliter viuentem.

Huc facit etiam corpus ſpirituale & corpus animale. 1. Cor. 16. loquitur de reſurrectione, in qua dicit nos corpora ſpiritualia accepturos: *ſeminatur*, inquit, *corpus animale, in morte ſcilicet, ſuſcitatur corpus ſpirituale:* quod intelligo de his ipſis noſtris corporibus, quæ gloria ſpirituali ornabuntur poſt reſurrectionem. Nam corpora noſtra non erunt ſpiritus, ſed in hac ipſa carne noſtra videbimus Dominū, vt Iob inquit. Quartò, huc pertinet etiam, quòd ſpiritus de hominis mente interdum dicitur vt 1. Cor. 2. quis.n. nouit ea, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo? hoc eſt, mens & conſcientia hominis, nouit ſuos affectus, & ſuas cogitationes.

Dictio ſpiritus de Deo in genere dicitur, & in ſpecie de Spiritu ſancto.

Spiritus dicitur de ſpirituali intelligētia h.e. de angelis: in qua acceptione, vox hæc tā bonis, quàm malis tribuitur: de bonis ad Hebr.1. *nónne omnes adminiſtratorij ſunt ſpiritus?* loquēs de ſanctis angelis, qui piis adſunt. Act.8. *ſpiritus Domini rapuit Philippum.* h.e. angelus Domini bonus. De malis verò loquitur Apoſt. ad Eph.2. *ſecundū principem poteſtatis aëris, qui ſpiritus eſt, nūc efficaciter agens in filiis incredulitatis.* Luc.9. Dominus inquit, *neſcitis cuius ſpiritus ſitis.* h.e. *nō attenditis vos boni ſpiritus eſſe filios, qui nō ſolet nocere hominibus quod propriū eſt mali dæmonis.* 1. Ioann.4. *ne cuiuis ſpiritui mox credatis.* h.e. doctrinæ quam ſpiritus proponit ſub prætextu boni ſpiritus cū malus ſit: hinc probare iubet ſpiritus, an ex Deo ſint, idē Ioānes, *quia dæmon in Angelū lucis ſeſe transformat.* Luc.24. Apoſtoli putant ſe *ſpiritum videre.* h.e. *ſpiritu idem illuſionē*, quod apud Mat.14. *Phātaſma* appellant, & Marc.16. *quod carnem & oſſa non habet.*

Spiritus de Deo in genere dicitur Io.4. *Deus ſpiritus eſt.* h.e. ſpiritualis ſubſtātia, nō eſt corporeū quiddā Deus: ſed Ens ſpirituale. Deinde in ſpecie de Spiritu S. vt Mat.12. Ioann.7.14.15. 20. Huc pertinent etiam virtutes Spiritus ſancti, 1. Cor.14. 1. Theſ.5. de hoc ergo dicemus.

II. Spiritus S. dicitur πνεῦμα: quia inſpirat ſanctis quid faciendū ſit, nouos indit motus, in aduerſis animos ſuppeditat, noua cōſilia, fidē, tolerantiam. Græci dicūt dici πνεῦμα, quaſi πᾶν νεῦμα, ὅτι ὡς νεῦμα πάντη νύων καὶ κινούμενον, hoc eſt, quia omnia permeat & mouetur in omnibus: quod ad vim agētem in ſanctis refero. Sanctus dicitur, quia minimè terrena ſapiat, procul à carnalibus affectibus & cogitationibus, ſuos abducat. Deinde quòd & ipſe incorporeus ſit, purus & ſimplex ſua ſubſtantia. Quò videtur reſpexiſſe Baſilius, cùm inquit, ἀμερὲς ὄνομα ἐστι, id eſt, ſpiritus vocatur ſanctus, primaria & propria appellatione: quæ maximè ſignificat quicquid eſt corporis materiæ, & partitionis expers. ἅγιον, κυρία αὐτοῦ καὶ ἰδιάζουσα κλῆσις; , ὅπερ δὴ μάλιστα πάντος τοῦ ἀσωμάτου, καὶ καθαρῶς ἀΰλου, καὶ Et alibi inquit ſanctum dici, quia ſanctitas illi eſt, naturæ diuinæ propria & cōpletiua. Dicitur igitur Sanctus, quia talis naturâ eſt: deinde quia alios ſanctificat, ſanctos.n. facit. Vnde probat Baſilius Spiritū S. eſſe Deum, quia ſolius Dei eſt ſanctos efficere.

Diuerſa nomina tribuuntur Spiritui S. quę partim naturam partim officia illius explicant.

Habet deinde alia multa nomina, quæ partim naturā, partim officia illius explicant, vt Ioann.14. Paracletus dicitur ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, quia conſolatur, erigit mentes, nouos inſpirat motus: ibidē dicitur ſpiritus veritatis, hoc eſt, ſpiritus verax, cùm Satan ſit ſpiritus mendax, & mendacij pater. Spiritus Dei, Matth. 3. vidit ſpiritum Dei deſcendentem. Matth.21. in ſpiritu Dei eiicio dæmonia. Mat.12. 1. Corinth.2. Acto.2. Spiritus Patris, Matth. 10. Spiritus Chriſti Filij Dei, Rom.8. Galat.4. Phil.1. quia ab vtroque procedit, & vtrique eſt conſubſtantialis. ad Epheſ.1. Arrhabo dicitur: quia illo obſignamur ad vitam æternam. Ad Rom.8. Spiritus adoptionis. In veteri teſtamento dicitur *Ruach touah* ſpiritus bonus, cuius reddit rationem Baſilius, quia eſſentialem habet bonitatem, & quia bonos efficit. Pſal.50. *Ruach nediuah* dicitur, hoc eſt, ingenuus & liber: huc pertinent phraſes illæ *Ruach el* ſpiritus Dei: *Ruach elohim* ſpiritus Dei: *Ruach Iehouah*, ſpiritus Domini, & ſimiles phraſes.

Patres Græci πανάγιον vocant αὐτόθεον, ἰσόθεον, vt declarent diuinitatem illius. In Iuſtino martyre reperitur ἀπόρροια de Spiritu ſancto: quia eſt quædam deriuatio Dei ab eo defluens & ad eundem refluēs, qualis eſt radius ſolis: & in oratione Athenagoræ pro Chriſtianis idē ei tribuitur. Colligant huc ſtudioſi aliqua quoq; Spiritus ſancti nomina, tū ex ſacris literis, tum ex ſcriptoribus eccleſiaſticis: qualia ſunt, Ignis, Oleū, Vnctio, Aqua, Sigillum, &c.

III. Officia Spiritus ſancti ex nominibus poſſunt colligi. Præcipuū tamen eſt, quòd cuſtos ſit Eccleſiæ militantis: ſic Patriachas & Propheras, alióſque ſanctos in veteri Teſtamento tutatus eſt: in nouo, quoque ſanctos gubernat vbique gentium. Pertinet huc obſignatio in vera Dei agnitione. 1. Cor.1. regeneratio, cùm nouos motus inſpirat. Ioann.3. vt regeniti ex aqua & ſpiritu, nouam vitam agant, quæ Deo placeat: conſolari in periculis, augere mentes ſpe meliorum bonorum. Deinde Eccleſiæ proſpicit, de bonis doctoribus. Ioan.

14. do-

14. docebit vos omnia: illustrat etiam per eos doctrinam veritatis, obscura explicat: si quidem doctor is est: quod Ioan. 16. Christus ait, testimonium dare de veritate. Tertiò ornat Ecclesiam aliis virtutibus: huc pertinent dona & charismata quæ Apost. recenset. 1. Cor. 13. vt gratia linguarum, donum interpretandi scripturas, donū sapientiæ, cognitionis, vis miraculorū, fides, tolerētia, martyrium, &c. demum accusare & dānare mundū de peccato, Spiritus sancti est, taxare vitia: legem & pœnas proponit: metu coërcet, quos gratia non regenerat: damnat demum, quos non coërcuit. Ioan. 16. Cum venerit arguet mundum de peccato, iustitia & iudicio.

IIII. De Diuinitate Spiritus sancti olim fuit disceptatū à Montanistis, quos diligenter cōfutat Cyrillus li. 13. & 14. thesauri, & in Ioannem scribens lib. 9. cap. 14. & 16. Basilius ad Amphilochium Iconij Episcopum, aliíque permulti.

Hodie iterū reuocatur is error à quibusdam: muniendi sunt igitur studiosi, vt sciāt quid de Spiritus sancti diuinitate sentire debeant.

Deum esse Spiritum sanctum manifestè declarat Symbolum Apostolorum, in quo cōfitemur nos credere in Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Deus igitur est Spiritus sanctus, quemadmodum Filius & Pater. Spiritus sanctus est Deus.

Deinde quia in Spiritum S. credere requirit diuinitatem illius, ne in creaturam credere videamur. Credimus enim multis etiam creaturis, quòd scilicet sunt, & hominibus credimus tanquā veracibus: sed nullibi nobis concedit scriptura in hominem credere. Sed in solum Deū passim iubet nos credere. Credimus autem non solùm in Patrem & Filiū, sed in Spiritum sanctū: vnde sequitur, nos credere Spiritum sanctum esse Deum.

Adde id planè esse necessariū: nisi enim Deus sit, creaturam esse oportet. Nam distincta persona à Filio & Patre, etiam ab ipsis renouatoribus huius dogmatis statuitur. Deus igitur tertium aliquod, inter Deum & creaturam, quod non possunt. quicquid enim est, aut est creās, aut creatum: illud Dei, hoc creaturæ proprium est: Aut concedant Deū esse, aut impiè fateantur Spiritum sanctum creaturam esse.

Basilij est firmū in hac quæstione argumentum, qui ita colligit. Qui causa est diis, vt dij sint eum necesse est Deū esse. Sed Spiritus S. causa est diis, vt dij sint: vt Psal. 82. dicitur: *dij estis, & filij excelsi omnes*: & Psal 50. *Deus deorum dixit*: &, *Deus stetit in synagoga eorum*: in quibus locis, ait sanctos dici Deos: qui sic dicūtur propter Spiritum sanctum, qui in illis habitat, hinc templa illius dicuntur. 1. Corinth. 3. & 6. Quare sequitur Spiritum sanctum Deum esse.

Nos sic colligamus, Propter quod vnum quodque tale, id magis tale est. Sed propter Spiritū S nos efficimur cōsortes diuinæ naturæ. Ergo illius eiusdem naturæ magis esse consortē, necessum est. Maior firma est regula apud Dialecticos. Minor desumpta est ex D. Petro. 2. epist. cap. 1. vt per illa efficiamini diuinæ participes naturæ.

Accedit, quòd Spiritui S. attribuit scriptura quæ Dei sunt propria, vt Creare, Regenerare, Docere omnia, Nouisse Dei mentē, omnia scrutari, Omnia scire, 1. Cor. 2. Dare eloquentiā, defensionem, Mat. 10. 1. Cor. 12 quæ Deus sibi arrogat, Exod. 4. Deus igitur est simpliciter.

Sed scripturā cōfer huc. Esa. 11. dicitur *Ruach Iehouah* requiescet super eum, hoc est, spiritus Dei, vel spiritus Deus, loquitur enim de Vnctione, qua Messias & ipse Deus vngi debuit: sic *el ruach* dicitur spiritus Dei, vt verti solet: sed ad verbū significat spiritus Deus, vt Iob 33. *el ruach* spiritus Deus fecit me. Gen. 1. *ruach elohim*, & spiritus Deus mouebatur super aquas, quod veteres Iudæi sic acceperunt ex dictione *Bara*, in qua continētur hæc *ben el*, filius meus, *ruach el* spiritus Deus, & *av el*, pater meus. Ideóque *Elohim* plurale illis est, quamuis cùm singulari verbo *Bara* construatur: quia hoc ipsum singulare *Bara*, est etiam potentia, plurale in vnitate naturæ. Spiritus Dei Spiritus Deus.

Impij igitur sunt, & ad diuina oracula stupidi, qui hæc in controuersiam reuocant.

In nouo Testamento, eadem loquendi forma mansit ex Hebræo idiomate. Spiritus veritatis enim dicitur, hoc est, Spiritus verax, vt vertit Basilius: Spiritus dæmonij, dæmoniacus dicitur spiritus, Spiritus sapientiæ, sapiens, Spiritus Dei, diuinus Spiritus, &c.

Sunt tamen clara testimonia diuinitatis. Act. 5. mētiri Spiritui sancto, Deo mentiri est: *non hominibus sed Deo estis mentiti*, præmiserat autem tentare spiritum sanctum. Hoc testimonio vtitur Basilius fol. 469. & Epiphanius in Anchorato. In Baptismi institutione Mat. 20. Patri & Filio coniungitur Spiritus sanctus, æqualis igitur Deus est: alioquin in creaturam baptizaremus, & non in vnum Deum.

1. Ioan. 5. tres sunt qui testimonium dant, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres sunt vnum, hoc est, æquales deitate. Deus igitur est Spiritus sanctus. 1. Cor. 12. *diuisiones sunt donorū, sed idem spiritus: diuisiones ministeriorum, sed idem Dominus: diuisiones operationum, sed idem Deus, qui operatur, omnia in omnibus*: & mox, *hæc autem omnia operatur, vnus & idem Spiritus, distribuens propria cuique vt vult.* Habes Spiritum sanctum Deum esse: distribuit omnia, vt vult: & in diuisione non diuiditur: Dominus, Deus, Spiritus, idem sunt, hoc est, vna substantia diuina. Deus pater fons est donorum. Filius & ipse Deus, mittit à patre luminum: Spiritus Sanctus & ipse Deus distribuit, illa Donorum lumina.

Hunc sensum scripturæ, semper fuisse testantur antiquissimi scriptores. Iustinus Martyr deitatem spiritus sancti asserit ad Anton. Imp. sic enim ait, Iesum Christum filiũ Dei, edocti, secundo loco, & Spiritum propheticum in tertio ordine, cum ratione nos colere & venerari ostendemus. Sed Græcè meliùs, ὅτι καὶ λόγῳ τιμῶμεν, hoc est, quòd illum spiritum cum filio rectè honoremus, demonstrabimus. Idem in explicatione fidei Christianæ diffusè demonstrat, allegans institutionem Baptismi, Mat. 28. & 2. Cor 13. ad finem. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis &c.

Irenæus hanc doctrinam tuetur: Ignatius, Hilarius, Cyrillus, &c. Mirum igitur in tanto consensu doctrinam hanc conuelli potuisse.

Nazianzenus eleganter dicit, Deus priùs sit Spiritus sanctus, & deinceps me in Dei naturam transferre potest: idem est quod ait Basilius, Deum, esse oportere, quod aliis causa deitatis esse velit.

Concludamus ergo locum hunc definitione qualicunque Spiritus sancti, cùm, vt piè dixit Iustinus, nihil in rebus diuinis planè notum & manifestum sit hominibus.

Spiritus sanctus est Virtus Dei essentialis, tertia diuinitatis persona, patri & filio consubstantialis & simul honoranda.

LOCVS. IIII.
DE PROVIDENTIA DEI.



DE Prouidentia dicturi, ad illa duo in primis nostra referemus. Primùm quòd certò statuendum sit illam esse. Deinde quanta sit considerabimus. Variãt enim hic sentẽtiæ, non vno modo. Nec referemus hîc omnia, quæ in hoc extant argumẽto apud Ciceronem, Plinium, Platonem, Aristotelem: aut etiam nostros Theologos: sed strictim quæ aptissima huic loco & tempori videbuntur proferemus.

I. Quòd igitur sit diuina prouidentia, scire eò refert, quòd nostro seculo non pauci sint homines Epicuro persimiles: qui si non ore, attamen vita & moribus eam negant.

Epicuri sententia nota est vel ex Cicerone, qui dicit eum affirmasse, deos nec sua nec aliena curare: vnde Deum Epicuri ioco dixit μονόγραμμον, id est, primis tantùm lineis adumbratum 2. de natura deorũ. Ennij versum in hanc sententiam. *Sed eos non curare opinor, quid agat hominum genus.*

Epicuro non inferior est Plinius, quem legant studiosi lib. 2. cap. 7. Hodierni Epicurei magis fatui sunt, qui in tanta luce non rationibus seducti, sed spe impunitatis, quiduis suis vitiis prætexunt. Nam Epicurum & Plinium si roges, quòmodo igitur administretur mundus, respondebunt cœlestia causis naturalibus regi: inferiora vi stellarum per influentias, aut casu & fortunæ temeritate, nonnulla hominis consilio & prudentia. At à nostris Sotadeis nihil tale audias, sed merã petulantiã. Opponamus igitur his oracula veritatis ac statuamus omnia diuinæ prouidentiæ subiici.

Quod omnia subiiciantur diuinæ prouidentiæ.

Eph. 1. omnia operatur secundum bene placitũ voluntatis suæ. psal. 103. omnia in sapientia sua fecit. psal. 146. sapientiæ eius non est finis. Psalm. 107. totus versatur in astruenda diuina prouidentia.

In Patriarchis omnis vitæ cursus à Deo dispensatur. Populi Israelitici errores per desertum Deo ascribuntur: Christi passio Deum habet dispensatorem, & alia multa.

Hominis prouidentia arguit Dei prouidentiam.

Accedit firmissima ratio. Homo sua agit prouidè: magis ergo Deus operi suo adest singulari prouidẽtia: de hominis solertia & prouidentia loquitur illud Pindari. Nemæor. od. 7. Σοφοὶ δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον ἔμαθον, hoc est, sapientes etiam triduanum prænoscunt ventũ, nec lucro postponunt. Iob. 38. quis posuit in visceribus hominis sapientiam? q. d. Deus sapiens sapientẽ fecit hominem: qui enim fieret vt homo prouidus conditus esset à Deo non prouido? Oportet sanè autorem opere suo præstantiorem esse, vt in omnibus causa effectum superat. Scribunt de muribus, quòd præsentiant ruinam domus, ac emigrent maturè, ne ruina opprimantur: ac formicę imminentem famem præuident, auidiúsque colligunt. Non dissimile est, quod Ierem. 8. scribit de Ciconia quæ nouit tempora sua, de grue, hirundine & turture: stato & certo tempore redeunt & abeunt: & quis hanc illis indidit sagacitatem, nisi Deus ipse prouidus & præscientissimus? Quod si Deus nõ curat terrena, vnde illud fit? opinor aut quia non vult, aut non potest, aut nescit. At magna hæc fuerit ignominia aduersus diuinam maiestatem. Opus certè suum diligit, non igitur deest operis conseruandi voluntas: Potest etiam (non esset alioquin perfectissimus & potentissimus.) Nouit etiam cùm sit sapientissimus. Nulla igitur causa est, cur Deum faciamus ἀπρονόητον .i. improuidum.

Mures ruinam domus præsentiunt.

Quanta sit Dei

II. Diximus quòd sit diuina prouidentia: quod etiam τὸ ὅτι declarat. Superest vt quanta sit expen-

sit expendamus. Hic alij aliud & sentiũt & scribunt: de quibus nihil attinet prolixiùs agere.

prouidētia. Opinio peripateticorum de prouidentia Dei. Vnde prædictiones.

Summa in eo consistit: quòd omnes ferè Philosophi subalternatam faciunt prouidentiam: hoc est, vt generalis quidem ad Deum referatur. Specialis autem alijs sit demandata viribus. In hanc sententiam Peripatetici scribunt Deum opificem omnium esse: gubernationem verò secundis causis esse commissam. Stoici hãc connexionem causarum fabricarunt, ac fatum dixerẽ. Astrologi à Deo cœlestia regi: sublunaria verò stellarum viribus, influentiis, & constellationibus dispensari. Hinc natiuitatũ origo promanauit, & prędictiones de cursu vitę nascentis hominis.

Imaginantur hi Deum præesse rebus instar potentissimi regis, qui omnia quidem administrat: sed per operam vicariam satraparum. Non ita Deus: vtitur quidem Angelorum opera: quos tamen idem Deus sufficientes efficit, regit, gubernat, & quicquid illi agunt oculis Domini subiectum est & præsens.

Triplex prouidētia Platonicorũ.

Platonici prouidentiam statuunt triplicem. Primam vniuersalẽ, qua Deus singula disponit & regit: alteram singularem, quę per deos inferiores sit efficax, qui præsides singularum fiant specierum. Tertiam occupari præcipuè circa hominem, quæ dæmonibus, hoc est, bonis Angelis & geniis sit commissa. Non differt hæc sententia à superioribus, nisi quòd hominis cura exempta sit, & specialiter demandata geniis. Opinor quòd magnorum virorum tunc fortunam à Deo præcipuè defendi & regi experientia doceat.

Prouidētia generalis.

Non dissimiliter loquũtur Theologi. Multi in genere prouidentiam agnoscunt, homini tamen multa sunt permissa vt liberè agat, hoc aut illud eligat, velit, nolit, &c. Alij apertiùs semouent etiam res viliores, vt muscarum examina, piscium sobolem, &c. quia indigna sunt diuina maiestate. Ab hac sententia non alienus est D. Hieron. qui scribẽs in cap. 1. Abacuc, ait, non simus tam friui adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos iniuriosi simus, &c. indicat ibi non esse necessum Deum scire, quæ sit muscarum copia, quot pisces minores cedant in prædam maioribus.

Prouidentia particularis.

Nos contrà statuimus, Dei prouidentiam talem esse, vt ab illius administratione nihil eximatur: quocũque nomine libeat illam vocare indiuiduã, specialem, particularem, &c.

Hanc ita confirmamus. Christus Matt. 10. capillos capitis nostri dicit numeratos: & quid vilius cadit de homine, ipso capillo? quid minus numero concipi potest? at numerum capillorum Deo cognitum dicit: sic de passeribus, *vnus non cadit, sine voluntate patris cœlestis.* Demittit igitur se prouida Dei cura ad passeres & capillos, est ergo specialis. Matth. 6. proponit lilia agri Dei cura & prouidentia vestiri, adeò vt Solomonem ornatu superent. Simile dicit Iob de coruis, cap. 38. *quis parat coruo escam, quando pulli eius clamant ad Deum?* & Dauid psal. 147. *dat iumentis cibum suum, & pullis coruorum quando clamant.* Tradunt rerum periti coruos suos pullos deserere recens exclusos, quia albi sint & colore dissimiles parentibus, eoque tempore ali singulari Dei cura: qua de re aliàs diximus. Iob. 39. Pauones pennis exornari à Deo ad admirationem vsque, ciconiæ alas dari: volatũ aquilæ & accipitris Deo notum. Psalm. 29. parturire facit ceruas. Iob. 12. remittit ad pecora, aues cœli, frutices terræ, pisces maris, à quibus omnibus disci possit Dei prouidentia.

Est igitur statuendum nihil tam minutum, nihil tam abiectum, tam numero infinitum conditione vile esse, quod non certis rationibus Dei prouidentiæ sit subiectum.

Obiectiones contra prouidētiam particularẽ.

II. Sed audiamus rationes, quæ hanc indiuiduorum Dei prouidentiã videntur labefactare. Primùm adfertur locus 1. Corinth. 9. num cura Deo de bobus? non igitur curat boues, nec inferiora & sordidiora animalia. Deinde Ecclesiastes inquit, addẽs scientiã addit dolorem. Tertiò, indigna videtur cura rerũ viliũ Dei maiestate. Demum, contingentia & casus videntur tolli hac doctrina. Sed breuiter respondeamus illis.

Responsio ad obiectiones.

Primùm locus Apostoli 1. ad Corinth. cap. 9. facilè se explicat: docet licere ministro viuere ex doctrina Euangelij: & affert locum ex Mose, *boui trituranti non obligabis os*, addens, num Deo cura de bubus? quasi diceret, non boum causa lex data est: sed vt exemplo hoc discamus nec operario, nec doctori esse negandũ victum: quasi diceret, arctiori prouidentia Deus complectitur hominẽ, quàm bouem, si bouem vult viuere ex suis laboribus, magis ergo doctorem Euangelij ex prædicatione verbi.

Alterum argumentum ex Salomone sumptum, loquitur de sapientia humana: in qua est labor in discendo, labor in communicatione: quæ omnia in Deo non habent locum.

Primùm affectibus caret Deus, ideoque non afficitur dolore. Deinde non nouit sua discendo & proficiendo temporum interuallis vt fit in homine: qui in docendo discit & proficit per interualla. Adde quòd simul sciat euentum: ita notitia futurorum non perturbatur, vt homo: qui anxius est de euentu. deniq; non sumit scientiam suam ex rebus subiectis, vt homines: sed natura illi inest: ac præsentia illi sunt omnia: in homine variatur scientia, vt quædam sint tanquam præterita: alia vt præsentia: nonnulla vt futura: ista in Deo non sunt sic variata: sed vno intuitu omnia coràm habet.

Deus vno intuitu omnia videt.

Tertium argumentum planè negamus, etsi Aristotelicum sit. Putauit Aristoteles maiestatem Dei vilescere, si ad ima traheretur: quod videtur sentire Hieronymus citato loco. Nos

verò respondemus, non sordidari prouidentiæ maiestatem vilium rerum cura: imò potiùs ad illius perfectionem facit. Nam scire arenæ numerum conatus est etiam Archimedes, non tamen valuit. Sic stellarum numerus hominis captum excedit: muscarū copia quæ sit, piscium quāta sit soboles, qui & quot minores à maioribus absumantur solus Deus nouit, & necessaria est etiam horum cognitio & cura, qui enim restitui minorum turba posset certo numero, ne planè idearum species interiret? Quòd autem non sordidetur hinc prouidentia Dei manifestum est, quia non communicat illorum naturæ & contagioni. Purus est Deus & ab accidentibus liber: quemadmodmu sol non inquinatur, quamuis suis radiis feriat lutum, sordes, aliáque fœda loca. Aut quemadmodum speculum etiam repræsentat abiectissimas res sine contagione: sic Deus multò minus defatigatur, &c.

Archimedes.

Elegans. Simile.

Aliud simile.

Vltimum argumentum, de contingentia ita breuiter soluimus. Quod Deum attinet, eiúsque æternam prouidentiam, nihil certè nec casu, nec contingenter fit: sed certo & deliberato consilio: nam contingentia, casus & fortuna dicuntur locum habere in his, quæ præter animi sententiam, aut contra consilium nostrum eueniunt. Qua ratione certum est, nihil aliter euenire, quàm Deus constituerit. Quod verò non attinet, non negamus quin præter nostra consilia plurima contingant: & videntur nobis fortuita, quæ apud Deum consulta sunt: quia nos Dei consilia ignoramus: & frequenter nostra consilia instituimus contra Dei mentem.

Definitio prouidentiæ ex Cicerone.

III. Statuamus ex his de definitione, vt tandem quæ sit Prouidentia cognosci possit. Illa Ciceronis est de natura Deorum. Est per quam futurum aliquid videtur antequam eueniat: nō dissimilis est Græca illa explicatio.

Πρόνοιά ἐστιν ἡ τὰ πρόσω δύναμις, hoc est, facultas quæ procul dissita videt, scilicet in futurum euentura. Huic opponitur ἐπίνοια & μετάνοια, hoc est, vis quæ præterita respicit: quale symbolum est in Iano bifronte, qui futura & præterita expendit. Sed imperfecta est descriptio, quia de notitia solùm loquitur, non autem de administratione: definiamus igitur ad hunc modum.

Vera definitio prouidētiæ.

Prouidentia diuina, est ratio æterna, qua Deus à se condita conseruat, administrat & dirigit ad suos certos fines.

Hac definitione tria Deo prouido tribuimus. Primùm voluntatem liberam, aut consilium statuēdi, quod Act.2. Lucas dixit ὁρισμένην βουλήν: aliàs dicitur θέλημα. vt Eph.1. Deinde tribuimus Deo perfectam notitiam rerum omnium: quæ est πρόγνωσις Act.2. quæ omnia Deo præsentia sunt, & exactissima cognitione exposita. Tertiò, tribuimus quoque Deo plenā administrādi actionem, qua in certos suos fines omnia reducit, hæc πλήρωσις est.

Deus sua prouidētia agit tribus modis.

Agit autem Deus hæc tribus modis. Primùm enim per οἰκονομίαν agit, h. e. gubernationem vniuersi, quâ monarcha solus regit omnia sua immensa potestate. Aut agit κατ' εὐδοκίαν, h. e. per beneplacitum: vt dum ab æterno prouidit saluti saluandorum, quos sensim vsque ad finē mundi colligit & conuertit diuersis occasionibus. Aut μετὰ συγχώρησιν, h. e. per concessionem: vt quòd laxat Satanæ habenas, concedit impiis victorias, fortunatos facit malos, pios cruci subiicit: concedit quidem malis, non tamen aufert manū tutelarem: abscondit se cùm adsit præsentissimus, dormire Dominum hoc modo dicit scriptura: exemplū habes in Iobi afflictionibus: tuetur eum Dominus, vt vitæ illius nihil accidat, quamuis in fortunas & in corpus dederit potestatem Satanæ: idem fit in sanctorum persecutionibus, &c.

Vtilitas quæ ex consideratione diuinæ prouidētiæ nasci tur.

IIII. Hæc consideratio prouidentiæ diuinæ nobis eò conducit, vt consolemur nos: quo pacto sacræ literæ negotium prouidentiæ ad consolationes adhibent. Primùm enim in secundis rebus bona reddi gratiora: si consideremus illa non casu, aut fortunæ temeritate nobis dispensari, sed liberali & prouida Dei cura. Deinde fidē confirmat cùm salutem nostram videmus certa Dei prouidentia procuratam, Ephes.1. Tertiò, cautos reddit in vita quotidiana: testem enim Deum vbique præsentem intelligis: cuius vbique præsentia in metu nos continere debet, ne facilè demus locum peccato. Sic in aduersis consolabitur nos hic locus: expēdes enim tibi nihil euenire Deo inscio, nihil etiam inuito, qui tam prouidè & sapienter administrat.

Concludamus igitur semel, Prouidētiā Dei omnia administrari, Deum etiam consulere rebus humanis: nec solùm in genere vniuersis: verùm etiā singulis per ima indiuidua: de quo rectissimè dixit D.Basilius οὐδὲν ἀπρονόητον, οὐδὲ ἠμελημένον, παρὰ θεῷ. πάντα σκοπεύει ὁ ἀκοίμητος ὀφθαλμός, πᾶσι πάρεστι, σκορπίζων ἑκάστῳ τὴν σωτηρίαν. id est, nihil apud Deum improuisum, nihil neglectum. Omnia intuetur, peruigila illius oculus: omnibus præsens adest, vnicuique salutem dispertiens.

LOCVS VI.
DE PRÆDESTINATIONE.



ARDVA est, & perdifficilis Prædestinationis quæstio. Etenim non solùm hîc dissident doctorum hominum sententiæ, sed etiam scriptura diuina in explicandis illius causis stupet, & ad abditam causarum abyssum, & imperscrutabilem thesaurum diuinæ voluntatis non subsistere iubet. Ac quòd dissidentes attinet sententias, libenter illas suis relinquimus authoribus: quis enim speret in hac mundi vespera & delira senectute consensum? nullum vnquam emersit ingenium, cui se omnium hominum iudicia submerserint: nullum acumen tam emunctum extitit, cui contendendi studio contradici non potuerit: & fortè etiam ferenda est in aliis libertas, quam nobis ipsis arrogamus. Alterum verò in hac quæstione piè & religiosè adorandum esse censeo. Nam quas metas nobis statuit scriptura diuinitus inspirata, has religiosè seruandas esse iudico: nec indignum æstimare debemus illicita nõ tangere, cùm Apostolus ex schola cœlesti nouerit plura ad hanc quæstionem afferre, quod fortasse illud esset sapere vltra id quod oportet sapere. Interim dent nobis amici illi viri, vt hæc ipsa quæ in sacris prodita sunt tueri liceat, aberrantes sententias ad scopum dirigere, & ad verum Lydium lapidem ad quem examinãda sunt omnia omnium mortalium iudicia, conferre. Testamur etiã ipsi non contendendi studio nos ingredi disputationem: imò optare omnibus modis, vt pax & tranquillitas seruetur in conuersatione, in sententiis verò & doctrina cõsensus, sine quibus Christi discipuli esse non possumus: quia reuera docet in sua schola, philosophiam suam cœlestem vita & moribus non disceptationibus exprimere, nec in his etiam consenescendum est, sed sanctè viuendi simul periti esse debemus. His ita positis sententiam nostram breuiter explicabimus.

Quomodo dignosci possint aberrantes sententiæ.

1. Prædestinatio est decretum Dei æternum, quo statuit electos suo ordine vocare ad veritatis cognitionẽ, vt in his misericordia & gloria ipsius declaretur.

Definitio prædestinationis.

Definitio quatuor complectitur, ad quæ nostra etiam referamus. Cuius sit prædestinatio. 2. ad quos spectet. 3. quis sit illius ordo. 4. ad quid instituta. Primum ad causas efficientes pertinet: alterum ad materiã obiectam: tertium ad formam: vltimum verò finem respicit.

Ad causam quidem efficientem statuimus Deum: quò pertinet ex definitione illud membrum, decretum Dei æternum. Decretum intelligo, quod in scriptura dicitur ὡρισμένη βουλὴ certum consilium vel definitum: aliâs πρόθεσις propositum, εὐδοκία, hoc est, beneplacitum Dei: θέλημα, voluntas Dei: βουλὴ θελήματος consilium volũtatis, & fortè etiam πρόγνωσις: nec enim anxiè has voces in præsentia distinguimus, cùm scriptura his seorsim vel coniunctim vtatur, quoties de salutis nostræ origine loquitur. Rom. 8. vers. 29. & 30. quos præsciuit hos prædestinauit, quos prædestinauit, hos vocauit. ad Rom. 9. ad voluntatem Dei & illius beneplacitum nos iubet acquiescere, & in eodem non aliter volũtatem explicat, quàm per potentiam & misericordiam. Et rectè ad Deũ refertur: quia illius est singula ad suos fines referre: quod Latini etiam dixerunt, destinare: hinc prædestinare, hoc est, antequam quicquam fiat ad certos fines idem ordinare.

Æternum autem decretum dicitur, quia Apostolus ad Eph. 1. dicit electos nos ante fundamenta mundi. & ad Rom. 9. de Iacob & Esau, antequam quicquum boni vel mali fecissent.

Quid prædestinare.

Respectu igitur principij, æternum est decretum hoc, quia omnem hominis memoriam, omnem etiam temporum seriem antecedit. Eodem modo respectu finis, æternum est, quia quos pater filio dedit, nemo potest è manibus illius eripere, & quia voluntas patris est, ne vel vnus ex istis minimis pereat, & ad Roman. 8. hanc salutis certitudinem contemplatus Aposto. exclamat, *quis potest nos à dilectione Dei separare? num oppreßio? num angustia.* &c, quasi dicat, fieri non potest vt illa series diuinæ prædestinationis impediatur, aut aliquo casu interueniente mutetur. Teneamus igitur firmiter decretum hoc æternum esse, ideóque immutabile.

Hic quæri solet, quomodo hoc decretum sit metiendum. Alij voluntate absoluta, & mero imperio stabiliunt. Alij præuisa hominis dignitate vel indignitate. Ac priores isti, si merum Dei imperium tale intelligunt, quod separatum sit à iustis rationibus, faciat autem pro arbitrio, quod libeat, facilè ab illis dissentimus. Idem dicimus de absoluta voluntate. Sed contendimus, cum voluntate & imperio hoc mero, optimam & iustissimam rationem esse coniunctam, quia Deus hunc eligit, alium verò præterit. Quòd verò Apost. ad Rom. 9. non aliam affert rationem, sed ad Dei voluntatem & potestatem iubet nos subsistere, quemadmodum lutum ad nutum figuli: non ideò fit, quòd voluntati diuinæ non subsint æquissimæ rationes, sed stupens ad illam altitudinem iustissimarum rationum ab inquisitione nos reuocat, quia rationi nostræ imperuestigabiles sunt. Deinde non ideo nullæ sunt, quia nos ignoramus: sed quia cognoscere plenè non possumus vias Domini, ideo sanctè adorare potiùs debemus, quàm scrupulosè excutere, metuentes, ne scrutando illicita myste-

Decretũ prædestinationis immutabile.

Nihil sine æquissima ratione Deus decernit.

ria, opprimamur à maiestate Dei. Nam in thesauro illo diuinorum iudiciorum, & sapientiæ eius abysso, infinita recondita sunt mysteria, quæ omnis omnium mortalium sagacitas nulla ratione explicare potest. Quid igitur de illis dicemus? ideóne nulla esse, quia nos fugiant? impia & maledictione digna sit præsumptio. Et quod præsens attinet prædestinationis negotium, libenter vtriusque partis acquiesco testimoniis. Occurrũt enim in hoc nobis tria genera hominum. Primi quos possis seriò dicere electos ad vitam æternam, qualis fuit Paulus post conuersionem, Petrus post emendationem, reliquos Apostolos, & pios Martyres omnium temporum: istis adde alios sanctos, qui sanctimonia vitæ ornant seriò professionem suam: isti omnes libenter fatentur, sola se Dei misericordia esse id quod sunt. Vt enim Deum summè diligunt: ita libenter omnia ad illius honorem applicant, adeò vt sese seriò illius pedibus tanquam puluerem, cinerem, vermiculos abiiciant: ipsum verò laudandum, super omnia prædicent. Sua fatentur peccata, etiam abdita, vt maior illius sit miserantis gratia, nec fictione hic vtuntur, res vt seria est, ita ardenter & seriò peragitur. His, inquam, libenter assentior, quia extra iocum loquitur Spiritus sanctus in illorum confessionibus, sola Dei scilicet misericordia illos subsistere, adeóque firmiter, vt ab æterno non dubitent sese electos vocare ad vitam æternam.

In negotio prædestinationis tria occurrunt hominũ genera.

Alij sunt his oppositi damnati, de quibus in hac vita non possumus iudicare aliter, quasi extrema desperatione videamus illos obrui, qui siue seriò sint damnati, vt apparet, siue veniam etiam huius mali consequi possint, nihil attinet hîc discutere. Firmissimum tamen est conscientiam ibi edere confessionem minimè fictam, sed quam ista Dei ira, & prouocata sæpius indignatio extorquet: hi in desperatione iustissimas fatentur sui mali causas, æquissimũ esse Dei contra ipsos iudicium. Hæc inquam testimonia cur non vera agnoscam, nulla est ratio probabilis quidem. Illi exclamant, *solus tu Domine redemisti nos, non nobis sed nomini tuo da gloriam.* Hi verò vociferantur, *iusta est damnatio nostra*: hæc vera esse testimonia credo. Nam quod medios attinet, hoc est, eos de quibus non possum pronuntiare ad quem ordinem pertineant, illos adhuc nihil moror. Certum autem statuo, si etiam isti ad tribunal Dei trahuntur seriò nullam mediam fore confessionem aliam: sed vt duo tantùm sunt, eruntque hominum genera, beati & damnati: ita duplex solùm erit confessio. Isti misericordia Dei sese conseruari gloriabuntur: hi verò iusto Dei iudicio damnatos sese fatebũtur. Itaque extra controuersiam res ista vera est. Sed & ratio hoc etiam capere potest. Deus enim cùm sit summè iustus & bonus sine grauissima causa non potest dici hominibus irasci: impium enim hoc sit vel de homine iusto cogitare, nedum de ipso Deo creatore dicere. Nec est sic Deus in libertatem asserẽdus vt illi nihil sit cum iusto, bono, æquitate commune, & illa nobis solùm præcipiat, ipse pro imperio quicquid libet & licet agat. Est enim ipsa bonitas, ipsa iustitia & æquitas, ideóque ab ipsis virtutibus non debemus imperium illius & voluntatem absoluere. Hæc ad priorem sententiam attulisse satis esto, quibus opinor satis euinci potest, non absoluta voluntate, & mera imperij potestate, sed cum imperio & volũtate, optima simul & iustissima ratione hos eligi, illos verò prætermitti.

In desperatione ira Dei extorquet peccatorum cõfessionem.

Volũtas Dei non est ab æquitate separanda.

Altera sententia facilior est refutatione. Nam quòd præuisa opera non sint causa cur Deus sic vel aliter statuat de nobis, certam habemus in scriptura regulam, quæ sequenda est. Rom. 9. ver. 11. Vbi Apostol. loquens de hoc negotio remouet palàm opera, inquiens, *Vt propositum Dei secundum electionem illius maneret, non ex operibus, sed vocante Deo*: & eodem capite, *non est volentis, nec currentis, sed Dei miserantis.* &, *ipse prior dilexit nos.* Ex quo efficitur Deum, eligendo, in nobis nihil reperire amore & dilectione dignum. Præterea si præuisa dignitas Deum moueret ad eligendos aliquos, nónne illi haberent, de quo gloriari possent? & quomodo isti sola misericordia iustificari dici possunt? cùm prouocata esset misericordia dignitate operum vel personæ nasciturae. Cùm igitur euertat hoc dogma, iustificationis articulum, debet diligenter caueri. Sed & ratio est manifesta: opera enim cùm posteriora sint, non possunt electionis seu prædestinationis piorum esse causa: seu, vt manifestiùs loquamur, Cùm voluntas & decretum hoc æternum sit & firmatum ante conditum mundum, illius inquã decreti causa efficiens esse non potest vllum opus hominis, quia longè est posterius. Nam causa efficiens natura sua vel effectum præcedit, vel cum eodem saltem est coniuncta tempore, posterior autem esse non potest.

In prædestinatione, nulla est præuisa dignitas operum

II. Sequitur alterum instituti nostri membrum, scilicet ad quos pertinet prædestinatio. Sunt qui ad omnes mundi partes applicent, adeóque ad homines tam malos, quàm bonos. Illi prædestinationis negotiũ altiùs repetunt, ac sub eo totam prouidentiam Dei complectuntur.

Verùm nos de Prædestinatione contractiùs loquimur, vt ad illam referamus solùm prædestinatos homines. Primùm quia scriptura malos non dicit prædestinatos, sed electis illam applicat solùm. Deinde quòd Scholastici hanc vocis proprietatem retinuerunt, vt in bonam solùm partem illa vtantur: de generali agitur in loco *de prouidentia*. Itaque de sanctorum prædestinatione solùm hic prosequemur.

Prędestinatio ad solos spectat electos.

Causam efficientem illius diximus voluntatem Dei, quæ rerũ omnium suprema est causa: infinita

infinita potestate omnia condidit, condita sapientissimè gubernat, & omnia ad suos fines destinat iustissimo imperio.

Ex quo efficitur prædestinatos dici respectu futuri. Vt enim præscientia ad sola futura refertur, sic etiam prædestinatio: sed illa non necessitatem infert effectorum, præscit enim Deus omnia, etiã impossibilia: prædestinatio autem cùm etiam electos ad suos fines applicet, media quoque suo tempore suppeditat vt ad eos fines perueniant, à qua serie excidere non possunt. Deinde quemadmodum præscientia sese habet ad præscita: sic prædestinatio ad prædestinata. Cùm enim relatiuè dicantur, est inter illa quædã σχέσις, vt loquuntur. Illud efficiens est, hoc effectum, sic voluntas Dei electorum respicit salutem. Illud imperat & disponit, hoc obedit & disponitur, sic Deus respicit electos: talis est relatio inter scientiam & scibile.

Discrimen præscientiæ & prædestinationis.

Nunc cùm quæritur, an ad omnes referatur prædestinatio, respondemus, nõ ad omnes referri. Ratio est, quia omnes non sunt prædestinati, cùm electos solùm respiciat. Scriptura nobis indicat cœtum quendam reproborum, qui organa sunt Satanæ, & vasa iræ, in quibus declaratur non misericordia, sed potentia & iustitia Dei. Item quia sunt destinati ad interitum, quòd iram Dei iustissimis de causis in sese prouocant. Et Ioan. 1. dicitur, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his scilicet qui credunt in nomen ipsius. Et Ioan. 6. nemo venit ad me, nisi quem pater traxerit. Rom. 9. Cuius vult miseretur, quem vult indurat. Cur autem Deus hunc trahat, alium non trahat, illum induret, alium emolliat, ne quæramus scrupulosiùs, si errare nolumus. Iustissimas tamen huius consilij rationes esse ne dubitemus.

Obiect. Sex excipiunt, non ita erit amplissimum gratiæ regnum. *Respon.* Imò verò respondemus & gratiæ & prædestinationis amplissimum esse regnum: quãdoquidem & homines capit omnes, quos non propriæ voluntatis malitia & peruersitas excludit: adde etiam cùm capiat angelos beatos, qui ad lapsum consentire noluerunt. Nec illi satis cautè hoc colligunt: si enim illa ratio esset sufficiens, quòd non esset amplissimum gratiæ regnum æstimandum, tum nemo damnari quoque poterat, ne dæmones quidem. Non enim dici potest amplissimum, quandiu aliqui excluduntur. Sed falsum id est: dicitur amplissimum, non quòd omnes homines capere debeat, sed quia electos omnes capit, & ad sui consecutionem amplissimas suppeditat occasiones, adeò vt exclusi quoque amplissimas suæ damnationis causas in seipsis sua voluntate cogãtur agnoscere. Quid enim diceremus de angusta via ad vitam æternam & de paucis per illam ambulantibus: quid de reti Euangelico & agro dominico, ex quo boni tantũ seliguntur? Fateamur igitur amplissimum esse prædestinationis regnum, quamuis non omnes complectatur: quemadmodum perfecta erit vita æterna, quanuis non omnes conditiones vitæ huius sit habitura, & perfectissimus est sanctorum numerus, quanuis infinita turba in illo non comprehendatur, vt perfectum dicitur respectu suarum partium, ad totius constitutionem: sic amplissimum, respectu iustarum causarum ad facti defensionem non ad prætermissorum numerũ. Sed dicunt, Christus non paucorum datus est redemptor, sed omnibus. Respondemus duo hîc sumi malè. Primùm quod Christum dicunt paucos redimere, miror vnde & cur hoc dicant: nam reuera scriptura sic non loquitur: quod enim dicit multos vocatos, paucos electos, confert diuersos cœtus suscipientium Euangelium, & idem repudiantium: interim, verum manet Christum non paucorum, sed omnium electorum redemptorem esse, qui in se pauci non possunt, nec debent dici. Collatione ad reliquos aliquo modo possunt. Deinde falsum est, quòd Christum dicunt omnibus datũ redemptorem, cùm Iudæ non sit, Pharaonis non sit, Iuliani non sit, & in summa omnium desperantium & damnatorum. Cùm igitur ipsi fateantur cœtum damnatorum magnum esse, cur affirmant Christum omnium esse redemptorem? Nec illos iuuat, quod dicunt, Deum velle omnes homines saluos fieri. Nam (omnes) vniuersalis est particula, & solùm vera in suo genere. Quis enim Iudam sub illa comprehenderet? vel certè omnes, hoc est, omnium ordinum aliquos: vasa enim iræ non vult saluari. Ex quo & illud perspici potest, Deum sibi non ponere impedimenta: si enim omnes absolutè vellet saluos fieri, vtique etiam Iudas & Pharao saluarentur, Caiphas & Herodes, &c. quos cùm excludat, manifestum est, quòd volens & sciens eos excludat. Interim manet æterna voluntas quòd velit omnes saluos fieri, quam ne totus quidem mundus reluctando impedire potest. Ex omnibus ordinibus, & omnibus nationibus suos colligit.

Quomodo regnum gratiæ amplissimum dici possit.

Notanda ratio.

Respon.

Quomodo Deus velit omnes homines saluos fieri.

III. Proximum est, vt de forma loquamur: hanc nobis Apostolus breuiter, sed eleganter adũbrauit ad Rom. 8. *quos præsciuit hos prædestinauit, vt conformes fierent imagini filij sui, vt sit primogenitus inter multos fratres.* Et mox, *quos prædestinauit vocauit, quos vocauit, iustificauit, quos iustificauit, hos glorificauit*, quo loco formam & ordinem à suprema causa, ad vltimum vsque effectum per medias causas depinxit. Suprema causa est Dei voluntas, quam πρόθεσιν, & πρόγνωσιν vocant, quia illa proponit & notitiam omnium habet perfectam, non enim voluntas illa sine scientia est & ratione, vt fit sæpe in hominibus.

Quo ordine electos suos Deus ad vitam æternam ducat.

Hæc inquam voluntas suprema & perfecta causa parit προορισμόν, destinat hæc omnia ad suos fines, delectu quodam habito: hinc tandem suo temporum ordine sequitur κλῆσις: non enim sim simul, sed pridem destinati; serò tandem vocantur, alius vndecima demum, qua-

lis fortè latro in cruce, & qui in vltimo momento respiciunt: sub finem etiam seculi aliqui. Ac habet vocatio etiam notam prædestinationis per sua indiuidua, vt reliqui agnoscant, ecce hic etiam est de nostro numero, & is electus est, & hic creditur Christi membrum. Post vocationem sequitur δικαίωσις, h.e. iustificatio vitę & morum: nam interna iustificatio cordis confertur in vocatione dum Spiritus sanctus repurgat corda, & dat nouos motus, sed non mox in conuersationem idem obseruant homines: dum igitur mores veteres deponunt & conformes redduntur Filio Dei, dicuntur externè quoque iustificari. Demum sequitur δόξα, hoc est, gloria illa vitę beatæ & salus æterna, qui finis vltimus est. Hæc est illa salutis catena & nexus insolubilis, qui deducit à suprema causa per media præuisa ad effectum vltimũ, infallibili serie. Nec video quid obscurum hîc esse possit fidelibus.

Interna iustificatio. Externa iustificatio.

Sed oritur hic quæstio, non minus ardua, quàm periculosa. Nam si res ita habeat, vt reuera habet, quid restat aliud, quàm mera necessitas? & ampliùs electi excidere non possunt, quicquid agant: reliqui verò saluari nequeunt?

Prædestinatio fatalem necessitaté nõ inducit. Necessitas certitudinis, consequentię, siue hypothetica. Necessitas hypothetica ad peccandi licentiam non trahit.

Respondeo. nullam hic esse necessitatem fatalem, vt loquuntur. Nam Deus vocando ita vocat, vt voluntatem flectat, sic reprobos ita præterit, vt aliter ipsi quoque nolint. Res manifesta est in Paulo, qui acerrimus erat Christi hostis, donec venit hora vocationis, tum illum Christus ita vocat, vt simul det animum volendi, & exclamet, Domine quid vis me facere? Contrà, sic Iudam præterit, vt Iudæ voluntas in sceleribus suis summopere delectetur. Itaque distinctè loquimur. Coacta hîc nulla est necessitas, quia voluntatis nostræ natura non impeditur: imò vtrinque assentitur: hos volentes trahit, illos volẽtes præterit, neutros inuitos cogit. Alia tamẽ est necessitas, quę hic concedi potest, nempe certitudinis & consolationis: quia hinc dicunt electi, nulla ratione fieri posse, vt à Christo separentur. Consequentię est & hypothetica necessitas, hanc amplectuntur electi grato animo: reprobi verò agnoscunt in illa iustissimas suæ damnationis causas.

Quod verò additur non posse illos à Christo excidere, rectè quidem dicitur: quia nemo rapit eos è manu eius: deinde quia electi etiam nolunt, sed omnibus modis operam dant, vt in Christo semper repenriantur: sin ad licentiam peccandi hoc trahas, impiè facis, & testaris eo ipso te de illo numero non esse. Primùm enim hoc alienum est à natura electorum, qui vtuntur negotio prædestinationis solùm ad consolationem & confirmationem. Deinde alienum etiam est à spiritu gubernante eos, qui semper inhibet peccatum, & occasiones sceleribus præscindit, non illis aperit fenestras: ideóque absurda illa est & impia collectio, & meritò neganda.

De reprobis respondemus, quod dicũt non posse saluari, verum & illud est: nam sua natura ad hoc inhabiles sunt. Deinde vitæ accedit contaminatio: denique voluntatis peruersitas, nec est, cur dicas, vtut piè vixerint: quia illi nunquam piè viuunt, nec etiã valent piè viuere, sed vt illis est capitale bellum cum pietate, sic moribus idem semper exprimunt. Nã statim ac cœperint rectè viuere, dicemus illos non fuisse de perditorum numero, sed de electis, serò autem vocatis, qualis fuit Paulus. Sed dicis, Deus præscit illos damnandos, cur illis etiam non dat gratiam meliorem? Respondeo, pro se respondet Deus, non volens iniquitatem sum ego: quæ dũ plena sit causa damnationis, frustrà quærimus cur Deus non faciat, quod facere non tenetur vlla promissione. Promisit solùm electis vitam æternam, hi qui sint ordine declarat vocando. De reliquis cur tu inquiris? Principium aliquod esse debet: quo reperto, desinat curiositas quærendi. Illud ratum sit apud omnes consilia Dei esse inscrutabilia, imperuestigabilia, & alia his similia: hoc posito, desine ingredi hanc amplitudinem, & profunditatem, in qua camelus natat, agnus peditat, metuens ne te opprimat maiestas. Sed iterum regerunt, itaque omnia fient indiscriminatim consilio Dei, tam bona, quàm mala. Negamus: omnia quidem Deo agente fieri, dari poterat: nõ tamen indiscriminatim ideo fiũt. Ratio est, quia electio per se inducit discrimina. Deinde Deus non eodem modo in vtrisque agit, nec eodem fine in eodem negotio agit Deus, vt agit impius, & idẽ impius Deo agẽte mouetur ad actiones, vt tamen Deus peccati non sit causa, quemadmodum actionis est causa. Aliud enim est actio per se, Aliud actionis peccatum. Hinc sæpius dicit August. quòd mali hoc aut illud agunt, à Deo esse, quòd verò hoc aut aliud agendo peccent, non à Deo, sed ab ipsis esse.

Cùm Deus, quod nõ tenetur facere, nõ facit, iniustus non est.

Pia Aug. sententia.

Prædestinationis duo sunt fines.

IIII. Restat vltima quæstio, ad quid prędestinemur? Duo hîc considerantur. Vltimus finis & medij quoq; fines. Vltimus est gloria Dei, declaratio misericordiæ. Rom. 9. præparauit ad gloriam, Eph. 1. ver. 6. ad laudẽ glorię suę, qua nos gratos sibi fecit in dilecto, & ibidẽ, vt simus laus glorię eius. Hic finis est respectu Dei. Nostri respectu, finis est vita ęterna, salus animarum & corporũ. Medij fines sunt, bona opera, vitæ sanctimonia, Eph. 2. ver. 10. *illius sumus opus, cõditi in Iesu Christo ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in his ambularemus.* Rom. 8. *vt simus conformes imagini eius* Hæc expendãt electi, vt sciãt se non ad otium in hac vita prędestinatos. Quare insulsa est oratio, nihil referre quocunque modo viuant. Imò hoc sciãt, nisi honestè vixerint, frustra de electione ipsos gloriari. Ratio demonstratiua est: quia qui prędestinauit nos ad vitã æternam, idẽ etiã prędestinauit nos ad bona opera, & sic ordinem hunc in

præ-

prædestinatione sanciuit inuiolabilem, vt professionem nostram vita & moribus ornemus: hinc à posteriori fit demóstratio. Illi nó respondent Deo prædestinanti ad bona opera, igitur ad vitam æternã prædestinati non sunt. Frustra igitur fingunt liberum quendam prædestinationis ordinem, in quo regnet non Deus εὐταξίας author, sed ipsa ἀταξία & rerum ipsa confusio, pietatis mera pestis & euersio, &c.

Demonstratio à posteriori ab effectis.

LOCVS VII.
DE PECCATO ORIGINALI.

PECCATVM originale diligenter explicatum est à nostris olim, & hodie quoque ab illis contra Pelagianos & similes, ab his verò contra quosdam Catabaptistas, & Pontificios, inter quos Piggius precipuus fuit. Ex illorum igitur doctrina repetentes præcipua capita huc conferemus. Quæ res vt planior sit, ab ipsa definitione ordiamur.

Definitio peccati originalis.

Peccatum originale, est corruptio naturæ humanæ per Adami lapsum, in omnes posteros transfusa, infinitis calamitatibus, morti quoque æternæ nos subiiciens, nisi per Christum remittatur.

Partes definitionis.

Hanc definitionem sequentes dicemus, de illius natura, deinde de causa illius efficiente. 3. de subiecto, hoc est, ad quos spect. 4. de corruptela vel illius effectis: demum de eiusdem cura ac remedio.

Quid nomine corruptionis intelligi debeat.

I. Naturam illius exprimimus, dum vocamus corruptionem naturæ humanæ. Intelligimus autem per corruptionem habilitatem ad peccandum, & impotentiam ad bona naturalem. ἀδυναμία φυσικὴ ex eo constat, quòd ex nobis nihil possumus, nec idonei sumus vt vel cogitemus bonum, nisi à Deo. Hoc naturæ malum Aug. & alij vocant concupiscentiam: alij carentiã iustitiæ originalis, fomitem, naturæ languorẽ, Apostolus, legẽ membrorũ, & carnis, Moses figmentũ cordis malum à pueritia. Nec putemus solùm esse imitationem: quia Apostolus ad Rom. 5. mortem dicit dominari in eos etiam, qui non peccarunt ad similitudinem Adæ: ex quo efficitur non esse imitationem, alioquin in eos qui imitatione non peccant, non debuit dominari mors, vt infantes sunt: quos videmus mori priusquam vllum committant peccatum per imitationem. Nec est nuda obligatio, quia naturale est malum, radicitus carni insitum, quale est in lupi catulo ingenium ad rapiendum, qui licet per ætatem nihil rapiat, faciet tamen vbi adoleuerit, ratio est quia ingenium naturæ illius impressum est indelebiliter. In adultis accedunt actualia peccata, in infantibus naturæ est malitia quæ reos facit, hæc illa est corruptela.

Simile.

II. Efficientem causam addimus, scil. quia per lapsum Adami inuectum est hoc malum. Id probamus ex loco ad Rom. 5. mors per vnum hominem est ingressa in mundum: & mox vnius inobedienti peccatores multi constituti sunt, hoc est, Adami lapsu ad nos deriuata mors & peccatum: quia vbi mors, ideò etiam ibi peccatum: vbi enim effectus est, ibidem latere causam oportet. ad Eph. 2. Apostolus ait, natura nos filios iræ esse. Naturam autem ex Adamo trahimus, ideò ex eodem trahimus quòd iræ sumus filij. Moses ait figmentum cordis humani malum esse omnibus diebus vitæ suæ significans homini inesse naturalem corruptelã in qua nascatur. & cap. 8. ab ipsa pueritia malum esse dicit: quod quid aliud est, quàm naturale esse hoc pessimum figmentum? Otiosa igitur quæstio est, dubitare & quærere an sit tale aliquod peccatum: stipendium enim peccati omnes accepimus etiam infantes, igitur omnes peccato tenemur: nec extenuanda est naturæ nostræ malitia, quandoquidem sine iniuria beneficij Christi id fieri non potest.

Causa efficiens peccati originalis.

Non abs re tamen hîc quæri solet, quomodo hoc malum ad nos deriuetur. Ac quod corpus attinet, facilis est responsio. Corpus trahimus ab Adamo per generationem: nec alius est modus quo cum illo adhæreamus. Ideóque hoc ipso modo, naturæ corruptionem, quæ inest carni nostræ, ab eo trahimus. His postea accedunt singularia ex elementorum corruptela, hinc boni viri improbos sæpe generãt. Sæpe tamen videmus iracundos ab iracundis nasci, vt leprosi à leprosis, podagrici à podagricis. Augustinus dicit corruptelã per libidinem & concubitũ in nos transfundi, quemadmodum fortè in nos libidinis voluntas trãsfunditur per semen: hinc illud Iobi, quis potest facere mundum de immũdo semine conceptũ?

Quomodo peccatum originale ad nos deriuetur.

Porrò animæ impuritas quomodo ad nos deriuetur, obscurior ratio est. Nam fuerunt qui dicerent, cum corporibus simul animas dari: quod vt esset probabilius, addidere Euã vtrũque ex Adamo sumpsisse. Sed vtrunque pariter obscurum est, & opus habet perspicua ratione. Non enim perspicuum est, eandem esse animarum, ex anima Adami, traducem, quę intelligi facilè potest, per corporum nostrorum ab illius corpore deriuationem, per semen. Ac animæ nostræ semen tale nullum habent, nec copulantur animæ, vt corpora ad cõseruationem indiuiduorum vnius speciei hominis.

Quæstio cui diuersis opinionibus respondetur.

Proinde aliis placuit animas quotidie creari nouas, sed corruptas: vt similes sint corpo-

ribus etiam corruptis, quasi malo domicilio, malus destinetur hospes. Sic enim videtur proportio exigere vt similes sint futuris suis corporibus. Ita nihil esse quòd animæ quærantur de corporibus, aut corpora de animarum perfectiore natura. Sed vrget hoc maior postea moles. Si enim Deus malas condit, quæ ratio est cur damnentur, cùm tales conditæ sint, an non videntur palàm in Deum reiicere culpam peccati? mittamus ergo istos suis cogitationibus: fœcundū enim est hominis ingenium in sui defensione, vel saltem excusatione fabricanda.

Vera & recepta sententia.

Recepta est sententia infundendo quidem creari quotidie, & creando infundi, sed puras: labem verò contrahere ex coniunctione & commercio cum corpore. Coniunctissima enim est illa familiaritas, adeò vt anima gratificetur corpori: corpus vicissim illi: & cùm dominari & regere ad meliora debeat anima, victa corporis desideriis, seruit sæpe & regitur.

Hinc contrahitur macula peccati, vt semel & ad pœnas rapiantur à Deo iudice iustissimo, quia simul peccarunt: ac quanquam anima sine corpore puniri possit à Deo Creatore: tamen æquitas iudicij exigit, vt aliquando coniungantur simul in hunc finē, vt vel pœnas vel gaudia simul experiantur. Hoc modo animæ corporibus suis debent suos næuos: debent & sibi, quia faciles sunt, nec constantiā in bono seruant, quemadmodum in caliginoso domicilio rubiginem & caliginem homines sæpe contrahunt.

Alia quæstio. Responsio.

Hic iterum quæri solet, cùm electi iustificentur per fidem, & eis remittantur peccata omnia & ipsum originale, qui fit, vt hanc puritatem non transmittant in posteros, cùm vitium audiamus ad eos transmitti? Respondemus etiam huic curiositati, aliam esse rationem vitij quod in naturam transiit, quàm sit beneficij Christi, quod precarium est & planè gratuitum. Naturalia non est mirum naturaliter transmitti: sic homo hominem peccatorem, leprosus infectum generat, cęcus interdum etiam cæcum, & claudus claudum. Remissio autem peccati, cùm non sit naturæ sed gratiæ diuinæ, non potest naturaliter transfundi, sed vt est in maioribus donum gratiæ: sic in posteris manet donum liberum, nec fit hæreditarium, vt fuit peccatum, quia hoc in naturam abiit: illa verò minimè. Exemplo res planior erit,

Peccatū est hæreditariū, non autē donum gratiæ. Simile.

Circumcisi Iudæi progenerant incircumcisos sub Mose, quo adumbrabatur gratiam circumcisionis non esse hæreditariam, sed opus esse posteritati noua semper regeneratione cordis: adeò vt non sufficeret parentum pietas soboli ad salutem, nisi & ipsa fideles imitetur parentes: sic grana repurgata seruntur à rustico, colliguntur autem in messe paleis, aceribus, aliísque festucis iterum vestita. Hoc illud est ferinum peccati ingenium, quod in dies renascitur & suppullulat fructuosa fertilitate in posteritate etiam electorum. Hæc est disparratio. Nam vt causa corrumpens efficax est, non solùm in speciem suam, sed in singula eius indiuidua: ita debuit causa conseruans suum beneficium singulis personis electorum specialiter applicare, ne hoc dignitati paucorum tribueretur, per quos deinceps ad posteros deriuaretur, quod nihil aliud esset, quàm Christum spoliare sua dignitate.

Vis peccati originalis.

III. In hac definitione nostra sequitur obiectum huius mali, hoc est, ad quos spectet, quod expressimus eo, quia ad omnes posteros transfusam dicimus esse hanc naturæ malitiam, in quo duo intelligi volumus. Primò ad omnia indiuidua deriuari, vt intelligas sanctissimos quosque ab hac corruptione non esse immunes, quanquam non pari cum impiis ratione, hoc ferant onus. Deinde id pertinere ad naturæ facultates. Ita non solùm nemo homo hac in parte est liber, sed nullæ quoque hominis facultates integræ permanserunt.

Ac prius quidem probamus ex Apostolo ad Rom. 5. *Mors in omnes homines transiuit quatenus omnes peccarunt*: quæ propositio est verè vniuersalis. Experientia enim docet, mortis conditione omnes premi, ac vt ille ait, æquali pede pulsat pauperum tabernas, regúmque turres. Ex quo intelligi debet altera sententia ibidem vers. 15. vnius transgressione multi mortui sunt: multos enim illic posuit pro omnibus. Deinde Iob id loculenter testatur, ne infans vnius diei mūdus est coram Domino: & idem, omnis ex muliere natus non mūdus est.

De Helię & Enochi trāslatione.

Nec obstat Heliæ & Enochi translatio, quia peculiaria sunt exempla, quę, regulam vt non constituunt, ita communem non infringunt, & ipsa translatio pro morte illis fuit, deinde statui nō potest mortuos non esse, ex eo quia sint translati: quid enim in translatione corporibus illorum acciderit, decidi non potest. Sed manet totius carnis regula, terra es & in terram redibis. Accedit ratio ex naturæ principiis deriuata, quæ docet generans talem communicare naturam genito, qualem habet ipsum generans: quod adeò firmum est, vt in omni generatione seruetur. Inde homo ex homine, equus ex equo, auis ex aue, singula suam naturam transfundunt in genita. Sed Adam habuit corruptam naturam: non potuit igitur aliam, quàm corruptam posteritati communicare. Itaque tota posteritas ad omnia indiuidua hic premitur. De filio Dei facilis est exceptio: quia licet carnem ex posteritate Adæ susceperit, non tamen ex illius semine conflata est illius caro: sed ex Spiritu sancto concepta, sine permixtione virilis seminis ex casta virgine coaluit: hinc peccato carere potuit.

Caro Christi non est ex semine Adæ quamuis eam ex eius posteritate susceperit.

Alterū huius loci caput est, omnes vires hoc malo corruptas esse: de actionibus facilis est ratio: nam experientia testatur omnes in omnibus labi persæpe, hinc errores in consiliis & vitæ actionibus bonam partē peruertunt: Ac sanè labi & errare homini ita proprium est, vt nihil magis, taceo grauiores lapsus & casus enormiores: & videntur illa sic cohærere, vt ex errori-

erroribus sequantur lapsus. De habitibus animi certum est, virtutes ethicas vix tandē magnis sudoribus comparari, in quibus tamen infinita sunt errata: taceo sæpius vitia virtutū nomine subrepere, vt verissimo dederint prouerbio locum: nihil ex omni parte beatū: & comicus ille, ut homo sum, humani nihil alienum à me puto: Magna certè hîc dominatur imbecillitas. Rationem ipsam si consideres vt arcem prudentiæ, anima illa corporis domina mentem submittit affectibus, vt seruiat, quod inde constat, quòd Apostolus ad Romanos 8. prudentiā carnis dicit esse mortem: & idem, cap. 12. iubet nos reformari renouatione mentis nostræ, ex quo confecimus illam demonstrationem: mens opus habet reformatione, igitur est corrupta: non enim locum habet reformatio, nisi vbi precessit corruptio: quod ἡγεμονικὸν est corruptum, quid de inferioribus dices facultatibus?

IIII. Effecta mali huius breuiter perstringenda sunt: quò pertinet membrum illud definitionis, infinitis malis, & æternæ quoque morti nos subiiciens. Huc pertinet primum imperium Satanæ, quod cœpit in mortalium genus valere, per peccatum excusso Dei iugo: hinc illi nomen Principis mundi, & aëris rectoris, & fortis, qui atrium suum bene custodit. Tum dominio Satanæ oppressit nos seruitus, non qualis erat filiorum sub imperio parentis, aut creaturę sub placido adhuc creatore: sed qualis sub manu sæuissimi est tyranni, in sua miseria, aliena ruina sese cōsolantis. Ac quod nos attinet, commerita est damnatio, Satanæ tamen respectu iniquissima erat possessio. Rem enim alienam rapuerat & corruperat. Valere tamen debuit in lapsis damnationis sententia, vt futurum olim beneficium rectius agnosceretur. Ad Rom. 8. ait Apostolus, *Nihil igitur dānationis est, his qui sunt in Christo Iesu.* Qui igitur Christi beneficium oblatum mundo non amplectuntur, sub dānationis sententia adhuc tenētur. In Deo vocatur ira Dei, quę premit peccatorē, quia irati hominis more procedit diuina vltio contra peccatum: nec est quòd inde Deo animi mutabilitatē ascribamus, sed scriptura submittit se ad captum nostrum, & de Deo tanquam de homine præpotente loquitur, statuente pœnam cōtra familiam inobedientē. Hinc dicitur ira Dei manere super eos, qui increduli manent. Ioan. 3. Tandem mors ipsa corporis nos admonet, quales effecerit homines originis malū, à qua nemo tutus est: cum illa infiniti morbi ingruūt, mortis comites & anteambulones, qui mortalitatis nos admonent. Tandem excipit nos æterna damnatio, infernus, & tenebrarum abyssus, quæ mors secunda dicitur à Ioanne. Pręter illa æterna damna, natura hominis circumfert secum infinita alia corruptionis argumenta, imprudentiam in deliberando, inconstantiam in rebus agēdis, trepidationem in rebus aduersis, elationē in rebus secūdis, pudorē in erroribus, arrogantiam in propria existimatione, contemptum proximi, inuidiam, libidinem, homicidia, furta, scortationem, adulteria, stupra, auaritiam, rapinam: nec finis est, aut modus, quo sese prodit naturæ nostræ corruptela. Quanta auferat mala peccatum originale.

Ista omnia videntur veteres ad duo capita reuocasse: nam Reatum vocarunt ipsam vindictam & imputationem pœnarum, quibus iusto Dei iudicio subiicimur, tanquam mali oui pessima soboles. In fabulis iusta habetur vltio, qua etiam soboles tyrannorum excinditur, ne succrescens ad ingenium reuertatur, quemadmodum luporum catuli. Quid reatus apud veteres.

Corruptionem verò dixerunt ipsam naturæ habilitatem ad peccandum, ipsam vitiositatem, de qua loquitur Apostolus, cùm ait, in *carne sua non habitare bonum.* Item *se non facere bonum quod approbet: sed malum quod interim damnet.*

V. Ad finem additum est mali huius remedium: per Christum scilicet hoc remitti. Quod probamus ex verbis Apostoli ad Rom. 5 *Vnius obedientia iusti constituentur multi.* & cap. 3. *iustificati gratis, illius gratia, per redemptionem, quæ facta est in Christo Iesu.* Ibidem, *quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo*, & passim mediatoris & redemptoris Christi facit mentionem scriptura.

Porrò interrogant hîc, quomodo sanctis remissum sit per Christi meritū peccatum originale, cùm videamus naturæ imbecillitatem durare, mortem quoque superesse, & alias calamitates, quæ in rebus humanis dominantur. His respōdemus reatum illius morte esse sublatum, nec fuisse operæpretium vt simul tolleretur vitiositas naturæ. Nam vita æterna in hac terra expectanda non est, in qua nulla regnet imbecillitas, sed post huius mundi restitutionem. Deinde cùm redemerit nos Dei filius morte, par est vt & nos corpore moriamur. vt lex naturæ compleatur in omni carne. Quod verò corruptionem naturæ attinet, in sanctis aliquo modo corrigitur: nam illi nouos motus habent, carnem domant, affectibus resistunt, nouū induunt hominem, vitā æternam, vita & actionibus meditantur in his terris: quare facile est electos ab impiis segregare: videntur enim opera illorū bona, quę fidem confirmant & ostendunt seriò discipulos Christi. Quęstio. Responsio.

In hac remissione dicimus opus esse fide, qua Christo coniungamur: nam vt Adamo carne per generationē iungimur: sic fides nos conglutinat Christo. Hinc Apost. dixit ad Roman. *iustificati fide pacem habemus apud Deum in Iesu Christo*: quia illa beneficium Christi complectitur & sibi vtile facit. Verùm ne cogitemus fidem vel opinionem historicam, vel qualitatem quandam propriam animis nostris: sed donum Dei est, quod habet suam latitudinem tanquam proprium habitum, ex quo æstimatur. Quò pertinet professio hominis Fides nō est opinio historica.

Opinio Papistica. Christiani, quæ ornanda est omnino bonis moribus & innocentia vitæ. Papistæ docent remitti hoc malum in Baptismo, & vt loquuntur, ex opere operato, quod aliàs diximus esse falsum, quia gratia Dei non est sic alligata signis, vt necessaria sit sequela inter illa & gratiam. Gratiæ autem est diuinæ (hinc donum dicitur, & fidei ascribitur) propter causam nunc expositam, quia scilicet beneficium Christi amplectimur fide, quam mox ornamus sanctitate & innocentia vitæ.

Vnde non semper necessaria sunt externa symbola, ad consequendam gratiam, quemadmodum eadem non omnibus profuerunt sumpta, Simoni Mago non profuit Baptismus, nec Iudæ: sic contrà Valentiniano non obfuit Baptismus non susceptus, si credimus Ambrosio. Nemo tamen credat ob id contemnenda esse symbola: sed augusta sunt & rerum maximarum sanctissima sacramenta: quę dum haberi temporum iniuriâ, aut hominum malitia non possunt, illorum priuatio non impedit ad salutem: quemadmodum contemptus eorum & profanatio, rebus ipsis nos nostro vitio priuatos esse demonstrat. Sed illa persequi alterius est argumenti.

Quæ de originali peccato, definitione proposita fuere, hactenus exposita sint.

DE CONSENSV AD MALVM. LOCVS VIII.



LOCVS grauis est, & perdifficilis, quem præ manibus habemus: sed vt compendio rem prosequamur, ista declarabimus. Primùm quid complectatur consensus iste. Deinde quot fiat modis. Tertiò in quos cadat: reliquas huius loci quæstiones in aliud conseruabimus tempus. (Diuisio.)

I. Ac complectitur quidem, iudicij approbationem, & voluntatis assensum. Rom. 1. 32. *non solùm faciunt, sed etiam facientibus consentiunt.* Græcis est συνευδοκοῦσι. 1. Cor. 7. 12. de vxore infideli, quæ si συνευδοκεῖ habitare cum fideli merito, eam deserere non debet: hinc εὐδοκία & συνευδοκία approbatio illius quod ratio decreuit. hac significatiõe vsus est verbo σύμφημι. Rom. 7. Ita de consensu loquitur August. libr. de mendacio, consentimus cùm approbamus & volumus. Primùm enim ratio decernit ac diiudicat sitne res suscipienda. Deinde accedit voluntas approbans: hinc demum factum. Sic Lucretia non consentit ad impudicitiam corporalem, quia ratio damnat factum, & inuita voluntate eius opprimitur, inde casta dicitur, quamuis fuerit oppressa, quia non consentit. Eua consentit peccato, quia iudicium illius approbat pomi vetiti speciē, & voluntas inflammata in eius desiderium rapitur. Sic in aliis peccatis, iudicium speciem boni vel honesti sibi fingit, quam defert ad voluntatem, quæ victa & cedens debilioribus rationibus, stipulatur apparentiæ boni: nemo enim per se vult suiipsius interitum, nec perniciem propriam approbat.

Volũtas fertur semper in bonũ, verum, vel apparens. II. Non fit autem hìc consensus eodem modo in bono, quemadmodũ in malo. Boni enim assensus, Dei est donum, qui dat & velle & perficere pro sua bona volũtate, & quia ipsius est tanquã miserantis, non nostrũ quatenus currimus. Necessarius tamen est voluntatis assensus in nobis ad salutis nostræ perceptionem, quia sine assensu fieri non potest conuersio, hinc dixerunt, præeunte gratia, & comite voluntate. Deus enim non vult vt aspernemur oblata bona, sed hilari fronte amplectamur. initium à gratia fit, & progressus quoq;, similiter & cõpletio: ideóq; nihil tribuimus nostris viribus: sed velle etiam bonum affirmamus esse donum Dei. In Adamo & Eua alia ratio erat, quibus Dominus dederat integram naturam, & per se bene conditam, eisdémque concesserat: vt hoc vel illud liberè eligerent: adeo vt si legi Domini acquiescerent, retinerent naturæ integritatem: sin deficerent, sentirent propositas pœnas. Qua ratione placuit Domino suam illis declarare summam & sapientiam & misericordiam. Elegit igitur Adam per se ex Satanæ suadela deterius, cùm idem per se posset eligere meliora.

Cõsensus ad malũ nostra fit culpa & libera electione: sic Cain ad malũ cõsentit, & Iudas, & Paulus Act. 8. & 22. cõsentit in mortem Stephani.

Cõsentimus autẽ vel nostris priuatis peccatis: contra quod disseritur toto sexto c. ad Rom. & ad Rom. 7. lex membrorum dicitur & lex peccati. De quo loquitur Tobias ca. 4. caue ne quãdo peccato assentiaris. Alienis autẽ consentimus, variis modis. Primùm enim extenuãdo fit consensus, quãdo aliena peccata non pro dignitate æstimamus: sed minora reddimus quã reuera in oculis Dei sint. Hoc vitij inhæret vt plurimùm indulgentioribus parẽtibus, qui errata liberorum nec ab aliis corrigi permittunt nec ipsi aduertunt, sed extenuatione leniunt. Secundò apertè laudãdo, quod corrupti est hominis, malum bonum dicere, & bonum malũ. Tertiò patrocinando, vt qui improbos tuentur & defendunt, ne ob flagitia ad pœnas ab aliis rapiantur. Quartò suadendo, quo genere peccant isti, qui alios ad peccãdum incitant, viam & modum perficiendi suppeditant, occasiones præbent: quæ enim alius nostro facit consilio, (Multis modis fit cõsensus ad malum.)

ipsi

ipsi fecisse videmur. Quintò nõ impediendo, quo peccant magistratus ferè non seueriter puniẽdo publica flagitia. Impediuntur enim peccata disciplina publica & seueritate legum: quæ si remissiùs exerceatur, authores legum & præsides consentiunt malis, hoc ipso quia nõ impediunt. Sextò nõ reprehẽdendo, vt indulgentes parentes & preceptores discipulorum & liberorum corruptis moribus indulgẽdo. Septimò fit etiam cooperando, dũ non solum consilium sed operã conferimus, vt Iudas in mortem Domini operam & consilium cõtulit, Scribæ consilium & pecuniam, populus acclamationes: Pilatus non impediendo promouit. Hi ferè sunt pręcipui modi & crassiores: alijs tamẽ infinitis adhuc modis sese insinuat hoc malum, nã quot peccatorũ sunt gradus: tot modis consensus tacitè nobis ignaris interdum subrepit.

III. In quos cadat, & quousque. Cùm malo consentire sit per se de genere mali, manifestum est in eos solùm cadere, qui mali sunt, vel saltem capaces mali.

Ex quo efficitur, id in Deum non cadere: cùm natura Dei aliena sint à participatione & communione mali. Fieri enim non potest, vt contraria in eadem natura, eiusdem respectu coniungantur & eodem tempore. vt idem ferrum, eodem tempore, simul eodem respectu sit calidum & frigidum, fieri non potest: in gradibus quidem remissis confunduntur aliquando qualitates, vt in aqua tepida: attamen & hoc fit diuerso respectu in gradibus extremis manifestior interim est pugna: sed natura habiles sunt, vt diuersis temporibus cõtraria admittãtur: Ratio est, quia sic disposita sunt subiecta. At Dei natura aliena est à malo: semper bona, benefica, casta. Itaque nunquã consentire dicitur malo.

Scriptura Deo tribuit creare malũ: sed non loquitur de natura mali, vt est culpa, sed de malis, id est pœnis: sic dicitur nullum malum, id est, nulla est calamitas in ciuitate, quam non miserit Dominus. Deinde, quatenus Deus illa mala creat, mala non sunt, sed bona: quia ad vtilem finẽ inseruiũt Deo, & à Deo bona proficiscuntur: mala autem dicuntur propter pœnas, & sensum doloris, quem homines simpliciter in malo ponũt. Quod autem Deus tolerat mala in mundo, non facit ad hanc causam: aliud enim est tolerare malum ad tempus, aliud eidem consentire. In familia paterfamiliàs multa fert, quę eidem displicent, vel quia corrigere non potest, vel hoc tempore non vult, vel sine maiori malo non licet castigare. fert igitur, non tamen consentit, nec placent ei mores domesticorum. Sic Deus ad tempus fert mundi scelera, quia nouit quando & quomodo vtilissimè castigari & corrigi possint. Simile.

Cadit igitur hoc propriè in hominem & Angelos malos. Sed de homine tantùm hîc loquamur. In Adamum cadere potuit: qui licet nondum esset malus, natura tamen mali capax in illo erat, quod experientia satis comprobauit. Sed quomodo id euenit in naturam bonam? Respondeo, cùm malum sit boni destructio, &, vt Iustinus vocat ἐκτροπὴ τοῦ ἀγαθοῦ, hoc est, euersio boni, faciiis fuit ratio: nam in Adamo voluntas erat libera, &, vt loquuntur, vtrobique vertibilis: itaque admittendo Satanæ consilia, boni in ipso facta est destructio per assensum & pœnas consequentes. Sed cur Deus permisit cùm prohibere potuisset? qua ratione consensisse videtur, non prohibẽdo, vel impediendo. Respondeo, Deum palàm prohibuisse data lege, qua Domini volũtatem Adamo explicabat, & insuper pœnas non eloquẽti declarabat, atque id satis erat ad præsens. Impedire autem non debuit: quia homini serat ad bonum flectere voluntatem, quam ad malum inclinare poterat. Itaque culpa manet in eligente Adamo.

In Adamo voluntas erat libera.

Tertiò, post lapsum cõsensus ad malum cadit promiscuè in omnes ante regenerationem: Nam cor hominis ad malum pronũ est à pueritia sua, adeo vt ex sua natura nihil aliud norit, quàm malè agere. Nec manet hîc illa vis vertibilis in vtrunque vt ante lapsum, sed malum per nos velle possumus & approbare, bonum verò non perinde.

Volũtas Adami post lapsum nõ fuit libera.

Quartò, regenerati, quatenus spiritu Dei ducuntur, malo non amplius consentiunt, sed bono quod in illis operatur gratia Dei. Probatur exemplo Pauli ad Roman. 7. *quod operor non probo, non enim quod volo, id facio: sed quod odi istud ago.* Item, *non ego, sed inhabitans in me peccatum hoc operatur.* Item, *velle mihi adest, sed facere bonum non reperio:* &, *non enim quod volo bonum facio, sed malum quod non volo, hoc facio:* &, *delector enim lege Dei, secundùm interiorem hominem.* Item, *video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuantem me*, &c. aliisque multis sententiis ex eodem capite ostendi potest. Nam eò tendit Apostolus vt ostendat se nullo pacto consentire malo, quanquam id faciat, imò violenter quodam modo rapi naturæ improbitate: ideo translatione vsus, culpam omnem transfert in carnem & illius prauitatem. Sed discrepant malum facere & malo non consentire, quia manifesta est distinctio Apostoli, quòd secundùm interiorem hominem, hoc est, quatenus renatus est consentit cum lege Dei, & hanc approbat, & eatenus malo nunquam consentit. Secundum interiorem autem hominem mala facit, quia alligatus est carni, quæ legem sequitur membrorum, atque illa dictat peccata. Peccatores igitur manent, sed inuiti: hinc lucta illa spiritus & carnis, & exclamationes illæ, *cupio dissolui & esse cum Christo.* Item, *miser ego homo! quis liberabit me de corpore peccati istius?*

Quæri hîc solet, quousque igitur extendatur consensus iste? Exempli gratia, ma-

gistratus in sua Republica fert idololatras, item vicinos habet idolis deditos, videbitne consentire malis istis, nisi extirpet? Item, Ecclesia fert impios, adulteros, ebrios, & similes: videbuntúrne boni consentire illorum peccatis, nisi extirpent, aut ab illis cesserint? Ad has duas quæstiones breuiter respondebimus, quantùm postulat locus, alibi fortè idem tractaturi argumentum: de magistratu ergo agamus priori loco, mox etiam de Ecclesia. Quod igiur idololatras & similes attinet, vtrique si tolli possint cum fructu Ecclesiæ, dubium non est quin id fieri debeat. At magnæ est prudentiæ videre an fieri possit. Ingrediamur autem rem hoc pacto.

Responsio.

Idololatræ vel sunt in illius magistratus dominio, vel ab illius iure sunt alieni. Quòd si magistratus pius inter suos subditos habeat idolis deditos, omnibus modis elaborandum est, vt illos tollat. Fiet autem hoc pacto. Primùm adhibenda est necessaria institutio. Cùm enim fides sit ex auditu, omnino à doctrina res est inchoanda. Deinde Christus à doctrina quoq; propagationē Euāgelij est exorsus, & Apostolis eandem formam commendauit, Ite in vniuersum orbem, docete omnes gentes, &c. Et Deus apud suos doceri priùs legem voluit contumaces tandem extirpari. Ideóque cùm magistratus sit Dei vicarius, vtriusque tabulæ custos, Dei tanquam superioris potestatis exemplum imitari debet. Quomodo autem sit sufficiens futura institutio euētus docebit. Deinde ad leges politicas verbo Dei conformes, & disciplinam honestam cogi possunt. Addimus tertium in primis necessarium, vt exemplo honestæ vitæ, & religionis veræ ardore inuitentur ad veram pietatem. Si ne sic quidem cedant, dimitti possunt, vt alibi quęrant magistratum, qui talia ferat, aut corrigat.

Quom. pius magistratus subditos idololatras ad veram pietatē instituere debeat.

Nec possunt de vi aut coactione hîc vllo modo conqueri: nam doctrinæ sufficienti cedent sanabiles: cùm enim causa religionis ad Deum pertineat, si eum seriò quærant, non deerit seriò inuocantibus. Simpliciores verò legum honestate coerceri facilè se patientur, cùm honestatis regula rationi in primis sit conformis: vtrique verò, exemplo vitæ & cōuersationis sanctæ mouebūtur. In quam rem si incumberent Christiani, quantùm & poterant & debebant, minus haberent & sectarum & idololatrarum. Testantur Iustinus Martyr & Tertullianus, Eusebius, aliíque, Paganos & Ethnicos in genere, & nulla re magis permotos esse, vt cederent Christi doctrinæ, quàm innocentia vitę, sancta conuersatione, & officiis fraternæ dilectionis. Quo remedio cùm pigeat nos vti, mirum non est, si minus sit fructuosa doctrina vna manu ædificamus, altera destruimus.

Sæpe plus mouent exēpla quàm verba.

Quòd si qui contēptis istis omnibus contumaces perseuerarint, sciant se vel eo nomine damnabiles, quòd solum non vertunt. Nec est quòd cōquerantur magistratus armari ad cędes: nam verbum Dei idololatram non solum vertere, sed mori iubet. Pietati tamen conforme est, vt sanctus magistratus ad extrema illa cauteria doctrinam sufficientem adhibeat, & efficiat omnibus modis, vt apud reliquos honestæ conuersationis illustre extet experimentū. Hanc formulam videmus sacris literis esse conformem in Iosuę & Ezechiæ exēplis: & Christiani principes Constantinus, Valentinianus, Theodosius illorum vestigia sequentes idola legibus prohibuere per totum Rom. imperium: nec dubitarūt in rebelles seueriùs animaduertere: leges require in Codice iuris, historias apud Eusebium & Nicephorum.

Alia est ratio de idololatris, qui extra dominium magistratus nostri viuunt: hos si pius magistratus negligat non potest illorum peccatis consentire. Ratio est, quia illius curę non sunt commissi. Nam vt familiæ distinctę sunt, ita & Respublicæ & dominia. Et est curiositas intolerabilis & nocens, aliena quæ tibi commissa non sunt scrutari, quasi non sit domi, quod corrigas & emendes. Dominus suo populo non præcepit vt alios fines inuaderent, aut bella inferrent propter idololatriā, sed suę terræ solùm iussit euertere altaria, Deut. 7. Et cùm magistratus sit custos pietatis ac pacis, cauere debet, ne pro pace seditiones, offendicula, persecutiones impiorum in fideles concitet, & dum corrigere vult quos non potest, deteriores reddat: cogitet diligenter bella non necessaria, non esse commouenda. Si verò docendo & instituendo aliquid proficere possit, vt pij & ad hoc idonei oblatis occasionibus doceant, quod si non liceat vicinorū impatiētia, functus est suo officio magistratus, nec videri potest ad illorum peccata consentire. Bellum inferre solius religionis nomine Deus non vult: sua est illa expeditio, & alio genere militiæ administratur. Christus docere iussit: & vbi doctrina nō admitteretur, idē iussit fugere & cedere: idem suo exemplo præstitit: & Apostoli idem fecere. Paulus Athenis reprehendit modestè idola: Athenienses cùm perseuerarēt in suo cultu, Paulus cessit, non ad vim sanctos inflammauit. Hoc consilium August. quoque approbat, serm. 6. de verbis Domini, docens Paganos suo tempore retinuisse illas abominationes in fundis suis, quos tamen Christiani per vim non inuaserint.

Bellum inferre solius religionis nomine nō licet.

Quantùm mali præpostera illa & importuna curiositas religioni semper attulerit, clamant omnes historiæ. Illustre tamen illius habes exemplum libr. 10. Trip. cap. 30. de quodam Abda qui Episcopus apud Persas violenter idoli templum exussit: vnde dira persecutio Christianorum per annos triginta, est consecuta. Et nostra tempora domesticum nobis prębuêre exemplum satis luctuosum: quo didicimus, quid sit per vim aliis qui nobis subiecti

iecti non sunt, religionem veram obtrudere. Donum Dei, inuito Deo aliis conferre non potest, nec conari quidem id debemus: *ne margaritum canibus & porcis præbeamus, qui cõuersi nos lacerant, & pretiosum margaritum conculcant.* Hactenus de magistratu, quatenus videri possit consentire malo.

Altera quæstio de Ecclesia facilior est: aliud est enim ferre sceleratos, & aliud illorum sceleribus consentire vel communicare. Ferre malos scriptura concedit imò iubet, consentire autem illis prohibet. Itaque hæc duo simul stare possunt: alioquin frustra illud concederetur. De ferendis malis extat parabola zizaniorum Matth. 13. Exemplum Christi, qui tulit Iudam: discipulorum, qui tulerunt in Iudæis & Gentibus conuersis etiam multa, quæ pro tempore corrigi non poterant.

Est autem discrimen hoc obseruandum. Aliud esse de magistratu loqui, aliud de priuatis. Magistratus officium est infirmos ferre quidem: sed erudiendos sibi sciat: palàm sceleratos corrigendos seueritate disciplinæ legum ciuilium.

Priuatis satis est ferre vtrinque vtrosque, emendare autem quoties fert, exemplo & doctrina. Si parum vel nihil etiam proficiat, non habet ob id causam secedendi. Nec est quòd contaminationem metuat, modò non consentiat sceleribus: nam discipulis reliquis non obfuit Iudæ conuersatio: Philippum quoque non infecit Simonis familiaritas: & quia scriptura pronuntiat quemuis onus suum portaturum, & singulos recepturos suorum operum mercedem: item quemuis in sui probationem incumbere iubet, nihil ad me attinet in communione Cœnæ Domini, in cœtu publico cùm audio verbum Dei, quales singuli sint mecum participantes: singuli sua fide vel viuent, vel impietate damnabuntur. Non ergo pro illis teneor, modò non consentiam.

Quòd si illi successionis tam auidi, mihi possent monstrare cœtum purum, aliquid mihi viderétur dicere: sed dum vitare iubent Charybdim, incidunt in Scyllam. Corruptos enim cœtus instituunt, & sequuntur, & simplices dubitatione implicant, à qua non possunt eos explicare: deserũt ordinarium Dei vicarium, hoc est, magistratum, cui vel impio obedientiam debebant, modò Deo nihil aduersum præciperet. Sed illa suo loco discutientur, quia alterius argumenti sunt, nec de cõsensu in illis per se agitur, &c.

DE PECCATO IN SPIRITVM SANCTVM.
LOCVS IX.

PECCATVM in Spiritum sanctum solet scriptura diligenter à reliquis peccatis separare, primùm priuata quadam malitia: deinde grauitate pœnarum. De pœnis deinceps suo dicemus loco, iam de natura huius mali pauca afferemus. Christus Mat. 12. appellat τὴν τοῦ πνεύματος βλασφημίαν blasphemiam Spir. S. Et mox λόγον κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου. Sermonem contra Spiritum S. Satis autem dilucidum est, quantùm conuitium vel blasphemia à peccato differat. Non solùm quantùm species à suo distat genere: sed pondere ac malitia: cùm blasphemia maledicendi & criminandi habeat studium res per se bonas. Simile discrimen est in ipsa voce blasphemiæ. Nam obiectio plurimùm differt. Multum enim refert, fiatne conuitium in hominem purum, an in filium Dei, aut in Spiritum sanctum. Et cum Christus supremum gradum faciat conuitij in Spiritum sanctum, vtique manifesto discrimine id nobis depinxit. Simile est discrimen apud Hebr. *geduph* & *gedupha*, quibus vocibus vtitur Matth. quæ calumniam & opprobrium seu conuitium significant cum *chatab* simplex & in genere sit peccatum. Λόγον κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, apud Heb. est *dabbarngalruac hakkodhesch*, hoc est, verbum contra Spiritum sanctum, quo oratio etiam continetur, qua rem Spiritus sancti, hoc est, opera eius calumniantur impij. Ioannes 1. epist. cap 5. appellat peccatum ad mortem, pro quo orandũ non sit. Quibus magnitudinem peccati & finem expressit. Ingens enim oportet vt sit, pro quo preces fideliũ non ampliùs valeant. Nam quòd ad mortem faciat, poterat id commune videri ipsi cum omnibus peccatis. Nam ex sua natura reuera omne peccatum, & omne malum ad mortem spectat, merebatur etiã mortem. Verùm hoc singulariter ad mortem dicitur peccatum, quia ei nulla sit spes redemptionis, nulla sufficiẽs hostia, sed in morte, quam meretur, manet. Quòd autem tale aliquod sit peccatum, satis declarat Christus Matth. 12. Luc. 12. Mar. 3. Est & exemplum ibidem propositum in Pharisæis. Dicebant enim spiritum immundum habet. Hoc ipsum erat peccatum in Spiritum sanctum, digitum Dei appellare & ascribere spiritui immũdo. Et 1. Ioan. 5. *peccatum ad mortem*, hoc ipsum Christus dixit irremissibile. 1. Tim. 4. Cauterio notatam habent & propriam conscientiam, κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν, iidẽ sunt, qui agnitam veritatem criminantur & respuunt. Quod cùm proprium sit dæmonum, Apostolus de ipsis loquitur: studium tamen & idem ingenium membris satanæ tribuitur, quæ per ψευδολογίαν, id est, mendacium Spiritus sancti opera

Omne peccatũ sua natura est ad mortem

traducunt. Eodem pacto de hæretico homine loquitur Apostolus, Tit.3. nam dum αὐτοκατάκριτον appellat, satis ostendit propria cõscientia damnari, nec superesse vllam veniæ spem. D. Petrus 2. epist. 2. ad finem eodem modo loquitur de lapsis. Et inquit impleri in eis prouerbium: *Canis reuersus ad vomitum, & sus lota ad volutabrum cœni.* Quibus ostendit non stabiles esse in seruanda pietate: sed naturali quadam malitia odisse veritatem, amare peccatũ & cæcitatem, ideòque redire ad conuitia, blasphemiam, & subsannationem veritatis: quam tamen non obscurè intelligere poterant. Huc faciunt etiam loci ad Heb.6. & 10.

Obiect. Quòd verò nonnulli dicunt, Non esse vllum tale peccatũ statuendum inter Christianos, post Christi mortem & meritum: Primùm quia vniuersalis sit promissio Christi in Euangelio de remissione peccatorum Matth.11. Venite ad me omnes, &c. Deinde quòd Ioannes etiam asserat, Hic est agnus Dei tollens peccata mundi, ex quo effici videtur, nullum esse peccatum, pro quo non satisfecerit: hinc nullum est irremissibile, & ob id etiam in Spiritum sanctum non est ad mortem.

Respon. Primùm, hos scire oportet, Christum sibi non pugnare: & cùm idem Christus dixerit: *Venite ad me omnes,* item, *Qui autẽ dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in præsenti seculo, neque in futuro,* nostrum est nulla contradictione hæc inuoluere. Deinde nulla etiam est reuera pugnantia. Nam qui in Spiritum sanctum peccant, ad Christum non veniũt, etiam vocati, quare & Christus suo munere fungitur. Vocat omnes ad se, & firmam spem salutis promittit. Quòd autem eam non omnes consequantur, culpa residet in his, qui vocanti non parent.

Idem dici potest ad locum Ioannis 1. Nam Christi victima vniuersalis est, tollens peccata mundi: non tamen sequitur vniuersaliter omne peccatum expiasse, sed credentium solùm. In impiis enim manet peccatum non solùm actu, sed pœnę peccati quoq; remanserunt. Vt condemnatio, mors, infernus. In fidelibus autem pœnæ sublatæ sunt per Christi victimam, hoc est, mors æterna & condemnatio. Nam pœnæ temporales interdum hos etiam consequũtur. Vt exilium, bellum, pestis, fames, quæ pios magis interdum vrgent, quàm impios. Verùm argumentum loquitur de pœnis æternis, ad quas solùm dicimus esse sublatas, quòd ad pios attinet: cùm meritum Christi solùm credentibus sit salutare, ad impios autem nihil pertineat. Cæterùm hi non tam peccatum in Spiritum sanctum his rationibus impugnant, quàm omnes in genere peccatorum pœnas tollunt. Quare alio loco his copiosiùs est respondendum. Quid autem hoc peccatum sit, expendamus. Augustinus sæpius finalem

Definitiones aliquot peccati in Spiritum S. impœnitentiam ait esse. Vt epist. 50. hoc autem est duritia cordis, vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat in vnitate corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum, &c. Et in sermone 11. vbi hanc quæstionem ex professo tractat, sæpiculè impœnitentiam appellat. Et ipsa ergo impœnitentia est species blasphemiæ, quæ non remittitur, nec in hoc seculo, nec in futuro, &c.

Ex quibus colligi potest Augustino peccatum in Spiritum sanctum fuisse finalem impœnitentiam cum veniæ diffidentia.

2. Alij aiunt esse inuidere gratiæ collatæ in fratrem. Cui non est dissimile quod scribit Augustinus quoque, inuidentiæ facibus agitari, in sermone Domini in monte, describens peccatum ad mortem.

3. Scholastici definiunt esse illa abiicere, quæ peccandi possent propositum impedire. Vt cùm impio occurrit seueritas diuini iudicij & pœnarum grauitas, ea verò sic eludit, vt in peccato suo ausit progredi, peccatum aiunt esse in Spiritum sanctum.

4. Magis autem perspicuè videntur dicere, qui dicunt esse totius hominis apostasiam. Ea enim demũ est finalis impœnitentia, quæ secundum duritiem cordis sui thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei. Tales sunt peccatores qui conuicti de veritate, nihilominus tamen eidem repugnant studio nocendi. Nam qui ignorãtia ducti idem

Qui peccent peccato in Spir. S. faciunt, cum Apostolo dicere aliquando possunt, *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* Vt ignorantia cum incredulitate iuncta excusat, ita notitia cum eadem iuncta inexcusabilem facit.

Perspicuum igitur est committi peccatum hoc, ab iis qui veritatem agnitam impugnant: & sic impugnãt, vt in pertinacia perdurent. Id dixit Augustinus finalem impœnitentiã. Nec Augustino obstat, quod Christus inquit in hoc seculo non remitti. Non enim negat Augustinus in hac vita committi: sed ait finaliter cõmitti. Et quod ad finem vsque vitæ committitur, id vtique committi solet. Sed illud asserit Augustinus non esse nostrum de eo facilè iudicare, vt sub specie peccati in Spiritũ sanctum, velimus pœnitentiam etiam negare lapsis, ideóque iudicium nostrum suspensum esse vult vsque ad reprobi mortem. Hinc illa Augustini pia sententia, Sed ista impœnitentia, vel cor impœnitens, quandiu quis in hac carne viuit, non potest iudicari. De nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad pœnitentiã adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impij, sed vt reuertatur, & viuat. Paganus est hodie, vnde scis, vtrum sit futurus crastino Christianus? Iudæus infidelis est hodie, quid si cras credit in Christum? hæreticus est hodie, quid si cras sequatur catholicam veritatem? schismaticus est hodie, quid si cras amplectatur catho-

licam

licam pacem? Quid si isti, quos in quocunque genere erroris notas, & tanquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant pœnitentiam, & inueniant veram vitam in futuro? Sic scribit etiam epist. 50. non esse desperandum de his qui sunt adhuc in corpore. Quare in hac vita committitur, & est irremissibile in illis ipsis, qui id committunt: & tamen nobis de his non facilè constat. Longanimis est Deus, docet ergo & nos tardos esse ad condemnandum, speremus meliora, non iudicemus quicquam temerè ante tempus.

Scholastici hoc peccatum in species aliquot distinxerunt: sic hodie etiam nonnulli species eius enumerant. Sed non video, quomodo species diuersæ sint, quod vnum speciei scriptura facit. Scholastici ei sex species faciunt, præsumptionem misericordiæ Dei, eiusdem desperationem, veritatis impugnationem, inuidiam fraternæ gratiæ, obstinationem, & impœnitentiam. Sic hodie à nonnullis eadem fermè inter species recensentur paululum mutato ordine. Nam sic recensent. 1. Extrema impœnitentia. 2. desperatio gratiæ. 3. tueri peccata sua, & ex his facere bona opera. 4. perseuerare in abnegatione agnitæ veritatis. 5. indies ad deteriora relabi. 6. Antichristi manere membrum & eius notas ferre, &c. — *A quibusdam peccatum in spiritum in aliquot species diuiditur.*

Non sunt illæ species, sed propria huius peccati: quibus, vt certa & vnica peccati species à reliquis separatur. Quò pertinent & alia. Vt gratiam Christi aspernari, spiritui Dei reluctari, cauteriatas habere conscientias, & tandem fieri αὐτοκατάκριτος, id est, propria conscientia damnatos.

Causæ huius peccati rectè recensentur. Satan ἀρχέκακος, qui interitu hominis delectatur. Deinde hominis innata malitia, naturæ corruptela, durities cordis humani, quod ad omnes cōmonefactiones rigescit & obrutescit. His accedunt exempla mala antecedentia. Iulianus habet exēpla tyrannorum, quos imitari vult crudelitate. Sic Porphyrius, sic alij vestigia quædā præcedentia sequūtur. — *Causæ*

Porrò quòd irremissibile dicitur hoc peccatum, id ad pœnæ grauitatem pertinet, quo propriè & verè separatur à reliquis peccatis, quæ remissibilia sunt. Dicitur autem irremissibile, quia tales pœnitere non possunt. Et cùm solis pœnitentibus proponatur spes remissionis peccatorum, sequitur solos impœnitentes excludi. Ex quo conficitur propter impœnitentiam solam dici irremissibile. Hinc Ioan. Baptistæ & Christi concio, similiter Apostolorum initia sumpsere à prædicatione pœnitentiæ: Clamant enim μετανοεῖτε: vt est videre apud Matth. 3. & 4. Cum hac causa concurrent aliæ multæ, vt aspernari media salutis, non deprecari culpam, carere fide. Nam licet agnoscant peccatum etiam in desperatione: tamen nulla consolatione sese possunt erigere, veniam petere non possunt. Sic eleganter inquit Augustinus, Huius peccati tanta labes est, vt deprecandi humilitatem subire nō possit, etiamsi peccatum suum mala conscientia & agnoscere & annuntiare cogatur. Cùm enim dixisset Iudas, Peccaui tradens sanguinem iustum: faciliùs tamen desperatione cucurrit ad laqueum, quàm humilitate veniam deprecatus est, &c. Dicuntur irremissibilia etiam interdum peccata, cùm de pœnis externis scriptura loquitur. Vt Ierem. 14. Noli orare pro populo isto in bonum, &c. Hieronymus addit, Qui enim semel gladio & pesti fuerit destinatus: nullis precibus erui potest. Vnde Prophetæ dicitur, ne frustra roget, quod impetrare non possit. — *Cur peccatum in Spir. S. dicatur irremissibile. Iudæ pœnitentia qualis extiterit.*

DE HVMANITATE CHRISTI.
LOCVS XI.



DE Christo acturi, de veritate carnis Christi tractabimus, propter eos qui hodie illā cœlestem, diuinam & minimè naturalem esse contendunt. Et quanquam veram carnem esse dicant, tamen naturalem negant, quin potius creatam nominare illis placet. Quæ cùm tueri velint, reddenda illis erat certa & constans ratio, quid natura à creatura & veritate differret, vt constaret quid creaturæ & veritati proprium esset, à quo natura exclusa, carnem Christi naturalem dici minimè ferret. De eo igitur iam agemus, hoc facto principio.

De Christi humanitate alij aliis crassiùs errarunt. Quidam enim dixerunt, solam creaturā esse, nec alio differre Christum ab aliis hominibus, nisi quòd excellentia quædam officij & dignitatis aliis hominibus à Deo sit prælatus: & quod illius ministerio Deus sit vsus in creatione rerum. Primùm enim Christum fuisse creatum, & per hunc reliqua omnia: quos studiosè refutat Epiph. Hi quidem veritatem carnis non negarunt, sed diuinitatem in eadem persona non cognouerunt. Deinde de conceptione & natiuitate non rectè senserunt, cùm Messiæ corpus creatum dicerent ante omnes creaturas, nō verò in tempore assumptum ex Virginis carne. — *Sententiæ absurdæ de carne Christi. Vide Epiph. Iren: lib. 3. cap. 32. Epiph.*

Alia via ingressus est Appelles qui & ipse veritatem carnis non negare visus est: attamen

ex virgine Maria non assumptam dicebat : sed ex quatuor elementis sibi ipsi congregasse corpus.

Iren. li. 1. cap. 23. & 52. Epiph.

Ebion ex semine Iosephi conceptum asseruit : qui & ipse de veritate carnis non visus est dubitare: sed de conceptione & natiuitate nihil rectè sensit.

Alij crassiùs humani corporis veritatem negarunt, & quidam φάντασμα esse dixerunt & ἐν φαντασίᾳ solùm apparuisse, hoc est, in apparentia, qualis fuit Basilides, Saturninus, Cerdon, Gnostici & similes : ideo dicebant Christum non fuisse cruci affixum à Iudæis, sed illius loco Simonem, & per Mariam solùm fuisse mundo ostensum, nihil autem de illius substantia accepisse.

Athanasius narrat Arrianos etiam dixisse corpus deitati fuisse consubstantiale, quod alij expressiùs dixerunt non ex Maria sumptum, sed ex diuinitate factum. Hodie quidam cœlitùs allatum affirmant. Thammerus verò naturalem esse negat, diuinam autem, veram, spiritualem, & creatam dicit initio à Deo in paradiso in sua integritate & perfectione : quæ quàm absurdè & contra mentem scripturæ dicat, ex rationibus illius facilè intelligimus.

Absurdæ rationes Thammeri.

Primùm (inquit) corpus Christi non est productum ex causis naturalibus: ergo non est naturale, quod si roges quomodo id accipiat : respondet naturam fato agere & necessitate, hoc est, Datis causis antecedentibus, nó posse non produci tale corpus. At Christi carnem, volũtate assumptam, non necessitate: ergo non est naturale.

Responsio ad primam rationem.

Respondeo, à naturæ actionibus malè illum separare creatoris voluntatem : & quanquam natura non agat voluntate, sed vi insita: tamen in causis naturalibus, prima est volũtas Creatoris, qui hanc vim volens naturæ dedit : ideo salua natura per eam, volens agit quod vult: deinde positis causis naturalibus, necesse est sequi tale effectum. Itaque & id falsum est, quod inquit, nempe non absoluta necessitate assumptam carnem : necessitas enim καθ' ὑπόθεσιν fuit, hoc est, quia promisit Deus ex semine mulieris, postea ex semine Dauid, ideo fuit necessum ad veritatem promissionum vt carnem assumeret λόγος. Non autem sequitur, Ergo inuitus assumpsit: quia non excludit voluntatis assensum ista hypothetica necessitas, sic in gubernatione mundi dicimus necessum esse vt conseruetur à Dei potentia, si modò conseruari debeat. Item necessaria fuit redemptio humani generis, & necessum est scandala fieri: quæ omnia voluntatem simul includunt agẽtis. Ideo dicimus assumptam à Filio Dei carnem necessitate promissionum complendarum, non autem vlla coactione violenta.

Filius Dei assumpsit carnem necessitate promissionũ complendarum, nõ coactione.

Quod autem Fati hic mentionem facit: non agnoscimus illius aliquã vim in naturalibus, nisi quatenus significat certam causarum seriem : quod si dabit, vt cogitur dare, suo argumento illum constringimus. Naturalia dici debent, quæ certis causis naturalibus fiunt & producuntur. At caro Christi naturalibus causis producta est, materiam enim dedit virginis caro, efficiens est ipse λόγος assumens, vel vt Angelus inquit, Virtus Altissimi, qui naturæ author est. Est igitur caro Christi naturalis, ratione causæ materialis & ratione seriei, quia certo tempore est conceptus in vtero Virginis, naturali spatio in vtero formatus, gestatus, natus, educatus, quæ omnia naturæ seriem arguunt.

2 Obiectio Thammeri. Responsio.

Sed hîc exclamat non esse conceptum ex semine viri. Hoc quidem damus & libenter : sed id nihil derogat naturæ. Primùm ordo naturæ à Deo præscriptus requirit quidem marem & femellam, ad hominis generationem : sed is ordo Deo non præscribit eandem legem. Potest enim Deus carnem naturalem facere eo ordine non per omnia seruato : sicut Christus dixit Deum posse filios Abrahamo excitare ex lapidibus. Et Adami caro vtique naturalis fuit caro, similiter & Euæ, tamen non sunt eo ordine producti, Adam ex argilla terræ est formatus, Eua ex costa viri: interim veri homines, naturalísque eorum caro fuit.

3. Obiectio. Respon.

Interim hic excipit non esse naturalia dicenda quæ naturaliter non fiant : caro Christi non est naturaliter concepta, ergo naturalis non debet dici. Primùm nego illi formam syllogismi, quia malè negantia cõnectit omnia : ideóque nouisse debuerat, ex puris negatiuis nihil effici. Deinde hîc non quæstio est de modo conceptionis, sed de veritate carnis: & longè aliud est dicere, Christi caro est naturalis, & Christi caro est naturaliter concepta, quia posterius modũ inducit, prius veritatem carnis solùm. Naturalem esse inde constat, quia in vtero matris est concepta, quia nouem mensibus formata, & naturaliter nata, eadem etiam caro creuit more aliorum hominum, sensit sitim, famem, lachrimas & similia, quæ in hominem verum cadere possunt, excepto peccato. De modo autem conceptionis, alia est quæstio. Illum supernaturalem esse concedimus. Hinc Esa. 7. dicit. Ecce Virgo concipiet, quasi rem nouam & stupendam. Item Daniel, lapidem sine manibus à monte auulsum, & Angelus, Virtus, Altissimi obumbrabit te, quæ indicant præter naturæ ordinem concepisse Virginem.

Caro Christi est naturalis, etsi naturaliter non sit concepta.

4 Obiectio. Responsio.

Virgo non solùm cõcepit, sed peperit quoque Virgo, quod non est naturæ. Respondeo diuersa esse illa duo. Conceptio quidem supernaturalis fuit, quia sine viri semine facta est : at natiuitas interim naturalis fuit, tempore perfecto, fœtu nono iam mense & more aliorum infantium nascẽte. Præterea naturalis caro virginis non potuit aliam quàm naturalem dare infanti : nec aliam peperit, quàm dederat : semper in his formis loquendi, peccatum

5. Obiectio. Responsio.

catum volumus exceptum. Sed addit, Tota natura damnata est, adeo vt omnis caro sit maledictioni subiecta. Eph. 2. *natura filij iræ.* Psal. 51. *in peccatis cõceptus sum*, &c. Primùm plus dicit hic quàm ex scriptura habeat: nam psalmus in persona Dauidis loquitur solùm de hominibus aliis, quales ex semine viri nascimur, nõ de Filio Dei, qui homo factus est sine coniunctione viri, & Apostolus, natura filios iræ dicit homines peccato subiectos: quod nihil præscribit Christo, qui est verus homo & non filius iræ, sed dilectus in quo Patri complacitum est. Itaque non debuit diuersa sub eandem regulam ponere, contra Apost. & Dauidis mentem. Hinc perspicuum est plus illum dicere quàm verum sit, falsa enim est illa, Omnis caro maledictioni est subiecta, quia Christi caro non est subiecta, & electorum caro non est subiecta: cum gratia Dei & Christi merito liberata sit à maledictione. Nec tota natura damnata est, quia Angelorũ natura non est damnata & Christi natura non est damnata. Itaque totam & omnem restringat ad suam speciem, hoc est, hominem post lapsum, & sub lapsu viuentem: quod si faciat, facilè apparebit Christo nihil hic derogari.

Non omnis caro est maledictioni subiecta.

Idem dicimus ad illud, Caro & sanguis regnum Dei non possidebit: in quo vel stupidus est, vel malitiosus. Nam cuiuis perspicuum est, carnem & sanguinem hic accipi pro facultatibus naturalibus corruptis, & destitutis spiritu & gratia Dei, quæ ad Christum torquere, summa est blasphamia. Nostra enim caro & sanguis, corrupta non possidebunt, suis viribus regnum Dei, gratia Dei destituta. Interim Christi caro & sanguis sedent ad dextram Dei Patris in regno Dei, vera caro verúsque sanguis. Nostra etiam caro vitam æternam possidebit, gratia Dei restituta, &c.

6. Obiectio. Responsio. Caro destituta gratia Dei, non possidebit regnum cœleste.

7. In reliquis argumẽtis manifestior est ἀσυλλογιστία. Nam quòd colligit, Caro Domini est vera caro, Ergo non est naturalis: non video vllam probabilem rationem consequentiæ. Verum enim & Naturale non sunt opposita aliquomodo in rebus creatis, imò simul subsistũt. Verum dicitur in rebus creatis τὸ ὑφιστάμενον quod subsistit, suæque speciei respondet: Sic naturale quod naturæ legibus respondet. Quod autem Deo alij modi noti sint & possibiles, nihil concludit à posse ad esse. Deus potest ex lapidibus excitare filios Abrahæ, non tamen facit: & quod Adam veram habuerit carnem, non tamen naturalem, falsum est: nam nos naturam ex Adamo trahimus: quam si non habuit, quomodo eam nobis communicauit? Itaque falsa est subtilitas, qua verum à naturali distinguit.

7. Obiectio. Responsio.

8. Falsa est & illa distinctio carnis, quod alia sit in initio creata in sua integritate & perfectione: quæ sicut alia omnia à Deo condita, bona erat, ex quo genere sit caro Christi: & ita solùm concedit hanc naturalem esse & dici posse. Id falsum esse inde constat, quia eadẽ species est carnis: nec alius Adam post lapsum conditus à priore diuersus ratione carnis, sed idem Adam, ante & post lapsum, peccato solùm in eius carne discrimen statuente.

8. Obiectio. Responsio.

Colludit istud argumentum cum Apelle & aliis, qui vel ex 4. elementis congregasse sibi corpus Christum dicebant, vel ab initio creatum esse ante reliquas creaturas Messiæ corpus dicebant, quos diligenter Epiphanius confutat. His ferè rationibus Thammerus conatur Christo adimere naturalem carnem, creatam interim concedens. in quo illa est etiam manifesta absurditas, quod naturam & creaturam pessimè distinguit & opponit. Primùm, inquit, creatura latiùs patet quàm natura. Contrà veritas dictat naturam latiùs patere: siquidem id latiùs patere dicetur, quod est capacius & pluribus commune.

Nunc verò natura in Deo est, qui de creaturarum censu est exemptus: itaque est manifestum naturam latiùs patere. Et quod de Adamo affert, quod sit creatura, non autem naturalis, falsum est, cùm in Adamo & natura sit & creatura simul: creatus enim est à Deo, & illi insita sua natura, quam posteritati dedit, licet corruptam: ratione tamen carnis, naturalis mansit, & creata caro fuit.

Natura & creatura quomodo differãt. Natura latius patet quam creatura.

Deinde falsum est illud quoque discrimen, quòd natura omnis damnationi subiecta sit, creatura verò non sit. Primùm enim non omnis natura humana est: cùm Angeli bona natura constent, & à damnatione sint exempti. Deinde creatura non simpliciter maledictione est exempta, sed noua saltem & regenerata per Christi gratiam, item illæsa illa & nondum infecta Adami peccato. Sed ad alia pergamus.

Error Thammeri.

9. In 1. ad Cor. 15. ait Apostolus, Primus homo de terra, terrenus, secundus autem Christus ipse de cœlis: ex quo contendunt Christi carnem non esse naturalem. Sed respondemus Apostolũ loqui de tota persona Christi, quam opponit Adami personæ, Adamus terrenus, Christus cœlestis: sic posteritas Adami est terrena, Christi cælestis. Hunc sensum dictat ratio antitheseωs. Nunc à tota persona colligere ad singulas naturas non conuenit: quia toti personæ tribuitur, id quod vnius est proprium. Christus Dominus est de cœlis, quia diuina natura creatrix est & gubernatrix rerum omnium: nec oportet contentiosè inferre, ergo natura quoq; cœlitus est allata, quia hæc de virgine est assumpta: nec tantùm deest ratio, qua humanitas quoque dici posset de cœlo, vel cœlestis: quia diuina ratione est concepta, sine opera viri, modo diuino: item à peccato mansit illæsa, quod & ipsum diuinitatis est argumentum: innocenter quoque conuersatus est Christus inter homines: quorum respectu, rectè inquit Apostolus, Christum esse Dominum ipsum de cœlis.

9. Obiectio. Responsio.

10. Obiectio. Respon. 10 Sic cùm ait Christus apud Ioan. 2. Ego è supernis sum, res debet accipi sui respectu deitate scilicet è supernis sum: vitæ quoque innocentia, moribus, benefaciendi studio, officio redimendi humanum genus, sanandi ægros incurabiles, & aliis quæ ad Messiam spectant. Interim carnis assumptæ veritas manet.

11. Obiectio. Respon. 11 Matth. 1. Angelus inquit Iosepho, *quod in ea natum est è Spiritu sancto est*: ex quo concludunt, Ergo in illa natus est, non ex illa. Sophisma est ineptum. Nam Angelus de fœtu loquitur communi loquẽdi more, quo solemus dicere fœtum in vtero matris nasci, non negantes ex substantia matris eũdem & nasci & ali. Sic Angelus Iosepho inquit fœtum hunc à Spiritu sancto conceptum in illa, distinguens conceptionis modum à communi aliorum modo: quasi dicat hic fœtus non ex viri semine est conceptus, sed diuino quodam modo, per Spiritum sanctum. Interim carnis assumptio de matris substantia facta est: quod declarat Paulus, cùm inquit, Rom. 1. *ex semine Dauid factum secundum carnem.* Item, *factum ex muliere* Galat. 4. Itaque non solùm in Maria, sed ex Maria quoque corpus sibi assumpsit.

Vera sententia. Statuamus igitur ex Virgine carnem assumptam esse, & hanc carnem esse nostræ consubstantialem, naturalem, connaturalem, excepto peccato, creatam, non cœlitus allatam, non spiritualem, non aliunde conflatam, non apparentem fuisse: non etiam diuinitati consubstantialem, non cum illa confusam, aut illam in carne transfusam, aut ex diuinitate carnem factam: sed vtranque naturam illæsam & integram mansisse, ambásque vnitas in vnam & eãdem personam, quod malè feriati homines negant.

Confirmatio veræ sententiæ. Veniamus ad nostræ sententiæ confirmationem. Naturalem Christi carnem esse passim declarat Christus, quando se Filium hominis vocat, hoc est, natiuum hominem: ex quo efficitur naturalem esse illius carnem.

Deinde quòd Apostolus ad Rom. 1. manifestè dicat Christum factum ex semine Dauid secundum carnem: assumpsit igitur carnẽ ex semine Dauid, quod cùm non sit factum ex semine viri, sequitur ex semine matris hoc factũ, quemadmodum Deus comminatus fuit serpenti, futurum vt semẽ mulieris illi contereret caput.

Et ad Rom. 9. inquit Apostolus, ex quibus est Christus secundum carnem.

Item ad Galat. 4 factum ex muliere, inquit, suo tempore & obnoxium legi.

Præterea quomodo os de ossibus nostris & caro de carne nostra dici potuisset nisi naturalem carnem nobiscum assumpsisset, quod de illo Patres dicunt.

Ad Heb. 2. quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque similiter particeps factus est eorumdem.

Respon. Thammeri. Heb. 4 Per omnia tentatus vt homo, ergo naturalis est homo. Hîc respondet Thammerus non sequi id, Olim talis fuit, ergo adhuc talis est, alioquin lachrymas, famem, & similes naturæ infirmitates adhuc retineret: quæ tamen omnia cum forma serui li pridem deposuit. Sed reponimus, illa huc non quadrare. Nam veritas carnis humanæ, cum infirmitatibus naturalibus, confundi non debet. Has deposuisse Christum nemini dubium est: Hominem autem non deposuit, alioquin homo esse desiisset, quod falsum est. Subsistit igitur ratio nostra qua Christum naturalem hominem dicimus: quod ille negat.

8. Verbum caro factum est: ergo naturalis est homo, hoc testimonium etiam conatur eludere: inquiens alios esse modos, præter naturalem: sed errat, quia nos non de modo assumptæ carnis loquimur: sed de veritate illius contendimus. Ac suprà diximus aliud esse, dicere, λόγος assumpsit naturalem carnem & assumpsit carnem præter & supra naturam, quia in illo asseritur veri hominis assumptio: in hoc verò sermo est de modo, quem iam diximus esse supernaturalem: quia sine viri consuetudine est assumpta.

9. Naturalem carnem arguunt etiam partus, gestatio per nouem menses, educatio, passio, mores, & similia, quæ Prophetæ illi tribuunt, & Apostoli cum Euangelistis. Esa. 7. &c.

10. Habet etiam in se principium agendi naturale: quod proprium rebus naturalibus est, quomodo igitur naturalis esse negatur?

Athanasius in decretis Synodi Nicenę, Creari de Christo, inquit, dicitur, sed de homine, citans illud Solom. Dominus creauit me initio viarum suarum: & ibidem ait creatitium nostrum illud corpus ille ipse sibi induit, quo sanè nihil manifestiùs potest dici, cùm non solùm nostrum corpus, sed creatitium illud sibi adaptauit: quod absurdũ videtur hæreticis impiis.

Et Epiphanius inquit, Verè corpus de Maria habuit, sibi ipsi carnem de sancta matre efformauit, & animam ac mentem accepit, & totum id quod est homo, excepto peccato in seipsum per suam Deitatem coũniuit.

His & similibus testimoniis pleni sunt orthodoxi partres, Iren. Tertull. Hieron. August. quos hic volens prætereo, vt lectori & tempori paream, &c.

DE OFFICIO MESSIÆ.

LOCVS XI.



OFficia personas rectè describunt. Sunt enim quædam sic propria, vt ab aliis vel prorsus non possint exprimi, vel non rectè fieri:sed ad certas tātùm personas spectant à quibus solis tantùm rectè fiāt. Sic Messiæ officia ad ipsum solum spectant: alia quædam communia fecit etiam suis Apostolis. Quare discipulis Ioannis scitè respondet: Ite & renuntiate Ioanni ea, quæ videtis & auditis, &c. Prouocans ad propria officia Messiæ. Quasi velit dicere, Vera & propria opera Messiæ presto. Ergo Messias sum: Et cùm illa corā vidissent discipuli Ioannis, rectè ex illis iubet responsum Ioanni dare. Poterat enim ex his firmiter instruere suos discipulos, hūc Christū Marię filiū esse verū Messiā patribus promissum, Expendamus igitur paucis hunc locū secundū locos dialect.

Τέχνηκον Christi est munus à Deo patre ei ab æterno iniunctum, quod IN ET PRO humano genere obiret. Loquitur definitio de munere Messię incarnati. Nā alia est Filij Dei cōditio, quatenus ab ęterno, est ætern⁹, & coæqualis Deo patri. Nec illuc etiā pertinet nomē Messiæ: sed est appellatio hæc liberatoris & mediatoris, quæ officia ad incarnatū Messiā spectant. — *Definitio.*

Officium Christi Regis duplex est. Aliud internum aliud autem extrenum. — *Diuisio.* Internum est illuminare mentes nostras vera fide, agnitione Dei, & dilectione. De fide loquitur Apostolus Rom. 12. cuique Deus partitus est mensuram fidei. Et 2. Thes. 3. *non omnium est fides.* Et discipuli Luc. 17. clamant ad Christum, *adauge nobis fidem.* De vera agnitione Dei, ait Christus, Nemo nouit patrē, nisi filius: & cuicunq; voluerit filius reuelare. Sic Ioa. Baptista clamat, Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. De dilectione est locus Ioan. 13. præceptum nouum, do vobis, vt diligatis vos mutuo, sicut dilexi vos: vt & vos diligatis vos mutuò. In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter vos. — *Quid efficiat in nobis Christus interno suo officio.*

Extremum officium Christi consistit partim in doctrina, partim in operibus. Doctrina est tum legis, tum Euangelij. — *In quo consistit externū Christi officium* Legem enim inculcat Christus ad agnitionem peccatorū, & eandem interpretatur contra fraudes Pharisæorum. Matth. 5. Docet etiam sui officij esse legem non soluere, sed implere, & implendo se illi finem imponere. Doctrina de Euangelio in primis ad Christum pertinet. Ostendit eum esse vnicum mediatorem inter Deum & hominem. Sic Ioan. Baptista eum appellat agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Et epistola ad Heb. Pontificem, qui per proprium sanguinem suos liberet. Deinde ad Christi officium spectat monstrare rationem consenquendæ salutis. Nam quòd se mediatorem nobis offert, sanè magnum est: verùm quid interea à nobis requirat, obuscurum esset. Quare docet Christus à nobis requiri verā fidē, qua doctrina Christi ipsum apprehendamus, & innitamur meritis ipsius. Deinde vt professioni huic nouæ respondeat vita nostra. Quò spectat pietas vitæ, & operum bonorum studium. Denique officium Christi docentis Euangelium, est etiam instituere noua Symbola Sacramentalia. Sic Baptismus institutus, & Cœna Domini ab ipso domino Ecclesiæ tradita.

Veniamus ad officia Christi, quæ in operibus consistunt. — *Opera Christi triplicia. 1. Salutis* Triplicia ista faciamus docendi gratia. Alia sunt salutis: alia sanitatis externæ: alia etiam exempli & imitationis. Salutis appello, quæ ad redemptionem nostram in primis spectabant. Talia sunt officia Messiæ incarnati. Mori pro humano genere, cùm nulla fficiēs esset hactenus reperta hostia. Deinde expugnare satanæ imperium & inferos. Nam hic tanquam ferreus noster latebat carcer, inexpugnabilis toti mortalium generi. Tertiò, resurgere à mortuis in testimonium victoriæ & nostræ resurrectionis. Quartò, ascendere ad cœlos post victoriam, vt agat triumphum. Quintò, iudicare mundum. Sextò, tueri Ecclesiam. Septimò, intercedere pro suis. Octauò, mittere Spiritum sanctum. Nonò, donare veram iustitiā. Decimò, liberare à peccato, morte, iram patris delere, &c. Hæc & similia officia Christi, sunt salutis nostræ. — *2. Sanitatis.*

Secundi generis officia sunt, quæ concernunt corporalia bona, hoc est, externa, quæ tantùm in hoc mundo durāt: & symbola sunt veræ sanitatis animarum. Et duorum sunt generum hæc ratione obiecti. Nam vim suam Christus exercuit patim sanando mentes obsessorum, partim sanando corpora morbidorum. — *Christus duplicē efficit sanitatem in homine.* Prioris igitur generis est facultas pellendi satanam. Eam quoties voluit Christus, potenter exercuit, vt impotens sit declaratus Satan. Et quanquam ex tam eleganti domicilio humani corporis & cordis agrè interdum emigrarit: tamen Christi virtus potenter eum eiecit. Solius Christi est illud imperium contra Satanam. Posterioris ordinis sunt omnia illa miracula passim obuia apud Euangelistas. 1. Visum restituit sine omni medio. 2. gressum reddit claudis. 3. auditum aperit surdis. 4. vocem tribuit mutis. 5. mundiciem leprosis. 6. infirmis quocunque tandem morbo, plenam sanitatem. 7. mortuos vitæ restituit. — *Christus ex miraculis se verum esse Messiam docuit.* Officia hæc Christi sunt & incarnati Messiæ propria. Nam ex his docet Christus Matth. 11. Se verum esse Messiam. Ite, & renunciate Ioanni, quæ auditis & videtis. Cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiūt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuntium. Ad hæc propria officia prouocat, & ex his iubet argumentum sumere, an sit ille venturus Messias, nec ne. Et

Matth. 7. cùm in Capernaum ad vesperam curasset multos dæmoniacos, & omnes malè habentes, subiunxit Euangelista, id totum factum esse, vt impleretur dictum Esaiæ. Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit. Ex quo illud conficitur: Si Christus, Mariæ filius præstitit vera officia Messiæ, quibus eum depinxerunt Prophetæ, vtique is idem est verus Messias patribus promissus: sed præstitit illa: est igitur verus Messias, nec est alius expectandus. Porrò opera Messiæ propria hæc esse patet ex Prophetis, præcipuè ex Esa. cap. 53. vbi humilem Christi statum deplorat: & quòd in cruce eius plurimi offendantur. Officia autē eius in carne esse, edere miracula, tollere nostra peccata, mori pro nobis, &c. Sic cap. 53. Esaias apertè recenset miracula illa vers. 5. Cùm aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum reserabūtur, tum saliet vt ceruus claudus, & iubilabit lingua muti, quia effusæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in arida. Huc pertinet etiam cap. 61. Esa. vbi Christi officia in carne copiosiùs persequitur. Vt est Euāgelium predicare pauperibus, mederi cōtritis corde, captiuis annuntiare liberationem, vinctis apertionem carceris, annum domini salutis proclamare, consolari lugentes, &c. aliáque multa. Quòd autem ista rectè ad Christum trahuntur, docet Lucas cap. 4. vbi Christus in synagoga lecturus, in hūc ipsum Esaiæ locum incidit. Et locū de se ipso interpretatur, inquiens, *Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris*, &c.

Prophetæ de Messiæ officiis disertè scripserunt.

Tertij ordinis sunt, quæ ad exemplum & imitationem nobis reliquit. Quo in loco diligenter cauendum est, ne in Christo quæuis æmulemur, vt præposteri imitatores faciunt. quis enim nisi insanus præsumat ambulare supra aquis? aut reuocare mortuos ad vitam? Ieiunare 40. diebus sine omni vsu ciborum? Quare Christus quædam supra humanas vires egit, vt se Deū ostenderet: quædam vt homo fecit, vt verus declararetur homo. Ex his posterioribus præstitit nobis imitationis exemplum, vt humilitate, dilectione, constantia, sobrietate, oratione, &c. Huc pertinet cap. 13. a-pud Ioannem.

3. Imitationis. Non omnia Christi opera nobis licet æmulari.

Causæ.

Hæc varietas est officij Christi, in qua nolo esse prolixior. Expendamus etiam causarum ordinem in hoc loco.

Efficiēs.

Efficiens causa huius officij Messiæ, est Deus pater, qui filio hoc munus delegauit. Deinde filij Dei voluntas consentiens, quæ ducitur amore fratrum tanto ardore, vt cupiat eos ex animo saluos. Tertiò huc pertinet etiam Spiritus sancti efficacia cooperans. Nam spiritus ab vtroque procedit.

Materia.

Materialis causa triplex potest expendi. Primùm IN QVA. Talis est ipse filius Dei Iesus Christus, in hoc enim considerantur omnia eius officia: qui hoc tam multiplex munus obiit vita sua inter homines, morte, resurrectione. EX QVA, est æterna liberationis prædestinatio. Sic opus liberationis humanæ, materiam dat Christo exercendi suum officium. Coincidit verè æterna illa prædestinatio cum efficiente illa causa quæ impellens dicitur. Materia CIRCA QVAM apertior est. Nam huc genus humanū pertinet: quod erat erudiendū vera legis interpretatione, vt verè agnosceret peccatū & magnitudinē eius, quamtúmq; ei irasceretur Deus. Hanc doctrinæ partem Iudæi corruperant mera hypocrisi. Deinde erat erudiendum vera Euangelij consolatione ne desperaret in peccato: sed agnosceret Christi meritū, & id vera fide amplecteretur. Erat etiam redimendum morte sua: erit & tandem postremo die iudicandum. Ad obiectum igitur pertinet, primùm naturæ corruptio, quæ per solum Christum vt verum medicum emendatur. Deinde singularia peccata, quorum impulsu peccatores libenter Christum sequuntur & apud eum quærunt salutem. Hinc audiunt, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Denique mala quæ vt pœnæ peccatum comitantur. Huc omne genus morborum pertinet. esse surdum, mutum, claudum, paralyticum, leprosum, dæmoniacum, lunaticum, &c. Ista mala omnia tollit Christus. Adde alias calamitates humani generis, mendicum esse, exulem: quæ si non tollit, mitigat tamen, & in eis certas exhibet consolationes. Manent autem omnia illa in natura corrupta, vt æterna testimonia iræ Dei aduersus peccatum, ac vt de conditione nostra nos commonefaciant. His nos opponamus Christi mediatoris certa & indubitata officia.

Forma.

1. Formalis causa sic consideretur. Primùm generaliter, quemadmodum Christus totum hoc negotium liberationis persecutus est. Atque id primitus in humilitate, sic. 1. natus est in humilitate. 2. in eadem est educatus. 3. conuersatus cum mortalibus. 4. docuit. 5. edidit miracula. 6. denique mortuus extrema humilitate inter latrones. Deinde cum maiestate. Sic posita humilitate, cum gloria & maiestate resurrexit, Inferos vicit, cœlos petiit, inde redeuntem expectamus: & eum iudicem videbit omnis caro. Sic quidem generalis potest considerari forma officiorum Christi.

Deinde specialis etiam instituatur. Sic Christus officium suum exercuit vel immediatè, hoc est, quo ipse suo ore & docuit & corporali præsentia curauit multos, vel absens verbo idem operatus est. Vt Centurionis famulum. Matth. 8. vel idem exercuit & adhuc exercet officium suum mediatè, hoc est, per ordinaria organa docet. Sic olim per Apostolos & docuit & edidit miracula. Sic hodie adhuc officium docendi per bonos ministros administrat. Sic per verbum suum adhuc est efficax. Sic adhuc administrantur hodie etiam sacramenta, ad eiusdem rei confirmationem.

1. Apostoli. 2. Ministri. 3. Verbū. 4. Sacramenta. Finis.

Ad fina-

Ad finalem deueniamus causam. Illa in genere est gloria nominis diuini ac maiestas. Nam ex illo redemptionis beneficio summè bonus, summè misericors ac φιλάνθρωπος declaratur Deus. Quod verò nos concernit, finis est, liberatio piorum à mor,te à peccato, à pœnis æternis: interdum etiam corporalium malorum liberatio. Ita sanitas etiam ad finem pertinet. Finis etiam est illustratio beneficij Christi. Nam meritum suum in eo negotio agnosci vult Christus & magnificeri. Quare id in primis ab Apostolis illustratur. Finis quoque est declaratio imbecillitatis virium humanarum. Videmus enim quàm nihil possimus, cùm audiamus omnia nobis gratuita misericordia diuina remitti: totum esse gratiæ opus non meritorum. Nec si velimus quicquam nos hîc posse, cùm Domini sit & posse & velle conferre. Declarat id saucius ille à latronibus apud Luc. 10. Ad finem etiam pertinet Satanæ dānatio, & infidelium. Damnatur Satan, dum eiicitur, & videt futuri iudicij tyrocinia. Damnatur etiam in suis membris, cùm lege & verbo Dei coërcentur, dum peccatorum dant pœnas temporales, experiuntur specimen iudicij istius seueri, quo audient, Abite maledicti ad ignem æternum, qui vobis cum diabolo paratus est. Præcipuè autem inter finales causas illustrari debet Christi beneficium & meritum.


Effecta. Hanc considerationem sequuntur postea præstantissimi fructus. Vt est desperatio de propriis viribus & merito, vera spes & confidentia de auxilio Christi. Vera adoratio ac religio. Laus & celebratio nominis Christi. Prædicatio Euangelij vbique terrarum. Vera fides, charitas, pax item & tranquillitas conscinetiarum, fiducia misericordiæ, quæ omnia Christiani fiunt hominis.

Accedunt interdum externa etiam. Vt, olim sanitas corporis cum peccatorum remissione concurrebat in multis: alij visum recipiebant, alij auditum, alij alia ratione sanitatem. Sic hodie cum peccatorum remissione vitæ sanctimonia concurrit.

Coniuncta. Coniuncta cum re sunt in hoc negotio, Vocatio Apostolorum, quorū opera Christus est vsus in exequēdo suo munere. Huc pertinet ministerij restitutio & sacramentorū. Cohærent etiā ei ieiunium, sobrietas, oratio aliæque virtutes renati hominis. Itē labor, vt est prodesse velle Ecclesiæ, docendo, laborando, quo spectant officia Politica & Ecclesiastica.

Pugnantia. Pugnāt cum Messiæ Regis officio. Primùm Pharisæi, qui calumniantur vocationē Christi, vt illegitimam. Reprehendunt autem aliàs personæ vilitatem, aliàs vitam, aliàs etiam doctrinam vt dæmoniacam. Deinde alij Iudæi, qui in Christo quærunt externa tantùm, alij carnale regnum, alij saturitatem ventris, alij non necessaria miracula, alij etiam nouitatis studio, eum conueniunt. Tertiò huc pertinēt Turcæ, qui Christum, solùm vt prophetam considerant, non vt redemptorem. Quartò, Iustitiarij Pontificij, qui doctrinam de propriis meritis inuehunt. Obscurāt enim illi beneficium Christi, & officium eius tollunt. Quintò, homines etiam desperabundi, qui magnitudine peccati pressi, de gratia Dei spem abiiciunt. Sextò, Idololatræ, qui alium mediatorem fingunt sibi, ac patronos statuunt extra Christū. Vt qui Sanctos mortuos inuocant, (qui honor soli debetur Christo.) Item opera sua venditant: nec solùm sibi sufficientia æstimant, sed etiam supererogatiua tradunt & vendunt. Blasphemia illa mirificè detrahit Christi officio. Septimò, pugnans etiam est doctrina Epicuri, & nostri seculi hominum, qui sine Deo viuunt. Qui negant Deum, negant post hanc vitam aliam superesse, securè ludunt in peccato, fallunt conscientias suas. His Christus frustra est natus, frustra officium liberationis est executus. (Traditio de operibus supererogationis blasphemia est.)

DE PACE CHRISTI.
LOCVS XII.



Definitio pacis. DE pace dicturi, hanc illius initio constituimus definitionem, ex qua tanquam materia, reliqua deducemus, filum Thesei sequentes. Pax est omnimoda fœlicitas, non tam corporis quàm animi bona respiciens, à Deo promissa fidelibus per Christum, qui in hac vita initia interdum, plenum autem eius vsum in vita æterna concedet.

In qua sententia hæc nobis sunt ordine explicanda. Primùm quis sit pacis author. II. Quod illius organum, quorum vtrunque ad causas efficientes pertinet. III. Quid pacis nomine conferatur, hoc est, quæ illius sit materia, & quàm multiplex. IIII. Quibus conferantur pacis bona: bonis scilicet, non impiis. V. Ad quid est, quis sit finis & fructus. VI. Quando initia quidem in his terris habet, plenum autem vsum in vita æterna: de his breuiter agemus, quantùm & res, & tempus ipsum ferre poterit.

I. Pacis author Deus est. Hoc piæ mentis est credere. Nam vt alia augusta & rara beneficia, quibus mortalium vita conseruatur, libenter ad Deum referimus: qualis est sanitas corporis prospera fortuna, victoria in bello, longæuitas, annonæ copia, & similia, idem de pacis illius authore sentire debemus. Deinde politica pax, quamuis hominibus detur, ab hominibus, tamen rectè ad Deum authorem refertur, apud Eurip. in Cresph. appellatur εἰρήνη

κάλλιστα μακάρων θεῶν, id est, pax, beatorum Deorum pulcherrima. Pindarus iustitiæ sororē facit, & ambas Themidis filias, Olympiad. 13. χρύσεαι παῖδες Θέμιδος, id est, aureæ filiæ Themidis.

Multò rectiùs pacis, quā habemus in Christo Deū authorem & facimus & credimus. Sed aperta sunt in hac re scripturæ testimonia. 1. Thes. 5. Deus pacis sanctificat vos totos, vt integer vester spiritus & anima, & corpus, seruentur inculpatè, &c. & 2. Thes. 3. *Ipse autem Dominus pacis, det vobis pacē semper in omni malo.* sic in 2. Cor. 13. Deus pacis dicitur & dilectionis, & in 1. Cor. 14. *non est discordiæ, sed pacis Deus.* Vbi tanquam de authore loquitur scriptura, ad Philip. 4. dicitur pax Dei, quia ab eo datur: *Pax Dei custodiat corda vestra.*

Rectè igitur in definitione, assignata est causa efficiens, cùm dicimus, Pacem à Deo concessam fidelibus.

II. Organum pacis constituimus filium Dei Iesum Christum. Nam is reconciliauit nobis Patrem: pacatas etiam reddit conscientias nostras, amorem sui infundit, & proximi dilectionem: Matth. 3. Pater voce cœlitus emissa testatur se in illo filio esse placatum: & filius ipse Ioann. 14. ait, *pacem meam relinquo vobis*, Ioan. 16. *in me pacem habebitis*, hoc est, tanquā in organo. Apostolus Paulus ad Eph. 2. manifeste testatur, *ipse est pax nostra*, & ad Col. 1. ait pacem, per sanguinem crucis illius faciens, reconciliauit sibi omnia. Esa. 9. Principem pacis hunc appellat, & ait quòd pacis illius non sit futurus finis. Quæ omnia eò faciunt, vt intelligamus beneficium Christi: nec trāsferamus hanc gloriam pacificationis ad alia media: obscuratur Christi dignitas, & ingratitudo est illius beneficium aliis tribuere: imò impietas est, aliter de hoc tanto beneficio statuere, quàm res ipsa habet. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus: hic titulus mediatoris, filio Dei soli competit: quia solus pacem, inter dissidentes partes fecit. Ne igitur ad illius consortium alios patronos & pacificatores admittamus: qui non sunt, quiq; non possunt mentes pacatas reddere.

Solus Christus conscientias pacatas reddit.

III. Bona pacis, quā in Christo habemus, in definitione expressimus: nam cùm diximus, Pax est omnimoda fœlicitas, item non tam corporis, quàm animi bona respiciens, illa ad pacis materiam referimus.

Ac omnimoda fœlicitas à nobis intelligitur, vera illa & plena εὐτυχία fidelium, quam in Christo agnoscunt ex sensu gratię Christi. Fabulantur poëtæ de pleno quodam copiæ cornu Amalthæ: quo significare voluere, quendam perfectum fœlicitatis statum, quem animo concipere, aut verbis exprimere non poterant: hæc plena rerum sufficientia, quæ αὐτάρκεια à Græcis Philosophis dicta est, & à Stoicis in tranquillitate mentis posita, quam vocarūt ἡσυχίαν, in hac Christi pace cōfertur.

Quòd autem addimus, non tam corporis, quàm animi bona respiciens, pertinet eò, vt intelligamus in quo genere bonorum sit constituenda. Nam Philosophi quidam αὐτάρκειαν suam extendunt ad corporis, fortunæ & animi bona: non ita nos de pace loquentes: ideóque Christi pax est, non mundi: quia mundus externam dat pacem, bonis fortunæ: cùm animi bonis & corporis bonis nullam possit dare: quæ, vt rectè intelligamus, sic accipite rem.

Diuisio pacis.

Pax in genere triplex est. Alia enim cum Deo, à quo originem accipimus, quem trāsgressione offendimus, cum quo redeuntes in gratiā, pacem habere dicimur: de qua loquitur Apostol. ad Rom. 5 *iustificati fide pacem habemus cum Deo.* & ad Coloss. 1. *pace per sanguinem crucis eius facta, reconciliauit sibi omnia.*

Secundò, fluit ex pace Dei, alia pax, quasi illius fructus, quam homo secum ipse habet: nisi enim sentiat homo, Deum sibi propitium & reconciliatum, fieri non potest, vt tranquillitate mentis perfruatur. Ad hanc pacem spectat conscientiæ tranquillitas, quæ animam, mille testibus accusat & damnat, nisi Dei præcepto obediat, aut idoneo vtatur intercessore, qui tollat illius peccatum, in conspectu Dei iudicis. Hinc Alastor ille & Ate affligens & ad pœnas deposcens hominem, cuius conscientia & anima in Christo solo pacari possunt. Deinde huc pertinet obedientia carnis, quæ subiici debet spiritui. Et affectuum obedientia, quā debent rationi, in quibus perpetuū bellum est, nisi reconciliatio instituatur. Hanc pacificationem multi quęsiuerunt Philosophi, sed non repererūt, cùm à Christo alieni essent vero pacis organo. Vtraque hæc species pacis ad solos fideles ac electos pertinet: cùm apertè testetur scriptura, Impio non est pax, Esa. 57.

Cōscientiæ tranquillitas.

Qui à Christo sunt alieni pace conscientiæ carent.

Tertiò, pax est politica, qua homines cum hominibus tranquillè degunt: hęc posita est in rebus externis, ac ab hominibus dari & adimi potest: hanc pij etiam amant, quamuis in potissimis rebus illam non ponant. Huc pertinet comprecatio pacis, qua sancti imprimis delectati sunt: & Christus suos discipulos, pacem comprecari familiis iubet, quas ingressi essent, Matth. 10. Luc. 10. & eosdem conueniens pace oblata salutat.

Deinde huc pertinet εὐτυχία externa in vita communi, hoc est, prosperitas vitæ, vt Genes. 44. Ioseph de pace Iacob quærit, hoc est, an prosperè habeat. & Exod. 18. Moses & Iethro se mutuò de pace interrogant, hoc est de prosperitate vitæ. & 2. Reg. 4. Elisæus, an pax sit Sunamitidi.

Tertiò, fœdera publica: hinc viri pacis dicuntur confœderati & socij. Ierem. 20. 38. Psal. 41.

Iud-

41.Iud.4. Pax est inter Iabin regem, & domum Heber. hoc est, fœdere publico socij sunt: ita Gen.14. Abraham fœdus habet cum Escol, Aner, & Mamre.

Quartò, improbi securitatem aliquando quærunt, contra iudicia diuina, quæ pax illis dicitur: sic mali prophetæ clamant, pax, pax, cùm non sit pax. Ezechiel. 13. Ierem. 68. & 1. Thess. 6. cùm dixerint, pax, pax, repentinus imminet eis interitus.

Pij pacē politicā non turbant sed seruant.

Porrò quòd pios attinet, pacem illam politicam seruant & amplectuntur, non solùm inter ipsos pios, cum quibus amicissimè viuunt, tanquam cum natiuis in Christo fratribus: sed etiam quòd impios attinet, quos non lædunt, imò amplectuntur, & demereri student. Tardè etiam & difficulter tandem ad dissensionem assurgunt lacessiti à reprobis, tantùm illis pacis & concordiæ studium est. Pro pace etiam hac externa diligenter orant, etiam sub impio constituti magistratu. Ierem. 29. iubetur populus orare pro pace Babylonis: quoniam in pace eius, inquiens, erit pax vestra. Cùm enim Ecclesia hic in militia sit posita, solùm quærit hinc inde hospitia aliqua tuta, vtcunque, mox aliò migrat, instar boni viatoris, qui hospitiis tutis delectatur quidem, non diu autem fruitur.

IIII. Quibus conferantur pacis bona? Bonis, hoc est, electis, dicimus, non impiis. Nam Christus disertè ait, pacem meam vobis relinquo, hoc est, meis sectatoribus & electis mēbris. Quò respexit propheta cùm dixit, impiis non est pax, hoc est, bona conscientia in iudicio Dei non fruuntur, semper habent accusantem & damnantē conscientiā: quomodo poetæ Alastorem depinxerunt, quem aiunt dæmonium esse pessimum, quòd delinquentes infectaretur, & puniret παρὰ τὸ ἀλαστεῖν, id est, à cruciando: hincà Claudiano inter equos Plutonis refertur: Ditísque nota signatus Alastor. Tales equi Plutonis sunt, cruciatus conscientiæ, quæ damnat impios, vt est videre in Iuda proditore, aliísque quos conscientia ad desperationem impellit. Piis ergo solùm promissa illa Christi pax, quia soli illius sunt mēbra, & cohæredes bonorum cœlestiū. Huc pertinent liberæ conscientiæ voces. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom.8. *Itē quis intentabit crimen contra electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet: Christus est qui mortuus est, &c.*

Quid sit Alastor apud Poetas. Mala conscientia est impiis Alastor.

V. Ad quid conferatur? Respondemus, quemadmodum omniū terrenorū bonorum finis proximus est hominis vtilitas & fruitio: sic pacis in primis hic finis est, hominis status optimus in plena & perfecta quadam tranquillitate. Inde apud Hebræos suaue nomen est *schalom*, quod à perfectione & integritate desumptum est: ratio est, quòd hominem in sua perfectione cōseruet: id quod in primis verū est, in pace interna, qua ratio & affectus sic consentiunt, vt planè iudicio Dei sese submittant, & gratiam illius per Christum sentiant: suauissima est illa harmonia, dulcior omni concentu. Huc respicit igitur pax illa Christi.

Deinde verum est, etiam in pace externa politica, quæ necessaria est Ecclesiæ, saltē ad tempus ad conseruationem veræ doctrinæ, ad propagationem eius. De reliquis fortunæ bonis certissimum quoque est: pacem conseruare familias, vrbes, politias: cùm bellum cōtra omnia absumat & vastet, instar famelici & truculentæ feræ.

Pax externa politica quomo. Ecclesiæ necessaria.

Græci in voce εἰρήνης quoque respexerunt, commoda pacis: nam εἴρω est συμπλέκω connecto, quòd fœderibus, societatibus res humanas conseruet, auget pax amicitias, quas soluit bellum. Vel quòd tempore pacis ius dicatur sententiis, & lites verbis diriruntur: contrà in bello ius est in armis positum, εἴρω enim est λέγω, conciones habeo.

Latini à pangendo, hoc est, figendo, pacem dixerunt: quòd res firmæ persistant in fœderibus & pactis: pace sublata nihil tutum, nihil firmum in rebus humanis haberi possit.

Commoda pacis multi extulerunt scriptores, & res ipsa testatur, quàm sit rebus humanis salubris. Pindarus iustitiæ sororē facit, ambas filias Themidis, ταμίας ἀνδράσι πλούτου, dispensatricis diuitiarum: χρύσεαι παῖδες Θέμιδος. Idē Pind. alibi pacem iustitiæ filiam facit, & ἡσυχίαν vocat, bona illius eleganter enumerat initio. 8. Pyth. Euripid. in Bacchis, vocat pacē ὀλβοδότειραν, & κουροτρόφον, hoc est, diuitiarum largitricem & iuuentutis altricem. Idem μούσαις φιλτάτην, quia in pace bonę literæ & studia florent. Hæc bona pacis pij quoque non aspernantur, sin obtinere non possint, nō vsque adeò dolent: finem enim alium respiciūt.

VI. De tempore pacis, sic statuimus. Initia quidem hic dari: perfectionem autem cōseruari in vitam alteram. Christi enim sententia firma erit: *In me pacem habebitis: sed in mundo habebitis afflictionem.*

Pij in hac terra, ab origine afflictiones habuerunt, vt testatur historia Abelis, Noachi, Abrahæ, Isaaci, Iacobi: & noui Testamenti certissima vox est, *Qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur:* & quòd oporteat per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum, ne igitur fortunam aliam nobis polliceamur.

Facit hoc contra Millenarios, qui certā pacem aliquando in his terris sibi promittebant, vt esset & vnum ouile, & vnus Pastor. Pastor quidem vnus est, qui caput est Ecclesiæ & princeps Pastorum. Sed vnum Ouile in his terris ne nobis somniemus.

Nūquam in his terris fiet vnum ouile.

Initia tamen pacis hic sentiunt fideles cùm se per Christum redemptos intelligūt, & spiritu Dei renouari. Hanc pacem sentiunt in mediis tormentis, leonino animo accedunt ad mortem: contemnunt quæstiones, cruciatus, & quicquid tyranni excogitare possunt.

Referunt historiæ Ecclesiasticæ Theodorum iuuenem, à Iuliano ad tormenta raptum cum cantu, & hilari fronte toto die in tormentis perseuerasse, adeo vt tortoribus pudorem incuteret. In his malis pacem conscientiæ operosam sentiunt cum Deo pax inita firmissima est: cum conscientia pax concepta serenissima: reliqua præ his facilè contemnunt.

Theodorus Martyr.

Plena pacis possessio in vita æterna posita est: quia illic omnia sunt firma: cùm hic sint caduca: illic vera patria, hîc peregrinatio: illic πολίτευμα, hic inquilinatus: illic sempiterna æternitas, hic in horas finis: illic corona & gloria, hic certamen: illic de facie ad faciem, hic per speculum & ænigma contemplatio: illic Christus corpore præsens, & cœtus Angelorum, & sanctorum omnium: hîc spiritus consolationis, & corpus militantis ecclesiæ.

Ideóque vtile est, vt hac consideratione, mentes nostras sæpe attollamus ad cœlestia, terrena dicamus calcare: cœlestia sapere & appetere: ad quę nos perducat ipse Dominus noster Iesus Christus. Amen.

QVOMODO CHIRSTVS SIT PANIS VITÆ. LOCVS XIII.



CHRISTVS nouum Panis & cibi genus cœlitus attulit, quod descripturus Ioannes, instar aquilæ transgressus nubila, & ipsum cœlum ingressus, ex sinu Patris ipsum filij Dei patefecit nobis Panem vitæ, quem nisi manducauerimus, vitam æternam habere non possumus. Operæ pretium igitur est hunc panem studiosè considerare. Quod vt faciliùs possimus, quædam in medium afferemus, quæ ad hunc locū faciunt: idque hoc ordine. Primùm quid panis nomine Scriptura passim intelligat. Deinde quomodo Dominus Panis vitę dicatur. Tertiò, cur dicatur Panis vitę. Quartò, quomodo hic panis percipiatur, & sumatur: de his breuiter agemus, pro ratione tēporis.

I. Panis nomine variè vtitur Scriptura, quæ significationes tamen omnes ferè ad duo capita recidunt. Nam vel propriè pro cibo corporali sumitur: vel per translationem aliis rebus acccommodatur, quæ tum hanc præsentem vitam, tum æternam concernunt.

Duplex panis significatio.

Prioris generis sunt, primùm quòd pro cibo sumitur pistorio opere parato, quæ propria est huius vocis significatio. Sic Græci ἄρτον & Hebræi *Lechem* vocant cibi præcipuam speciem. Sic Matthæi capite 15. dicunt discipuli, non habemus hîc, nisi quinque panes. Math. 16. Christus ait annon memores estis quinque panum? Luc. 9. accipit quinque panes, &c. Luc. 11. vicinus à vicino petit tres panes. Ioann. 6. Andreas inquit, Est puer hîc qui habet quinque panes. His & similibus locis, Panis speciem cibi significat certam pistorij operis, quæ species interim publica sit & communis.

Ideóque rectè addi hîc potest Panem aliquando consecratos significare panes, qui cōmunes non sint, quos Scriptura vocat panes propositionis, panes facierum, de quibus mētio est Matth. cap. 12. Marc. cap. 2. Luc. cap. 6. Hi licet Deo essent consecrati, ideóq; solis sacerdotibus in cibum concessi: tamen in casu necessitatis Dauid his vsus est, sine reprehēsione.

Tertiò, Man quoq; panis dicitur, vt est Ioan. 6. & Psalm. 78. panis de cœlo dicitur, & panis Angelorum: in qua re facilè est videre, panem non significare pistorij operis cibum: sed rē naturalem, aut diuino consilio præparatam: tamen cibus est adhuc corporalis: neque aliud quàm corporalia conferens ex sua natura. Interim certum est, quòd typum Christi habuerit, adumbrans Christi gratiam, cuius beneficio essemus cibandi ad vitam cœlestem.

Quartò, per Synecdochen significat panis omnē cibum, quia ad hanc vitā conseruandam pertinere potest. Sic Adamo dicitur, in sudore vultus tui comedes panem tuum. Marc. ca. 7. Iudæi discipulos Domini accusant, quòd illoti manibus edant panes, hoc est, cibum qualemcunque tandem. Luc. 14. Dominus ingreditur in domum Pharisæi cuiusdam, vt edat panem, hoc est, cibum: hac significatione arbitror in oratione Dominica non orare pro pane quotidiano Matth. 6. Luc. cap. 11. hoc est, pro omni alimento vitæ necessario, nec enim præcisè solùm panem orare iussit. In his formis panem accipimus quadam proprietate, quia de corporali esu omnes loquuntur, & ad externam vitam sustinendam pertinent: quamuis aliæ aliis magis sint propriæ phrases.

Quî accipi debet dictio panis in orat. Domin.

Remotiores sunt porrò phrases in quibus inest aperta & manifesta metaphora. Nam quòd Dominus comminatur suo populo, se immissurum famem, non panis, sed audiēdi verbi Dei indicat verbū Dei habere vim cibandi, cuius penuria hanc famem generat: ex quo Christus Satanæ respondit quòd nō solo pane, sed omni verbo, quod egreditur ex ore Domini, homo viuat. Ideóque verbū Dei aptissimè per metaphoram panis dicitur. Nam quæ panis præstat soli corpori, eadē præstat verbum Dei non tantùm corpori, sed etiam animæ. 2. Non dissimili ratione corpus Christi panis dicitur in Cœna, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 24. 1. Cor. 10 Panis quē frangimus, nonne cōmunicatio corporis Christi est? significās fractionē panis, cōmunicationis esse symbolū, ideóq; sequitur corpus Domini rationem habere in hac causa panis. Quemadmodū enim multi vno participant pane: sic multi vno corpore Christi.

Panis de pluribus dicitur metaphoricè. 1. Verbū Dei panis dicitur.

2. Corpus Christi.

3. Sed

3. Sed viciſſim Eccleſia Chriſti, participando, panis dicitur: quod idem Apoſtolus eodem loco. 1. Cor. 10. indicat. Vnus panis, vnum corpus omnes ſumus. Aptiſſima eſt hæc metaphora: quemadmodum enim panis è multis colligitur granis, ſic Eccleſia Chriſti, quæ dicitur corpus illius, ex diuerſis colligitur hominibus, & vt illa grana vnum dant corpus panis, ὁμόνοιας, ad finem vtilem vitæ: ſic Eccleſia Chriſti concordia & pace colligatur in Chriſto ad finem vtilem. 3. Eccleſia.

4. Panis etiam dicitur quicquid ad vitam æternam parandam eſt neceſſarium & vtile. Huc pertinet quòd Ioann. 6. ſe panem, Chriſtus vocat, *qui de cœlo deſcenderit & vitam dat mundo*. Item, *Pater meus dat vobis panem de cœlo*, hoc eſt, quicquid eſt neceſſarium ad vitam æternam: quò pertinent ſimiles phraſes, vt *ego ſum panis ille vitæ: ego ſum panis viuus: caro mea verè cibus eſt, & ſanguis meus verè potus eſt. Panis Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo, niſi ederitis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & ſimiles phraſes. In quibus Chriſtus ſe apertè vocat panem, & cibum. 4. Chriſtus.

In veteri Teſtamento non perinde aperta ſunt teſtimonia, in quibus Meſſias dicatur panis. In agno Paſchali quidem eſt panis coniunctus azymus: ſed de agno aut Meſſia non prædicatur: ſic Man Typus Chriſti eſt, quamuis de illo non prædicetur. Man typus Chriſti fuit.

Tamen apud Ieremiam cap. 11 legimus, *perdamus ligno panem eius, & ſuccidamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius*: quem locum Hyeronimus de Chriſto Meſſia interpretatur: quòd Iudæi Chriſtum hominem cruce ſint è medio ſublaturi ſecundùm quam interpretationem corpus Chriſti ſeu caro Chriſti panis illic dicetur: quam interpretationem ſequitur etiam Lactantius, citans etiam caput. 6. verba illius ſunt. Venite mittamus lignum panem illius, & eradamus è terra vitam eius: & nomen eius non erit in memoria ampliùs: lignum autem crucem ſignificat, & panis corpus eius, quia ipſe eſt cibus, & vita hominum, qui credunt in carnem, quam portauit, & in crucem in qua pependit, &c. Hanc ſententiam habet Tertull. quoque libro quarto, contra Marcionem: qui ita ſcribit. Cur autem panem corpus ſuum appellat: & non potiùs peponem, quem Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti, dicentis per Ieremiam, Aduerſus me cogitarunt cogitatū, dicentes: venite coniiciamus lignum in panem eius, ſcilicet crucē in corpus eius. Itaque illuminator antiquitatum, quid tunc voluerit ſignificaſſe panē, ſatis declarauit, corpus ſuum vocans panem, &c. Rectè igitur Chriſtum ſeipſum vocat panem vitæ, ſed videamus alterum etiam, quomodo dicatur panis vitæ. Sed hę omnes interpretationes, quàm ſint contortæ, cuius manifeſtum eſt.

II. Proximū eſt, videre, quomodo Chriſtus ſit panis, deinde quam vitā in primis reſpiciat hic panis. Hæc autē ſic intelligemus. Quę de Chriſto dicuntur, vel propriè, vel impropriè dicuntur de illo. Propriè, quæ vni vel vtrique competunt naturæ. Vni, vt Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo, Chriſtus mortuus eſt, Chriſtus incarnatus eſt, Chriſtus ab æterno fuit, Patri æqualis, conſubſtātialis, coæternus, &c. quæ de Chriſto propriè dicuntur, quandoquidem naturæ diuinæ, vel humanæ propriè & per ſe competunt. Vtrique autem, vt Chriſtus eſt redēptor, Chriſtus eſt mediator. Officium enim mediatoris ad totam Chriſti perſonam referimus. Sic propriè dicitur mediator, interceſſor, pacificator. Impropriè de Chriſto dicuntur & tranſlatè, quæ naturis per ſe non competunt, niſi per anagogen ſeu per analogiam, in qua ſit concinna interpretatio rebus congruens. Sic Chriſtus dicitur via, agnus, lapis, leo, vitis, oſtium, &c. In his ac ſimilibus phraſibus, vocis ſignificatio vſitata propriè, habet abſurditatem, ideoq; tranſlata eſt: non enim Dominus via eſt, quæ pedibus externis teritur, nec agnus vt de grege ſumitur, nec lapis vt eſt in agro, nec leo qualis eſt fera Lybica, nec vitis qualis eſt in vinea, nec oſtium quale eſt in præſente domo: ſed habet ſimilitudinem quandam, propter quam vox ad Chriſtum transfertur. Officium Mediatoris ad totā Chriſti perſonam refertur.

Quò facit regula Auguſtini libro 3. de doctr. Chr. cap. 16. Si locutio videtur flagitium iubere aut beneficentiam prohibere, figurata eſt. Ac mox ad rei declarationem affert locum, Ioan. 6. niſi manducaueritis carnem Filij hominis & ſanguinem illius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus (inquit) vel flagitiū videtur iubere: figurata eſt ergo, præcipiēs paſſioni Domini eſſe communicādum, & ſuauiter & vtiliter recōdendū in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit. Notanda Auguſtini regula.

Ex quibus verbis modus intelligi poteſt, quo Chriſtus eſt cibus & panis: ſcilicet per tranſlationem dici panem. Quò facit Athanaſius quoque, ſermone in illud Chriſti. Quicunque dixerit verbum in Filium hominis, &c. Quæ enim locutus ſum vobis (inquit) ſpiritus eſt, & vita: quod perinde eſt, ac ſi diceret, corpus meum, quod oſtenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, vt ſpiritualiter vnicuique tribuatur, & fiat ſingulis tutamen, præſeruatióque ad reſurrectionem vitæ æterternæ, &c. Quid ſit manducare carnē Chriſti & eius ſanguinē bibere. ex Auguſt.

Ex quibus verbis conſtat Chriſti ſpiritualem eſſe panem, ideóque tranſlatam eſſe in his locutionem: deinde propter vitam æternam, dici panem, quam in primis reſpicit: quod Chriſtus etiam dixit Ioan. 6. qui edit de hoc pane, viuet in æternum. Non igitur eſt cibus, qui dentibus atteritur: & rectè inquit Auguſtinus, non quia eſt nō panis ventris, ideò non

est cibus mentis.

III. Superest igitur vt explicemus analogiam, propter quam rectè panis dicatur. Primùm Christus præstat animæ, quod panis externus præstat corpori, hoc est, vitam conseruat & vires suppeditat, vt panis externo corpori: sic animam Christus viuificat & ad vitam æternam cibat. Deinde vt panis non prodest nisi esus: sic panis Christus dicitur, quia nisi fide vera apprehensus non prodest.neque historia de Christo & cognitio qualiscunque: tandē, vera fide Christus nobis applicaudus est.

Accedit quod esus panis etiam,nō prodest,nisi vniatur nostræ naturæ,hoc est,in alimentum corporis transeat: quæ enim accipit debilis stomachus, nec eadem commodè digerit, corpori magis obsunt,quàm prosint. Sic Christus nobis vnitur:primùm incarnatione sua qua verè vnitus est Logos Dei nobis: caro enim de carne nostra est, & os de ossibus nostris. Deinde arctiùs vnimur nos illi per fidem:cùm in membra illius transimus,reddimur verè credentes, vt omnia illius nomine facilè contemnamus.

Duplici modo nobis vnitur Christus.

Addc hoc pane nos admoneri extra Christum nullam esse spem salutis. Nam vt communi naturæ cursu, sine pane, hoc est, cibo, non licet homini viuere (quòd enim Moses Helias & Christus sine cibo vixere diebus quadraginta, specialia sunt,nec ad exemplū trahi debent) ita sanè admonemur extra Christum nullā esse vitam,hoc est,salutis spem. Et contra vt in solo pane,hoc est,ordinario cibo homini est spes vitæ externæ: ita in solo Christo qui est panis cœlestis fidelibus est spes vitæ æternæ. Videant ergo, quàm faciant prudenter, qui in sanctis, in Apostolis, in Martyribus & aliis creaturis spem salutis ponunt. Faciunt illi, non aliter ac si de lapide, ligno,ferro,quis speret saturitatem, contempto pane, quem Deus ordinauit in esum,non alia quæ quidem bonæ sunt creaturæ, sed in alium vsum creatæ:ita sancti boni & electi sunt,at non ad hoc ordinati,vt non viuamus ab illis aut per illos.

Probatur extra Christū nullam esse spē salutis.

Elegans similitudo.

Accedit elegantissima illa admonitio: Christum se panem vitæ appellare, tristissima re,se nobis commendando. Nihil enim hominibus notius pane: nihil etiam notius illius vsu:accommodauit igitur ea translatione se nobis,vt quantùm præsidij in pane contra famem quærimus: tantùm etiam præsidij in Christo contra diabolum & peccatum quæreremus, ídque vt possemus,facili ratione,res notissima nempe panis nos docere debuit.

Item docemur hinc quotidie Christi beneficij esse memores: quotidie panem sumimus, ídque sine molestia,summa cum voluptate:sic decet illius beneficium in dies repetere, nec molesta debet esse illius ruminatio. Nam vt ægri stomachi argumentum est, cum nausea admittere cibum: ita sanè malè Christianos sese produnt,qui Christi beneficia difficulter admittunt,rarò repetunt, crucem suffugiunt. Porrò illud alimentum panis Christi, in primis ad animas pertinet quas cibat ad vitam æternam: interea tamen fructus illius, etiam ad corpora spectat. Nam fidelium corpora in resurrectione generali, vi & virtute illius cibi Christo obuiam ibunt, & accipient mercedem vitæ æternæ.Qui fructus in hac vita maturè incipit sese prodere. Nam vt defatigata corpora, pane sumpto vires recipiunt pristinas, vt ad intermissos labores noua virtute accedant & sufferant:ita sanè Christus panis vitæ suos ita alit,vt contra omnia pericula animosi sint & intrepidi. Huius cibi dulcedine Apostoli mortem pertulēre: horum exempla subsecuti sunt pij martyres, tanta alacritate, vt aliquando dolores sentire minimè viderentur: quod de Ioanne Euangelista scribitur, in dolium olei feruentis immisso & illæ inde egresso: Sic socij Danielis ardorem flammæ nō sentiunt. Summa,omnia leuia facit hic cibus rectè gustatus, nihil triste est, hilaris vultus, pacata conscientia, paratum corpus non solùm ad tormenta, sed ad mille mortes, vbi fides cibo vitæ,id est,Christo pascit hominem.

Alimentum panis Christi nō solum ad animas, sed etiam ad corpora spectat.

IIII. Panis & cibus iste cœlestis suo etiam modo percipitur. Nā vt externus ore corporis sumitur: ita hic ore cordis & animæ manducatur: ac vt stultum est, ab anima requirere corporalem comestionem, cùm spiritus corpus non habeat:ita ineptum est omnē negare manducationem nisi corporalem: manducat autem anima, cùm facit officiū vt semper possit beatè viuere,hoc autem præstat cùm constanter adhæret Christo. Hinc Christus, venientibus ad se, edentibus, bibentibus, credentibus in se idem premium promittit.Ioan. 6.qui credit in me habet vitam æternam,qui edit de hoc pane viuet in æternum, qui bibit sanguinem meum, habet vitam æternam:qui venit ad me non esuriet,&c.Quibus sententiis satis euincitur, edere,bibere, venire ad Christū,credere,&c.significare, Christo constanter adhærere. Hoc facit quòd August.refert in explicatione sexti capitis apud Ioannem, quid paras dentes & ventrem, crede & manducasti. Hinc Paulus omnem salutis vim soli ascribit fidei,quia illa nos Christo vnit, & facit,vt efficax sit in nobis panis ille cœlestis. Nam fides tanquam fons est à Deo nobis infusus, ex quo scaturit perpetuū disideriū Christi. Hinc perpetuus esus Christi, perpetua meditatio mandatorum illius. Vt enim edere viuidum quiddam est & actiuum, sic fides percipiendo Christum,viuida est,& tota in actionibus diffusa.Hinc saturitas illa de qua Christus inquit,non esuriet, non sitiet,hoc est,anima Christo perfusa,solo etiam Christo erit contenta, vt non aliunde subsidium quæsitura sit:omnia etiam pericula Christi nomine fortiter, sit contemptura. Hinc illa confidentia. *Quis nos*

Anima quomodo manducet.

Fides est fons ex quo scaturit perpetuum Christi desiderium.

sepa-

separabit à dilectione Dei? num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculũ? num gladius? & c. sed in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos, Rom. cap. 8.

DE PASSIONE DOMINI. LOCVS XIIII.



QVoniam solenne est apud nos, vt in Ecclesiis nostris historia Passionis, diebus ante Pascha, ab omnibus & explicetur publicè, & legatur priuatim: non videbimus ineptè facturi, si & nos eandem in schola obiter inspiciamus. Quęrendum est autem primùm de optima explicandi ratione, deinde explicandæ nobis erunt causæ passionis dominicæ, demum membra eiusdẽ ordine prosequemur.

Ac quod rationem explicandi attinet, sic rem accipite, historia dominicæ passionis tractatur aliàs τεχνικῶς, aliàs ἀτέχνως: τεχνικῶς, hoc est, certa aliqua ratione, & ordine ab arte profecto, ἀτέχνως verò sine ratione, nisi tumultuaria, quæ cuiusque arbitrio & proprio nititur iudicio, quales sunt centones, & tragicæ amplificationes. Prior laudabilis est ratio: posterior vitiosa.

Laudabilis illa, aut in cœtu doctorum fit, quales sunt scholastici conuẽtus, vt ob id scholastica dicatur: aut fit coram populo, ideóque popularis vocetur: illud σχολαστικὸν, hoc verò δημῶδες fit.

Porrò qui in scholis & inter parietes angustiores explicant rem: faciunt id, vel ἐξηγηματικῶς: hoc est, textum verborum explicant, certum Euangelistam secuti, aut faciunt id διδασκαλικῶς, hoc est, ex tota historia decerpunt locos certos simplicis, vel coniunctæ quæstionis, quales sunt, quid sit passio? quis sit ille qui passus est? pro quibus id præstiterit? quæ sint causæ impellentes, quæ forma, quis finis, quæ rerum tantarum vtilitas? Sic coniuncta. An Christi passio sufficiat pro peccatis mundi, an antecedentia solùm peccata deleuerit, an verò omnia? quatenus etiã nos compati oporteat? & quid nos redemptos posthac deceat? &c.

Porrò qui coram populo eandem tractant materiam, id faciunt, vel ἁπλῶς, hoc est, nudam historiam Euangelicam explicant, ídque paraphrasticè: omnia enim copiosiùs deducuntur, & applicantur in hoc genere. Aut id ἁπλῶς fit: sed patheticè, cùm ad affectũ oratio incumbit vt commiseratio in auditoribus oboriatur: hoc genere docendi vtuntur monachi & papistæ, qui pueritiam Christi etiam simul percurrunt, tragicas adhibent actiones, in quibus interdũ aperta sunt mendacia, quod idem à pictoribus factitatũ est. Aut popularis illa doctrina συγκριτικῶς instituitur: quando inter se conferuntur oracula prophetarum & historia Euangelica: in qua collatione illa est varietas. Aut vnum oraculum vni Euangelistę cõfertur, vt caput Esa. 53. cum historia Marci. aut vnum oraculũ pluribus, sic Psal. 22. conferri potest cum tota continuatione dominicæ passionis. Vel omnia oracula prophetica cum vno Euãgelista. sic vtilis esset continuatio historiæ ex Prophetis cum Matthæo, vel Ioanne: aut demũ omnia pluribus conferri possunt, vt tota cõtinuatio passuri Christi, ex Prophetis, cum tota historia passi iam Christi ex Euangelistis. Quæstionis simplicis exempla. Exẽpla coniuncta.

Ex hac partitione perspicuũ est pro ratione auditorum aliam atque aliam adhiberi posse explicandi rationem: & optimam fore quæ sit futura vtilissima, & ad ædificationem plurimum factura. Nos rudi, vt dicitur, Minerua, totã historiam ad didascalicos reuocabimus locos: par enim est, vt & nostri & auditorum habeamus rationem. In cœtu scholastico versamur, & inter eos auditores, qui fermè adhuc & ætate & sensu pueri sunt.

Nominatur igitur vulgò passio Domini, historia continens mortem Christi, quæque eã proximè antecesserunt, coniũcta fuere, & eam cõsecuta sunt, declarans. Verùm quia hîc agitur pręcipuè de redemptione humani generis, constituamus hanc in pręsentiarum definitionem, vt sit, pœna humani generis nomine, filio Dei imposita, qua sustulit iram patris, legi satisfecit, vim mortis & Satanæ fregit, & ipse innocens, hostia pro nocentibus est factus. Quid sit passio Domini. Vera definitio.

Hæc definitio illustrat meritum Christi, & nos admonet nostræ miseriæ: præterea vtilitatem & fructum mortis Christi explicat.

Græcis σταύρωσις, rectiùs dici videtur, quàm νέκρωσις. Nam genus mortis indicat: ligno enim in aërẽ sublatus, & extensus mori debuit. Minùs rem exprimit πάθημα & πάθησις, retineatur ergo vox σταυρώσεως, quę nota est etiam Apostolo, & veteri legi. Præterea suaue est mysterium in cruce: & ligni præcipua fuit ignominia apud Iudæos.

Constituamus ergo hanc definitionem quoque ex Apostolorũ fermè dictis, Σταύρωσις ἐστὶ ἱστορία νεκρώσεως Ἰησοῦ χριστοῦ ὑπὲρ ἀνθρώπου λυτρώσαντος, καὶ λύσις, τῆς αὐτοῦ κατακρίσεως εἰς ζωὴν ἐπανάγουσα.

Ad hunc igitur modum res considerari potest quid sit, ac ex definitione, hinc recto ordine deducimur ad causarum contemplationem. In hac præcipuè inculcari nobis debent Consideratio causarum.

efficientia, & fines. Nam sic intelligemus causam primariam, ac quicquid spei de vita æterna habemus, id totum nos beneficio Christi habere: cui soli, tota nostra salus accepta est referenda. Cæterùm concurrunt in serie passionis dominicæ triplices personæ, ad quas tanquam agentes respicere oportet: Deus scilicet, homo & satan. Agunt enim hi omnes quanquam diuerso respectu, vt in finali causa dicemus.

Efficientes.

In Dei Patris persona, aliud considerari potest absolutum, aliud vt impellens causa & adiuuans, aliud, vt organum.

Absolutam passionis Domini causam dicimus, ipsam θέλησιν Dei, hoc est, ordinationē diuinam, negotium hoc ab æterno sic disponentem. Quo loco duplici errori occurri potest: primùm Christum non casu incidisse in hanc tam fœdam mortem: sed fuisse illi præuisam: deinde non coactum quoque fatali necessitate. Vtrunque constat primùm ex typis sacrificiorum, vt erat Abelis, Abrahæ sacrificium, Ionæ typus in pisce quiescentis, æneus etiam serpens in deserto, &c. Et quòd calcaneus Adæ mordendus esset à serpente. Deinde ex Propheticis dictis idem constat. Qualia sunt, Dan. 9. Esa. 53. Psalm. 3. &c. Demum ex dictis ipsius Christi, qui suos maturè admonuit de morte & passione sua, vt scirent præuisa illi hæc omnia fuisse, vt est Matth. 16. 17. 20. 26. &c.

Absoluta causa misericordiæ Dei patris. Typi sacrificiorū & dicta prophetica futuram Christi passionē declarāt.

Ad absolutam refero etiam δύναμιν, quia enim Deus singulari misericordia motus, hominem redimere voluit, idem etiam potuisse sciendum est: ideóque ista duo, hoc est, θέλησιν καὶ δύναμιν ad misericordiam Dei æternam refero.

Adiuuans seu impellens causa hîc est, ipsum ius redemptionis, quod ad nullum alium pertinebat, quàm ad ipsum conditorem Deum: huc etiam pertinet ius debiti ex pacto, nam promiserat hoc Deus Adæ & reliquis patribus. Et quia temporum illa periodus iam erat euoluta, debuit impleri promissio.

Et quod Christi personam concernit, concurrit etiam ius propinquitatis, quia Christus frater noster, os & caro ex carne & ossibus nostris, excepto peccato. Nemo autem iustiùs redimit, quàm frater fratrem. Pertinet etiam huc ius dominij: sumus enim Dei factura, eiúsque serui. Nam quatenus Satan imperium in homines nactus fuerat, sub tyrannico eramus imperio & violento, alienam enim possessionem astutè inuaserat: ideóque natiuo nostro hero eramus restituendi, ne in perpetuum essemus sub tyrannide Satanæ.

Organica causa est ipse Christus, Deus & homo, organum aptissimum salutis nostræ.

Homo autem causa passionis Domini est, quia is est qui peccauit, qui reus peragitur, qui æternum damnari debuit. Consideretur hic ἀδυναμία hominis, qui reatum suum delere non potuit (fuit enim peccatum adeò magnum, vt in toto mundo per hostia reperiri non posset) & quia illa pura & munda hostia esse debuit, reperta est res homini impossibilis, ideóque solus Dei Filius, eam exhibere potuit & voluit.

Homo vt sit causa passionis.

Porrò Satan etiam causa est primaria: quia odio inueterato persequitur semen mulieris: & cùm aliud non posit, mordet calcaneum eius. Huc etiam pertinent organa Satanæ, vt est Iudas cum turba, sacerdotes Iudæ numerantes 30. argenteos, consultantes & quærentes falsos testes. Annas item & Caiaphas, Pilatus, populus acclamans, tolle, tolle, &, Sanguis eius super nos & filios nostros.

Satan vt sit causa.

Itaque culpam mortis Christi, omnes homines ferunt: primùm propter reatū & peccatum, in quo etiam boni implicantur: deinde propter consensum: nam in condemnationem & mortem Christi consenserunt Iudæi & gentes, magistratus & subditi, docti, & indocti, &c. Ad hunc modum efficientes expende causas.

Materialis sic consideretur. Christus filius Dei materia est, circa quam tota geritur actio: nam in hunc omnes conatus incumbunt, omnia consilia in istum diriguntur, vt morti tradatur. Materia verò ex qua, est damnatio hominis: ex hac enim, tanquam materia fluxit hic rerum actus adeo luctuosus, &c.

In forma, luctuosus est rerum processus. Tollitur in crucem magna indignatione, sed rerum exitus placidus est: resurgit enim potenter. Ad formam etiam pertinet, quo genere mortis sit passus. Illud sanè ignominiosissimum est, nam non solùm in crucem exaltatur, sed inter duos latrones medius pendet. Ad formam etiam referri potest, modus rei gestæ, vt, quid in horto sit passus, quid à militibus, quid in via, quid in loco supplicij?

Finalis causa etiam expendatur. Agunt enim hic diuersi in eodem negotio, at diuerso fine. Non enim omnibus idem fuit consilium. Agit Deus Pater, vt promissiones de redemptione humani generis impleret. Agit Christus inspiciens λύτρωσιν & salutem nostram, aliósque medios fines, vt resurgeret, cœlos ascendens pro nobis intercederet, iter ad cœlos nobis aperiret. Agit Satan & impia eius organa, respiciens Christi interitum, ignominiam & confusionem eius publicam. Iudas respicit suum lucrum 30. illos argenteos.

In passione Christi agunt diuersi diuerso fine.

Nos etiam qui recolimus eam historiam, certo fine id facere debemus, nimirum vt perpensa tanta malorum mole, cogitemus aliquando quo pacto grati simus Christo, pro tantis beneficiis, præterea de vitæ nostræ emendatione tandem etiam seriò cogitare incipiamus.

Inter

Inter effecta, explicandæ sunt vtilitates, ideóque multiplex bonum, quod hinc nobis est acquisitum. Eius generis quædam annotabimus. Multiplex bonum & vtilitas passionis Christi.

Primùm hinc petatur multiplex consolatio, tum contra legem accusantem: tum contra mordentem conscientiam, contra peccatum aggrauans: contra vim mortis: contra horrores & impetus Satanæ: audis enim finē horum omnium fuisse, vt reconciliaretur pater, is placatus est, vita etiam restituta est, destructa sunt opera mortis, peccati, & Satanæ. Ideóque consolatio in his est certa.

Deinde ad nostri facit notitiam, vt intelligas, quantùm mali in hoc toto negotio nos contulerimus: & quàm nihil boni ad redemptionem nostri potuerimus conferre.

3. Hinc pij ad vitæ emendationem commouentur, vt cogitent de vera sui abnegatione, ac deinceps professionem suam vitæ innocentia, & bonis moribus exprimant.

4. Huc inuitare nos debent, quòd intelligimus reditū nobis ad cœlestia esse patefactum.

5. Et quòd Christus perpetuam intercessionē, pro nobis & omnibus posteris promittit.

6. Promisit etiam suis præsentiam in his terris vsque ad consummationem seculi.

7. Promisit & Spiritum Sanctum, quem etiam efficaciter multis dedit.

8. Sed & ipse Christus rediturus est in carne tanquam iudex.

9. Decet igitur ad eius voluntatem nostros componere mores: confirmatur & nostrorum corporum hic resurrectio quo quidē tempore seuero iudici sumus sistendi.


10. Videmus hîc etiam oraculorum diuinorum certitudinem: nam tota historia passionis, periodo temporum optimè respondet: imò nihil sine scriptura hîc peragitur. Secundum scripturas proditur à Iuda: secundum scripturas à suis reprobatur: traditur gentibus: secundum scripturas etiam diuiduntur eius vestimenta: resurgit etiā secundum scripturas. Quid ergo de reliquis dubitabimus promissionibus, quas nobis reliquit? de his infrà in consideratione consequentiū plura dicemus, vbi exempla virtutum & vitiorum ex tota historia colligemus. Pergamus nunc ad passionis dominicæ diuisionem.

Diuisio.

Hactenus exposita est ratio nominis, & explicatæ sunt causæ quæ ad hoc negotium spectant. Superest vt partes historiæ huius expēdamus. Ac primitus consideremus hîc, quæ sit passionis per se natura. Deinde quænam sit agentis & patientis ratio, quatenus relatiuè se respiciunt: demum, quod est proprium huius loci, historiam partiamur in sua membra.

Passio igitur alia est φθαρτικὴ quæ ad interitum rei vergit, & vt Græci dicunt, εἰς φθορὰν ἄγουσα: verùm ita, vt vel nihil inde nascatur aliud, sed ipsa corruptio finis sit: vel aliud inde nascatur, qualis est physicorum illa μεταβολὴ, cùm in rerum naturalium periodo aliud ex alio nascitur, passionibus corrumpitur vnum, sed nascitur inde alterius vita. Alia passio est ἐνεργητικὴ, hoc est, boni alicuius effectrix, id efficit aut corrigendo, aut instruendo, aut denique perficiendo. Ex hac varietate patientium, vtilis doctrina sumi potest. Patimur etenim diuersi diuersa, quæ diuersitas quintuplex omnino est. Primùm patiuntur hi qui ex afflictionibus redduntur deteriores, sic passus est Iudas, & Satanę martyres indies patiuntur: in his passionibus, ipse interitus finis est, & obid sunt hæ passiones φθαρτικαὶ εἰς φθορὰν ἄγουσαι. Deinde patiuntur pij etiam suos manes: instruuntur autem his, vt deinceps cautiùs viuant, Iidem affliguntur à mundo: sed id ad profectum illorum facit. Tertiò patitur caput piorum ipse Christus: sed res humani generis collapsas corrigit & in integrū restituit: huius triplex est varietas. Nam Christi passio partim est ἐπανορθωτικὴ, res collapsas restituens. Partim est παιδευτικὴ instruens, quales Christi sectatores esse debeāt, & quid à mundo sperandum illis sit: partim etiam τελειωτικὴ res perficiens, quod enim ex infirmitatibus deest piis, hoc ipsum restituit Christus & perficit.

Ex iisdem fontibus fluit patientium & agentium consideratio: cùm enim relatiuè sese respiciant, ita patiuntur & agūt, vt vel patientis mors & vita agentis obtineatur: aut vt vita patientis efficiatur, & morte agens succūbat in actione: aut vt vtriusque mors cōsequatur, tum agentis, tum patiētis: aut denique vtriusque vita retineatur & efficiatur. Vnde est illa quadruplex συζυγία passionis & actionis. Prima, qua patientis mors efficit vitam agentis, hoc modo Christi mors nostra est vita. Altera patientis vita, est agentis mors: sic vita resurgentis Christi, mors est Satanę. Tertia patiētis mors, est agētis etiam mors: sic mors Christi, mors est Satanæ. Quarta vtriusque vita est: sic Christi vita post resurrectionem, nostra est vita, post resurrectionem carnis, æterna. Hæc omnia breuiter imagine quadam ob oculos ponamus hoc typo.



Superest vt ad historiam passionis domini cæ reuertamur. Est illa accuratè descripta à quatuor Euangelistis, ad quorum vestigia inspiciemus in toto hoc negotio: ac vt res sit facilior, historiā illam partiamur in tria capita.

Diuisio historiæ. Primùm complectatur illa, quæ passionem & mortem ipsam proximè sunt antegressa. Alterum rem ipsam vt gesta est. Tertium, quid ipsam mortem sit consecutum. Primum complectatur τὰ ἡγήμενα. Alterū τὸ πραχθέν. Tertium τὰ ἑπόμενα.

Duplici occasio ne motus est Iudas ad proditionē Christi. Ad antecedentia pertinent fermè illa, occasio oblata à Iuda proditore, cum quo paciscuntur sacerdotes: fiūt hæc ante factum. Hanc occasionem alia prior mouit, nam vngitur Christus à muliere pretioso vnguento, ex quo facto, aliqui discipulorum murmurant: hinc occasio quæsita per Iudam, amissum lucrum recuperandi: hunc conatum iuuat sacerdotum consultatio. Adornatur interea cœna Domini, Christus eam celebrat, & inter cœnandum pedes discipulis lauat, eosdē instruit: proditor interea notatur, & egreditur: discipuli de primatu contendunt: consolatur suos Christus. Petrus confidentius sese offert ad futurū certamen: hinc canitur hymnus: ingrediuntur iter ex vrbe ad hortum: in via de scandalo suos præmonet, in quo Petrus iterum confidentiùs respondet: interea ventum est ad hortum, quem ingrediuntur.

1. Ad rei gestionem illa pertinent: quid in horto contigerit: horret Christus futurā mortem: orat indesinenter: Angelus consolatur ipsum: sudat Christus in illo agone sanguinem: discipuli contrà dormitant somnolenti. Christus mox sese offert hostibus: illi ad Christi vocem corruunt: proditur osculo: Malchus à Petro malè excipitur, sanatur tamē à Christo ligatur inde: discipuli fuga dilabuntur: abducitur ipse tanquam maleficus; in itinere cum eis expostulat.

Deinde quid coram Anna contigerit, ad hunc enim primò ductus perhibetur, nihil tamen peculiare hîc gestum esse apparet, tantùm quòd honoris ergò huic gratificati sint, & quòd fuerit socer Caiaphæ.

Tertiò, quid apud Caiapham sit actum. Primùm eò sequitur eum Ioannes & Petrus: deinde quæstio est de doctrina & discipulis Christi. 3. in faciem cæditur. 4. Petri describuntur negationes. 5. falsi quærūtur testes. 6. an sit filius Dei, religiosè ab ipso domino quæritur. 7. damnatur ad mortem ab ipsis sacerdotibus. 8. illudunt illi tanquam damnato.

Quartò, quid coram Pilato geratur. Obseruentur hîc primùm capita accusationis: 2. deinde persona iudicis, in quo bonus est quidem conatus: sed non par constantia. 3. vxor Pilati causam piam iuuare cupit. 4. prima populi vociferatio, in qua Barrabas Christo præfertur. 5. flagellatur. 6. coronatur. 7. ornatur purpura & sceptro. 8. rex salutatur. 9. conspuitur, illuditur. 10. adoratur. 11. conatus Pilati pro iusta causa. 12. lege vtuntur Iudæi & authoritate Cæsaris, qua Pilatū, superant 13. Tribunal. 14. manus lauat, & Barrabas dimittitur. 15. ad mortem Christus damnatus, ducitur.


Quintò, quid corā Herode: ad hunc etiam ducitur, vt causam hanc à se remoueat Pilatus. hîc, quæritur signum. 2. contemnitur Christi humilis persona. 3. illusum remittit eum Pilato. 4. reconciliantur tamē Herodes & Pilatus, hactenus inimici. Demum huc pertinet, quod itine-

in itinere & loco supplicij gestum est. qualia sunt, 1. Christus portat crucem humeris. 2. deficiunt vires sub pondere. 3. Simon adactus eandem fert. 4. mulieres lugentes comitantur ipsum. 5. cruci affigitur. 6. sitiens aceto potatur. 7. orat pro inimicis. 8. titulus crucis. 9. vestes distribuuntur sorte. 10. matrem commendat discipulo. 11. conuitia audit prætereuntium, deinde sacerdotum, militum, & latronis. 12. latro pœnitens gratiā repetit. 13. iterum sitiens potatur. 14. spiritum tradit magno clamore.

Ad consequentia pertinent illa. Primùm quòd velum templi scinditur. 2. terræ motus fit. 3. mortui excitantur. 4. petræ rumpuntur. 5. Centurionis laudabilis est conuersio. 6. sera est etiam aliorum pœnitentia. 7. propinqui Christi. 8. non franguntur illi ossa. 9. latus perfoditur, effluit aqua & sanguis. 10. Ioseph. corpus Christi impetrat. 11. Nicodemus aloën & myrrham affert. 12. sepelitur honorificè. 13. Custodes sepulchro adduntur, & obsignatur lapis. 14. gloriosa est resurrectio. Sed de his accuratiùs instituamus considerationem, ideóque ab initio, singula repetamus.

Ἡγούμενα ET EORVM ἐργασία.

LOCVS XV.



INItium passionis sumi debet ab historia, qua Christus in horto scribitur sudasse sanguinem: ideóque quæ antecedunt eam historiā, προπαρασκευὴν quandam futuri actus continent, & eum tanquam finem respiciunt. In his ergo expendi debet quomodo Christus ipse ad mortem futuram sese accommodet, adeóque ad eam hostiam puram sese præparârit. Deinde quales sese in toto hoc negotio discipuli prębuerint. Tertiò quæ fuerint consilia, & qui conatus deliberationésve hostium Christi. sunt illa huius loci præcipua tria capita. hæc breuiter sic accipe.

- *1. Christus ad mortē pro humano genere sese adornans. 4. agit.*
  - 1. præscit mortem, imò scit.
    - Causas mortis. 1.
    - Tempus. 2.
    - Formam. 3.
  - 2. consolatur suos, & præmunit contra metum mortis.
  - 3. Testamentū instituit, vbi obserua.
    - Quis author.
    - 1. Testamenti.
    - 2. Ritus.
    - Quæ bona legata.
  - 4. accommodat sese ad mortem vbi notantur
    - 1. locus secessionis: hortus.
    - 2. finis: oraturus.
    - 3. comites: discipuli.
- *2. Hostes auidè captantes. qui sunt.*
  - Aperti vt sunt.
    - Caiaphas, Seniores, Pharisæi, Scribæ, — Penes hos tum erat cura religionis.
  - Clandestini, vt Iudas in quo expende.
    - Causam αἴτιον.
      - προκαταρκτικόν, vt fuerat — vnctio, auaritia. Voluntas mala.
      - Συνεκτικόν — Satan in eum ingressus.
    - Pactum prodendi pro 30. argenteis.
- *3. Discipuli in quibus expēde.*
  - 1. Συμπάθειαν, quia condolent.
  - 2. Ἄνοιαν, quia nihil intelligunr.
  - 3. Ἀπροσδιόνυσον, ipsi de primatu rixantur.
  - 4. Θρασύτητα, temerarij sunt.
  - 5 Βραδύτητα, , somnolenti redũtur.
  - 6. Δειλότητα, timidi, alij fugiunt, alij negant.

Ex huius loci tractatione emergunt iam varia διδάγματα, quæ vtile fuerit excutere: facient enim πρὸς παιδείαν καὶ παράκλησιν. Sequamur autem personarum iterum ordinem.

1. Igitur in persona Christi habemus, primùm argumenta diuinitatis, is enim omnia nouit priusquam eueniant.

2. Deinde argumenta φιλανθρωπίας, qui tanta cura nō solùm se ad pœnas ferendas pro humano genere præparat: sed discipulos etiā præparat, quoad fieri potest ad hoc certamen.

3. Præterea insignis est sedulitas Christi instituentis cœnam vltimam, admonentis etiam de vsu & fine instituti illius.

4. Præterea tolerantiæ & patientiæ exemplum proponitur in eo, quòd fert rudes discipulos, proditorem etiam in mensa tanta longanimitate.

5. Humilitatis etiā, qui se ad extrema quęque submisit pro nobis mortalibus: horrorem fert, illusiones, & ipsam mortem, in quibus omnibus abiecta & humilis apparet persona Christi.

6. Præterea ostendit, quò in afflictionibus nobis sit confugiendum, ad Deum scilicet ardenti oratione: in quo, exemplum seriò orantis nobis exhibuit.

7. Item, quò nos conferre oporteat vt seriò oremus, nempe ad loca solitaria: secessus enim illi admodum sunt vtiles orantibus.

8. Vtilis est locus etiam, de hymnis admensam, vt discamus cum gratiarum actione dona domini sumere.

1. In persona hostiū Christi, disce, quanta sit vis excæcationis: quod videre est in Iudæis & Iuda.

2. Deinde quantùm frigeant impio pectori piæ adm onitiones.

3. Prætérea quales sint rationes quæsitæ contra æquitatem: quod declarant Iudæi contra Christum & Pilatum præsidem.

4. Item quæ sint notæ conciliorum impiorum, quas produnt seniores, & Pontifices in suis conciliis.

5. Adde quæ habes in exemplo Iudæ, quæ sit proditorum pernicies: etiam charissimis quibusuis non parcunt.

6. Item quod sit malum auaritiæ: rectè de illa dixit Apostolus, quòd radix sit omnium malorum.

7. Demum quod sit ingenium offendiculi accepti: in peius semper ruit, sic Iudas hîc, &c.

In persona discipulorum sunt adhuc illa, magna securitas in tantis Christi angoribus: deinde crassa ignorantia, temeritas & confidentia, in primis autem in Petro: conatus etiam carnalis, defendēdi Christū: imbecillitas humanæ carnis sine Dei præsidio: latebras quærunt illi qui mori cum Christo voluerant. Demum quæ sit vis pœnarum & horror mortis, cuius metu Christus abnegatur, &c.

Τὸ πραχθέν.

Altera hæc pars est, historiæ passionis dominicæ, ac initium habet ab oratione in horto, in qua sanguinē sudare cœpit: producitúrquevsque dum in crucem extollatur, ac spiritum tradit in manus Dei patris: hæc enim propriè passionis historiam continent.

In tota huius negotij gestione consideretur persona Christi Rei: deinde περιςάσεις passionis, vt est locus, tempus, personæ agentes.

1. Ad personam Christi, qui reus hic peragitur, spectant illa: quis sit Christus? Filius Dei, hoc enim nomine condemnatur, ideóque est innocens: & semen illud Euæ promissum.

2. Deinde quid patiatur? hîc propriè est τὸ πραχθὲν continens partim παθήματα, partim, ipsam mortē. παθήματα sunt 1. sudor sanguineus ex horrore mortis. 2. colaphi. 3. flagra 4. corona spinea. 5. sputum. 6. perfossum latus, &c. Mors autem expendi debet: cur mortem crucis subire debuerit? paucas afferamus rationes. Primùm Christum maledictum fieri debuit pro nobis: par igitur fuit, vt ea morte afficeretur, quæ maledicto erat posita: ea autem, fuit mors crucis. Deut. 21. maledictus omnis, qui pendet in ligno. deinde morte Christi, deiici debuit Satā (est autem is princeps aëris, in eóq; degit) quare in aëre mori debuit. 3. sua morte ex Iudæis & gentibus vna Ecclesia colligenda erat, expansis igitur manibus pati voluit, vt vna Iudæos, altera gentes ad se vocaret. Quartò ignominiosissima morte affici debuit, talis autem crucis erat ignominia. Quintò, vt pœnæ & peccati esset ratio: grauissimum fuit peccatum, grauissimas igitur oportuit esse pœnas. Demum non debuit in hac hostia frangi vllum os, quod in morte crucis fieri potuit, in reliquis supplicij generibus non item, &c.

Cur Christus mortem crucis subire debuerit.

Tertiò expendatur pro quibus illa patiatur Christus: pro genere humano perdito, &c.

Quartò à quibus patiatur, de his in circunstantiis plura, &c.

Sequitur περιςάσεων locus. Pertinent huc passionis circunstantiæ, quas sic breuiter accipe.

Captus.

- Ad circũſtantias pertinent.
  - 1. *Locus vbi ſit.*
    - 1. Captus in horto: in horto homo peccauit, ibi proditur, capitur Chriſtus, ſepelitur & reſurgit.
    - 2. Condemnatus, primùm in concilio phariſaico, vbi religionis cura vigere debuit: deinde in prætorio Romani magiſtratus. Tertiò, in cœtu populi.
    - 3. Mortuus, in Golgatha, hoc eſt, loco damnatorum inter duos latrones nocentes, ipſe innocens.
    - 4. Sepultus in horto, & nouo ſepulchro.
  - 2. *Tempus in*
    - Genere
      - 1. Cùm Iudæi iam eſſent ſub alieno imperio, vt prædixerat Iacob. Gen. 49.
      - 2. in paſchate, in quo erat
        - Typus.
          - Significans. agnus.
          - Significatum.
        - Res
          - Liberatio ex AEgypto.
          - Cœna Domini. liberatio à peccato.
    - Specie.
      - Capitur ſummo manè.
      - 1. hora ducitur ad Pilatum.
      - 3. hora damnatur.
      - 6. hora crucifigitur.
      - 9. hora ſpiritum tradit.
      - Veſperi deponitur, Sepelitur.
      - nobis.
        - manè
        - 6.
        - 9.
        - 12.
      - hora
        - forte.
        - quinta
        - ſexta.
  - 3. *Perſonæ, & ſunt partim.*
    - 1. Actores.
      - 1. Accuſatores, triplices ſunt, 1. Caiaphas qui Prophetæ perſonam ſuſtinens, ait expedire vt vnus pro populo moriatur.
      - 2. Iudas perſona procatarcticaeſt, nam dat occaſionem ſacerdotibus, certa pecunia illum proditurus.
      - 3. Turba & populus ſunt σύνεργα: acclamant enim & vocibus approbant impios conatus.
      - 4. Iudicis perſona Pillatus, qui per
        - Se apparet bonus.
        - alios corrumpitur clamoribus.
    - Spectatores.
      - 1. Boni
        - 1. Diſcipuli.
        - 2. Nicodemus.
        - 3. Simon.
        - 4. Ioſeph.
        - 5. Mulieres ex Galilæa.
      - Mali
        - 1. Prætereuntes.
        - 2. Milites.
        - 3. Sacerdotes.
      - Mixti
        - 1. Latro vnus.
        - 2. Centurio.
        - 3. Quidam de militibus, populo.

Ἑπόμενα νεκρώσεως

Tertia pars eſt hiſtoriæ, de his quæ paſſionem ac mortem ipſam ſunt cõſecuta: ſumitur illius initium ab eo loco, vbi ſcribitur, ſpiritum tradidiſſe in manus Dei Patris. Commemorantur autem varia, quæ omnia fidem hiſtoriæ faciunt: deinde teſtantur Deum ſingulariter hæc curare quę geſta ſunt cum Chriſto: demum aduerſariis horrendas pœnas comminantur.

Eſt autem eorum omniũ triplex ratio: quædam enim ſequuntur tanquam prodigioſi effectus: alia ordine, alia demnm tanquam finis vltimus.

Primi generis prodigia illa, quæ hiſtoriam tanquam certiſſimi teſtes confirmant, vt. 1. ſunt terræmotus. 2. velum templi ſciſſum. 3. petræ ruptæ. 4. ſolis defectus. 5. aperiuntur ſepulchra. 6. mortui reſurgunt. Eueniunt hæc omnia contra naturæ curſum, & ſingulari Dei conſilio, vt eò magis declaretur Dei conſilium in redemptione humani generis, nihil hic caſu aut fortuitò actum: ſunt hi effectus prodigioſi.

Secundi ordinis ſunt effectus finales, in quibus eſt ordo hiſtoriæ declaratus, nam mortem ſequitur ordine ſepultura: hinc cura ſepulchri, inde reſurrectio illa glorioſa, conuerſatio cum diſcipulis per dies 40. demum illuſtris illa Aſſcenſio ad cœlos, vnde iudicem Chriſtum iterum expectamus, illa ſic cohærent.

Historia ordo consequens. vt,

- 1. Sepultura.
  - Vbi? in horto.
  - 2. quomodo? 1. vnctus. 2. innolutus syndone. 3. signato lapide sepulchri. 4. adhibitis custodibus.
  - 3. à quibus?
    - Iosepho. 1.
    - Nicodemo. 2.
    - matronis. 3.
- 2. Resurrectio.
  - 1. Quando? tertia die secundũ scripturas.
  - 2. Quibus testibus?
    - 1. Angelo apud mulieres.
    - 2. mulieribus apud discipulos.
    - 3. custodibus apud pontifices.
- 3. Ascensus ad cœlos.
  - 1. Vbi? in monte Olineti.
  - 2. Quando? post 40. dies à resurrectione.
  - 3. Cur? præparaturus nobis iter ad cœlos.
  - 4. Quomodo? subduxit eũ nubes.

Ad testes resurrectionis pertinet Angeli testimoniũ, *Nõ est hic*: & militũ qui pontificibus enatrant ἅπαντα τὰ γενόμενα: his enim in primis credituri erant: deinde apparitiones, quibus diuersis diuerso tẽpore Christus ipse apparuit & locutus est, vt Mariæ Magdalenæ primitus, manè summo, Mar. 16. Deinde eidem Mariæ, & alteri Mariæ, simul in via recurrentibus in vrbem, Matth. 28. Tertiò, vesperi resurrectionis discipulis, absente Thoma, Ioan. 20. Quartò post dies octo iterum discipulis pręsente Thoma, Ioã. 20. Quintò Petro, 1. Cor. 15. Sextò duobus discipulis eũtibus in Emaus. Septimò discipulis quatuor ad mare Tyberiadis. Ioan. 21. Octauò, Iacobo soli. 1. Cor. 15. Nonò, plus quàm 500. simul. 1. Cor. 5. quæ videtur illa fuisse apparitio in Galilæa. 3. Matth. 28. Decimò in monte Olineti discipulis ascensurus ad cœlos, &c. Mar. 16. Act. 1.

Effectus passionis Christi.

Tertij ordinis sunt effectus finales, qui nos tanquam fines vltimos respiciunt. Tales effectus propriè sunt passionis Christi: primus & maximus, Salus homini reparata: deinde victa mors, Satan, peccatum. In passione etiam illustria sunt testimonia, quòd Deus suos curet, & quòd impiis persecutoribus comminetur diras pœnas.

Quid doceat sepultura Christi.

In sepultura docemur nostra peccata sepeliri, & naturam corruptam mortificandam esse. In resurrectione primùm nostra est reposita iustificatio, Rom. 4. deinde nouitas vitæ. Rom. 4. demum spes nostræ resurrectionis. 1. Thess. 4. quæ omnia ad locos consolationis possunt accommodari.

Quid resurrectio.

Suppeditat etiam hic locus vtilium effectorũ, exempla diuersa virtutũ, quas decet Christianos imitari: & vitiorum, quæ à professione Christiani nominis abhorrent.

Virtutum exempla sunt, in Christo vbique est obedientię exemplum, item φιλανθρωπίας, benefacientis etiam hostibus suis: curæ etiam pro parẽtibus: in Petro resipiscentiæ maturæ: in mulieribus, amoris & constantiæ, solicitudinis etiam piæ. Simon typus est Ecclesiæ sequentis & ferentis crucem nomine Christi: in altero latrone etiam pœnitentiæ exemplum: in Pilato Romanæ integritatis vestigium.

Vitiorum autem exempla sunt, in Iuda, desperationis & auaritiæ, quæ hunc proditorem effecit: in sacerdotibus est exemplum liuoris & odij. Caiaphas iniqui iudicis & hypocritæ personam sustinet. Annas contemnentium Christum & eius Ecclesiam, in Pilato timiditatis: in populo inconstantiæ, & leuitatis: in militibus petulantiæ, & perfidiæ militaris: verum narrarunt negotium resurrectionis, dum essent in metu, & nulla affulgeret spes lucri: at dum offeruntur ἀργύρια ἱκανά, in gratiam pecuniæ mentiuntur contra conscientias: de his verè dicitur illud. Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur: in altero latrone exemplum est desperationis & blasphemiæ in prætereuntibus maledicentiæ, &c.

Veteres versiculi elegãtes de passione Domini.

Patris sapientia veritas diuina.
Deus homo captus est, hora matutina.
A suis discipulis citò derelictus.
A Iudæis venditus, traditus, afflictus.
1. *Hora prima ductus est Iesus ad Pilatum.*
Falsis testimoniis multùm accusatum
In collum percutiunt manibus ligatum.
Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.
3. *Crucifige clamitant hora tertiarum,*
Illusus induitur veste purpurarum.

Caput

Caput eius pungitur corona spinarum.
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.
6. Hora sexta Iesus est cruci conclauatus,
Et est cum latronibus pendens deputatus.
Præ tormentis sitiens felle saturatus:
Agnus crimen diluit, sed ludificatus.
9. Hora nona Dominus Iesus expirauit
Heli clamans, animam Patri commendauit.
Latus eius lancea miles perforauit:
Terra tum contremuit, & Sol obscurauit
De cruce deponitur hora vespertina.
Fortitudo latuit in mente diuina:
Talem mortem subiit vitæ medicina.
Heu corona gloriæ, iacuit supina!
Hora completorij datur sepulturæ.
Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ.
Conditur aromate, complentur scripturæ
Iugi sit memoria, mors hæc mihi curæ.
Has horas Canonicas, cum deuotione,
Tibi Christe recolo pia ratione.
Vt qui pro me passus es, amoris ardore,
Mihi sis solatium in mortis agone, &c.

Amen.

DE DESCENSV CHRISTI ad Inferos.

LOCVS XVI.



MORTEM & sepulturã Domini nobis descripsere omnes Euangelistæ, ídque præstitere accuratè & perspicuè. Postea transgressi, resurrectionem gloriosam persecuti sunt: fortè quòd ad salutẽ nostram, illa pars historiæ magis spectaret: quàm quomodo Dominus Christus, contra Satanam spiritualiter depugnarit.

Cæterùm cùm inter articulos fidei, quoque relatus sit descensus ad inferos, totáque Ecclesia vbique terrarum hodie illum articulum & agnoscat, & diuersum à sepultura recitet, non fuerit abs re fortasse, rem hanc paulò accuratiùs iam expendere.

Nam etiamsi ab omnibus verba illa recitentur in Symbolo, non tamen omnium, eadem est, horum verborum interpretatio. Et sanè optandum fuerat, in hac quæstione, vt in aliis etiam fidei articulis, vniformem esse in Ecclesia Christi doctrinam, quod fieri poterat si τὸ ῥητὸν seruaretur, sine scrupulosa interpretatione, aut si interpretationes nostras tanquam probabiles, quales omnes in hac causa fermèsunt, nõ vt firmas & necessarias, Ecclesiæ obtruderemus. *Articuli fidei de descensu Christi ad inferos, variè sunt interpretationes.*

Qua in re laudabilis est D. Augustini sobrietas, qui Euodio ad hanc quæstionem responsurus modestè fatetur ignorantiam suam: alibi tamen non dubitat dicere Christum secundum animam apud inferos fuisse: secundum corpus verò in sepulchro. *Sentẽtia August.*

Et Lutherus alibi de loco diui Petri dubitat, quomodo intelligi debeat. Et sanè nisi ardore disputationum longiùs progressi incalescerent ingenia nostra, ad multa piè respondere poteramus. Verùm cùm & hæc ignorantiæ confessio multis videatur hodie non solum turpis, sed etiam minimè Christiana, præsertim in interprete & eo qui alios docere debeat, aut velit, respondendum est sæpe stulto ne & ipse sibi sapere videatur. sed ad institutum reuertamur.

Primùm audiemus eorum sententias, qui hac de re aliquid scripsere, aut quæ ab aliis proditæ sunt. sic enim fortasè quid ad veritatem proximè accedat perspici potest. Quibus non grauatim addemus nostram sententiam, quam iudicamus scripturæ esse conformem.

Ac ad rei maiorem declarationem primùm ponimus *scheol* non solum sepulchrũ significare: sed iram Dei & miserias damnatorum, de quo in loco de Inferno copiosius agemus. *1. Non solum sepulchrũ.*

Deinde infernum esse certum locum, in hac quæstione damnatis deputatum, Satanæ eiúsque membris: ideóque nihil huc pertinere quæstionẽ de Limbo, cùm pij patres non in- *2. Certus locus.*

ter dãnatos fuerint, sed in sinu Abrahæ: ideóque neque de sepultura hîc commodè mouet quæstionem, nec de Limbo patrum. dicemus tamen etiam suo loco, quàm malè subſtat ille patrum Limbus à posteris excogitatus.

Quod igitur attinet sentẽtias de Christi descensu ad inferos, fuerũt quidam in ea sententia, vt dicerent, Christum corpore & animo ad inferos descendisse: ibidémque relicto & corpore & animo sola diuinitate cœlum ascendisse: quos pridem damnauit Ecclesia, sed absurdum fuit dogma, cùm secundum diuinitatem, semper in cœlo vel potiùs vbique fuerit, nec fuerit necessum ascensionem illius annotare, cùm perspicuè ad corpus, adeóque

1. Chrystolytæ. totam Christi personam concernat, Chrystolytas hos appellarunt, & inter hæreses referuntur apud Damascenum.

Alij docuere Christum ad inferos descendisse etiam corpore, & omnes incredulos inde liberasse quos recenset Augustinus inter hæreses: sed etiam illorum impia fuit sententia. Nam Christi meritum etiam damnatis applicarunt, & ita reducem inde Christum fecere, vt exinanirent infernum omnibus inde liberatis infidelibus. Sed istos sinamus tanquam extra Ecclesiam positos.

In Ecclesia etiamnum hodie variant sententiæ. Primùm enim vulgatissima est sententia,

1. Ad limbum. Christum descendisse ad limbum quẽdam, in quo patres ab Adamo vsque ad Christi mortem sint omnes collecti. Sed hæc sententia in eo est infirmior, quòd limbum illum oporteat priùs probare, quòd sit. Si enim nullus sit limbus patrum apud inferos, frustra dicunt, illuc descendisse Christum. Et si piorum animæ statim à morte ad vitam beatam sunt translatæ ad inferos, non est necessum sequestratum illis assignare locum. Sed de hoc argumento plura infrà dicemus, in limbo patrum.

Alij planè negant omnem ad descensum inferos, dicúntque idem dici, quod prior habet sententia, sepultus est: quasi sepultum esse & descendere ad inferos idẽ sit. Nã cùm *scheol*

2. Idem quod sepultus est. sit sepulchrũ, sequi videtur descẽdere ad *scheol*, idem esse, quod sepultũ esse: sed fallũtur etiam hi: quòd nondũ probarint, hoc loco *scheol* etiã pro sepulchro poni. Verum quidem est multis locis *scheol* sepulchrum rectè verti, attamen non consequens est, vt mox hoc loco idem significet, nisi velint iidem hanc vocem semper in scripturis pro sepulchro poni: aut specialiter hîc significare tantùm sepulchrũ. Et quod aiunt ἐξήγησιν esse quæ scripturæ sit familiaris: negamus id hic habere locum. Nã exegeticę expositiones, obscuriora solent per dilucida & perspicua explicare. At nemo ignorat sepultum esse, multò clarius esse, quàm posterius decendere ad inferos: quare absurda est illa defensio, statuendum igitur est, quod veritas ipsa postulat, diuersa est in Symbolo Apostolico, sepeliri & descẽdere ad inferos. Cur enim in tanta breuitate Symboli, rem eandem bis posuissent, cuius nec in oratione Dominica, nec in Symbolo aliud extat exemplum.

Nonnulli grauiùs impugnant hunc descensum, dicunt enim planè tollendam è Symbolo hanc sententiam, quibus eò difficilius est contradicere, quòd graues habeant authores suæ opinionis. Attamen considerandum est, quid illi dicant, & quam firmiter concludant.

Primùm, Cyprianus (inquiunt) refert, hanc particulam non haberi in Orientalibus Ec-

3. Tollãt è symbolo. clesiis, & in Romana quoque deesse. Respondemus defuisse quidem tum apud multa Symbola: sed Ecclesias descensum Christi ad inferos nihilominus intellexisse, in verbo Sepultus est: quòd manifestè docet Cyprianus ibidem cùm inquit, Vis tamen verbi eadem videtur esse, in eo quòd sepultus dicitur: sed & idem Cyprianus hunc articulum manifestè approbat paulò infra. Sed & quod in infernum descendit, euidenter prænuntiatur in Psalmis vbi dicit, Et in puluerem mortis deduxisti me, &c. & mox testimonium Petri affert. 1. Pet. 3. in quo etiam quid operis egerit in inferno declaratur.

Deinde obiiciunt. Nicenæ fidei expositio apud Athanasium, non habet illam particulam. Hoc quidem simpliciter verum, negamus esse. Nã licet expositio fidei apud Athanasium, illam non habeat: tamen Symbolum ipsius expresè eam particulam habet.

Apud Euseb. quoque lib. 10. cap. 6. fidei Nicenæ exemplar habetur, in quo omissa est hæc claus ula: sed ibidẽ quoque omissa est sepultura, quam tamen nemo sanus negare potest. Apud Nicephorum, Orientales formulam fidei offerunt lib. 9. cap. 10. quæ idẽ nõ habet, sed ab Arrianis composita est, & alia multa omisere, quæ orthodoxi nõ omitterent. Idẽ responderi potest ad μακρόστιχον quẽ iidem Orientales contra Athanasiũ Occidentalibus offerunt.

Tertullianus in præscriptionibus strictim regulam fidei recitat: sed non solũ hanc clausulam, sed aliam etiam omittit, vt sepulturam, vitam æternam, Catholicam Ecclesiam, quæ omnia tamẽ nec ipse Tertullianus nec alius sanæ mẽtis negare potest. Nam Tertullianus libro de resurrectione carnis apertè indicat vitam Christi in nobis manifestandam, eam inquam vitam Christi, qua non solum mortis portas: sed inferorum æneas seras infregit, quę exinde iam nostra est &c.

Sic apud Hieron. habetur Symbolũ Damasi, in quo licet nõ legatur, Descẽdit ad inferos tamen habes ibi, deuicto mortis imperio resurrexisse, quod in descensu ad inferos planè factum esse intelligi potest. Hieronymus ad Damasum fidei explanationem scribit, in qua,

qua, ſepulturam etiam omiſit. In explanatione ad Cyrillum, negotium Trinitatis ſolum perſequitur, reliquos articulos fidei omnes præterit. Symbolum Ruffini apud Hieron. ex Cypriano ad verbum deſumptum eſt. ideóque ſignificat quidem Orientales Eccleſias id non habuiſſe, nec Romanum Symbolum: ſed intra ſcripturæ teſtimoniis hunc articulum aſtruit. Ac de Hieronymo notum eſt illum hunc articulum copioſè defendere.

Idem reſpondemus ad Auguſtinum. Nam in expoſitione Symboli, omiſſa eſt illa clauſula, vt eſt videre ſermone. 125. ſed quale illud ſit Symbolum, æſtiment lectores: quæ vero fuerit Auguſtini ſententia de deſcenſu Chriſti ad inferos ſi non aliunde, certè ex epiſtola. 99. conſtare poterat.

Ac animaduertãt illi qui hæc nobis obiiciũt vt tollãt in vniuerſum deſcẽſum Chriſti ad inferos ex Symbolo: quàm facilè eodẽ argumẽto alij etiã articuli tolli poſſent, vt eſt vita æterna, Eccleſia Catholica, ſepultura Chriſti, &c. quæ ſingula in multis Symbolis ſunt omiſſa.

Reſpondebunt illi fortaſsè nobis: non valere Symbola, niſi quatenus ſcripturæ teſtimoniis nituntur. Concedant ergo nobis etiam, vt liceat ab illis Symbolis ad ſcripturã prouocare. Nam cùm videret Eccleſia, apertè tradi in ſcriptura deſcenſum ad inferos, graui conſilio tandem hanc clauſulam in formulam fidei admiſit. Aut dicant illi nobis qua ratione factum ſit, vt tanto conſenſu, apud omnes nationes, in omnibus linguis, adeóque conſtanter & conſentienter recepta ſit illa clauſula. Impoſſibile ſanè videtur, ſi error hic eſſet commiſſus, quin aliqui ſe huic oppoſuiſſent malo: non ſine concernatione fuiſſet in vſum recepta: ſupereſſent etiam aliquæ Eccleſiæ, quæ non agnoſcerent. Ideóque conſenſus iſte graue eſt argumentum veritatis. Adde patrum ferè omnium (licet diſcrepans ſit explicatio) conceſſionem qua aliquem eſſe deſcenſum, & ſecundum aliquem modum Chriſtum ad inferos deſcendiſſe dicunt.

In multis ſymbolis fidei articuli quidam ſunt omiſſi.

Eccleſia magno conſenſu hunc Chriſti deſcenſũ ad inferos approbat.

Minimè igitur committendum eſt, vt audiamus eos, qui tollendum cenſent.

Sed & illi qui non tollunt, non omnes conſona afferunt. Alij enim cum ſepultura confundunt, quaſi idem ſit. Alij limbum quendam comminiſcuntur: quorum vtrinque ſententiam improbamus. his enim priùs probandus eſt limbus: illis autem quòd hoc loco deſcendere ad inferos idem ſit quod ſepelire, & curres eadẽ bis ponatur, & obſcurius quidẽ poſterius. Porrò alij totũ hoc quod de deſcẽſu ad inferos ſcribitur, ad ſenſũ iræ diuinæ referunt, qui ſenſus eò grauior erat, quòd pœnas ſubiret irati Patris pro omnibus humani generis ſceleribus & peccatis: quæ ſentẽtia pia eſt & vera, ſed tamen in illa penitus haud acquieſco.

Nam ſi quæras, quando hic ſenſus iræ diuinæ inceperit, quando item ſit finitus: reſpondebunt fortaſſe cœpiſſe in horto, dum orauit & ſanguinem ſudare cœpit: finitum autem in cruce, cùm tradidit animam. Verùm deſcenſus ad inferos hæc omnia eſt conſecutus, ideóque fruſtra afferuntur illa. verè ſenſit Chriſtus irã Dei Patris, & fortaſſe hic ſẽſus cœpit etiã cùm ex Galilæa obfirmata facie aſcenderet cõpletis iam diebus aſſumptionis ſuæ: ſed quid illud ad rem? pertinent iſta ad paſſionẽ & mortẽ, quæ diſertè in ſymbolo ſunt expreſſa. aliud autem ab vtroque deſcendere ad inferos: qui deſcenſus tempore fuit poſterior, niſi concedere illi velint, poſt mortem etiam Chriſtum adhuc ſenſiſſe iratum Patrem, & animam illius cum doloribus inferni adhuc fuiſſe colluctatam, ſed ἄτοπα illa ſunt.

Quare mea eſt ſententia Chriſtum deſcendiſſe ad inferos, poſtquam tradidiſſet ſpiritum in manus Dei Patris in cruce: nã in ſymbolo hic ordo ſeruatur, vt quæ tempore præceſſere, tempore ſuccedant: dico de iis quæ Chriſti perſonam attinent.

Deinde quòd Petrus manifeſtè viuificatum ſpiritu dicat, in quo abierit & prædicarit ſpiritibus in carcere conſtitutis. qui locus 1. Pet. 3. ſimiliter ille, cap. 4. & Act. 2. non ita facilè eludi poſſunt, vt quidam exiſtimant.

Sentẽtia authoris de deſcẽſu Chriſti ad inferos.

Porrò quomodo deſcẽderit, corporéne an ſpiritu, difficile quidem eſt hæc Dei arcana perſcrutari, tamen ex Petro conſtat, ſpiritu Chriſtum deſcendiſſe: nam expreſsè inquit, In quo (ſcilicet ſpiritu) profectus prædicauit ſpiritibus, &c. Spiritu igitur cùm prædicarit illis, & ſpiritu cùm ſit ad eos profectus, ſequitur Spiritu illum deſcendiſſe. Et quòd Petrus ait, ποτὲ, olim, non ad porfectionem pertinet, vt nonnulli conſtructionis ordinem perturbant, ſed ad ἀπειθήσασι.

Sed afferunt illud, Chriſtum dicere latroni, Hodie mecum eris in Paradiſo: ergo non deſcẽdit ad inferos, ſed rectà in Paradiſum à morte. Reſpondeo, nihil hoc obeſſe præſenti cauſæ. Nam Chriſtus cum latrone erat in Paradiſo ſecundum diuinitatem, in ſepulchro ſecũdum corpus, apud inferos ſecundum Spiritum: ſed & de illo non ſatis conſtat, quandiu apud inferos ſit commoratus: non diu, vt apparet, vt eadem die ſecundum animam, ab inferis reuerſus glorioſè Paradiſum ſit ingreſſus cum latrone. Nec validius eſt alterũ quod afferunt, Chriſtum ſcilicet commendaſſe animam in manus Patris. Nam anima Chriſti ſemper in manibus Patris fuit, etiamſi deſcenderit ad inferos: deſcenſus enim hic ſine dolore, ſine ignominia Chriſti factus eſt. Quomodo enim dolores mortis alioquin ſoluti eſſent? & rectè dicitur ſolutis mortis doloribus, non quibus tenebatur, ſed quibus teneri poſse videbatur, quemadmodũ venantiũ retia diſſipantur. Quòd verò dicũt, non fuiſse opus hoc

Obiect. Reſponſio.

descensu, principiū petunt: quomodò.n. opus esset, quod Christū fecisse pronunciat scriptura & quod confitemur in Symbolo. Necessarium igitur fuisse iudicamus. Primùm propter reprobos, vt illis innotesceret illū iam venisse, quem toties venturum audiuerant, sed magno contēptu spreuerāt: his igitur virtute spiritus Christum innotuisse: Satanæ etiam penitùs innotescere debuit, vt sciret Christum hunc quem tentarat in deserto, & quem fraude Iudaica morti tradi viderat, hūc ipsum esse Messiam, & semē mulieri promissum: hoc, inquam, expediebat etiam dæmonibus in imo tartaro innotescere. Deinde expediebat etiam propter electos, vt sciret Satan eum in corpora illorum etiam nihil iuris habiturum, quæ olim esset etiam ad vitam reuocaturus.

Porrò quod electos ipsos attinet, non puto apud inferos fuisse detentos: sed à morte in vitam æternam ingressos merito vēturi Christi. Ad hos igitur, meritum Christi quoque penetrauit non iam primùm, sed semper à condito mundo, iam tamen hanc hostiam mundam reuera actu etiam oblatam esse: quæ res licet Deo Patri semper fuerit præsens: non tamen perinde electis ipsis, quod iam primùm illis etiam innotuit, &c. Hæc in præsentia de hac re, mea est sententia, quæ vt probabilis est: ita accipi illam volo vt probabilē tantùm: demonstratione enim hīc caremus neque aliter de hoc descensu sentientes accuso multiplex enim, eáque vtilis expositio eiusdem rei adferri potest.

DE LIMBO PATRVM.

LOCVS XVII.

Quid sit.  Imbum vocant inferni partem superiorem, in qua detenti fuerunt saluandi patres, quousque debitum primi parentis solueretur per mortem Christi. quem locum κόλπον, hoc est, sinum Abrahæ dici volunt à Christo Luc. 16. & apud Hæbræos, *tserur*, hoc est, ligatorium vel conseruatorium esse. 1. Reg. 25. Et erit anima Domini mei ligata *bitserurbachaiim* in ligatorio viuentium: & *schagnar scheol* portas inferni, Psal. 23. Tollite portæ capita vestra, & Psal. 38. vadam *beschagnar scheol* in portas inferni: quæ vt rectiùs intelligamus: sic accipite.

Qui hanc doctrinam de Limbo patrum & Purgatorio defendunt, statuerunt duo loca seu receptacula animarum: vnum gloriæ, alterum miseriæ & pœnarum: gloriæ locus est cœlum ipsum, in quo sit vita æterna & vera πλεθυγίεια rerum omnium: sed ante Christi aduentum animabus nondum patuisse dicūt.

Pœnarum locum distinxerunt in plura receptacula vel domicilia ac mansiones. Nāpœnæ illæ aut sensum habent æternum pœnarum, in quo loco soli sint damnati impij, quibus nulle sit spes liberationis: hic locus propriè infernus dicitur, & *scheol tachtiiat* infernus inferior, & *matascheol*: quia infimum sit domicilium totius inferni. Aut pœnæ sunt cū
Infernus infimus. sensu coniunctæ sed ad tempus solum. In hac mansione sunt ab illis cōstituti, qui post mortem, liberationem expectare possunt peccatorum. Ideóque Purgatorium his est attributum: ac
Purgatorium. collocant Purgatorium supra tartarū illum damnatorū, tanquā in secunda mansione vel interstitio. Ant pœnę illę nullum habēt coniunctum sensum: sed priuatio est solùm melioris & perfecti boni; ideoq; damni appellarunt quia damnū tantùm sit in mora, éstque
Limbus. cōclaue hoc tertiū: seu in tertia contignatione totius inferni: & Limbū appelarūt, in quo cōclusi māserint patres vsq; ad Christi aduentū.

Limbus patrum Limbus infantiū. Sed qui diligentiùs inspexerunt regiones illas & infernū lustrarūt, dicunt Limbū hunc geminum esse, alium patrū, de quo iam diximus, eúmq; euacuatum Christi descensu. Alium verò infantum qui sine baptismo decedūt: qui indies magísque compleatur, vsque ad nouissimum iudicium, quo sint resurrecturi etiam ætate perfecta annorum circiter 33. deinceps verò vbi sint mansuri, ignorent.

Ex his facilè animaduertitis infernū tanquā integrum ædificium distinctū esse in quatuor contignationes. Infima in ipsis fundamētis & centro totius, dānatos sine spe retinet. Superior, quæ secunda dici potest, purgandos habet, & inde Purgatorium vocatur, iocatum in secunda contignatione, vt ignis damnatorum ad hos penetrans, eosdem expurget.

Tertia contignatio infantes innocentes recipit, Limbus infantum dicta. Quarta demùm & suprema mansio patrum fuit Limbus, iam vacuus, translatis patribus à Christo in ipsum cœlum & vitam æternam.

An sit Limbus. Iam secundo loco expendamus, an sit talis aliquis locus. Qui Limbum stabilire conātur, afferunt nullum expressum rei huius testimonium è scriptura: sed ludunt quasi in ædificiis
Absurda sententia. architecti, rem animo concipiunt absurdam. Animas piorum & impiorum in eodē domicilio statuūt, contignationibus posteà distinguant, sine scriptura, quasi de archa Noë descerentes. Quis enim illis monstrauit hanc dispositionem? aut vbi scriptura habet illam quadripartitam inferorum mansionem?

Deinde

Deinde vocem Limbi scriptura quoque non habet, & quòd illi sinum Abrahæ eò trahunt, vt absurdum est, & alienum à mente scripturæ, vt videbimus infrà.

Sinus Abrahæ non est Limbus.

Sed ne quidem opus est illa dispositione. Nā scriptura solùm duo agnoscit receptacula animarum. Vnum, vitam æternam, cœlos, paradisum, sinum Abrahę. Alterū verò impiorum gehennam, tartarum, inferos, & quicquid tale est: nec potest ex scriptura tertius monstrari locus.

Duo tantum animarum receptacula post mortem.

Quòd verò illo tertio loco non sit opus etiam sic patebit.

Primùm quòd sancti in veteri testamento, eadem fide in Christum qua nos, sint iustificati.

Quòd si eadem fides est, vtrosque iustificās habuere igitur eandem iustificationis gloriā: gloria autem iustificationis est vita æterna. Quare mea quidem sententia, pij ante Christum defuncti, animabus ad cœlos ascendêre: corpore in terra quiescente.

Piorum animæ ante Christi aduentū statim à morte cœlos conscenderunt.

Deinde cùm sit eadem nostra fides, quæ fuit piorum in veteri testamento, idem etiam meritum esse Christi vtrisque salutare, fateri necessum est: eadem autem fides idem meritum apprehendere potuit. Heb. 13. Christus heri & hodie, & idem in secula. itaque mors Christi quauis ætate eundem effectum præstitit: non igitur opus est Limbo.

Demùm mors Filij Dei expians primi parentis & vniuersæ posteritatis delictum, Deo Patri semper præsens fuit & est. Nam temporum hæc interualla, æterna illa maiestas non sic metitur, vt aliud illi præsens sit, aliud præteritum, aliud demum futurum: quò facit locus 2. Pet. 3. Vnus dies apud Dominum est vt mille anni: & mille anni vt dies vnus: quod sumpsit ex Psal. 89. hinc Apost. ad Eph. 1. ait nos in Christo electos ante iacta fundamenta mundi, vt essemus sancti & irreprehensibiles, &c.

Ideóque cùm Deo Patri mors Christi semper fuerit præsens: non fuit opus hoc carcere ad piorum animas concludendas.

4. Adde etiam illud: cùm Apostolus ad Cor. 1. cap. 10. & Colos. 2. tanta diligentia doceat veteres eadem habuisse sacramenta quæ & nos: quidni etiam eundem habuerint vsum & fructum? Tempus igitur Patres non impediuit, quò minùs fruerentur virtute mortis Christi, quemadmodum & nos eadé fruimur.

Cæterùm rationes illorum audiamus. Primùm aiunt articulum fidei esse, Christus descendit ad inferna: ad quid autem descendisset, nisi vt patres inde liberaret? quomodo autem inde liberaret, nisi illic essent?

Infirmæ rationes eorū qui Limbum esse affirmant.

Respondemus non esse consequens, Christus descendit ad inferna, ergo illic patres fuere in Limbo. Nā de eo articulo notū est, fuisse varias semper sententias: & non defuere qui planè in symbolo tollerent, quibus tamen minimè consentimus. Deinde alij *scheol* hîc pro sepulchro sumunt, ac si idem quod prius diceret, sepultus est: quod tamen non recipimus. Quare descendisse Christum ad inferos concedimus: sed quid hoc ad limbum? Nam descensum Christi piè possumus intelligere, quòd sit manifestata mors illius malis spiritibus, vt quem hactenus sæpè audierant promissum mortalibus, hunc iam exhibitum scirent: quòd sanè clariori aliqua illustratione fieri potuit. Non tamen sequitur: ergo patres illic in Limbo fuere.

3. Afferunt locum 1. Pet. 2. & 4. cap. Christum descendisse & prædicasse spiritibus in carcere detentis, & cap. 4. ideò prædicatū est mortuis, vt iudicentur secundum carnem: viuant autem Deo spiritu.

Primùm locus prior cap. 3. planè loquitur de impiis quos non redemit, nec eduxit: frustra igitur ad Limbi defensionem trahitur, cui tamen loco sanctos assignant.

Posterior autem locus de bonis quidem loquitur, sed non exprimit à Christo factā hanc prædicationē. Deinde si maximè Christo tribuatur id, non tamen hic dicit apud inferos & in limbo factum: sed mortuis inquit prædicatū esse Euangeliū: quod verum est. Christus enim ascendens in cœlum, plausibile illis attulit Euangelium: ac iudicandos inquit esse secundum carnem, vt viuerent Deo spiritu: quod de sanctis omnino verum est. Iudicabuntur enim pij etiam secundum carnem tanquam homines in iudicium autem non intrabūt, hoc est, non damnabuntur: sed Deo viuent.

Sed possunt mortui intelligi etiam viuentes peccatores: vt Christus inquit, *Sine mortuos sepelire mortuos suos*: & Apostolus Timot. 5. *vidua petulans viuens mortua dicitur*: ideóque D. Augustinus vult esse collationem temporum Noë & prædicationis Christi in carne. Vide *epist. 90.*

3. Ex Luca, afferunt historiam Lazari & diuitis cap. 16. qui sinus, illis non cœlum, sed locus aliquis intermedius fuisse videtur.

Respondemus nihil effici eo argumento. Nam magnum χάσμα inter electos & damnatos esse affirmat Abraham, ita vt nemo possit vltrò citróque transire. Quare potiùs efficitur ex inferno non esse sperandam liberationem: deinde procul videt Abrahamum: non igitur apud inferos. Demùm non valet consequens, Sinus Abrahæ ibi nominatur, ergo est Limbus patrum apud inferos.

Priùs enim probandum erat Limbum esse, deinde appellari etiam sinum Abrahæ. Quare quicquid ibi de sinu Abrahæ dicitur, hoc totum de vita æterna, & cœlestibus est intelligendum sedibus.

Ac rectè quidem beatorum sedes, Abrahæ nomine nobis proponuntur, quia fidelium est Pater: & ad sinum illius dicuntur colligi, quicunque fide Abrahæ imitantur vestigia, vt credant etiam contra spem in spem. vid. August. ad Euodium epist. 90.

4. De Iacobo legimus Gen. 49. Collectus est ad populos suos: & alij sancti crebrò dicuntur dormire cum patribus suis: quæ loca interpretantur de limbo, ad quē sint collecti, & venientem expectarint Christum.

Respondemus. scio D. Hieronymum, aliósque nonnullos in hac fuisse sententia: sed res alium habet sensum. Nam phrasis est linguæ Hebrææ, collectus est ad populos suos, hoc est, mortuus est, & est sepultus cum suis maioribus: inde fit vt phrasis illa non solùm piis, sed prorsus impiis etiam tribuatur, vt videre est in historiis impiorum regum. Ideóque vel illi concedant impios etiam collectos esse in hunc limbum: aut dent oportet non certum carcerem exprimi hac phrasi, sed hoc dici, quòd verè mortui sint & cum suis maioribus sepulti.

Falsa loci Zach. interpretatio.

5. Zach. 9. legimus, in sanguine testamēti tui emisisti vinctos tuos, de cisterna in qua non est aqua, &c. Hic illi sic colligunt, sanguis testamenti est mors Christi: vincti sunt patres veteris testamenti: locus sine aqua est limbus ex quo eos redemit descendens ad inferos.

Vera interpretatio.

Respondeo totam hanc interpretationem esse allegoricam. Nam Prophetæ locus loquitur de captiuitate Babylonica, quam cisternæ non malè confert, & Iudæos in aliena terra captiuos, vinctos, quos tandem redempturus sit Dominus sanguine testamenti sui, hoc est, quia promiserat, & fœdus cum illo populo initum, nolit esse irritum: sin autem placeat, allegoria sic aptius connectetur. Sanguis testamenti est Christi mors, cum qua victimas quoque legis rectè intelligimus. Vincti, sunt homines peccato & Diabolo seruientes, quā seruitutē captiuitas Babylonica rectè adumbrauit. Cisterna sine aqua, status est hominū sub potestate Satanæ viuentiū. In aquosa est, quia ieiuna & sterilis, nihil spei habet: hos redemit mors Christi nec huc quicquam limbus ille facit.

Alia interpretatio allegorica.

6. Vrgent nos consensu & authoritate veterum: ad quam respondemus, verum quidem esse à quibusdam affirmari, hoc, præsertim à D. Hieronymo qui in cap. 13. Oseæ ad finem interpretatur vasa desiderabilia, quæ in thesauris inferni detinebantur, Sanctos (inquit) intelligimus, quos alligatos fortè Dominus eripuit, & rapuit, & tulit de infernis, & quasi vasa præstantissima secum perduxit in paradisum. Et mox ibidem terram inferni non debemus accipere esse terram viuentium sed mortuorum, quæ diripitur & vastatur, quando morte Christi vinctæ apud inferos animæ liberantur. Et epist. 25. partes ante natum Christum ad inferos descendisse, quia nondum paradisi ianuam Christus effregerat, nondum flammeam rompheam, & vertiginam præsidentium Cherubim sanguis extinxerat. Vnde & Abraham, licet in loco refrigerij etiam apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur, &c. & aliis multis locis, vt diximus in loco de descensu Christi ad inferos.

Falsa Hieronymi sententia.

Sed meminisse eos decet eius authoritatem valere, quatenus scripturis nititur: quatenus verò suas affert rationes, aut suum priuatum iudicium, sine scripturis & rationibus firmis, nos non illius teneri præiudicio. Ac de descensu quid statuamus, diximus suo loco. Hinc autem nō confirmari Limbū constare potest vel inde, quia Christus in cruce latroni respondet, Hodie mecū eris in paradiso. Notum autem est non eadem die Christum resurrexisse. quare friuolum est, Christum resurgendo tandem primùm ingressum cœlos & secum pompam Patrum deduxisse. Deinde quòd affert Hieronymus, Abrahamum cum Lazaro apud inferos fuisse, id Lucæ historia non habet: sed id solum, quòd diues in tormentis inferni constitutus, sublatis oculis eminùs viderit Abrahamum & Lazarum in sinu illius. Ex quo illud solùm efficitur, ex inferno diuitem vidisse illos duos, sed in alio loco & alia regione constitutos, præsertim cùm intercedat tam ingens χάσμα. De suo ergo addidit Hieronymus Lazarum & Abrahamum apud inferos fuisse constitutos, quod sine scriptura facit. Demùm (quod est minimè hîc omittendum) tota illa narratio de diuite & Lazaro parabola est, vt patres quoque multi agnoscunt, non igitur ad historiam rei ad viuum gestæ necessariò trahenda est. Quod dum tamen fit interdū à patribus, sobriè debet fieri, vt ciues ex inferno Lazarū & Abrahamū in beatorū sedibus constitutos animaduerterit: vt diuites & pauperes Deo pariter esse charos significetur, si pariter pij sint.

Authoritas veterum valet quatenus scripturis nititur.

Notanda ratio cōtra Limbi opinionem.

Non abest multùm ab eadem sententia D. Augustinus: qui tamen suam ignorantiam in his fateri non erubescit: præsertim quòd locū Petri attinet. Hoc & Lutherus alibi facit, quæ modestia nobis est obseruanda: ne tam facilè scriptura recedamus, præsertim in his quæstionibus, quæ non tam salutem, quàm quæstum & superstitionem stabiliunt: qualis est, hæc de limbo quæstio: quam absurdam, deinde non necessariam, demùm præter scripturam esse docuimus: & quæ ad eum confirmandum afferūtur, minimè cō spectare commodè, declarauimus, &c.

DE RE-

DE RESVRRECTIONE.

LOCVS XVIII.

Nomen.



ESurrectio Christianis auribus nota vox est: & significat reparationem post mortem, qua corpora vitæ sunt restituenda. Et sanè vox ipsa iteratam quandam significat stationem. Semel enim stetit genus humanum in integritate: lapsum autem idem genus, spem restitutionis retinuit, & quia eadem spes non solùm ad animas, sed etiam ad carnem spectat, resurrectionem de corporum reditu à corruptione dixerunt. Sic Hieron. Minerio & Alexandro scribens, ait: Resurgere propriè dicitur qui prius moriendo cecidit. Et Tertull. in libro de resurrectione: nihil resurgere expectabit, nisi quod antè succiderit, qui ignorat carnem cadere per mortem, potest eam nec stantem nosse per vitam, &c.

Quid resurgere.

Græci Theologi ἀνάστασιν vocarunt, qua voce sacræ literæ etiam vtuntur. Dicitur ἀνάστασις, quasi δευτέρα στάσις. At in genere dicitur ἐπὶ πεσόντος, ὅταν ἀναστῇ, qui enim cadit propriè dicitur resurgere. Et ἐπὶ τοῦ ῥαθυμοῦντος ἡ ἔγερσις, dormiẽs enim excitatus dicitur ἀναστῆναι. Hinc ad animarum restitutionem & corporum reditum transfertur. Peccatum intulit ruinam homini: ab hac ruina cùm homo ad integritatem redit resurgere dicitur. Et quia mentis casus est peccatum & ἄγνοια, à quo malo cum resipiscimus πρὸς τὴν ἀπλανῆ γνῶσιν dicimur etiã resurgere. Hinc ἀνάστασιν etiam παλιγγενεσίαν id regenerationem vel vitæ innouationẽ vocarunt, vt est apud Augustinum de ciuit. Dei 22. cap. 28.

Spiritualis resurrectio.

Carnis resurrectio.

Ex his constare potest, quid sit Resurrectio carnis: nimirum restitutio corporum à morte ad vitam. Tertullianus appellat: Fiduciã Christianorum. Nam nisi hanc credamus, frustra reliqua creduntur: & vt idem ait, qui hanc credit totũ credit. Alibi etiam vocatã ianuã regni cœlestis. Nam per hanc ingressus patet ad vitam bonis: quemadmodum mali per hãc ingrediuntur ad æternas pœnas.

Quid propriè resurrectio corporum.

Græci dicunt ἀνάστασις ἐστὶ ἔγερσις ἐκ φθορᾶς πρὸς ἀφθαρσίαν id est, Resurrectio est excitatio à corruptione ad incorruptionem. Quæ descriptio tam corporum resurrectioni quàm animarũ attribui potest. Corporũ resurrectio, est restitutio eiusdem indiuidui corporis in eadẽ substantia, dempta omni infirmitate ac deformitate, potẽti Dei spiritu reparanda in nouissimo die, ad gloriam maiestatis Dei. Græci fermè totidem verbis dicũt. Ἀνάστασίς ἐστι συνδρομὴ τῶν διασωθέντων στοιχείων πρὸς ἑαυτὰ κελεύσει τοῦ κτίσαντος. id est resurrectio est conseruatorũ elementorum concursus mutuus iussu creatoris. Redibunt enim in idem corpus elementa ex quibus prius constabat, quemadmodum ossa vidit Ezechiel concurrere, singula ad suas iuncturas, & fiet id iussu Domini, qui spiritum suum emittet. Surgite mortui ad iudicium, ac reddet terra mortuos suos.

Ezech. 37. Apoc. 20.

Diuisio. Resurrectio generalis.

Est illa nõ vnius formæ & modi. Quare paucis respiciamus eius gradus. Est quædã generalis Resurrectio: quam communem vocare licebit. Est enim bonis & malis communis. Generalis autem dicitur, quia hãc nemo effugiet: nemo huic se poterit subtrahere. Nullus sinus naturæ tam remotus & reconditus est, in quo quisquam latere possit. Statuemur omnes ad tribunal Christi iudicis. Hæc reseruatur ad diẽ nouissimum. Et hanc confitemur in symbolo Apostolico: Credo carnis resurrectionem. De hac loquitur Iob. 19. *Scio ego, quòd redemptor meus viuit, & nouissimum de puluere excitabit:* & postquam *cutem meã corroserint illi vermes, de carne mea videbo Dominũ, quem ego videbo mihi: & oculi mei videbunt, & non alius,* &c. Huc pertinet cap. 37. Ezechielis de ossibus quæ redeũt ad suas iũcturas, neruis, carne & pelle teguntur, tandem spiritu quoque eriguntur. Et Dan. 12. *multi ex his qui dormiunt in puluere terræ euigilabunt, hi ad vitam æternam, hi ad opprobria & abiectionem perpetuam Esa. 26. viuent mortui tui, cum cadauere meo resurgẽt. Euigilate & cantate habitatores pulueris, quoniam ros herbarum, ros tuus: & terra inferos eiciet.* In nouo Testamento testimonia extant, Matt. 24. de die nouissimo, & cap. 25. de aduentu filij hominis. Ad Cor. 1. epist. cap. 15. & pleniùs describitur 1. Thess. 4. aliisque locis.

Resurrectio specialis.

Alia specialis est, qua singularia resurrectionis continentur exempla. Inter quæ summũ tenet locũ Christi capitis resurrectio. Mat. 28. Mar. 19. Luc. 24. Nam in hac nobis spes est confirmata de nostrorum corporum resurrectione. Cùm enim surrexerit caput, omnino necessum est membra singula resuscitanda esse. Membrorum huc specialia pertinent exempla, vt Lazari, Ioannis. 11. filiæ Iairi, Matth. 9 Marc. 5. in Nain oppido viduæ filium excitat Christus, Luc. 7. Tabita Ioppẽsis surgit ad iussum Petri, Act. 9. & Eutychus à Paulo. Act. 20. 1. Reg. 17. Helias Sareptanę viduæ filium restituit vitæ, 2. Reg. 4. Sunamitidis filius ab Elisa restituitur. Hæc & similia exempla fidem resurrectionis alunt & confirmant.

2. Diuisio.

Quid animarũ resurrectio.

Est & alia distinctio resurrectionis. Nam alia est corporum: alia animarum. Animarum est resurrectio, qua à peccatis resurgimus: dicitur eadem mentis resurrectio. Huc perti-

nent quæ de regeneratione dicuntur in sacris, vt est illa disputatio Ioan. 3. cum Nicodemo. Hanc D. Augustinus de ciuit. Dei, libr. 20. cap. 6. vocat primam resurrectionem. Ad hanc soli beati pertinent.

Alia est corporum, quæ communis est, & in fine seculi expectatur. Hęc alios, inquit, mittet ad secundam mortem: alios ad vitam, quæ non habet mortem. Sumpta est diuisio hæc à patribus ex Apocalypsi Ioan. cap. 20. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei & Christi, &c. Vocat Ioannes primam resurrectionem, resipiscentiam mentis. Secundam, resurrectionē quæ futura est in die iudicij. His opponit primam & secundam mortem. Mors prima est animæ impœnitentis, secunda mors æterna, damnatorum conditio.

Resurrectio, prima, secunda. Mors prima, secunda.

Porrò differt hæc diuisio à prima: quòd illius membra vtraque non sint necessaria. Specialis enim non ita requiritur ante generalem, vt per interualla sit necessium omnibus surgere semel, vt Lazarus resurrexit, aliique. Satis est in generali omnes indiuidua substantia redire. Huius autem vtrumque membrum necessarium est ad salutem. Animæ enim debent à peccato conuerti: & corpora à corruptione bonis animabus reddi ad salutem: vti malis sua etiam corpora ad damnationem communem restituentur.

Resurrectio philosophis res noua.

Quæstionē hāc de resurrectione carnis, agitarunt omnibus seculis viri magni, nec tamen eodem pacto. Sola Ecclesia rectè credentium, veram sententiam retinuit. Nam Philosophis res illa noua, plerisque absurda est visa, pauci aliquid de ea somniarunt. Et in Ecclesia reperti sunt plurimi qui eandem negarent: & qui concederent, alij aliud extra Dei verbum sunt commenti. Has corruptelas docet studiosè vitare, & recurrendum est ad Dei verbum, ex quo impietas illa confutanda est.

Peripatetici rudes sunt vt omnes ferè Philosophi in hac quæstione. Notum est Epicuri scholam tradidisse, nihil post mortem superesse. Seneca etiam quanquam immortalitati animarum faueat: tamen aliquoties non erubescit dicere post mortē finiri omnia. Ad Martiam scribens dicit, mors omnium & solutio est & finis, vltra quā, mala nostra non exeunt. Et mox, non potest esse miser qui nullus est. In his tenebris iacēt Oratores, Philosphi, Poetę gētiliū fermè omnes. Ac si Ecclesiā militantem examines, vide quot illa portenta aluerit.

Senecæ opinio.

1. Negarunt illam inter Iudæos etiam Sadducæi, Matth. 22. quos Christus solus confutat.

2. Idem Apostolorū temporibus fecerunt Hymenæus & Philetus 2. Tim. 2. idem fecit Simon Magus, à quo Simoniani. Idem Valentiniani, Carpocratiani, Cerdoniani, Archōtici, Seueriani, Basilidiani, Hierarchitæ, &c. Dequibus prolixè scripsit Augustin. Manichæi, corporis resurrectionem negabant: fieri autem animarum resurrectionem per prædicationem veritatis. Cōtra quos idem August. disputat. Ita de Marcione scribit Tertull. lib. 5. Marcion in totum resurrectionem carnis non admittens, & soli animæ salutem promittens, non qualitatis sed substantiæ facit quæstionem.

A multis olim negata fuit carnis resurrectio.

3. Alij resurrectionem dixerunt, quando in posterioris parentes surgunt per sobolem. Renasci enim videntur in posteritate per continuationem successionis.

4. Sunt etiam qui carnis resurrectionem concedant: sed non indiuiduæ substantiæ, vt generalis sit, non autem fiat in specie.

5. Et hodie docent aliqui resurrectionem animæ post Baptismum fieri per satisfactionem. Hæc & similia potenta studiosè cauenda & confutanda sunt.

Tenenda igitur est sententia Ecclesiæ, rectè iudicantis de hoc articulo. At quòd sit Resurrectiò, primùm symbolum Apostolorum docet, quo eam confitemur: CREDO CARNIS RESVRRECTIONEM, ET VITAM ÆTERNAM.

Deinde consensus scripturæ veteris testamenti, quæ in prophetis, lege & Psamis hunc articulum docet. Testimonia prius etiam ex Iob. 19. Ezech. 37. Dan. 12. Esa. 26. Psal. 1. 17. in iustitia videbo faciem tuam: satiabor cùm euigilauerit forma tua, Psal. 78. &c.

3. Christi doctrina idē habet. Ioan. 5. venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei Matth. 22. contra Sadducæos hunc articulum tuetur. Ioan. 14. Ego viuo, & vos viuetis. Huc pertinent loci, Matth. 10. 11. 16. Luc. 14 20. Mar. 12. &c.

4. Apostolorum consensus, qui idem cum Christo & Prophetis docent: vt est 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. 1. Thes. 4. Act. 17. Paulus Athenis docet de resurrectione. Idem Act. 23. De spe resurrectionis ego iudicor inquit. Et Act. 24. coram Fœlice eam fatetur. Sic Petrus. 1. Epist. 4. 5. & 2. Epist. 3. 1. Ioan. 3. Apocalyp. 20. 21. Iacobi 5. ad Heb. 10. 11. 12.

5. Accedit consensus Ecclesiarum rectè iudicantium, & synodorum, in quibus damnati sunt, qui hanc negarent vel in totum, vel partim, aut quomodocunque malè hunc articulum docerent. Atque hæc ἄτεχνα sunt. Sed addamus etiam argumenta, quibus partim Christus, partim Apostoli sunt vsi in confirmanda hac quæstione.

Futura carnis resurrectio multis argumentis probatur.

1. Christus resurrectionem probat firmo argumento, Matth. 22. Deus est Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob. Ergo Abraham, Isaac & Iacob viuunt. Consequens verum est: quia Deus nō est mortuorum Deus, sed viuentium. Deum enim esse alicuius, est defensorem esse, liberatorem:

ratorem: quæ in mortuos qui nullo modo sunt Deus non exercet: sed in viuos. Appositum autem est argumentum, quia Sadducæi non simpliciter negant resurrectionem: sed animæ immortalitatem quoque negabāt.

2. 1.Cor.15.à confessione Corinthiorum probat: Nos ita docuimus, & vos credidistis: Ergo resurrectio est. Nam rem tantam nunquam eratis credituri, nisi veris rationibus esset confirmata. Eodem argumento vtitur Augustinus lib. 22. de ciuit. Dei, cap.25. Quia Deus prædixit fore resurrectionem, & quia mundus hoc credidit, quod videbatur impossibile, sequitur resurrectionem esse.

3. Christus resurrexit: Ergo oportet sanctos etiam resurgere. Nam caput sine membris esse non potest, & caput sine corpore suo esse, res esset absurda. Antecedens probat multis Apostolus, 1. Cor.15. Consequens valet ab analogia. Hinc resurrectionem Christi Patres vocant mysterium nostræ resurrectionis, & Apostolus primitias dormientium.

4. Ab absurdo, quod ad impossibile ducit. Si non est resurrectio. Ergo inanis est fides nostra: inanis prædicatio, Christiani omniũ hominum miserrimi sunt, falsi etiam sunt testes. Sed illa sunt ἄτοπα & impossibilia: Ergo resurrectio est.

5. A contrario pari. Si per hominem vnũ mors: ergo per hominem vnum etiam resurrectio. Atqui illud verum est, ergo & hoc. Valet argumentum, quia contraria sunt paria. Adam & Christus, mors & resurrectio. Mors significat casum qui per vnum potuit induci in omne genus: sic resurrectio à morte, est restitutio, quæ per vnum Christum necessariò sequitur. Argumentum Pauli est Cor. 1. cap.15. Et eo vtitur etiam Tertull. lib. 5. contra Marcionem: cadere dicimus corpus in terram per mortem: sicut res ipsa testatur. Ex Dei lege enim corpori dictum est: terra es, & in terram ibis: ita quod de terra est, ibit in terram. Hoc abit, quod in terram ibit: hoc resurgit, quod cadit, quia per hominem mors, & per hominem resurrectio.

6. A pari. Vt in Adam omnes moriuntur: sic in Christo necessum est omnes viuificari. Quod argumentũ Tertul. ibidé exponit ita: quòd si sic in Christo viuificamur omnes sicut mortificamur in Adã, quando in Adã corpore mortificamur: sic necesse est, & in Christo corpore viuificemur.

Cæterùm similitudo non constat, si non in eadem substantia mortificationis in Adam, viuificatio concurrit in Christo.

7. A forma. Describitur forma & modus resurrectionis 1.Cor.15.1.Thess.4. Ad quid autem attineret tanta diligentia formam exprimere, si non esset resurrectio?

8. A ritu gentium, qui pro mortuis baptizantur: quo testantur se aliquem sensum tribuere mortuis. Dilemma habet argumentum, aut gentes frustrà baptizantur pro mortuis: aut resurrectio est. Atqui nunquam dabunt se frustrà pro mortuis baptizari: Ergo resurrectio est. Argumentum ducitur à consuetudine gentili, quam Apostolus non probabat: tamen vt propria confessione eos confutat. Significat enim animis hominum clàm ita insedisse, vt aliud agentes, hoc ipsum confirmēt per exequias, & parentationes, quod ad resurrectionis pertinet fidem.

9. Si non est resurrectio stolidus est Paulus, qui toties pro ea periclitatur, & subiuit pericula: Atqui stolidus non est vir tantus: necessum igitur est resurrectionem esse.

10. A naturæ ordine, quæ necessariò mortificationem præmittit, ex qua consequatur resurrectio gloriosa & fertilis. Sic de grano loquitur Apostolus: Stulte, quod seminas non viuificatur, nisi mortuum fuerit: & hoc quod seminas, non corpus, quod nascitur, seminas: sed nudum granum. Exempli causa, tritici, aut alicuius ex cæteris, &c. Huc facit locus, Ioã.12. nisi granũ mortuum fuerit, fructum non fert. Tertul. in Apolog. cōtra gētes paribus exemplis resurrectionē astruit: Lux quotidie interfecta resplēdet: & tenebræ pari vice decedēdo succedunt: sydera defuncta viuescūt: tempora vbi finiũtur, incipiũt, fructus consummantur & redeunt. Certè semina non nisi corrupta & dissoluta, fœcũdiùs surgunt. Omnia pereundo seruãtur, omnia de interitu reformantur, &c.

Recensui præcipua ex Apostolo argumēta, quę apud Christianos vim demōstrationis habere debent. Possunt addi & alia quæ ratio ipsa dictat, & magis videntur ἀποδεικτικά, qualé est, Animæ non sine corporibus peccarunt: ergo necessum est, vt non sine illis etiam pœnas dent, quare necessum est corpora resurgere. Sic inquit Tertullianus, animæ non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt, &c. *Rationes demonstratiuæ pro confirmatione doctrinę de corporũ resurrectione.*

2. Mors cadit solùm in corpus, cùm animæ mors talis non sit, & impiæ etiam perpetua vita superstites sint. At resurrectio mortuorum est, non viuentium: ergo resurrectio corporum est.

3. Quia Deus etiam secundum Ethnicos est mens æterna, omnia sentiens & mouens: quomodo ergo corpora suorum fidelium non sensu imbueret, & moueret? Vtique autē non omnia mouet & sentit: aut suorum amicorũ corpora etiam mouebit & sensui restituet. Atqui illud nec Cicero gētilis dabit, necessum igitur est posterius esse.

4. A iustitiæ regula, quæ postulat vt cuique fiat compensatio. Et quia in hac vita illa non fit, superest vt restituantur corpora, quò his sua reddi possit compensatio. Nec enim ad

animas illa solùm spectat. Sic Rom. 2. dicit, *reddet cuique secundum facta sua.* Sic 2. Tim. 4. de Alexandro loquitur Paulus, qui fuit insignis Euangelij hostis, *reddat illi Dominus secundum facta illius.* Apoc. 22. *reddam vnicuique, vt opus illius fuerit.*

Opinio Platonis in Timæo.

5. Plato, vt ex eo citat Augustinus, scribit in Timæo animas non posse in æternum esse sine corporibus. At constat quòd ad deteriora corpora noluit transire, vt asseruit etiam Porphyrius. Ergo superest vt ad incorruptibilia transeant, qualia in resurrectione habebunt.

6. Plato, immortalitatem animarum diligenter tuetur, & statum quendam somniauit post hanc vitam, in quo animæ haberent sua corpora: tamen rem in tenebris, vt erat, non potuit discernere. Hinc videtur μετεμψύχωσιν commentus esse.

7. Idem enim Plato exemplum resurrectionis recitat in 10. πολιτικῶν, de milite quodam Pamphylio Ero Armeni filio, qui duodecimo à clade die reuixit. Citat idem exemplū ex Platone, Eusebius, lib. 11. cap. 18. de præparatione Euang. ostendens Platonem sententiam de resurrectione carnis ab aliis habuisse.

8. Recitantur & alia exempla à Philosophis, quæ licet extraordinaria sint: tamen rem ipsam demonstrant. Refert Plutarchus Enarchum quendam pro Nicanda sutore mortuū reuixisse. Et Plin. lib. 17. cap. 52. plura refert exempla eorum qui elati reuixerint, & August. de ciuit. Dei, lib. 22. cap. 28. Varronis affert sententiam, & Labeonis, quibus hoc ipsum declarat.

9. Pythagoram, aliquem eius rei etiam gustum habuisse, apud omnes scriptores constans fama est. Sed quia & ipse luce veritatis caruit: aut illi etiam qui de illo fabulantur, res tota in monstrosam methamorphosin est cōuersa. Fabulātur de illo quòd initio fuerit Æhalides, hinc Euphorbus factus, inde Hermotimus, mox Pyrrhus, demum Pythagoras.

Sed fimentum hoc initium sumpsisse credibile est, quòd auita sententia de resurrectione, non rectè à posteris fuit retenta: quod vel vnus Lucianus testatur, qui dum Phytagoram venalem exponit, proclamat, Τίς ὠνήσεται: τίς ὑπὲρ ἀνθρώπον εἶναι βούλεται, τίς εἰδέναι τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν, καὶ ἀναβιῶναι πάλιν. quis emet? quis esse suprà homines affectat? quis scire vniuersi concētum & reuiuiscere? Sentētia igitur Pythagoræ fuit ἀναβιῶναι, hoc est, resurgere.

10. Poëtæ magis rem hanc corruperunt suis fabulis. Hercules apud Euripidem Alcestin vxorem, ad superos reuocat ab inferis: quæ postea diu cum marito vixerit. Hippolytum à phocis marinis discerptum, vitæ restituisse fabulantur Æsculapium medicum. Et Theseus ab Hercule ab inferis reductus est, &c. Hæc ita turbata sunt, vt ipsi authores nesciant quò illa sint referenda: sed sine dubio corporum resurrectionem malè à maioribus traditam, peius illi retinuere.

Sic fermè Cabalistæ quoque fecerunt, & recentiores Iudæi, qui resurrectionem corporum, voluptatibus externis accommodant & metiuntur. Nos discamus veras Ecclesiæ sententias purè custodire, & incorruptas posteritati tradere. Deinde nouæ vitæ desiderio inflammemus pectora nostra, vt aliquādo de emigrando ex hac vita cogitemus, & maturè sarcinas colligamus.

Scribit Ælianus de Cercida Arcade, quòd magno desiderio sit mortuus, inquiens se sperare conuenturum se, ex Philosophis Pytagoram: ex historicis Hæcateum: ex Musicis Olympum: ex Poëtis Homerum. Nos ampliora & certiora habemus, cœtus Apostolorū, piorum martyrum, ipsum denique Christum caput Ecclesiæ, faciem Dei, &c.

Qua forma aut statura, simus resurrecturi.

Superest quæstio. Qua forma corporum, aut statura simus resurrecturi. Respondeo. Quamuis scrupulosa magis sit quæstio, quàm necessaria: tamen paucis dicam sententiam meam, propter eos, qui illam mouent. Pertinet cura quæstionis huius ad Deum conditorem, qui dedit corpora, is dabit etiam resurgentibus tum piis, tum impiis iustam proportionem corporum, & decentem formam. Nam piorum corpora ad gloriam & laudem creatoris Dei & liberatoris Christi facient: in qua re necessum est, omnia fore concinna εὔρυθμα καὶ εὐάρμοστα. Nihil hîc erit minus vel maius, quàm deceat electorum beatissimum hunc statum. Nulla etiam deformitas, nulla macula. Cicatrices, inquit Augustinus, cupiunt videre in sanctis: respondet, quæ si erunt, non deformitas, sed dignitas erit. Verùm quid illis terrenis cogitationibus indulgemus? Absterget Dominus omnem maculā: & status ille maior ac augustior erit, quàm vt cor hominis concipere possit. Christus ostendit cicatrices post resurrectionem discipulis sine deformitate, sine dolore. Et quid si eas possit deponere quando velit? Idem responderi potest de ætate qua simus resurrecturi. Certum est, temperamenta corporum glorificatorum fore perfecta, vt nec optima constitutio in hac vita, quam εὐκρασίαν vocant, ei conferri possit. Imo D. Augustinus audet affirmare perfectiorē fore valetudinē, quàm fuerit in primis parentibus ante peccatū. Hoc posito, nō est necessum, nos esse solicitos de ætate. Dominus hanc rem optimè administrabit. Probabilia dicunt, qui perfectæ iuuentutis assignant gradū. Probabiliter etiam D. Hieronymus ait de ætate virili perfecta, qui in Epitaphio Paulæ scribit. Igitur iuxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum illud respondendum, quòd in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis

Qua ætate corpora resurgent.

tudinis Christi, resurrecturi sumus: In qua & Adamum Iudæi conditum autumant, & Dominum saluatorem legimus surrexisse, &c.

Locum illum ad Eph.4. de ætate Christi perfecta, D. Augustinus etiam aliquoties citat & explicat.lib.22.de ciuit.Dei,cap.5.16.17.& 18.

Christus saluator optimè nobis nodum soluit, Matth 22. erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Qua similitudine voluit proponere, statum illum non solùm alienum fore à miseriis vitæ huius (qualia sunt nubere, sobolem procreare, edere, bibere, consenescere, videre orbitates & ἀτεκνίαν) sed etiam corporum illam fore perfectionē, illam etiam staturam & ætatem, quæ optima sit & decentissima. Ætates in hac vita numeramus: nō ita fiet illic. Nos domino Deo nostro hoc totum libenter permittamus: ad illum hoc spectat, qui nos ornare vult sua hac gloria. Nostrum est in id incumbere, vt electionem nostram bonis operibus confirmantes beatorum numero aggregemur: in quibus illa angelica ornamenta tanta maiestate, tantáque corporum agilitate, facilitate & obsequentia lucebunt, &c.

DE APPARITIONIBVS CHRISTI POST RESVRRECTIONEM.

LOCVS XIX.



APparitiones Christi, Augustinus nunquam demonstrationes, sæpe repræsentationes appellat. Græcis dicũtur ἐπιφάσεις seu ἐνδείξεις quibus sese à morte, suis exhibuit visendum, locutus etiam cum eis est, iter fecit, conuersatus est, edit & bibit, &c. aliáque exhibuit testimonia veræ resurrectionis, hinc opinor Augustino placuisse demonstrationis nomen.

Græcè dici possunt ἐνδείξεις τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ ὀφθέντος μετὰ τὴν ἀνάστασιν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ εἰς ἀπόδειξιν ἀληθινῆς ἀναστάσεως. id est, demonstrationes seruatoris nostri Iesu Christi, qui, vt demonstraret verè se resurrexisse, post resurrectionem discipulis suis visus est.

Cæterùm Christi apparitio dupliciter consideratur. Nam alia corporalis est: alia spiritualis. Spiritualem voco, qua sanctis apparuit euidenti quodam modo: aliis autem, licet præsentibus, nihil tale videntibus. Sic Stephanus videt gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei: sic Paulus Christum euidenti voce loquentem audiit, cùm reliqui ipsius comites lumen viderent: vocem autem loquentis non audirent: sic Christus piis martyribus aliquoties præsens fuit, vt reliqui circunstantes, nihil tale vel audirent, vel viderent.

Corporalis & consueta apparitio hìc dicitur, qua visus est tum piis, tum etiam impiis in his terris.

Primùm, sic visus est, primùm in carne natus, infans à Pastoribus, Magis, aliísque.

Deinde in carne viuens apparuit, vt homo inter homines docens & faciens miracula.

Tertiò, post mortem, Apostolis iterum apparuit, in eadem carne, mortalitate iam deposita: qui modus ob id consuetus dici potest.

4. Talis apparebit iudex in nouissimo disententiam dicturus inter bonos & malos. Hi fermè modi occurrunt & gradus quibus Christus apparuit hactenus, & tandem vltimo apparebit iudicio. His adde quintum modum quo in vita æterna, à sanctis & electis coràm, facie ad faciem videbitur sine fine.

Verùm ad institutum nostrum non pertinet de hisce singulis copiosiùs agere. Apparitiones post mortem vsque ad ascensionem Domini breuiter hìc ordine recensebimus, vt earum constet ordo & numerus.

Apparitiones Christi post resurrectionem.

Matthæus duas recenset cap. 28. Primùm mulieribus duabus in via apparet redeuntibus in vrbem, deinde discipulis vndecim in Galilæa in monte quodam.

Marcus.16.tres habet, primùm Mariæ Magdalenæ, deinde duobus euntibus in Emaus. Tertiò apparuit vndecim discumbentibus.

Lucas 24. tres habet. primùm euntibus in Emaus. deinde fatentur discipuli, Christum apparuisse Petro Simoni. Tertiò loquentibus illis adest ex improuiso Christus in medio ipsorum.

Ioannes cap. 20. tres habet, Mariæ primùm apud sepulchrum apparet quasi hortulanus: deinde discipulis, absente Thoma. Tertiò post dies octo præsente Thoma cap. 21. quartam addit ad mare Tiberiadis, vbi septem discipulis apparuit.

Decem Christi appariciones post resurrectionē ex Augus.

Lucas Act. 1. refert illustrem illam apparitionem, qua ab oculis illorum in cœlos est sublatus.

Apostolus. 1. Cor. 15. de resurrectione agens indicat apparitiones sex. Primùm apparuit Cephæ, deinde duodecim Apostolis, vel (vt alij) vndecim. Tertiò plusquam 500. fratribus, quartò Iacobo, quintò Apostolis omnibus sextò etiam ipsi Paulo. Toties quidem legimus

Christum apparuisse post resurrectionem, antè, & post ascensionem.

Ita quidem de apparitionibus his, singuli scripserunt: ex quibus facilè est videre multa singulis esse communia, quædam peculiaria. Quæsitus ergo ordo est apparitionum, vt ex ordine etiam constaret de numero. D. Augustinus ita componit vt decem, numeret apparitiones, cuius ista sunt verba ex lib. 3. de consensu Euangelistarum.

Inuenimus itaque apud quatuor Euangelistas, decies commemoratum, Dominum visum esse ab hominibus, post resurrectionē: semel ad monumentū mulieribus, iterum eisdē regredientibus à monumento in itinere. 3. Petro. 4. duobus euntibus in castellū. 5. pluribus in Ierusalem, vbi non erat Thomas. 6. vbi eum vidit Thomas. 7. ad mare Tiberiadis. 8. in monte Galileæ, secundum Matthæum. 9. quod dicit Marcus nouissimé recumbētibus, quia iam non erant in terra, cum illo conuiuaturi. 10. in ipso die, non iam in terra: sed eleuatum in nube, cùm cœlum ascenderet, &c.

Sic quidem conciliat ordinem apparitionū. In quibus facile est videre, non connumerari apparitiones duas: priorem quæ Iacobo est facta, posteriorem ipsi Apost. Paulo, quibus adde apparitionem Stephano factam. Erunt in summa 13. Vndecies ante Ascensionem apparuit, & bis post Ascensionem.

Sunt in summa 13. apparitiones. Ordo apparitionum.

Sic ergo computemus illas. Primò apparuit Mariæ Magdalenæ apud sepulchrum, Marc. 16. Ioan. 20. Secundò, in via Mariæ Magdalenæ & alteri Mariæ, Matth. 28. Tertiò, apparuit Petro, quod fatentur Apostoli, Luc. 24. & 1. Cor. 15. testatur Paulus. Quartò, duobus euntibus in Emaus, Mar. 16. Luc. 24. Quintò, vesperi resurrectionis, clauso iam ostio, & absente Thoma, Ioan. 20. Luc. 24. Sextò post dies octo, præsente Thoma, Ioann. 20. Septimò, ad mare Tiberiadis Ioan. 21. septem discipulis apparuit. Octauò, Iacobo seorsim. 1. Cor. 15. Nonò, in monte quodam, Galilææ. Matth. 26. quæ eadem dicitur esse cum illa. 1. Cor. 15. qua pluribus quam 500. fratribus apparuit, quãquam diuersæ appareant esse. Decimò, discumbentibus discipulis. Vltimò Marc. 16 Vndecimò, Apostolis in monte Oliueti, ascensurus. Act. 1. Duodecimò, ipsi Paulo. 1. Corint. 15. Act. 9. 22.

Demùm Stephano lapidando apparet in cœlis ad dextram Dei. Act. 7.

Verisimile est Christū apparuisse sæpius quã sacra doceat historia.

Hæc testimonia sunt aperta Christi apparentis hominibus: nec illa dicuntur ideo, vt credamus toties tantùm apparuisse: cùm per dies 40. sit sæpiùs conuersatus discipulis: sed illa ex tota historia tanquam rei certissima argumenta proferuntur, quæ Apostoli memoriæ prodiderunt, & in quibus aliquid erat momenti. Indubiè illis diebus seriò instruxit discipulos: admonuit de toto negotio sanę doctrinæ: de successu, de calamitatibus, cruce, aliisque, quæ in hoc cursu illis erant tenenda & euentura.

Nunc expende vtilitatem huius negotij, etenim nō sine graui ratione placuit Domino, tanto tēpore & toties apparere suis discipulis.

Cur Christus tanto tempore & toties discipulis apparuit.

Primùm ad personam discipulorum hîc nobis est respiciendum. Erant hi in magno metu, & pars etiam, vt apparet ex sermone euntium in Emaus, spem de illo abiecerant: videntur etiam deliria discipulis primi rumores mulierum de resurrectione. Hic metus eximendus erat: restituenda spes labascens: confirmanda fides de vera resurrectione: hæc in discipulis quæruntur.

Deinde hac Christi frequenti præsentia, non solùm confirmantur de resurrectione: sed accipiunt spiritum Sanctum Ioan. 20. Accipite spiritum Sanctum.

3. Prætereà instruuntur in toto negotio Euangelij.

4. Adde, pacem illis comprecatur, & seriò dat tranquillas mentes: vt non solùm de Christo, certi sint: sed cum Deo sciant se esse verè reconciliatos.

5. Item, munus docendi & authoritatem publicam accipiunt, remittendi peccata & prædicandi pœnitentiã: illa hactenus promiserat illis Christus, hîc autē accipere vidētur.

Ita quidem vtilitas conuersationis & apparitionum Christi expendi debet, quoad ipsos discipulos.

Ad nos inde etiam spectat: nam primùm hinc confirmatur Christi vera Deitas, qui non solùm mortem præsciuit: sed etiam resurrectionem.

Deinde nostrorum corporum hinc confirmatur resurrectio: sic exemplum Christi resurgentis proponit nobis Apostolus. 1. Cor. 15.

3. Prætereà approbat nobis suam erga nos φιλανθρωπίαν. Nihil nobis denegat, qui omnia pro nobis factus, etiam tanto tempore discipulos confirmauit de vera sui corporis resurrectione.

4. Certior etiam est fides de ascensione: cùm tanto tempore & toties apparuerit priùs, vt nec de illa liceat nobis dubitare.

5. Demum commendat his apparitionibus nobis curam suam pro nobis, vt sine dubitatione tanquam vero Deo & homini, & ob id fideli intercessori apud Deum patrem, credamus: qui seriò sit res nostras acturus, vt in terris, sic etiam in cœlis, apud Deum Patrem intercessurus pro nobis, &c.

DE ASCEN-

DE ASCENSIONE.

LOCVS XX.



DE Ascensione Domini Christi, suo peculiari more loquitur Scriptura non. appellat ἀνάβασιν: non enim de Cyri alicuius terreni regis re gesta loquitur: non hic per ignorantiam amissum est regnum, non fraude præreptum: non armis militaribus recuperatum, qualia in Cyro suo Xenophon & in eius ἀναβάσει habet. Marcus inquit ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν, id est, sursum assumptus est in cœlum. cap. 16. & Lucas cap. 24. διέστη ἀπ' αὐτῶν recessit ab eis, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. Act. 1. ἐπήρθη sublatus est & νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, nubes subduxit eum ab oculis illorum.

Sit igitur nobis ascensio ἀνάληψις potius, quàm ἀνάβασις, quam hac definitione describemus. Ascensio Christi, est Triumphus, vel signum victoriæ paratæ, ex deuictis humani generis hostibus. Triumphus & signū victoriæ genus exprimunt, ac declarant Christi reditum in sua propria: est enim Rex ille qui in longinquam profectus fuerat regionem, Luc. 19. sed insigni victoria redit. Postea adiecta est differentia, de victis hostibus humani generis hoc est, Satana ipso, inferno, morte, peccato. hæc monstra illi expugnanda priùs fuere. *Definitio Latina.*

Græcè sic exprimamus, Ἀνάληψις ἐστὶ ἐσχάτη ἀναχώρησις Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκ τῶν ἀνθρωπίνων νικητήριον κατὰ τὸν σατανᾶ καταστήσαντος. id est, Ascensio est vltimus discessus Iesu Christi ab humanis, victoriam de Satana reportantis. Vltimum diximus recessum ex humanis: quia, ab eo tempore, non ampliùs inter homines, vt homo, est conuersatus: & quamuis specialibus apparitionibus deinceps quibusdam se reuelarit, (vt Paulo, & Stephano in Actis) ex cœlis tamen illæ factę sunt: nec est ampliùs traditū, Christū corpore suo in terris obambulasse: nisi eo modo quo dicit se in pauperum persona, & in Ecclesiæ suæ membris adesse nobiscum. Ideóque meritò hinc iudicem tandē expectamus, vt victoria etiam in sanctis ipsius palàm fiat conspicua. *Græca definitio*

Ascensio illa vnica est, quemadmodum semel tantùm mori debuit, semel sepeliri & resurgere: ita semel tantùm ascendere ad cœlos suo glorioso corpore, donec tandem veniat ad iudicium. Itaque hîc omnis sileat scrupulositas: sed illud hîc vtiliter considerari potest, scilicet,

1. Ascensionem in scriptura esse triplicem. Alia enim est Christi triumphantis, de qua Marcus 16. cap. Luc. 24. Act. quæ vniformis est, vt diximus. *Triplex Ascensio Christi.*

2. Alia tamen est Angelorum, qui & ipsi ascendere & descendere in scriptura dicuntur: vt Gen. 28. Videt Iacob Angelos ascendentes & descendentes: sunt enim ministratorij spiritus qui propter electos mittuntur à Domino, vt est Heb. 1. & Psal. 104. *Angelorum.*

3. Alia piorum est ascensio. Nam Christus sua ascensione experimentum dedit quid nobis sit sperandum, siquidem vera fide, illum amplectamur. Ascendent & fidelium olim corpora, ad beatas illas sanctorum sedes: quod fiet vltimo iudicio. Vnde Apostolus ait, Rapiemur obuiam Christo in nubes: quod de corporum fidelium ascensione dixit. Hāc spem nobis facit Christi ascensio. Sed est alia etiam fidelium ascensio, dum in vera fide ex hac vita emigrātes, animas Deo Patri reddunt, quæ ipsæ mox ad cœlestia ascendunt, ad Christum caput, & cœtum electorum, ibi expectantes beatam illam corporum resurrectionem, in qua caro etiam à corruptione liberata, redemptorē suum agnoscet & celebrabit. hinc D. Apostolus ait nostrum πολίτευμα in cœlis esse: quò sit omnibus aspirandum. *Piorum hominū & hæc duplex est, videlicet corporis, & animæ.*

Causas expendamus. Vtiliter hîc admonetur in causa efficiente, singulari Spiritus sancti consilio factū esse, quod scribit S. Marcus, ἀνελήφθη susceptus est: & quod in Actis legimus ἐπήρθη sublatus est, vt intelligamus Deitatem causam esse efficientem, humanam verò naturam ferri in cœlos (duæ enim naturæ in Christo hîc exprimuntur passiua voce.) Ac humanam naturam sublatam scire prodest, vt constet Christum verè humanā naturam induisse: verè corpus habuisse: vt quod finitum sit locorum spatiis: ac vt terris loco continebatur: ita in cœlis quoque. De Deitate Christi rectè dicitur, quòd non locis diuidatur: in partes secari non possit: sed cùm vbique sit, tota vbique est. *Causæ.* *Quid prosit scire humanam Christi naturam in cœlos sublatā.*

Materia ascensionis est ipse Christus, integra illius persona diuina & humana natura constans θεάνθρωπος.

Forma: huc pertinent circunstantiæ rei gestæ, quæ partim etiam ad cognatorum locum pertinent. Pauca hîc referemus. Formam igitur ascensionis Christi proponunt nobis Euangelistæ his notis. Primùm tempus indicatur, post dies scil. quadraginta à resurrectione. Nam eo tempore de rebus omnibus pleniùs instructi sunt, & certò cōfirmati de sua resurrectione, vt nullus ampliùs de veritate corporis Christi dubitarit. *1. Tēpus.*

2. Locus. Deinde ad rei fidem & certitudinem facit etiam locus. Lucas inquit eductos in Bethaniam, & inde ascendisse. in Act. cap. 1. reuersos ait discipulos à monte Oliueti, qui distat itinere Sabbathi, ex quo constat inde Christum ascendisse: admonet nos locus, montana nos ad cœlestia vocare: hinc enim Christus ascendit, & Moses in montem ascendit ad Dominum: in monte adorarunt Patriarchæ, montana elegit Abraham, Loth planitiem. Christus etiam montes petit oraturus: sed & Bethania villa humilitatis & afflictionis est, per quã ad Deum nobis patet aditus: & Christus à Bethania, hoc est, ex afflictione ad cœlestia penetrauit gaudia.

Bethania villa afflictionis.

3. Testes. Testes adsunt discipuli. Nam hi primùm confirmandi erant de veritate ascensionis, deinde instruendi, vt testes historiæ: ideóque hos præsentes habere voluit.

4. Modus. Modus, quò pertinet, quòd sublatis manibus, sublatus nube euanuit ab illorum oculis, cùm abeuntem viderunt, humani corporis conditionem inferentem cœlestibus.

5. Consolatores. Angeli accedunt consolatores. Nam ministerio Angelorum vsus est in resurrectione, sic in conceptione, natiuitate, in deserto, meritò igitur in hoc triumpho quoque Angelos adhibet ministros. Ac expende primùm confirmari veram ascensionem, Angelorum vocibus deinde etiam dari spem de ipsius reditu, &c.

Finis. Finis huius triumphi multiplex est. Primùm enim testatur iam perfectum esse opus liberationis, & redemptionis in terra, quod obsignare voluit speciosa hac ascensione. ideóque non immeritò confirmatio dicitur ab Augustino fidei catholicæ. quod enim hactenus & fecit & docuit, Colophone isto cõfirmauit.

Ascensio Christi confirmat opus redẽptionis in terris esse perfectum.

Deinde finis etiam est, vt extaret luculentũ testimonium Deitatis Christi: alioquin clàm & absentibus discipulis poterat ascendere: sed vt resurrectione & miraculis, ita præcipuè hac historia cõfirmari oportuit Deitatis argum.

Tertiò, vt victor mortis & inferni, eam gloriam possideret, quæ illi parata erat antequam poneretur fundamenta mundi. Eã quidem secundum diuinitatem semper possedit: sed homo Christus eandem possidere debuit, vt constaret omnia ipsius pedibus esse subiecta.

Quartò, vt nobis mansiones in cœlis pararet. Has quidem promisit hactenus aliquoties, tandem præstabit. Mansiones istis faciemus inquit, & vbi sum, volo vt minister meus sit magna sanè gloria est, quòd scimus carnẽ nostram in cœlis sedere, & prouidè omnia nobis præparare.

Quintò, non solum illic mansiones nobis parat: sed eodem nos prouocat. Hinc Ecclesia canit, Sursum corda: quò illum sequi possimus hic viuentes, affectu scilicet, & amore, ac desiderio. hinc Apostolus Coloss. 3. *Superna quærite non terrestria, vbi Christus est, ad dextrã Dei Patris sedens.*

Sextò, vt nos de supernis protegeret: hinc illud, *Non derelinquam vos orphanos.* & Apostolus ad Heb. 8. *Habemus pontificem, qui consedit ad dextram throni maiestatis in cœlis:* protegit igitur nos, misit inde etiam Spiritum sanctum. Act. 2. *induit suos virtute ex alto,* Ecclesiam suam regit & defendit contra omnia pericula 7. Demùm, vt sese declaret cœli & terræ Dominum. Philipp. 2. *Deus illum extulit in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu sesflectat, cœlestium ac terrestrium, ac inferorum, omnisque, lingua confiteatur, quòd Dominus sit Iesus Christus ad gloriam Dei Patris.*

Fructus ascensionis Christi multiplex. 1. Videamus etiam effecta, hoc est, fructum gloriosæ ascensionis. Primùm specialiter ad Apostolos pertinet, vt est missio Spiritus sancti, quem accipiunt quinquagesima die, Act. 2. hunc consolatorem non erant accepturi, nisi discederet ab eis Christus corporaliter. Ioan. 16. Amplissimus ergo fructus in eo primùm patuit, quòd post ascensionem, Spiritum hunc consolatorem accepere.

2. Deinde fructus hic ad alios etiam extẽditur. Nam hìc dona hominibus etiam aliis collata sunt cœlitus: vt Act. 1. in credẽtes illabitur Spiritus sanctus, & Apostoli impositione manuum conferunt Spiritum sanctum, sanitatem, &c.

Et Apostolus Eph. 4. ascensioni ascribit tanquam fructum, donorum distributionem: hinc illud, *Dedit alios Apostolos, alios Prophetas,* &c. de quo & 1. Cor. 12. &c.

3. Tertiò, certi iam sumus de precum nostrarum exauditione: habemus enim illic Pontificem, qui pro nobis intercedit, Heb. 4. *Habentes pontificem magnum, qui penetrauit cœlos,* &c. & mox, *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam.*

4. Quartò, aperta iam nobis est ianua ad cœlos: hactenus enim Cœlum clausum videbatur, & Paradisus custoditus per Romphæam rutilantem. Nunc Christus victor cœlos aperit, vt nobis in patriam cœlestem vnde excideramus in Adamo, viam monstraret.

Hieronymi opinio improbatur. Sensit D. Hieronymus, à quo non alienus etiam est Augustinus, ante Christi ascensionem Patriarchas omnes, extra cœlum fuisse: vt Christus primus ingressus sit humana carne cœlos, secum deducens liberatos Patriarchas ab inferis: quæ licet non approbemus: tamen ad fructum ascensionis Christi rectè referuntur, nempe Christum cœlos nobis aperuisse: ideóque nostra quoque corpora aliquando ingressura cœlos scimus. Ad quam speciosam gloriam

gloriam vita & moribus nos adornare seriò debemus.

Cognata. Ascensionis cognata, hoc est, coniuncta, fermè explicuimus in formali causa. Nunc tantùm illud addamus de maiestate Christi: nam illa huc propriè pertinet. Maiestas Christi si vnquã, certè hic enituit. Nouus hospes cœlos ingreditur, homo Deus, quod à seculo non videre omnes beati Angeli. quò facit Psal. 24. Aperite principes portas vestras, vt ingrediatur Rex ille magnus. Et quis est ille Rex magnus? Dominus exercituum est Rex ille magnus: quem locum etiam Iustinus martyr applicat ad triumphum ascensionis Christi, in orat. ad Antonium Imp. & Apostol. 1 Cor. 2. Dominum gloriæ appellat Christum, quem si cognouissent Iudæi minimè cruci affixissent. Pertinet huc etiã φιλανθρωπία Christi intercedentis pro nobis: item potestas defendentis suam Ecclesiam. Christi maiestas in eius ascensione enituit.

1. Pugnant cum hoc glorioso triumpho. Primùm qui articulum fidei hunc negant, aut malè corrumpunt, quales nonnulli hæretici apud Epiphanium referuntur.

Deinde hi etiam, qui non eòdem aspirant, sed illa relinquunt, ipsis affectibus indulgent & carnis opera sequuntur, reipsa testantes parum sibi cœlestia esse curæ.

Tertiò, hypocritæ qui aliis mediis eò conantur ascendere, quàm iis quos docuit Christus caput nostrum: hi non Christum sequuntur, sed eum in speciem imitari volunt: quod de Simone Mago aliqui referunt.

Quartò, illi etiam qui non ascendere cupiunt, nec animo nec corpore: sed potiùs descendunt ad regnum Satanæ: quod fit, odio, auaritia, vsura, scortatione, idololatria, aliísque sceleribus, quibus in regno cœlesti nulla est portio. His artibus ad contrarium regnum Satanæ descenditur. Huc pertinet quæ de fructibus carnis & operibus tradunt Apostoli. Gal. 5. Manifesta sunt opera carnis, &c.

DE CORPORE CHRISTI POST ASCENSIONEM IN VNO CERTO LOCO EXISTENTE.

LOCVS XXI.



Vod hactenus præstitimus in historia Euangelica: idem deinceps sequemur, scilicet ex singulis capitibus locos insigniores proponemus: & ex illo numero vnum aliquem diffusiùs explicabimus, ne sit necessum in enarratione contextus, digredi in locorum communium tractationem.

Hoc igitur capite primo Actorum, loci insigniores sunt: de apparitionibus Christi post resurrectionem per dies 40. alter de ascensione Domini. 3. de electione ordinaria ad ministerium. 4. de sortibus 5. de apostasia Iudæ, & illius proditione. De quibus omnibus à nobis inter explicandum contextum iam dictum est, excepto vltimo de proditione & apostasia Iudæ: quem locum etiam iam præteribimus certo consilio, & de ascensione agemus. Insigniores loci primi cap. lib. Acto.

Non autem attingemus illa methodica, hoc est, quid sit Ascensio, quot modis considerari debeat, quæ sint illius causæ, quis fructus, quæ cognata, quæ repugnantia & similia. Sed qualis sit Christi hominis post illam conditio: locóne & spatio certo contineatur, vt ante illam, nec ne? An Christus homo post ascensionem certo loco contineatur.

Reperio enim geminam hîc sententiam. Prior est Christum hominem ita ascendisse, vt deposuerit visibilem conuersationem, adeò vt non conspiciatur, licet præsens sit corpore, & omnia impleat supera, infera, cœlum & terram. Horum sententia Dominus Christus post ascensionẽ non certo spatio continetur, sed pro maiestate diuinæ gloriæ, & consortio naturæ diuinæ, omnia in omnibus implet.

Altera est eorum, qui dicunt, Christũ Dominum gloriæ, non solùm visibilem conuersationem deposuisse: sed corpus suum humanum in cœlestia abstulisse, vbi etiam spatio certo contineatur & finito, adeò vt corpore suo glorioso, non omnia infera, supera, terram & cœlos, &c. impleat: has duas opiniones iam examinabimus.

Porrò orationis nostræ hic sit scopus. Christus homo, non minùs post ascẽsionem, quàm antè, certo, finitóque spatio continetur. Vera & pia sententia.

Ac hominẽ Christum dicimus, humanam illius personæ naturam intelligentes: conuenit, enim de hoc vtrinque, in vna persona Christi, duas naturas esse vnitas, idque inconfusè & indiuisibiliter. Diuinam, qua λόγος ab æterno Deus & Filius Dei est & dicitur: quæ natura diuina humanam assumpsit in tempore, de quo dicitur verbum caro factum est. Porrò vnio hæc duarum naturarũ in vna persona, facta est inconfusè, hoc est, vt naturæ diuersæ diuina & humana, non sint in sese confusæ vna in alteram, aut ambæ in tertiam aliquã. Cùm autem inconfusas dicimus naturas, hoc volumus, illæsas, & integras manere, saluis cuiusque proprietatibus: sic diuina natura, vt prius manet omnipotens, creatrix,

Manent in Christo duæ naturæ integræ, saluis cuiusque proprietatibus.

conseruatrix, gubernatrix, omnia in omnibus implens infinita, vbique præsens, vt nec loco nec tempore definiri possit. Humana verò natura in Christo manet, verè caro & ossa ex ossibus & carne nostra, finita spatiis, tempore, loco, vt ante ascensionem.

Nam quod attinet proprietates corporis humani, quæ vel imperfectionem, vel corruptibilitatem designant, certum est illas omnes in Christi corpore, vel non fuisse, vel iam post resurrectionem depositas esse plenè. Imperfectionis quædam est proprietas, humani corporis, vt peccatum & lapsus quotidiani: quod peccatũ & quos lapsus omnes procul remouemus ab agno Dei immaculato, in quo peccatum repertum non est, nec vlla iniquitas in ore ipsius. Reliquas imperfectionis proprietates, vt est esurire, edere, bibere, vigilare, dormire, algere, lachrymari, &c. quæ sine peccato in Christo sunt repertæ: has inquam deposuit plenè in resurrectione.

Manet tamen verè corpus humanum: quod dicimus certo contineri loco post ascensionem, quemadmodum ante illam locale fuit. Vt in vno solùm loco natus est homo Christus, vno semper tempore in vno loco conspectus, nnuquã verò in pluribus vno & eodem tempore (quod de suo Apollonio fabulatur Philostratus) sic abest corpore à Nathanaële licet illum sub arbore videret, Ioan. 1. Abest corpore à Lazaro, cùm illum discipulis diceret ægrotare, Ioan. 11. cùm illum ex sepulchro euocat, eo tempore, non fuit alibi suo corpore. Sic vno loco solùm passus est, sepultus est vno tantùm loco, ibidem solùm resurrexit, vno tantùm loco ascendit ad cœlos. Ex quorum temporũ collatione dicimus, eodem pacto post ascensionẽ vno tantùm spatio humanum illius corpus vno & eodem tempore contineri: quod hoc pacto astruimus.

Multis rationibus probatur Christi corpus certo contineri loco.

Primùm scriptura loquens de Christi apparitionibus post ascensionem, loquitur de his vno tempore in vno solùm loco factis, quem modũ seruauit quoque in apparitionibus post resurrectionem: nusquam prodidit scriptura Christum hominem vno tempore in diuersis locis apparuisse: dum apparet ad sepulchrum Mariæ, non apparuit illo eodem tempore discipulis: dum iter facit cum illis in Emaus, eo momento non erat Ierosolymis: Dum est in medio discipulorum vesperi, non ampliùs fuit corpore suo in Emaus: sic post ascensionem apparet Stephano filius hominis ad dextram Dei in cœlis. Act. cap. 7. sic cap. 9. apparet Paulo, quo tempore non alibi apparuit, vt idem corpus diuersa loca occuparit eodem tempore.

2. In historia ascensionis scriptura expressè meminit motus localis, qualia sunt, sursum assumptus, in altum sublatus est: item redibit eo modo, quo vidistis euntem in cœlum: quæ omnia indicant motum localem, seu de loco ad locum: quo non erat opus, nisi in certo loco fuisset, eóque vno, vno inquam tempore, in ipsa ascẽsione: quo efficitur certo spatio comprehensam humanitatem Christi in ipsa ascensione, vti ante ascensionem.

3. Post ascensionem verò, Christus verus mansit homo, vt fuit priùs. Verum quidem est, in morte depositas corruptibiles conditiones humani corporis: quale est, ipsum mortale esse, esurire, edere, bibere, tristitia affici, lachrymari, & similia, quæ omnia cum morte deposuit. Sed naturam humanam veram & impermixtam seu inconfusam cum diuina natura retinuit, hoc est, vt vera carne & ossibus & sanguine cœlos ascenderit: quam naturam hominis ad dextram Dei Patris collocauit. Quod cùm verum sit, efficitur certo spatio contineri adhuc in cœlestibus, nisi ostendatur humanam quoque naturam depositam esse à filio Dei: quod ostendi non potest.

4. Corporea substantia in pluribus locis quàm vno, tempore vno esse nõ potest: Christus homo substantia est corporea, addo creata, & nata ex semine Dauid (nec huic obstat quòd gloria & decore ornata est illa humanitas: maiestatem enim & immortalitatẽ Deitas dedit, naturã non abstulit:) ex quo consequitur Christum hominem certo contineri loco, quandiu corporea substantia & creata præditus est. Corpus enim esse sine loco ambiente, absurdum, imò impossibile est.

Impossibile est corpus esse sine loco.

5. Corpus naturale & viuum certa cõstat partium dispositione, ordine ac situ, ita vt pars quæuis suum habeat locum in toto, suum ordinem & dispositionem, vt nulla pars alterius nec locum nec positum occupet: Eadem ratio est totius Physici corporis viuentis, hoc est, vt habeat positum certum situm & ordinem. Et Christus cùm habeat corpus naturale, viuens, seu, vt vocant, organicum, fieri non potest, quin certo spatio definiatur, quod corpus ambiat: adeò vt vno tẽpore, vno solùm loco contineatur.

Corpus Christi vbique esse non potest. Humanitas Christi infinita non est.

6. Si homo Christus non vno spatio continetur in cœlestibus, tum humanitas facta est infinita: non enim potest finitum corpus infita occupare spatia: sed vt finitum est corpus, ita finito continetur semper & certo spatio. Quòd si igitur infinitum est factum corpus humanum, tum vel abolendo est infinitum redditum. (Ita nullo quidem certo contineretur loco, sed desiisset ita esse homo Christus, quod falsum est, non ergo est abolita humanitas) aut conuersione in diuinam naturam facta est infinita humanitas Christi. Sed ita confusæ erunt naturæ, quas distinctas & impermixtas in vnione earum, iam diximus conseruatas esse. Si ergo humanitas infinita reddita non est, hoc est, non est abolita, nec est conuersa in diui-

in diuinam naturam, finita adhuc manet, & ob id finito continetur adhuc spatio.

7. Adde quòd Dei solius sit, vbique omnia implere repletiuè & non localiter. Creatę naturæ & corporeæ proprium est localiter esse alicubi: Spirituum, definitiuè: Dei verò, repletiuè, vt vbique omnia impleat, loco tamen nō contineatur. At verò humana Christi natura, non est Deus, nec est etiam diuina natura, quę ab hac est distincta: quare fieri non potest vt humanitas Christi pluribus quàm vno loco eodem tempore contineatur.

Hæc breuiter confirmant nostrum propositum, quòd scilicet Christus homo, non minùs post Ascensionem certo contineatur spatio, quàm ante Ascensionē. Ad quam causam plura adduxerunt alij tum ex scriptura sacra, tum ex patribus, & rationibus philosophicis rectè & orthodoxè concludentibus: ideóque ista nobis satis esse poterunt ex multis. Superest, vt breuiter audiamus rationes illorū, qui diuersum statuunt.

Rationes eorū qui vbiquitatē tuentur.

Primùm dicunt Christum ascendisse in cœlos: sed cœli nomine, non locum intelligi, cùm cœlum non sit locus, nec in loco, sed vbique.

Respondemus, non satis philosophicè hoc dici, nec secundùm scripturas eos loqui: principiò enim apud philosophos non est authenticum, cœlum, nec locum, nec in loco esse. Locum esse cœlum, omnes concedunt, cùm sit σύςημα naturarum omnium creatarum, quæ intra concauum cœli continentur: de Platone certum est: nec Aristoteles negat cœlū locum esse. An verò sit in loco dubitatum est. Plato dicit in loco esse cœlū, cùm sit in tempore & cum tēpore esse cœperit. Negauit Aristoteles: sed non caruit reprehēsoribus: in primis à Iustino martyre aliisque piis viris id refutatū est.

Sic cùm dicunt extra cœlum locum nō esse, scio quidem Aristoteli hoc ita visum: sed opponimus illius judicio præceptorem Platonem, & Cleomedem, qui validè rationes Aristotelis euertit: ac docet certum, VBI illic esse, ac VBI, AC VACVVM, vt illi loquuntur. Similis est imprudentia, cùm dicunt cœlum esse vbique, nec in certo loco. Philosophicè loquendo vehementer errant, cùm in terra non sit cœlum, in aquis non, in aëre non: sed in æthere solùm: qua ergo imprudentia loquuntur, cœlum esse vbique? Philosophorum communis est sententia, sex esse plagas mundi, dextrum, sinistrum, ante, retro, sursum, deorsum: ex quibus vna solùm cœlum habet, scilicet sursum. Itaque vbi sursum est, illic cœlum constituendum ab illis erat, nec vbique: non igitur satis philosophicè loquuntur. Sed ne sic philosophicè agūt, quòd in cœlo distincta sint spatia sphærarū, adeò vt vna nō sit in loco alterius, quæ res Philosophis notior est, quàm vt explicatione indigeat: ideóque in his non oportebat impingere.

Sex mundi dimētiones.

Sed neque secundùm Scripturas loquuntur: quarum phrases decebat Theologos in primis seruare.

Nullibi scriptura cœlum vbique constituit, sed à terrenis cœlestia semper seiungit: vt cùm immensam rerum distantiam exprimere vult, cœli & terræ distantiam solet proponere: non igitur vbique cœlum constitui potest, vel debet. Deinde ascensionem ad cœlos vt localem exprimit Luc. 22. Marc. 16. receptus est in cœlum & consedit ad dextram Dei. Cœlos mansiones Angelorum, sedem Dei, thronum Dei, vocat, & mansiones ibi multas esse dixit Christus, Ioann. 14. His & similibus loquendi formis tutiùs innitimur, quàm nouis illis, quæ exempla in scriptura non habent.

II. Adducunt locum ad Eph. 4. ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia. Nolo hic afferre quæ alij ad hunc locum attulere rectè: sed dico locum palàm illis aduersari. Cùm enim dicit Christum ascendisse super cœlos, quid inde colliges? non certè quòd Christus corpore sit vbique: stupidum enim hoc sit: sed non esse infra cœlos: firmum enim est, Christus corpore suo ascendit supra cœlos, ergo infra cœlos non est eodem tempore, nisi suprà & infrà confundas: quod natura rerum non fert.

Arguta respōsio.

Nec admittimus hîc cauillum, cùm dicunt, diuerso respectu vnum & idem suprà & infrà dici posse. Nam superiora ad quæ Christus ascendit, nihil superius agnoscunt: sed ne sic vbique Christum esse possunt probare.

III. Ex eodem loco afferunt, vt impleret omnia. Si implet omnia Christus, vtique adest omnibus Christus, vt implere possit. Respondemus argumentū plus satis esse stupidum: simile est huic Sol implet omnia, ergo corpore? respōdebit mihi de triuio puer, si non alij essent modi implendi, aliquid diceres: at cùm alij sint modi implendi omnia, quæ est importunitas de vno concludere modo, quod de altero veriùs dicitur? Concedo igitur Christum implere omnia, sed corporali præsentia hoc fieri, nego. Est enim præsentia alia ἐνεργητική, qua hoc facit, quemadmodum sol omnibus rebus adest, calore suo fouendo & alendo: sic Christus ἐνεργείᾳ sua omnibus adest: gubernat omnia, conseruat omnia, regit suos, reprimit hostes. Σωματικὴ autē præsentia est in vno loco, vt eodem tempore non sit alibi. Aut ostendant illi, de corporali præsentia, dici illud, IMPLERE OMNIA.

Quomodo Christus impleat omnia.

IIII. Matth. 28. dicitur, Ero vobiscum vsque ad consummationem mundi. Locus facilis est ex superioribus: quemadmodum enim implet omnia, sic adest omnibus, peculiariter tamen cum sanctis. Nec nos negamus, quin sit nobiscum Christus semper: sed illis adhuc

probandum est, Christum corporaliter hîc esse in terris nobiscum. Adest vt Deus vbique & omnibus rebus, deinde vt mediator & liberator adest ἐνεργητικῇ παρουσίᾳ Ecclesiæ suæ: sic adest Cœnæ suæ secundùm promissiones suas: ac satis est illum adesse præsentia ἐνεργητικῇ cùm nō minùs efficaciter suos & alat & regat: quàm si corpore præsens esset. Hinc fit vt ἐνέργεια ista, dicatur res ipsa à qua proficiscitur: sic Christus panē corpus suū dixit ipsum panē, & vinum sanguinē ac testamentū suū nouum.

Quomodo Christus semper nobis adsit.

V. Ab vnione naturarum colligunt ita: humanitas vnita est diuinitati insolubiliter, adeò vt vbi Christus sit, ibidem sit totus, hoc est, vtraque natura humana cum diuina: aut certè vnio naturarum solui videbitur, si diuinitas sit, vbi humanitas non sit.

Vnio naturarum non efficit vt pariter extendantur.

Primùm respondemus vnionem non efficere, vt pariter extendantur naturæ, quod illi tamen conantur efficere. Deinde non solui vnionem personalem duarū naturarum, quod illi tanquam absurdum inferunt. Prius facilè intelligi potest ad hunc modum: oculus & visus vniuntur indissolubili vnione: non tamen pariter extenduntur, vt oculus vbiq; præsens sit corpore suo, vbi visus diffunditur. Longè lateque lustrat omnia visus, oculo suo loco manente: item corpus humanum & anima vnita sunt, in vnam personam: attamen anima excurrit, vagatur interdum extra corpus: eodem modo mens in corpore est, attamē mente peregrinamur ad remotissima loca, quò tamen corpore non peruenimus. Verùm quia illi dicunt similia non probare sed docere, afferamus pressius exemplū. Christus Nathanaëlem videt sub arbore, corpore absens: nemo, opinor, sanæ mentis negabit quin diuina sua natura Nathanaëli fuerit præsens. Non enim humanū erat illud videre, sic Lazaro morieti corpore absens adest vt Deus, Non igitur pariter extenduntur ambæ in Christo naturæ: quod illi voluerunt nobis persuadere.

Alterum est non solui vnionē naturarum hypostaticam. Nam quicquid agit persona, illa quæ est Christus, hoc agit vtriusque naturæ consensu & conformi voluntate: ac vt voluntas vniformis est: sic vna & eadem dicitur potestas. Itaque adest suis ἐνεργητικῶς non sola diuinitate, sed humanitatis conscia mente & conformi voluntate. Deinde in morte Christi certum est, corpus sepulchro mandatum, ibidémque contentū fuisse, deitatem verò minimè. Nec tamen vel impedita est naturarum vnio, vel etiam soluta: multò igitur minùs post gloriosam resurrectionem, & ascensionem ad cœlos, actiones Christi soluunt vnionem naturarum, licet in his administrandis dicamus non perinde corpore vbique esse præsentem, quemadmodum præsens est diuinitate.

Totus Christus est vbique, sed non totū Christi.

Interea libenter etiam admitto, TOTVM CHRISTVM VBIQVE ESSE, hoc est, personaliter administrare omnia quæ agit: hoc est, personæ totius esse actiones: non tamen TOTVM CHRISTI ob id esse vbique, hoc est, humana illius natura, vel corpus humanum non adest omnibus cum deitate, sed certo loco manet homo Christus omnia administrans. Et sanè absurditatē hoc loco non possunt effugere aliter sentientes. Aliter enim corpus finitum actu in pluribus erit locis, vno & eodem tempore: quod ratione & exemplo caret. Imò illud τῶν ἀτόπων ἀτοπώτατον, actu dari corpus infinitum vbique & passim diffusum.

Accedit grandis illa iniuria in Christum Dominum nostrum, & maiestatem illius omnipotentem.

Nam illi sic vrgent corporis præsentiam, quasi Christus aliter non possit suos alere, cibare ad vitam æternam, conseruare ab aduersariis, tueri in periculis.

Agnoscamus igitur Iesum Christum verum Deum, qui in cœlis homo verus residens, non minùs efficaciter suos in cœna alit & cibat, quam si corpore esset ipsissimo præsens: in primis cùm de corporali pręsentia dixerit expresse, *caro nihil prodest, spiritus est, qui viuificat, &c.*

DE VOCATIONE GENTIVM.

LOCVS XXII.

Ocus de vocatione Gentium propriè ad nos pertinet, qui ex dispersione omniū Gentiū ad veritatis cognitionē sumus admissi. Et quia Apostolus ad Rom. 9. 10. 11, multiplicem inde profert consolationem, ideò à nobis non est temerè prætereundus, sed scripturis & exemplis confirmandus, ne fundamento non satis firmo inniti videamur: de hac igitur acturi, rem à definitione ordiamur.

Definitio.

Vocatio Gentium nobis dicitur, congregatio ad Christum, eorum quos Deus ab æterno constituit præter Iudæos, sibi in filio reconciliare, insolita & Gentibus insperata quidē ratione, certa tamen & adumbrata in scripturis sanctis.

In hac descriptione primum est, quòd nos Gentes præter Iudęos congregamur. Id ideo dicitur, quia ordinariæ promissiones de Messia, Iudęis solis factæ videbantur, adeò vt Iudæi eas etiam non aliter intelligerent. Exod. 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, in regnum*

gnum sacerdotale, & gentem sanctã. Psal. 135. *elegit sibi Dominus Iacob.* Psal. 148. *non fecit talia omni nationi.* Esa. 42 *ecce Iacob seruus meus*, &c. Esa. 19. *hæreditas mea Israel.* Ierem. 10. *Israel virga hæreditatis eius* hinc illud ad Rom. *ex Malachia, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.* Nam promissiones ad Abrahamum spectabant, & solùm ad certam illius posteritatem: Ismaël enim exclusus est in Isaaco, mox excluditur Esau, in Iacobo, omnibus 12. illius filiis confirmatur pactum Domini. Hinc ad Eph. 2. Apostolus dicit *nos aliquando sine Deo in mundo vixisse.* & Rom. 9. *Patres & Christum ad Iudæos solùm pertinuisse, non item ad Gentes.* Quæ omnia eò faciunt, vt Dei in nobis misericordia & gratia reddatur illustrior. Non enim solùm nihil promeritos vocauit, sed quibus etiam nihil promiserat. Alia ratio erat in populo Iudaico. Discamus igitur Dei gratiam agnoscere, & vita ac moribus ornare nostram vocationem, &c.

Speciali quadam ratione promissiones de Messia factæ sunt Iudæis.

II. Considerandum est, quomodo insolita & insperata ratione Deus hoc fecerit. Id inde cõfirmamus quod Apost. ad Rom. 9. de Gentibus dixit, eos qui non sectati sint Dei iustitiam, in illam incidisse. & Rom. 10. ex Esaia, inuentus sum ab his qui me non quærebant, & manifestus sum factus his, qui de me non interrogabãt: quasi dicat, eos incidisse prçter spem, & insperata ratione in thesaurum istum, de quo minimè cogitabant.

Deinde insolita ratione factum est, quia nullas habebant huius rei promissiones apertas, sed pauci quidem ratione extraordinaria semper admissi sunt, de quibus non poterat tamen constitui communis & certa regula.

Semper admissi sunt quidam ex Gẽtibus ad saluti perceptionẽ.

Denique quia hoc ab æterno latuit in thesauris diuinæ prædestinationis: quã suo tempore voluit patefacere, misso Filio suo in carnem. Hinc doctrina est cœlitus reuelata, quam Filius Dei ex sinu Patris nobis attulit: hinc ab Apostolo passim dicitur mysterium. Rom. 11. v. 25. non enim volo vos fratres ignorare mysterium hoc, cæcitatem Israëli accidisse, donec ingrediatur plenitudo Gentium. Ephes. 1. v. 9 *patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundùm gratuitam suam beneuolentiam, quam proposuit apud se, ad dispensationem pleni temporis, colligere omnia in Christo, &c.* hoc mysterium infrà cap. 3. pleniùs explicat: *quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, id nunc apertum est sanctis eius & Prophetis per Spiritũ, scil. Gentes esse cohæredes eiusdem corporis, & consortes promissionis illius in Christo.* Et ad Col. 1. v. 27. *quibus Deus voluit notum facere, quæ essent diuitiæ gloriosi istius mysterij inter Gentes, qui est Christus in vobis, spes gloriæ.* Cùm igitur mysterium passim dicatur, certum est rationem hominis priùs latuisse, & nobis euenisse non solùm sine consilio nostro, & opera, sed etiam nihil tale cogitantibus. *Es ist vns in sinn vnd danck nie kommen.*

Hic respondendum est illis, qui dũ audiunt mysterium hoc fuisse, quærunt an caruerit igitur ratione. Respondemus, ineptè hoc quæri, dum agitur de misericordia Dei. Quæ enim misericordia & gratia fiunt, firmissima fiunt ratione, respectu miserantis: licet non perinde si misertum respicias. Deinde non ideò ratione caret factum, quia id homines non intelligunt: quemadmodum non ideò res non est, quia non cognoscitur: sed quia consilio fit, ideò certissimum est subesse rationes. Has vtcunque à posterioribus iam patefacto negotio intelligimus, vt scilicet *essemus gloria nominis illius, & pater infinitus misericordiæ thesaurus.* Et sui cognitione non prorsus spoliauerat Ethnicos, vt est ad Rom. 1. nisi quòd illa magis essent abusi. Præterea ius dominij manebat integrum, ex quo concludit idem ferè Apostolus ad Rom. 3. *an Iudæorũ Deus solùm, an non etiam Gentium? certe & Gentium.* Dederat quoque illis legem naturæ impressam, in paradiso, & Noacho prçcipuas leges repetiit, qui easdẽ posteris reliquit omnibus. Monitores quoque dederat Prophetas aliósq; veri Dei notitia illustratos, vt Ægyptiis dedit Iosephũ, Danielẽ Babyloniis, Nehemiã, Esdrã Persis, Ionã Niniuitis, & Ieremiã constituit super Gẽtes & regna, vt euellat & corrigat, &c. Id cur fecit Deus? Certè vt ad se aliquando redirẽt. Cùm .n. summa sit ratio, nihil sine firmissima facere dici debet. Huc pertinet etiã inferiores monitores illis datos, quales erãt saniores Philosophi, Pythagoras, Plato, &c. Socrates de se testatur, se diuinitus monitorẽ esse datũ Atheniensibus, ideóq; & gratis docere, & non parcere laboribus, quin publicè & priuatim circumeundo singulos moneat & doceat. Hçc quanquã de illo scribit Plato, & ipse rei fortè ignarus, verũ tamẽ scripsit vt alibi interdũ appositè quoq; videtur loqui.

Philosophi concionatores gentium.

III. Sequitur in definitione nostra, vocationem hanc in scripturis sacris esse adumbratam. Huc referemus duplex genus testimoniorum. Prius quod aperta habet oracula diuina. Posterius quod typos habet, & rei futuræ vmbras. Ideóque illud τύπον habet, hoc τὸ ῥητόν, vtrunque tamen χραφικόν est & certissimum. Vtriusque quædam proferemus exempla.

Scripturæ igitur testimonia de vocatione nostra aperta sunt. Gen. 12. & 22. *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Id de Iudæis solis non potest intelligi, cùm non sint omnes Gentes: de nostra autem vocatione, qua in Christo semine benedicto benedicimur Deo patri, hoc est, reconciliamur illi Filij merito. Gen. 49. de Messiã dicitur *& ipse erit expectatio Gentium.* Deuter 32. *lætamini Gentes cum populo suo.* & ibidem, *per Gentem quæ Gens non est, & per populum stultum te ad æmulationem & iram prouocabo:* quod in hanc sententiam Apostolus ad Rom. 10. citauit. Et Iustinus Martyr vtroque vtitur contra Tryphonem. Esa. 65. *inuentus sum*

Scripturæ testimonia de vocatione gentiũ.

ab his qui me non quærebant, quòd ad Roman.10.quoque Apostolus citauit,& idem Iustinus habet in Tryphone. Esa. 11. *erit in signum populorum*, & *ipsæ Gentes deprecabuntur*, citatur ad Roman. 15. Esa. 52. *quibus non renuntiatum de eo videbunt*, & *qui non audierunt intelligent*, Citatur hoc quoque ad Roman. 15. & à Iustino cōtra Tryphonem adhibetur: huc pertinent capita eiusdem Prophetæ Esaiæ.35.54.19.60.2.42.quæ passim non solùm à Hieronymo,Iustino, aliisque pro hac causa citantur, sed passim ab Apostolis Christi. In Ieremia idem docetur cap.1.16.31. & alibi.in Michea illustris est locus cap. 4. *ad ipsum confluent populi*. Zach. 2.& *applicabūtur ad Dominum Gentes multæ in die illo, & erunt mihi in populum* Malach. *ab ortu Solis vsque ad occasum gloriosum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur sacrificiū purum nomini meo, quia honoratur nomen meum in Gentibus*, *quod vos prophanastis* Oseæ primo. & *erit in loco*,&c.citatur.Rom.9.vers.26.Ioel.3.

Venio ad Psalmos, qui locum hunc perspicuè proponunt. Psal. 2.Deus pater, Messiæ dat Gentes, & *fines terræ in hæreditatem*.Psal. 18.*populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Ideò confitebor tibi in Gentibus*,citatur ad Rom.15.Psal 21. *adorabūt in conspectu eius omnes familiæ Gentiū, quia Domini est regnum*, & *ipse dominabitur Gentibus*. Psal. 71. *reges. Tharsis & insulæ munera illi offerent. Omnes Gentes seruient illi*.Psalmo.46. *omnes Gentes iubilate Deo*. Psal.117. *laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi*: citatur Rom.15.pro hac causa.Et ne lōgior sim, hæc ex infinitis scripturæ testimoniis sufficiant: qui plura cupit,videat testimonia noui Testamenti ex veteri huc allegata. apud Iustinum Martyrem multa extant appositè contra Tryphonem adducta:habet quędam etiam Augustinus lib.18.ciuit.capite.33.ex Ieremia & Sophonia. & lib.17.cap.20.ex Ecclesiastico. & in oratione aduersus Iudæos capi. 8. apud Eusebium, totus liber 2.de demonstrat. Euang.in eo versatur argumento. & Athanasius ad Marcellinum,& alij alibi, quò te remitto: nos ad alterum genus testimonij transeamus.

In explicanda vocatione Gentium dixi valere, primùm apertam scripturam: cuius præcipua testimonia iam indicamus.Deinde typos qui idem per inuolucra docuerunt, erántque singularia huius rei exempla,quanquam nondum statui posset communis regula.

Typi vocationis Gentiū.

Ad typos igitur refero,primùm ipsum Melchizedek, qui cùm esset Gentilis & extra promissiones Abrahæ, tamen Dei altissimi sacerdos fuit,adeò vt Dauid Psal.110.Messiam secundùm illius ordinem faciat sacerdotem, vt Apostol. ad Hebr. 7. rem de Christo explicat. Sic Iob alienigena fuit, non pertinuit ad populū Dei,attamen Deo dilectus vmbra fuit vocandarum Gentium. Sic Iethro socer Mosis. Ita Naaman Syrus 2.Reg.5.ab Helisæo curaturà lepra,curandæ nostræ lepræ per Christum exemplo. Niniuitæ per Ionam conuertuntur ad pœnitentiam,quibus Deus etiam ignoscit. Gabaonitę recipiuntur à Iosua,& dolo intellecto Dei authoritate conseruātur in fœdere, quanquam essent de numero Gentium extirpandarum.Ios.9.Regina Saba ad Salomonem accessit, illius admirata sapientiam: nos quondā Ethnici relictis superstitionibus Christum verum Salomonē admiramur & colimus. Israëlitas ex Ægypto exeuntes secuta est innumera turba,quæ cum illis mansit in deserto,&cum illis conseruata est, tandémque in eundē coaluit populum. Deus quoque iussit Proselytos suscipere in religionem & Remp. Mosaicam.Vnde Salomon eos recenset.2.Paral.2.& 3.Et Exod.12.aduenæ admittuntur ad celebrationē Paschatis: ideóque nos Ethnici ad verum Pascha conuertimur.Hi manifesti sunt typi, sine omni allegorica obscuritate. His addamus quos passim apud patres legimus,obscuriores tamen:Hieronymus bouem & asinum in cap. 1. Esaiæ, huius typum facit. Idem Libanum in Carmelum translatum apud Esa.29.Et insulas quæ legem Messiæ expectent, Esa. 42. Ibidem linum fumigans,& calamum quassatum.& apud Zach.11.virga decoris, apud Ezech.19. Sodoma soror olim restituenda in integrū.Esa.25 Dominus Gentibus omnibus facit conuiuiū pingue in monte suo, præcipitur etiam mors in sempiternum. Item lupus & agnus concordes,& alia infinita quæ libens prætereo.

Aduenæ ethnici admittebantur ad celebrationē paschatis.

Ex Iudæis & gentibus factum est vnum ouile.

Ex his iam intelligi possunt noui Testamēti oracula & typi. D.Christus inquit Ioan.10. Alias oues habeo, quas oportet me adducere:non sunt aliæ quàm Gentes,quas ad ouile suū transtulit, ex duplici ouili, synagogæ & Gentium, vnam Ecclesiam concordem extruens. Matth.8. multi venient ab ortu & occasu, & accumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur foras,&c.Huius rei typus filius prodigus à patre iterum receptus.Cęcus iste iuxta viam.Mulier sanguinis profluuio laborans:pullus asinæ qui Christo adducitur Ioan.12. Magi qui Christum quærunt & repertum adorant, oblatis muneribus,Matth.2.Lapides isti de quibus ait Ioannes,quòd Deus inde filios Abrahæ possit excitare,Mat.3.Illi Samaritani qui credunt in Christū,Ioan.4.Gręci illi qui cupiūt videre Dominū,Ioan.12.Titus quoq; qui cùm Gētilis sit,non cogitur circūcidi. Huc spectat Cananæa mulier,Mat.15.Syrophœnissa, Marc.7. Cornelius Cēturio Romanus,Mat.8. Eunuchus quoque reginæ Candaces & similia exempla.

Quando sit impleta vocatio gentium.

IIII. Addamus iam quando hæc vocatio sit impleta? Respondemus illam adhuc impleri quotidie. Si tamen veteris Testamenti oracula & typos respiciamus, dicimus rem iam impletam esse,quia Messias iam est exhibitus,& ostium Gentibus patefactum est. D. Hieronymus libr. 2. aduersus Iouin.ait, vndecima hora vocatum esse Gentium populum, cui etiam

tiam primò reddatur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei, magnitudinem meruit præmij. Respexit ad parabolam Domini, quæ est Mat. 20. Augustinus in explicat. epist. ad Galat. scribit, non euangelizatum est Gentibus, nisi post ascensionem Domini: priùs valuisse, in viam Gentium non abieritis.

Ex quibus colligimus plena vocatione vocatas esse Gentes demum post ascensionem Domini: adeò vt quicquid hanc præcessit speciale fuerit. Itaque per Apostolos tandem impleta est, ex mādato, *docete omnes Gentes*, Mat. 28. hinc successores Apostolorum idem præstitere, quales sunt pij martyres, doctores, adeò vt in hunc vsque diem plenitudo Gētium ingrediatur & ingressura sit ad finem vsque seculi, alio tamen tempore magis aut minus vim patitur regnum Dei, ab his qui rapiunt illud.

Impletur quotidie vocatio gentiū.

V. Pertinet huc quoque successus rerum, habet enim magnam consolationem si felicitatem hîc consideres, qua promulgata est hæc doctrina. Ac magna felicitate promulgatam esse, argumento est temporis breuitas quo toto orbe terrarum sparsa est, adhuc Apostolorum tempore totus orbis personuit illa doctrina. Paulus solus ab Hierosolymis, vsque in Illyricum omnia compleuit Euangelio. Et Rom. 1. testatur fidem Romanorum prædicari in toto orbe, & ad Coloss. 1. Euangelium doceri in toto mundo dicit, & hac occasione venisse etiam ad Colossenses.

Posterior ætas auxit famam Euangelij, vt tandem Imperatores publicè admiserint, qualis primus fuit Constantinus & Theodosius Imper.

In hoc rerum incredibili successu expendi debet rerum ordo.

Primùm sanè res pendet ab æterno & inscrutabili Dei consilio: cui sic placuit stulta prædicatione infatuare sapientiam carnis, & totius mundi supercilium humiliare.

Deinde Christus Dei filius, natus in hunc mundum carne suscepta ministerium illius ordinariū instituit, Matt. 28. *docete omnes Gentes*: & Act. 1. *Eritis mihi testes, vsque ad extremum terræ.*

Hoc ministerium post ascensionem debuerunt primùm adire, Iudæis ad plenum conuictis. Huc pertinet Apostoli Pauli singularis vocatio ad Gentes docendas. Act. 9, & 13. capitibus, hoc tanquam electo organo ad hoc opus Deo placuit vti: hinc passim de hac sua vocatione gloriatur. Rom. 11. v. 13. *hoc enim vobis Gentibus dico, quatenus sum Apostolus Gentium.* Rom. 15. v. 16. *vt euangelizarem filium eius Gentibus*. 2. Tim. 1 11. *constitutus sum præco & Apostolus & doctor Gentium. & 1. Tim. 2. 7. veritatem dico non mentior, doctor Gentium in fide & veritate.*

Tertiò, ad hanc vocationem adeò difficilem, Deus illos excitauit singularibus reuelationibus: vix enim vel ipsis Apostolis primitus videbatur credibile Gentes debere ad consortium fidei admitti. Hinc Petrus singulari reuelatione ad Cornelium tandem descendit, Act. 10. quod factum postea apud Apostolos multis fuit coactus defendere. Sic reuelatione singulari Paulus & Barnabas mittuntur tandem ad Gentes, Act. 13.

Quartò, Iudæorum pertinacia eos quasi inuitos repellit, vt nolint velint alios cogantur quærere auditores. Etenim quandiu Iudæi dedissent tuta auditoria, non videntur facilè Gentes docturi etiam iussi: sed quia illi pertinaciter resistunt, memores mandatorum Christi ad Gentes conuertuntur: hinc illa, Act. 13. *Vobis necesse fuit primùm proponi sermonem Dei: quia autem repellitis illum, & indignos facitis vos æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* Et Act. 18. Corinthi pertinacibus Iudæis respondet, *sanguis vester super caput vestrum, purus ego, ab hoc tempore ad Gētes proficiscar &* Act. 28. postquam cum Iudæis expostulasset, addit, notum *sit ergo vobis, missam esse Gentibus hanc Dei salutem, & ipsos audituros.*

Iudæorū pertinacia, Apostolos quasi inuitos ad gentes repellit.

Quintò, Dominus passim in Gentibus declarauit magnam facilitatem ad obsequēdum doctrinæ veritatis Act. 13. rogant Apostolos Gentes, vt in proximū diem sabbathi loquerentur illis verba hæc, & ibidem: *Gentes autem hæc audientes gauisæ sunt & glorificabant sermonem Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Talis facilitas fuit in Cornelij tota familia, in Sergio Paulo Ephesi, Romæ inter domesticos etiam Cæsaris, & passim in tota Macedonia, alijsq; orbis partibus. Auxit hanc facilitatem, tanti boni occursus improuisus, bona enim suauiora solent esse quoties subitò ingruunt nihil tale cogitantibus. Ac tale quid in Gentibus fuisse suprà diximus ex cap. 9. ad Rom.

Hinc plenis tandem buccis passim docent sine discrimine: & passim successus operi respondet. Sic Act. 14. Paulus recenset *Gentibus ostium fidei esse apertum.* Act. 17. *multi Græcorum credunt, mulieres etiam & virorum turba multa.* Act. 11. Apostoli in Iudæa audiunt Gentes recepisse sermonem Dei, & sibi gratulantur. Suprà iam dixi quantùm solus Paulus promouerit quod declarant tot clarissimæ Ecclesiæ, quæ longo tēpore incolumes stetêre, Ephesina, Corinthiaca, Romana. Matthæus ad Æthiopes peruenit, Bartholomæus ad Indos, alij ad alias nationes, de quibus diximus quædam in loco de persecutionibus.

Iustinus Martyr, qui proximus fuit Apostolorum temporibus, refert suo tempore, nullum fuisse genus mortalium, siue Barbarorum, siue aliorum omnium, quocunque vocentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viuentium Scenitarum & pecorum vitam tolerantium, inter quos per nomen Christi & crucifixi gra-

tiarum actiones Deo Patri & creatori rerum omnium factæ non sint. Et Irenæus quoque suo seculo Germaniam, Hispaniam, Galliam, Ægyptum, Libyam, &c. passim Ecclesias Christi habuisse, &c.

Nos discamus nostræ vocationis gratiam non negligere: sed glorificemus Deum, pro sua misericordia, qui oues perditas tanto studio conquisierit.

DE FIDE.

LOCVS XXIII.



Magna est commendatio fidei in illa Christi sententia: *Omnia poßibilia sunt credenti.* Marc. 9. de qua paucula nuper diximus. Verùm cùm religionis nostræ basis sit, & organum quo Dei promissiones capimus: & causa ἄνευ οὐ μὴ in toto iustificationis negotio, nó erit abs re, pluscula de fide afferre.

Faciemus autem id breui, & methodica ratione: cùm hinc inde locus hic copiosè & diligẽter à multis iam sit excussus, præsertim ab his qui locos communes tradũt.

1. Fides vnde dicta. Latini fidem à certitudine & cõstantia nominarũt, quia fiat id quod dictum est. Nam in fide duo cõcurrũt, promissum & assensus: illud obiectum est, assensus verò in homine, est organum, quo nitimur promissioni. Hinc vtrinque fides dicitur in promittente, dare fidem, seruare fidem: habere fidem, confidere in credente. Valla contẽdit fidem in Christianismo persuasionem rectiùs dici. Verùm illa vox hominis solum affectum exprimit. Fides sonantior est, & complectitur non solùm πίστωσιν, sed obiectum, promissiones scilicet quibus innititur, hoc est, id quo credimus, & id quod credimus, assensus, spem, fiduciam & bona opera post se trahit: obiectum promissionum certitudinem monstrat. Apud Hebræos quoque à certitudine & rerum veritate dicitur *emunach* apud quos *eman* significat veritatem, & verum fuit.

πίστις. Græci πίστιν dicunt, quibus πείθειν significat persuadere, in sententiam alicuius perducere. Plato videtur πίστιν dicere, & τὸ πιστὸν: vt cùm ait τὸ πιστὸν σημαίνει τὸ ἰσὰν παντάπασι.

1. πεποίθησις ἐπὶ τ̀ υἱὸν τοῦ θεοῦ. Vox vt Græcis, sic etiam apud Latinos est polysima. Nam significat primitus assensum firmum, & fiduciam innitentem promissionibus diuinis, sic Paulus ea voce vtitur in disputationibus de iustificatione, Rom. 3. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi.* & mox, *Iudicamus fide iustificari hominem.* Rom. 4. *Reputatur illius fides in iustitiam.* Gal. 2. *Gratia estis seruati per fidem.* In hac significatione sumitur verbum πιστεύειν vt Rom. 4. ἐπίστευσε *Abraham Deo & reputatum est illi in iustitiam*, hoc est, Abrahã promissiones diuinas firma est amplexus fiducia, easque sibi applicuit, vt sibi vtiles essent: sic de claudo dicitur in Act. 14 ὅτι πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι. audiuerat Paulum docentem, & verbo Euangelij ita credidit, vt conciperet etiam spem firmam de sanitate corporali accipienda.

Hæc vera est significatio fidei in disputationibus Theologicis de fide & iustificatione: eam vocant Hebræi eleganti encomio *schecel mekadesch*, hoc est, intelligentiã sanctificantem: nam hæc nos Deo vnit & consecrat, vt efficax in nobis sit Dei spiritus ad salutem: interdum etiam ad miracula vsque procedit, vt in Apostolis, & sanctis martyribus nonnullis.

Professio. II. Significat professionem externam, qua Christiani ab aliis differunt, in qua est nouum etiam, & singulare vitæ genus, cum religione coniunctum. Sic Act. 14. in Antiochia Paulus & Barnabas confirmant discipulos ἐμμένειν τῇ πίστει. h. e. vt in hac professione vere religionis & vitæ innocẽtia perdurarent. sic laudat Thessal. Apostolus, *quòd fides ipsorum dimanarit in omnem locum.* & Rom. 1. *Fides vestra prædicatur in toto mundo*, hoc est, laudatur & commendatur vestra professio.

Doctrina. Finitima est huic significationi ipsa doctrina quoque: nec malè totam doctrinam Christianismi fides significat, sic Hebr. 11. *Christus author fidei dicitur*, hoc est, doctrinæ Euangelicæ. Rom. 1. *Obedite fidei*, hoc est, doctrinæ Euangelicæ. sic Apostolus vult supplere quæ desunt fidei apud Thes. hoc est, quæ in doctrina Euangelica desiderari poterant, ore tenus ille trader.

Sic de fide Christiana fermè loquuntur scriptores, quoties præcipuos articulos doctrinæ Christianæ perstringunt, aut vnius articuli sententiam veram explicant & confitentur. sic Epiphanius veram fidem confitetur in quæstione de Trinitate. Idem damnat Arrianos qui perperam de hac fide docebant.

III. Significat etiam fidelitatem, vt dicimus in seruo fidem esse, hoc est, fidelem esse seruum & fidum: sic Deus fidelis dicitur, hoc est, tenax est promissionum, non decipit: non fallit, nostra quærit cõmoda: Sic dicitur, Rom. 3. *Infidelitas istorum non facit irritam fidem Dei*, hoc est, non ideo Deus promissiones non seruabit, fidem datam Abrahæ fallet, quia multi promissionibus illis non crediderunt. In hac significatione Philosophi in contractibus fidem statuêre, vt in emendo, vendendo, stipulando: quam qui seruarunt constanter, viri boni dicti sunt.

IIII. Fides etiam dicitur nuda quædam notitia, quæ credenti tamen non est vtilis: *sic dæmones fidem habent, & contremiscunt*, Iacob. 2.
huc pertinet fides mortua, quæ suis fructibus caret.

V. Fides etiam oratoribus est ἔλεγχος hoc est, argumentum quo fidem facit. Sic Aristoteles πίςιν accipit: & Hermogenes pro argumento ex locis petito, ad faciendam fidem. 5 Argumentum.

VI. In sacris etiam aliæ sunt vocis illius significationes, quale est donum edendorum miraculorum, 1. Cor. 13. *Si omnem fidem habeam*, &c. Item obligationem: *vt primam fidem abnegare*, hoc est, obligationem nouę professionis, 1. Tim. 5. Item ipse Christus, vt cùm Apostolus ait, *antequam venisset fides*, hoc est, Christus promissus, vel antequam patefacta esset doctrina fidei per Euangelium, &c. 6. Θαυματουργίς.

Hactenus de voce diximus quod significata illius attinet: ponenda est autem certa & firma definitio. Extant fidei proprietates in sacris literis ex quibus construi potest definitio certa: vt quòd sit Dei donum, quòd sit gratuita, quòd merito Christi innitatur: ex quibus hanc constituimus definitionem. 2. Ὅρος.

Fides est certa persuasio de promissionibus & merito Christi facta in animis nostris per Spiritū sanctū, ad salutem. Nec volo operosiùs hanc ex scriptura confirmare: videbunt facilè pij omnes, vnde sit desumpta. In epistola ad Hebr. cap. 11. illustris est, cuius explicationem dedimus in explicatione loci illius. Quid sit fides.

Græcè sic potest definiri πίςις ἐςὶ συγκατάθεσις βεβαία γιγνομένη διὰ τȣ͂ πνεύματος ἁγίȣ ἐν καρδίαις ἡμῶν, περὶ τῶν ἐλπιζομένων ἀγαθῶν. sententia satis commodè Latinam exprimit ἐλπιζόμενα ἀγαθὰ præcipuè complectuntur ἀπολύτρωσιν Christi, in qua omnia illius merita habemus: huc pertinet spes de remissione peccatorum, vitæ æternæ possessio, &c. Definitio Græca.

Dicendum est etiam de diuisione: hanc bona ex parte sumus complexi in expicatione vocis, vbi diuersa illius significata attullimus. Rem tamen vniuersam hic contrahemus, ad hunc modum. III. Diuisio.

Fides aliàs est politica virtus, quæ est necessaria propter contractus & societatē humanæ vitę. Huc pertinet primùm συναλλάγματα, id est, cōtractus, in quibus fides dominatur: hinc fides mercatorum, fides matrimonialis. Deinde pertinet huc fidelitas quę in subditis, in seruis requiritur, vt superioribus fidem seruent. 1. Politica.

Aliàs fides est virtus in religione: & quia vera religio solius est Ecclesiæ, hinc Ecclesiastica dici potest fides: quanuis hic immisceat sese etiam hypocrisis & diuersarum religionū dogmata ac opiniones. 2 Ecclesiastica.

Sit igitur fides Ecclesiastica gemina. Alia enim vera est fides, ὀρθὴ dicta, à qua orthodoxi dicimur. Alia falsa, ψευδής, hinc pseudodoxi, qui falsa docent in fide, aut tuentur. Vera.

Prior illa vera est vel Symbolica, quæ est externæ professionis, ac nascitur ἐξ ἀκοῆς τȣ͂ κηρύγματος sicut dixit Apostolus, fides ex auditu est: ac pertinet in genere ad omnes Christianos tam bonos, quàm malos. Symbolica.

Vel est πνευματικὴ πίςωσις donum Dei in cordibus fidelium: huc pertinet definitio à nobis posita: hæc enim sola est illa βεβαία τῶν ἐλπιζομένων ἀγαθῶν συγκατάθεσις. sola hæc testimonium habet reconciliationis cum Deo. Pertinet huc primùm fides iustificans, quæ Christi meritis innititur: deinde miraculosa fides mirandorum operum effectrix. Hęc μόνιμος ἵδρυσις. 1. fundamentū stabile dicitur, & est, vt prior, iustorum tantùm: de hac habes. Matt. 14. Mat. 11. 1. Cor. 13. Iustificans. Miraculosa.

Ad solos autem pios referimus hanc, vt vera miracula à præstigiis separentur.

Falsa fides varia est & multiplex: nam quot sunt viæ aberrandi à vero & vno Deo: tot modis secta est fides adulterina: sed in Ecclesia Christi reperitur fermè gemina. Primùm fides dicitur, quæ operibus fidei quibusdā sese venditat, caret autem vera in Christū fiducia: qualia sunt orare, ieiunare, eleemosynas erogare, vitę austeritas, & similia. Nec illa separamus à vera fide, nisi Christus indicaret illa in multis esse separata, & vsus idē confirmaret: quare illa ὑποκριτικὴ sit πίςις qualis in Pharisæis notatur. Falsa. Hypocritica.

Alia huic opposita est: habet enim nudā quandā opinionem de religione: caret autē fructibus & operibus veris fidei: sit ista ὑπόληψις ἁπλῆ, hoc est, nuda opinio. Atq; hoc duplici hominū genere magna pars Christianismi constat. Paucissimi sunt & rarissimi illi qui πνευματικὴν habeant πίςωσιν: nulli etiam qui μόνιμον illam ἵδρυσιν exerant, in negotio fidei. Opinio nuda.

Causarum consideratio iam facilis erit.

Efficiens causa per se est, Deus Ephes. 2. *donum Dei est.* Organicæ etiam hîc expendi debent. Deus enim per Spiritū sanctum mouet corda electorum: sed adhibet ad id media idonea: vt est minister, verbum, auditus, prædicatio κήρυγμα, occasiones audiendi, legendi, &c. Rom. 10. *Fides ex auditu est.* IIII. Causæ. Efficiēs.

Ὑλικὸν αἴτιον est promissionum certitudo, & veritas. Hîc primum locum habet meritum Christi, cui nititur fides. Materia in qua, est νȣ͂ς, hominis animus intelligens: huic enim infunditur fides. Materia, circa quam. In qua.

Materia ex qua nascitur fides, est promissionis denuntiatio per scripturam, hinc enim in- Ex qua.

t ellecta veritate assensum præbemus verbo Dei.

Forma. Forma externa, expressa est in symbolo, ex quo materia comprehensa est credendorum. Interna forma est constans confessio & consensus firmus, quo non solum Deum credimus: sed in Deum & ipsi Deo, hoc est, omnia nobis applicamus.

Finis. Finis est in definitione expressus: ad salutem enim facit. huc pertinet locus Ioan. 11. *etiamsi mortuus fuerit, viuet.*

Effecta. Huc effecta pertinent, vt est iustificatio, Rom. 4. exemplum Abrahæ, Habac. 2. *Iustus ex fide viuet.* Rom. 5. *Iustificati fide pacem habemus.*

Pertinent huc etiam opera bona, tanquam effectus proprij fidei, nam sine his vera non est fides. Item confessio gloriæ Dei, misericordiæ, omnipotentiæ: celebrare nomen Christi, &c. Eleemosyna in proximum, vera dilectio, interdum accedunt miraculosi effectus, &c.

Cognata Cognata sunt, dilectio Dei, spes τῶν ἐλπιζομένων ἀγαθῶν: vitæ emendatio, agnitio propriæ indignitatis & miseriæ, inuocatio iugis auxilij diuini, placere & accommodare sese Deo. Consolatio contra peccatum & mortem, velle cupere iuuare proximum ex animo, vt Centurio, Matth. 8. Cum fide pugnant, primùm apistia omnium Gentium, Turcarum, Iudæorum, & malè feriatorum Christianorum. Deinde δυπιςία eorum qui audiunt quotidie veritatem, quæ est obstinationi proxima. Tertiò, ὀλιγοπιςία in infirmis, qualis etiã fuit in discipulis. Quartò ἀποςασία, manifesta defectio, vt in Iuliano, Luciano, alijs Hæreticis qui à simplicitate fidei recedunt in noua dogmata, qualis Arrij lapsus & aliorum. Quintò impietas hominum dissolutè viuentium, est hæc impietas partim cordis, partim oris, partim etiam totius vitæ ac morum, qualis est blasphemare nomen Domini, veritati agnitæ repugnare, vitiis sese immergere, carnis opera sequi, contumaciter superbire. Demùm sequitur extrema desperatio, fructus horum omnium vt in Iuda, Herode, Iuliano &c.

Pugnantia.

Hæc simplex est & pia methodus, cui facilè acquiescet animus fidelis: complectitur enim materiam ex sacra scriptura, quæ illa de fide nobis patefecit.

Apostoli Symbolum fidei posteritati reliquerunt.

Apostoli consulentes posteritati breui compendio Symbolum reliquerunt, quod complectitur materiam & fructus fidei, vt est vita æterna: sed non est obscurum reliquas methodi partes inde colligere.

Addamus igitur coronidis loco, quos articulos singuli Apostoli relinquerint, vt vulgò quidem, sed tamen non ita certò, putatur.

1. Petrus dicitur composuisse primum articulum his verbis. *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.*
2. Andreas. *Et in Iesum Christum, filium eius vnicum Dominum nostrum.*
3. Ioannes. *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.*
4. Iacobus maior. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*
5. Thomas. *Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.*
6. Iacobus minor. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris.*
7. Philippus. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.*
8. Bartholomæus. *Credo in Spiritum sanctum.*
9. Matthæus. *Sanctam Ecclesiam catholicam.*
10. Simon Cananæus. *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.*
11. Iudas Thaddæus. *Carnis resurrectionem.*
12. Matthias. *Et vitam æternam, Amen.*

Ita quidem vetustas nobis relinquit Symboli ordinem ex Apostolica doctrina compositum: ac quanuis ordo hic non videatur Apostolorum esse, tamen non malè in XII. articulos, totum Symbolum distinguit: & Apostolorum nomine religiosè nobis commẽdat, &c.

DE IVSTIFICATIONE.

LOCVS XXIIII.



DE Iustificatione acturi, rem à definitione ordiemur: sic enim meliùs constabit fortè id de quo agitur, & ad quas metas tota oratio referri debeat, faciliùs à nobis obseruabitur.

Quid iustificatio.

I. Iustificatio, est imputatio iustitiæ alienæ gratuita, facta à Deo, respectu meriti Filij Dei, ad salutem omni credenti.

Definitio cõgruit cum sacris literis, & non abhorret à legibus bonæ definitionis, ideóque bonã censemus. Imputationẽ eius genus constituimus, quia sacræ literæ de ea loquẽtes imputandi verbo vtuntur. Rom. 4. *Abrahamo imputatur fides ad iustitiam,* & ibid. vers. 6. *ei qui nihil operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua pro iustitia.* Psal. 32. beatus vir, cui imputat Deus iustitiam absque operibus. Est igitur imputare iustitiam, reputare iustum: iustificare idem: quod Latini dicerent absoluere à criminibus obiectis, approbare cau-

re causam alicuius: id sonat verbum *hitsdik* apud Hebræos, iustificare aliũ, quemadmodũ contra *hirschia*, malum cõstituere alium: illud absoluentis, hoc damnantis est. Quid iustificare.

Significat autem iustificare, reipsa iustum facere, hoc est, renouare, cor immutare, quod solius Dei est: nam magistratus quidem iustificat, hoc est, absoluit à peccato & pœnis: attamen animum nouum non potest infundere. Deus id facit in electis per spiritum regenerationis, & quos liberos à pœnis pronuntiat, eosdem regenerat, hoc est, nouos dat affectus & cogitationes, quanquam in hac vita peccatis quoque adhuc detineantur.

Tertiò, addit etiam perficere, hoc est, vt non solùm velint, sed & possint rectè viuere, largitur motus quibus rectè viuendi habitus aliquis paretur, vt non solùm sciendi, sed rectè viuendi periti simus. Ab hac tertia significatione, coram hominibus iusti pronuntiantur à posterioribus, qui iustè agunt: sic Iacob. 2. cap. loquitur de Abrahamo, quòd sit iustificatus, hoc est, pronuntiatus & commendatus iustus ab effectis, nec obstat si dicas mercedis nomine & premij nomine commendatum iustum. Abrahamus quomodo ex operibus iustificatus.

Quarto loco significat ad iustitiam alios promouere docendo & instituendo. Dan. 12. qui alios iustificant, hoc est, instituunt, doctrina & institutione efficiunt iustos. & Apocal. 22. qui iustus est, iustificetur adhuc, hoc est, proficiat bene agendo. Ac quanquam ista omnia suo genere hic possint habere locum, tamen propriè significat hic absoluere peccatorem, & pronuntiare iustum eum, qui sua natura iustus non est.

Ideò addimus differentiam, quòd sit imputatio iustitiæ alienæ. Qui in foro absoluuntur innocẽtes, sua iustitia ciuili iusti pronuntiantur. Apud Deum alia est ratio. Imputatur nobis ad Dei tribunal, non nostra iustitia, quia nulla est: sed aliena. Quæ autem illa sit Apost. ad Roman. 1. docet. *Reuelatur in Euangelio iustitia Dei ex fide in fidem.* & Rom. 3. vers. 21. *iustitia Dei patefacta est, absque lege, comprobata testimonio legis & Prophetarum, iustitia inquam Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes credentes.* Rom. 10. ait illos ignorare hanc iustitiam qui suam stabilire volunt. Philip. 3. *vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est: sed quæ est per fidem Iesu Christi.* Itaque nulla hîc propria est somnianda iustitia in iustificatione.

Deinde addimus alteram quoque differentiam, quòd scil. imputatio sit gratuita, ne putes prouocatam esse aliquo merito præcedente, vel congruo vel condigno, sed plenam hîc regnare gratiam. Iustificationem nullum præcedit meritũ.

Reliqua ad causas pertinent. Efficiens enim est Deus, qui iustificat. Organica est meritum Christi, & in nobis fides apprehendens & acquiescens promissionibus. Finis est salus credentium, gloria Dei, & illustratio misericordiæ diuinæ.

II. Hactenus constituta est rei definitio: cuius præcipuas partes copiosiùs oportet declarare. Ac primùm de causa efficiẽte agemus. Illam in definitione habemus expressam, quòd fiat à Deo iustificatio nostra. Itaque Deus iustificat hominem, non homo seipsum: id inde constat, quòd ad Rom. 8, scribitur, *quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat* & Esa. 43. *Ego ego sum qui deleo iniquitates tuas.* & Dauid Psal. 51. *dele iniquitates meas.* 1. Pet. 1. vers. 5 *potentia Dei seruamur ad salutem per fidem.* Rom. 1. *potentia Dei est ad salutẽ omni credenti.* & Rom. 3. 22. *iustitia Dei imputatur per fidem Iesu Christi.*

Et ratio hoc facilè intelligit: nam solius Dei est remittere peccatum, quia in solum Deum fertur peccatum. Is solùm potest iustificare, qui ius habet remittendi peccatum, at hoc illius solùm est, in quẽ fuit commissum: is autẽ Deus est. Ergo solus Deus potest iustificare. Quòd, Dei solius sit iustificare.

Accedit phrasis Hebræa *hitsdik*, quæ significat actionem in aliam personã transfundere, alium iustificare: & quia Deo tribuitur, par est hominem constitui peccatorem iustificandum, in quo Deus iustificando operetur, illi communicando suam diuinam iustitiam.

Hic quæritur iam, quomodo Deus iustificet. Respondemus Deum dare initium, mediũ & finem. Nã primùm quidem illuminat mentem aliqua sui cognitione. Deinde idem Deus voluntatem flectit, vt velit: demum confirmat vt possit etiam bene operari, Hoc inde probo quia Apost. Rom. 9. *scribit non esse volentis, neque currẽtis, sed miserantis Dei.* & Rom. 12. *Deus cuique diuidit vt vult, mensuram fidei.* Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Et Ierem. 31. *Conuerte me Domine & conuertar, quia tu Dominus Deus meus es, postquam enim tu me conuertisti, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui:* itaque totum Deo tribuimus. Et Augustinus sic docet inquiens, nõ est in potestate nostra, vt ea quæ occurrunt nobis grata sint & placeant. Item, Domine da quod iubes & iube quod vis, significans totum Dei esse. Quomodo Deus iustificet,

III. De medio iustificationis sæpe pugnatum est, dum alij aliud constituunt, nec respiciunt ad sacras literas. Iudæi Apostolorum tempore contendebant per obseruantiam legis homines esse iustificandos, contra quos disputat Apost. ad Rom. & ad Galat. Ratio est, quia non præstatur lex, vt debet: ideòque potest iustificare. Ita nostro vitio lex non peruenit ad finem optatum, quia in pessimum incidit obiectum. Iudæi.

Hodie Papistæ non multùm his dissimiles sunt, dum operum merita hîc obtrudunt. Et ne planè videantur absurdi, dicunt iustitiam quidem impetrari nobis à Christo, quæ tamen Papistæ.

à nobis sit perficiéda:ita partiuntur inter Deũ & hominẽ operas. Alij Christum organũ largiuntur esse, sola tamen diuinitate: quæ omnia mittamus, & de re ex scriptura constituamus.

Duplex salutis nostræ organũ.

Ex qua discimus duplex esse organum salutis nostræ. Vnum respectu Dei iustificantis: alterum respectu nostri apprehendentium imputationem iustitiæ. Prius illud, est Christus Filius Dei: posterius fides, donum Dei.

Ac de Christo manifesta sunt scripturæ testimonia. Rom. 3. vers. 25. *quẽ proposuit Deus ἱλαστήριον per fidem, in eius sanguine, ad declarationem iustitiæ suæ per remissionem præteritorum peccatorum.* 1. Ioan. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 4. 10. *misit Filium suum, vt esset ἱλασμὸς pro peccatis nostris.* Ephes. 1. *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius* Col. 1 *per sanguinem crucis eius.* 1. Ioan. 1. *sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* 1. Pet. 1. *pretioso sanguine, quasi agni immaculati:* & Ioannes ait, *ecce agnum Dei qui tollit peccata mundi.* Hinc mediator dicitur, (quod ad totam Christi personam referimus) ipse enim in se transtulit pœnas peccati in ara crucis: illa hostia est munda expectata à primo hominum lapsu, adumbrata in lege, præstita à filio Dei in temporum plenitudine.

Quid fides qua iustificamur.

Alterum organum nostri respectu est fides: qua apprehendimus promissiones de Christo & confidimus merito filij Dei certa fiducia, illud nobis prodesse ad tribunal Dei. Itaque fidẽ hîc vocamus firmum assensum erga promissiones diuinas: qui assensus fiducia, spe, alijsque virtutibus ornatus sit. Quòd illa fiducia iustificemur, scriptura testatur. Rom. 1. 16. ad salutem omni credenti, hoc est, in Euangelio applicatur nobis iustitia Dei per fidẽ, ibidẽ ver. 71. *iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem*, hoc est, *fide vel per fidẽ iustificari nos Dei iustitia:* ibidem citat testimonium Habacuc, *iustus fide victurus est.* Roman. 3. 22. *iustitia Dei imputatur per fidem Iesu Christi:* ibidem, *iustitia Dei in omnes & super omnes qui credunt:* ibidem, non est distinctio, nationum scil. & operum: igitur ex fide. Cap. eod. 3. 24. *iustificamur gratis illius gratia*, hãc gratiam amplectimur sola fide, igitur hac iustificamur. ibid. ver. 26. vt declaretur iustus, iustificando eum, *qui est ex fide Iesu* ibidem. versu. 28. *arbitramur igitur iustificari hominem, absque operibus* versu. 30. idẽ est Deus, *qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*: itaque omnes fide iustificamur plena enim diuisione vtitur Apost. ibid. vers. 31. fide stabilitur & impletur lex, ergo fide & non operibus, Ex capite 4. multa quoque peti argumenta possunt. Primùm enim, quia Deus iustificat impium, qui nihil operatus est, ex fide: quia qui credit in eum qui iustificat impium, ei fides pro iustitia est. Deinde ad exemplum Abrahæ oportet nos iustificari, qui fide illam obtinuit. Itaque fides est qua nobis imputatur. & cap. 5. *iustificati fide pacem habemus apud Deum:* & alia infinita, quæ longum sit omnia colligere. Eph. 2. *gratia saluati estis per fidem, & id non ex vobis, ne quis glorietur.*

Et cur fidei ascribenda sit. Apostolus reddit rationem. 4. ad Rom. *vt firma sit promissio*, quæ non poterat nobis certa & firma esse, nisi misericordiam fide amplecteremur, desertis operum cogitationibus. Et Eph. 2. *ne quis glorietur*, quod argumentum quoque ad Rom. tractauit, vt exclusa esset gloriatio, quæ non potest excludi, nisi planè omnis spes meriti proprij abiiciatur & fides nitatur misericordia diuina. Denique, quia gratia alioquin non potest perspici, quod dixit ad Roman. 11. *si ex gratia, tum non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia: si ex operibus non ex gratia, aliàs opus non esset:* sed stabilienda est gratia in iustificatione, nam ad gloriam nominis sui facit. Ergo fides hîc statuenda est, non aliqua operum dignitas.

Quęstio.

Hic quæstio mouetur de (Sola) particula. Sed rectè hactenus confirmata est ex æquipollentia vocum, ad Rom. 3. inquit, *gratis illius gratia iustificati*, & eod. cap. *absque lege manifestata est iustitia Dei.* ibidem *absque operibus legis*, & Eph. 2. *gratia estis seruati.* Sunt autem æquipollentia, gratis, gratia & sola fide: nam vt illæ particulæ excludunt ab ordine causarũ efficientium omnia, quæ afferri poterant ad gratiam & misericordiam Dei: sic particula (Sola) hanc vnicam causam efficientem stabilit. Et potest hoc inde etiam probari, quòd sola fides in misericordiam Dei excludit gloriationem, ergo sola fide iustificari homines docendum est. Sed à coniugatis firma est demonstratio. Soli fideles iustificantur, ergo sola fides iustificat: non video quid in hoc argumento reprehendi possit. Antecedens firmum est, aut illi doceant nõ solos fideles iustificari, quod nõ possũt, nisi scripturæ velint palàm cõtradicere, concedãt igitur solã fidẽ iustificare.

Demonstratio à coniugatis.

Patres.

Ex patribus testimonia huc pertinẽt eadem phrasi vtentibus, qualia aliàs indicauimus. Basilius in confess. fidei, ait sola fide in Christum iustificamur, & Ambros. in 3. cap. ad Rom. sola fide iustificamur dono Dei.

Triplex sentẽtia.

Hîc suboritur triplex sententia hominum: nam quidam planè reiiciunt hanc propositionem de sola fide iustificante, contendúntque, non solam iustificare: alij solam fidem accipiunt tanquam virtutem & habitum in homine, qui edat actiones, vt reliquæ qualitates inhærentes nobis. Tertij solam fidem accipiunt nudam cognitionem, adeò vt fidem exuant omni suo natiuo habitu ac forma: de quibus ordine ac breuiter agemus.

Nam quod primos attinet, sæpe iam confutati sunt, & manifestior est error de operum dignitate, quàm vt ampliùs refutari debeat.

Tham-

Thammeri argumenta quæ anno 1547. & 1548. *Marpurgi proposita fuerunt.*

Verùm cùm noui artifices sint, qui ex nobis prodierunt, de nobis autem non sunt, qui conantur expungere illam particulam, addè nobis olim amici, agendum est de his modestè, ne in amicos & fortè benefactores dicere acerbius videamur. Solenne fuit Aristoteli dicere, Amicus Socrates, sed amica magis veritas. Sic arbitror colendam amicitiam, ne in gratiam amicorum veritati derogetur, ac quanquam meo patrocinio non fortè hîc sit opus: attamen non decet in amicitiæ gratiam conniuere aut dissimulare errores. (Magis amica veritas.)

Recepta igitur sententia de fide sola iustificante, quanquam sæpe aliàs concionibus publicis esset traducta, nominatim verò in historia leprosorum decem apud Luc. cap. 17. in primis tamen disputationibus exagitata, vt obscurum non sit, intolerabilè videri ei particulā istā (Sola fide) quod vt notius sit referemus domini Thammeri iudicium de illa. (Opinio Thammeri.)

Particula (Sola) inquit, non modò inutilis est: sed etiam perniciosa, vt quæ dimidium causæ salutis auferat, homines securos reddat, & in lupinam ferocitatem, non Christianam libertatem traducat: istis tantùm operibus quæ propter me, & ventrem meum ex lege, vel natura perago, à Deo maledicitur, vt quæ nec bona censeantur, nec ad gloriā eius qui condidit spectēt, nō ea quibus nomē ipsius illustratur, de quibus Dei operibus loquitur Christus cùm alibi, tum maximè Ioan. 3. qui operatur veritatem venit ad lucem vt conspicua fiant opera eius, quòd per Deum facta sint. Et natura dictat, nulli alterius res bene gestas, laudem, nisi ipsi qui eas gessit, asportare. Proinde cùm hoc nomen (Gratis) duntaxat illa opera excludat, quæ gloriam Dei minuūt, vt sunt legis & naturæ, quæ propter te, & conseruationem huius vitæ suscipis, necessariò sequitur illud magis bona opera introducere, seu, vt Paulus vocat stabilire, quàm abolere aut excludere. Tum enim seipsum, vt dixi, excluderet & aboleret, nec posset eius regnum dici permanere iuxta illud, omne regnum in se diuisum desolabitur.

Hanc suam de hac re sententiā, quomodo probet expendamus.

I. Credere, inquit est actiuum, ergo actionibus iustificamur: antecedens probat, quia fides dicitur, quòd fiat. Itaque non sola fides iustificat, sed quia fit, hoc est, actiua est & viuida, ideò iustificat. (Obiect.)

Respondemus argumento, falsum esse consequens: non enim ideò actiones iustificant quia credere est actiuum, sed contrà quia credere iustificat, ideò credere est actiuum. Sic igitur valet argumentum, fides iustificat, ergo fides est actiua. Et quòd ait argumentum esse a coniugatis, fallitur: sed est potius expositorius syllogismus in tertia figura, quod resolutio enthymematis indicat. Credere est actio, & credere iustificat, ergo actio iustificat. Nunc faciliùs est singulis partibus respondēre, Maior ambigua est, quia amphibologia nos conatur fallere. Credere enim actio est duplici respectu. Primùm Dei ratione, qui fidē in nobis efficit, & parturit: sic quidem actio est fides Dei agentis, quia Apostolus inquit, fides donum Dei est. Hac significatione, libenter fatemur actionem iustificare, est enim iustificatio reuera opus Dei agentis, est & respectu meritorum Christi actio: totum enim negotium redemptionis in actione positum fuit. Id si in fide consideretur, meritò est actio: sed de talibus actionibus non est controuersia, pertinet enim consideratio hæc ad causas efficientes & organicas, quas fatemur actiuas esse. Secundo loco credere dicitur actiuū quatenus nos qui fidē habemus agimus secundùm regulam fidei: sic actionem in fide esse quoque fatemur, modò sit vera fides: sed hoc respectu non iustificat, verùm iustificatis iam priùs inest. Aut respondeat nobis, priórne sit causa an effectus? Vtique causam priùs existere oportet, saltem ordine quodam. Cùm autem bona opera iustificationem consequantur, vt proprij effectus, quomodo illa causam facit? fieri non potest vt vnum eiusdem, & eodem respectu, simul sit & causa & effectus. Minor propositio, credere iustificat, hoc est, fides quæ est donum Dei nobis & ob id non nostra, sed Dei actio iustificat. Quid hinc efficitur aliud nisi actionem Dei iustificare? Itaque palàm est extra oleas vagari argumentum, nec tanti momenti, vt ob id bona consequentia non possit dicere solam fidem iustificare, quia sola hæc fides non excludit actiones. Primùm Dei necessariò secum affert, quia est Dei donum. Deinde nostras secum post se trahit, vt bona causa bonos effectus. Probatio sui argumenti pueriles est, nihil enim probat: dicitur fides quia fiat, sed quid tum? fides etiam actiua est, non nego: imò actio est quia fieri debet, & fides (si placet) etiam dictorum factorúmque constantia est. Quid inde? ergo actiones iustificant: si Dei intelligas, istæ iustificant: si nostras, negamus quia effecta sunt, ex quibus à posterioribus cognoscimus vtcunque iustificatos. Nec docemus fidem aliam, quàm quæ sit operosa & ornata honestis actionibus. (Quomodo fides dicatur opus vel actio.)

2. A pronuntiatis, affert locū Ioan. 1. epist. cap. 3. Qui non diligit fratrē manet in morte, quod idem Iacobus & Petrus affirmant. Fortè sic colligit, dilectio vera liberat à morte, ergo vera dilectio iustificat, quia iustificare est à morte liberum efficere. Miror autem si non videat à posterioribus argumenta proponi cognitioni nostræ. Vis cognoscere quis in morte maneat, nec ne? iubet Apostolus γνωρίσματα sumere ab effectis: si videas aliquem seriò diligere fratrem, scias hunc electum esse, & euasisse mortem illam æternam: sin odio pergat (Quòd quædam opera seu actiones iustificent.)

laborare & fratres negligere, scias hunc in morte adhuc manere. Nec dicit illum in mortem cadere, sed manere, quia natura in ea est & fuit semper, quales sunt reprobi omnes. Præterea non est eadem ratio damnationis & liberationis: illius sufficiens est causa malitia hominis vel peccatum, sed huius non est sufficiens causa in nobis nostra iustitia. Non igitur rectè colligit, peccatum est causa sufficiens ad mortem, exempli gratia odium fraternum, ergo contrà etiam virtus in nobis causa est sufficiens ad salutem, vt dilectio fraterna: nego consequens, sic enim non foret opus Christi beneficio, aut salutem extenuaretur, partitis operis.

Diuersa ratio damnationis & liberationis.

3. Opera legis tantùm excluduntur à Paulo, reliqua minimè, quod ex Act. cap. 15. quoque affert. Primùm diuersa hic con ectuntur testimonia, quæ non ad eundem scopum collimant. Nam locus in Act. cap. 15. quæstionem solũ habebat an Ethnicis cõuersis ex Paganismo ad Christum, imponenda esset lex Mosis, quod inde erat ortum, quia Iudæi etiam fideles quidam iudicabant hoc necessarium, adeò vt Paulo & Barnabæ palàm resisterent Antiochiæ: ea disceptatio ad Apostolos refertur, illi litem dirimunt, non esse necessariam legem Mosis ad salutem. Hic scopus est cap. 15. Act. 1. hoc tanquã confessum igitur sumamus: lex Mosaica non est necessaria obseruatu ad salutem.

Ac ne conqueratur dominus Th. hãc quoq; distinguamus. Ceremonialia Mosaica vt onera portatu impossibilia non exigenda esse ab Ethnicis fidelibus, sed directè ex Gentibus ad Christianismum transitum fieri posse, vt non sit opus Iudæum simul fieri. Naturalem verò legem quatenus eadem in Decalogo continetur non tolli, sed seruandam, non quia Moses iubet: sed quia Deus omnium cordibus hanc impressit. Prior authoritate Apostolorũ Hierosolymis tollitur, posterior ab ipso D. Th. quoque remouetur Christi authoritate Matt. 5. si dilexeritis eos, qui diligunt vos, quam mercedem habetis, nónne & Publicani idem faciunt?

Veniamus igitur ad Apostolum: opera legis, inquit, solùm excludit, non etiam spiritus. Rectè quidem, id concedo. Nã intelligo loquendi formam, per legem accipit Mosaicam & naturalem: quo sensu Paulus disputat ad Rom. Gentes non potuisse ex operibus suis iustificari, hoc est, naturalia cognitione & honestate, quò pertinet cap. 1. ad Rom. & initium secundi. Similiter Iudæos non potuisse iustificari ex operibus legis scriptæ, quò pertinent illa quæ legũtur cap. 2. ad Rom. à ver. 17. ex quo fatebitur opinor D. Th. quæstionem illam in Actis motam, à Paulo ad genus reuocatam in epist. ad Rom. vt nullis operibus legis iustificari possint homines, tam Iudæi, quàm Gentes. Velim igitur audire iam aliud genus operum, quod homines præstent, & à nulla lege sit mandatum, sic enim colligo, naturalis lex non iustificat, nec scripta, ergo nulla opera iustificant. Plena enim est operum diuisio secundùm legis diuisionem, quæ vel scripta est vel naturalis.

Verùm hic excipit tertium genus esse operum, scilicet fidei & Spiritus sancti: hoc quidem fatemur, sed dicat quæ sint opera Spiritus sancti & fidei, an fiant à renatis, vel renascendis si à renatis solùm, iam illi iustificati sunt, & ob id ex illis operibus non iustificantur, sed iustificati declarantur, nec enim quod iam habẽt ex operibus confici dici potest, cognosci autẽ & declarari. Sin dicit illa fieri à renascendis demum, fidem & Spiritum sanctum iustificationi præponit, quod absurdum est, cùm donum fidei & Spiritus sancti ad solos electos pertineat & conferatur iustificatis iam à Deo. Deinde antecedentia opera non iustificant, quia nec Iudæos, nec Gentes, vt Paul. ad Rom. docet. Det igitur tertium genus hominum quod ex antecedentibus operibus iustificetur, quòd si dicat eos esse qui Spiritu sancto ducantur vt fidem accipiant, respondeo iam iustificatos esse.

Operib. nõ iustificamur, sed iustificati declaramur.

4. A nostra dilectione, quia Deus est charitas perfecta, qui & ipse nos diligit, & facit nos se diligere. Ergo qui separat charitatem à fide, Deum ipsum separat, & vbi Deus non est, ibi mors & tenebræ. Vnde rectè dixit, fidem sine charitate esse mortuam.

Hic nihil nos remoratur, quò minùs dicamus sola fide nos iustificari. Ratio est, quòd charitas Dei & nostra relatiuè, perfecta Dei charitas est erga electos, & hos efficit sese diligere. Itaque iustificati iã sunt. Nec nos separamus fidem & charitatem, imò coniunctissima esse docemus.

Et quod ex Apostolo adfert, miror si non videt de fide miraculosa dici, quam si vel omnem habeat, non ob id sequitur esse electum: hæc enim separari potest à dilectione, cùm iustificans fides ab illa nunquam dirimatur. Nec iuuat eum quod dicitur si omnem fidem habeam, consulat enim Aristotelem suum, & reperiet propositiones sæpe καθόλου poni, μὴ καθόλου, hoc est, quæ in sua specie tantùm veræ sunt. Deinde fides sine charitate mortua est: quia illa fides non est, non minùs, quàm cadauer homo est: quid enim in cadauere habes hominis, præter corporis formam, sed quòd corpus homo est ab anima habet rationali. Ita fides vmbrã habet externam, quæ incurrit in hominum oculos, anima autem fidei, hoc est, S. Sanctus efficax nisi adsit, rectè mortua dicitur: quia id quod fingit nõ est. Talis nostra fides iustificãs, minimè statuitur, quod cõstat ex illius definitione: dicimus enim esse donũ Dei in pectoribus electorum excitatum, quo misericordiam Dei in Christi merito sibi propositam

Fides miraculosa.

Simile.

sitam amplectuntur ad salutem.

5. Dilectio est causa efficiens fidei, non autem effectus: quod probat ex 1.Cor.8.Charitas ædificat.Gal.6.Charitas implet legem. 1.Cor.13. Omnia ferè opera illa tribuuntur. sic Rom 13.

Miror in causa hac, contra Apostolum citari Apostoli testimonia: quærit causam efficiétem fidei.Poterat ex Apostolo simpliciter dicere donum Dei est: nunc diuertit ad dilectionem,& affert loca quæ omnia loquuntur de fructibus dilectionis: & in conferenda fide cũ dilectione ordinem euertit, & fingit dilectionis opera præcedere, & placere Deo, adeò vt efficiant fidem, oblitus illius, quicquid non est ex fide peccatum est, & quod Apostolus ad Hebræos sanctorum opera omnia non dubitat ad fidem referre: hoc fortaßè est cum ratione insanire, & quærere disceptandi occasiones. Rom 14.

6. Talia sunt quæ affert, de obedientia, Nos serui sumus, & filij adoptiui, non vt Iesus Christus naturales sumus. Est autem de natura serui, vt obediat & voluntaté Domini faciat, & operetur veritatem, non vt tantùm eam cognitam habeat. Luc.12. Beatus seruus, quem inuenit ita facientem,&c. item 19.

Non fuerit difficile, hinc absurda contexere, si quis in id velit incumbere: quid enim sibi vult distinctio filiorum Dei, ad probandã hãc causam: debemus obedire Deo & operari veritatem, & facere voluntaté Domini, quare? quia non sumus naturales filij vt Iesus Christus. Ergóne naturali id non incumbit? absit illa blasphemia, imò quia Filius Dei vnigenitus Dominus noster Iesus Christus obediens fuit perfectè, vsque ad morté crucis, in eáque obedientia æternùm manet, magis nos ligamur ad præstanda officia nostra. Sed quid hoc ad causam, ergo non sola fide iustificabimur? quia iustificati obedientiam Deo debemus.

7. A iudicio. Deus iudicabit mundum, non secundùm fiduciã misericordiæ, qua præditi fuimus: sed multò magis secundùm opera, Mat.25. Ioan.5. 2.Cor.5. Rom.2.

Apparet hoc aliquid habere momenti: sed rem discute, & apparebit quàm tenuè sit quod affertur. Probandum erat, hominem non iustificari sola fide: argumentum affertur, quia Christus ait iudicium fore secundùm opera: ergo secundùm opera iustificamur. Obiect.

Primùm respondemus, non esse idem loqui de causa organica iustitiæ imputatiuæ, & loqui de iustificandis iustis. Vt aliud est esse iustum, & aliud cognosci iustum. Sumus iusti imputatione gratuita, quam fides sola apprehendit: cognoscimur autem iusti à fructibus, ideóque cùm omnis ferè nostra cognitio à posterioribus procedat, Christus commemorat opera bona, ex quibus iusti cognoscũtur. Deinde locus apud Matth. 25. ver. 34. manifestè repugnat illius interpretationi. Nam rex ita dicet ad eos qui ad dextram sunt: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi. Quid istis manifestius est? causam efficientem iustificationis habes, quia sunt benedicti Patris: deinde etiam regnum illis paratum est, non ab ipsis per opera bona, sed à Deo, quia ab origine mundi est paratum, hoc est, antequam ipsi essent. Respon.

Hæc ad causas efficientes rectissimè pertinent: reliqua cognitioni nostræ inseruiunt: voluit enim Christus docere vnde iusti sint cognoscendi, ideóque consequentia opera enumerat. Præterea electi ipsi repugnant sententiæ Th. quia Christus loquentes introducit, extenuando omnia sua opera, quod igitur electi sibi non arrogant, quæ est audacia illis tribuere? Nullus sanctorum vnquam confugit ad sua merita, sed ad Dei misericordiam. Itaque huic causæ acquiescamus, & desinamus extollere dignitatem operum nostrorum. Christus Matt.20. loquens de iudicio futuro secundũ opera docet vnde iusti sint cognoscendi.

8. Pergit insistere. Idem effectus seu finis tribuitur dilectioni & operibus bonis, qui fidei, vt 1.Ioan. 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & 5. Omnis qui credit Iesum esse Christũ, ex Deo natus est. De operibus cap. 2. scitote quòd omnis qui facit iustitiam ex ipso natus est. Ioan. 3. & 8. Qui credit Filio habet vitam æternam. 1.Ioan.3. Qui diligit fratrem de morte translatus est in vitam.

Respondemus ad ordinem cognitionis illa pertinere: nõ enim loquitur de causa efficiente, sed vnde cognoscamur electi. Duplex enim est rerum cognitio. Alia à prioribus, qua ex causa cognoscitur effectus, alia à posterioribus, quando ex effectis iudicamus de causa antecedente: hoc sensu dixit Ioannes, Qui diligit, ex Deo natus est, quasi dicat, inde cognoscitur quòd sit de electorum numero, quanquam & dilectio simulata esse possit, sic de fide. Qui credit Iesum esse Christum, cognoscitur ex Deo natus, quanquam & dæmones credant & contremiscant. Itaque non strictè illa sumenda sunt. Quare nihil illa nos vrgent?

9. Fides non est sola: igitur sola non iustificat. Poteramus formam repudiare, cur enim negatiuè omnia cõstruit? cùm ex puris negatiuis nihil sequatur: sed condonemus hoc quia corrigi potest, & respondeamus ad rem, negamus consequens: fluit enim ex falso principio: scil. Quicquid solũ est, hoc solũ iustificat: falsa est propositio, cùm nihil solitariũ iustificet hoc sensu, hoc est, nudum ab actionibus propriis & coniunctis. Ré exemplis illustremus: ratio in homine sola non est, adsunt enim aliæ potentiæ sine quibus esse non potest. Deinde instructa est suis proprietatibus, quis tamen sic colligit, ratio sola non est: ergo sola non discernit inter honesta & turpia? cùm hoc reliquæ facultates non faciant, sola autem facit ratio.

Ita sola voluntas in homine vult & assensum præbet, quia reliquæ facultates hoc nō faciūt, cùm interim sola non sit: sic oculus in corpore solus videt, quanquam solus non sit, sic auris sola audit, quanquam sola non sit, pes solus graditur, quanquam solus non sit, os solum edit, quanquam solum non sit, stomachus solus cibos excipit & concoquit, quanquam solus non sit. Itaque fides quanquam sola non sit, sola tamen iustificat, quia sola apprehendit misericordiam Dei, & acquiescit promissionibus de Christo.

Fides sola iustificat quanuis sola non sit.

10. Gratis non est idem quod solum: igitur gratis quidem iustificamur, non tamen sola fide. Respondeo, falsum esse antecedens, & magis falsum quod affert in probatione, quòd gratis solùm excludat opera legis & naturæ, cùm palàm Apostolus gratiam & vocabulum gratis omnibus in genere operibus opponat. Rom. 11. si ex gratia iam non ex operibus, alioquin gratia nō est gratia: sin ex operibus, non ex gratia, alioquin opus non est opus. Quid manifestius dici poterat contra opera? gratia non aliquam speciem operum, sed simpliciter opus quoduis excludit. Et quemadmodū gratia excludit cætera quæ ad censum causarum efficientium adduci poterāt, ita (sola) particula hanc vnicam statuit, semotis cæteris. Nec aliter nos excludimus opera bona, nisi à gradu efficientis causæ, quæ sola & vnica est misericordia Dei. Organica duplex est, respectu Dei Iesus Christus, cuius hostia pura vsus in redimendis nobis: nostri respectu fides est, quę beneficium hoc apprehendit, & ipsa etiam vestita est suis fructibus necessariis.

Organica causa iustificationis duplex.

11. Cōsensum allegat Ecclesię totius: Prophetę, Apostoli, Patres, Doctores, atque adeò ratio ipsa dictat fidem esse fundamentum iustitiæ, & ex eo dictam quia fiat, quod dictum est.

Titubanter citatur consensus & obscurè: nisi enim constaret de mente aduersarij, diceres pro nobis citari, quemadmodum re vera pro nobis facit & stat.

Non negauimus vnquam fidem esse fundamentum, quanquam dubiè id hîc & periculosè dicatur. Nam in causa salutis fides non est fundamētum cui innitimur: sed Christus Iesus, qui pretiū pro peccatis nostris soluit & deleuit chirographum contra nos positum: hoc fundamētum Filius Dei posuit, huic innititur fides nostra: sin fundamentum organicum intelligat, facilè damus. Ita nimium iam tribuit fidei, cui aliàs nunquam satis est omnia ei detrahere.

Si diceremus, fides fundamentum est iustitiæ nostræ, quis in hac causa, non meritò nos reprehenderet? Nam controuersia est, de iustitia imputatiua, qua iusti coram Deo & efficimur & pronuntiamur. Huius iustitiæ inquam, fundamentum statuere fidem, errores habet. Nunc cùm aduersarius hoc dicat, nobis est ferendum. Scire tamen poterat causas antecedētes & efficientes per se fundamentum habere rationem, organicas autem minimè, sed ad illas referri: gradus enim sunt in ordine causarum, alia est per se efficiēs & absoluta, alia organica, alia per quam res melior fit, &c.

In ordine causarum sunt certi gradus considerādi.

Nunc de consensu dicendum est. Is noster est planè. Prophetæ ad nudam Dei misericordiam nos remittunt, eíque iubent soli credere. Ier. 31. Conuerte me & conuertar. Thren. 3. miserebitur secundùm multitudinem miserationum. Malach. 1. deprecemini faciem Domini, vt misereatur nostri. Omnes Psalmi ferè misericordiam Dei iubent implorare. 4. 6. 9. 27. 31. 41. Christus Filius Dei confugere nos iubet ad Dei misericordiam, & omnia facientes, iubet dicere serui inutiles sumus. Apost. ad Rom. ad Gal. ad Eph. omnia operibus detrahit, ad Christi meritum remittit, & diuinam gratiam. Omnes sancti ita mortui sunt.

Et quid dicit de doctoribus? reuoluantur illorum scripta, & examinentur syncero iudicio, videbit facilè hanc doctrinam perpetuò in Ecclesia fuisse, quanquam reprehensoribus nunquam caruerit: sed quid tum, num ideò veritas non est, quia habet reprehensores?

Origenes in 3. cap. ad Rom. ait, sufficit solius fidei iustificatio, vt aliquis tantùm credens iustificetur, etiamsi nihil boni operis fecerit. Ambrosius in idem cap. 3. ad Rom. sola (inquit) fide iustificati sunt dono Dei. Chrysost. in cap. 10. ad Rom. sine labore ex sola fide iustificamur dono Dei. Augustinus hoc argumentum fortissimè defendit contra Pelagianos. Ex his conficimus inductionem, consensum istum pro nobis facere, quicquid ille dicat.

Origenis sententia.

Hactenus respondimus ad argumenta hominis olim amici & notissimi, cui Dominus vtinam meliorem dedisset mentem. Nunc antequam ab eo digrediamur considerabimus causas suas, quas (vt ipse loquitur) erroris nostri deprehendit. Nam in opere suo, de fide scripto, hęc ferè tria tū agebat. Primò conabatur mōstrare causas erroris nostri, quid nimirum ansam dedisset nostris, vt docerent solam fidem iustificare. Secundò suā de fide exponit sententiam. Tertiò euertere conantur particulam (Sola) iis ferè rationibus quas attuli.

Quod causas igitur attinet erroris, vt loquitur. Primò ait Amphibologiā nostros decepisse, quòd lex bifariā vsurpetur in scripturis. Est enim lex operum, quæ & lex naturæ & membrorum & peccati dicitur: huius opera excludit ipse quoque à fide iustificante. Et deinde lex fidei, quæ etiam spiritualis dicitur. Rom. 7. hæc est, quando omnia quæ in lege sunt scripta spiritualiter accipis, hoc est, ad gloriam Dei transfers, sine huius legis operibus neutiquam iustificat fides: hoc discrimen sumpsit ex cap. 3. ad Rom. vbi gloriatio? exclusa est, per quam legem, operū? non, imò per legem fidei. Item ad Gal. 2. per legem legi sum mortuus.

Lex operum.

Lex fidei.

Respon-

Respondemus, distinctionem hanc à nostris probè cognitam fuisse & obseruatam in scriptura: & fortè melius quàm D. Th. eam seruet: addo nisi à Philippo, Luthero, alijsque praeceptoribus hanc audiuisset, serò eam obseruasset nisi tandè fortè in Augustinum incidisset. Quae igitur est ingratitudo? praeceptores ignorantiae taxare, & sibi vendicare, quod illorum habet beneficio? fortè corniculę is mos est.

Deinde distinctionem legis confundit: quis enim ignorat legem naturae, non esse legem peccati & vtranque non esse scriptam? Et Apostolum sub legis nomine ceremonias complecti, iudicialia & moralia? Et Christum in legem & Prophetas simpliciter distinguere vetus Testamentum? Sed mitto haec, confusiùs enim proponuntur quàm rei dignitas postulat. Illud adde, legem fidei, quam spiritualem ait esse, malè hîc describi: quando scilicet omnia in lege scripta spiritualiter accipis, quid hoc sibi vult amice, itáne omnia spiritualiter accipies? promissiones de Christo, de nouissimo iudicio, de reditu Christi, de resurrectione, de politia veteris populi, de creatione mundi, de lapsu hominis & infinita alia, omnia spiritualiter accipies? quis finis erit allegoriarum? quis modus ludendi? & vbi consistet simplicitas fidei? vbi veritas historiae? vbi certitudo literę? tot erunt sensus spirituales quot accedent ludentium capita. Et considera rē probè. Cur legē operū damnas simpliciter, vt quae eadem sit cum lege peccati? in altero membro legi fidei assignas opera quae iustificent, malè in parte ponitur, quod totius vim habet: quid enim respondebis? lex operum non iustificat. Ergo opera quoque nō iustificant simpliciter: lex enim per se non excluditur à iustificatione, quia est etiam fidei lex, quae iustificat, excluditur autem quia est operum. Propter quod vnum quodque tale, illud magis tale: lex non iustificat, quatenus operum est lex, itaq; opera magis non iustificant: vide quis hinc tibi iam emergat labor in distinguendis & defendēdis operibus. Sed & illud non vrgeo vehementer, expende saltem quàm rectè nostros arguas ignorantiae: fidei est quoque sua lex, & habet sua opera tanquam proprium vestitum, ergo sine operibus non iustificat. Falleris aut fallere vis, nostri enim operum dignitatem excludunt solùm, vt tollatur omnis gloriatio, quae tolli non potest, si opera ad causam efficientem admittantur, semper enim habet ratio hominis de quo sibi placet & glorietur. Interim omnes docent fidem oportere esse ornatam multis & splēdidis virtutibus, quę vt fides ipsa, dona Dei sunt, vt verum sit, quid habes quod non acceperis? sin accepisti, quid gloriaris?

Axioma Aristotelicum.

II. Causa est (inquit) vocabulū fidei, quod opinantur solùm pro fiducia misericordiae seu ὑποστάσει in nouo Testamento sumi. Id vt doceat, constituit nouus censor duas fidei partes ὑπόστασιν & ἔλεγχον, hoc est, dilectionem & fidem, ὑπόστασις illi est fiducia quam ex Euangelij praedicatione de gratia Dei nobis olim, vbi cursus noster completus fuerit donanda concipimus: & in hac inquit significatione saepe fides accipitur, vt Rom. 3. iustitia Dei per fidem in omnes, hoc est, si habent ὑπόστασιν de gratia promissa. 2. Cor. 5. Coloss. 2. Gal. 2. & 3. Iacob. 2. ἔλεγχος est fidelitas seu vocatio, in quā sumus à Deo positi, vt in bonis nobis commissis fidem praestemus. In hac significatione interdum accipitur fides, vt Rom. 1. vt obediatur fidei, hoc est, vt ὑποστάσει tanquam fundamento superstruantur opera. Rom. 3. per legē fidei. 2. Cor. 3. Tit. 2. Matt. 25. Luc. 12. 16. 19. 1. Corint. 4. frequenter autē & propriè pro vtroque accipitur, scilicet pro ὑποστάσει & ἐλέγχῳ vt Rom. 5. iustificati fide pacem habemus. 1. Cor. 15.

Haec altera est iniuria praeceptoribus illata: opinantur, inquit, solùm pro fiducia misericordiae sumi, in nouo Testamēto. Id quàm falsum sit scire poterat vel ex dialecticis praeceptionibus & rhethoricis, vbi Philippus communis praeceptor diligēter admonet Fidei vocabulū distinguendū esse. & in epist. ad Rom. eruditè, vt alij infiniti, hoc praestat. Impudēter hoc fingit quod pueri deprehendāt falsum esse. Sed addo his, doctiùs à nostris distincta Fidei significata quàm faciat D. Th. Cur enim solùm duo significata recenset? vbi est notitia historica, secundùm quam daemones etiam credere dicuntur? vbi doctrina fidei, secundùm quam dicitur fides Nicena, fides Christiana, obedire fidei, & similia? Cur homo argutus, mutila nobis profert, in vocū proprietate nostros reprehensurus? denique absurdus est. Apostolus enim ad Hebraeos definiens veram fidem, vtrunque illi tribuit & ὑπόστασιν & ἔλεγχον, quę est illa igitur audacia, res vnitas in eadem definitione discerpere, quasi per significata diuersa? ferri quidem poterat, alio respectu fidem habere ὑπόστασιν, alio habere ἔλεγχον: sed fidem vnam & eandem esse, non diuersas significare species. Hoc non seruat, sed vocem fidei scindit in sua significata: & vnius verae ac genuinę fidei proprietates lacerat in diuersa significata. Non est illud Aristotelicum, cuius praeceptum est Bene diuidere.

Fidei vocabulum varias habet significationes.

Ac ὑπόστασις quidem fiducia est: sed ἔλεγχον malè fidelitatem interpretatur, cùm vox Graeca notissima sit pro demonstratione vel reprehensione euidente, quae negari non possit. Itaque multò rectiùs Augustinus conuictionem interpretatur: nam vt fides constantiam habet, vt bonus miles, non cedens aduersis: ita eadem habet conuictionem. Nam mens diuina luce perfusa conuincitur vt cedere non possit, proponitur peccati magnitudo, misericordiae Dei promptitudo, iubétque bono esse animo: his conuincitur, vt non possit aliter facere, quàm optimè de Deo suo confidere, certissimam salutem concipiens de merito Christi. Ille est elenchus omnium robustissimus. Sic ὑπόστασις in fide respicit nostri animi

habitum post regenerationem: ἔλεγχος verò effectum Spiritus sancti in pectoribus nostris, vtrunque tamen in eadem fidei specie est.

Fides est fiducia misericordiæ.

III. Causa est ignorātia vocis δωρεὰν, hoc est, gratis. Non enim illi idem significat Gratis & Sola. Δωρεὰν tantùm excludit legis opera non autem opera fidei. Particula autem (Sola) in genere omnia excludit: vt fides tantùm sit fiducia misericordiæ: opera autē huic tanquā per accidens accedant. Coniungit autem ipse fidem & opera, vt animam & vitam, ignem & calorem, oculum & visum.

Nouus Palæmon noua profert mysteria, δωρεὰν tantùm excludit legis opera: quis hoc dixit? Paulus certè vocem hanc omnibus operibus opponit: & ob id, à contrariis argumentatur. Si gratis, non ex operibus: quia gratia non esset gratia: Hoc totum inane esset, si δωρεὰν sola legis opera, vt vult, excluderet. Est Paulo idem δωρεὰν & χάριτι. Hæc tollunt omnes reliquas causas efficientes, sola gratia relicta, sic vt particula, SOLA.

Deinde iniuriam præceptoribus facit, quòd fingit eos separare fiduciam misericordię, & opera fidei.

Nam non accessoria dicimus opera, qualia sunt accidētia sine quibus res persistere possit: sed fidem & opera coniuncta esse tradidere vt est species & sua proprietas, vt homo & sua ratio. Quare dissimulat, vt nouis criminibus obruat, nec profecisse ab illis videatur.

IIII. Addit falsam opinionem in nostris fuisse: quòd crediderint maiorē fore Dei gloriam, si soli fidei tribuant iustificationē, sine omnibus operibus, vt quę ex parte nostra videātur: cùm nulla gloria Deo perfectè tribuatur solo corde, nisi etiam manibus id testemur. Ergo maior erit gloria Dei, si fides suis operibus non spolietur.

Dei gloria operum meritis minuitur.

Primùm, Veritatem hîc opinionem falsam dicit, periculosa audacia: Nam gloria Dei vtique in omnibus quærenda est: ideóque etiam in iustificationis negotio. Doceat autem ipse, illam non imminui operum meritis. Quicquid enim nostris accedit operibus, totum illud decedit Dei gloriæ: & Apostolus hac via retundit gloriationem.

Deinde falsum illud est. Negari à nostris bonorum operum vsum: Non enim nuda est idea fides, quæ nihil boni operetur, qualem fingit Cicero oratorem, qualem nunquam tamen vidit. Nam talis est fides iustificās, quæ omnibus mēbris tota vita sese conspicuā reddat.

V. Humana, inquit, opera deceperunt eos: quæ cùm viderent Dei gloriam violare, opinati sunt etiam Spiritus sancti opera his similia esse, & itidem à vera fide separanda esse, ita contingit, vt cum iugo Antichristi, etiam suaue iugum Christi excusserint.

Crassus error est hominis ingrati erga pręceptores, & veritatem agnitam. Nemo ex nostris paria facit humana opera & Dei: & omnibus notum est, doctrinam nostrorum distinguere inter opera humana, & opera Spiritus sancti tantùm quantùm distāt ęra lupinis: quod is tamen ignorare vult. Deinde excurrit extra viam: nō enim quęritur an Fides debeat habere sua opera, quod extra controuersiam est, sed an sint aliqua opera hominis, quæ efficiens causa sint iustificationis: hoc ille surda aure præterit, & litem mouet de tribus capellis. Demum quî Antichristi iugum excusserit, aut ad idē reuersus sit, Christi desertor factus, notum est, ex euentu, nimiùm sanè deplorando.

Argumētatio quam quidam insulsè negant.

VI. De particula (Sola) pueriliter ludit: quia non excludat propria opera Dei aut fidei: & quia sic tolli videtur lis, eam renouat, argumentatione nostra ineptè confutata. Cùm enim colligimus, Sola Dei misericordia nos iustificat, Sola fides hanc apprehendit. Ergo sola fide iustificamur: Excipit ille insulsè, Nego totam formam argumenti: quia sunt quatuor termini, in maiore vox (Sola) tantùm excludit à Deo creaturas, in minore verò omnia opera, acumen dixeris Chrysippeum: quis contendit obsecro de operibus Dei? Tota enim quæstio iustificationis, contra opera hominis instructa est. Legas Paulum & nostrorum scripta: nemo in arenam vocat Dei opera. Itaque vox (Sola) vtrobique tam in maiore, quàm in minore, expresè loquitur de operib⁹ nostris: quę in solidū excludit. Vbi ergo sunt isti quatuor termini? Sed fortè viri non videremur, nisi aliquid contra rationem committeremus.

VII. Ait quoque Verbum λογίζεσθαι apud nos significare otiosam imputationem. Cùmque ex Apostolo colligo, imputatione sumus iusti: ergo sine operibus sumus iusti. Respondet ille, non consequi: quia imputatio alia sit efficax & operosa, alia non operosa.

Margiten dixeris ex Carneade factum, aut certè bis pueros, viros nondum senes. Quæ enim illa est intempestiua & loco minimè cōpetens distinctio? Sermo est de imputatione diuina: quam nemo Sorbonicus, etiam magister, dicit otiosam: quod tu otiū fingis in Deo agente? in reconciliatione, quæ tantis sudoribus & doloribus Filij Dei parta est? Itaque tota illa imputatio Dei, qua nos sibi in Christo reconciliauit, tota inquam, operosa, efficax & viuida est: præsertim cùm illa ad vocatos solùm sese explicet. Itaque firmissima est collectio ex Apostolo: imputatione sumus iusti: ergo sine operum respectu. Ratio est, quia Deus iustificat etiam impium nihil dum operantem, modò credat. Nec est hîc imputatio aliqua otiosa aut inefficax, nisi fortè hanc detorquans ad vocatos & non electos, quorum multi sunt, &c.

Firma collectio.

VIII

VIII. Addit etiam, mala distinctione inuocationis nos decipi, quasi ita colligeremus, Inuocando debemus esse certi. Opera incerta sunt: Ergo fide sola inuocare debemus, sine operum societate.

Hic illi monstrari veriùs poterant quatuor termini, si liberet ista persequi. Nam argumentum bonū corrupit: nos enim sic colligimus. Inuocando debemus esse certi. Sed qui operibus nituntur inuocando, non sunt certi. Igitur operibus nitendum non est: nitendū autem misericordia diuina, quā sola fide apprehendimus.

Nec negamus inuocationem aliam certam esse, aliam incertam: nam hoc fundamento nititur hoc argumentum, vt distinguat veram inuocationem à falsa & incerta. Sed hoc illi negamus, fidei inuocationem & certam & incertam esse. Nam quandiu fides est, quod esse debet & dicitur, tandiu, & eatenus certa & firma est illius inuocatio. Nec est quòd proferat nobis fidē mortuam, quia de illa non loquitur, nec illius inuocatio transferēda est ad veræ fidei inuocationem, &c. Atque hactenus in rationes & argumenta hominis olim mihi amicissimi digredi libuit: simúlque absoluimus locum de sola fide iustificante. Argum. optimū.

Altera sequitur sententia, eorum qui solam quidem fidem admittunt vtcunque: sed eam malè interpretando corrumpunt. Dicunt enim fidem hanc, qualitatem esse animis nostris inhærentem, secundùm quam, fideles dicimur, & agimus secundùm fidei regulam, inuocando, sperando, &c. Hoc pacto non accipimus fidem: sic enim ad opera transiret, & stabiliret merita. Fide autem iustificari dicimur, quatenus illa apprehendit misericordiam Dei: nō quaten⁹ est qualitas in nobis, sed quatenus nititur misericordia Dei. Deinde quia donum est Dei, cùm qualitates nostræ habitum vsu & consuetudine contrahant, ex iis principiis, quæ natura nobis confert. Fides verò non est naturæ beneficiū, sed Dei. Deinde vsu & consuetudine non ita habitum efficit: sed dono Spiritus sancti, ideóque constantiùs etiam agit quàm virtutes ethicæ: nā fides ad Deum refertur: virtutes reliquæ ad rationem & naturā. Falsa fidei definitio.

Tertium genus superest, eorum qui fidem nudam notitiam vel ideam fingunt, sine omni ornatu. His fides est potiùs ludibrium: & historiam sequuntur rerum actarum, sine certa fiducia: de eo numero bona pars Christiani orbis est, hoc est, illi omnes qui verbo tenus sunt Christiani, vita & moribus quiduis aliud. Curios simulant & Bacchanalia viuunt. Error multorū

A doctrina tamen & ministerio diligenter est submouenda illa suspicio. Qui enim seriò in sacris literis versantur, nullum docebunt fidei inane & blandum spectrū: non docebunt neglectum pietatis: non sunt ἐργόμαχοι: nullam venditant fidem dissyllabam: nec duabus syllabis pictam obtendunt. Deum ignarum facientes.

Primùm enim scimus, quòd non sufficiat ad salutem, nescio quo inani fidei simulachro oscitantes inescare: nullo recti studio teneri, aut illius nullum esse fructum apud Deum. Imò recti studium fructū habet amplissimum, non solùm huius vitæ, sed etiam æternæ. Nec ob id sequitur sola fide iustificamur: igitur cum innocentia vitæ, hostilis est illi pugna? subordinata enim sunt hæc duo inter se: & dicimus fidem post se trahere chorum omnium virtutum, quasi habitum natiuum. Deinde aperta est doctrina nostra, qua non ipsa opera damnamus: sed fiduciam & venditationem humanæ arrogantiæ. Præterea fides sic vnita est suis effectis seu fructibus, vt minùs separari possint, quàm bona arbor & ipsius fructus. Itaque iniuriam faciunt fidei, qui statuunt inter ipsam & opera diuortium longo temporum interuallo durans. Itaque quanquam sola iustificet: sola tamen non est. Ratio est, quòd cum illa, statim sese offerant principes virtutes, vt eius natiuus habitus: sed illas virtutes omnes præcedit iustificatio, vt vera causa efficiens: ea nititur misericordia Dei, quam non meremur, sed apprehendimus fide. Sic respondemus ad D. Iacobi doctrinā: quæ nullo pacto pugnat, Vel cum Paulo, Vel nobiscum, Vel cum vera fide: Ratio est, quia D. Iacobus mortuam damnat, & requirit viuidam fidem, quam docet Apostolus etiam: solum in eo discrimen est, quòd Paulus iustificari dicit, hoc est, à Deo imputari nobis iustitiam, quæ per se nostra non est, sed vt filij sui meritum imputat, & sic iustos habet, qui natura sumus iniusti. Iacobus autem iustificari dicit, hoc est, cognosci iustum: ille ad ordinem Dei respexit, & à causa suprema rem deducit ad vltimum effectum: contrà Iacobus à posterioribus effectis procedit ad causam: atque hic ordo cognitionis humanæ est. Quare iniuriam doctrinæ nostræ faciunt, qui dissyllabam nescio quam fidē, & pictam, & blandum fidei spectrum doceri à nobis affirmant. Absit ista blasphemia & impietas à nobis. Quòd tanta est mundi impietas & morum ἀταξία dolendum est omnibus seriò, & incumbēdum magistratibus, ministris, publicè & priuatim in id, vt aliquando de grauiori remedio cogitent homines. Sed fit in his ordinibus quoque, vt leges populo commendent, quas ipsi molliter ferre possunt: & viuūt proceres vtrinque suauiùs, dum Democriti cachinnis sua & populi ludibria spectant, quàm si Heracliti oculis orbis Christiani mala intuerentur: hæc dissimulari non possunt. Doctrina tamen vera est de iustificatione per solam fidem. Excitabit aliquando Dominus seueriores doctores, aut paratiores auditores, qui non dubitent, hoc quod publicè profitentur, vita & moribus exactiùs exprimere, quàm hodie bona pars auditorū Euāgelij pręstet, &c. Quid sit iustificari apud Paulum & Iacobum.

Finis iustificationis dupliciter considerandus est. Partim Dei respectu, qui est, declarare Finis iustificationis duplex.

suam iustitiam hominibus eam illis communicando: quò facit locus Rom.1. & 3. Itē gloria nominis ipsius, quam in vasis misericordiæ illustrat. Secundò considerandus est nostri respectu, qui est salus nostra. hinc Rom.1. *ad salutē omni credenti* additur in definitione Euangelij & ad Roman.5. *pacem habemus apud Deum iustificati per fidem:* Item vt aliquando πολίτευμα illud in cœlis nobis repositum, reipsa & actu consequamur, quod in spe iam solùm possidemus, & è longinquo spectamus tantùm, &c.

DE GRATIA.

LOCVS XXV.



GRATIA dicitur Latinis fauor & beneuolentia, qua alium amplectimur, moti aliqua causa, siue in nobis siue extra nos posita. Sic dici solet, gratia gratiā parit. In disputationibus verò Paulinis, significat gratuitam Dei beneuolentiam gratis amplectentis nos in Christo. Significatio petita est ex veteri Testamento in quo *chen* dicitur gratia à *chanan* radice, quæ misereri significat: quo docemur gratiā Dei esse misericordiam, & in Deo solùm habere causas nos amplectendi: in nobis verò minimè. Græcis simili ratione χάρις dicitur, à χαρίζομαι: quod est gratificari alicui, vbi tale nihil sit promeritus. sic Act.25. Iudæi gratiam petunt contra Paulum, quia meritò & iustis rationibus non poterant eum damnare: & ibidem, Festus vult gratiam facere Iudæis contra Paulum, quia nulla erat iusta causa cur illum vinctum relinqueret. Gratia itaque locum habet, vbi iustæ causæ desunt.

Definitio gratiæ. Constituamus igitur hāc rei definitionem. Gratia est Beneuolentia Dei spontanea, qua nos complectitur in Christo, remittit peccatum, donat Spiritum Sanctum & vitam æternam, nihil tale pro merentibus.

Definitio tria in primis complectitur: qualis scil. sit affectus in Deo: secundò, quæ sint illius præcipua effecta: tertiò quomodo nos ad illam simus dispositi. Ac primi membri firmissima est ratio: quòd sit spontanea beneuolentia Dei nos amplectentis in Christo: quia passim gratia hæc, Dei dicitur. Gal.2. *non sperno gratiam Dei: si enim ex lege frustrà Christus mortuus est.* Gal.1. *qui vocauit vos in gratiam* Ephes.2. *illius gratia estis saluati per fidem & hoc non ex vobis.* Tit.2. *apparuit gratia Dei*, & cap.3. *iustificati gratia ipsius:* & passim salutationibus gratiā Deo comprecatur. Rom.1.1. Corinth.1. Col.1.2. Tim.1. Tit.1.

Quare in Deo quærenda est causa mouens: illa est amor & misericordia Dei, qua prosecutus est suam creaturam. hinc Ioan.3. *Ita dilexit Deus mundum, vt vnigenitum filium mitteret, vt omnis qui credit in illum non pereat: sed habeat vitam æternam.* Alterum definitionis membrum, hoc est, quæ sint illius effecta, & item tertium, vt nos ad gratiam Dei nos habeamus, mox declarabuntur infrà.

Gratiæ definitio secundū scholasticos. Scholastici definiunt. Gratia est adiutorium diuinum, creaturæ liberaliter & gratis impensum, ad omnē actum indifferenter: non quidem malè, si modò in definitione hac persisterent, nec aliò delapsi, in nobis quærerent causas mouentes & promerentes hanc gratiam, cùm nullæ sint.

Bonauenturæ illa est. Alij peiùs definiunt. Est habitus à Deo infusus, quo, is qui eum habet, gratus Deo efficitur: à Deo infundi gratiā sobriè poterat intelligi, quando Deus ornat suis donis electos, infusa est gratia: hoc est, donū, non in vel ex natura hominis ortū bonum vt inde persona Deo grata & accepta sit, non aliquâ propriâ qualitate, sed Dei dono. Sed cùm alium illi definitioni afferant sensum, relinquenda est, tanquam ipsorum inuentum. Deinde nos hic de gratuita acceptatione loquimur, non de donis gratiæ.

Nam sacræ literæ dupliciter ferè loquuntur de Gratia. Primò intelligunt hac voce gratuitam Dei misericordiam, qua se manifestat in hominis reconciliatione & iustificatione: quò pertinet gratia iustificans. Rom.5. *vbi abundauit peccatum, ibi abundauit gratia.* Rom.4. ideò *ex fide secundum gratiam, vt firma sit promissio.* Tit.3. *iustificati gratis illius gratia,* Rom.3. v.24. *iustificantur gratis ipsius gratia, per redemptionem, quæ est in Iesu Christo.* Rom.4. *operanti non imputatur merces ex gratia.* Rom.11. *si ex gratia, iam non ex operibus.* Eph.2. *gratia estis seruati per fidem, & hoc non ex vobis.* His & similibus locis gratia est beneuolentia Dei amplectentis gratis, & conseruantis ad finem bonum. Deinde gratia significat dona Spiritus sancti, vt Act.6. *Stephanus plenus gratia dicitur,* hoc est, donis spiritualibus, in primis dexteritate interpretandi scripturā & confutandi Iudęos hostes crucis. Eph.4. *vnicuique vestrū data est gratia, secundum mensurā doni Christi* 1.Tim.4. *noli negligere gratiam quæ tibi data est.* 1.Petr.4. *multiformis dicitur gratia, quia dona varia sunt.*

(Margin: Gratia iustificās)

Altera gratiæ acceptio. Huc pertinet effecta gratiæ Dei, hoc est, gratuitæ beneuolentiæ: qualia in definitione attigimus. Vt est remissio peccatorū, quā soli gratiæ diuinæ debemus. Imputatio iustitiæ. Chri-

stus enim sua iustitia nos ornat, cùm nostra imperfecta sit & legis rigori nunquã respondeat: hinc ad Rom. 4. beatitudinẽ Paulus descripsit ex Dauide in eo positam esse, si cui Deus non imputet peccatum: si cui contegat peccatum: si cui imputet iustitiam absque operibus legis.

Dona Spiritus sancti, quæ varia sunt Eph. 4. 1. Cor. 12. Sic donum Spiritus sancti est in Iosepho, quòd placeret custodi carceris in Ægypto, Gen. 39. & donum Spiritus sancti erat, quod populus Israël Ægyptiis placet. Exod. 3. hinc gratia dicitur, & Deus inquit, dabo illis gratiam, in conspectu illorũ, hoc est, donũ illis conferam, quo hostibus etiã approbētur. Sic eleemosynã hilariter præstare donum Dei est, hinc gratia dicitur. 1. Cor. 10. & 2. Cor. 8.

Regni Christi etiam reuelatio donum Dei est, hinc gratia dicitur, Tit. 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris.* Tutela quoque in quacunque vitæ conditione donum Spiritus sancti est, & gratia dicitur. 1. Cor. 5. *non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est:* significans cursum ministerij sui diuino beneficio regi & gubernari ad Ecclesię vtilitatem, & ipsa gratitudo, quia est donum Spiritus sancti, hinc gratia dicitur. Sic omnia in hominibus gratia dicuntur respectu Dei, quia gratis conferuntur, nec in nobis habent causas efficientes & meritorias. Respectu verò aliorum hominum gratia dicũtur, quia digna sunt talia bona, quæ ab aliis amentur, & propter quæ etiam personæ diligantur. Sic gratiosi dicuntur homines, quia intra se habent causas impellentes ad amorem sui: sic gratiosus erat Ioseph, & populus Dei apud Ægyptios: gratiosa virgo Maria, hoc est, digni erant illi vt ab omnibus amarentur. Secus verò si ad Deũ referas: tum enim non vt causa, sed vt dona & effectus considerantur tales virtutes. Ille. n. dat vt apud alios amabiles sint, non vt sibi efficiat, quia priùs tales sunt, quàm suis ornet beneficiis. Hęc gratię diuisio ex S. literis petita est, ac sibi cohæret tanquã causa & effectus.

Omnia Dei dona in hominibus gratia dicuntur quia gratis à Deo dantur.

Scholastici alias afferũt diuisiones, quas sano iudicio facilè quoq; sit admittere. Vt quòd aliàs gratia est operãs, aliàs cooperans: illa dicitur voluntatem nostram sanare & mutare in melius. Hæc mutatam confirmat, & vt rectè agat efficit: nec malè, quia Deus & velle & perficere in nobis efficit.

Diuisio gratiæ apud scholasticos.

Alibi dicitur gratia præueniens & subsequens. Illa quòd voluntatẽ præueniat, vt initiũ conuersionis non sit à nobis, sed à Deo miserante. Posterior, quòd conuersionem consequantur noui motus & bona opera, quæ omnia sine gratia efficere non possumus, vt intelligas bona opera quoque donum Dei esse.

Item gratia alia dicitur gratis data, alia gratum faciens. Illa, quia sine nostro merito datur salus: hæc, quia nos efficiat gratos apud Deum. Quod si de Christi beneficio intelligas, nihil habet absurdi, aut etiam de gratia gratis data. Nam eadẽ est, nisi quòd diuerso respectu nomina mutat. Gratis data dicitur gratia, vt dixi, quia excludit omne meritum. Gratos faciens autem, quia declarat nos in gratia esse apud Deum, & hominibus nos commendat tanquam membra Christi. Nam commentum illud falsum est, quo docent, voluntatem deinceps per se bona efficere posse, quæ nos Deo commendent. Priùs enim persona est commendabilis, hinc opera illius placent Deo.

Addatur & illa ordine temporis triplex est gratia. Prima præueniens, quæ incohat salutẽ & regenerationis beneficium. Altera adiuuãs, prouehens opus regenerationis. Tertia perficiens, ad optatum finem adducens: qua partitione nihil nobis relinquitur gloriæ: sed omnia Dei miserationi adscribuntur.

His ita positis, de gratia Dei sic constituamus. Dei gratia in saluandis nobis, voluntatẽ nostram præueniens, non solùm in nobis nihil reperit amore dignum, sed eadem aperit etiam corda nostra, vt sine illa ne quidem cogitare bonum possimus.

Quid de Dei gratia verè sit statuendum.

De prima gratia, quam gratis datam, præuenientem, & operantem vocant, res sic manifesta est: quia Deus prior nos dilexit, vt est 1. Ioan. 4. hoc est, cùm in nobis nihil esset dilectione dignum, & homines magis diligerent tenebras, tam Deus dilexit homines vt mitteret Filium suum vnigenitum, vt est Ioan. 3.

Deinde, quia cura Dei in nobis seruandis & per gratiam redimendis cœpit antequam essemus: nec quicquam amore dignum in nobis tum erat: (quod enim simpliciter nihil est, id nec quicquam in se habet amore dignum) vt probatur ex Apostolo ad Eph. 1. *ante fundamenta mundi elegit nos:* quare, cùm primùm nos conspiceret Deus sua gratia seruandos, nihil in nobis amore dignum reperit. Sed & postea quidem, cùm tempore patefit cuiusque vocatio, nihil reperit præter peccatum, odiũ Dei, & crassam ignorantiam: *quia naturâ filij iræ sumus, venditi sub peccatum, sine Deo, mancipia peccati & Satanæ.*

Præterea gratia non esset, nisi gratis nobis daretur. Cùm igitur gratis conferatur, nihil in nobis erat, cuius respectu nos inciperet amare Deus. Argumentum hoc multis locis vrget August. contra Pelagianos, Gratia nõ est Gratia, nisi gratis detur.

Idem Apostol. 1. Cor. 4. ait contra arrogantiam humani ingenij, *quid habes, quod nõ acceperis? quòd si fateri hoc cogimur,* consequens est, vt dicamus, quicquid in nobis sit boni, hoc totum donum esse Dei. In nobis igitur nihil relinquitur proprium, quod amore dignum videri possit.

August.

Denique ex ipsorum definitionibus colligi potest, gratiam diuinitus dari, nec habere in

nobis causam mouentem ad dilectionem,nisi ipsammiseriam nostram & indigentiam. Dicunt enim esse habitum diuinitus infusum à Deo, quo is qui eum habet, gratus efficiatur Deo. Ex quo colligitur merum esse Dei donum: si enim causa mouens in nobis esset,malè illi definirent,eam non exprimendo.

Secunda gratia. De secunda gratia,quæ nos iuuat, vt in bono pergamus, statuamus quoque, illam non solùm corda nostra renouare, vt bona oblata admittamus:sed voluntatem nostram sine illa planè nihil posse.Id enim astruimus.

1. 1. Rom.9.*non est volentis,neque currentis,sed miserantis Dei.*Itaque in toto cursu opus est misericordia Dei. Nihil igitur voluntas per se ex sua libertate potest ad bonum:alioquin dicendum fuerat Apostolo, non est miserantis,sed volentis & currentis: sed hoc negat, affirmátque omnia pendere tam volendo quàm currendo,ab ipsa Dei misericordia.

2. Deinde ad Cor.2.cap.3.*non idonei sumus cogitare aliquid boni.* Vbi igitur est illa voluntatis potestas eligendi bonum & reprobandi malum? quòd si eligendi habet arbitrium,magis cogitandi,quia minùs est cogitare bonum,quàm eligere, vt sequaris. Atqui minus illud non potest, non igitur, illud quod maius est,poterit.

3. Deus dat velle & perficere,ad Philip.2. nulla igitur voluntatis nostræ potestas separata à gratia Dei,vt per se aliquid possit.

4. Apud Ezech.11. Deo tribuitur renouare corda suorum, dare legem suam in corda illorum, mollire & dare voluntatem. Itaque,de natura sua homo id non potest. Id scire prodest, ne nostris viribus,in causa salutis, aliquid ascribamus, vnde cõstructa est doctrina meritoria. Vide quæ de hac re disputat Auguguštinus contra Pelagianos, & Hieronym.ad

Falsa opinio Pelagianorũ. Ctesiphontem, & in dialogis contra Pelagianos, qui nostris viribus tribuebant tantùm virium, vt non esset opus vt per singula niteremur Dei operâ, eiúsque regeremur semper auxilio:sed Deo ageremus gratias, quòd tales condiderit, vt per nos ipsi possimus.

Sed hîc hominum curiosorum,& malè viuentium,respondendum est quæstioni.Isti enim cùm audiũt Gratiam Dei conatus nostros præuenire,& voluntaté quoque nostram nihil sine eadem adiuuante posse: mox sibi otium tutum promittunt, & securã peccandi licen-

Obiect. tiã.Expectabo trahentem,interim non aliud possum, quàm quod caro iubet:neque, si velim possũ,cùm miserantis sit Dei:fortè,cum latrone in cruce,ad vltimũ spiritum efflandum dabit gratiam.

Responsio. His respondemus, non esse sani animi ista colligere, sed mentis omni gratia destitutæ. Verùm bonæ mentes sic statuere debent.Gratiam illam,quæ primas,secundas,& tertias occupat partes, in regeneratione nostra,eandem minimè esse otiosam in electis.Vt enim præuenire nos solet,nihil tale promeritos, & corda nostra suo afflatu mutat, mutatis inspirat nouum velle:sic etiam in tota vita nostra erit actuosa,displicebunt priores vitæ mores,lætabimur bene agendo,sub spe & patientia operabimur salutem nostram.

Deinde cogitabunt præceptum Christi ad se pertinere,*Vade noli amplius peccare,ne quid deterius tibi eueniat.*Et cùm doctrina Euangelij pœnitentiam doceat, fieri non potest, quin noua vita, bonos mores, & sancta requirat opera.

Accedit exemplum Christi & omnium sanctorum: quod non tam ex fidei professione agnoscitur & exprimitur, quàm ex vitæ integritate, & boni operis commendatione.

Prӕterea vita æterna promittitur passim bene agentibus: & contrà, ex neglectu boni operis mali pœnas luent. Sed dicunt, credo in Christum, & ea fide me consolor, numquid illa non sufficit?

Vera fides non est sterilis. Respondeo, fides vera in Christum satis est ad salutem: quia illa apprehẽdit meritũ Christi, & sibi applicat promissiones salutis:sed eadem fides non est sterilis:habet suam latitudinem & vitam in Christo: horret peccatum: odit vitia:benefaciendo lætatur:bonis operibus est ornatissima:vt arbor frugifera suis fructibus. Interim hoc etiam cauet, Vt suis viribus nihil ascribat,sed in omnibus exclamat,*seruus inutilis sum Domine, auge fidem meam, largire gratiam tuam,corona in me dona tua.* Sed iustissimè illis respondeat D. Iacobus: *quæ est vtilitas fratres mei,siquis dicat se fidem habere,opera verònon habeat? num potest fides talis illum seruare?* & mox, *fides quæ opera non habet mortua est.*Quare vita & moribus declaranda est fides nostra, ne illo prætextu nos ipsos quoque fallamus. Deus fidem requirit: proximus operibus nostris indiget. Illa apud Deum iustificat: opera verò apud homines, nos iustificatos

Cur Paulus fidẽ vrgeat & Iacobus opera. pronuntiant & declarant.Rectè igitur Paulus fidem passim vrget cõtra hypocrisin operum: Iacobus autem opera contra vanitatem persuasionis, quæ fides non est: nos vtrunque rectè coniungimus vt bonam causam cum suo effectu. Huc pertinet totum cap. 6. ad Rom. quo docet electis deinceps peccandum non esse,quia peccato mortui sumus: quia repugnat professioni quã in Baptismo suscepimus: quia Christo insiti eidem viuere debemus:quia verus ille homo peccati in nobis crucifixus est:quia illius morte à peccato liberati sumus: quia membra nostra militare debent Deo ad iustitiam,non peccato ad mortem: quia profitemur seruire nos Deo: quia peccati finis est mors: quia in seruitute sumus Dei: quia peccatori sæpe pœnitendum est: quia peccatum gignit in nobis erubescentiam: quia bene agentes

gentes sancti sunt: quia finem habent propositum vitã æternam. Tantùm igitur abest vt licẽter peccato indulgeant electi, vt nihil magis suspectum habeant, adeò vt peccandi occasiones, quoad fieri potest, deuitent. Quæ nobis dici meminerimus, non secus quàm iuueni dicitur, ecce iam promotus es ad lectiones Rhetorum vbi audies politam orationem, & stylum exercebis, vide ne ampliùs solœcismos committas contra præcepta Grammaticæ, turpe enim hoc foret, & indignum tua promotione, metuendúmque ne ad Grammaticorum plagas retruderetis. Id argumenti plurimum valebit apud frugi iuuenem, non enim indignus haberi vult lectionibus publicis: nõ erubescere vult in cœtibus publicis: itaque nihil potiùs cauebit, quàm ne in oratione reprehendi possit & irrideri à Grammaticis. Nostra fides habet sua effecta in vita & moribus: ac nisi vita nostra respõdeat professioni fidei, insultat nobis Satan, & irridet, repetítque nos ad vetus pistrinũ, tanquã plagiosus Grammaticus. Nec expectemus quando violenter nos trahat Deus: volentem trahit, rarò obtorto collo rapit, quanquam & illud fiat interdum. Regeneratio incipit à gratia, sed perficitur tum à gratia, tum à voluntate nostra, vt salus ab vno cœpta, ab vtroque absoluatur.

Nec audiendi hìc sunt, qui excipiunt, neminem esse posse sine peccato, frustrà igitur ingeri nobis non esse peccandum. Quia hoc notum erat, vel deploratis illis peccatoribus: sanctissimi quique hanc infirmitatem sentiunt, vt Paulus ait, *non habitat in carne mea bonum*, & Iob, *non est purus coram te infans vnius diei*. & Dauid, *non iustificabitur coram te omnis caro.* Nec sperandum est, illas infirmitates expugnari posse: sed non peccandum esse dicimus licenter & petulanter, quod mundo semper consuetum fuit: & sanè peccantes hoc modo suo se gladio iugulant. Naturâ enim cùm simus peccatores, tamen non damnant peccatum: quod oportebat omnibus modis cauere, vbi caueri poterat. Satis onerabunt nos delicta iuuenilia, pueritiæ, & peccata quotidiana, quæ oscitantibus nobis obrepunt: nec erat opus libidinosè nos onerare quouis scelere & vitio. Sed de his suo loco dicetur copiosiùs.

DE LIBERO ARBITRIO.

LOCVS XXVI.



QVI de viribus humanis disputãt, liberum arbitrium accuratè explicãt. Vocant autem arbitrium potestatem ac facultatem eligendi, ac persequẽdi proposita, aut ab iisdem sese auertendi: vt sit vocis eius eadem vis, quæ iuris ac potestatis: I. Ratio nominis
vt meo arbitrio, hoc est, meo iure, & plena potestate hoc vel illud ago: non sum mei arbitrij hoc est, iuris. Hoc arbitrium liberum statuunt: hoc est, vt non solùm videat sequenda, sed eadem possit sua quadam facultate sequi, vt à nemine cogatur. Hoc sensu liberum arbitrium, est libera facultas statuendi. Scholastici arbitrium rationi tribuunt: liberum verò ad voluntatem referunt: ratio enim statuit de re proposita, voluntas accedens eligit quid sequendum sit. Scholastici cor.

Greci αὐτεξούσιον vocarũt, quod nostri rectè vt nimis superbum, nomen irrident. Vsus est eo Iustinus aliquoties in Tryph. & ad finem Apolog. primæ Item. Epiphan. disserens contra Fatum. 21. Græcor.

Posteriores Græci frequentiores in eo asserendo fuêre, vt Chrysost. Grego. Basilius sermonem habet περὶ τοῦ αὐτεξουσίου, in quo modestiùs reliquis de eo disserit. Sonat autem illis idẽ quod προαίρεσις & ἐπιτηδειότης, oponitur illi ὑπεξούσιον: quod aliena regitur potestate.

Rem sic definimus: liberũ Arbitrium est facultas voluntatis, quæ rationis iudicium sequens proposita sibi, vel sequitur, vel repudiat, in his quæ per nos fieri possunt. II. Definitio.

Addimus definitioni certam materiã, non enim in omnibus rebus liberum arbitriũ sese exercere potest: quæ violenta sunt, sub illud non cadunt. Tollit enim liberum arbitriũ *violentia* & coactio. Deinde impossibilia homini non capit, vt impedire vim ventorum.

Item circa demonstrationes non versatur. In summa, quæ non admittunt deliberationẽ, illa nec huc pertinent: ideo addidimus in his, quæ per nos fieri possunt. August.

Et quod Augustini definitionẽ attinet, qui vocat vtroq; vertibile, magis descriptio quàm definitio censeri debet, nimis enim latè patet. Erasm.

Erasmus ait. liberum arbitrium est facultas humanæ voluntatis, qua se homo potest applicare ad ea quæ perducunt ad salutem æternã, aut ab iisdem auertere. Non rectè: cùm applicatio ad salutem non sit hominis, sed Dei: ideo rem non ad suã propriam materiam applicauit. Sequi potest applicantẽ, seipsam applicare voluntas nõ potest: sed de eo mox videbimus. III. An sit.

An sit aliquod tale liberũ arbitrium, à multis dubitatum est, aliis planè negantibus & nomen & rem: aliis contrà nimium indulgentibus humanis viribus: quæ omnia suis relinquemus authoribus, & rem sic expediemus, vt consideremus ad quosnam cadere possit talis facultas.

I. In Deo — Primùm, Deo propriè & verè competit illa absoluta facultas, nullius enim iuri subiectus est: sed est natura intelligens & liberrimè agēs: quęcunque voluit fecit. Quia igitur est omnipotens, libera vtitur potestate. Gen. 18. *Ego Deus omnipotens*, Exod. 16. *omnipotens nomē eius.* Iob 42. *scio quia omnia potes.* Psal. 104 *omnia fecisti in sapientia.* Sap. 12. *cura est ei de omnibus.* Hanc in Deo potentiam etiam agnouerunt Ethnici.

Pindarus. Pyth. 2. Stroph 3. — Pindarus cum magnificè prædicat Θεὸς ἅπαν ἐπ' ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται: Θεὸς ὃ καὶ πτερόεντα αἰετὸν νήχε, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται δελφῖνα καὶ ὑψιφρόνων τῶν ἔκαμψε βροτῶν, ἑτέροισι δὲ κῦδος ἀγήραον παρέδωκε. Deus omnē vt vult finem perficit, Deus qui alatam aquilam assequitur, & marinum anteuertit delphinum, & aliquem superborum humiliauit: aliis autem decus senij expers dedit.

II. In Angelis. — Secundò in Angelis cōsideratur quia secundum habent locum in natura intelligente. In bonis igitur Angelis vis illa ad bonum valet, in malis ad malum. Nec euertit hoc libertatis naturam, quia voluntatis natura in his ita constituta est, vt hoc liberè velit sine coactione.

Boni. — Boni sponte hilari Dei voluntati sese subiiciūt, nec aliud velle possūt: quę necessitas cùm sit naturalis, vim non agnoscit, ideò libera in his est voluntas. Eadem ratio est sanctorum in cœlis, quorum libertatem non impedit, in vnam solùm partem prona voluntas, bona sponte eligunt, & repudiant contraria. Mali. — Contrà fit in malis spiritibus, in quibus ad malum sola est libertas: liberi aspernantur bona & eligunt mala: abest omnis vis & coactio: necessitas autem nec in his tollit libertatem arbitrij.

III. In Homine. 4. Status. — Tertiò, cōsiderāda est etiā in homine libertas. Est autē illius quadruplex status. primus innocentiæ, alter peccati, tertius reparationis, quartus perfectionis. In his quantum sit liberum arbitrium, sic potest intelligi.

1. In primo illo statu magnam fuisse illius vim certum est. Fuit enim ad Dei imaginem conditus, adeo vt voluntas libera, ipsa Dei imago fuisse, vel ad illam condita videatur, quanta tamen fuerit, dici non potest facilè, cum illius scriptura non meminerit: vt frustra de ea, vt de re amissa disputetur. Collo iugum gerimus, ideóque deplorāda illa potiùs quàm ventilanda sunt. de ea tamen copiosiùs disputat Augustinus.

In homine non renato, nullū est liberum arbitriū ad bonū. — 2. Alterius status ad nos pertinet consideratio, in quo sub peccato iam omnes viuimus. In homine nondū renato & à Christo adhuc alieno, nullum agnoscimus liberum arbitriū ad bonum: ad malum autem valere fatemur, quemadmodū in malis Angelis, sic in malis hominibus, homo enim natus organū Satanę factus, architecti sui ingenium sequitur. Quare & rectè colligitur, Operans causa in homine solùm ad malū liberè agit: Igitur voluntas hominis, etiam ad hoc solùm efficax est.

Quod perinde est ac si dicas, Sessor & rector hominis ad mala solū agit efficaciter: Ergo & hominis vires, etiā eò tantùm respiciūt. Nec est difficile hoc probare ex scriptura 1. Cor. 2. 14. *animalis homo nō capit illa quæ Dei sunt, sed stultitia illi sunt: imò nō potest agnoscere.* Animalē dici hominē à Christo alienū: qui ratione ducitur & viribus naturæ corruptæ relictus est. Huic proprium est, non solùm non intelligere & non capere, sed ne quidem posse. Ἀδυναμία igitur est naturalis ad bona, ad veram sapientiam Dei, & per consequens ad omnia bona opera. Ex quo efficitur nullum esse in eodem liberum arbitrium. Non in eo est & notitia & electio, quasi dicat, Nulla est boni notitia in homine nondum renato: ergo nulla electio.

Nulla adest electio: ergo nulla libertas eligendi. Est enim in libero arbitrio primùm notitia boni propositi, de quo statuat ratio, deinde delectus: cui assentitur voluntas, Vtrunque autem impossibile est homini non renato, ergo impossibile est illi liberum arbitrium: Ratio est, quia illius veræ proprietates non competunt ei.

Testimonia. — Ioan. 6. *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit eū*, tractus ille Dei est, & improprius homini: Igitur libertas boni propriè ei non conuenit.

Ioan. 15. *Sine me, nihil potestis*, igitur nec bonum eligere. Philip. 2. *Deus dat velle & perficere*, igitur in hominis viribus non est. Ioan. 8. *Si Filius vos liberauerit, tum verè liberi eritis.* Impij autem non sunt liberati à Filio, igitur nullam habent verè libertatem.

Sententiæ Patrum. — Ierem. 10. *non est hominis via eius, nec viri vt dirigat gressus suos.* Ierem. 31. *Conuerte me Domine, & conuertar.* Thren. 5. *Conuerte nos Domine, & conuertemur.* Itaque Dei est non viriū hominis, Esa. 64. *Iustitia nostræ vt pannus menstruatus.*

Augustini. Bernardi. — Huc faciunt sententiæ Patrum: vt quod August. de libero Arbitrio ait, Deus est author meriti, qui voluntatem operi applicat, & opus voluntati. Idem, da Domine quod iubes, & iube quod vis. Et ex Bernardo citatur sententia, Totum etiam initium debetur gratiæ. Hęc sententia simplicissima est, & scripturæ conformis.

3. Status. — Tertius status reparationis scilicet eorū est, qui à peccato per Christi gratiam redempti, & renati iam sunt: & quanquam adhuc viuant in mortali corpore, tamen fidem & perfectionem suam, quoad fieri potest, ornāt innocentia vitæ & morum pietate.

In his concedimus aliquot liberum arbitrium: quia voluntas iam edocta per Spiritum sanctum in regeneratione, Deo libenter consentit, Vt illi velit etiam cooperari ad propriā Philip. 2. 1. Cor. 3. — salutem. Philip. 2. *cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Et ad 1. Cor. 3. cap. Apostolus

lus ministros vocat συνεργοὺς Dei: quia organa sunt, & causæ mediæ, per quas Deus hominem conuertit ad veritatis cognitionem: non quòd non possit aliter, sed quia aliter nolit. Interim nec qui plantat est aliquid, nec qui rigat: sed Deus qui dat incrementum: magis igitur ipsi, electi iam renati, cooperatores sunt Dei ad propriam salutem. Nec obstat huic libertati, quòd sæpe auocantur & impediuntur ab ipsa carne: quia volũtas semper ad vitam æternam contendit, semper meliora approbat & fugit contraria, adeò vt dicat Apostolus, *Non quod volo bonum, hoc facio, sed malum quod nolo, ago*: vult igitur semper bonum, & in eo velle liber manet nec cogi potest. Interim spiritus S. & gratia Dei adiuuãt & promouent conatus pios, quos ipsos quoque per gratiam Dei habent. Itaque in hoc statu, non merè passiuè habent se electi, vt olim Manichæi, & hodie nonnulli dicunt. Deus enim cum illis agit, nõ vt cum lapide & trunco. Ratio est, quia fides in eis debet esse operosa: quod fieri non potest sine libera voluntate, & postulat hoc contrariorum ratio. Agitur ergo voluntas & agit in renatis bene agentibus. Rom. 7. Manichæi.

Si enim in reprobis solùm, efficax est ad malum: Consequens est, vt in electis efficax sit ad bonum: par enim est analogia vtrinque. Item, Si in malis libertatẽ non impedit, quod in vnam solùm partẽ prona est & efficax: eandem quoque non euertit in electis, cùm ad bonum operatur, quanquam sæpe impediatur à carne. Volũtas enim libera manet in suo proposito, vt vt aliud sæpe agat homo. Adde quòd impedimenta illa non sunt efficacia: imò conatus ad bonum, & opera qualiacunque electorum finem suum consequuntur. Electi enim vitam æternam consequuntur per gratiam Dei, quò contendebant omnes voluntatis conatus. Huc pertinet sententia illa. Θεὸς βουλόμενον ἕλκει: Deus volentem trahit, & Augustini simile: Pastor viridi ramo, quem monstrat ouiculæ, eam trahit quò vult, nec inuitam sed volentem, quanquam voluntatem ille non det. Simile. Augußt.

Deus verò tracturus mentem illustrat, & edocet voluntatem vt assentiatur, & dat gratiam vt perficiat: quæ omnia libertatem non excludunt.

Superest quartus status in vita æterna. In eo citra controuersiã libertatem habebimus voluntatis liberrimam. Illic caro nos non grauabit: affectus non aliò rapient: ratio integra: voluntas iustissima erit: totus homo imaginem Dei, ad quam conditus fuerat integram iterum possidebit: totúmque sese ad voluntatem & gloriam creatoris sui liberrimè accommodabit. 4. Status.

Quanta sit hæc futura libertas, non facilè exprimi potest in hac vita, quia illius obiectũ, bonum ineffabile est 1. Cor. 2. *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus ipsum.* Hanc igitur partem conseruemus in scholam illam cœlestem, quò aliquando perducti in conspectu Dei & sanctorum eius verè de rebus veris, secundum veritatem philosophabimur, Amen.

DE MERITIS HOMINVM.

LOCVS XXVII.



APud Lucam, Angelus Gabriel κεχαριτωμένην id est gratia ornatam appellat virginem Mariam: & de eadem mox idem Angelus inquit, εὗρες χάριν παρὰ τῷ θεῷ. id est inuenisti gratiam apud Deum. Ex quibus olim Pelagiani meritorum dignitatem stabilire sunt conati: & nostro seculo doctrina meritorum creuit in immensum: ita vt gratiam inuenire & eandem augere & conseruare posse, merita hominum iudicarentur. Qui error diligenter hodie confutatus est, ab Euangelij doctoribus: quemadmodum ab Augustino olim, Pelagiani.

Et quia in explicatione Lucæ, obiter illa solùm attigimus: hanc horã Meritis excutiendis tribuemus, vt studiosi adolescentes doctrinam hanc & meliùs intelligant, & commodiùs confutare falsa eius dogmata, & sanam doctrinam tueri possint.

1. Loquamur igitur primò de doctrina Meritorum, quemadmodũ hæc à Scholasticis doctoribus proponi solet.

Deinde quomodo sacræ literæ de meritis nostris pronuntient, & quàm minimè scholasticam doctrinam stabiliant.

Ac nomen quidem meriti accipiunt pro dignitate operum nostrorum: aliàs pro mercede quam operibus Deus det. Ac mercedem sic intelligunt, quòd dignitate quadam proprij operis eam mereantur homines. Vtraque sanè vocis significatio noua est & insolens. Nam si relatiuè accipiatur, quatenus meritum respicit mercedem, merita sibi iure vendicabunt mercedem: & gratia desinit esse gratia: tollũt enim se mutuò gratia & meritum, vt est videre ad Rom. 11. Nihil enim hîc differt meritum ab operibus, nisi quòd meritum operũm dignitatem & præstantiam exprimit. Gratia & meritũ se mutuò tollunt.

Sin verò merita significant præmia, quæ bene operantibus Deus largitur: ambitiosa certè est meriti appellatio, quæ Deum quodamodo ad remunerandum compellit: ac nisi faciat, meritis nostris respondere non videatur. Ac mirari quis possit, cur non mercedem hanc potiùs χαρίσματα maluerint appellare, quàm merita: decebat sanè humanam imperfectionem agnoscere, in Dei beneficiis gratiam, & in operibus propriis impotentiam: in collatione verò operum ad mercedem, inæqualitatē, & insufficientiā. Quicquid enim præstiterimus dicere debemus, *Serui inutiles sumus.*

2. Sed relatiuè illi merita mercedi opponunt, vt nihil gratis nobis videatur Deus præstare. Hinc illa fluxit definitio. Meritum est propriè actio qua fit, vt ei qui agit, sit iustum aliquid dari. Definitio non minùs, quàm nomen ipsum, turgida est. Spirat enim ius quoddam, & æqualitatem operis cum mercede. Iustum est, agenti dari aliquid, ac secundùm operis dignitatem: debet igitur Deus per se mercedem dignitati operis. Quemadmodum ei qui operatur pro mercede, debetur denarius in singulos dies, ídque ex pacto, quia sic conuentum est: & herus si denarium non soluat, iustitiæ distributiuæ leges non seruat.

Quid sint merita.

Simile.

Has conditiones ad Dei tribunal illi homines etiam afferre conantur: quasi in operibus nostris possit esse talis profectio & dignitas cuius respectu, Deus moueri possit ad soluendam mercedem.

Deinde vt intelligi possit, quæ sit doctrinæ illius mēs, explicant definitionē applicatione meritorū, qua indicatur, quibus, quomodo, & quot modis merita hominibus vtilia esse possint.

3 Diuisio meritorum. 1. Congrui. 2. Digni.

Quò pertinet illa partitio, Meritum aliud esse Congrui: quod est cùm homo quidē per se non meretur præmium: tamen decet Deum dare, vt cùm peccator pœnitentia tangitur, nō meretur quidem gratiam: tamen decere aiunt, Deum dare, ex sua bonitate facienti, quod ex se est. Ita hominum arrogantia decernit quid Deum deceat, vel non.

Aliud meritum dicitur apud eos, Digni: vt, cùm iustus orat pro peccatore, iustum esse dicunt, vt iustus exaudiatur. Dignum sane est vt iustus exaudiatur, si oret secundum Dei voluntatem. Quæ enim est dignitas, vt quomodocunque tandem orans iustus exaudiatur?

3. Condigni.

Tertiò, aliud habent meritum condigni: quando scilicet agens habet debitū recipiendi: vt homo in gratia constitutus suis operum meritis vitā æternam consequitur. Sed quodnam illud est debitū recipiendi? vtrùmne quòd Deus ad id obstringatur dignitate operis, an verò quòd homo ad id cōditus sit, vt recipiat? At si tenetur Deus operis dignitate, gloriari nobis licebit, & sublata est gratię dignitas. Sin ad id consequendum nati sumus, de nostro fluit. Vbi ergo Christi meritum, & illud λύτρον tanto labore quæsitum?

Dilēma contra meriti defensores.

Deinde huc pertinet illa speciosa applicatio meritorum: quo ostendunt merita alia nobis ipsis prodesse, alia verò prodesse aliis.

4. Applicatio meritorum. Prædestinatio.

Ac vt cōstet quàm sint vtilia priuatim facieri bona opera, ita solēt rem explicare speciatim.

Primùm per merita promereri homines ipsam prædestinationem. Ratio illa est, vt aiūt, quòd Deus eos prædestinet, quos præuidet intentos fore bonis operibus. Quasi verò Deus moueatur dignitate futuri operis ad eligendū & prædestinandum. Mirari libet hic, cur causæ posteriores sint suis effectibus, aut vnde id constet Deum respicere ad operum intentos.

Quin hoc ordini rerum magis quadrat, Deum libera voluntate elegisse quos voluerit & electos demùm intentos fore bonis operibus: non electos verò, minimè.

Gratia prima.

Deinde post prędestinationis ius, primā etiā gratiam nobis conciliare. Congruum enim esse docent, vt Deus det agenti ex bono naturali. sic Cornelius orauit, dedit etiā eleemosynam: quæ apud Deum effecêre, vt cognitio Euangelij ei etiam communicaretur. Vide autem quod sit illud bonum naturale, ex quo homo agat ad promerendam gratiam illam primam.

Incremētum.

Tertiò, non solùm gratiam primam impetrant: sed in eadem conseruant, & incrementa illius conciliant.

4. Reparatio. Vita æterna.

4. Ac si contingat labi hominem: tum ratione meriti, hominem resurgere ad sui reparationem.

5. Demum vitam æternam conferri à Deo piis ex congruo & condigno. Atque sic quidem mirificè suis authoribus prosunt illa merita operum humanorum.

Verùm operæpretium fuerit etiam breuiter explicare, vt aliis quoque prodesse queant, sic enim plenum habebunt elogium illa speciosa merita.

Opera supererogationis.

Primùm ita accumulant sua merita illi εὐπόεισοι ter fœlices, vt tandē etiam efficiant opera supererogationis, quibus dùm abundāt, meritò aliis illa impendunt & cōmunicāt. Ac quia maximi boni efficientia sunt, gratis non dari & communicari debent. vendūtur igitur pretio inæquali, pro meritorum vel numero vel qualitate. Et quia contractus intercedit, ementes confirmantur interdum codicillis & chirographis, quibus etiam in agone mortis, & hinc ad tribunal Dei abeuntes cōfidere iubentur. Et huiusmodi literas interdum defunctis addunt in funere & sepultura.

2. Et quia defunctis & moribundis prodesse possunt, validiùs idem applicuere viuentibus:

tibus:quibus aliena merita admodū sint salutaria: nec solùm qui piè viuere cupiebāt aliena opera,id præstare potuere meliùs: sed etiā quibus cordi nō erat pietas, sua scelera præmeditata licentiùs perpetrabant, quòd sperarent alieno merito hæc expiari posse. Siquidem illi sanctorum merita,digna mercede sibi possent comparare. Harum rerum non destituuntur etiam exemplis, si res postulet, quibus abundant sanctorum legendæ, & libri scholastici, quæ nos tempori parcendo,datâ operâ hîc intermittimus.

Hæc summa propè est doctrinæ de meritis quæ sanè infinitis explicata est libris, & variè tractata. Ideo tamen hæc summa ex breui hac commemoratione vtcunque intelligi potest. Superest vt ad sacram Scripturā candē quoque conferamus & (si fieri potest) pari breuitate expendamus. Scriptura aduersatur doctrinę de meritis.

Primùm nomen ipsum (vtvt sit plausibile)scriptura non habet. Ac mirandum est scripturæ in hac re silentium. Mercedem quidem illa promittit, sed non ea ratione,vt dignitate aliqua nostri meriti,quicquam velit conferre:sed inculcat illa nobis, Donum Dei est, item: gratis, item non ex nobis, ne quis glorietur: &,dicite,Serui inutiles sumus.

Quòd verò illi colligunt ex voce mercedis: Merces datur & promittitur, ergo meritum præcessit.Respondemus non relatiuè illa dici, vt sit necessarium tempore simul esse,aut fuisse alterum ex alterius cōsecutione. Nam merces dicitur etiam absolutè sine omni meriti respectu.Sic Matt. 20. datur merces etiam indignis, quique solùm vna hora laborauerant, idque sine stipulatione, nec quicquā amplius his qui æstum diei portauerant.Et Gen. 15. ait Dominus Abrahæ, *Ego ero merces tua magna.* Atqui nulla est Abrahæ tanta operum dignitas,qui tantam mereatur mercedem. Et quæ dari tandem posset æqualitas inter opera Abrahæ & ipsum Deum? Adde quòd merces dicitur, licet ob aliud conferatur, vt hæreditas filio datur, quia filius est, tamen pater filio dicit, Ecce habebis à me mercedē non pœnitendam.Longè igitur aliud,merces est in scriptura,quàm meritum in hac doctrina. Obiectio. Respon. Merces & meritum non sunt relatiua absolutè.

2. Eodem pacto definitio quoque ab ipsis constituta, falsa est. Nulla enim sunt merita nostra,nisi ipsa mors & dira perditio:ideóque nulla potest esse iusta definitio.Aut ostendant illi priùs opera aliqua in nobis ita iusta, & numeris omnibus absoluta, vt eorum respectu Deus teneatur nobis dare vitam æternam. Vera est sententia de nostra malitia, Gen. 8. *Cor hominis prauū est ab adolescentia sua:* ideóq; tanquam ex impuro fonte non potest hinc quicquam perfecti promanare:Perfectum nisi sit opus nostrum, Deus nihil tenetur illi reddere: nisi fortè mortem & condemnationem ob id ipsum, quia perfectum non est: & interea gloriatur de dignitate sua peccator. Quænā sint hominum merita.

Idem dici potest ad distributionem illam congrui, digni & condigni. Ignota sunt illa sacris literis & arrogantiam humanam alunt,derogant dignitati gratiæ & merito Christi. Ideóque cum authoribus sunt explodenda. Nulla est congruitas,nulla dignitas,nulla etiā condignitas ad præmia consequenda in nobis: ad pœnas autem,summa omnia sunt.Ideóque rectè dixit August. Nemo merito suo saluatur: sed merito nostro omnes condēnamur. Modestè de se Iacob sentit dum ait,Gen.32.Minor sum omnibus miserationibus & omni veritate,quam fecisti cum seruo tuo, quia in baculo meo transiui Iordanem istum, & iam factus sum in duas turmas. Vera August.sententia.

4. Et applicatio illa meritorum, vanior est, quàm vt mereatur longiorem refutationem:Inuertit enim rerum ordinem. Apost.ad Rom. 9. inquit de Iacob & Esau illum electum, hunc verò reiectum antequam quicquā boni vel mali egissent. Vbi nulla actio est, quomodo actionis statui potest dignitas aut meritū?Nec Deus ideò elegit,quia pręuidit bonis operibus fore intētos:sed quia elegit,ideo bonis operibus intenti erunt.Opera.n.fructus sunt fidei &electionis nostræ: ideóque comprobare illis electionem nostram debemus. Opera sunt fructus fidei.

Reliquæ neniæ de meritis supererogatiuis,& quantum viuis & mortuis prosint,ineptiores sunt,& risu excipiendę potiùs.Reuertamur nos ad sacras literas, quæ de operibus nos ita instituunt.

Primùm opera bona esse necessaria.

1. Etenim Deus vbique illa tam studiosè præcepit, vt pœnas vbique graues non bene agentibus constituerit: Argumento est totus decalogus.

Deinde testimonia sunt fidei, vt bonæ arboris bonus fructus, de quo disserit copiosè D.Iacobus cap. 2. certum enim est fidem inanem esse battologiam & tumidā iactantiam, sine bonis operibus. Vsus bonorum operum.

3. Adde quòd summè sint necessaria vitę humanæ, quæ ita ordinata est, vt mutua alterius operâ nō possit alter carere.Esurit frater tuus, cibandus est, vel ipsa humanitatis ratione. Friget & nudus est, vestiri debet.Errat,reduci pia institutione debet.Vicinus tua eget opera, iuuare debes.Nemo enim in omnibus sibi ipsi sufficit.

4. Accedunt iudicia Christi,seueriter damnantis steriles: & spem remunerationis solùm benè agentibus relinquentis: qualia sunt illa, Arbor quæ bonos fructus non fert,eradicabitur.Mat.7.& ficui sterili maledicit, Mat. 21. ibidem colonos negantes hero fructus vineæ,

M.ij.

malè perdet. & Ioan. 15. palmitem non ferentem fructũ tollet, hiſque ſimilia infinita ſunt.

Secundò docent ſacræ literæ bona opera habere mercedem, Mat. 5. *Gaudete, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Ibidem eleemoſynam dandam non in propatulo, vt mercedem in cœlo habeant. Mat. 10. *Qui dederit vni ex minimis hauſtum aquæ frigidæ non perdet mercedem ſuam.*

Tertiò mercedem iſtam nõ eſſe meritoriam: ſed pro liberali Domini gratia conferri, nõ reſpectu illius dignitatis operum noſtrorum. Rom. 11. *Si ex operibus non ex gratia* Ep. 2. *Gratis ſeruati eſtis, idque non ex vobis, ne quis glorietur.* Luc. 17. *dicite, ſerui inutiles ſumus*, ex quo efficitur nihil nos mereri, & ob id opera non eſſe meritoria Eſa. 64. menſtruato panno iuſtitiam noſtram confert. & Dauid ait Pſa. 143. *Domine ne intres cum ſeruo tuo in iudicium, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis caro.* & Iob. 9. *Si iuſtificare me voluero redarguet me os meum.*

Opera bona nõ ſint meritoria.

Quare ſeriò ſtatuendum eſt opera non eſſe meritoria. Etenim ratio ipſa dictat, nullum poſſe opus à corrupta natura præſtari, quod Deo ſatisfaciat: nam ſi tale quoddam eſſet, non fuiſſet neceſſum filium Dei naſci. Quandoquidem igitur obſcurant aduentum & incarnationem Chriſti, ideóque totum illius beneficiũ in redimendo humano genere, meritò damnata eſt tota illa conficti meriti doctrina.

Sed & patres ſeriò eandem doctrinã damnant, quoties viderunt illam Chriſti beneficio detrahere. Hieron. in cap. 14. Ezech. citãs illud Pſalmi. Bonũ eſt confidere in Domino, quàm confidere in principibus: addit, non in principibus ſolùm ſeculi: ſed etiam in principibus Eccleſiarum: qui ſolùm ſuas animas ſaluare poſſunt: filios autem & filias Eccleſiæ ſi negligentes ſint, liberare non poſſunt.

Auguſtinus in confutandis Pelagianis diligenter ſupercilium hoc meritorum deprimit, vt videre eſt epiſt. 105. 106. aliiſque locis. In Enchiridio idem ait. Miſeretur (Deus) magna bonitate, obdurat nulla iniquitate: vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur: nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia diſcernit redemptos à perditis: & in eodẽ, Intelligendũ eſt igitur etiam ipſa hominis bona Merita eſſe Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur? Et alibi frequẽter Auguſt. meritis laruã detrahit, in primis contra Pelagianos diſputans.

Baſilij eſt elegans ſententia ad eandem rem, quam non pigebit coronidis loco adferre.

Πρόκειται ἀνάπαυσις αἰωνία τοῖς νομίμως τὸν ἐνταῦθα διαθλήσασι βίον· οὐ κατ᾽ ὀφείλημα τῶν ἔργων ἀποδιδομένη: ἀλλὰ κατὰ χάριν τοῦ μεγαλοδώρου θεοῦ, τοῖς εἰς αὐτὸν ἠλπικόσι παρεχομένη, hoc eſt, propoſita eſt requies æterna, his qui legitimè vitam hanc certaminibus peregerunt: non ſecundum debita operum diſtribuenda: ſed ſecundum gratiam mirifici Dei, his qui in ipſum ſperarunt exhibenda, &c.

Teneamus ergo opera neceſſaria eſſe in hac vita, non tamẽ eſſe meritoria, quoties res noſtra ad Dei tribunal eſt examinanda: ſolum autem Chriſti λύτρον ibi meritorium & perfectum cenſeri debet, &c.

DE OPERIBVS.

LOCVS XXVIII.



MALE de pietate merentur, qui res apertas & explicatas in ſacris literis, obſcuras reddunt & tradendo implicant.

Falſa Scholaſticorũ opinio de operibus.

Qualia ferè ſunt præcipua capita religionis noſtræ, in primis verò locus de operibus. Doctrina enim de operibus noſtris in Apoſtolo perſpicua eſt & plana: apud Scholaſticos verò admodũ obſcura. Nam docent, homines iuſtos effici propriis operibus: ac vt id obtineant, affirmant rationem humanam ſua natura poſſe diligere Deũ ſupra omnia, ſine afflatu Spiritus ſãcti. Deinde, per actũ elicitę dilectionis præparari nos ad gratiã, per antecedẽtia opera: hinc ex Condigno augeri gratiã, quæ detur neceſſitate immutabilitatis. Et cùm videant opera noſtra admodum infirma eſſe, dubitationẽ adiungunt, & palàm iubent dubitare de gratia, &c. Hæc & ſimilia fœdarunt doctrinam de operibus, quæ alioquin manifeſta & perſpicua eſſet in Apoſtolicis literis.

Vera ſententia de operibus.

Dicamus igitur quid opera ſint: deinde quę ſint illorum genera: & tertiò, illa non iuſtificare: non quidem ſua culpa, ſed quòd à nobis imperfectè ſemper præſtentur. Etenim ſi perfecta eſſet obedientia noſtra, qualis eſſe poterat ante lapſum Adæ, his diſputationibus non opus haberemus: nunc verò cùm natura tota ſit corrupta, & inutiles ſimus ſerui, ſi vel omnia fecerimus, oportet fateamur quoque, mãcam eſſe totam obedientiam, quam præſtamus Domino, ſine Chriſto.

I. Opera igitur dicuntur actionum effectus ad certum aliquem finem relati, vt domus,

mus, effectus est ædificantis, quæ relinquitur ad cultum diuinum, vel vt inhabitetur. Sunt etiam ipsæ actiones opera: vt colere Deum, eleemosynam dare, diligere proximum, benefacere egenti. Sunt igitur opera actionum tum effecta, tum ipsæ actiones, certo fine institutæ.

II. Operum alia sunt separata ab actionis tempore, vt quę post actionem durant, vt eleemosyna pauperi præstita, ædes constructa in honorem Dei, &c. Alia post actionem non durant, sed desinunt ferè cum actione, vt peregrinari, cantare, legere, docere. Deinde alia sunt interna opera, vt dilectio, spes, adoratio cognitio Dei. Alia externa, qualia suprà diximus eleemosynam, templum, &c. Diuisio operum.

Est & illa operum varietas, quòd alia sunt naturalia, vt edere, vigilare: alia artificialia quæ industria hominis in singulis artibus peperit. Et hæc vel moribus inseruiunt, qualia sunt Ethnica opera. Alia rei domesticæ. Alia Reipub. Alia religioni seruiunt, quę in genere ceremonialia dicuntur: quibus diuersi, modis diuersis, Deum colere instituunt.

Demum opera alia iustificationem antecedunt, alia eam comitãtur, alia eandem subsequuntur. Præcedunt iustificationem in homine tam naturalia, quàm artificialia, quæ omnia tamen à causa iustificationis secludimus. Comitatur iustificationem, illuminatio spiritus sancti. Consequuntur illam, fructus fidei & renati hominis actiones.

III. Iam quoties solet quæri operáne iustificent? quæstio instituitur de operibus nostris quæcunque antecedunt iustificationem, & quæ nos afferimus de nostro, de quibus meritum aliquod ac debitum oriri posset. Quod addimus ideò, quia antecedunt Dei opera in nobis iustificandis, de quibus tamen nos gloriari non possumus, nec ad eum numerũ operum pertinent, quæ nostra dici solent. Idem dicimus de operibus his, quæ cum iustificatione coniunguntur. Illa aut Dei sunt, aut nostra. De Dei operibus nos meritum nullum nobis elicimus, ideóque de his quæstio non est, non enim illa excludimus. Sin nostra sint opera. siue ceremonialia, siue moralia, non iustificãt. His ita constitutis, dicimus opera non iustificare homines, in Dei conspectu. An opera iustificent. Opera non iustificant.

Nec dicemus hîc quicquam amplius de obscuritate doctrinæ aduersariorum: quàm minimè cohæreat: impossibilia proponat, incredibilia doceat, peccet etiã in decorum hominis, quod coram Deo suo debeat obseruare: quámve sit nocens & inutilis: sed Apostolicæ doctrinæ filum sequemur, ac inde proponemus rationes, quæ hoc infallibiliter demonstrãt.

In epistola igitur ad Rom. cap. I. 2. & 3. ac quarti initio, ista extãt argumenta, quæ inter explicandum obseruauimus, ad hunc autem locum iam ordine referre est visum.

Primo capite igitur ver. 18. *Ira Dei reuelatur aduersus omnem impietatem & iniustitiam.* Quod diximus perinde esse, ac si diceret, aduersus omnes iniustos & impios. At tales natura omnes sumus, Iob 15. *Nec infans vnius quidem diei, purus est coram te*, &c. Itaque si examinemur secundum naturam operum nostrorum, tales reperiemur, contra quos declaratur ira Dei cœlitus, non igitur illis iustificabimur.

2. Eodẽ cap. v. 18. addit, *Veritatem Dei in iniustitia detinentium.* Veritas Dei est Christus, & in præsenti quæstione veritas Dei est, quæ docet deleri peccata nostra propter Christum. Esa. 43. *Ego sum qui deleo peccata tua propter me*, Et Esa. 37. *Propter me, & seruum meum Dauid*, &c. Hæc veritas Dei detinetur in iniustitia, dum docetur acquiri nostris operibus, quæ mera sunt iniustitia, & tanquam pannus menstruatus.

3. Versu 19. & sequentibus à plena distributione, Homines non iustificantur operibus quæ respectu Dei præstant, nam impij & ingrati Deo deprehendimur esse. Deinde nec illis quæ respectu nostri corporis præstamus, qui multis modis corpora nostra polluimus. Denique nec illis quæ præstamus proximo nostro quò pertinent, illa quæ ad finem primi cap. prolixo catalogo enumerat. Ergo nullo genere operum iustificari possumus.

4. Vers. 20. eiusdem cap. præclarissima opera nos inexcusabiles reddunt: Ergo magis reliqua opera inferiora. Antecedens probatur ex ver. 21. Consequens verum est, quia quod magis inesse videtur non tamen inest, ergo nec illud quod minùs videtur inesse inerit. Axioma Aristotelicum.

5. Vers. 32. eodem capite, *Quicunque talia faciunt digni sunt morte.* At omnes talia faciunt. Ergo omnes digni sunt morte. Facere autem de tacitis etiam cogitationibus animi vsurpat Apostolus. Itaque hîc nemo elabi potest.

6. Vers. 32. Æquitas publica hoc postulat, vt is qui committit id quod in aliis damnat in eadẽ causa, damnetur. At omnes tales sumus, damnamur igitur æquitate ipsa mundi. Huc pertinet initium capitis secundi. ver. 1. & 3.

7. Cap. 2. vers. 2. *Iudicium Dei est secundùm veritatem*, hoc est, iustitiam perfectam exigit, nec patitur hic quicquam decedere, nec falli potest, nec flectitur aliis rebus, quasi dicat, secundùm legem directè pronuntiat, vt aut impleas legem perfectè, aut damneris. At perfectè impleri non potest, & iudex flecti non potest, sed veritatem sequitur. Ergo operibus non possumus iustificari.

8. Cap. 2. v. 12. Omnes aut peccamus sine lege, aut secũdũ legem: sed nec isti, qui sine lege peccarũt excusabiles sunt, sed pereunt sine lege, vt illi secundùm legem damnantur, nemo igitur est qui operibus saluetur.

9 Cap.2.ver. 13. *Non auditores, sed factores iustificantur*, hoc est, qui plenè complent legem, & illi satisfaciunt: quales nulli operibus iustificantur: cùm omnibus magis auditores quàm factores esse deprehendamur.

10. Cap.3.vers.9. *Omnes pariter sunt sub peccato Græci & Iudæi.* Plena est enumeratio hominum, qua constituit omnes mortales peccatores. Ergo, operum respectu, quomodo iustificabuntur?

11. Apostolus ex scriptura probat, neminem reperiri in conspectu Domini, qui bonum faciat. Psal. 14. *non est qui faciat bonum, ne vnus quidem*: quod testimonium cum aliis ad omnes Iudęos accommodat: quia his loquitur quibus lex data est: tamen nos à Maiori facilè idē cōtra omnes mortales inferimus. Inter Iudæos, quibus lex data est, nullus repertus fuit, qui faceret bonum perfectum, ergo multò minùs apud Gentes. Ac particula, *qui faciat bonū*, intelligatur sufficienter bonum, alioquin ciuiliter bonum faciebant: quod tamen in conspectu Domini bonum esse desinebat, quia imperfectum & insufficiens erat, & ideo non erat, id quod tamen videbatur esse.

Doctrina de merito operum Dei gloriam minuit.

12. Cap.3.v.19. *Ideo non ex operibus, vt omne os obstratur*, hoc est, tollatur omnis gloriatio. sic ad Eph.2.v.9. *non ex operibus ne quis glorietur.* Nam quamdiu nostris meritis aliquid ascribi potest, tandiu laus & gloria Deo in solidum non ascribitur: sed portio aliqua salutis, nostra est, quam de nostris afferimus facultatibus. Hanc arrogantiam & supercilium iactantiæ, Dominus præscindit, ideóque nihil operibus nostris concedit.

13. Ibidem à fine sic colligitur, vt totus mundus sit ὑπόδικος Deo, hoc est, declaretur iure damnatus. Is enim ὑπόδικος alterius dicitur, qui ad sui defensionem nihil habet quod afferat: sed iustas pœnas fateri cogitur. Quare si ex operibus aliqua esset iustificatio, mundus totus non esset ὑπόδικος Dei iudicio. Sed totus mundus agnosci debet ὑπόδικος, & de suis viribus desperare debet: Ergo non ex operibus vlla est portio iustificationis.

14. Cap. 3. v. 20. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro in conspectu eius.* Perspicua est ratio contra meritum nostrorum operum. Diximus autem aliâs vniuersalem esse negatiuā, hoc est, Nullus homo iustificatur ex operibus legis. Corruit tota operum strues, quia nemo eximitur, deinde opera quoque damnantur, vt imperfecta extra Christum. Vniuersaliter enim loquitur de legis operibus: vt scias omnia dānari, nempe operibus scriptæ legis, naturalis legis, vel moralis, vel ceremonialis, nullo modo iustificari hominem impium. Summa, nulla sunt vllius legis opera, quæ ad causas iustificationis admitti possint, tāquam efficientia per se.

15. Cap.3.ver.20. A natura legis, quæ est monstrare peccatum, non tollere. Aliud enim est indicare peccatum, aliud tollere peccatū. *Per legem*, inquit, *est agnitio peccati*, quasi dicat, nō confert iustificationē: sed monstrat quantùm absimus à vera iustitiæ laude.

16. Cap.3.ver.21. *Nunc verò absque lege patefacta est iustitia Dei*, hoc est, sine operibus legis iustitia Dei nos iustificans patefacta est in Christo Filio Dei. Itaque opera non sunt causa sine qua non iustificamur. Confertur enim salus sine operibus.

17 Cap.3.vers.23. *Omnes peccarunt, & destituuntur gloria Dei*: quòd omnes peccarunt, omnes reos mortis facit: quòd verò destituunturgloria Dei, inhabiles & ineptos ex sua natura significat ad iustitiam assequēdam. Gloria enim Dei est, quæ homini erat necessaria ad iustitiam corā Deo. Qualis erat primæua illa innocentia, & naturæ integritas, illa omnes destituuntur. Aut certè gloria Dei est, vera causa iustificationis, quę valet corā Deo, quæ Christus est, *vnus enim mediator est Dei & hominū*, hoc destituūtur omnia opera nostra, suâ naturâ: quare ex illis iustificari nō possumus.

Gratis iustificari, & operibus iustificari opponūtur.

18. Cap.3.ver.24. Iustificamur gratis illius gratia, per redemptionē, quæ est in Iesu Christo. Plana est sententia Apostoli, quæ simpliciter dignitatē operum euertit. Qui enim gratis iustificantur, hi non possunt dici operibus iustificari: sunt enim contraria apud Apostolū, Gratis & Operibus iustificari: quorum altero posito, semper tollitur reliquum. At Apostoli sentētia diuina est, affirmātis gratis nos iustificari. Igitur falsa est propositio, quæ dicit operibus nos iustificari. Sic ad Ephes.2.loquitur, *gratia illius estis saluati.* Et ad Tit.3. *Iustificati illius gratia.* Quicquid gratiæ ascribitur, hoc illius opposito, operibus detrahitur. Sed iustificatio gratiæ Dei ascribitur: Ergo eadem operibus detrahitur. Itaque operibus minimè iustificamur.

19. Cap.3.ver.24. addit, vt manifestiùs excludat opera, ne dicas gratiam hanc dari operibus, vt possint per gratiam, quod per naturam non poterant, respondet quid respiciat illa gratia: redemptionem quæ est in Iesu Christo. Itaque palam est nos iustificari per gratiam respectu meriti Christi, nō respectu operum, quæ in hoc gradu nullam habent gratiam.

20. Cap.3.vers.25. Deus proposuit Christū vt esset ἱλαστήριον per fidem in sanguine ipsius Sonat ἱλαστήριον, propitiatorem, qui dissidentes partes componit. Deus & homo dissident, quia per peccatum homo recessit à Deo: medium reconcilians homini Deum vnum, est Christus: & hoc ipsum, est hominem ad iustitiam amissam reducere, & iustificare. Firmum igitur argumentum est, Christus filius Dei fide apprehensus, est vnicum ἱλαστήριον, ergo idem

dem non sunt opera. Non enim duo sunt propitiatoria in nouo Testamento: quemadmodum nec duo fuerunt in veteri.

21. Ibidem excludit opera à dignitate iustificationis respectu nostri. Nam Dei quidem respectu vnum est propitiatorium: sed nostri respectu quid si aliud sit? respondet, nostri respectu quoque vnicum esse, & tale quod gloriam Christo tribuat, meritum illius sibi applicet, non dignitatem propriam quærat: sic igitur colligit, Nostri respectu medium iustificationis tale est constituendum, quod meritum Christi per sanguinem ipsius apprehendat: sed hoc fides, non opera nostra, præstat. Ergo fides in sanguinem Christi, non opera nostra, nos iustificat.

22. Ibidem, Ratio firma est, cur non ex operibus iustificemur: quia in illo quærit Deus declarationem suæ iustitiæ, non nostræ: *ad declarandam*, inquit, *iustitiam suam*: & sequẽti vers.26. *ad declarãdam iustitiam suam in hoc seculo, vt sit ipse iustus: & iustificans illum qui est ex fide Iesu.* Hoc non admittunt opera, sed declarant iustitiam nostram: vt illa nulla sit, gratis id fit, vt declaretur iustitia Dei.

23. Ibidem *Iustitia Dei declaratur per remißionem peccatorum præteritorum in tolerantia Dei:* firma est collectio, remissio est peccatorum nostrorum, ergo non est satisfactio per opera. Pugnant enim ista duo. Huc facit quòd credimus remissionem peccatorum in Symbolo: quæ omnino excludunt satisfactionem nostram. Christus quidem satisfecit, sed illi nihil remissum est, quia nihil peccauerat, nos autem simul satisfacere pro peccatis non possumus, & credere remissionem peccatorum. Vbi enim est satisfactio, certa est abolitio peccati: at non est certa abolitio, quia aduersarij ipsi dubitare nos iubent de salute: quod non aliunde fit, quàm quòd vident operibus malè committi salutem nostram, cùm vndiquaque sint imperfecta & manca. Valet igitur argumentum, Deus per suam iustitiam remittit nobis gratis peccatum, ergo nos pro eodem non satisfacimus operibus nostris.

24. Cap.3. v. 27. *Vbi igitur est gloriatio? exclusa est, per legẽ fidei.* In iustificatione nostra, quæritur solius Dei gloria, ergo de illa hominis debet excludi iactantia. Excluditur autem non per opera, ergo operibus non iustificamur, cùm in solidum non reddant Deo honorem. Nec est quòd hîc opponant cæremonias & moralia, sed in genere omnia opera, qualiacunque sint, quæ homini tribuunt dignitatem aliquam, motus cordis, adeóq; ipsa fides, quatenus est qualitas inhærens homini excludit Apostolus. Oportet enim Deo planè tribuere laudem suam, vt de illa, homini nihil reliquum maneat. Sola fides apprehẽdens Christi meritum, excludit gloriationem, ergo ea sola opponitur operibus omnibus, quæ non iustificant. Fides iustificat: opera confirmant gloriationem: paria antitheta sunt.

Fides quatenus est qualitas inhærẽs homini nõ iustificat.

25. Cap.3. vers.28. *Colligimus igitur fide iustificari hominem sine operibus legis.* Fides operibus iterum opponitur in re eadem. Fides sine operibus præstat, ergo opera idem non præstant sine fide, vel cum fide. Nam duo hîc cauenda sunt absurda. Primum, quòd opera cum fide concurrant in hoc negotio. Alterum, opera seorsim præstare posse sine fide. Vtrunque remouet hæc sententia. Fide iustificamur sine operibus. Ergo antecedẽtia opera iustificationem non præstant, fides enim nondum adest, quæ est causa sine qua non. Coniuncta quoque opera non præstant, quia dicit Apostolus, *fides sine operibus*. Nec est quòd vocem legis vrgeas: nam de lege in genere loquitur, vt hactenus frequenter, in hac disputatione.

26. Cap.3. vers.29. Si opera iustificarent, facerent hoc opera legis Mosaicæ in primis: sed non faciunt hoc. Quia Deus idem etiam Gentium Deus est: ex quorũ numero, saluat quos vult, per fidẽ sine operibus. Nec enim par est, vt cogitemus alium esse modum iustificandi Iudæos, & alium, quo iustificet Gentes. At si Iudæos, lex Mosis iustificaret, Gentes per aliũ iustificari, necessum esset: cùm eis lex data nõ sit. Itaque addit *sine operibus*, vt vnus & idem sit modus saluandi vtrósque.

Eodem modo Gentes & Iudæi iustificãtur.

27. Cap.3. ver.31. Lex per opera non impletur, igitur per opera non iustificamur: hoc Apostolus per contrarium extulit affirmatiuè. *Lex per fidem stabilitur*, igitur per fidem iustificamur. Itaque à contrario valet idem contra opera, lex per opera non stabilitur: ratio est, quia nemo illi satisfacit. Itaq; certũ est, quòd per opera non iustificemur.

28. Cap.4. ver.2. Ab exemplo Abrahæ: *si Abraham iustificatus esset per opera, haberet quod gloriaretur*: sed non habet quod glorietur. Igitur operibus non est iustificatus. Idem in genere valet contra omnium hominum opera. Si iustificaremur ex operibus, haberemus quod gloriaremur, sed non habemus, igitur non iustificamur operibus.

29. Cap.4. ver.4. Quæ per opera acquiruntur, dantur debito ac merito: sed iustificatiõ nõ datur nobis debito, sed gratia, igitur operibus non acquiritur.

30. Cap.4. vers. 5. *Ei qui nihil operatur, iustificatio per fidem confertur, quia credit in eum, qui iustificat impium.* Certum igitur est sine operibus dari iustitiam illam Dei.

31. Cap.4. vers.6. *Beatus est, cui Deus imputat iustitiam absque operibus.* Itaque beatitudo sine operibus confertur non imputando peccata quæ commissa sunt.

32. Cap.4. v. 8. Peccata remittuntur imputatione, igitur non merito operum.

33. Abraham in præputio iustificatus est: ergo sine operibus: nulla enim sunt, quibus

ſcriptura hoc aſcribat: circumciſioni etiam aſcribi non poteſt: quia iam obtenta fuit iuſtificatio: cui acceſſit fœdus, tanquam ſigillum. Sic nos in genere colligimus non iuſtificamur operibus antecedentibus iuſtificationē, quia non ſolùm impia ſunt, ſed imperfecta, ſi quid boni admixtum habeant, cùm ad iuſtificationem requirantur opera perfecta. Sequentibus verò iuſtificari non poſſumus, quia poſteriora ſunt: & ob id, rei antecedentis tempore non poſſunt eſſe cauſa. Coniunctis quoque non iuſtificamur, quia Apoſtolus manifeſtè inquit, *fide ſine operibus.*

Argumentum à ſufficienti partium enumeratione.

34. Cap. 4. verſ. 16. *Sine operibus, vt firma ſit promiſsio.* Nam operibus non poteſt firmiter inniti, cùm lubrica ſint, & magna imperfectione laborent etiam in ſanctiſſimis. Hinc Scholaſtici coacti ſunt excogitare dubitationem, quia ſua fundant in operibus: qua dubitatione non eſſet opus ſi ad fidem & gratiam Dei referrent beneficium ſalutis noſtræ, &c.

DE DVBITATIONE.

An certò ſtatui poſsit: quòd ſis in gratia, nec ne?

LOCVS XXIX.

Luc. 17.



CVM apud Lucam legitur, *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus, quæ debuimus facere fecimus:* Interpretamur illud de Chriſtiana modeſtia: qua pij omnibus ſuis operibus ſuam agnoſcunt imperfectionem. Contrà alij ex hac ſententia dubitationem induxerunt, quaſi de gratia diuina Chriſtus ſuos incertos eſſe vellet.

Quid ſit dubitatio.

Eſt igitur hîc dubitatio, incertitudo & hæſitantia de gratia diuina: vt cùm ſeruus omnia fecerit quæ iuſſit herus, tamen dubitat an gratus ſit hero, an filij loco illum habere velit. Scholaſtici dicunt, quòd dubitatio eſt motus indifferens in vtranque partem contradictionis, quemadmodum diſſerunt Philoſophi de probabilibus probabiliter, vbi vera demonſtratio, aut ſenſuum experientia, aut alia certa deeſt ratio.

Græci ἀπορίαν & ἐποχὴν appellant, niſi quòd ἀπορία magis ſignificat rationum inopiam, & conſilij incertitudinem, quia mens deſtituta firma ratione, non habet quo innitatur, & cui firmum præbeat aſſenſum.

Ἐποχὴ autem videtur magis voluntatis eſſe vitium, cùm rationibus certis & firmis contrariæ opponūtur rationes, ipſáque voluntas aſſenſum neutri parti addicit: ſed manet ſuſpenſum iudicium & deciſio, morbo quodam animi.

Et negari quidem non poteſt, nec debet, multa eſſe apud Chriſtianos etiam ambigua, de quibus etiam ſanctiſſimi non auſint facilè pronunciare, qualia ſunt myſteria ſacræ ſcripturæ plurima, & abdita conſiliorum diuinorum abyſſus. Sunt etiam multa incerta de quibus litigare quoque non decet, ſed quemad. de incertis non eſt litigandum: ita de occultis myſteriis non temerè pronuntiandum eſt, dubitare interdum poſſumus de multis, non quia diffidimus, ſed quia non intelligimus, hinc rectè illud apud Auguſt. legitur, Chriſtianus homo ad multa reſpondere poteſt, neſcio. Ratio eſt, quia multa ſunt myſtica, quę ſine periculo ignorare poteſt: multa leuia & incerta, de quibus litigare non vult.

Quędam dubitatio licita.

Cæterùm de gratia diuina dubitare, ſeu, vt illi loquūtur, nō poſſe certò ſtatuere an ſis in gratia, necne, alienū eſſe debet à piis hominibus.

Primùm enim ex Chriſtianis hominibus impios & leues facit Pyrrhonios, quales nec philoſophia vera poteſt ferre. Certa enim oportet eſſe & indubitata prima profeſſionis cuiuſque capita: qualia ſunt apud Chriſtianos Deum eſſe, Filium Dei pro nobis ſatisfeciſſe, & eam hoſtiam Deo patri eſſe acceptam, nóſue placere propter meritum Filij, ſi in illum credamus. Illa principia nobis hæc dubitatio tollit. Ita luſit in philoſophia Pyrrho, qui induxit ἐποχὴν, à qua dicti ſunt ἐφεκτικοὶ σκεπτικοὶ, ἀπορητικοὶ, illius defenſores, & ζητητικοὶ, quia multa haberent probabilia, nihil autem in quauis quæſtione certi, quod doctrinæ genus ſecutus eſt etiam Fauorinus celebris Academicus, vt eſt apud Galenum, de optimo genere dicendi. Sed quemadmodum ridiculum erat eos ἐποχὴν eò vſque tueri, vt dicerēt, non poſſe certò ſciri, ſol ne eſſet nec ne? ita turpe eſt Chriſtianum hominem velle dubitare de fundamento ſalutis ſuæ: quid enim in aliis firmi retinebit? dubitabit ſítne Chriſtus pro ipſo mortuus? fuerítne Chriſtus etiam in his terris? fuerítne etiam omnino? ſítne ipſe Chriſtianus? & ſítne ſimpliciter homo? quare doctrina hæc diligenter eſt cauenda.

De primis principiis nō eſt dubitandum.

Simile.

Deinde pernitioſum eſt dogma, eo quoq; nomine, quia beneficium Chriſti extenuat: imò tollit planè. *Chriſtus enim pro nobis mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis,* Rom. 5. quod beneficium vbique D. Paulus magnificè prædicat, adeò vt opponat hoc omnibus tentationibus: Quis (inquit)

Dubitatio Chriſti beneficiū extenuat.

(inquit) est qui condemnabit? *Christus est qui mortuus est, imò quisuscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis.* Rom. 8. *Item nulla nunc est condemnatio his qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carne mambulant: sed iuxta spiritum.* & 1. Cor. 1. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, iustitia & sanctificatio & redemptio.* & Ioan. Baptista clamat, *Ecce agnũ Dei qui tollit peccata mundi*: hoc beneficium totum in dubium vocare magna est impietas. Præterea consolationes veras tollit in afflictionibus, quomodo enim afflictæ mentes sese subleuabunt si dubitare debeant de gratia Dei? nulla certè satis firma afferri potest consolatio, quandiu dubitatio regnat. Hinc quoque tollitur vera Inuocatio. Quomodo enim inuocabunt seriò & ardenter eũ, de cuius gratia dubitant? Nascitur potiùs ex dubitatione desperatio, odium Dei, fuga, asotia, licentia vitiorum & quicquid etiam his maius dici & excogitari potest. Vnde enim desperatio Iudæ, nisi quia dubitat de gratia Dei? Quare vt certa sit nostra Inuocatio, vt firmę sint consolationes, & maneat Christi meritum in oculis nostris in ea existimatione, qua durare debet, dubitationem hanc oportet ex animis nostris profligare: & statuere, non iocari nobiscum Deum, sed loqui seriò, in scripturis sanctis, quando de messia, filio Dei, doctrinam patefacit.

Quàm pernitiosum sit dogma de dubitatione.

Tertiò, dubitatio ista de gratia Dei repugnat etiam fidei nostræ: quæ docet fidem esse firmum assensum, non opinionem leuem. Sic epistola ad Heb. ὑπόστασιν appellat & ἔλεγχον: quibus certitudinẽ quandam exprimit. Quemadmodum igitur βεβαίωσις non fert incertitudinem: sic fides vera non potest dubitationẽ de gratia Dei admittere. Aut doceant illi nos quomodo fides possit esse τῶν ἐλπιζομένων ὑπόστασις: id est, eorum quæ sperãtur subsistentiet, item ἔλεγχος ὀυ βλεπομένων, id est, eorum quæ non cernuntur demonstratio, & simul possit in cordibus fidelium regnare dubitatio illa de gratia Dei: quę est infidelitatis effectum & testimonium.

Dubitatio repugnat fidei.

4. Sed & Christus ipse nos certos esse vult, & minimè hæsitabundos, Mat. 7. Petite & dabitur vobis. Non iubet petere, & dubitare interea. Ita, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos non iubet dubitare.* sic Thomæ inquit, *noli esse incredulus, sed credẽs*, Ioan. 20. Sic Iob sine omni dubitatione inquit, *Scio quòd redemptor meus viuit.* Iob. 19. 1. Ioan. 5. *qui non credit Deo, mendacem facit eum*, & Rom. 5. *Iustificati fide pacem habemus apud Deũ.* Eph. 3. *per quem scilicet Christum audemus accedere per fidem ipsius.* & Eph. 2. *per illũ habemus aditũ vtrique in vno spiritu ad patrem: Et paßim tota scriptura*, hoc ipsum vrget vt sancti certi sint de sua electione.

Porrò quia aduersam partem tuentur, afferunt pro confirmanda dubitatione diuersa argumenta.

Argumẽta aduersariorũ pro confirmanda dubitatione.

Primùm enim dicunt Christi esse sententiã, Dicite, *serui inutiles sumus*, ex quo de salute certi esse non possumus ex eo ipso, quia inutiles sumus, etiam postquam omnia præstiterimus.

Respondeo, si salus ex nostris operibus sit metiẽda, vtriq; incerta esset: non enim satisfacimus iustitiæ diuinæ: & essemus omnium mortalium miserrimi.

Nunc verò cùm salus non ex operibus, sed ex merito Christi, & fide apprehendente hoc meritum, oriatur, firma erit salus: quare hinc argumẽtatur Apostolus: *ideò ex gratia, vt certa sit promißio.* Hanc certitudinem salutis, fides apprehendere potest, etiam abiecta confidentia proprij meriti: quod ipsum Christus iubet Luc. 17. Ideóque post omnia opera qualiacunque tandẽ sint, iubet fideles dicere *serui inutiles sumus*, hoc est, meritis nostris nihil promeremur, nisi mortem fortè & æternas pœnas: gratia verò Dei seruamur per Christi meritum, &c.

Deinde in Ecclesiaste legimus capit. 9. nec dilectionem nec odium cognoscit homo, sed omnia sunt ante eos. Vetus translatio habet, nescit homo an amore vel odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta: quod illis vehementer arridet ad hanc sententiam. Græcè obscurè versum est, καίγε ἀγάπη, καίγε μῖσος ὀυκ ἔστιν ὁ ἄνθρωπος εἰδώς. τὰ πάντα πρὸ προσώπου ἀυτῶν, hoc est, dilectio & odium non cognoscitur ab homine: omnia à conspectu illorum sunt scilicet abscondita.

Apud Hebræos aperta & dilucida est sentẽtia, *gam ahaua, gam sinea, en iadang haadam, hacol liphnehem*, hoc est, etiam dilectionem, etiam odiũ, non nouit homo: omnia ante eos.

Ostendit autem Ecclesiastes ibi, omnia administrari libera Dei dispensatione, sine ope hominum: adeo vt ex successibus etiã nõ possint agnoscere, sint ne in gratia apud Deum, an verò in odio: ratio illius est à communione fortunæ: quia impio & pio interdum communis est fortuna: domino & seruo sacrificanti & contemnenti sacrificium, similis rerum successus & prosperitas. Ideo ex illis externis, boni à malis separari non possunt: quæ sententia apertè colligitur ex contextu. Quare nihil planè loquitur de dubitatione piorũ. Nã quanuis illi cõmuni fruantur fortuna cũ impiis, imò, vt plurimùm deteriori sorte vtãtur: nõ tamẽ illi dubitãt de gratia Dei: habẽt. n. firmiora argumẽta, quàm illa externa, quib. adhæret mũdus.

Tertiò aiunt. Natura hominis per se inclinat ad dubitationem, non enim potest satis esse certa de misericordia, quin sollicitè quoque dubitet: præsertim cùm indies offendat Deũ. Et quia certum est peccatum displicere Deo, mens hominis, (cùm agnoscat se indies of-

fendere Deum per peccata) non poteſt nō dubitare de gratia.

Reſpondemus verum quidem eſſe, quòd natura per ſe habeat inclinationem dubitationis: ſed nō inde efficitur, quòd eadem dubitationis inclinatio ſit laudanda aut alenda. Multa enim in natura corrupta videmus, quæ naturalia ſunt, non tamen laudamus illa: qualis eſt inclinatio ad malum ſimpliciter, quæ etiam in piis ſæpe regnat, hinc illud Rom. 7. *Non enim quod volo, bonum facio: ſed quod non volo, malum hoc ago.* Et rectè quidem differunt de cauſa dubitationis, quæ oritur in natura ex peccato: quo dum offendimus Deum, conſequens eſt, vt incipiamus etiā dubitare de miſericordia: ita quidem ſe res habet in hominibus non regeneratis: ſed aliud eſt loqui, quid per ſe in homine ſit naturale: & aliud quid ſit laudabile & quid renatorum ſit proprium. Ideóque dubitationem libenter concedimus eſſe naturalem: ſed non eſſe laudandā. Quemadmodum odium Dei, deſperatio, naturalia ſunt in homine non renouato: non tamen quiſquam illa laudat aut alenda ſuadet: Ideóque renati & ſancti, dubitationi huic omnibus modis reſiſtunt: alunt ſpem & confidentiam. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Sic Ioannes inquit, *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi.* ſic Dauid poſt peccatum non dubitat de gratia & miſericordia Dei: ſed audit mox à Propheta, *Abſtulit Dominus peccatum tuum.* Sic poſt lapſum Adæ, Deus ſtatim iubet certos eſſe de redemptore cùm promittit Euæ ſemen quod debeat caput ſerpenti conterere. Huc faciunt omnes conſolationes ſcripturæ, vt dubitationem hāc, licet naturæ ſit innata, expellamus: & muniamus nos in periculis, nos non ab irato Deo percuti: ſed quicquid immittatur, totum illud eſſe benigni & clementiſſimi Patris caſtigationes, ne cum reliquo mundo condemnemur.

Dubitatio quanuis ſit nobis naturalis, nō tamen laudanda.

Quartò afferunt etiam illud. *Timor non ſinit nos eſſe certos de ſalute*, quod ſanè non verum eſt ſimpliciter. Nam timor filialis non tollit certitudinem. Timere debemus Dominum, vt non peccemus, & in eius rei certitudinem proponere nobis æternum decretum Dei contra peccatum, de pœnis impiorum & remuneratione piorum: ſic filius timet patrē & accommodat ſeſe ipſius voluntati: ſic Apocalypſis inquit, *Timete Deum, & date illi honorem*, cap. 14. Ita Solomon inquit, *Sapiens timet vt declinet à malo.* Item, *Initium ſapientiæ timor Domini.* & Pſal. 33. *Timete Dominū omnes ſancti eius.* Hic timor tantùm abeſt, vt certos eſſe non ſinat, vt hic ſolos certos reddat. Soli enim ſic timentes Dominum, laudare, adorare, rectéq; colere norūt. Nec alius cultus Deo gratus eſt, quàm qui à ſui timētibus illi offertur. Alius timor eſt ſeruilis, quo impij Deum timent, tanquam carnificem fures & latrones in magiſtratus manibus conſtituti: Huius timoris propriū eſt incertos reddere: ſed ſimul præcipitat in deſperationem. Sic Iudas aliter timet Deum poſt agnitū peccatū, & aliter Petrus poſtquā agnoſcit ſe peccaſſe. Priorem timor impellit ad deſperationē excuſſa ſpe & certitudine gratiæ diuinæ. Poſteriorem verò timor ad lachrymas compellit confirmato animo de gratia & miſericordia diuina.

Timor filialis.

Timor ſeruilis.

Iudas aliter timet & aliter Petrus.

Quintò proponunt etiam nobis argumentum philoſophicum, Quòd ſcire, contingit per demōſtrationem: ſed miſericordiæ Dei nulla eſt demonſtratio: ergo de miſericordia Dei nō poſſumus per ſcientiam ſtatuere, & ob id certi non eſſe, ſed dubitare debemus de illa.

Primùm, quod ſumunt, Scire fit per demonſtrationem, ambiguum eſt, non ſatis explicatè dictum. Philoſophi enim τὸ εἰδέναι, hoc eſt, Scire, confici aiunt ex cauſis: Scire enim, eſt rem ex cauſis cognoſcere: quæ ſi cognoſcuntur, dicuntur à prioribus cognoſci & ſciri: ſic medici febrim à prioribus cognoſcunt, cùm inſpiciunt eius cauſas. Secundò, fit etiam demōſtratio à poſterioribus, cùm ab effectis procedimus ad cauſam primā. Sic à poſterioribus cognouit Ariſtoteles vnicum eſſe τὸ πρῶτον κινοῦν. i. vnum primum mouens: & ob id mundi gubernationem non poſſe multos ferre deos.

Duplex demonſtratio.

Tertiò ἐμπειρία quoq; ſcientiā facit: ſic pueri ſciunt ignem vrere, quia aliquoties id experti ſunt, poſteà cauent, etiamſi rationem non poſſint reddere cur hoc fiat: ſic apud medicos bona pars pharmacorum per experientiam ſunt conſtituta.

Hanc autem ſententiam philoſophicam, illi malè applicant in hac quęſtione. Nam dum aſſumūt, Sed miſericordiæ Dei nulla eſt demonſtratio, falſum aſſumunt. Demonſtratiuum enim eſt in ſacris: Quicquid Deus promiſit verum eſt: item, Quicquid Deus dixit, ſine abſurditate, verum & firmum eſt: oracula enim diuina loco ſunt ἀποδείξεως. Iam Deus iubet nos eſſe certos de ſua voluntate: ergo certò ſciri illa poteſt: & ob id ſcientiam eius habemus.

Cognoſcitur autem Dei voluntas ex illius verbo, in quo ſe nobis promiſit propitiū, modò conuertamur ad ipſum. Proponit ſeipſum φιλάνθρωπον, id eſt, hominum amantem, & nō noſtri negligentem, miſericordē, ſummè bonū & beneficum, quę ex ſacris literis collecta demonſtrationē efficiunt. Ergo Deus eſt clemēs & miſericors erga ſuos. Et quemadmodum animus acquieſcit ſine demonſtratione his, Bisduo efficiunt quatuor: Bis tria dant ſex: quia mens per ſe illa vera eſſe apprehendit: ita non minùs firmiter adhæret his, *Nolo mortem peccatoris*, inquit Deus: ergo Deus miſericors eſt, & ſuos non fallet. Chriſtus inquit, *Venite ad me & refocillabo vos*: ergo pij certi poſſunt eſſe de ſalute ſine omni dubitatione.

De Deo certā habemus ſciētiam ex eius verbo.

Quòd

Quòd verò illi apodixin philosophicam requirunt in rebus sacris, ostendunt leuitatem suam. Oportebat enim meminisse eos, in qualibet professione, demõstrationes adhibendas pro materia subiecta, & in his decere acquiescere. Sic Theologia & fidei negotiũ ad Deum pronũciata solum resoluit: ac dũ repetit apertum Dei verbum, nõ vltra progreditur. Galenus vtitur eo argumento cõtra Mosis & Christi scholã, quam demonstratione carere consimili modo impudenter affirmat: sed illi vt homini Ethnico dari venia poterat: non enim agnoscebat historiam Geneseos diuinitus inspiratã esse, sic de Christi schola ignorabat Filiũ Dei, & orbi hunc esse promissum Messiam, & scholæ illius discipulos habuisse doctorẽ Spiritum sanctum: ideóque illi absurdum id videbatur, Deum ex puluere equum posse excitare: ita absurdum erat pilos in palpebris ex alio humore constituere, quàm nũc sunt, quia Deo non tribuit plenam omnipotentiam, sed aptitudinem materiæ etiam illi necessariã esse. Contrà, Mosis demonstratio firmior & facilior est. Deus absolutè est omnipotens, ergo hominem ex nihilo, nedum equum ex puluere condere potuit. Galenus Christi scholam demonstratione carere affirmat.

Sic Christi schola doctorem habet Spiritum sanctum: ergo vera sunt quæ promittit. Hoc ignorauit doctus Galenus: ideóque demonstrationem requirit more philosophico: Sed nostris minùs dari potest venia, qui & illa fatentur, & in sacris Dei voluntatem ignorare non possunt. Ideóque minùs eos decet hoc argumento vti.

VI. Postremò vtilem aiunt hanc dubitationem, quia homo in formidine sic retineatur, si in neutram partem illi determinatio concedatur.

Sed nos occurrimus: totum hoc malè excogitatum esse contra scripturam.

Primùm enim dubitationem hanc, dicunt esse acceptionem vtriusque partis, deficiente iudicio. In quo sumunt id quod scriptura illis non cõcedit. Deficiente enim iudicio, rectè statuetur dubitatio: at pij non deficient iudicio: non enim deest illis Deus: & Spiritus sanctus, inhabitãs corda illorũ, illuminat mentẽ, vt iudiciũ non desit: ideóque illi certo & obfirmato iudicio statuũt se esse in gratia. Quomodo enim Stephanus pro Christi gloria moreretur, si deficiẽte iudicio dubitaret de gratia Dei? aut tot millia martyrum quo animo obiuissent mortem tam intrepidè, nisi certi fuissent de gratia Dei? Ideóque hypothesis illa falsa est, quam in definitione exprimunt, boni enim non deficiunt iudicio. Stephanus de Dei gratia nõ dubitauit.

Hinc sequitur alterius quoque membri absurditas, *vtriusque partis acceptio*: hoc enim esset fluctuare & ἀμφοτερίζειν: quod dubitationis quidem proprium est, sed non cadit in pium: qui solidior est, viro bono Platonis, qui ad omnes etiam casus fingitur tetragonus esse.

Et quòd addunt formidinem, dicimus formidinem, timorem seruilem esse, quo nõ sint onerandi pij: magna enim pietatis est ignominia, cùm dicimus pios timere Deum, velut tyrannum. Hinc rectè dixit Ioannes, *Timor non est in charitate: sed charitas perfecta foras eiicit timorem.* Quia timor ille cruciatum habet: affinis enim est desperationi.

Nec interea pios sine omni timore solutos fingimus: sed potiùs quòd Dei timor charitati iunctus in officio eos retineat, secundùm illud, *Timor Domini initiũ sapientiæ.* Atque in hac re nulla fingi potest vtilitas: quæ enim vtilitas esse potest, in re contra Dei verbum excogitata? Quòd enim in neutram partem concedunt determinationem, perinde impium est, ac superiora definitionis membra, Pios scilicet iudicio certo destitui in gratiæ certitudine: Deesse voluntatis diuinæ euidentem demonstrationem: Seruili formidini subiicere pios: ita hæc clausula minimè ad pios spectat, in neutram partem determinare posse. Ideóque rectè illi quidem definiunt dubitationem: sed piis ea in hac quæstione minimè cõpetit. Dubitatio est deficiente ratione acceptio vtriusque partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio. Ideóque dogma hoc quo iubent nos semper dubitare de gratia Dei & salute nostra, sedulò cauendum est. Nam vt de Deo dubitare vel de Christo, certissima mors est: ita dubitare an sis de numero electorum, primus est ad mortem gradus, &c. Pij non carent omni timore. Quid sit dubitatio.

DE SECVRITATE.
LOCVS XXX.



Ecuritas vox media est: cadit enim in bonos qui sub Domini tutela vbique securè viuunt, vt ait Dauid. *In Deum speraui, non timebo quid mihi faciat caro.* Itẽ, *Dominus mecũ est, non timebo quid mihi faciat homo.* Quid sit vox media. Psal. 56. Psal. 118.

Cadit etiam in impios, qui in peccatis suis securè degunt, nullásque pœnas Domini satis grauiter metuunt. Sic Domini dies mũdum securum opprimet, quando dicent, *Pax, pax, & tuta omnia, tum repentinus eos opprimet interitus.* 1. Thes. 5.

Sic apud Hebręos *betach*, Confidentia, sumitur eodémque modo bonis cum laude tribuitur: malis verò cum probro, significat autem *batach* bene sperare, confidere.

Apud Latinos securitas dicta est, vacuitas curæ, quasi dicas, sine cura, vel seorsim à cura, vt sit priuatio quædã curæ: quod sanè in hac vita fieri nõ potest, sine peccato. Iubemur enim cũ Quid sit securitas

timore & tremore salutem nostram operari.

Græci quoque priuationem agnoscũt in sua voce, appellant enim ἀσφάλειαν, apud quos σφάλλειν significat ἀπατᾷν decipere, πλανᾷν errare. Hinc σφάλμα idem quod ἁμάρτημα, & latina vox fallere ex illa græcorum σφάλλειν deriuata apparet. Hinc ἀσφάλεια quædam στέρησις τοῦ σφάλλεσθαι, priuatio erroris, plena securitas contra imminentia mala, quæ vis & ipsa rebus humanis non est salutaris.

Nos tales vocamus *Sorglosſ*, quasi sine cura viuentes, seposita & dimissa cura securè agentes: quæ significatio media est: nam piis cum laude: malis cum probro tribuitur.

Quid sit. II. Scholastici dicunt, Securitas est perfecta quies à timore. Est enim in ea quædam curarum vacuitas, quæ timorem pariunt.

Nos sic definiamus. Securitas est remissio curarum de periculis, quasi nulla sint, aut procul adhuc distent, & nos lædere non possint.

Remissionem dicimus, quia curas remittit necessarias, vt Græcis ἀσφάλεια accipitur pro ῥαθυμία. Obiectum, est periculum, quod non satis grauiter æstimat: peccant autem quia τὰ φοβερὰ aut nulla putat, aut procul adhuc distare, quod ei commune est cum audacia. Vtérque enim falsa vtitur opinione de statu suo, quasi satis præsidij in ipsis sit, vt periculum nó tantum sit, quantum vulgò dicitur, quod Aristot. eleganter dixit τῶν σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων, τῶν δὲ φοβερῶν, ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥω ὄντων.

Diuisio. III. Porrò aliter loquuntur de securitate Philosophi, qui ipsam beatam vitam in securitate ponunt: quam tamen magis quæsiuerunt, quàm inuenerunt. Hanc vocarunt εὐθυμίαν, vt est apud Cicer. lib 5. de finibus. Itaque multum differt securitas quatenus est ῥαθυμία ab illa vacuitate ægritudinis, quam securitatem, hoc est, εὐθυμίαν vocarunt. Nostra illa in defectu peccat: cùm εὐθυμία fœlicitatis apicem quærat in hac vita, postquam pleno iure fœlicitate fruetur: sic igitur statuamus.

Duplex securitas. Securitas naturâ suâ duplex est: vna vituperata, quæ curas remittit, vbi non oportet, quando non oportet, & quantùm non oportebat, &c. de qua hîc agimus. Alia verò honesta & electorum Dei, quę rectè dicitur εὐθυμία: atque est hæc imperfecta in hac vita, quia nouit pius se inter pericula semper versari, dum hîc viuit. Perfecta autem in vita æterna erit olim, ad quam pius semper aspirat.

Quærendum hîc in quos cadat primum illud genus. Respond. in impios præcipuè. Sunt quidem pij interdum non satis vigilantes & soliciti de periculis: sed in primis malos vrget hoc vitium. Primùm quia videntur sibi multa habere præsidia cótra mala imminentia. Deinde, si quid euenit, facilè habituros remedia quibus corrigi possit malum, confidunt.

Securitas impiorũ. Hinc potentes vt plurimum securè viuũt: quia inferiores facilè contemnunt, quo vitio laborarunt semper maximi exercitus, adeo vt à paruis copiis cæsi sint. habes Iudicum. 8. de Zeba & Salmuna, quos securos percussit Gedeon parua manu.

2. Item qui virtute præstant, diúque sese in his fœliciter exercuerunt. In his sæpe fit præsumptio, adeo vt magnitudo virtutis occasio illis fiat perditionis vt est videre in illis, qui sæpe enormiter & turpiter cadunt ex castitatis cursu, dum se satis contra tentamenta carnis tutos esse putant.

3. Præterea qui alta pace diu vsi sunt, nullos habent hostes, neminem videntur læsisse, securitate seducuntur. Exemplum habes Iud 18. Lais ciuitas secura est, quia remota ab aliis, & in alta sedebat pace, hanc occupant Danitæ, nihil tale metuentem.

Quæ securitas sit magis perniciosa. In primis verò perniciosa securitas est, contemptus iudiciorum Dei, quando homines non tanta iudicant peccata sua, & iram Domini contra peccatum, vt res digna sit aliqua correctione, aut cura grauiore: qualis fuit securitas tempore Noachi, & apud Sodomitas Lotho prædicante pœnitentiam: & in nouissimo seculo, quando Filius Dei expectabitur venturus iudex. 1. Thess. 5. *quando dicent, pax & securitas, tum repentinus illis imminebit interitus, quemadmodum dolor parturientis: nec effugient.*

Alitur hoc malum à falsis doctoribus, qui securitatem populi alunt, cótemptu iudiciorum Dei, qualia exempla semper fuerunt in falsis prophetis. vide Ierem. 6. *clamant, Pax, pax, & non est pax.* Item habes 8 cap. apud eundem. & Ezech. 13. Sed quærendum est etiam de εὐθυμία. h. e. illa securitate beatæ vitę, an cadat in hanc vitam. Piorum illa sola est: ideo nihil hîc mali gloriari possunt. Iactent illi suam politicam εὐθυμίαν, vt volent: vera animi securitas sanctorum est.

Ideo Prophetæ temporibus Messiæ accommodant, nec alibi plenius eã describunt, quàm cùm de Messiæ regno loquuntur. Vide Esa. 4 32 Zach. 14. Ezech. 28 34. & aliis locis multis.

Perfecta autem & absoluta in hanc vitam non cadit: ratio est, quia nulla hora satis tuta est, quin metuenda sit piis. Hostis etiam astutus & insidiator est vigilantissimus, vt leo rugiens: nec hoc pios latere potest.

Itaque in timore semper operantur salutem suam, & quanquã de Domini cura & defensione certissimi sunt: interim multa sunt, quæ eos sollicitos faciunt, vt fratrũ imbecillitas, Ecclesiarum cura, posteritatis ratio, & alia infinita ad quæ si mentem referant, securè non

possunt

possunt viuere.

Huc pertinet quod Augustinus scripsit Psal. 99. vbi securitas? inquit, Hîc nusquam, in ista vita nusquam, nisi in sola spe promissionum Dei. Vbi autem illuc peruenerimus, perfecta securitas: tum claudentur portæ. Et in sententiis illius refertur, Nunquam secura esse debet felicitas, quia sunt periculosiora animo secura, quàm corpori aduersa. — August. dictum.

Et lib. 10. confess. cap. 32. Nemo in hac vita securus esse debet, quę tota tentatio nominatur. Et Hiero. cap. 9. Dan. Securitas, inquit, negligentiam parit, &c.

DE INCREDVLITATE.

LOCVS XXXI.



INcredulitatem hîc appellamus vitium animi, quo verbo Dei inobedientiam præstamus: aut non satis grauiter de eius authoritate sentimus. Nam apud Græcos ἀπιστίας dictio plura significat.

Primùm perfidiam in rebus politicis, hinc ἄπιστος qui fidem non seruat in dictis & factis. sic Hesiodus vsus videtur hac voce, πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας: perfidia enim multos perdidit.

2. Videtur etiam tenacitas hac voce exprimi: vt in illo πίστει χρήματα ὤλεσα ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα: sic fide liberali amittuntur opes: tenacitate accumulantur.

3. Demùm in sacris literis vt plurimùm significat inobedientiam verbo Dei præstitam: quæ Græcis propriè est ἀπείθεια, in qua significatione infidelitas Latinis in vsu non est.

Apud Hebræos, ab effectis & proprietatibus hoc vitium nominatur rebellio, præuaricatio, irritatio, &c.

Nam apud eos *more* rebellem & contumacem hominem significat. Iere. 5. v. 23. *mored* verò præuaricatorem, qui sciens & volens cum quadam temeritate peccat, Ezech. 2. *Ad gentem te mitto hamoredim. more* autem est irritator qui sua malitia ad iram alios prouocat. Num. 20. v. 10. Audite quæso *hamorim.* & Deut. 1. v. 43. aliisque locis multis, quibus omnib. affectata malitia & ad peccandum propensa libido significatur, in iis scilicet qui voluntatem Domini nouerant: iustitiam autem Dei non faciebant, hanc duriciem cordis Christus Iudęis sępè obiicit: & in conterraneis suis admiratur. Mar. 6.

Augustinus videtur incredulitatē appellare, peccatum illud irremissibile, quo reliqua etiā peccata detinentur irremissa, vt est videre in enarratione Psalm. 109. vbi explicat verba Ioā. 16. ipse arguet mundum de peccato, quia non crediderunt in me, &c. exceptis aliis peccatis (inquit) quæ possent remitti per fidem: hoc vnum peccatum nominauit, quod si non admitteretur, omnia relaxarentur, & mox, Eò enim ipso quo venit & non crediderunt in eum, inciderunt in peccatum: quòd si nō inciderent, omnia cætera peccata dimitti possunt, per indulgentiam gratiæ impetratam per fidem. Ita in Sermo. 60. loquitur etiam de ἀπιστίᾳ: quia in eum credendo omnia peccata soluuntur, hoc vnum imputari voluit, quo cætera colliguntur.

Alij radicem appellant omnium malorum: nec malè: quandoquidem ex eo tāquam fonte, reliqua peccata redundant, vt est videre in Adamo & Eua. Quandiu enim verbo Dei πιστοὶ adhæserunt, omni peccato carebant: at fidem amittentes, à verbo Dei recedendo, in omne peccatorum genus prolapsi sunt, &c.

Hinc aliis placuit definire, sic Primam defectionem à Deo, quam deinde sequuntur reliqua vitia.

Verùm illi non satis exprimunt fontē mali: ideóq; sic definiam[*] ex Apost. ad Hebręos ca. 3.

Incredulitas est malitia cordis, recedens ab expressa Dei voluntate, iram Domini & pœnas æternas promerens. Apostolus inquit, πονηρίαν καρδίας ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος. i. cordis malignitas qua deficitur à Deo viuente. Et rectè vocat πονηρίαν. i. malignitatem, est enim durities animi σκληρότης, nobis natura inhærens καθ' ἣν ἀνυπότακτοι ἐσμὲν τῷ θεῷ. qua Deo minimè subiicimur, quare genus in definitione commodè indicauit Apostolus. Quòd autem in corde collocant hoc vitium, significant sedem mali huius, & cùm cor sit fons cogitationum & actionum, facilè perspici potest, corde infecto incredulitate, omnes cogitationes & actiones peccare: demū propria actio peccati huius adiecta est ἐν τῷ ἀποστῆναι ἀπὸ θεοῦ ζῶντος. Indicat hæc differentia quò sese referat incredulitas, & in quo sit efficax, nimirum vt relicto verbo Dei, liberè vagetur, vt equi amisso gubernatore. Nam vt fides est assensus verbi Dei, amplectens promissiones toto corde: sic ἀπιστία est quædam dissensio, contemnēs promissiones Dei, & recedens ab illius voluntate. — Vera definitio. — Simile.

Hoc peccatum non simplex est, sed habet aliquot gradus seu species, quas breuiter indicabimus. — Species incredulitatis.

Primùm generaliter dicuntur ἄπιστοι, hoc est, increduli, quos hodie infideles appellamus, qui extra Ecclesiam sunt, nec fuere vnquam nec esse volunt de numero credentium, tales hodie sunt Turcæ & Iudæi, qui planè Christum respuût. In his quidem est ἀπειθία, sed coniuncta etiam vt plurimum ignorantia. Talis fuit Paulus ante conuersionem: ideóque ἀπιστίαν quidem fatetur, 1. Tim. 1. sed per ignorantiam fecisse, quæ fecit.

Tales & nos fuimus olim ex gentibus, vt ait Apost. Tim. 3. *Eramus & nos olim ἀπειθεῖς*, hoc est, inobedientes.

Deinde specialiùs dicũtur ἀπειθεῖς, quibus singulari Dei beneficio offertur veritatis agnitio, quam tamen contumaciter respuunt, quales erant Iudæi bona parte docente Christo: sic loquitur Lucas Act. 24. Iudæi ἀπειθοῦντες. i. non obedientes concitarunt gentes contra fratres, & Act 26. de se Paulus dicit, Non fui ἀπειθής. i. rebellis cœlesti visioni, & Ioan. 3. ὁ ἀπειθῶν, qui filio non credit, non videbit vitam æternam: sic puto Christum prædicasse spiritibus ἀπειθήσασι, 1. Pet. 3. & de Ioanne apud Luc. 1. *conuertet* ἀπειθεῖς. i. rebelles *ad prudentiam iustorum*.

Iulianus Apostata

Tertiò, illi etiam qui receperunt cognitionem, sed ab eadem deficiunt, propriè perfidi sunt: ἀποστασία est ἀπιστία: quò pertinent illi qui fuêre, sed esse desierût boni: qualis in Christianismo fuit Iulianus, aliíque, & Iudæi in fœdere Dei perfidi. Recesserunt enim semper à vero Deo ad idola: quod Prophetæ illis obiiciunt.

Quartò, qui moribus suis professioni susceptæ non respondent, qui Curios simulant & Bacchanalia viuunt, qualis hodie bona pars est Christianorum, luxu, ebrietate, scortatione, periuriis, blasphemia, vsuris, perdita: propterquos nomen Dei malè audit & apud exteros, qui seriò declarant se Christiani nominis nullam habere curam.

Quintò, sunt ὀλιγόπιστοι, qui volunt esse de numero: sed vacillant in aliqua aut pluribus causis. sic Mar. 9. Pater lunatici inquit, *credo Domine, succurre*, τῇ ἀπιστίᾳ μου, & nota est discipulorum Christi in hac parte ὀλιγοπιστία.

Sextò, sunt alij etiam δύσπιστοι, hoc est, morosi in negotio fidei, qui obstinatis quoque proximi vidẽtur esse, qualis Thomas est, Ioã. 20. cui Christus ait. Ne sis ἄπιστος sed πιστός, hoc est, ne sis pertinax in obstinatione, sed ad credendum facilis. & Mar. 16. post resurrectionem Christus obiicit discipulis ἀπιστίαν: quòd his qui Christum resurrexisse annuntiauerãt, non credidissent, qua in re se morosos & ad credendum difficiles declarabant.

Fructus incredulitatis.

Fructus huius inobedientiæ seu incredulitatis multi sunt. Primùm enim facit duros & obstinatos: vt non facilè cedant de conceptis opinionibus: ac impossibile & absurdum æstiment quicquid ipsorum opinioni repugnat. hinc Matth. 28. etiã cùm vident Christum post resurrectionem, quidam adhuc dubitant. Ita Thomas ridebat quicquid de Christi resurrectione diceretur, Ioan. 20.

Deinde ita excludit Christum, vt alia illius beneficia, non possint habere locũ. ita Christus in patria sua non potuit facere miracula, Matt. 13. propter illorũ ἀπιστίαν, & Mar. 6. miratur illorum ἀπιστίαν, adeò pertinax est & nesciacredere.

Tertiò, Confusionem sæpè parit, & impotentiã in homine operatur, vbi minimè decebat succumbere, sed per fidem erat vincendum: sic discipuli absente Christo non possunt curare lunaticum magno dedecore, Matth. 17. Mar. 9.

Quartò. Pœnæ corporales quoque eam comitantur, tam in bonis, quàm in reprobis. Luc. 1. Zacharias incredulitatis dat pœnas, adẽpta loquẽdi facultate: quod illi non euenisset, si Angelo Dei simpliciter credidisset, vti fecit Maria.

Reprobi autem atrociùs dant pœnas: vt Ierosolyma, quia non cognouit tempus visitationis suæ: hoc est, quia Christo docenti non paruit, Luc. 19.

Quintò, bonis promissis etiam spoliat, irrita enim facit pacta: sic patres in deserto ceciderẽ vt terram promissionis nõ viderint: hinc illud Psalm. 95. non introibunt in requiem meam. cuius rei manifestam reddit rationem Apostolus ad Hebr. capit. 3. non potuerunt ingredi (inquit) propter ἀπιστίαν. Vera igitur causa fuit ἀπιστία impediens, ex qua reliqua patrum in deserto vitia fluxerunt.

Sextò. Iudicium Dei inducit & aggrauat, nã mundus etiam propter ἀπιστίαν est iudicandus. Ioann. 16. Spiritus sanctus iudicabit *mundum de peccato, quia non crediderunt in me*: vbi in Christum non credere κατ᾽ ἐξοχὴν peccatum simpliciter dicitur, quod iudicium Dei promeretur.

Incredulitas peccatum simpliciter dicitur.

Septimò. Iudæi hoc nomine amisêre fœdus & prærogatiuam apud Deum, vt sint reiecti à Deo, & non populus Dei, quò pertinet locus ad Rom. 11. *defracti sunt* τῇ ἀπιστίᾳ *& gẽtes insertæ*: facit etiam huc locus ad Hebræos 3. ad finem.

Octauò. Ira Dei quotidie declaratur in filios hominum, propter certa peccata, quæ inde promanant, vt videmus atrociter puniri adulteros, incestum, patricidas, latrones, proditores, tyrannos, idololatras: nihil aliud sunt quàm argumenta irati Dei contra incredulitatem hominum. sic loquitur Apost. ad Col. 3. Venit ira Dei in filios ἀπειθείας. recenset enim illic peccata incredulorum & fructus carnis.

Demùm ἀπίςοις conseruatur sua pars cum aliis damnatis in stagno ignis & sulphuris, quę mors est secunda in Apocal.21.

Porrò quòd Apostolus ad Rom.3. ait Iudęorum ἀπιςίαν non irritam fecisse Dei πίςιν: nô cò facit vt putemus promissiones integras manere & vim habituras etiam apud improbos, licet non respondeat professioni suę. Sed hoc agit Apostolus illic, vt sub metu contineat gentes: ac ostendit, iustioribus modis posse repelli à vita æterna & bonis spiritualibus gentes, quàm sint repulsi Iudæi. Nam Iudæi promissiones & testamentum Deo habebant, & patres, & ipsum Christum secundum carnem, ex patribus: tamen cùm illi nô responderint, reliquias ex illis sibi collegit, & Ecclesiam ad gentes transtulit: quas inseruit oliuæ natiuæ, resectis ramis propriis: quare, ex eo bonitas Dei celebrari debet. Sed cogitandum est, qui potuit resecare Iudęos, eundem posse resecare improbas gentes, & resumere Iudæos, si non manserint in ἀπιςίᾳ, &c. Perspicua expositio.

DE SPE.

LOCVS XXXII.



TRia sunt quibus omnis vita Christiana perficitur. Fides, Spes, Charitas. Ac de fide & charitate aliàs diximus: superest vt de Spe sentẽtiam nostram explicemus. Faciemus autem ideò breuiùs, quia locus hic alias explicatus est, & satis dilucidè traditus. 1. Origo

Latini Spem vocarunt, si credimus Grammaticis à Sponte, quia tum animus hominis sperat, cùm quod putat optat ac vult. Si enim nolit, & aduersetur, metus & timor dicitur, quia malum putat: bonum autem cùm iudicat, incipit velle, ideo illius opinio spes dicitur, quia sponte hoc elegit, vt vellet euenire. Ineptiùs alij à pede, quia sit pes, hoc est, basis ad difficilia. Mihi sanè aliud videtur, si liceat à decretis grammaticorum dissentire. Recipit veterem ac gręcam originem spes, ἕπομαι, id, est, sequor ex quo factum est ἔλπομαι spero: quia Spes sequitur bona futura & illa appetit. Remotius est quod ab ἕλκω deriuât, ἕλκυσ ἡμᾶς, trahens nos: sensus tamen verbi non discrepat. Spei enim proprium est, sequi bona futura, & ad illa ferri ac rapi desiderio quodam. Propriũ spei.

Ex quo perspici potest, spem pertinere ad voluntatem hominis, quæ iudicio regitur. Est quidem in ὀρεκτικῷ quoque spes boni absentis consequendi, vt in cane insequente leporem, verùm de hoc naturæ appetitu non agimus hoc loco.

Hinc dicitur εὐέλπιδες, qui semper bene sperant in omni fortuna, id quod proprium est charitatis Christianæ. 1. Cor.13. *Charitas omnia sperat.* Et Plato dixit, *Boni viri semper bene sperare debent.* Platonis sentẽtia.

Cum his pugnant δυσέλπιδες, qui ad sperandum difficiles sunt, rarò meliora præsumunt, deinde ἀνέλπιδες, qui mox omnem de successu deponunt fiduciam, homines desperabundi, quales Achitophel, Iudas & similes. Ex quo constat spem & fiduciam idem fere esse. Nam qui spem retinent, fiduciam quoque de euentu habent: & spe posita omnis etiam fiducia abiicitur. de quo mox, de origine Spei.

Definiunt Spem, quòd sit boni ardui expectatio, cum fiducia obtinendi. Cicero dixit futuri boni esse expectationem: vt enim gaudiũ est præsentis boni, & dolor præsentis mali: sic Timor & Spes circa futurum malum & bonum versantur. Et sanè meliùs Cicero, quàm Scholastici. quid enim ardui adiectio sibi voluit? cùm spes omnia bona in genere speret, non tam ardua quàm facilia, nisi fortè, quòd ad vitam æternam specialiter definitionem voluerint accommodare: illud autem, *alterum cum fiducia obtinendi*, tautologia est. Nam Spes & expectatio, nihil aliud est quàm fiducia obtinendi, definiamus igitur nos ad hunc modum. 2. Definitio.

Spes est donum Spiritus Sancti, animis nostris infusum, quo salutem inchoatam, & fide iam apprehensam aliquando perficiendam animis nostris certò expectamus. Quid spes.

Primùm, hîc admonemur de causa efficiente Spei. Cùm enim donum Spiritus sancti appellamus, Deũ authorem intelligimus. 1. Cor.13. ad finem, inter dona pręcipua refertur. *Nunc inquit manet Spes, fides & charitas*, &c. & ad Rom.15. *Deus Spei repleat vos omni gaudio:* Deus Spei dicitur, quia vt alias virtutes confert, ita Spem quoque. Confert autem Spem, vt alia dona, hoc est, gratuitò: hinc χαρίσματα dicuntur Græcis, quia sine merito, mera gratia conferuntur. Hinc damnatur dogma Scholasticum, quo docent meritis nostris obtineri illa dona. & Thomas in definitione spei, merita nostra gratiæ coniungit, tanquam causas concurrentes: & in sententiis dicitur, sine meritis aliquid sperare, non spes sed præsumptio dici potest. Non est theologica hæc sententia, imò ne Christiana. Scriptura de donorum causa loquens. 1. Cor. 12. non meminit meriti alicuius, sed ad Deum simpliciter omnia dona re- 1. Causa efficiens absoluta

fert: *Diuisiones sunt donorum, sed idem Spiritus: diuisiones ministeriorũ, sed idem Dominus: diuisiones facultatum, sed idem Deus operans omnia in omnibus, Deus igitur est vnus & idem, qui omnia operatur:* ideo nulla merita operantur: & paulò infrà: *Sed omnia hæc efficit vnus & idem Spiritus, distribuens priuatim singulis, vt ipse vult:* nõ ait, vt mereamur, sed, vt ipse vult. Hæc vt in genere de origine donorum vera sunt: ita specialiter de Spe rectè dicitur. Suprà dixi Deum Spei ideo dici, quia spem largitur: subordinata autem causa Spei est Fides, nam illam per fidem dat, & spes cum fiducia sic cohæret, vt diuelli non possint.

Fides causa spei.

Et spem ex fide deriuari manifestè testatur Scriptura, Rom. 5. *Iustificati fide pacem habemus apud Deum, per Iesum Christum, per quem habemus aditum fide, ad gratiam, vt gloriemur sub spe gloriæ Dei.*

Quo loco indicat elegantem ordinem, per quem ad vitam æternam ascendimus. Primùm abluimur merito Christi à peccatis, quod beneficium fide apprehendimus: inde animus Deo reconciliatus aditum habet ad Deum tanquam ad Patrem: hinc gloriatio de gratia sub spe, quia bona illa hîc non plenè dantur, sed tantùm illorum gustus.

Et ad Ephes. 3. *In quo habemus libertatem & aditum in fiducia per fidem ipsius.* Fiduciam, hoc est, spem fidei coniungit tanquam donum inde ortum.

Porrò quòd ad Rom. 5. dicitur, *Probatio spem efficit,* id non ita accipi debet, quasi probatio spem det, vel primitus efficiat. Nam initialis causa est Spiritus sanctus, vt iam diximus: sed efficit illam auctiorem & confirmatiorem, quasi dicat, tantùm abest vt probatio tribulationum spem extinguat, vt illam magis magísque excitet: nam contrà audentior ire solet, vt torrens montem decurrens in obiectos incidit scopulos, subsistit quidem, sed collectus maiori impetu erumpit, & sese in obiectos effundit campos.

Simile.

Causa adiuuans.

Spem ex fide ortam adiuuat Spiritus sanctus, Rom. 8. *Spiritus adiuuat infirmitates nostras.* Accedit diligens & ardens oratio, quia in omni fortuna ad Deum confugimus, & illius colloquio, nos sub spe confirmamus. Prosunt hîc multùm exempla fidelium, quorum consideratione excitamur ad certamina, & spe malimus. Et quia charitas omnia sperat, spem cum charitate coniungimus indiuisibiliter in hac vita. Vt enim fides à charitate non separatur, sic spes quoque ab illa non potest separari. Deinde quia rem speratam diligimus (spes enim est expectatio, quod adesse & possidere vellemus) non potest expectatio boni, ab amore eiusdem boni, separari: quemadmodum nec amor à re amata separatur: ita nec spes à re sperata.

Subiectũ

Diximus de causa largiente: proximum est in definitione subiectum spei, id expressimus illa particula, animis nostris infusum. Animus enim noster subiectum est, in quo Spes hæret, vt reliquæ virtutes Spiritus sancti nobis infusæ. Propriè voluntas dicitur, in qua spes residet, in eadem est fides, charitas.

Obiectũ.

Obiectum spei est, Bonũ absens, fide apprehensum, cuius gustus aliquis nos erigit in futurum. Bonum illud, vel Vltimum est, quale est vita æterna: (& ad hoc accommodauimus præcipuè definitionem:) vel est Intermedium, quod ad illud vltimum perducit, & de mediis bonis, spei est quoque bene præsumere.

Futurum

Futurum autem bonum dicimus, quia spes absentia respicit, quæ nondum planè sunt exhibita. Deinde quia Apostolus dicit Rom. 8. *Spes quæ videtur non est spes,* ideo plena possessio hîc non habetur, vt in futura vita, vbi plena erit bonorum possessio, non illic habebit locum spes.

In vita futura non erit spes.

Quæri hîc solet, an duratura sit etiam in vita futura? Respondemus non mansuram illic, quia Apostolus expressè dixit, *Spes quæ videtur non est Spes,* & illic bona omnia plenè videbimus: igitur illic spes non erit. Deinde idem Apostolus 1. Corin. 13. ait nunc durare hæc tria, fidem, spem, charitatem, maiorem autem charitatem, quia deinceps etiã sit duratura: quasi dicat, nunc durant reliqua duo solùm, sed charitas etiam in futura durabit vita.

Spes pro re sperata manebit in futura vita.

Aliquo tamen modo Spes dici potest manere in beata vita, quia Spes pro rebus speratis sumitur. vt Psal. 73. *Tu es spes mea.*

Quatenus igitur, Spes est bonum agnitum, eatenus manebit. Sic Deus manet, qui est spes nostra: & vita æterna manebit, quæ est beata spes nostra, Tit. 2. *expectantes beatam spem,* hoc est, res speratas, quæ beatis promissę sunt. Hoc sensu dicit Irenæus spẽ manere, quia speratis bonis non defraudabimur. Præterea duratio erit promissionis, nec momento absoluetur. Id spes totum comprehẽdit. Ideo spes manebit, quia duratio bonorum manebit: quatenus verò bona erunt præsentia, eatenus non erit Spes, quia præsentium respectu non dicitur Spes. Eodem modo iam in cœlo non est Spes inter sanctos Angelos, quia Dei fruuntur aspectu. Et inter damnatos iam non est Spes nec erit post iudicium, quia nulla illis est liberatio. Ita dęmones non habent Spem, damnati non habebunt: sed erit illis metus perpetuus & dolor: hic, propter pœnas pręsentes: ille, quia nũquã finiendas esse norit. Ideo sanctis rectè tribuitur Gaudiũ & Spes, illud propter præsentia bona: hæc, quia sẽper duratura norũt. Superest igitur vt in hac vita propriè sit Spes, idq; omni tempore huius vitæ, quia hîc nunquã plenè dantur res promissæ. Deinde quia pij est nũquam deponere fiduciã obtinendi. Tertiò quia illius

illius gustus iã perceptus est, eóque fortiùs hîc sperandum est, quantò humana præsidia videtur minùs prospera: quod rectè dixit Pind. Χρὴ δ' ἀγαθὰν ἐλπίδα ἀνδρὶ μένειν, oportet bonam spem viro manere.

Sed oportet rem possibilem esse: impossibilia nemo sperat, irrita spes est quæ absurda & impossibilia concipit. De hac spe rectè dicitur κενεῶν ἐλπίδων χαῦνον τέλος, vanæ spei, inanis est finis. Porrò bonorum spes circa possibilia quidẽ versatur: sed non sui respectu, verùm Dei promittentis. In nobis enim est vera ἀδυναμία ad res cõsequendas, cùm ne idonei quidem simus ad cogitandum aliquid boni: sed in Deo omnem habemus possibilitatem, non solùm ad cogitandum, sed etiam ad faciendum. 3 Possibile.

Denique bonũ hoc arduum esse dicunt. Hoc in primis Spei sanctorum competit. Capit quidem illa etiam facilia: sed circa difficilia imprimis sese exercet. De Abrahamo scribitur Rom. 4. *quòd contra spem in spem crediderit:* & è patria in exilium profectus iubente Deo, contra omnem spem firmiter sperauit rata fore quæ Deus promiserat illi. 4 Arduũ

Ex his de forma spei constitui potest. Illius est ęquo animo ferre expectationẽ rerum promissarum, quod illi est cum fide commune. Forma spei & natura.

Deinde prõptos facit ad tolerandos labores quosuis & aduersa 1. Cor. 9. *Qui arat, sub spe arat:* & quod de aratione dixit, de omnibus aliis laboribus intelligi debet. Rectè dixit Cic. Spes præmij solatium fit laboris. Cicero.

Habet etiam coniunctam charitatem, nam bona optata diligit, & amore illorum fruitur: diligit etiam omnes qui ad eadẽ aspirant. Hinc ad Coll. 1. coniungit dilectionem & spem, *dilectionem in sanctos quam habetis per spem, quæ reposita est nobis in cœlis.* Cum Spe etiam gaudiũ est coniunctum, quoties enim bona futura cogitat, magno gaudio perfunditur ex eo gustu, quem de his iam habet. Rom. 12. *Spe gaudentes,* & Rom. 15. *Deus spei repleat vos omni gaudio.* Nã Spe exultant propter futuram hæreditatem.

Non fallitur etiam spes sanctorum, hoc est, euentus non ęst irritus. Rom. 5. *Spes non confundit, seu, non pudefacit.*

Est etiam constans in proposito, nõ deficit: hinc Græcis dicitur γηροτρόφος, nemo enim tam senex est, quin vel horam suæ vitæ polliceri ausit, sempérq; sancti clamant: εὖ οἶδ' ὅτι χρόνος ἔργων πεπρωμένων τελέσει. Certò scio, quòd tempus insequens, fato mihi destinata complebit. Id eleganti figmento proposuit Hesiodus, cùm scribit in Pãdoræ pixide, solam spem hæsisse supremis labris, cùm reliquæ virtutes euolassent.

Beatos quoque facit, hinc ipsa etiam beata dicitur Tit. 2. *Expectantes beatam Spem.* Spe enim beati sunt, olim tales re futuri: quod impij rident & fabulam putant.

In peccatis quoque omnino necessaria est spes, alioquin in desperationem ruunt homines, vt testantur exempla impiorum, Saulis, Iuliani, Iudæ & similium. Pij contrà in lapsibus sese erigunt spe venię, de qua ex verbo Dei certi redduntur. Hoc irrident desperabundi: alij impudentiam interpretantur, sine merito aliquid sperare: sed piis nihil tam arduũ est, quod sperare non possint in remissione peccatorum. Pindarus impudentem dixit hinc spem, fortè vt alias γηροτρόφον dixit. Nihil enim tam absurdum est, quin homines interdum id sperare ausint. Id si in externis licet, cur in electis ex verbo Dei non liceret?

Addamus his, colophonis loco, Spem duplicẽ esse. Alia est Vera, de qua hactenus diximus, & quã definitione ad vitam æternam accommodauimus. Alia verò est vana, quæ rectè dici potest præsumptio & cõfidentia, quæ varia est & multiplex pro obiectorum diuersitate, & alia est sui confidentia, alia dum amicorũ & hominum brachio in genere nititur, alia rebus aliis. Summa, in creaturas sperare, est desperare de Creatore: ideóq; præsumptuosum. Hinc in diuitias sperare, damnat Apostolus, & impiorum spem omnem damnat Solomon Prouer. 10. &c. Spes duplex.

DE PROMISSIONIBVS DIVINIS.

LOCVS XXXIII.

PRomissio propriè dicitur boni futuri pollicitatio: quatenus enim exhibentur res pręsentes, non dicuntur promitti: mala verò comminari dicuntur potiùs. Quare Scriptura, Veteri testamẽto promissiones ferè tradit. Nouo autem exhibitionem, vel saltẽ exhibitionis initia. Grammatici dicunt promittere rogatos, polliceri autem sponte: quod discrimen non satis firmum est. Nominis ratio.

Deus enim primam promissionem Adamo & Euæ dedit non rogatus, & Abrahamo promissio prima facta est à Deo: quem tamen non legimus rogatum priùs ab ipso. Fortè vt maior Dei erga homines declararetur beneuolentia, quando preces miserorum benefaciendo

& promittendo anteuertit. Hinc Græcis rectè dicuntur ἐπαγγελίαι, hoc est, denunciationes diuinæ voluntatis & beneficentiæ. Dicuntur in scriptura etiam pactum, fœdus, testamentum, &c. Sed ab his vocibus differt promissio: quia illæ formam magis declarant, & sunt inter duas partes res istæ quas declarant: vt inter Deum & Abraham fœdus est, pactum & testamentum. Promissio autem solius Dei est, quanquam ad Abrahamum referatur, & à quo, nisi recipiatur, irrita fit promissio. Requirit enim assensum ab altera persona, attamen caret circunstantiis & confirmationis signis, forma & modo, quæ omnia in fœdere & pacto, & testamēto pleniùs exprimuntur: Hinc apud Heb. dicitur *iagned* testificatio, hoc est declaratio voluntatis expreſsis circunstātiis. Duas autē personas ad plenam promiſsionem requiri declarat Hebrea dictio *betach*: nam promittens dicitur *hibtiach*, hoc est, fiduciam dare & spem facere promittendo, qui verò promiſsionibus credit dicitur *boteach*, confidens, sperans, fiduciā promiſsionibus tribuens. His ita constitutis definiamus promiſsionem ad hunc modum.

2. Definitio. Promiſsio est denuntiatio diuinæ beneuolentiæ, alicuius boni spem, malíue auersionē homini proponens. Definitio satis aperta denuntiatio est, quia de futuris agit promiſsio: à Deo autem oritur tanquā à fonte, & refertur ad hominem tanquam ad correlatiuum: materiale promiſsionum est bonum per se, ad quod etiā pertinet defensio & malorum depulsio: apprehenditur autem promiſsio fide, sine qua irrita foret. Ideo spem boni addimus, h. e. fiduciam in cordibus hominum excitatam, qua amplectuntur grato animo, bona in promissionibus oblata.

Variæ promiſsiones. Bona autem illa proponuntur interdum apertis verbis, vt in prima promissione, *Semen mulieris conculcabit caput serpentis*: aperta erat denuntiatio futuræ victoriæ contra serpentē. Interdum autem non verbis apertis, sed typis adumbratur, vt in æneo serpente, typus erat liberationis humani generis, per crucē Filij Dei expectandæ.

Sed repetamus altiùs promissionum varietatem. Ex his aliæ sunt legales, h.e. quas lex sub conditione certa promittit hominibus, habēt istæ ferè carnalia & corporalia, h.e. externa bona, quales sunt benedictiones, quæ leguntur Deut. 28. & Leuit. 26. Si in statutis meis ambulaueritis & præcepta mea custodieritis, feceritisque ea, dabo pluuias vestras in tempore suo, & terra dabit prouentum suum. Summa harū promiſsionum est, ego ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum, hoc est, ero defensor vester, & bonorum omnium largitor.

Aliæ sunt Euangelicæ, h.e. sine conditione propositæ de rebus æternis & spiritualibus, quibus prima est promiſsio de semine mulieris cui nulla est addita conditio, eáque sæpius postea patribus repetita est, vt Genes. 49 non peribit sceptrū de Iuda donec venerit Silo, vt Deute. 18. Propheta magnus post Mosem, promittitur, hoc est, Christus Meſsias. In his & similibus nulla est conditio expressa qua nitamur, sed nuda Dei misericordia & bonitas. Subest tamen his quoque sua conditio: nam fructum non habent, ne istæ quidē, nisi in pœnitentibus.

Huc pertinet illa diuisio, qua distinguunt promissiones à materia subiecta, in bona æterna, & temporalia: in Euangelicis enim promissionibus, sunt bona æterna, in legalibus temporalia.

3. Diuisio. Non multùm distat etiam hæc partitio, qua diuidunt in promissiones vniuersales & speciales. Vniuersales enim sunt de bonis spiritualibus & æternis, vt quæ loquuntur de Messia, de redemptione, de recōciliatione humani generis, de vita æterna, de resurrectione, &c.

Promiſsiones vniuersales. Dicuntur autem Vniuersales quòd non solius Iudaici sint populi, sed ad Gentes etiā pertineant, qualis est illa Gen. 12. v. *benedicentur in te omnes gentes*, quam Apostolus trahit ad iustificationem per fidem. Gal. 3. v. 8. *præsciens autē scriptura quòd ex fide Deus esset iustificaturus Gētes, antè annuntiauit ipsi Abrahamo*, &c. & ad Rom. 4. v. 11. docet ideo in præputio iustificatū fuisse, & accepisse promissiones, vt esset etiam pater credentium in præputio. Act. 2. v. 21. Petrus docet omnes saluandos quicunque inuocauerint nomen Domini vers. 39. *promiſsionem hanc factam etiam his qui longè sunt, hoc est, Gentibus*. & 2. Cor. 7. promissiones diuinas quas ex Ierem. 31. adduxerat, applicat Corinthiis, qui ex Gentibus erant. De his vide cap. 9. ad Roman.

Promiſsiones speciales. Speciales dicuntur, quæ loquuntur de corporalibus bonis, vt de terra Canaā Deut. 32. ne sit verbū istud vobis inane, quia est vita vestra, & in eo prolōgabitis dies, super terram ad quā itis, transmisso Iordane, possidendam Genes. 2. *semini tuo dabo terram istam*. Deut. 11. *terrā fluentem lacte & melle*, quod reperitur. Ierem. 11.

Dicuntur autem speciales, quia certi populi sunt. Possessio enim terræ Canaan, solis Iudæis fuit promissa. Huc pertinent illæ loquutiones quæ loquuntur de politia, de sacris, de ritibus illius populi, quia hic cœtus distinctus debuit esse ab aliis omnibus nationibus.

Obseruandum hic vniuersales promissiones specialia habere: vt Christus Messias specialiter ex Iudæis nasci debuit, quod Apostolus ad Ro. 9. habet, *Quorum sunt patres, ex quibus est Christus secundum carnem*. Sic postea specialius semen hoc tribui Iudæ promissum est, postea familiæ Dauidis. 2. Sam. 7. 1. Paral. 17. & 1. Reg. 21. *non extirpabitur tibi vir de solio Israel*. Has sæpe repetit in psalmis Dauid. vt 89. *Iuraui seruo meo Dauid, vsque in seculum præparabo semen tuum, & in omne seculum ædificabo solium tuum*. Psalm. 132. *Iurauit Dominus Dauidi veritatem, non deseret*

ret eam, de fructu ventris tui ponam super solium tuum, &c.

Hinc in prophetis dicitur Radix Isai, Semen Dauidis, Stirps, Dux, Rex, Pastor, Dauid, &c. Hæc promissio quia radix est omnium promissionū, ideo in reliquis sæpe includitur specialiter, vt Solomon quidem habuit promissionem de ædificando templo, attamen Dauidis in ea fit sæpe mentio, vt 1. Reg. 6 8 9 2. Paral. 7.

Habuerunt reliqui Patriarchæ ferè singuli suas speciales promissiones, quæ à generali dependebāt: vt Noë habuit promissionē de conseruando genere humano, à diluuio. Post diluuium promissio additur de defensione continuanda. Ioseph promissionem habuit de imperio & fratrum conseruatione. Moses de liberatione populi. Iosua de diuidenda terra filiis Israel. Samson de victoria contra hostes. Ezechias de prolonganda vita, & alij alias.

Diuidamus igitur promissiones diuinas hoc modo, Aut loquūtur de rebus externis, aut internis. Externa intelligimus quæ vitam hanc concernunt, eiúsque statum & fortunā vtranque prosperam & aduersam, quæ tamen finiatur morte corporali. Alia diuisio promissionum.

Interna verò dicimus, bona spiritualia, quæ in Christo simul donata sunt, & offeruntur fidelibus. Incipiunt illa in præsenti vita: confirmantur autem in futura, vbi plenè tandē πλή-ρει χαὶ κτήσει tradentur electis. In priore genere duo consideranda sunt, copula conditionalis, & adiecta spes boni.

Copula conditionalis exprimit officium hominis, quod Deus requirit, priusquam bona illa largiatur, aut homini bonorum permittat spem, vt in promissione Abrahæ, copula est, Ambulabis coram me integer. In Mosis repetitionibus, *Si feceritis mandata mea, si in eis ambulaueritis: si statuta mea custodiueritis*, &c. Sic in Dauidis & Solomonis promissionibus, *Si ambulaueris in statutis meis, & iudicia mea feceris, atque custodieris omnia præcepta mea gradiens per ea.*

Hæc cōditio legalis est, & dicitur αἴτιον ἄνευ οὗ μὴ. Nam si cadat ista conditio, promissio inanis redditur.

Ideo diligenter obseruādum est, id in legalibus præcipuè requiri. Hinc cōstat ratio quare lex non iustificet, aut opera bona secundùm legem præstita: Ratio est, quia lex nullum adhuc reperit hominem, qui illā plenè seruaret, alioquin æquè illum iustificasset. Solus Dei Filius Iesus Christus eam plenè præstitit. Itaque impotentia non est legis requirentis hanc cōditionem, sed hominis, nō præstantis officium suum, vt debet. Copulæ conditionali additur secundo loco Spes boni, quæ explicat partes, seu officium Dei: quod scilicet is nobis sit præstiturus, si nos officium fecerimus.

Continet hic locus infinita bona quæ expectari possunt à Deo, corporaliter etiā, à suis cultoribus. Caput autem omnium est, quod dicit, *Ego ero Deus tuus*, & in Iere. 31. *Ero vobis Pater.* Dei & Patris nomine omnia promittit quæ homo ad sui defensionem & vitæ fœlicitatem sperare aliunde potest: vt patrocinium, & auxiliū præsens, contra inimicos Deut. 28. vitæ longitudo Leuit. 18. *Viuetis in iis.* Terræ Canaan possessio: benedictiones rerum temporalium, specialiter vini, olei, tritici. Esa. 1. *Bona terræ comedetis.*

Quæri hîc solet, cur Dominus tēporalia bona toties, & tanta cum spe promiserit populo. Quæstio.

Respondemus id factum multis de causis. Primùm enim Dominus testari his voluit suā bonitatem & φιλανθρωπίαν: nā poterat homini iratus ab eo requirere obseruātiam suorum præceptorum, sine promissione aliqua, Hoc volo, hoc iubeo, Honora parētes aut malè peribis, Serua mandata mea, aut mille modis te perdam. Hoc si fecisset Deus, non conqueri poterat de iure. Nunc alia ingressus est via Dominus: non simpliciter mandat, sed simul inuitat spe boni addita, Honora parentes, & eris longæuus super terrā, serua mandata mea, & reddam te fortunatissimum: sis pius, & eris victor in bello contra hostes tuos. Respon.

Mirifica inest his Dei bonitas, qua nos inuitat ad virtutem amplissimis promissionibus.

Deinde pædagogia illa necessaria erat rudi populo, cuius Dominus in hac re habuit rationem, faciliùs in officio retineri poterat externis rebus, quæ natura appetuntur, qualis est fœlicitas mundana, successus rerum, sanitas, vita longæua, honores, opes, imperia, &c.

His igitur propositis, promptos reddere voluit ad sui cultum. Præterea pædagogia illa vtilis erat ad res simpliciores & specialia bona, quæ cùm oculis videre non possimus, gustu & forma sensibiliū, vtcūque in maiestatem illam cœlestium, mens hominis perduci potest. Sic tota lex pædagogia fuit ad Christi regnum, hoc est, Externæ promissiones subseruiumt Spiritualibus.

Accedit etiam illa ratio, vt honestè sentiamus de his rebus externis, hoc est, vt sciamus illa quoque Dei dona esse, ne putemus fœlicitatem externam, & in genere bona corporis, non fortunæ dotes esse, aut naturæ, sed solius Dei. Datur igitur sanitas, dignitas, opulentia & similia ab ipso Deo, quandoquidem toties illa suis promittit. Bona externa nō sunt fortunæ dotes, sed Dei dona.

Crescit item hinc vera inuocatio: cùm enim intelligis omnia à Domino dari hominibus, facilè intelligis pro omnibus inuocandum esse: itaque exercitia inuocationis augent.

Denique, vt sciant electi, se Deo curæ esse, etiam quòd hæc externa attinet. Is nouit quibus

opus habeât, prospicit iis, vt habeant quæ sint esuri, quibus vestiendi, quæ omnia consolationem in aduersis mirificam habent.

Quæstio. Responsio.

Quæri etiam hic solet, an promissiones externorum bonorum solius sint veteris Testamenti: an verò in nouo quoque locũ habeant? Ad quod respondemus, principaliter quidem pertinere ad vetus Testamentum: non tamen absurdum esse si in nouo quoq; monstrentur. Ac quòd principaliter ad vetus pertineant, inde potest constare: Quod disertè Deus certam terram promisit Iudæis, certam Reipubl. formam, certum locum mansionis & Religionis, certa sacra externi cultus, conseruationem etiam stirpis ex qua nasciturus esset Messias secundùm carnem: in moralibus quoque passim præceptis, addit externa bona & longam vitã, dominiũ & similia, quæ in nouo populo Christus non tanti fecit.

Promissio bonorum temporaliũ in nouo etiã Testamento reperitur.

Quòd igitur specialia bona externa attinet, quæ Iudæos propriè concernebant, illa ad vetus pertinent: quòd verò generalia spectat, etiam in nouo reperiuntur, vt Ecclesia opus habet etiam defensione externa: ideo Christus promittit suis, *Ero vobiscum vsque ad cõsummationem seculi.* Opus habent pij victu & amictu: ideo promittit Christus etiam illa, *Quærite primùm regnum cœlorum, & illa omnia adijcietur vobis.* Ideo Apostolus ait, 1. Tim. 4 *pietatem ad omnia vtilem esse, vt quæ habeat promißionem vitæ præsentis & futuræ.*

Itaq;, sic iudicare debemus, electos sub Christo etiam habere promissiones de rebus huius vitę necessariis: quia per se etiam desiderium huius vitæ malum non est. Semper tamẽ in his pædagogia attendenda est cœlestium bonorũ. Sic de honorandis parentibus præceptum, in nouo Testamento retinet promissionem longæuæ vitæ, Eph. 6. *Vt bene tibi sit, & sis longæuus super terram*: additur tamen id iustum esse, hoc est, natura honestum si maximè non accederet promissio, & ad Col. 3. additur, *hoc enim gratum est Domino*, hoc est, tenemur id pręstare, si maximè nulla extaret longæuæ vitæ repromissio. Itaque inconsideratè faciunt, qui temporales promissiones omnibus modis submouẽt à nouo Testamẽto & Ecclesia Christi, cùm his bonis in hac vita prorsus nec carere debemus: nec possint etiam piissimi quique, veruntamen æterna debẽt esse potiora & magis principalia.

Quæstio. Responsio. Quom. Deus promissiones externas impleat in sãctis.

Superest etiam illa quæstio, quomodo impleantur in sanctis externæ promissiones, cùm his nemo sit calamitosior in hac vita? Respondemus impleri etiã in nouo Testamento, quatenus sanctis expedit, eas impleri: ideò victum & amictum, defensionem necessariam habent suo tempore. His si aliquando destituuntur, agnoscunt certo Dei cõsilio hoc fieri, aut quòd sua peccata hoc mereantur, aut quòd expediat sic in officio contineri carnem, aut aliis modis inseruiat gloriæ Dei, & ipsorum saluti.

Ideo minus mirantur si pro pace, bellum habeât, pro saturitate famẽ, pro ἐυτυχία ἀτυχίαν. Agnoscunt enim in his consilium Dei piũ esse. Secus impij, qui animis fracti statim abiiciũt spem, veram confessionem: & impatientia victi, ruunt in extremam blasphemiam, aut manifestam desperationem. Sentiũt tamen in his angoribus etiam suam infirmitatem aliquãdo pij, sic Dauid Psal. 89. conqueritur à Deo irritũ factum testamentum suum, &c.

Promissiones internæ.

Diximus de externis promissionibus: de internis etiam pauca addamus. Habent istę suam quoque copulam conditionalem: pœnitentiam scilicet anteactæ vitæ & propositum emendationis, cui coniuncta est spes veniæ. Certum enim est promissiones non esse efficaces in impœnitentibus. Ideo Ioan. Bapt. & Christus & Apostoli à pœnitentia ordiuntur suas primas conciones, & Christus requirit passim fidem, & Apostolus *credenti omnia esse poßibilia.*

Et quanquam vniuersaliter salus omnibus proponatur, tamen nõ applicatur nisi credentibus: ideo Christus dixit, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et de semine mulieris dicitur, *Saluum faciet populum suum à peccatis suis*, hoc est, meritum eius sanctis erit fructuosum, reliquis non perinde. Hæc de conditione.

Deinde in his obseruatur forma proponendi has promissiones. Proponuntur illæ vel verbis apertis, vel inuolucris quibusdam typicis. Si verbis apertis proponantur, res clarior est, & facilè perspici potest de quo loquatur. Aut enim de fine promissionum omnium, hoc est, de vita beata, qualis describitur Esa. 49. *Non esurient neque sitient, & æstus aut Sol non percutiet eos.* Eze. 37. Illustris est promissio de resurrectione corporum. Aut loquuntur de modo consequendi illum finem, hoc est, de Messia, vt Iacob. Gen. 49. de Silo: & Moses de Propheta magno Deut. 18. & Dominus de semine mulieris attrituro caput serpentis, & infinitæ aliæ. Aut & de Ecclesia & de corpore Christi, vt Ierem. 30. *non seruient vltra extraneis, sed seruient Domino Deo suo, & Dauid Regi suo, quem excitabo eis.*

Aut vt de ornamentis Spiritus sancti. Ierem. 31. *Cognoscent me omnes à minore ad maiorem eorum,* Ioël. 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ*, &c. His similes promissiones prodest diligenter collegisse ex Prophetis vt perspici possit de quo loquantur.

Interdum typis proponuntur, qualis tota legis est vmbra: nihil enim aliud docebat eius pædagogia, quàm Christi sacrificia & merita, & expiationes peccatorum, quas consequimur immaculati agni sanguine.

Interdum

Interdum Patrum fortuna & casus, promissiones internas adumbrant, vt Iosephi regnum in Ægypto, Christi regnum. Adorant illum sui fratres, sic Christum fideles. Abrahæ victoria contra Reges Orientales, Christi victoriam contra hostes Ecclesiæ, Iacobi fuga à facie Esau, Dauidis à facie Saulis, Christi iniurias quas à Iudæis tulit.

Tertiò, interdum factis specialibus, vt Cyri liberalitas in Iudæos, typus Christi est. Esa. 45. Samsonis heroica virtus Christi potentiam declarat. Ieiunium Eliæ & Mosis, Christi ieiunium. Terræ Canaan fœlicitates ac benedictiones, vitæ æternæ beatum statum, Lupi & agni amicam cohabitationem, concordiam electorum in cœlis. Esa. 11. & his infinita similia.

IIII. Aliàs visionibus prophetarum, vt Daniel videt lapidem sine manibus auulsum, videt illum antiquum dierum, veniētem ad senem, videt Filium hominis. Gabriel videt designationem nouæ vrbis Ierusalem in cœlis, in qua nullum extabat templum: sed Deus & agnus erant templum eius. Demum dictis Patriarcharum aliisque modis teguntur. In quibus tamen decet cautum esse, ne quæuis dicta mox in allegorias typicas transferamus: de quibus alibi diximus.

Quæri solet hic an omnibus promissionibus externis subsunt speciales? 1. Quæst.

Respondeo, omnibus subesse. Ratio est, quia scopus omnium communis est, ideo nihil est absurdi, in omnibus externis promissionibus, quærere speciales.

Abrahamo promittitur Isaac filius carnalis: sed cum eo non est absurdum Messiam esse promissum. Sic Israëli promittitur terra Canaan, sed per hunc, veris Israëlitis vita æterna, Iudæis per Cyrum liberatio ex captiuitate, sed per id, liberatio per Christum verum Cyrum. Posteritati Dauidis promissum est ęternum regnum, per quod Christi adūbratum est. Solomoni ædificatio templi reseruatur, per quod Christi officium colligentis sibi Ecclesiam ex omnibus Gentibus. Idem iudicium est de reliquis. Hinc est quòd Petrus in Act. cap. 2. ait, dictum illud, Non permittes vt sanctus tuus videat corruptionē, non tam de Dauide quàm Christo esse accipiendam: Dauid enim re vera secundum carnem, vidit corruptionem. In aliis manifestior est promissio specialis, vbi ad literam τὸ ῥητὸν conseruari non potest, vt in æternitate regni Dauid, & similibus.

II. Deinde quæstio hîc incidit, quid principale sit in omnibus promissionibus? Id vt intelligamus, sciendum est, quatuor esse in vtroque genere promissionum consideranda. Quæst.

Primùm est, ipse author Deus: nam is sua liberali gratia homini nihil tale merenti, aut petenti initio suas promissiones proposuit, imò obtulit, & per eas, simul gratiam & viam recuperandi amissam salutem. Deus author.

Alterum est, ad quos spectent: externæ quidem ad Iudæos peculiariter spectabant, internæ ad solos electos. Et quanquam hęc vniuersaliter omnibus offerantur, id tamen non derogat quin applicatio specialiter vsum habeat. Ideo credentes soli iustificantur, quanquam infinitis aliis prædicetur Euangelium.

Tertium est, quid materiale sit omnium promissionum, hoc est, quis cardo, quæ radix aut fundamentum cui innituntur omnes promissiones. Respondemus benedictum istud semen principale esse, cui omnes innituntur, & ex quo omnes fluunt. Ideo exhibito Christo, debent finem accepisse, hoc est, impletæ esse, & vsu desiisse externæ promissiones. 2. Cor. 1. 20. Quotquot sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam & amen ad Dei gloriam. Et Luc. 16. Christus ait, *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* Radix.

4. Denique medium quo apprehenduntur, Illud est, fides. Nam huius obiectum propriè est promissio, nec aliud in homine est, quo possit apprehendi quàm assensu voluntatis. Hunc assensum quia firmus & constans est, fidem dicimus. Deinde hinc manifestum est, quòd nisi accedat fides, quę habenda est promissionibus, illæ ipsæ promissiones irritæ erunt. Quicquid promiseris, nisi credat id alter, frustra illi promittis. Heb. 4. v. 23. *Nam & nobis annuntiatum est sicut & illis: sed illis non profuit sermo auditus, vt qui fide non fuerit mixtus in audientibus. Nam ingrediemur in requiem eius nos qui credimus:* qui locus manifestè euincit fide apprehendi promissiones. Hinc manus dicitur à Patribus in loco iustificationis, & Apost. Rom. 4. argumentatur iustificationem per fidem contingere, alioquin irrita foret promissio toti semini. Nam si ex lege esset, tum non omne semen Abrahæ admitti poterat, hoc est, omnes credentes, cùm lex omnibus data non sit, &c. Quomodo apprehendantur.

Ideo sancti in orationibus suis, fide confugiunt ad promissiones diuinas, quibus sese erigunt & confirmant, vt videre est Gen. 32. in oratione Iacob redeuntis ex Mesopotamia, & timentis iram fratris Esau. Sic exod. 8. Moses orans ad Dominum confugit ad promissionem sibi factam. Sic Dauid Psalm. 7. Loquutus es ad me. Et Salom. 1. Reg. 8. repetit promissiones. In historia Iudith, insigne est exemplum. Iudith rebus aduersis in primis confugit ad diuinas promissiones, quibus testatur se fidem habere, ideo tale facinus aggredi. cap. 9.

Talia sunt martyrum quoque exempla, qui pro Christi gloria vitam & sanguinem profuderunt, firmiter credentes, verissimam esse promissionem Christi, vitam æternam mercedis loco eos habituros, &c.

DE REMISSIONE PECCATORVM.

LOCVS XXXIIII.



Ecessaria est doctrina de Remissione peccatorum in Ecclesia:nam hæc porta, per quam ingredimur in cœtum electorum, & vitam æternam. Cùm enim peccatum nos à Deo separet, satis constat, reconciliationem locum habere non posse vbi durat peccatum irremissum.

Quid sit remissio.

Ac in præsentia nobis hæc sufficiat definitio, qua dicitur, Remissio peccatorum est condonatio pœnarum meritarum, ita vt ignoscatur ei, qui puniri debuit, & in gratiam recipiatur. Philosophi, veniam & συγγνώμην vocarunt. Sacræ literæ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. i. remissionē peccatorum. Græci Theologi etiam συγχώρησιν. i. cōdonationem, hinc ἁμαρτωλὸς συγχωρούμενος, peccator cui venia data est.

Circa remissionē peccati tria consideranda.

Sic quidem res exprimitur, in qua sunt tria hæc consideranda. 1. Quis remittere possit & debeat. 2. Cui promittatur hoc bonum. 3. Quid complectatur, hoc est, quid remittatur, & vbi, & quando, de his breuiter sententiam meam exponam.

Cùm igitur quæritur, quis remittere possit & debeat? quæstio instituitur de potestate.

Quis remittat.

Quare respondemus, Deo in primis hoc ius conuenire.

Deus verè & propriè.

Deus verè & propriè remittit peccata. Verè, quia non fallit illius remissio: cùm hominum absolutio fallere posit, fallatque sæpenumerò. Deinde quia cum pœnis tollit reatum: cùm homines solùm pœnas mitigare posint, aut tollere: naturæ autem morbum non possunt. demum quia remissione peccatorum simul nos suscipit in gratiam, & filiorum loco habet: cùm homines solùm remittant: sed iniuriarum non obliuiscantur. Sic dicunt Germani *Ich vuill im daß vergen, abernit vergessen.* Propriè autem hoc munus Deo competere, inde manifestum est, quia omni labe & peccato caret: peccator enim peccatorem non propriè absoluit, cùm ambo rei sint, & mortis mancipia. Deinde nullius superioris legibus impeditur, cùm homines tum proprio vitio, tum Dei legibus tanquam superioris impediri posint in absolutione. Adde quòd omne peccatum fiat contra Deum. Dei igitur est propriè omnium peccatorum remissio.

Hinc moti vidētur Pharisæi & Scribę, vt dicerēt Christum blasphemias loqui, cùm paralytico diceret, *Fili remittuntur tibi peccata tua.* non enim ignorabant per sacerdotem quoq; remitti, aut quòd frater fratri etiam posset remittere, sed intelligūt verè & propriè hoc ius ad Deum pertinere, & Christum tanquàm nudum hominē inspiciunt, qui in hoc à Deo separandus sit.

Sic apud Esa. 43. loquitur Dominus. *Ego ego sum, qui deleo scelera tua propter me, & peccatorū tuorū non recordabor.* Dauid etiam inquit, in peccatorum remissione petenda, *Contra te solùm peccaui, & malum hoc in oculis tuis feci.* Peccauerat vtique Dauid etiā in Vriam & in Bethsæbam: tamen quia in Deum respiciebat totum hoc delictum, & solus Deus in remissione agnosci voluit, ad hunc preces dirigit. proprietas igitur & veritas iuris illius ad solum Deum spectat.

Magistratus.

Secundo loco, magistratus quoque remittit peccata: idq; duplici ratione. Primùm quatenus priuatæ sunt personę, libenter ignoscere debent priuatis iniuriis. deinde in capitalibus causis etiam mitigationem pœnarum adhibēt, vbi locum habere potest honestè ἐπιείκεια. i. æquitas. laudabilis enim est iuris ęquitas, & rigoris mitigatio in ciuilibus pœnis. Cæterùm quatenus idem magistratus iudex est à Deo constitutus, ac honesti debet esse defensor, non habet ius peccati remittendi: sed debet scelera seuerè persequi. Valere hîc debet illud, Fiat iustitia, & pereat orbis.

Priuata remissio.

Tertiò, est etiam priuata quædam remissio, qua priuatus priuato ignoscit fraternè, & cum eo in gratiā redit. Hæc ideo est necessaria, quia Christus hanc mandauit. Matth. 18. *si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum.* sic Luc. 17. *si pœnituerit remitte illi.* & Matth. 6. *si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater vester remittet errata vestra.*

Priuati igitur remittere debēt offensas, cùm quia Christus est præceptum, tum quia sine hac non possunt sperare remissionem propriorum delictorum. Ac sanè in hac, non aliam cōcedit Christus pœnam, quàm fraternam admonitionē, quę si locum habeat, & pœnitentia tactus fuerit frater, ego cōtentus esse debeā. Imò si ille admonitionem recuset, tamē meum est, pro illo rogare & eidem ignoscere, qui pro inimicis orare, eosdem diligere, & iis benefacere debeo.

Atque hîc non est, quod putemus, nos in eo casu quicquam de iure nostro cedere, aut aliis donare. nam officij partes obimus necessarias. Ethnici fortasse fuerit, dicere, condonando, & remittendo priuatas iniurias sese de iure suo cedere. At Christianus ac pius facilè aduertit, se nihil dum hîc iuris sui amittere, nihil etiam de iure suo cedere: facit enim vt iussit Dominus, & vt necessum est, si quidem velit sperare apud Deum eandem clementiam. Officij est igitur

gitur & quidem necessaria & debita hæc remissionis species. Cæterùm quousque hæc extendatur, & quoties repetenda sit, Christus Petrum docuit, nõ septies, sed septuagiessepties, hoc est, infinitis modis, sine numero. in summa quoties offensa emergit, toties remitti debet, siquidem frater eam petat. de quo vide scholia nostra in Matthæum.

Minister verbi peccata remittit.

Quartò, est quędam etiam remissio peccatorum in ministerio verbi posita, quò facit potestas clauium. Matth. 16 & Ioan. 20 *quorum remiseritis peccata, remissa erunt*, &c. & 2. Cor. 5. ait Apostolus, *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis*, διακονίαν τῆς καταλλαγῆς. Item posuit in nobis λόγον τῆς καταλλαγῆς, hoc est, *sermonem reconciliationis.* Hac vtuntur ministri Euangelij, dum Christi mandatum auditoribus denuntiant, *Pœnitentiam agite & credite Euangelio:* iussit Christus, illis omnibus suo nomine, remissionem peccatorum promittere, quam ita certò credere debemus, ac paralyticus ille, *Fili remittuntur tibi peccata tua.*

Formula absolutionis.

Facit hoc ad alendam fidem, & confirmandas conscientias ex verbo Dei, contra tentationes Satanæ, incitantis nos ad desperationem, in agnitione peccati. Ideóque vtile est sæpè audire illam absolutionis formulam, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.*

Firma est hæc remissio solùm in credentibus, hoc est, quos seriò pœnitet, seriò ex animo fratribus quoque offensam condonant, seriò etiam apud Deum & fratres quos ipsi offendunt condonationem & reconciliationem quęrunt.

1. Ita enim minister rem intelligere debet, se non pleno iure hoc munus habere, nã aliunde eam potestatem accipit: non est naturaliter ipsius.

Deinde cùm sit aliunde accepta, non liberè accepit, vt ea pro suo arbitrio vti possit: sed hæc facultas attemperanda ad voluntatem Dei, qui eam contulit. Quare absolutionem hanc dabit illis, quos Deus iam absoluit, & remittet, quibus Deus remisit. Si pergat eam communicare improbis & impœnitentibus, vtique vim nullam habebit, & declarabit minister se de illorum esse numero, de quibus Ier. 6 *qui dicunt pax pax, & non erat pax*, &c. Ezech. 13. *Deceperunt populum meum, dicentes pax, pax, &c.*

II. Quibus.

Sequitur, vt expendamus ad quos pertineat hoc bonum, hoc est, quibus remittantur peccata. Primùm, si respiciamus ad Deum primam causam remissionis, vtique dicendum, est seriò pœnitentibus solùm remitti. Sic enim Euangelium hoc patefactum est, *Pœnitentiam agite*, Necessaria hîc est peccatorum agnitio & detestatio, ac conuersio ad Deum, & Ioan. 3. fidem requirit. *Sic dilexit Deus mundum, &c. vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ad fideles itaque solùm spectat hoc bonum, infideles & impœnitentes hic nihil sperent. Deinde si respiciamus ministrum, qui promulgat remissionem peccatorum: doctrina quidem de pœnitentia generalis est, & omnibus promiscuè est proponenda, secundùm dictum Christi, *Ite in orbem vniuersum* & doctrinam Apostoli, *Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire.* Et hîc quidem promiscuè omnibus est proponenda doctrina de pœnitentia, de merito Christi, & gratia reconciliationis.

Doctrina de remissione peccatorum conditionaliter proponenda

Cæterùm Remissio peccatorum non omnibus est promiscuè proponenda: sed fidelibus, seriò pœnitentibus, nam in concione Euangelij locus de Remissione peccatorum est inclusus conditionaliter, *qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Item, *vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Item, *si filius vos liberauerit, verè liberi eritis.* Item, *nisi remiseritis hominibus errata sua, Pater vester non remittet vobis errata vestra.* Hæc doctrina necessaria est, ne promiscuè omnibus & sine conditione proponatur peccatorum remissio, vt faciũt Pontificij, qui absoluunt scortatores, homicidas, & manifestè etiam impios & blasphemos, quos Deus non absoluit: imò condẽnat. Cùm igitur conditionalis sit remissio peccatorum, sciamus tum nobis remitti à Deo, & ratam fore ministri absolutionem, si seriò pœnitentiam agamus: si proximo ipsi etiam remittamus: ac seriò cum illo conemur redire in gratiam, &c.

Videamus etiam quid remittatur nobis: ad quod simpliciter dici potest peccatum nobis remitti, primùm à Deo: deinde, à ministro nobis eandem confirmari, & nos fratribus etiam peccata remittere, quanuis ad hoc retrogrado ordine ascendamus. Fides enim est ex auditu: audienda igitur doctrina Euangelij. Pœnitendum est, remittendum etiam: sic demum firmi esse poterimus de accepta remissione.

Scholastici culpã à Deo remitti, nõ pœnam affirmant.

Cæterùm in peccati nomine, hîc alij variant: nam Scholastici reatum à facto separant, & vtrunque à pœnis: ac docent donari quidem culpam, pœnas tamen manere, quæ sint delendæ aliqua Satisfactione: ac de tota hac doctrina mox dicemus. Iam quòd hunc attinet locum, contrà sentimus, remitti sanctis simpliciter omnia delicta, culpam etiam cum pœnis & reatu, etiamsi interea maneat peccatum in sanctis, & castigationes temporales.

Beneficiũ Christi non est imperfectum.

Ac sanctis & electis omnia remitti testatur scriptura. Ezechias fatetur, *Proiecisti post tergum tuum, omnia peccata mea*, Psal. 9. *Quæretur peccatum eius, & non inuenietur.* Ierem. 31. *Peccati eorũ non ero memor.* Rom. 8. *nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu.* Quòd si non omnia remitterentur, vtique Ezechias malè de omnibus intellexit: aut quomodo beati esse possunt fideles, cùm vel vnum peccatum retentum, reos æternæ mortis faciat? Et sanè beneficium Christi esset imperfectum, ac tolleretur certitudo liberationis nostræ & reconciliationis, quę omnia tanta fide & diligentia nobis inculcat scriptura.

Infidelibus contrà, nihil remittitur: cùm quicquid illud sit, quod in eis remissibile dici posset, sit inutile & infrugiferum. Damnatio enim finis est peccati, vti mors stipendium eius: in quam dum incidunt, peccatorum suorum omnium stipendium accipiunt. Quare, hîc nihil video remitti, nisi placeat sic appellari: dum in hac vita multa impunè petulanter perpetrant, contra Dominum, & sanctos eius. At non est illa remissio: sed pœnarum dilatior, quam grauitate mox compensat, de his rectè dicitur Dauidis illud Psal. 50. *peccatum meum contra me est semper.*

Errores in doctrina de remissione peccatorum.

Exposui breuiter sententiam veram ex sacris literis, de remissione peccatorum, cui astipulatur patrum etiam doctrina. Consideremus iam quibus modis in hoc loco erratum sit.

Nouatiani salutarem doctrinam hanc de remissione peccatorum limitarunt, ac putarunt semel tantùm concedendam, nec esse iterandam, quemadmodum nec Baptismus repeti debet. Ad hoc suum institutum adhibebant loca ad Heb. 6. & 10.

Lib 2. Clede. adefinm.

Fuerunt his non multùm dissimiles Stoici inter Philosophos: ex quorum sententia scribit Seneca, *Non est sapientis quicquam committere ob quod pœnitendum sit, nec sibi aut aliis vspiam veniam in erroribus daturum virum sapientem.* Ac Stoicorum quidem sententia locum haberet, si naturæ integritas maneret, qualis fuerat condita. Verùm cùm prolapsa sit ita, vt ne vnus sit qui faciat rectum, ad veniam nos confugere par est. Et quia etiam sapientissimi peccant, non est alienum ab officio viri boni, veniam libenter dare erranti. Iubet id lex naturæ: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Notaui, dogma hoc iam à multis esse refutatum, quod ideò infirmius est, quòd à Christi exemplo & doctrina est planè alienum. Ab exemplo eius sic alienum dico, quòd nullus vnquam veniam petendo, sit ab eo repulsus. A doctrina verò, quia nullum terminum statuit veniæ dandæ, non septies, imò nec septuagiesseptics, sed sine numero, quoties frater id postulat. Accedit quòd errata quotidiana sint. Par est igitur veniam indies repeti, facit contra eos tota Apostolorum doctrina, quæ nulla peccata iubet retinere, excepto peccato in Spiritum Sanctum: quod tamen quale sit, vix diiudicari nisi à morte potest.

Peccatũ in Spir. S. vix nisi à morte diiudicari potest.

Peccant isti in sinistram partem, qui nimiùm rigidi sunt humanæ imbecillitati. His emerserunt deteriores longè, qui ad dextram exorbitant. Nam Pontificij præsumunt sibi quandam authoritatem planè diuinam, cuius remittendi, quouis etiam tempore: in quibus certè manifesti sunt illi errores.

Primùm, quòd iudicium sibi etiam sumunt in pœnas æternas, docent enim animas per ipsos à morte æterna absolui: quæ solius est Dei potestas.

Deinde, quòd pœnas quasdam purgatorij excogitarunt, in quibus animæ à certis delictis purgentur, ac pontificum arbitrio etiam hîc dispensentur.

Cypriani sententia contra doctrinam de purgatorio.

Verùm totum hoc de Purgatorio, prętet scripturas excogitatum est, & contra patrum doctrinam. Vera est sententia Cypriani, *Quando istinc excessum fuerit: nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus: hîc vita aut amittitur, aut tenetur,* &c.

Luth. de indulgẽtiis, & onus Ecclesiæ, ca. 15.

Tertiò, in pœnas temporarias, à Deo immissas etiam manus suas immittunt, quas tamen non possunt ipsi quoque euitare: contra tempestates, grandines, illuuiones ementiti sunt, quibus Dei flagellis ipsi quoque non rarò opprimuntur.

Contrà, damnandi ius sibi arrogant. hîc in terris sine iudicio excommunicant quos ipsi volunt, addunt æternas maledictiones, cœlum ipsum claudunt & tartara aperiunt, quoties & quibus volunt. Sic remittendo peccata & retinendo eadem, grauiter errant, quos errores pridem refutarunt primi doctrinæ Euangelicæ restauratores, &c.

DE SATISFACTIONIBVS.

LOCVS XXXV.

Satisfactionis 4. cap.



E Satisfactione acturi, negotium ád illa quatuor referemus capita 1. quid Ecclesia olim vocarit Satisfactiones, & quis illarum fuerit vsus. 2. quæ hodie sit de his doctrina apud Scholasticos pontificios. 3. vt ista conueniat cum scriptura Apostolica. 4. quomodo & quibus argumentis suam astruant hodie aduersarij: quibus absolutis officio nostro in præsens videbimur etiam satisfecisse.

Satisfactio quid.

1. Satisfactiones vocabant experimenta illa quibus lapsi in grauia scelera probabantur, an seriò pœnitentia afficerentur nec ne: & dicebantur Satisfactiones, non respectu Dei, sed Ecclesiæ, à qua recipi cupiebant, & cui satisfaciebant, hoc est, tantum præstabant, quantum Ecclesiæ, in qua peccauerant ad reconciliationem satis videbatur. Respondebant igitur spei & expectationi, dum essent excommunicati, & toto illo tempore pœnitentiæ, se ita gerebant, vt testimonium haberent à reliquis, seriò actæ pœnitentiæ. Hoc sensu Latini vtuntur

Latini.

tur verbo satisfaciendi, pro respondere expectationi, & reconciliari cum læso. Ac cùm reci piendi essent, fiebat inquisitio in vitam & mores: si possent testari fideles, sibi ab eo satisfactum esse, recipiebantur, sin minus, continuabatur tempus exclusionis.

1. Ac erat magnus illius satisfactionis vsus. Nã Ecclesia hinc sumebat experiméta serię pœnitẽtiæ, in lapsis, vt qui negassent fidem in persecutione, vel scortatione, aliísve sceleribus se polluissent, remouebãtur a rerum communiũ vsu, à precibus aliisq; fidelium cœtibus, donec errores non solùm faterentur sed lachrymis etiam & alia disciplina testarentur dolorem. Satisfactionis multiplex ac vtilis vsus.

Deinde proderat hoc exemplum aliis, vt constantiam seruarent in confessione, vt mores castos retinerent, ne subire eam ignominiam coram fidelibus cogerentur.

3. Et quos læserant sua petulantia, aut offendiculo suo, hos sibi reconciliabant, declarato iusto dolore.

4. Denique ipsis plurimum conducebat: discebant enim piè viuere: dediscebant aliis scandalo esse, deponebant errores & vitia, tam in confessione, quàm in vita ciuili. Nec vlla hic erat mentio meritoriæ satisfactionis coram Deo, cùm totum hoc in Ecclesia, vt in Ecclesia perageretur, nec ad Dei tribunal referretur.

Definiamus igitur Satisfactionem hoc pacto. Satisfactio est experimentũ Ecclesiæ, quo de lapsis redditur certior, an seriò pœnitentia affecti sint & cum fructu recipi possint in cœtus publicos. Definitio vera.

2. Posterius seculum, doctrinam hanc corrupit, & pro Satisfactione Ecclesiastica, induxerunt satisfactionem meritoriam: & dicunt, Satisfactio est pars pœnitentiæ qua secundum qualitatem & quantitatem culpæ, soluitur qualitas & quantitas pœnæ: qua definitione compensationem faciunt culpæ & pœnæ, & culpam dicunt remitti quidem Christi merito, sed pœnas delendas satisfactionibus: & cùm vita hominis tot pœnis soluendis nõ sufficiat, varios modos excogitarunt: quasdam pœnas satisfactionibus deleri, alias redimi indulgentiis, nonnullas remitti potestate clauium. Vnde nundinatio instituta est, & homines persuasi de falso & impio fine, quòd scilicet peccata & pœnas peccatorum, coram Deo possint delere his satisfactionibus. Scholasticorum mala definitio. Satisfactionis nundinatio papistica.

Hinc distinxerunt satisfactionem, vt alia esset vera, alia falsa. Veram vocarunt in qua esset proportio solutionis in pœna, ad culpæ qualitatem & quantitatẽ. Falsam dixerunt quę hanc adæquationem assequi non posset: quo sanè fatentur omnem satisfactionem humanam corã Deo falsam esse, cùm nullus vnquam repertus sit qui hanc adæquationẽ Deo potuerit persoluere. Christus enim frustra mortuus esset, si quis hominum Deo tantum posset loco pœnarum soluere, quantum culpæ habet. Diuisio.

Addiderunt hanc etiam diuisionem, quòd alia sit Publica, quæ coram Ecclesia ad arbitriũ sacerdotis est peragenda. is imponit infinitas ceremonias non consulto Dei verbo, nẽpe cereos, vigilias, precationum certum numerum, humi cubationes, oblationes, &c. Alia priuata, qua Deo quilibet satisfacit pia conuersione totius vitæ. Interim superiorem meritoriam esse dicunt, & primo gradu ponunt: hanc secundario, & cuiusque arbitrio relinquunt. Alia diuisio.

Accessit & illa partitio, à partibus satisfactionis, alias esse principales: vt est, oratio, ieiuniũ, & eleemosyna. Alias secundarias: quales sunt, vigiliæ, peregrinationes, disciplina corporis. Alia diuisio.

Quòd si vsum harum omnium requiras, longa instituitur oratio in prædicãdis vtilitatibus harum satisfactionum: in quibus totidem semper abusus & errores notari possunt.

Primùm enim ad Deum referunt omnes satisfactiones, cùm Ecclesia eos retulerit ad homines, quibus debuit à lapsis, qui recipicupiebant, satisfieri. Hi dicebant, inquisitione facta, nobis satisfactum est. Interea peccatorem coram Deo non absoluebant meritò harum satisfactionum: sed erat disciplina politica, morum in Ecclesia. Illi totum hoc ad Deũ referunt, apud quem merita satisfactionum prædicant. Abusus.

Deinde ad specialia descenditur, quòd his æternam mortẽ possint homines effugere: cùm hoc totum sit beneficium Christi, quo sanè vehementer obscurant meritum Christi, cùm illi satisfactiones suas assumunt, tanquam συνεργά, id est, cooperantia. Ideo passim scribunt, quòd homo possit Deo satisfacere pro peccato, cum ipsius adiutorio, & cum merito passionis Christi: quasi Christi sacrificium non fuerit planè satisfactoriũ, nisi accedant nostræ quoque satisfactiones pro peccato. Papisticę satisfactiones obscurãt meritũ Christi.

3. His docent deleri etiam mortalia peccata: quasi quædam non sint mortalia. Omne peccatum sua natura mortale est, & dignum morte coram Deo, interea non negamus gradus esse peccatorum, quibus aliud alio grauius sit. Attamen coram Domino, nullum tam leue est, quin iram Domini sua natura prouocet, & ideo mortis reos efficiat, eo ipso quia malum contra voluntatem Domini committitur. Omne peccatũ sua natura mortale est.

4 Redimere pœnas purgatorij, quarum metu homines libentiùs hic subeunt pœnas: sed prior error de purgatorio prius firmiter erat probandus.

5 Æterna supplicia in temporalia conuertere, quæ sanè speciosa est communicatio.

6 Per hæc opera, fieri satisfactiones meliores, quas Deo alioquin non debemus, immemores dicti Domini Christi, *si omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus.* Sed fingunt tantam co-

piam bonorum operum, & multa in his sunt lege diuina non præcepta, quæ in satisfactionibus primum habeat locum, quasi vilia sint quæ lex præcipit, aut illis ad amussim sit per eos satisfactum.

Opera supererogationis. 7 Hinc est quod docet opera Supererogationis, quibus viui non solùm pro viuis, sed pro defunctis etiam satisfacere possint. Ac manifestè docent vnum pro altero, Deo posse satisfacere, modò is, qui commisit peccatum, sit contritus de eo. Pro pœnitentia etiam iniuncta, si interueniat authoritas confessoris, qui potest dispensare, aut si interueniat casus, vt is, cui iniuncta fuit non impleat in hoc mundo, cum per alium posse compleri: quod manifestè pugnat cum veteri disciplina. Cyprianus grauiter inquit, *cùm hinc recessum fuerit, nullus amplius superest locus pœnitentiæ, nullus locus satisfactionum.* Cyprianus.

8 Accedit & is error, quòd hodie prius semper illis denuntiatur Absolutio, postmodum demum imponunt aliquas satisfactiones: cùm apud veteres Satisfactio præcederet: habita enim inquisitione, quærebant an Ecclesiæ satisfecisset: hodie id negligunt, absoluunt, postea imperant peregrinationes, aut precum numerum, cereos, vel simile quiddam.

Pecunia debitas satisfactiones, Papistæ compensant. 9 Denique satisfactiones etiam iniunctæ rarò præstantur, sed cùm difficiliores visæ fuerint, petunt dispensationem: his mox indulgetur accepta pecunia, atque ea venia pessimis quibúsque parata est.

10. Adeo vt redimant non solùm præterita delicta, sed futura quoque, quæ in animo perpetranda conceperunt: nota sunt huius rei exempla, quæ nostra memoria contigêre & produci possent, si opus foret. Ex nostris Ementhalensibus, quidam rusticus redemerat homicidiũ, ac addita ampliore pecunia, redimebat simul, vt liceret illi adhuc vnum occidere, quod obtinuit. Illa est satisfactio speciosa quam prædicant, pro delictis. Hæc fermè est doctrina & vsus satisfactionum hodie, de quibus consule Antoninum, Thomam, Bonauenturam, Summam Angelicam, & similes, &c.

Scholastici doctores satisfactionũ. III. In recitatione doctrinæ scholasticæ ferè vbique indicati sunt abusus & opposita doctrina sanior ex sacris literis, ideo hîc breuior esse volo.

Primùm, certum est hanc doctrinam illorũ, minimè congruere cum doctrina Apostolica & sacris literis. Nam scriptura remissionẽ peccati, non tribuit dignitati nostræ, sed propter ipsum Dominum nobis euenire indicat. Esa. 43. *Ego ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Esa. 53. *Ipse tulit infirmitates nostras.* 1. Petr. 2. *Peccata nostra ipse tulit in corpore suo super lignũ, quo peccatis mortui, iustitiæ viueremus.* Rom. 8. *de peccato condemnauit peccatum in carne, hoc est, Christum dedit perfectam hostiam pro peccato:* hinc ἀπολύτρωσις. i. redemptio, dicitur Rom. 3. *iustificamur gratis illius gratia,* per ἀπολύτρωσιν quæ est in Christo Iesu. 1. Timoth. 2. *semetipsum dedit ἀντίλυτρον.* Ephes. 1. in ipso habemus ἀπολύτρωσιν *per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ suæ.* 1. Cor. 1. *Christus factus est nobis sapientia, iustificatio, iustitia,* ἀπολύτρωσις: quæ Christo non poterant tribui absolutè, si pars remissionis & redemptionis penderet à nostris satisfactionibus. Fatemur cum Dauide, Psalm. 130. *Domine, si iniquitates obseruaueris, quis consistet?* quasi dicat, nemo. Non igitur vllæ satisfactiones humanæ nos hîc iuuabunt: solus Christus nos tuebitur. Testimonia Script.

Christus & Apostoli, nullas iniũxerũt satisfactiones. Deinde, Christus & Apostoli nullis huiusmodi Satisfactiones iniunxerunt pœnitentibus & conuersis ad Deum. Latro in cruce subitò accipit remissionem omnium peccatorum, & simul pœnæ, *Hodie mecum eris in paradiso*, audit sibi dici, non adduntur priùs aliquot satisfactiones. Sic Publicanus Luc. 18. mox absolutus redit domum. Et Paralytico Mat. 9. remittitur culpa & pœna, totũ peccatum simile est in Actis 9. & de Petro scribit Ambrosius, illius legi lachrymas, non satisfactiones. Docent ista, Deum electis & culpam & pœnam remittere, nihil tale merẽtibus, propter Christum. Itaq; satisfactio non Dei respectu debet institui, ne Christi meritum deleamus aut extenuemus. Ambrosius.

3 Denique satis arguit illorum ineptias, res ipsa. Nam si probè consideretur ritus satisfactionis institutus in Ecclesia, euidentissimum est, totam illam satisfactionem, rem esse impossibilem: dum enim pro vno conãtur homines satisfacere, infinita alia de nouo subrepunt. Etenim sapiens quoque per diem septies labitur. Prouerb. 24. Et Christus dicit Luc. 17. *si septies peccauerit in te frater tuus,* significans lapsus assiduos esse. Quis ergo finis erit satisfactionum? Dum pro vno satisfacio, millia accumulo, & quomodo pro istis satisfaciam? Nulla vita hominis sufficit tot peccatis abluendis. Sed & modus ipse infinitas habet ceremonias, peregrinationum, castigationum, ieiuniorum, precum, quæ dum animaduerterent, per vnũ omnia præstari non posse, nouam veniam per indulgentias excogitarunt: quod nihil aliud est, dicere, quàm onus satisfactionum esse importabile. Fortasis illud est, quod Christus dicit Matth. 23. de Pharisæis & Scribis, *Imponunt onera grauia super humeros hominum, quæ ipsi ne digito volunt attingere.* Onus satisfactionum importabile.

4 Qui illam hodie tuentur, ac satisfactionem quandam meditantur, pro pœnis & peccatis suis, habent quædam præsidia scripturæ, quibus tamen penitius inspectis, parum iuuantur. Ex his proferemus quædam.

Obiectio. Primùm citant locum. 1. ad Cor. 3. *si cuius opus exustum fuerit, damnum patietur, ipse tamen seruabitur*

uehitur, sed tanquam per ignem.

Ex quo loco, non solùm satisfactiones, sed ignem etiam purgatorij extruunt, Respondemus autem ignem hunc examinis & probationis esse intelligendum, non autem satisfactorium. Nã Apostolus loquitur de doctrina per metaphoram superstruentiũ eidem fundamẽto, quorum alij argentum, alij lapides pretiosos, alij ligna, stipulam, fœnum superstruunt, &c. cuiúsque autem opus probandum, inquit per diem iudicij. De censura igitur diuina, qua doctorum opus probandum est, locus accipitur ab Apostolo. Responsio.

Et Augustinus lib 21. ciuita. Dei cap. 26. vbi copiosè hunc locum tractat, nullam facit nec purgatorij, nec satisfactionũ mentionem. Nec Chrysostomus: probandum igitur illis est, ignẽ hic significare satisfactiones. August. Chrysosto.

2. Ad Cor. 1. cap. 11. scribitur, *si nos ipsos diiudicaremus, non iudicaremur.* Respond. priore loco κρίνειν accipitur pro accusare seipsum, & sui censuram peragere, quod fit ab his qui seriò agunt pœnitentiam, toto pectore detestantur priorem vitam, & de emendatione seriò cogitant: hi, sibiipsis indignantur, se accusant, sibi toti displicẽt: hinc mox ad Dominum sese conferunt, & ad gratiam Dei, firmo proposito vitæ emendandæ. Hoc pacto inquit Apostolus, si nos iudicaremus, à Domino non iudicaremur, hoc est, non puniremur. Deus enim pœnitentibus remittit & culpam & pœnam. Itaque locus contra eos potius facit: negat enim pœnas etiam pœnitentibus esse infligendas: si etiam non sunt puniendi, nihil opus est illorum satisfactionibus. sed falluntur in eo, quòd iudicare primo loco accipiunt pro operibus illis fictis in satisfactione, quæ à cõfessore præcipiuntur: quasi seipsum iudicare sit, sibi genus satisfactionis deligere, aut impositum persequi: errant & posteriori loco, quasi non iudicari à Domino sit, mutari pœnas ęternas in temporales. Sed errat ea interpretatio à mente Apostoli: quia propter abusum cœnæ Domini dixerat multos obdormiuisse, hoc est, pœnas dedisse Domino. Non inquit mutatas in aliud genus, sed executioni commissas, vt reuera illa opera externa, sine fide & timore Domini, nõ sunt cultus Deo gratus: seruetur igitur mens Apostoli. Si ageremus seriò pœnitentiam, non opus esset iratum Deum timere, vt accidit impœnitentibus. Erronea interpretatio.

3 Matth. 3. Christus inquit, *facite dignos fructus pœnitentia.* Respondeo, dignos esse pœnitentia, qui illam ornant & docent, qui spei & expectationi electorum respondent: non autem dignos dicit merito satisfactionis, quasi dicat, *Ir verheyssend vie guts, so tund darnach,* hæc illa dignitas est, &c. Alia obiectio.

4. Luc. 7. *remissa sunt illi peccata multa, quia dilexit multum.* Respond. Remissionis assignatur ratio, non causa efficiens, & sumitur à consequentibus, quæ primùm solẽt in oculos hominum incurrere. Nam de remissione & aliis incipiunt homines iudicare à posterioribus, quę sunt amare Deum seriò, diligere proximum, flere peccata sua, emendare mores: ex his enim incipimus iudicare, hic Deo indubiè placet, & est de numero electorum. Itaque absolutio necessariò apud Deum iam præcessit, nec enim in sui notitiam venire poterat, nisi diuinitus illuminatus: hinc dilectio non potest esse satisfactio pro peccato, tanquam quiddam posterius ipsa absolutione diuina. Est autem approbatio coram Ecclesia, vt illi satisfiat, & hanc personam pertinere ad numerũ electorum. Ideo Christus etiam dicit *Remissa sunt*, alioquin dicendum erat remittentur tibi: sed ad finem sermonis affert veram causam, *vade, fides tua te seruauit.*

5 Dan. 4. *Eleemosyna redime peccata tua*, Respon. loqui Danielem de vera animi immutatione: nam addit, *id enim erit sanitas pro errore tuo*, quasi dicat, hactenus multos oppressisti, pro eo malo repone iam bonum, miserere pauperum vt hactenus afflixisti: poterant enim signa hæc esse veræ pœnitentiæ, sine qua gratiam Dei postulare non poterat. Deinde non negamus præsentes pœnas sæpe mitigari diuina clementia, vbi seriò redimus in viam, & bonis operibus approbamus emendationem. Interim costanter negamus eleemosynam opus esse satisfactorium aut etiam meritorium, vt ipsi loquuntur. Eleemosyna non est opus satisfactorium

6 Moses in veteri Testamento singulis propè delictis constituit certas expiationes, tanquam satisfactiones peccati.

Respond. primùm non ignorant ipsimet qui hæc afferunt, ceremonias Mosis ad nos nihil pertinere. Sed esto, duci argumentum ab analogia solùm, non tamen probare possunt, expiationes Mosaicas fuisse satisfactiones, vt hodie in vsu sunt: sed ipsa sacrificia compensationem quandam adumbrabant, quam monstrabant quadam vmbra perfectam fore in Christo, qui tandem perfectum sacrificium expiatorium & satisfactoriũ obtulit Deo Patri: sed eo iam exhibito, magna dementia est vmbras sequi & comminisci nouos typos, quibus aduentus Christi exinanitur. Expiationes Mosaicæ nõ fuerũt satisfactiones.

7. Adamo dimissa quidẽ est culpa: sed pro pœna debuit satisfacere. Respond. hoc illi quidem dicunt, sed vnde? Vltra cõminatam pœnã mortis, Deus alia superaddidit. Genes. 3. Rectè quidem, additæ sunt pœnæ: sed vbi satisfactio pro pœnis? *terra illi feret spinas & tribulos, & mulier in dolore pariet filios suos:* nullibi tamen fit mentio satisfactionis. Sic de Dauide adultero & homicida & pœnitente, nulla legitur satisfactio. Nathan illi simpliciter ait. *Dominus trans-*

tulit peccatum tuum, hoc est, deleuit, nec iussus est satisfactionibus expiare.

8. Deuter. 25. *Si quis fuerit filius impius, & dignus qui vapulet, cædat ipsum iudex in conspectu tuo, iuxta impietatem eius, secundum numerum 40. plagarum verberabit eum, & non addet.* Respon. Politica fuit pœna, &, si velis, satisfactio, sed nihil pertinebat ad conscientiam coram Deo: satisfaciebat iudici & læso, quod manifestè Moses dicit. Tales hodie sunt pœnæ politicæ scelerum. Nihil igitur hinc probant, quia hodie tota satisfactio ad Deum refertur, apud quem promereri aliquid volunt. Ideò olim satisfactiones fuisse vtiles, dum ad Ecclesiam solùm referrentur: & hodie vtilis esset talis disciplina, vt peccator qui se polluisset graui aliquo flagitio, non reciperetur in cœtum fidelium nisi prius Ecclesiæ satisfecisset, sed hanc placationem illi intermittunt, & docent homines Deo satisfacere, cùm homini sit impossibile à iudicio Dei sese redimere, iuxta illud, *Domine, si peccata obseruaueris, quis consistet?* &c.

Saes factionis nō respectu Dei sed Ecclesiæ olim fiebant.

DE DILECTIONE AN SIT CAVSA remißionis peccatorum.

LOCVS XXXVI.



APud Luc. cap. 7. Christus de muliere peccatrice pronuntiat, ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς, αἱ πολλαί: ὅτι ἠγάπησε πολύ: Remittuntur illi peccata multa: quia dilexit multùm.

Quam sententiam ita intelligũt multi, quasi dilectio sit id, quo remissio peccatorum obtineatur. Et quanquam verba prima fronte hoc significare videantur: tamen mens Christi longè alia est. Quare hanc quæstionem explicaturi, priùs illa præmittenda duximus quasi fundamenta.

Primùm, hæ voces, dilectio, charitas, amor, pro eadem re sumuntur, vt Græcis interdum ἀγάπη, χάρις, φιλία. Sunt quædam discrimina, quæ nonnulli statuunt inter illas voces, sed non strictè obseruantur.

Quid sit dilectio.

A'γάπη ardens videtur affectus, copulans sese dilecto intimè: quod Græci videntur ipsa voce exprimere ἀγαπᾶν, hoc est, ἄγαν ἔχειν πρὸς τὸ φιλούμενον vel ἄγειν τὸ πᾶν, hoc est, toto animo ferri in rem dilectã, ἄγαν ποιεῖν κατὰ τὴν ποιότητα ταύτην, ad plenum, animo indulgere hoc affectu. Quibus omnibus ardens & syncerus exprimitur affectus, erga rem amatam: tamen ἀγαπᾶν ἀντὶ τοῦ φιλεῖν sumitur: & vtrunque significat tum amare, tum amoris testimonium osculari: inde ἀγάπη interdum φίλημα, hoc est, osculum significat, vt in illo Hom. ἀγαπαζόμενοι κεφαλήντε, καὶ ὤμους. i. deosculantes caput & humeros. Sacris scriptoribus ἀγάπη etiam significat conuiuia pauperibus exhibita. Sic loquitur Iudas ἐν ταῖς ἀγάπαις συνευωχούμενοι ἀφόβως. i. in charitatibus conuiuantes absque timore: de improbis, qui tamen beneficiis fidelium fruebantur. Hinc arbitror cœnam Domini Agapen etiam dici.

Odyss. χ. ad finem.

Charitas vox à Græcis fluxisse videtur, qui χάριν dicunt: qua voce, grati animi testimoniũ exprimitur, ἡ τῆς εὐεργεσίας ὁμολογία nomen ab ipso gaudio, quod in amore dominatur, inuenit. Amicitia φιλία generale videtur vocabulũ, nam verbum φιλεῖν & ἀγαπᾶν, & χαίρειν, & ἐρᾶν significat. Amor tamen etiam aliarum rerum est. Charitas verò inter solos homines: dilectio autem ad Deum etiam spectat. Sic diligimus Deum: charos habemus parentes, liberos, fratres, amicos, benefactores: amamus illos omnes: sed insuper studia literarum, otium, hortos, herbarum cognitionem: & pecuniam auari, &c.

Differũt, amor, charitas, dilectio.

Secundò. Remissio peccatorum, ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν pertinet propriè ad eum, contra quem peccatum est commissum. Et cùm peccemus non solùm in Deum, sed etiam in proximum: homo homini quoque remittit & ignoscit: tamen omne peccatum in Deum quoque committitur: quia is prohibuit etiam illa, quæ in fratrem & proximum fiunt. Ideóque vera remissio solius Dei est, quia in hunc solum peccati vindicem ab omnibus peccatur.

Triplex remissio.

In scripturis triplex est remissio expressa.

Prima plenaria & propria. Sic Deus planè remittit & propriè. Esa. 43. *Ego sum, qui deleo peccata tua Israel.* Sic Pharisæi dicunt, *Quis potest remittere peccata: nisi solus Deus.*

Altera impropria, qualis est ministrorum Euangelij & Apostolorum: *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt*, Ioan. 20 Remissio est vera, sed hominum non propria, qui illam denunciant: sed Deus qui mandatum dedit in ipsis & per ipsos remittit, hinc apud Ioannem præmissum fuit, *Accipite Spiritum sanctum*, significans Spiritum sanctum in illis remittere: & Deus spiritus est, ideóque Deus habitans in templis suis, hoc est, in sanctis suis, in Ecclesia sua, per eos remittit peccata. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere etiam præter hominem: nec enim minus idoneus est dare per se, qui potest per alium dare.

Tertia est fraternæ dilectionis & debiti: qua tenemur fratri offensas remittere secundùm

illud

illud Matth 6. *Nisi remiseritis hominibus peccata sua, Pater vester non remittet vobis peccata vestra.* Prima absoluta est propria & perfecta, quæ errare non potest. Altera mediata, & impropria, ideoq; errare potest, quatenus per homines administratur. Tertia debiti, & necessaria: sine hac enim nostram consequi non possumus. In omnibus autem Deus agit, vt vera esse possit, & sine illius authoritate nulla est rata. Homo homini peccatũ remittit.

Tertiò, Peccati nomine non solùm factum ipsum intelligimus: sed iniquitatem, quæ post factum remanet & reos nos facit: intelligimus quoque debitum, quod pœnas reposcit & satisfactionem pro culpa cõmissa. His ita constitutis, videamus an Ἀγάπη hic rectè pro causa remissionis accipiatur, necne? An verò potiùs solùm argumentum sit & indicium fidei conceptæ de remissione peccatorum, quæ dilectionem non sequitur, sed antecedit. Quid peccati nomine intelligi debeat.

Primùm, ex verbis Christi in præsenti capite: quæ sine dubio sibi consentiunt, nec vllam contradictionem admittunt. Absit enim vt pugnantem faciamus sermonem Christi. Christus igitur induxit allegoriam de duobus debitoribus vnius vsurarij: debitum etiam inęquale est: præterea soluendo non sunt: accipiunt quoque gratuitam totius debiti condonationem: non enim pars seruatur, altera dimissa: sed vtrique totum dimittitur. Ex serie verborũ Christi.

Secundò, Christus hinc enatam dilectionem requirit: quæ vt debita imparia fuere, sic in altero debet etiam meritò illustrior esse. Vt igitur debitum præcessit condonationem, ita cõdonatio prior fuit dilectione hinc enata. Ideóque Christus sic quærit, *Quis plus diliget istum vsurarium tam beneficum?*

3. Præterea, Simon Pharisæus hunc ordinem iustum agnoscit, ac respondet appositè, *Is mihi videtur plus dilecturus, cui plus est remissum.*

4. Adde quòd Christus approbat responsum Pharisæi: *Rectè indicasti.* Ex his omnibus constat remissionem debiti antecedere & tempore priorem esse: dilectionẽ verò inde causari.

Sed examina etiam verba Christi, quæ sententiam hanc consequuntur: videbis idem, luce clarius. Ex verbis quæ sequuntur illum locum.

1. Mox Christus subiicit, *Cui minus remittitur, minus diligit.* Seruat Christus proportionem inæqualitatis. Maiora beneficia requirũt maiora gratitudinis officia: sic minora beneficia, minora postulant officia gratitudinis: non quòd is non debeat etiam enixè diligere: sed vt constet illum plus teneri, & ex officio facere, si quacunque ratione gratum sese declaret.

2. Demùm quod est maximum rei argumentum, Christus ad finem sese planè declarat: *Fides tua te seruauit.* Hîc perperam fidei tribueretur salus, si dilectione impetraremus remissionem peccatorum, Vera est igitur causa hîc expressa, Fides, quæ capit promissiones de Christi merito, & applicat sauciæ conscientię: nec est aliud in nobis, quod promissiones Dei recipiat nisi fides: hac imbuta mulier peccatrix ad pedes Christi accessit, acceptura plenam absolutionem.

Addamus his, hanc seriem orationis & rerum ita perspicuũ, vt ne veteres quidem scholastici doctores sint ausi, contra hanc mentem, locum interpretari. II Ex interpretatione veterum.

Hugo ille scholasticus interpres, explicans hunc locum, de particula (*quoniam*) sic scribit, *Quoniam, tenetur ostensiuè vel significatiuè, non causatiuè*, vult enim ὅτι explicare, vt maneat idem sensus in superioribus & consequentibus. Rectè igitur explicat, τὸ ὅτι intelligendum non causatiuè, hoc est, vt non sit causa remissionis: sed sumendum ostensiuè ἀποδεικτικῶς, significatiuè σημαντικῶς: hoc est, vt dilectio monstret fidem antecedentem, & significet remissionem peccati, & gratiæ infusionem iam in muliere præcessisse. Ideóque idem Hugo verbum, Remittuntur, per pręteritum accipiendum esse dicit: *Remittuntur* (inquiẽs) *potest præsens pro præterito legi, id est, remissa esse ostenduntur.* Qua sanè interpretatione nihil potest magis esse dilucidum ad præsentem causam. Hugo. Sed videamus etiam Lyranum, qui hãc rerum seriem etiam hîc obseruauit. Lyranus Scribit autem ita. *Videtur autem quòd deberet dici contrarium, quia primò prædixerat donum esse causam amoris: hîc autem è contrario infert amorem esse causam doni. Dicendum ad hoc, quòd primò in parabola loquebatur, modo humano, vbi amor ex dono causatur: sed in applicatione parabolæ ad propositum, conuertit se ad loquendum de amore Dei erga nos, qui non procedit ex bonis meritis nostris, sed magis causat bonum in nobis, & ideo conuenienter concludit dicto modo*, &c. Lyranus non potest salebras orationis conciliare, & amorem præcedentem: rectè tamen ait esse Dei, qua ille prior dilexit nos, & efficit in nobis bona opera. Illa quidem verè dicit Lyranus, sed hîc de amore mulieris agitur, non Dei, ideóque à scopo errat. quòd si dixisset cum Hugone ostensiuè hîc dici, nondum absoluisset.

Cyprianus lib. 3. ad Quirinum hanc sententiam Christi citat, vt probet plus ab eo diligi Deum, cui in baptismo plura peccata dimittũtur: quæ sententia idem, quod hîc contendimus, affirmat, nempe Remissionem ordine pręcedere: Dilectionem verò & grati animi testimonium subsequi. Cyprianus.

Et August. Homil. 23. Tom. 10. explicans hũc locum ait, Non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata: quis autem non videt meritis hominum dimitti, si ex dilectione nostra præcedẽte flueret? Augusť. Eodem pacto Theoph. Dilexit multùm, inquit, hoc est, magnam fidem præ se tulit. q. d. declarauit magnam fidem ex dilectionis officiis, quæ D. Christo exhi- Theoph.

bit. Ita quidem singuli hanc sententiam explicant, vt constet posteriùs esse dilectionē, priùs verò Remissionem, ac Fidem apprehendentem eam.

III. Addamus coronidis loco, iam hoc ita necessarium esse, vt aliter intelligi locus non possit. Si enim dilectione impetratur remissio peccatorum, oportet illam esse priorem: habet enim rationem causæ, quæ effectum præcedit necessariò. At prior non est, sed sequitur. Nam hic sermo est de nostra dilectione, qua vel Deum vel proximum amplectimur.

Nostra dilectio peccati remissionem sequitur.

Quòd sequatur, inde constat, Rom. 5. *Charitas Dei infusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: non autem est charitas Dei sine infusione gratiæ: infusio gratiæ adfert remissionem peccatorum: hinc nostra excitatur dilectio. Alia igitur ratio est dilectionis Dei, qua nos persequitur, alia nostræ, qua Deum diligimus. Si de dilectione Dei intelligas, vera erit propositio, Dilectione sumus iusti. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt daret Filium vnigenitum*, &c. & 1. Ioan. 4. *Ipse prior dilexit nos.* Et hæc φιλανθρωπία Dei procurantis salutem nostram, antequam nati essemus.

Dilectione Dei sumus iusti.

Nostra dilectio partim ad Deum extenditur quæ dicitur θεοφιλία: partim ad homines, sub qua continentur dilectio fraterna, dilectio proximi, & dilectio inimicorum. de nulla, est vera propositio, Dilectione sumus iusti: Nam Deus nos præuenit diligendo.

Adde quòd finis dilectionis non hic est, vt impetremus remissionem, sed vt impetratam confirmemus. Ioan. 3. *In hoc cognoscent, quòd mei sitis discipuli, si dilexeritis vos mutuò.*

Remissio est opus meriti Christi.

Demùm Remissio est opus meriti Christi: non igitur debet nostræ dilectioni adscribi. Act. 10. *In eius nomine remissionem accipiunt peccatorum quotquot credunt in nomen eius.* Hinc illa passim in Apostol. doctrina, *Christus factus est nobis redemptio.* 1. Cor. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Eph. 1. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.* 1. Tim. 2. Act. 7. *Hunc Deus redemptorem constituit.* Gal. 3. *Christus nos redemit*, &c.

Series causarū remissionis peccatorum.

Quare statuamus Remissionem peccatorum, Dei opus in nobis esse: primaria causa est φιλανθρωπία Dei: organica per quam nobis exhibetur, est meritum Christi: in nobis verò organum apprehendens, est Fides. Hic consequitur dilectio, quæ gratitudinis officia, omni genere bonorum operum, Domino Deo suo exhibet. Hoc animaduertunt etiam scholastici interdum, ideóque fatentur dilectionem dari diuinitùs per infusionem, cùm de causis remissionis loquuntur, quò fatentur Dei dilectionem primum tenere locum.

Ita Hugo, quem antè citaui, loquitur, *Infunditur* (inquit) *fides peccatori cum charitate.* Facit is duplicem dilectionem: primariam, quæ præcedit iustificationem, illa Dei est: secundariam, quæ sequitur iustificationem, quæ est operis exhibitio. Rectè fatetur infundi fidem & charitatem diuinitùs: rectè etiam dicit duplicem esse charitatem, Dei scil. & nostram. Item quòd Dei dilectio præcedat iustificationem, nostra verò sequatur. Sed illud aspergit veneno, primam dilectionem fieri à peccatore, cùm illa à Deo sit, & ad nos sese extendat. Dilexit enim is nos prior. Posterior à nobis fit: & ipsa est donum Dei, testimonium fidei nostræ.

Duplex charitas.

Obiectio.

Et quòd dicunt ex 1. Cor. 13. *Maxima virtutum iustificat*: dilectio est maxima virtutū: ergo iustificat. Respondemus maiorem veram esse si intelligatur de virtute iustificante, quæ Dei est. Minor tum vera non erit, nam Dei virtus, Dei dilectio maxima est, Ioan. 15. *Maiorem dilectionem nemo habet*, &c. Loquitur de suo merito Christus iam moriturus pro mortalibus.

Responsio.

Quomodo charitas fide & spe sit maior.

Cęterùm Apostolus 1. Corin. 13. confert fidem, spem, charitatem, tres virtutes humanas, & ex duratione & vsu fratrum commendat dilectionem: nam reliquæ duæ cessabunt, illa in vita æterna etiam perdurabit: illæ ad Deum sese immediatè referūt: dilectio autem ad proximum, cui consulit, quem iuuat & subleuat: quare vsu maior est. Nihil autem hîc sequitur de remissione peccatorum: quare eò trahi non debet locus. Et notum est, virtutes singulas in suo genere esse maximas: sic Fortitudo in periculis, Prudentia in deliberationibus, Iustitia in commutatione, distributione præmiorum & pœnarum: sic Fides in credendo, Spes in confidendo, Dilectio in benefaciendo, φιλανθρωπία Dei & misericordia in condolendo & remittendo: quare vnius virtutis proprietas non debet ad alteram trahi in argumento. Ita igitur concludamus: Maxima virtus remittit peccata hominibus: φιλανθρωπία Dei est maxima virtus, ergo hæc remittit peccata hominib. In nobis autem maxima virtus, maximum apprehendit beneficium Dei: maximum beneficium Dei, est gratiæ infusio & condonationis promissio: hoc beneficium sola apprehendit fides: ergo Fides maxima est virtus in nobis, quòd iustificationem concernit. Dilectio autem duratione, & vsu in hac vita, maxima est virtus: ergo imprimis colenda est, & sine illa nihil sunt quicunque & quomodocunque profiteantur pietatem.

Vera collectio.

Hactenus περὶ τῆς ἀγάπης, quam nobis infundat Deus per Spiritum suum sanctum, Amen.

DE POE-

DE POENITENTIA.

LOCVS XXXVII.



Necessaria est doctrina de pœnitentia. Quia agnitio peccati est necessaria ad remissionem. Hinc Christi doctrina initium habuit ab hac concione Matth. 4. *Agite pœnitentiam.* Et Baptista quoque hanc primò inculcauit Israëli. Matth. 3. Sic discipuli hinc exorsi fuerunt. Matthæ. 10.

Habuit illa originem inde ab Adamo: qui primus ob transgressionē, pœnitentiam didicit. Hinc patres eandem suis posteris tradiderunt. Et ob hanc ipsam concionem videntur bona parte tot Prophetæ missi ad populum Dei. Nam in illorum concionibus nihil est frequentius, quàm vitia taxare, & ad pœnitentiam populum prouocare. Idem Christus & Apostoli postea fecere. Dicamus ergo paucula de hoc loco.

Origo.

Doctrina pœnitentiæ prophetis frequens.

Prophetæ *Schuba & teschuba* appellant. Et *Schubu* imperantis vox, frequens est omnibus Prophetis. Apparet metaphoram sumptam esse ab his qui de via aberrant: & post longos errores admoniti, ad eandem reuertuntur. Sic populus Dei relicto vero cultu diuino, sæpe exorbitauit ad Deos alienos: admonitus tandem per Prophetas, sæpe vtilem egit pœnitentiam, per quam dicebatur redire ad Deum suū. Eadem est ratio in priuatis delictis Dauidis, Manassis, Petri. Peccata nihil aliud sunt quàm errores à vero: post quos agnitos, admonemur redeundum esse nobis ad primum & regium iter. Nam genus humanum rectè cœperat ire mox ab ipsa creatione. Adam autem peccans, multis erroribus viam hanc regiam nobis perturbauit, ita vt vix agnoscamus vestigia, nisi admoniti. Adde quòd in aliis erroribus tanta est in malo dulcedo, vt placeat etiam errare multis. Nouum Testamentum appellat græca voce μετάνοιαν. Dici potest etiam μεταμέλεια, & μετάγνωσις. Frequentior est tamen prior vox. vt Matth. 3. 4. 10. Mar. 1. 2. Cor. 7.

Simile.

Peccata dicuntur errores.

1. Admonemur ea voce, nos esse de Epimethei posteritate, qui, post factum, omnes in genere, sapimus. Illud enim significat μετανοεῖν.

2. Placet tamen illa ratio, etiam dici ab ἀνοίᾳ quod est dementia, stoliditas, ineptiæ, rationis quodam vitio, & iudicij, aut etiam voluntatis petulantia obortæ. Etenim peccatum rectè dici potest ἄνοια, cùm à recta ratione diuina discrepet. Originem etiam habet ex corrupto iudicio mentis, cui accedit mox voluntas, in quibus propriè vitium ἀνοίας latet. Ab istis erroribus & ineptiis non reuocamus pedem, nisi admoniti diuina voce. Correctio hinc cōsequens & conatus emendandi dicitur μετάνοια, quasi dementium consequens correctio, & facti stolidi emendatio.

Latinis Pœnitentia à Pœna originem trahit: quòd in his, quæ nobis pudori aut tædio etiam sunt, inest quædam pœnæ ratio.

Pœnitentia Latinis à pœna dicitur.

Quare pœnitentia in se habet quandam pœnæ confessionem, quæ teneat mentes nostras, & ob id metu conscientiam perstringit. Quo docemur in pœnitentia præcedere delictum, deinde confessionem, si non oris, certè conscientiæ. Hinc mentis fluit mutatio, vt improbemus, quæ hactenus approbata fuerant, efficax in his est pœnarum metus, &c.

Quòd definitionem attinet, omissis Scholasticorum definitionibus, quas alij hactenus satis examinarunt, hanc in præsentia constituimus.

Pœnitentia est seria cordis mutatio, ex sensu iræ diuinæ contra peccatum nata, cum studio emendandi vitam, & spe de remissione peccatorum propter Christum.

Definitio pœnitentiæ.

1. Bonam autem esse inde constare potest, quòd, ad leges definitionum examinata, subsistat. Cum definito enim facilè conuerti potest sine vitio.

2. Deinde quia illa omnibus & solis verè pænitentibus competit. Qualis est Petrus, Paulus, Dauid, &c. Iudæ verò, Caino, & Saul & Esau malè pænitentibus planè non competit.

3. Præterea integrales complectitur partes, sine quibus vera pænitentia subsistere non potest, & quibus concessis eadem infertur. Qualia sunt, Contritio cordis, Propositum emendandi mores & Spes veniæ, His enim absoluitur vera Pænitentia.

Tres partes pœnitentiæ.

4. Addi potest quòd definitio veras etiā complectatur causas, nēpe sensum iræ diuinæ cōtra peccatum, & Spem, quæ ex fide promanat de misericordia Dei propter Christi meritum: quod & verum est organum salutis, cui innititur conscientia in pauoribus & tota pænitentia.

Græci sic fermè explicant. Μετάνοια ἐστιν ἐπιστροφὴ ἀπὸ πλαισμάτων ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἀγαθόν. id est, Resipiscentia est conuersio à peccatis, ad bonum contrarium. Cur sit ἐπιστροφὴ id est, conuersio, dici potest, eadem ratione, qua Hebræis dicitur *Schuba.* Significat enim voluntatis mutationem & πλαίσματα sunt errores, hoc est, ipsum peccatum, quod diximus dici ἄνοιαν, id est, amentiam: ἐναντίον autem ἀγαθὸν, est via illa regia, quam ingredi oportuit. Item propositum emendandi, & spes de venia, quam suppeditat fides. Sunt enim in hac ἐπιστροφῇ duo termini, vt

in aliis mutationibus & speciebus motus. Vnus à quo mutatio seu conuersio fit: alter ad quem conuersio tendit. Terminus à quo fit conuersio pœnitentis, est peccatum, quod hactenus placuit. Terminus ad quem fit, est ipse Deus & mandatorum eius cultus. Quò facit illud Psal. 34. *Recede à malo, & fac bonum.* Et Prouerb. 3. *Recede à malo & time Deum,* &c. Quare non malè rem explicat Græca illa sententia, cuius partes Latina definitio posita illustrat.

Partes pœnitentiæ, apud scholasticos.

Porrò in partibus pœnitentiæ assignandis non idem omnes sentiunt: Et qui idem sentire videntur, nominibus tamen discrepant.

Scholastici tres constituunt. Contritionem cordis, Confessionem oris, & Satisfactionem operis.

Contritionem appellant cordis humilitatem & conuersionem ad Deum, qua sanè significatione non tam pars, quàm tota videri potest pænitentia. Nam pænitentia est conuersio ad Deum: in qua est dolor, propositum, & spes. Confessio autem dicitur oris testimonium contra priora studia, quod in Iuda tam locum habuit atq; in Petro. Imò luculentiùs ille confessus est, dicens. *Peccaui tradens sanguinem innoxium*, quàm hîc, cuius legimus lachrymas solùm non aliam confessionem. Et tamen Petrum verè pænituit, non Iudam. Idem dici potest de Satisfactione operis: qua, pro qualitate delicti, certam illi imponunt pænam, quæ soluenda sit Deo, tanquam satisfactio. Iudas enim sibiipsi grauem imposuit pœnam, & ipse sui censor fuit & executor pœnarum. Oportet autem in assignandis partibus cauere, ne latiùs pateant ipsę partes quàm totum ipsum, de quo est quæstio: aut ne angustiores sint, quàm totius natura. Et quia hîc de bona pœnitentia quæstio est, oportebat partes sic assignare, vt bonorum pœnitentiam magis, quàm desperatorum explicarent. Quod cùm non satis commodè præstet illa partitio, eam quoque suis authoribus relinquamus.

2. Diuisio.

Alij constituunt tres eius partes alio ordine. Nam sic eas recensent vt. 1. Dolore cordis 2. Mutatione mentis. 3. & Conuersione ad Deũ perfici iustam pœnitentiam. Verùm meminisse oportuit de partibus agi pœnitentiæ, in quo loco partes substantiales non solùm singulæ à singulis distinctæ esse debent: sed singulæ etiam à toto. Id quod in posterioribus non seruatur. Nam conuersio ad Deum ipsa est *Teschuba*, vt constat Ioëlis cap. 2. Et mutatio mẽtis ipsa est μετάνοια, quæ voces ipsam pœnitentiam in diuersis solùm linguis exprimunt. Malè igitur, totum mutatis nominibus solùm, loco partium ponitur.

3. Diuisio.

Alij, duas solùm assignant partes pœnitentiæ, Contritionem & Fidem. Quod cùm faciant ita, vt fidem non tam partem pœnitentiæ constituant, quàm eiusdem causam efficientem: satis ipsi declarant nondum veras substantiales eius partes eos constituisse.

4. Diuisio.

Alij, mortificationem veteris hominis, & viuificationem noui & renati hominis assignant. A quibus non procul absunt, qui dicunt recessu à malo, & accessione ad Deum perfici veram Pœnitentiam.

Vera sententia de partibus pœnitentiæ.

Porrò ad definitionem nostram nos referamus, ex qua patebunt veræ & integrales Pœnitentiæ partes. Hæ scilicet, Cordis seria mutatio, Emendandi propositum, & Spes veniæ.

1. Contritio.
2. Propositum emendandi.

Primum illud necessarium est, quia agnitio peccati inest in pœnitentia, & mutationem oportere esse cordis ostendit Ioël cap. 2. *Rumpite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Ab ipso dolore aut contritione cordis, emendandi propositum. Quòd secundam constituimus partem pœnitentiæ, Matth. 3. *Facite dignos fructus pœnitentiæ.* Præterea frustra dolemus præterita, nisi iussa accedat emendatio. Quò facit locus Ambrosij: An quisquam illam pœnitentiam putat vbi acquirendæ dignitatis ambitio? vbi vini effusio, &c. renunciandum est seculo, &c.

3. Spes veniæ.

Tertia eius pars est, Spes de venia, Distinguit hæc expressè veram à falsa pœnitentia. Sic Iudas non egit pœnitentiam, non Saul, non Esau, non alij quicunque in desperatione absorpti sunt.

Ad has partes examina omnem omnium sanctorum pœnitentiam, videbis rectè conuenire. Sic Niniuitæ agunt pœnitentiam vt spem de venia concipiant: sic Dauid, sic Ezechias, sic Petrus. Sic qui vnquã ad Christum accesserunt.

Sint igitur veræ & integrales pænitentiæ partes, Dolor de admisso peccato, Propositum emendandi mores, ac Spes concepta de reconciliatione.

Et quia in partitione versamur hîc, expendamus etiam eam diuisionem, qua non in partes, sed species diuersas dirimitur pœnitentia.

1. Diuisio. Pœnitentia vera. Falsa.

Hac consideratione duplex est pœnitentia. Alia enim est vera, alia falsa. Veram alij vtilem appellant, alij internam, alij euangelicam. Falsam autem inutilem, externam, legalem, & hypocriticam. Vera est, quæ ad salutem pænitentis facit: Qualis fuit Petri, Dauidis, Niniuitarum, populi Dei in libro Iudicum sæpe repetita, & sub piis regibus, vt Ezechia, Iosia. Falsa, quæ ad damnationem pænitentium facit: atque illa, aut in nudo apparatu consistit externo, (contra quem clamat Ioël, Esaias & Christus in nouo Testamento, de apparatu orantiũ & ieiunantium.) Talis est Pharisaica pænitentia dissidens à cordis proposito: aut est seria & per-

& pertingens ipsum etiam cor. Talis, & quidem seria fuit, Caini, Iudæ, Saulis, Esau, &c.

2. Diuisio. Bona, mala.

Tertullianus distinguit in bonam & malam. Bonā appellat, qua homo melior redditur. Malā, qua boni operis pænitet. Vt fecisse eleemosynam, si auarum pæniteat: ieiunasse Epicurum aliquando pænituit. Mala est illa pænitentia: nam homo in deterius proficit. Ecebolium pœnituit Christianum fuisse. Iulianum sanguini pepercisse piorum.

3. Diuisio Christiana. Ethnica.

Est & illa distinctio. Aliam esse Christiani hominis pœnitentiam, quæ nititur certa Dei voluntate, & spe de reconciliatione. Aliam autem esse hominis Ethnici, qui tædio ægritudinum desinit esse potator, scortator, aliáque vitia deserit. Aut qui ex iud[icio] rationis desinit peccare seu formidine pœnæ, seu virtutis amore.

4. Diuisio. Priuata. Publica.

Apud Theologos antiquiores est illa quoque differentia. Aliam pœnitentiam esse priuatam, aliam publicam. Priuata, est cuique propria: quam singuli indies debemus agere, orantes, Dimitte nobis debita nostra, &c. Publica est, quę publicè præstatur seu à paucis, seu etiā à multis. Paucorū exomologesis, est quam singulis vel seorsim, vel cū aliis aliquot edunt apud Deum. Multorum, qualis Niniuitarum, & ecclesiarum integrarum tempore persecutionū. Exomologesis qualis fuerit, ex Tertulliano & Cypriano intelligi potest. Cyprianus quoque scribit: *Nam cùm in minoribus peccatis agāt peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secūdùm disciplinæ ordinem, ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri, ius communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, nondum pœnitentia facta, nondum exomologesi finita, nondum manu eis ab Episcopo, aut Clero imposita, Eucharistia illis datur*, &c. Idem copiosiùs persequitur. Epist. 16. eiusdem lib. 3. & lib. 1. Epist. 3. Lib. 3. epist. 14.

Tertullianus in libro de pœnitentia vtcunque depingit illam. Diligentiùs originem eius Beatus Rhenanus in eundem librum congessit. Ex quibus omnibus colligi potest, Pœnitentiam illam publicam, habuisse quādam actionem, certo tempore, certa pœna imposita, certo etiam habitu, quibus tandem præstitis, pœnitentes suscipiebantur in cœtum Ecclesiasticum, & ad sacramentorum admittebantur communionem. In quo reperio illam etiam fuisse obseruatam varietatem, seu potiùs cautionem, vt non statim pleno iure admitterentur ad omnia sacra. Verùm sensim primùm admittebantur pœnitentes inter Audientes, deinde inter Credentes, postea inter Orantes: Demum, plena reconciliatione, vt etiam sacramentis communicarent. Hinc pœnitentiæ & pœnitentium quatuor emerserunt gradus. Ac vt apparet, pium fuit illius primum institutum, vt ex Hier. & August. etiam colligi potest: tamen partim in carnificinam conscientiarum postea degenerauit: partim in meram ostentationem & hypocrisin, qualem hodie videmus pœnitentium publicè esse ostentationem. Missam ergo hanc faciamus.

Pœnitentiæ gradus.

Causæ.

Causæ pœnitentiæ hoc modo considerentur. Efficiens in definitione expressa est, Sensus iræ diuinæ contra peccatum. Hunc sensum excitat Alastor conscientiæ, molem peccati accusans, & conferens ad legem Dei. Hinc Apostolus de lege dixit: *Lex iram operatur, & peccatum non imputari, vbi non sit lex.* Ex illa collatione, cumulus peccatorum incipit cor & conscientiam premere. Hinc illa cogitatio & pœnitudo mutans animum. Accedit deinde Spiritus sanctus consolator, per fidem excitans spē de remissione, & reconciliatione, qua conscientia erigitur, merito Christi & gratia proposita. Hic verus est dolor secundum Deum, efficiens pœnitentiam veram: de qua Apostolus 2. Corin. 7. Et Ioannes Baptista: *Pœnitentiam agite & credite Euangelio.* Marc. 1. Quibus verbis has duas partes expressit, dolorem animi de vita priori, & spem veniæ ex fide scaturientem. Vtrunque in piis donum est Dei. In impiis tantùm est dolor, sed non secundum Deum.

Rom. 4. Rom. 5. Vnde spes veniæ.

Dolent impij, non sperant.

Materia in qua hæret, vel subiectum pœnitentiæ est voluntas. Est enim mutatio animi, seu cordis dolor, quæ ad voluntatem pertinent.

Materia circa quam, vel obiectum est peccatum, cuius mole premitur, & de quo expiando cogitat.

Forma veræ pœnitentiæ est in tribus integralibus partibus sita. Nam dolor de admisso peccato, emendandi propositum, & spes veniæ eam perficiunt & formant, quòd ipsum animū attinet. Accedit tamen externa etiam forma interdum, vt est videre in pœnitentia populi Dei, Dauidis, Niniuitarum, &c. qualia sunt ieiunium, fletus, cineres, planctus, humi cubationes, lacerare vestes, tristitiam & dolorem significare, habitu, vultu, moribus, &c. Pertinent illa ad externa signa pœnitentium. Et licet veræ notæ non sint pœnitentiū, cum in hypocritica pænitentia etiā reperiantur: tamen vero similia sunt, & prosunt. Ideóque non statim dānanda. Prosunt primùm ipsis pænitentibus seriò, cùm habent castigationem carnis, & dum subtrahuntur corpori necessaria, magis incitatur animus ad preces, & ad dolorem ob cōmissum peccatum, vt est videre in pænitentia Niniuitarum. Deinde in piis testimonia sunt, & opera veræ fidei, testantur enim se in dolore non desperare de gratia Dei, non enim frustra vellent istas ærumnas suscipere, sed spes illis superest, fore, vt misereatur illorum Dominus, Ioël. 2.

Externa signa pœnitentiæ prosunt.

Est præterea competens illa obediētia Deo debita, quam videmus ipsum approbasse in Dauide, Ezechia, in populo suo. Iudicum 3. 10. Niniuitis, aliísque. Non est igitur abs re, si pij sese

externis etiam moribus, habitu & gestu accōmodent ad significandum se verè dolere ob præteritos mores. Demū excitant illa etiam spectatorum animos, & iuuant exemplo. Admonetur enim spectatores & lectores harum rerū, quàm seriò oporteat dolere ob peccatum, & quàm sit res necessaria. Dauid tantus rex humi sedet in cilicio & cinere: Niniuitæ iumenta & infantes arcent à cibo: Rex ipse aspersus puluere, sordidatus incedit: quid æstimabimus? Vtique res fuit magni momenti. Res seria fuit, cuius nomine nec dignitati nec valetudini parcerent. Admonēt illa, quāta seueritate de peccatis nostris debeamus statuere. Porrò quia ad veram formam non faciunt: sed signa tantùm sunt externa, & ob id sæpe nos fallunt in hypocritis, vt in Ecebolio, astuto homine, ideò pœnitentiam non iuuant, nisi quatenus in vera reperiuntur. Danda est igitur opera, vt ad formā internam, quæ partibus veris integralibus cōstat, respiciamus.

Secunda tabula post naufragium. Finis pœnitentiæ notus est, Redire in gratiam cum Deo. Nam amissa est per peccatum pax & conscientiæ tranquillitas: quæritur iterum per pœnitentiam. Hinc appellata est secunda tabula post naufragium. Admonemur eo dicto, genus humanum bene cœpisse nauigare prima illa & fœlicissima nauigatione: sed Adæ peccato inductum esse naufragium, ex quo nobis est enatandum per pœnitentiam. In portu vox Euangelij posita est, monstrans tutum maris sinum, Dei gratiam per Christū. Sic Ioël inquit, *Quis scit, si reuertatur, & misereatur Dominus?*

Quæ bona sequātur pœnitentiam. Medij fines etiā hîc expendi debent, vt sunt boni mores, castior vita, laus nominis diuini, ædificatio proximi, cui exemplo nostro debemus prodesse. Huc pertinent consequentia veram pœnitentiā, quæ solēt Prophetæ promittere in concionibus pœnitentiæ populo Dei. Ioël cap. 2. diligenter illa percenset, ex quibus breuiter summa afferemus capita. Primùm ait, exaudiendos à Domino verè pœnitentes. Deinde recipi iterum in numerū populi Dei, quod hodie diceremus recipi in Ecclesiam Dei. Tertiò, externa bona, quæ per peccatum amiserūt deinceps vbertim reddenda. Qualia sunt frumentum & oleum, & quicquid est corporalium bonorum. Quartò, mitigandas etiam pœnas, externas, quas vult Deus trāsferre in terrā *iabascha*, hoc est, aridam & *schomema* desertam. Quintò, perditio hostiū: solet enim Dominus vti hostibus tanquam virga, ad certum finem populo suo vtilem, quem vbi cōsequitur, iram pleniùs effundit in hostes, tanquam in organa iræ. Sextò, patrocinium Dei in futurum, siquidem permanserint in fide & officio. Septimò, innocentia vitæ, qui fructus est necessarius ad contestationem emendationis. Octauò, bona spiritualia quoque promittuntur: *effundet enim Dominus Spiritum suum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, senes insomnia videbunt*, &c. promittit sanè his verbis dona Spiritus sancti, quæ efficacissimè in politia Christi locum habuerunt. Et de Messia versum hūc R.D.K. explicat. Nonò, hinc sequitur propagatio gloriæ Dei. Nam ad ancillas & seruos quoq; deriuatur Spiritus Domini. Decimò, veri Dei agnitio. Quò pertinet versus 27. *Et scietis quòd in medio Israel ego, & ego Dominus Deus vester, & nō alius.* Vndecimò, Celebratio nominis diuini: Et laudabitis nomen Dei vestri, qui fecit vobiscum miranda, nec abiecit populum suum in seculum. Duodecimò, plenaria liberatio, & vita æterna. Proponit Propheta liberationem in Sion & Ierusalem. Sed per illam ad veram liberationem à peccato & morte nos reuocat. His bonis inuitat ad seriam pœnitentiam, quæ vtique indubitatè consequuntur omnes seriò pœnitentes.

Iam facilè erit respōdere ad quæstiones, quæ hîc moueri solent. Primùm, ad quos pertineat ille actus pœnitentiæ? Respondemus, Primùm ex Ioële ad omnes pertinere. Nā senibus, pueris, infantibus etiam, & sponsis eam prædicare iubet. Deinde affirmat hoc ratio. Omnes sumus peccatores: Ergo omnes indigemus gratia, quæ impœnitentibus non datur. Adde quòd
Genes. 6. Dominus ante diluuium omnibus in genere, tempus pœnitentiæ proposuit 120. annorum: Intra quod cùm non pœniteret eos, omnes ad vnum perdidit diluuium, sola familia Noæ excepta. Deinde sic etiam ad omnes pertinet, vt renati quoque illa indigeant. Ratio est, quòd etiam illi labantur & peccent, orandúmque illis, *Remitte nobis debita nostra.* Adde quòd in primis ad illos pertineat, qui sunt saluandi. At soli renati saluantur. Itaque in primis & quidem solos renatos concernit.

Grauis quæstio. An verò lapsis concedenda sit iterum gratia, grauis olim fuit quæstio. Reperti sunt homines, qui id negarent ex professo, vti fecerunt Nouatiani. Qua in re difficilior etiam est Tertullianus. Verùm sana doctrina exempla nobis labentium proponit, & simul concessæ gratiæ
2. Cor. & pænitentiæ. Vt est exemplum Dauidis, Petri: & Paulus incestū iubet recipi à Corinthiis: quibus satis constat, quid Apostoli hac de re senserint, & quid nobis secūdum scripturas sit
Quæstio, quando sit agenda pœnitentia. statuendum. Verùm de hac quæstione alio loco copiosiùs diximus. Quæri etiam solet, quando sit agenda pænitentia. Alij enim ad certum tempus alligant, quemadmodum & alia pietatis officia, vt ieiunium, abstinentiam, sic pænitentiam. Alij planè eam tollunt, quasi rem non ampliùs necessariam. Alij differunt ad extremam horam vitæ.

Primi illi pænitentiam viderunt sibi vtilem, & vt ex confessione peccatorum maius esset lucrum. Hanc vtilissimam docuerunt esse pænitentiam, quæ ieiunij tempore fieret, aut quæ solenni

lenni more ab episcopo imponeretur. Hinc solennis illa pænitentia nō debuit iterari ne vilesceret.

Secundi, quia eam planè tollunt, videntur peccatis suis patrocinium quærere ex fato aliquo, cuius necessitate ipsi fiant excusabiles. Hi priùs instituendi erant, vt scirent τὸ ὅτι, quòd sit necessaria. Relinquendi igitur hic sunt, vt inhabiles ad præsens.

Tertij tuentur se, opinor, latronis exemplo, qui in cruce pænitentiæ locum reperit. Verùm his cogitandum erat, vnicū esse solum latronis exemplum, & ob id illos audaces & temerarios esse, qui vnius exemplo differant vitæ emendationem: maximè cùm nullam hac de re ipsi habeant promissionem. Deinde moueat exemplum alterius latronis. Is in agone non reperit locum pœnitentiæ, sicuti nec Esau, licet lachrymis quæsiuerit, nec Iudas, nec Cain. Ergo metuendum est ne procrastinatores illi eodem pacto excidant. Et sanè ratio in contrarium concludit. Vnici latronis exemplum extat. Ergo maturè agenda est pœnitentia. Deinde indies peccamus: Ergo indies agenda est pœnitentia. Hinc sacræ literæ nullum aliud discrimen temporis proponunt & vrgent, quàm quoties populi mores, aut priuatorum hominum vitia palàm innotescere cœperunt. Idoneum ergo tempus est pœnitentiæ, quotiescunque nostra Domini vrget, quoties Alastor nos accusat & damnat. Alioquin metuenda nobis est sententia illa prouerbialis, Pœnitentia sera, rarò vera. Quo docemur tum agendam, cùm de hac admonemur, seu voce Euangelij seu tacito instinctu Spiritus sancti & conscientia accusante, quæ momenta cùm negliguntur, postea desperatio solet consequi. Vt in Iuda non agnoscente Christum in mensa monitorem. Scitum & elegans est, quod Hebræi solent dicere. *Schub iom ek ad lepane mutec*, hoc est, pœnitentiam agas die vna ante mortem tuam. Quo admonere voluerunt maturè & indies esse agendam pœnitentiam. Etenim cùm de vita non simus certi vel in horam, nunc agendam esse voluerunt. Concludamus ergo agendam esse pœnitentiam semper, & quidem de vita nobis polliceri possumus, quod est adhuc præsens, de futuro nulla est firma spes. In præsens igitur cadit pœnitentiæ tempus, &c.

Maturè agēda est pœnitentia.

Pœnitentia sera, rarò vera.

DE VENIA LAPSORVM.

LOCVS XXXVIII.



LOcus hic pertinet ad quæstionem disciplinæ Ecclesiasticæ: vtrùm, scilicet, lapsis tēpore persecutionis, danda sit venia: item qui ob scelera exclusi essent, excipiendine sint. Id vocant Ecclesiastici scriptores, Dare pacem lapsis, ignoscere, reconciliari Ecclesiæ, satisfactionem admittere, recipere in ius communicationis, Græci patres appellant συγγνώμην philosophico vocabulo, & πρόσληψιν magis Ecclesiastica voce, & dicunt, πρόσληψις τῇ ἀφορίσει ἀκολουθοῦσα, hoc est, receptio exclusionem subsequitur, significantes pacem illis non esse negandam.

Quæstio.

II. Hæc recōciliatio duplex est. Alia enim est priuata, quam frater fratri debet, de qua loquitur oratio Dominica, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, de qua alibi dictum est.

Alia est publica, quā Ecclesia dat lapsis post satisfactionem: & hæc erat vel ordinaria, vel extraordinaria.

Ordinaria dicebatur, si completo satisfactionis tempore recipiebantur, sine priuatorum intercessione.

Intercessione eorum qui erant martyrio destinati sæpe remittebantur publicæ satisfactiones.

Extraordinaria autem erat, quę impetrabatur martyrum intercessione, de qua vide Cypr. lib. 3. epist. 15 & Epiphaniū in historia Meletij. Tertullianus extortam vocat hanc veniā, quā, inquit, pacem quidam in Ecclesia non habentes, à martyribus in carcere extorquere cōsueuerūt. Nam lapsi metuentes seueriorem disciplinam Ecclesiæ, & tamen adire cupientes ad ipsam Ecclesiam, post persecutiones, circumibant carceres, & à confessoribus & martyrio destinatis, impetrabāt literas intercessorias ad Ecclesias, vt his vel ipsorum nomine pacem darent, quod Ecclesiæ non poterant martyribus facilè denegare, quāquam Tertulliano, & Cypriano res permolesta fuerit, propter disciplinam Ecclesiæ & propter exemplum, quod aliis prodesse debebat. Soluebatur enim ordo disciplinæ publicæ: sed vtrinque peccabatur. Nā & improbi has commendatitias literas sępe impetrabāt, & disciplina satisfactionis asperior sæpe erat, quàm vt prodesset sauciis conscientiis. Itaque sæpe contra disciplinam satisfactionis disputatum est, non quòd displiceret ordo: sed quòd carnificina cōscientiarum exosa esset: tandem etiam habiti sunt non Ecclesiastici viri: sed hæretici qui veniam lapsis negarent.

Disciplina satisfactionis asperior fuit olim in ecclesia.

III. Et sanè lapsis veniā & pacem dandam esse multis rationibus ostendi potest. Primùm enim *Deus ipse non vult mortem peccatoris sed vt conuertatur & viuat*: ex quo efficitur, peccatori veniam nō esse negandam. Et in Prophetis toties dicitur, *Si conuersus fueris, conuertar ego ad te*,

Ezec. 18.

nec recordabor amplius peccati tui. Prӕterea, *Deus non pœnitēti comminatur extremas pœnas:* Si nollet ignoscere pænitenti, ad quid illa comminatio? Quare exemplo Dei venia non est negād. Christus etiam iubet non semel remittere vel ter, sed septuagies septies, hoc est, fine modo. Et Angelus in Apocal. ab Ephesina Ecclesia simpliciter requirit pænitentiam, vt resipiscat, & priora opera faciat. Sic Sardicensi dixit, *Respice, & serua quæ accepisti, & audisti.*

Probatur veniā lapsis nō esse denegandam.

In oratione Dominica, stipulamur veniam fratri lapso, cùm oramus, *Remitte nobis debita nostra: sicut & nos remittimus debitoribus nostris*: quæ petitio irrita foret, si peccatoribus post lapsum neganda esset venia. Sed & Christus non solùm veniā lapsis dedit, vt Petro, sed pro his etiam veniam petit, qui ipsum iniuria læserant, dicens, *Ne ponas hoc illis in peccatum.* Denique illustre huius rei habemus exemplū. 2. Corinth. 2. vbi Apostolus Paulus mādat Ecclesiæ Corinthianę, vt incestu pollutum, & sua authoritate prius exclusum iterum in gratiam suscipiant: sufficit, inquiens, illi obiurgatio talis, & quæ ibidem sequuntur.

Sentētia veterum de venia lapsis cō cedenda.

De scriptoribus Ecclesiasticis, iam priùs diximus, nō habitos Ecclesiæ viros siqui illā negassent lapsis. Chrysostomi insigne est testimonium, χιλιάκις μετανοήσας, εἴσελθε, millies pœnitentiam agens, redi ad Ecclesiam. Augustinus, quāquam Ecclesiæ disciplinam magni fecerit, tamen veniam concedendam semper esse censuit, de qua re vide Sermonē 181. de Tēpore, & Sermonem septimum lib. de Ecclesię dogmat. vbi, inquit, Si quis aliter sentit, nō Christianus est, sed Nouatianus. In Enchir. ad Laurencium cap. 65. & in Epist. 54. publicum quidem censet non iterandum esse, attamen petenti non negandam veniā. In lib. de mēdac. dicit, Pertinet autē ad disciplinam Christianam, vt neque de cuiusquam correctione desperetur, neque cuiquā pœnitēti intercludatur aditus, & in explic. ad Ro. nulla catholica disciplina negādam Ecclesiæ pacem, & claudenda viscera misericordiæ iudicauit. Idem ex aliis facilè probari posset, quos tamē breuitatis causa hîc intermitto.

Ex veteribus nō nulli, veniā, lapsis denegarunt.

IIII. Proximum est, vt expendamus illorū rationes qui veniam lapsis negant: in qua sententia multi fuerunt, qui inter Hæreticos relati sunt, vt Nouatus, quem sequuti sunt etiam Cathari dicti: de quibus vide August. in lib. de hæreticis. de quo etiam sic Epiph. scribit. Nouatus vnam pœnitentiā affirmauit: lapsis non superesse veniam. Inter dogmata Montani, hoc quoq; nonnulli referunt. Meletius quoque confessor & Peleus illam negarūt, lapsis tempore persequutionis: sed his sese opposuit Petrus Alexandrinus cōfessor, vt est apud Epiph. Deinde Meletius non simpliciter negauit illis veniam, sed vt aliquantò prius tēpore probarentur, vt constaret quales deinceps essent futuri: quod ipsum Petrus videns Ecclesiæ nociturum, suasit eos esse recipiendos in vnionem Ecclesiæ.

Obiiciunt alij Tertullianū: sed, hunc authorem cum iudicio esse legēdum, iam ab aliis sæpe deprehensum est: quanquā nec simpliciter neget veniam, sed difficulter cōcedendam esse cōtendit. In lib. de Pœnit. in eo totus est vt doceat pœnitentiam nunquam iteratione peccati resignandam esse, hoc est, nō relabendū in pristina vitia: quæ sententia pia est. Alibi durior est ad veniam: ideo ab illo ad Christum & scripturā libenter prouocamus. Piget, inquit, secūdæ, imò vltimę spei. Sed sciendū est, Christi doctrinæ hoc repugnare, qui non bis, nec ter, sed septuagies septies remittere iubet: &, Petro ter negāti spōte indulsit. Est præterea falsum quod infert, Ex venia demōstrari spatium delinquendi: etenim Deus ignoscendo, non monstrat delinquendi spatium: & Christus iubēs peccatori fratri condonare, noluit dare occasionē delinquendi, & Apostolus iubēs recipi incestuosum, nihil minùs cogitauit, quàm vt doceret delinquēdi spatium, sed officiū recipiendi, idq; necessarium docetur. Talis est sententia ibidem pronunciata, iam semel, quia iam secundò, sed ampliùs nunquam, quia maximè frustra. Non enim semel satis est. Sed, cur proximè frustra? & cur amplius nunquam? Frustra igitur Deus ad pænitētiam fine modo inuitat, & Christus septuagies septies iussit ignoscere. Itaq; non frustra proximè dabitur venia, & modus non statuendus est in prima pænitētia vel secūda. Quare has & similes sententias Tertulliani diligenter cauere oportet, & Dei verbum iis opponere, cuius authoritas maior apud nos esse debet, quàm viri parùm Ecclesiastici in huiusmodi quæstionibus.

Error Tertulliani. Epist. 45.

Aug. fit publicā pœnitentiæ disciplinam negat iterandam.

Alij obiiciunt Augustinum, qui negat pœnitentiam iterandam esse: sed loquitur Augustinus de publica pænitentia, seu actu pænitentium, qui non sit lapsis sæpius imponendus. Interim idem author multis locis, vt priùs monstrauimus, contendit semper & sperandum, & concedendam esse veniam. Publica sanè disciplina pænitentiæ, qua Ecclesiæ certis ceremoniis & certo tempore satisfaciendum erat, ea vtique nō tutò committebatur his, qui sæpius labebātur, vel in persecutionibus vel aliis modis, quia disciplina risui eo pacto exponebatur, & histrionum actiones magis repræsentabant. Itaque vt grauitas disciplinæ & authoritas ei maneat salua, censuit eam non esse repetendam. Interim veniam voluit semper paratā peccatoribus. Sic intelligo reliquos Patres quoties scribunt, pænitentiam vnam esse, nec iterari posse.

Obiectio.

Sequitur locus ad Hebr. 6. *fieri non potest vt qui semel fuerint illustrati, & gustauerint donum cæleste, si prolabantur, vt denuò renouentur per pænitentiam.* Loquitur locus ille de desperatis & palàm impiis: his dari non potest venia, quia illam non petunt: ideo, inquit, eos iterum

Responsio.

crucifi-

crucifigere Filium Dei. His negatur venia, nō quòd Ecclesia nolit recipere: sed quia ipsi redire nolint: & sunt isti canes ad vomitum redeuntes.

Sed aiunt indulgentiam hanc alere licētiam peccandi. Cui respondeo non esse indulgentiā, cùm peccatori seriò pœnitenti datur venia: deinde non ali licentiam, cùm expresse illi dicatur: ne deinceps peccaueris: ne quid deterius tibi eueniat. Est enim cum pœnitentia coniunctum propositum emendandi vitam, & dolor de admisso peccato. Imò rectè inquit Augustinus potius ali licentiam, si negatur venia: nā tum desperabundi proni prolabuntur & ruūt in quouis peccatorum genus. Cogitant enim si pereundum est, si deploratum est de salute mea, quid impedit, quominùs me priùs satiem omni libidine & petulantia? 1 Pet.2. Aug.

Item, Peccatum non meretur Veniā: semper oportet odisse peccatū: & Deus seriò irascitur peccato, & contra peccatum semper orandum est: Pereant peccatores à facie Dei. Respond. di nō pugnare veniæ, quam hìc defendimus. Peccatum odisse oportet semper, at non perinde peccatorem, cùm Christus propter peccatores venerit, & his se sponte coniunxerit, vt eos cōuerteret. Sic orandū est semper cōtra peccatū, aut nō cōtra peccatorē: sed vt cōtra illud, sic pro hoc orandū esse docet scriptura. Et quòd Dauid inquit, Pereāt peccatores à facie Dei: primùm de petulantibus intelligi potest, qui & Deo & sanctis insultāt: deinde in genere de omnibus, vt desinant esse quod sunt corruptione naturæ. Perire enim dicitur, quod desinit esse, id quod erat. Sic peccator perit, si peccator esse desinat, & fiat pius, quā interpretationē sequitur Augustinus, *Desinēdo quod tu te fecisti, nō pereat homo quem Deus fecit.* Solers est interpretatio, at nō incōueniens præsenti causæ: pro peccatore enim contra suum peccatum semper orandū est. Reliqua vide in loco de pœnitentia. Peccatū odisse oportet non peccatorē. Psal.67. Augustini solers interpretatio.

V. De modo reconciliationis ad finem dicaimus. Priuata reconciliatio facilis est, constat enim condonatione offensæ. Quæri hìc solet, quid fiet, si lædēs nolit petere veniā, ab eo quem læsit, sed facilis est responsio. Primùm cōdonare illi potes offensam, si maximè ille non petat, imò non agnoscat peccatū suū. Non enim hìc quæritur de officio offendentis, sed quid offensus præstare debeat. Deinde rogandus quoque est Deus, vt is agnoscat peccatum suum, & vt petat veniam à te, quia tu scis illi nocere, si non petat. Sic respondet Aug. alibi, *Offendens tamen semper cogitet, & prior ipse det occasionem reconsciliationis, quia prior læsit.* Sic inquit August. epi. 109. *ne pigeat ex ipso ore proferre medicamenta ex quo facta sunt vulnera.* Priuata reconciliatio.

Publica reconciliatio in Ecclesia veteri habebat certum tempus, certas ceremonias, habitum & ritum, qui in actione pœnitentiæ seruabantur. Actus ille dicebatur exomologesis, ac primùm habitu pænitentiam declarare debebant: inde fiebat confessio delictorum certorum, ob quæ pænitentia erat imposita. Publica reconciliatio.

Tertiò, erat disciplina satisfactionis, quæ erat ciuilis quædam disciplina, qua Ecclesiæ satisfiebat, nec respiciebat remissionem peccatorum. Hinc imponebantur iterum illis manus ab Episcopo, in conspectu ecclesiæ.

Denique admittebantur iterum ad communionem Cœnæ: sic plena pax illis data erat. De quo vide Cypr. lib. 3. epistola 14. & 16. & lib. 1. epistola 3. Tertull. in lib. de Pœnitentia, qui docent non statim pleno iure iterum receptos in cœtum Ecclesię: pænitentes enim primùm stabant inter audientes, postea transibant in ordinem cadentium, tertiò inter orantes admittebantur. Denique inter communicantes, quæ plena erat reconciliatio: Nec erat mala disciplina Ecclesiæ, sed mox venit in meram hypocrisin, addita opinione meriti, & satisfactione coram Deo, cùm hic non Deo, sed Ecclesiæ satisfecerit, is qui eam offendisset. Hodie tota illa pompa tyrannica est, & plena superstitionibus, vt excusari nulla honesta ratione possit, &c. vide locum de Pœnitentia. Ritus publicę reconciliationis in veteri ecclesia.

DE OBSTINATIONE.

Σκληροκαρδία.

LOCVS XXXIX.



Vros corde appellat scriptura, qui se ad diuinas admonitiones pertinaces, & Deo ipsi rebelles præbent: qualis fuit Pharao ad Mosis oracula, Iudas ad Christi admonitiones, Pharisæi ad doctrinam Christi, Iudæi in genere sub aduentū Christi, & emergente doctrina Euangelij per Apostolos, quod vitium adhuc in ea gente dominatur, singulari quadam Domini voluntate. Et nostra ætas tales quosdam habet, de quibus tamen difficile est statuere. Relinquendi ergo sunt iudicio Domini: cognoscendi tamen, vt caueri possint. Τόοτι.

Sit igitur Obstinatio, pertinacia animi auersi à Deo, malo concepto, contra omnes admonitiones, inhærens, æternę damnationi, nisi corrigatur subiectum. Pertinaciam intelligimus duritiem cordis quæ σκληροκαρδία dicitur, hinc σκληροκάρδιοι & σκληροτράχηλοι, qui cor & cer- Definitio obstinationis.

uicem opponunt Deo, confirmant sese & obfirmant, vt diuinæ voci possint resistere. quod Hebræi *kasch* verbo exprimunt, inde *hikscha* verbum, de his qui sese obdurãt & aggrauant, sic Prouer. 28. *vmakschelibo* & induratus corde cadet in malum. Esa. 8. *nikscha* induratus transibit per eam & esuriet. Exod. 13. de Pharaone dicitur *hikscha* indurauit cor suum in dimittendo nos. similes sunt phrases Exo. 9 *vaiechezak leb* & roboratum est cor Pharaonis. & 2. Par. 36. de Zidkia impœnitente, *vaametz et leb ibo*, & obfirmauit cor suum, vt non rediret ad Dominum Deum Israelis, sic dicuntur *Abire leb.* Esa. 46. audite me *abire leb* duri corde. Idem peccatum exprimitur per duram ceruicem, vt in Exod. 32. 33. 34. aliquoties phrasis illa occurrit. & Ierem. 19 ad finem *hikschu et gnarpam*, indurarunt ceruicem suam. Prouerb. 29. Vir duræ ceruicis contereretur, quod vitium Prophetæ Iudæis aliquoties obiiciunt: & in Act. cap. 7. Stephanus Iudęis magna grauitate idem obiicit, *Duri ceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis sicuti patres vestri, ita & vos.* Idem valet cor peruersum πονηρία καρδίας, de qua Hebr. 3. qua malitia receditur à Deo viuo, vt loquitur ibi Apostolus. Ad Rom. 1. cap. Apostolus hoc malum vocat cor impænitens & reprobam mentem. Esaias cap. 6. appellat cor incrassatum, ex quo repetitur Matth. 13. & Act. 28. Ad Ephe. cap. 1. & 4. cæcitas cordis dicitur, quò facit locus etiam. Esa. 6. Excæca cor populi huius, quod Christus Ioan. 12. quoque repetit. Ista de genere definitionis.

In definitione nostra tria sunt expressa. Primùm quòd sit auersio à Deo, deinde conuersio ad malum & inhęsio mali: demùm quòd incorrigibile, æternæ subiectum sit damnationi.

Partes definitionis.

Auersio est, cùm animus recedit à verbo Dei, vt cùm Eua & Adam neglecto Dei verbo, considerant promissiones serpentis, & his ita inhærent, vt verbum Dei vocetur apud eos in dubium. Habes auersionem à Deo, & conuersionem ad malum; sed deest pertinacia & obstinatio: fugiunt enim, & ad causam dicendam protracti, excusant, reiiciendo culpam in serpentem, ideóque non est obstinatio. In Pharaone omnia tria concurrunt: opponit enim se Mosi, auersus à Dei verbo: inhæret suis Magis & potentiæ suæ confidit: in quo proposito mansit obstinatus. Sic Pharisæi ad doctrinam Christi & Apostolorum incorrigibiles manent: etiam conuicti deteriores redduntur, vt est videre Luc. 20. Quare veteres hoc malũ appellarunt impænitentiã finalem, & coniunctum dixerunt cum peccato in Spiritum sanctum, qui vera est rebellio qua Deo & agnitæ veritati contumaciter resistunt impij, ob id non malè rebelles in Prophetis dicuntur.

Impœnitentia finalis.

Hæc ad definitionis pertinent explicationẽ, quo res melius intelligi potest. Porrò hîc quæri solet, vnde hoc vitium oriatur, mirandum enim est hominis contumaciam eóusque progredi, vt etiam agnitæ veritati sese opponat, imò ipsi Deo & voci diuinæ resistat, non immeritò igitur de origine & causis agentibus hic quæri solet.

Causæ obstinationis.

Ac definitio nostra proximam indicat causam, animi humani scilicet pertinaciam, auertentis sese à Deo & eius verbo. Longiùs progrediuntur qui causam obstinationis extra hominem quærunt. Nam vt in actionibus diuinis, in ipso Deo quærenda est vera causa: in actionibus satanicis, in ipso mendacij patre Satana: sic dum loquimur de hominis obstinatione, rectè in proxima persistimus causa, scilicet in ipsius hominis voluntate peruersa & corde corrupto. Cor propriè actionum & cogitationum fons est & scaturigo, hoc corrupto & à Deo auerso, non mirum est obstinationem in consiliis & dictis & factis consequi.

Vera causa voluntas hominis.

Hinc homini tribuitur sua induratio. Deut. 10. ceruicem vestram non ampliùs indurabitis. & Exo. 13. Pharaoni tribuitur suiipsius induratio. 2. Reg. 17. Assyriacæ captiuitatis causa reiicitur in populi indurationem. *Indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui non credidere Domino Deo suo.* sic Nehem. 9. *Indurauere ceruicem suam.* Sic multis locis populo ipsi ascribitur sua induratio, vt cap. 5. 7. 17. 19. Ieremiæ.

Et quia hanc pertinaciam consequitur interitus, & pænæ non solùm corporales, sed æternæ quoque, meritò in homine causa residens tanti mali quæritur. Quomodo enim puniretur homo ob pertinaciam illam propriam, si causa efficiens, intra hominem sufficiens reperiri posset? Oseas inquit, perditio tua ex te ô Israel: seu perdidit te iniquitas tua ô Israel, sed in me est auxiliũ tuũ. Teneamus igitur firmiter causam verã obstinationis in reprobis ipsis residere: sic enim ex ipsis illorum esse potest perditio.

1. Qui extra hominem quærunt obstinationis causam, longiùs progrediuntur, quàm præsens requirat causa. Manichæi olim necessitatem quandam introducebant, cuius serie & ordine homines ad mala compellerentur: sed respondet illis copiosè D. Augustinus.

Fatum Manichæorũ. Stoicorum.

2. Absurda est & Stoicorum fatalis necessitas.

3. Alij in Deo ipso causas quærunt obstinationis humanæ, quod & ipsum remotum est ab hac causa. Nam peccati hîc causa quæritur, à quo dum sit alienus ipse Deus tanquam summè bonus, non rectè ad illius actiones procedimus, in quærenda causa rebellionis & obstinationis. Et videntur illi omnes patrocinia quærere deprauatæ naturæ contra Dei creatoris iudicia: sic Adam culpam reiicit in Euam, illa in serpentem, in serpente subsistitur, quia hic suasor illius, illa, Adæ fuerat. Sed in hac causa, quilibet se reum statuere debet, nec licet ad alias causas confugere: non enim Pharao dicere potest, necessitas mihi, aut fatum, aut tu Domine

In Deum non est reiicien-

mine causa indurationis fuisti, nec Iudas in alium reiicit causam, sed, peccaui, inquit, ego, tradens sanguinem innoxium. Ita Pharisæi & Iudæi clamant. Sanguis eius super nos & filios nostros. Quod igitur reprobi obstinati sunt & indurati, adde quòd excæcatur etiam, ipsi sunt huius sibi causa: loquimur enim de eo, quatenus peccatum est in se, & non quatenus Deus peccatum illorum dirigit ad bonum finem.

da hominis obstinatio.

Extra hominis cor proxima causa est Satan, qui inspirat consilia, confirmat in proposito, suppeditat rationes quibus veritati resistant. Cui cùm se præbeant organa, ad plenum eos regit & impellit ad omne malum. hinc scriptura testatur, Satanam in suis efficaciter operari, vt ad Eph 2. *Spiritus efficaciter agens dicitur in filiis ἀπειθείας. i. incredulitatis*, & ad Ephes. 5. item Coloss. 3. recenset opera tenebrarum, ob quæ ira Dei solet venire super filios inobedientiæ: quibus sanè ostendit Satanam in his agere: sed cùm illi obsequentes in omnibus se præbeant, & in peccata non solùm volentes volutentur, sed magna cum suauitate & desiderio, nulla his à Satana præstari potest occasio excusationis: inspici enim debet illorum voluntas & desiderium ad peccandum.

II. Causa. Satan.

Quod personam Dei concernit, ab hac causa remouendus est, quia causa peccati indurationis quæritur, Non interea negamus in reprobis Deum agere etiam dum peccant, sed à consortio peccati prorsus separamus Deum.

3. Deus qui agit in reprobis dum peccant.

1. Agit in his Deus primùm deserendo & subtrahendo spiritum suum bonum, post quā subtractionē necessum est consequi tenebras, duritiē, & quicquid spiritui Dei est contrariū.

Deinde agit in his, permittēdo: nō enim impedit conatus improborum, imò, respondet ipsorum desiderio, vt plurimùm euentus.

3. Sed & præsciendo in his agit: præsciuit enim Deus reprobos tales futuros, antequam sint: est enim omniscius. Natos deinde tales esse permittit: & vt sint, subtrahit spiritū suum. Illa tamen Dei præscientia non est causa malitiæ reproborum: sed suprema causa est Dei voluntas, qua crearit omnia propter se, etiam impium in diem malum Prouerb. 16 Interiecta verò est totius generis humani corruptio, & peculiaris ipsorū reproborū impietas. De præscientia exemplum habemus in Iacob & Esau: de permissione loquitur Psal. 81. *demisisti eum in prauitate cordis sui.* & Act. 14. *Deus sinebat omnes gentes ingredi viis suis in præteritis ætatibus.*

4. Sed hic addimus Deum in reprobis agere quoque efficaciter, dirigendo consilia ipsorum ad meliores fines: quòd enim præscit, quòd etiam permittit, & quòd deserit eos suo spiritu, non efficaciā aliquā habent agendi: sed concessionē quandā. Ideóq; & agere efficaciter in reprobis Deum addimus, hoc discrimine, quòd actio Dei in his caret peccato: sed quòd impij ex peccato agūt, hoc Deus dirigit ad meliores fines, vt videre est in proditione Iudæ. Iudas respicit solū lucrū, Pharisæi interitū Christi, Satan ignominiam Christi, nec altiùs ascendebāt horum cogitationes. At Deus pater hos fines reducit ad meliores: ac prodi Christū permittit, occidi etiam patitur, ignominiosè tractari concedit: sed in his non acquiescit: verùm addit meliores: vt resurgat, vt satisfaciat pro hominum peccatis, & victor ad cælos ascendat, hoc enim fuit decretum Dei vt Apost. Petr. loquitur Actorum. 2. Sic in patientia Iobi fines agētium diuersi sunt: aliud est propositum Satanæ, aliud Chaldæorum diripientium bona Iobi, aliud etiam consilium Dei est. Ita in Pharaone, in Saule, aliísque reprobis. Ideóque impiorum & Satanæ actiones, peccati sunt consortes, & ex peccato oriuntur. Dei verò actio in his peccato omni caret.

Actio Dei in reprobis caret peccato.

Porrò quod attinet scripturæ loca, quæ actionem in reprobis Deo assignant. vt Exod. 4. & 7. & 10. Indurabo cor Pharaonis, significant illa permissionem quidem, sed efficacem: non enim permittit, vt homo filio quæuis permittit, non autem cooperatur. Deus & permittit & agit, sed diuerso fine: ideóque sine peccato, sed possunt hæc etiam alio sensu explicari. Indurabo cor. h. e. declarabo cor illius esse planè induratum & excæcatum. Iam enim planè Pharao talis erat, nec opus erat induratione in futurum, quæ animum illius obsederat, nondum tamen erat pat efacta.

Permissio efficax.

Reliqua scripturæ loca magis vrgent, vt ad Rom. 9. *indurat quos vult.* 2. Thess. 2. *dedit efficaciam erroris vt crederent mendacio.* Esa. 63. *indurasti cor nostrum.* Prou. 16 *impium etiam ad diem malum fecit.* Iob. 12. *aufert cor ab his qui præsunt.* 2. Cor. 4. *excæcauit mentes infidelium* In his & similibus locis efficacem actionem in reprobis Deo scriptura assignat. Sed dum quærimus causas obstinationis, quærimus de his quæ ad peccatum inseruiunt: ideóque ad naturam Dei nihil faciunt, cùm extra Deum causa peccati vera & efficiens sit constituta.

Per Deum hujus seculi Diabolus intelligitur

In homine igitur & Satana, solùm ista quæstio residet, &c.

DE INDVRATIONE.

LOCVS XL.

Definitio indurationis.



INduratio, quædam est in malo obstinatio, quæ temporis progressu ita pertinax redditur, vt cedere nolit nec possit: hinc Indurata membra, quæ solida iam facta sunt, & naturæ suæ habitum confirmarunt. Hinc metaphora sumpta est, & vox translata ad animi vitia. In quibus reprobi callum obducunt, vt nec velint nec possint aliter agere, quàm quod caro & Satan dictat.

Ratio nominis.

Græci πώρωσιν vocant, à priori lapidis natura, qui sensim accrescit ex turbulenta materia, aut aqua glutinosa ac viscosa: quæ adhærens semper aliquid relinquit, quod associetur substantiæ pori. Vnde in ipsis equis currentibus, generatur thorus, qui porus est. Tale quiddam accidit in corde hominis, quod peccando sensim callum obducit, & eò ascendit, vt hoc solum velit & possit, quod Dei voluntati repugnat. Ac propriè πώρωσις apud Physicos, callus est, & πεπωρωμένα μέλη, membra quæ callum obduxerunt, vt fracta ossa iterum concrescur, ferruminentur, vnde quid sit in animo hoc vitium potest perspici. Scriptura τύφλωσιν vocat. i. occæcationem.

Apud Hebræos varia sunt huius mali verba. *Chazakik* robustum esse, inde *hechez*. i. indurare: in eadem significatione est verbum *Chascha*, quod durum & difficilem esse significat: hinc *hikscha*, indurauit: idē valet *Canad*, quod significat aggrauare. Ista verba Græci aliàs expresserunt verbo σκληρύνω. *i. induro*, aliàs βαρύνω. *i. grauo*, aliàs στερέω. *i. obfirmo*. Esa. 6. ca. 10. duo sunt verba quæ vitium hoc exprimunt. *Haschmen*, incrassa cor populi huius: Græci verterunt ἐπαχύνθη incrassatum est cor populi huius, cùm sit imperantis oratio apud Hebræos: sic in altero verbo, *haschakoc*, id est, excæca, Domini est oratio imperantis prophetę, vt incrasset & excæcet. Græci tamen habent ἐκάμμυσαν, significat autem καμμύω idem quod καταμύω. hoc est, oculos sponte claudo, data opera cæcutio. Ierem. 5. 23. *Leb sorer* cor peruersum: & *leb moreh* cor rebelle. Ierem. 7. 23. *scheriruth leb* duritia cordis. Idem Ierem. 13. 16. & cap. 16. 11. Esa. 46. 11. *Abire leb* superbi corde, perditi corde, & similes phrases quæ habentur in Loco de Obstinatione: quem vide.

Causa indurationis Satan.

II. Quis induret, hîc quæri solet. Respondemus primùm de proxima causa. Satan indurat: qui, vt peccati author, ita cæcitatis & indurationis quoq; author est. Ioan. 8. *Pater mēdacij est, & cùm mendaciū loquitur ex proprio loquitur.*

Deinde induratio propriè opus est tenebrarum: nam Deus lux est, à qua dum auertitur cor hominis, tenebris sese committit: est autem princeps tenebrarum, Col. 1. 13. *liberauit nos à potestate tenebrarum*, hoc est, à Satana: opera tenebrarum exprimit Apostolus ad Eph. 5. inter quæ præcipuum est, ignorantia Dei, quæ regnat in induratis. Præterea exemplum Iudæ hoc manifestè declarat, qui nondum obstinatè procedit, quoad ingressus Satan in eum, ipsum suo regit imperio penitùs. Ioan. 13. priùs quidem consentit Satanæ consiliis: sed post acceptam offulam, plenissimè eum possidet. Atque hæc proxima causa est indurationis: quæ extra hominem considerari potest. Huc pertinent omnia opera tenebrarum, quæ tanquam occasio, subseruiunt Satanæ ad indurandas mentes hominum, vt est amor peccandi, oblectatio quæsita in sceleribus, quibus tanquam hamis inescat reprobos. Hinc Apostolus ait, *Propter opera tenebrarum venire iram Dei super filios inobedientiæ. Colos.* 3 6.

Homo seipsum indurat. Simile.

Secundò, homo ipse indurat seipsum: dum enim consentit Satanæ consiliis, auertit se à Deo, propria voluntate. Quemadmodum qui noctu domo egreditur, vbi lucet lux, excludit se ab vsu luminis, cōmittit se tenebris nocturnis: nec est culpa luminis ipsum non comitantis, ita sanè auersio à Deo, & conuersio ad malum, causam sumit ex ipso homine vltrò sic recedente. Inde homini ascribitur frequenter. vt Ierem. 5. 3. *chizeku penehem missela, obdurarunt facies suas, præ petra, noluerunt audire.* Exod. 13 15. Pharaoni assignatur propria induratio: & factū est, quia *hikscha* difficilem se præbet Pharao in dimittendo eos. Deut. 10. 16. *circumcidatis præputium cordis vestri, & ceruicem vestram lo takeschuod,* non indurabitis ampliùs. 1. Samuel. 6. 6. & quare *thecabedu induraretis corda vestra?* Ierem. 13. 10. *Populus iste malus renuit audire verba mea,* ambulant *bischeriruth libbam, in duritia cordis sui.* idem cap. 11. *ambulat quilibet post scheriruth libbi, prauitatem cordis sui malam.* Hîc & infinitis aliis locis induratio homini rectè tribuitur, cùm libera voluntate Deum deserat, consensum malo applicet, voluptate in malo afficiatur, gaudeat malis, & bona detestetur.

Quomodo Deus induret.

Tertiò, Deo tribuitur idem, non quòd Deus author sit indurationis, quatenus mala est, & mala perpetrat: sed quòd his malis bene vtatur, & induratos regat ad bonum aliquem finem. Deo tribuitur in historia Pharaonis aliquoties. Exod. 4. 21. *vaani achazek & ego indurabo cor illius vt non dimittat populum.* Exod. 7. 3. *vaani akscheh & ego aggrauabo cor Pharaonis, & mul-*

& multiplicabo signa mea, Exod. 11. 10. *vaiachazek Iehouah & indurauit Dominus cor Pharaonis, & non dimisit filios Israel de terra sua.* Exod. 10. 27. *& indurauit Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. cap. 9. 33. vniecabbet libbo* ἐβάρυνεν αὐτοῦ τὴν καρδίαν, *aggrauauit cor illius.* & versu 34. *vaiechezak indurauit, vel induratum est cor Pharaonis.* Iosi. 11. 20. *indurauit Deus Cananæos, vt non peterent pacem ab Israele,* &c. Indurat igitur suo modo Deus etiam. Satan propriè suadendo: homo assentiendo: Deus verò deserendo. Sic Augustinus contra Faustum ait: diabolus suggerit: homo consentit: Deus deserit: quę sententia poterat modesto homini satisfacere. Verùm quia altiùs hæc quæstio à multis examinari solet, audiamus quomodo Deus dicatur indurare. Quomodo Deus, Satan & homo induret.

Quomodo Deus induret.

Triplex hìc occurrit sententia. Nam alij ad solam præscientiam referunt: quòd Deus tales præsciuerit futuros, non autem disposuerit vt tales essent.

Alij phrasin Hebræam interpretantur, indurauit Deus cor Pharaonis, hoc est, siuit indurari, permisit vt tales fierent; quales præuiderat futuros antequam nascerentur.

Tertij addunt etiam Deum in induratione operari, & agere voluntate efficaci. Hæ sententiæ veræ sunt omnes si rectè intelligantur: in eo tamen discrepant, quòd singulę per se defensæ, reliquis exclusis, veritati non satisfaciant. Nam sola præscientia hæc de Deo dici, aut sola permissione, scripturæ non satisfacit.

Dicamus igitur Deum & præsciendo, & permittendo, & operando suo modo, indurare. Primùm enim, quòd præscientiam attinet, vniuersalis est, & extenditur ad omnia, non solùm bona, sed mala. Nouerat Deus ab æterno lapsurum mortalium genus, nouerat quales singuli futuri essent: nec solùm vniuersalis est præscientia: sed particularium rerum & actionum omnium complectitur numerum. Cùm enim sit Deus extra omnem dimensionem, numerum quoque omnem supergreditur, alioquin perfectio summa in eo considerari non posset. Omnia igitur siue futura, siue præterita, tanquã præsentia nouit, summa certitudine, & planissima cognitione: adeò vt nihil illi noui accidat, vbi res nobis incipiunt præsentes esse. Verior sententia. Præscientia Dei ad omnes res. Omnia Deo præsentia.

Præscit igitur malos & induratos, antequã nascantur: & ita præscit, vt plenissimè illi præsentia sint omnia illorum opera, vt norit indiuidua quoque: ne tu putes Deum præscire quidem in genere: sed scientiam tum demum accedere, vbi quæ præsciuit perficiuntur: id quidem de homine dici poterat, de Deo autem minimè: sed habet illius præscientia plenam rerum scientiam: rectè igitur induratio ad præscientiam refertur.

Deinde non solùm præsciendo indurat, sed permittendo. Quid enim, si præsciret solùm, nollet autem. Voluntati Dei quis vnquam restitit? Quæ igitur præscit, sinit. sic Act. 14. dicitur, *Deus præteritis ætatibus sinebat gentes ingredi viis suis.* Psal. 81. de Israele inquit: *dimisi eum in prauitate cordis sui, vt eant in consilus suis.* Sic quæ non eueniunt, non sinit, impedit conatus multos, irrita facit consilia impiorum. sic 1. Cor. 10. *Deus non sinit tentari vos supra id quod potestis ferre.*

Tertiò, agit etiam in impiis in ipsa induratione: nam cùm sinat, facit hoc vel inuitus, vel nulla coactus conditione. Prius illud de Deo dici, impium est. Homo sinit multa inuitus & nolens, quæ impedire nulla ratione potest: nõ ita Deus. Sinit ergo libera voluntate, nulla lege ad id coactus. Deinde non solùm liberè sinit, sed in ipsis agit. Primùm generali illa actione, qua à Deo omnia aguntur, ex quo dixit Paulus, *in ipso viuimus & mouemur:* nam quòd impij sunt ac viuunt, hoc ipsum à Deo habent. Deinde actiones illorum in malo confirmatiores redduntur, dum ipse Dominus spiritum suum illis subtrahit: quemadmodum qui media nocte lumen ex conclaui aufert, tenebras meras relinquit, quas non dicitur intulisse, nisi quia lucem abstulit. Adde quòd specialiùs etiã in his agat, cùm conatibus eorum addit successum, quãuis ad aliũ dirigat finem, quàm impij agẽdo proposuerint. Vt in Pharaonis induratione aliò respexit Deus, quàm ipse Pharao: sic in Iudæ cæcitate, nõ idẽ scopus Iudæ fuit, & Domini Dei dirigentis conatus illius. Huc facit Hebræa phrasis *hikschah*, quod non simpliciter significat permisit indurari, sed fecit indurari. Permissio enim otiosa esset, Dei respectu, quod non habet locum in hac phrasi: aut ostendant illi, Dei permissionem aliquam otiosam, in qua nihil cooperetur, non dirigat, non euentus moderetur, ad meliores fines, quàm impij cupiant. Actio Dei in hominis induratione. Non tantùm permittit Deus, sed agit.

Deinde quòd illud ad Rom. 1. *Tradidit in reprobum sensum*, &c. interpretantur permisit & siuit, mollius est, quàm quod vim indurationis explicet. Nam multæ causæ agentes concurrunt in eodem facto, quas oportet considerare suis fructibus distinctis. Nec firma est consequentia, Deus permittit vt indurentur, ergo in illis non agit: possunt enim simul subsistere vt & agat & permittat. Esa. 63. scribitur, *indurasti cor nostrum, ne timeremus te*, & Ios. 11. de Cananæis, quòd *Deus indurarit eos, ne peterent pacem ab Israele*, vt delerentur citò à Iosua, & 2. Thes. 2. *mittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio.* Permissio in Deo non est otiosa.

Porrò, quomodo Deus, peccati non erit author, cùm in illis, imò in illorum peccato, agat efficaciter?

Respondemus, Deo nullam positam legem. Porrò peccatum locum habet solum, vbi lex est. Cùm verò Deo non possit à creatura lex poni, (superior enim inferiori solet leges præscribere, aut certè æqualis æquali) efficitur hinc in Dei actionibus non posse peccatum argui.

Deus in reprobis agendo non fit author peccati.

Deinde, Deus agens est liberrimum & purè simplex: at peccatum confusionis est assecla, libertatem tollit, seruitutem comitem habet: quare in illius actionibus peccatum esse non potest: quia nulla seruitus, pura bonitas. 2. Par. 19. *non est apud Deum nostrum iniquitas.* Psal. 6. *odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

Sobriè de hac Dei actione in reprobis est inquirendum.

Demum hæc inquisitio hominem non decet: hinc Apostolus simpliciter repellit ab hac curiositate nos ad Rom. 9. *ô homo, tu quis es, qui ex aduerso responsas Deo?* poterat Dominus omnes relinquere in perditione. Quis illi litem indixisset? quis accusare poterat, quòd rebelles & massam induratam non emolliret? nemo certè. Nam quòd nos sui agnitione donat, misericordiæ est, quòd verò alios in cæcitate relinquit, iustitiæ. Quemadmodum cùm Deus Abrahamum vnum euocat ex Vr Chaldæorum, reliqui non habebant, quod conquererentur: imò magna cum voluptate domi manent, hùc emigrare non ægrè ferunt: quòd verò hic solus à Domino eligitur, agnoscit Dei misericordiam, in aliis agnoscit Dei iustitiam. *Indurat quos vult, & miseretur cuius vult.*

Porrò quòd induratorum actiones postea attinet, non obscurum est, diuerso respectu Deum in his quoque agere, nec tamen deriuari nisi ex praua hominis voluntate ipsum peccatum.

August. sententia.

Sic ferè de hac re loquitur etiam Augustinus libro secundo quæstionum super Exod. cap. 18. ait. *Vtitur bene cordibus malis, id quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis, & quamuis vniuscuiusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inoluit ex arbitrio voluntatis: & tamen qualiter mala, vt huc vel illuc moueatur, cùm siue huc, siue illuc moueatur malè, causis fit, quibus animus propellitur: quæ causæ vt existant, vel non existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta prouidentia, iustissima planè & sapientissima, vniuersum quod creauit disponentis & administrantis Dei.* Vt ergo tale cor haberet Pharao, quòd patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potiùs ad impietatem, vitij proprij fuit: quòd verò facta sunt ea, quibus cor, suo vitio tam malignum resisteret iussionibus Dei, hoc enim est, quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat, dispensationis fuit diuinæ, qua tali cordi, non solùm iusta, sed euidenter iusta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur, &c.

Epist. 105. *non obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam.* Et in Enchirid. *miseretur magna bonitate, obdurat nulla iniquitate, vt nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus, nisi de suis meritis conqueratur: sola enim gratia redemptos discernit à perditis, quos in vnam perditionis massam concreuerat ab origine ducta causa communi.* &c.

DE HOMINE VETERI.

LOCVS XLI.

4. Ephes.



Rauis est Apostoli exhortatio, Ephes. 4. *vt deponamus veterē hominem & induamus nouum, qui secundum Deum formatus sit*, quem quidem locum nuper explicuimus, quantùm præsens causa postulabat, Nūc, quia ad nostri cognitionem non parum conducit, præterea salutis nostræ bona pars hîc reposita esse videtur: dicemus aliquāto plura de veteri & nouo homine. Breuiùs id autem præstabimus, quia ab aliis copiosè res videtur exposita, & nos hac de re sæpius diximus, quæ omnia hîc breuiter repetemus.

Quid vetus.

Vetus homo est, ipse homo non renatus, vel extra Christum homo, quatenus in peccato & natus & conceptus est, duce natura & vi rationis animí ve, prudenter etiam in hoc seculo viuens.

Dicitur enim hic vetus, quicquid nondum renatum est, naturale homini & cōsuetum: sed extra Christum, quod veritatis lumine & Spiritus sācti gratia in Christo adhuc destituitur.

Ratio nominis est, quia vetus homo consuetos mores, & antiquum naturæ ingenium retinet quæ regnum Dei possidere non possunt, & quia in hac maledictione concipimur, nascimur, & adolescimus, vetus rectè dicitur.

Deinde respectus est hîc obseruandus. Vetus enim homo dicitur respectu noui: ac si dicas, vetus natiuitas est opposita nouæ, hoc est, prima, quam à parentibus ducimus carnaliter, opponitur posteriori quam à Christo accipimus. Sed vetus carnalem, naturalem, & primam natiuitatem significat. Nouitas, enim regenerationis natiuitatem denotat, quæ posterior ordine & tempore est, naturali.

Vetus

Vetus etiam dicitur, hoc est, antiquatus, corruptus & abolendus. Ideo Apostolus ad Ephe. 4 ϖαλαιὸν ἄνθρωπον vocauit, hoc est, talem qui in dies à piis mortificetur & aboletur. dignus etiam: est qui aboleatur & destruatur. quo sensu dicimus, vetera quæ contemptu digna sunt, neglecta & abiecta, vt vetus pallium, vetus domicilium, quod Græci ἐρείπιον dicunt, nos rudera *ein alt ingefallen huß*.

Est etiam vetus, propter Adamum primum, ex quo secundùm carnem ortū habemus. Huic opponitur Adam secundus, hoc est, Christus. Quemadmodum igitur ex primo Adamo, veterem sumimus naturam: sic ex Christo habemus renatam. Ideo vetus dicitur. Quicquid in nobis spirat Adamum illum primum peccatorem. Contrà, nouum, quicquid Christi gratia nouum acquirimus, in regeneratione: quo sensu Apost. Christum primo Adamo opposuit. 1. Corinth. 15 *factus est primus Adam in animam viuentem, vltimus Adam in spiritum viuentem*: vbi ϖρῶτος καὶ ἔσχατος, si ad nos applicētur, veterem, & nouum significabunt hominem.

Partes hominis veteris duæ. Simile.

Partes huius veteris hominis constituimus duas. Animam & corpus: anima, vt auriga imperitus, lasciuientibus equis habenas laxat: corpus verò, vt organum, imperiū rectoris sequitur. Ambo simul in præcipitium ruunt extra Christum, qui via est ad vitam æternam, ostiū ad cœlos, veritas rerum omnium, via ipsa, extra quam omnia mortis spolium sunt, & ipsissima pernicies & interitus.

Tota anima, imò totus homo extra Christum peccato scatet.

Cùm animam dicimus partem esse veteris hominis, intelligimus ipsam rationem nempe νοῦν, & totum illud λογιστικόν, & ἡγεμονικὸν à Philosophis tantopere celebratum, quod totū extra Christum peccato scatet, & regnū Dei possidere non potest, imò inimicitia est aduersus Deum. Id breui sententia complexus Apostol. dixit φρόνημα τῆς σαρκὸς θάνατος. i. sapiētia carnis est mors. Rom. 8. & λογιστικὸν corrumptum esse passim testatur Apost. Rom. 1. v. 28, dicitur νοῦς ἀδόκιμος *mens reproba*. 1. Tim. 6. *homines mente corrupti priuata veritate*. 2. Timoth. 3. *homines mēte corrupti, reprobi circa fidem*. Tit. 1. *polluta mens & conscientia*. Ephes. 4. *renouandos dicit etiā spiritu mentis nostræ*. Quæ sententiæ indicant τὸν νοῦν, in se vitium aliquod habere, sed luculentissimè id ad Rom. 8. & declaratur loco priùs citato. Nō enim simpliciter est θάνατος ipsum carnis φρόνημα. sed est ἔχθρα εἰς τὸν θεὸν. i. inimicitia aduersus Deum. hoc est, in Deum ipsum fertur prudentia carnalis: ac, si posset, Deum de rerum natura delere.

Itē idem φρόνημα legi Dei non subiicitur, hoc est, suis viuit legibus, suo more & consuetudine, quæ Dei iudicio repugnat.

Item non potest legi Dei subiici, hoc est, natura rationis ita comparata est, vt si per se & ex se consideretur, nulla ex parte habilis est, vt Deo satisfaciat. Atque hic status est animæ rationalis, quæ dominium in homine dicitur habere. Cadit hîc omnis Philosophia de moribus, de natura, de disciplina & artibus. Nam extra Christum omnia damnata sunt.

De inferioribus facultatibus non est dissidiū: nam Philosophi quoque viderunt magnam ἀταξίαν in hominis pugnantibus affectibus contra rationem, in quibus manifesti sunt errores, & palpabilia peccata, præsertim in concupiscibili, & irascibili parte.

Corpus alterā partē cōstituimus veteris hominis., hoc scriptura vocat *carnem* aliquando, quanquam eo titulo, totū intelligat hominē, à debiliori parte denominatū. Hinc carnalis dicitur homo, & affectus carnales illi inhærentes.

Hoc corpus, quia organum est animæ, & in veteri homine pro peccato militat. Ideo Apostolus appellat vas, item vestra membra & arma, vt Roman. 6. *Ne præbeatis membra*, hoc est, corpus in genere totum, arma, hoc est, organum iniustitiæ, hoc est, veteris hominis, totus quantus quantus est ἀδικία. i. iniustitia est, & corpus organo abutitur ad peccatum: sed contrà, *præbete membra vestra arma iustitiæ*, hoc est, vt sit corpus vestrum organum renati hominis, qui secundùm Deum viuit. & 1. Thes. 4. *vt sciat quisque vestrum vas suum poßidere in sanctificatione & honore, hoc est, corpus suum quod organum est vel renati vel veteris hominis.*

Christus hunc veterem hominem vocat carnem & sanguinem Matth. 16. *Caro & sanguis hæc tibi non reuelauit, sed Pater meus qui est in cœlis. Filij huius seculi sunt, qui prudentiores dicuntur esse filiis lucis*, Luc. 16. Nec malè hic quadrant illa nomina, *arbor putris* Matth. 7. *Ouis perdita* Luc. 15. *Filius prodigus*, ibidem *seruus nequam* Matth. 18. *dispensator iniquus* Luc. 16. *Virgines fatuæ* Matth. 25. *Sedentes in tenebris, & vmbra mortis* Matth. 15. *Seruus inutilis* Matth. 25. *Operarij iniquitatis* Matth. 7. & similes appellationes, quibus natura & vis corrupti hominis exprimitur.

Corpus altera pars veteris hominis.

Vetus homo dicitur ab Apostolo Paulo Ephes. 4. *vt deponatis veterem hominem corruptum, secundum concupiscentias deceptionis*. Roman. 6. *illud scientes quòd vetus noster homo vnà crucifixus est, vt eneruetur corpus peccati, ne posthac seruiamus peccato*. Colos. 3. *exuentes veterem hominem cum actionibus suis.*

Idem est terrenus ille homo, qui terrena sapit & loquitur Ioan. 13. *& de hoc mundo esse*. Itē *de infernis esse* Ioann. 8. & apud Apostolum, *Animalis homo, qui non capit ea quæ Dei sunt, imo stultitia est ei, nec enim potest ea cognoscere.*

Plato, Galenus Aristoteles

Significans veterem hominem in rebus diuinis prorsus cæcum esse. Sic Plato, Galenus, Aristoteles rident pietatem Christi. Galenus in illa requirit demonstrationes: Græci sapientiam

les ridêt pietatê Christi. quęrunt: Iudęi humilitate crucis offenduntur. ad Rom. 8. huic tribuitur secundùm carnē esse: secundùm carnem ambulare: secūdùm carnem sapere. Ideo homo vetus rectè dicitur carnalis, quia secundùm carnem iste viuit, & mortē habuit præmium actionum suarum, nisi ad Christum conuertatur. Idem externus homo est: illius veri & noui hominis simulachrum, de quo rectissimè dicitur illud Sophoclis ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ᾽ ὅσαπερ ζῶμεν ἢ κούφην σκιάν. i. Video nos, quotquot viuimus, nihil esse aliud, quàm imagines aut vmbram leuem. In hunc hominem verè competit deploratio illa humanarum calamitatum & miseriarum, quas Philosophi aliquando solent referre, vt Plinius diligēter commemorat. Plato vix hominis nomine dignatur externam formā; sed illius esse in anima quærit: & rectè quidē, sed & hac malè affecta, vbi tandem hominis vera erit imago? Non certè alibi, quàm in nouo nostro homine, de quo mox. Nam ille vetus, vtut superbiat sapientia & ingenio, hostis tamen Dei est, & alienus à vita æterna. Ideóque verè & summè miser. De hoc si quæras quid sit, rectissimè respondetur ex media philosophia.

Homo ex philosophia quid. Homo est imbecillitatis exemplum, fortunæ ludibrium, incōstantiæ imago, calamitatis statera, reliquū verò pituita, & bilis. Id Græci dicunt ἀσθενείας ὑπόδειγμα, τύχης παίγνιον, μεταπτώσεως, εἰκὼν συμφορᾶς πλάστιγξ, τὸ δὲ λοιπὸν φλέγμα καὶ χολή.

Ex verbis Domini Christi definiatur sic: Homo vetus est seruus nequam, mancipium peccati & Satanæ, hostis Dei, in causa propriæ salutis stultus, ad æternam miseriam & mortem sponte sua ruens.

Effecta. Fructus hominis veteris sunt in scriptura expressi per opera carnis, opera mala, opera mēbrorum.

Item per fructus carnis, & membrorum, opera tenebrarum infrugifera dicūtur. ad Ephe. 5. vers. 11.

Enumerantur autem eodem capite vers. 3. 4. 5. quo loco obseruandū his operibus hanc vim adscribi, quod arceat suos possessores à regno cœlorum.

Itaque vetus homo non cœli incola, sed inferni & Satanæ mancipium erit. Et ad Gal. 5. v. 19. eadem enumerantur adulterium, scortatio, impuritas, lasciuia, idolorum cultus, veneficiū, lites, inimicitiæ, æmulationes, iræ, contentiones, dissidia, hæreses, inuidiæ, cædes, ebrietates, cōmessationes, & similia quibus eādem annectit clausulam, qui talia faciunt, regni Dei hæredes non erunt.

Hęc diligenter perpendant studiosi, vt discāt propriā naturam rectius cognoscere: nā sui notitia bona pars fœlicitatis nostræ existit. Platonis est sententia τὸ ἑαυτὸν γινώσκειν esse σωφρονεῖν, hoc est, *seipsum nosse, esse sapere, contrà seipsum ignorare, esse desipere.*

Præclarè quidem hoc dixit, sed rationem seipsum cognoscendi non tenuit, cum, extra, & sine Christo sit philosophatus. Nos eo oraculo Delphico rectiùs vtamur, considerantes naturæ nostræ corruptionem, quæ talis est, vt & mens & ipsa ratio, nedum infimæ hominis partes, in totum corrupta sit, vt nisi Filij Dei beneficio restituatur, vitam æternam ingredi non possit.

DE AFFECTIBVS, AN omnes sint vitiosi.

LOCVS XLII.



Opinio Stoicorum. VEtus est quæstio de affectibus in homine, An omnes sint vitiosi. Stoici magno consensu omnes dānarunt, & conati sunt naturæ obtrudere quandam impassibilitatem, quam suo vocabulo ἀπάθειαν vocarūt. Ex nostris Christianis idem fecerunt ferè Monachi, qui nudipedalia, humicubationes, indolentiam, animi rigorem ad omnia infractum meditati sunt. His igitur hîc respondemus cōmuniter quando rationes contra vtrosque valent.

Origo. Quid sit vox media. Primùm igitur refutat eos vox ipsa. Nam suum πάθος quod in genere damnant, vox est media, hoc est, tam in bonum, quàm in malum vsum cadit. Ex quo efficitur non omnem affectum per se damnandum esse. Probo hoc ex ipsorum explicatione qui dicunt παθεῖν & πάθος dici περὶ ἠδέων, καὶ τῶν μέσων. Notum est μέσα dici Græcis, vsu medio, hoc est, quę laudem aut vituperium admittant. Deinde non omnia ἡδέα suauia vitiosa sunt. Suauis est gustus vitæ æternæ, amor in Deum, in parētes, quæ vtique suauitatem cum laude retinent.

Ὅρος. 2 Definitio quoque à Græcis posita hoc admittit. πάθος ἐστὶ ψυχῆς κίνησις ἄλογος διὰ ὑπόληψιν κακοῦ, ἢ ἀγαθοῦ, id est, motus animi ratione carens propter bonum vel malum opinione apprehensum. Ex quo sumo, non omnis ὑπόληψις, hoc est, opinio mali damnāda est. Odium peccati, dissidium cum impiis & Satana, mali habent opinionem, ac veram quidem & laudabilē. Quòd verò Cicero hanc corrigit ac definit ex Stoicorum sententia, Affectus est, auersa

à recta

à recta ratione contra naturã, animi commotio, non admittimus: cùm boni affectus potius sequantur ipsam naturã, vt à Deo ordinata est, vult enim odisse peccatum, diligere proximũ, zelo affici pro gloria nominis. Corrigenda igitur est Stoicorum apud Ciceronem definitio, aut adstringẽda ad malas perturbationes animi, quæ cum iudicio & recta ratione pugnant. Boni autem affectus definiuntur animi motus cum sano iudicio cõsentientes, & à Deo ad bonum finem naturæ impressi.

Mala affectus definitio. *Bona definitio.*

3 Ideo à Peripateticis vtilis diuisio est instituta, quæ omnino est retinenda. Distinguũt, autem τὰ πάθη in ἐπαινετὰ, & ψεκτὰ, hoc est, alij affectus laudabiles sunt, alij vitiosi. Laudabiles qui rationem sequuntur ducẽ: Vitiosi qui iugo rationis excusso vagãtur extra ordinem. Illos vocarunt alij στοργὰς φυσικὰς, hoc est, naturales inclinationes, seu affectiones. Significat enim στοργὴ appetitum manẽtem, aut φιλίαν ἔμμενον durabilem amorẽ. Hinc affectus honestos sic vocarunt, vt est amor erga Deũ, in liberos, parentes, affines, eiusdem fidei consortes, qui amor non potest non esse honestus. Sumpta vox est, à στέργειν quod interpretantur ἐμμένειν quia amor hic naturæ impressus, durat semper in his qui monstra non sunt.

Diuisio affectuũ. *στοργὴ. φυσικὴ.*

4. Addo igitur superioribus hoc etiam argumentum, Deus quosdam affectus indidit naturæ nondum corruptæ: Ergo horum affectuum reliquiæ honestæ sunt. Antecedens probo, quia in Paradiso ante lapsum primi hominis, habebant Dei amorem, castã sui dilectionem, quod dixit etiam Augustinus de Ciuitate Dei lib. 14. cap. 10. Erat illis amor in Deum imperturbatus, cõiugum fida & syncera societas, & ex amore grande gaudium. Horum affectuũ author fuit Deus. Nec valet quòd hîc obiiciũt, non synceros amplius esse eos affectus. Cócedo enim, sed hoc satis est, ex hoc amore aliquas reliquias nobis manere in natura, quæ à Spiritu sancto inflammantur & excitantur ad ordinarios motus, quos Deus non damnat.

Causa efficiens. bona est.

5 Præterea Deus hos affectus requirit in electis, ac præcipit: Ergo laudabiles esse oportet Rom. 12, Iubemur esse φιλόστοργοι. Et 1. Pet. 3. Sitis inter vos συμπαθεῖς. Ex quo efficitur φιλοστοργίαν & συμπάθειαν motus animi esse laudabiles: alioquin Apostolus hos motus minimè requireret in Sanctis.

6 Item idem Spiritus sanctus ἀστόργους dãnat vt 2. Tim. 3. impiis tribuit, quòd sint ἀνόσιοι ἄστοργοι, & ἄσπονδοι. Sic Ro. 1. ἀστόργους & ἀσπόνδους coniungit. Ideo rectè colligit August. libro 14. Ciuit. capit. 9. Si nullos omnino habeamus tunc potius non rectè viuimus. Nam omnino non dolere dum sumus in hoc loco miseriæ, profectò sicut quidam etiam apud seculi huius literatos dixit, non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. Quæ sententia est Crantoris apud Ciceronem lib. 3. Tuscul.

Argum. ab absurdo.

7 In Christo Filio Dei manifestas has perturbationes animaduertimus, tristatur, Matt. 26. flet. Luc. 11. Irascitur. Matt. 21. Et habuit hos affectus sine peccato. Ergo boni in nobis esse possunt, quanquã peccato contaminantur. Nam Christi exemplum ostẽdit quales in nobis sint. Assumpsit veram humanam naturã, & in hac etiam πάθη. Ergo τὰ πάθη in homine boni esse possunt. Fatemur interim libenter in nobis non esse synceros, vt nil ex omni parte in hac mortali vita absolutum est.

Christus non caruit affectibus. Qui affectus per se sunt boni, peccato contaminantur.

8 In sanctis illustres sunt, qui secundùm Deum tamen viuunt in hac vita: dantur eis diuino quodam impetu, vt in Prophetis, in Mose, Phinees, Ioanne Baptista, Petro, Stephano, Paulo, verè sunt heroici motus: hoc, est Dei donũ. Hinc colligit Augustinus, Dolent, cupiunt, gaudent in hac vita, gaudent de vitæ æternæ spe, dolent in pœnitentia, cupiunt in fide, & est rectus illorum amor. Ergo rectas habent illorum affectiones.

Heroici motus.

9 In sanctis quoque adhibentur, secundùm rationem, hoc est, quando oportet, vbi oportet, quantùm oportet: nemo malas dicere debet. Ideo rectè damnatur ἀπάθεια quæ in hac vita omnibus vitiis grauior ac peior est, si rectè & secundùm Deum velimus viuere.

10. Facile est iam respondere illorum argumentis, ex quibus pauca attingam, cùm illa veterũ satis iam confutata sint. Primùm perturbant mentem etiam prudentis, vt ait Pindarus Olymp. 7. Antistoph. 2. αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ παρέπλαξαν καὶ σοφόν. Mentis perturbationes in errorem ducunt etiam sapientẽ. Verùm nos non loquimur de confusis affectibus, nec defendimus illas ταραχὰς, hoc est, inordinatas libidines, & in natura confusiones, sed loquimur de pio & casto amore, quem Deus nobis indidit.

Pyndari sententia de affectibus.

Deinde aiunt damnari à Scriptura passim iram, odiũ, & similes affectus, hoc nobis quale sit expẽdendum est. πάθος ferè dãnatur à Scriptura, quia vt plurimùm in malam partem accipitur: species tamen laudabiles commendat. Exempla rem illustrabunt. πάθος vitiosum appetitum, aut naturæ morbum significat, ideo rectè damnatur, vt Rom. 1. v. 25. de gentibus loquẽs, Tradidit eos Deus εἰς πάθη ἀτιμίας. Col. 3. ver. 5. πάθος, hoc est, mollities inter opera carnis recensetur. 1. Thes. 4. vers. 5. nõ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, hoc est, in affectu seu morbo concupiscentiæ. In eadem significatione damnatur πάθημα, vt Rom. 7. vers. 5. Cùm essemus in carne τὰ παθήματα peccatorum per legem in membris nostris vigebant. Galat. 5. ver. 24. Qui Christi sunt, carnem crucifixerunt cum τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Quibus locis naturæ corruptio quæ his affectibus sese prodit, damnatur. Interim, dilectionem proximi, amorem Dei, parentum, liberorum, coniugum, condolentiam in afflictionibus, misericordiam, gau

dium spirituale, hisque similes affectus commendat & requirit in suis, tanquam veros Spiritus sancti fructus.

Boni affectus sunt fructus Spiritus sancti.

3. Præterea in hac vita saltē durare dicūtur. Id opus habet distinctione: nam quatenus τὰ πάθη sunt perturbationes & vitiosi motus, vtique cū hac vita desinunt, & in morte deponūtur. Sed quia in bonis affectibus, sunt Spiritus sancti motus, manebūt, imò purgatiores fient. Sic dilectio Dei & proximi manet, fide & spe, desinēte. Sic gaudiū fiet illustrius in vita æterna, odiū peccati syncerius: quæ omnia in hac vita imperfecta sunt. Itaque manent non omnes, & quod de eis manet, secundùm quid manet.

Quidam affectus manebūt post mortem.

Ad reliqua, ab aliis responsum est, vt quòd sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Et quòd cogitatio cordis humani mala sit à pueritia. De definitione quoque Ciceronis iam diximus.

DE REGENERATIONE.

LOCVS XLIII.

De regeneratione Christi colloquium cum Nicodem.



REgenerationem proponit nobis Christus in colloquio cum Nicodemo, Ioan. 3. Quam vt pleniùs intelligamus initio expendi debet quibus nominibus à Scriptura nobis proponatur.

Nostra prior natiuitas non est capax regni Dei.

I. Apud Ioannem hæ sunt fermè phrases: è supernis nasci, significans, authorem Deum illius beneficij existere. Deinde, iterum nasci, significans priorem natiuitatem damnari, & minimè capacem esse regni Dei. Tertiò, ex aqua & Spiritu renasci, quo exprimitur organum, quo Deus in renouandis suis vtitur, Spiritu suo sancto, & aqua, hoc est afflictionibus, vel Baptismo, quo incorporantur externæ Ecclesiæ. Potest etiam pro verbo accipi, per quod suos attrahit. Quartò idē est ex Spiritu nasci, spirat ille vbi vult: ita liberè vocat quod vult: interdum per vocale verbum, aliàs per lectionem, aliàs aliis mediis. Quintò, è cælo renasci.

Scriptura noui Testamenti appellat etiam, deponere veterem hominem: induere nouum hominem, filium lucis effici, membrum Christi fieri, transformari ad imaginem Dei, renouari spiritu, &c.

In Prophetis sunt phrases huius rei, corde circumcidi: cor lapideum deponere, cor carneum recipere, conuerti toto corde ad Dominum Deum, resipiscere, seriò pœnitere, aliisque sententiis idem exprimitur id, quod hic regenerationem dicimus.

Veteres appellarunt conuersionem hominis. Non multùm dissidet vera pœnitentia ab hac doctrina, & modus iustificationis. Nec enim probamus eos, qui nimium scrupulosè distingunt Regenerationem à Renouatione, Iustificatione, Pœnitentia, & vitæ restitutione. Vicina enim sunt, & nimia subtilitate vim ac pondus amittunt.

Nos ex verbis Christi Matth. 19. & Apostoli Pauli, Tit. 3. vocemus Palingenesiam, Latine Renascentiam aut Regenerationem, qua ex corrupta vita, ad melius vitæ genus resurgimus, quod secundùm Deum est formatum.

Duplex natiuitas.

Significat autem iteratam genesin, quemadmodum Anastasis iteratam stationem. Nam vt prima stasis per lapsum est amissa, & ad eam per emendationem vitæ beneficio Dei resurgimus: sic prima Genesis ex Adamo damnata est, progenerans filios iræ. Palingenesia autem, hoc est, altera natiuitas, ex cœlo cœlestis, imaginem Dei in nobis restituit.

II. Quòd autem talis quædam sit iterata & planè cœlestis natiuitas, à multis sæpè dubitatum est: Inter quos Nicodemus quoque recenseri debet: sed & Cyprianus de se testatur, id in primis sibi impossibile visum esse ante conuersionem. Verùm vsus ipse edocuit, rem reuera se ita habere: didicit hoc Cyprianus suo exemplo, Chrysostomus, Augustinus, aliique qui è Gentilium scholis ad Christi accesserunt Ecclesiam, inter quos speciosissimum est D. Pauli exemplum, qui ex persecutore doctor factus est.

Regeneratio suas habuit vmbras. lege.

In veteri lege, suas habuit vmbras, vt in sacrificiis, quorum mactatio, nihil aliud proponebat, quàm mactandos esse affectus carnis, & legi Dei repugnantes. Sic, lotiones in purificationibus, abluendos esse mores, vitæ Domino displicentes. Idem præstabant pœnitentiæ conciones, in quibus indubitata salus proponebatur seriò pœnitentibus: sic ieiunia exigebant à peccato ieiunos, in malo sobrios. Euidentissima autem illius fuit doctrina in circumcisione carnis admonens de circumcisione cordis, vt est Deut. 10. 30 Ierem. 4. Non debuit igitur res adeò noua & absurda videri nec Nicodemo, nec aliis nostro seculo.

Specimē regenerationis in ethnicis.

Videmus politica & ethica vitia sæpe laudabiliter mutari in excellentes virtutes: qualia de Fabio Maximo, Scipione Aphricano quoque referunt: multò igitur magis efficax esse potest Dei Spiritus in his, quos ad vitam æternam selegit.

Docue-

Docuerunt & Platonici, sine repurgatione & expiatione animas non posse redire ad pristinum integritatis statum: quod vt non omnino absurdè dictum est: ita in eo errant, quòd post mortem animis concesserunt quandam purificationem: post quam, expiatis vitæ actæ criminibus, tandem nitori suo restituerentur. Doctrina Platonicorũ.

Nos renascentiam & necessariam esse dicimus, & in hac solùm vita perficiendam esse: ita vt nisi hic renascamur in Christo, post mortem nulla sit salutis spes. Rectè igitur dixit saluator noster Nicodemo, *nisi quis renascatur* ἄνωθεν. i. supernè, regnum Dei videre non potest.

Addimus, his vitam æternam tolli, sublata regeneratione. Cùm enim regeneratio sit causa sine qua non, sequitur omnino sublata hac causa tolli omnem vitæ æternæ spem.

Cæterùm cùm Scriptura passim, vitæ æternæ faciat consortes sanctos, & horum non sit modicus numerus, superest omnes per hanc ipsam Palingenesiam ad vitam æternam ingressos, ingredi, & ingressuros, ad finem vsque mundi.

III. Quid autem sit illa Palingenesia paucis expediamus. Ex nomine ipso repetita est natiuitas. Sic Hebr. *Schenith tholedah* appellant, vt est Matthæi. 19. Basilius libro de Spiritu sancto cap. 5. vocat Initium secundæ. Est enim reuera conuersio principium renouatæ vitæ, sed & æternæ beatæ vitæ principium est: nam in hac, illius dulcedo insinuat sese mentibus fidelium. Quid sit regeneratio.

Non absurdè etiam definiunt, qui dicunt esse pœnitentiam, per quam imago Dei, Adami peccato fœdata, in nobis reparetur. Tota enim hæc natiuitas non corporis est, sed animi, in quo notitia Dei lucere debuit: hæc imago per lapsum fuit corrupta: eadem per regenerationem restituitur in Christo.

Nos sic describamus. Palingenesia est renouatio, qua Dei beneficio ex filiis iræ renascimur filij Dei, deponendo veterem hominem, & induendo nouum, qui Deo deinceps sponte seruiat. Bona definitio ob id haberi debet, quia causas veras exprimit. Alia definitio regenerationis.

Ac genus definitionis ex Apostolo sumpsimus, qui Tit. 3. regenerationem & renouationem coniunxit, prius per posterius explicans. Palingenesiam igitur renouationem dicimus: nec est quare curiosiùs has voces distinguamus. Deinde quod beneficio Dei eam contingere dicimus, vim causæ efficiẽtis habet, à Deo enim proficiscitur, &, vt Christus inquit, è supernis.

Quòd autem addimus, ex filiis iræ filios Dei renasci, Materialem denotat causam. Filij iræ, omnes nascimur, ex Adamo Adamiani, & ob id in Adamo dãnata est generatio. Filij Dei renascimur, hoc est, restituimur in gradum amissum, vt intelligamus in ipsis hominibus corruptis beneficium hoc exerceri, non in nouis fingendis, qui corrupti non fuerint. Terminus à quo & terminus ad quem exprimitur in causa materiali. Adamiani.

Forma autem in eo expressa est, quòd dicimus id totum fieri deponendo veterem, & induendo nouum hominem. Forma enim indicat pogressum ex priuatione ad habitum. Vetus homo priuatio est in mente, vt cæcitas in oculo: nouus homo est habitus restitutus in imagine diuina, vt visus in oculo sensim restitutus. Simile.

Finalis causa est, Deo posthac seruire, & quidem liberè, nec coactè: parat enim populum bonorum æmulum, vt est ad Tit. 2.

IIII. Palingenesia alia est animi, de qua hactenus diximus, per quam internus homo renouatur quotidie, vt est. 2. Cor. 4. & ad Eph. 4. *induite nouum hominem, qui secundùm Deum sit conditus.* Hæc debet fieri in præsenti seculo. Duplex regeneratio.

Alia est corporum, quæ & ipsa spem habent restitutionis, etiamsi hîc moriantur, dilanientur, suffocentur, comburantur: tamen virtute Domini, ex omni elementorum sinu restitui debent: quæ est altera veluti creatio, quę in resurrectione corporum expectatur.

Alia est etiam totius naturæ, per quam cœli noui & terra noua expectantur, quam credidit etiam Plato, negauit autem Philo Iudæus, lib. De mundo: Impossibile est, inquit, mundum Palingenesiam accipere. De hac naturæ restitutione intelligunt plerique veterum locum illum Mat. 19. *qui secuti estis me in regeneratione hac*, &c. Vt est Augustinus, qui in lib. contra duas epistolas Pelagianorum, de resurrectione interpretatur, citans locum ad Rom. 8. *expectantes adhuc adoptionem & redemptionem corporis nostri.* Tertia species regenerationis.

Demum veteres Baptismum vocant Palingenesiam, quia Sacramentum est regenerationis, per quod in numerum externæ ecclesiæ cooptamur. & Apost. Tit. 3. *lauacrum regenerationis appellat, de quo diximus suo loco.* Baptismus sacramentum regenerationis.

Demum Pythagorici quoque vocarunt Palingenesiam, suam illam animarum transfusionem in noua corpora, quam vocãt Metempsychosin & Metasomatismon: quod physicus Empedocles quoque docuit.

Hanc Plato etiam affirmauit, quæ à nobis aliàs iam confututata est.

V. Ad definitionem reuertamur, vt res meliùs intelligi possit: diximus, illic Dei esse beneficium. Hîc iam quæri solet, Quis regeneret?

Respondemus, Deus est qui regenerat nos. Sic. 1. Pet. 1. *Deus regenuit vos ad spem viuam.* Ioã Author regenera

tionis Deus

1. *qui non ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Tit. 3. *Deus salvus nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti: & Christus Deo Patri ascribit*, cum inquit: *nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Sic Prophetę loquuntur & docent. Ezech. 11. *Cor lapideum auferam, & dabo eis cor carneum.* Ezech. 36. *dabo eis cor nouum.* 1. Ioan. 3. *qui ex Deo natus est non peccat.* Dei igitur dicitur beneficium.

Deus regenerat per spiritum sanctum & per verbũ prædicationis. Regeneratio cõfirmatur vi Baptismi & cœnæ.

VI. Per quid regenerat? Respond. Per Spiritum sanctum, qui efficax est in cordibus nostris. Idq; vel per verbum prædicationis, quod de se Corinthus affirmat Apostolus. 1. Cor. 4. Per Euangelium ego vos regenui. Pertinent huc boni ministri, qui cum fructu docent, hinc dispensatores & cooperatores Dei dicuntur in Scriptura, nam efficax est per verbum vocale Spiritus sanctus.

Vel per Baptismum operatur. Hinc lauacrum regenerationis, & à veteribus Palingenesia, sacrum Baptisma dicebatur.

Aut per Cœnam Domini, cui quoque Dominus adiecit promissionem incorporationis, in mysticum suum Ecclesiæ corpus. Sed quemadmodum vocali verbo non alligatum est semper beneficium regenerationis: ita nec Sacramentis: sed hoc solùm dicimus quòd per hæc interdum & in quibusdã efficaciter operetur.

In aliis operatur idem Spiritus per lectionem nudam & mutos magistros: quod fit hodie frequenter in Monachatu, in iis qui clàm legunt sacram Scripturam, ex cuius lectione nonnulli sic afficiuntur, vt relicto habitu, tradant sese ad nouum vitæ genus.

In aliis efficax est per honestam conuersationem, per bona colloquia, admonitionem fraternam, honesta exempla: quo pacto in martyrio nonnunquam pij martyres alios spectantes attraxerunt, vt sese cœtibus piorum adderent. His & aliis mille modis, vnus & idem Spiritus efficaciter operatur in suis renouandis. Sic 2. Cor. 3. ait, *ad imaginem eius transformamur, spiritu Dei.* Christus apud Ioannem ait, *per aquam & Spiritum oportere renasci*: quo loco diximus Baptismum intelligi per aquam: quod facit contra Catabaptistas, qui negant Baptismum præmitti posse doctrinæ.

Multis modis regenerationem in nobis Deus efficit.

Non ignoramus interim, aquã pro afflictionibus quoque accipi posse, per quas in multis efficaciter operatur spiritus Dei: Alij per aquã verbum Dei accipiunt: alij quoduis medium, quo Deus suos attrahit.

Porrò in nobis sunt organa, quę mouet Spiritus sanctus, vt est assensus, mens iudicans de promissionibus. Hinc initia sumit fides apprehendens oblata bona in diuinis promissionibus. Ideóque fidei ascribitur Iustificatio, quam in regeneratione consequimur.

Fructus regenerationis multiplices.

VII. Ad quid regeneramur? hoc est, qui dicuntur esse fructus regeneratorum? passim hosce Scriptura recenset. Christus apud Ioannem eos quoque subindicat diuersis appellationibus, quos non pigebit huc referre. Primùm inquit renatorum esse, *Videre regnum Dei*, deinde *Ingredi regnum Dei*: magnifica sunt, videre & ingredi regnum Dei. In hac vita videtur per speculum & ænigma, & tanquam è longinquo portus apparet nauigantibus per Syrtes & scopulos: à morte autem ingredimur hoc ipsum regnum Dei: tãdem in resurrectione pleniùs animis & corporibus idem possessuri. Tertiò apud Ioan. est, In cœlum ascendere, quod Christus & Apost. sanctis promittit in nouissimo iudicio futurũ, rapiemur illi obuiam in aërem, hinc ipsum cœleste regnum occupaturi. Quartò, Credere in Filium. Fructus hic proximè sequitur Palingenesiam: necessaria enim est fides in Filium: *sine me*, inquit, *nihil potestis*, &, *nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis qui est in cœlo.* Quintò, non interire. Veteris hominis proprium est perire, & ad nihilum redigi: renatus hanc spem habet, vt non pereat. Sextò, habere vitam æternam fructus hic vltimus est & præmium omnium laborum. Septimò, seruari, interpretatur quid sit illud, quinto loco positum, non perire. Octauò, non iudicari: qui in Filium credit, non iudicatur, hoc est non damnatur: nam iudicio communi non sunt exempti etiam boni. Nonò, veritatem facere, dando locum veritati, exprimendo eam vita & moribus. Decimò, accedere ad lucem, & hic fructus cum Palingenesia coniunctus est: ad lucem venire est, in Christi agnitionem venire, deinde subire censuram factorum & dictorum, vt probentur illius opera, quòd sint ex Deo, quod reprobi ferre non possunt: hi tenebras amãt & latebras quærunt conscientiæ: iudicium enim Dei sufferre non possunt. Vndecimò, opera Dei facere, quæ scilicet pręscripsit & facere iussit: quale est piè viuere, proximo prodesse, erudire alios ad vitam æternam, in fide & confessione manere constantem. Duodecimò, audire vocem sponsi, hoc est, solius Christi veri sponsi & pastoris vocem audire, nullius mercenarij aut impostoris. quæ sanè certissima nota est renati hominis. Decimotertiò, gaudere propter vocem sponsi: impij quoque audiunt vocem sponsi, sed cum luctu, & gemitu, vt montibus quoque dicturi sint, cadite super nos: sic non audiunt pij, sed cum magno gaudio, ac gaudent non propter se solùm, sed propter ipsum sponsum, quem stantes audiunt & colunt. Hæc apud Ioannem huc pertinent.

Certissima nota renati hominis.

Referenda sunt etiam huc, quæ Scriptura commemorat de noui hominis dotibus. Col. 3. Item de noua creatura, de fructibus Spiritus 2. Cor. 5. Rõ. 7. 12. Gal. 6. Eph. 2. & 4. alijsq; locis.

Baptizati induebantur vestibus albis.

In veteri Ecclesia moris fuit, vt adulti quos Cathecumenos appellabant, baptizarentur in Paschate, idque propter memoriam resurrectionis: Baptizatos induebant albis vestibus: hinc

hinc manauit Festum in albis apud Papistas, quod celebrant in hebdomada post Pascha. Habuit ea res suauem typum Admonebantur enim alba veste, quid essent professi, Innocentiā scilicet & in Christo resurrectionem à peccatis, in qua deinceps candidè essent victuri: atque hi Renati & Regeniti dicebantur: & quanquam res cum symbolo illo externo non fuerit semper coniuncta, vtilis tamen erat admonitio, quæ tum baptizatos tum reliquos circunstantes officij admonebat: nec dubitari potest, quin in his baptizatorū gregibus suos habuerit Dominus. Hodie ritus solùm mansit sine vsu & sine intellectu: pauci enim norunt quid sibi velit Festum illud in albis.

Nos ista legentes consideremus, quàm sit enorme scelus Christum profiteri, & regenerationis non præstare opera: verè quod ille ait, Curios simulamus, & Bacchanalia viuimus, quos Dominus Iesus Christus suo tempore castigabit.

DE HOMINE NOVO.

LOCVS XLIIII.



NOuus homo opponitur veteri: ideo commodè superiori subiicitur: & scriptura solet, ferè coniunctim vtrunque tractare, tanquam opposita, quæ se mutuò illustrant: hoc est, vbi dehortatur à moribus veteris hominis, mox opponit ei exhortationem ad noui hominis studium, vt ad Eph. 4. & 5. Sic ad Gal. 5. Colos. 3. sic ad Rom. 7. de interno, & externo simul loquitur homine.

Porrò locus iste de nouo homine pertinet ad locum Regenerationis, cui tanquam effectus & fructus cohæret, de quo cùm dixerimus, hîc breuiores erimus.

Nouus homo est, homo in Christo renatus, quatenus carnis affectibus renuntiauit, fide autem, & gratia Dei per Christum in dies magis ac magis instauratur, constanter ad vitam æternam. Definitio noui hominis.

Dicitur enim hîc nouum, quod naturæ nostræ consuetum non est, alienum, diuersum ab eo quod naturale dicitur, quod ex gratia & merito Christi acquirimus. Apostolus vocat nouam creaturam 2. Cor. 5. ver. 17. si quis est in Christo, is noua creatura est. *Vetera transiuerūt, ecce noua facta sunt omnia*, Gal. 6. ver. 15. *In Christo Iesu neque circuncisio quidquam valet, nec præputium, sed noua creatura.* Rectè dicitur noua creatura, quasi altera, & diuersa à priore. Nam prior carnis erat & vitiatam ex vitiata trahebamus: hæc autem mentis, quæ in regeneratione quasi refingitur ad agnitionem Dei. Ἔκθεσις. Noua creatura.

Sic de nouo homine loquitur scriptura, tanquam de renato, ad Eph. 2. ver. 5. vt ex duobus conderet vnum nouum hominem, in semetipso faciens pacem, loquens de vocatione gentium ad gratiam cum Iudæis Lege abolita, & significat vtrosque opus habere regeneratione, & innouatione, expressius de eo loquitur Eph. 4. ver. 24. *induite nouum hominem, qui secundum Deum conditus est, ad iustitiam, & sanctitatem.* Nouus homo. Col. 3. v. 10.

Ad eundem pertinet spiritualis homo, 1. Cor. 2. ver. 5. *Spiritualis diiudicat omnia.* Ostendit enim illic ad quem pertineat iudicium de causa Euangelij. Non certè ad omnes, sed ad eum saltem qui iudicandi habet organum, vt iudicium de coloribus non pertinet ad cęcum, sed ad videntem, quia hic possidet organum per quod iudicatur de coloribus. At organum iudicandi de causa Euangelij, solus possidet spiritualis, hoc est, renatus, qui præceptore spiritu Sancto in Christo, est vsus, hic inquam rectè diiudicat omnia, scilicet ad causam Euangelij pertinentia. huic opponit hominem ψυχικόν, hoc est, animalem, qui ratione naturali vtitur, qui sapit, & intelligit, secundùm lumen naturæ extra Christum: ideò doctrinam cœlestem non agnoscit, οὐ δέχεται: quasi dicat, angustior est ratio humana, quàm vt hanc rerū maiestatem capiat, & cùm non possit capere, incipit irridere, inde stultitia illi videtur, non quia talis sit, sed quia prauū illius est de re bona iudicium. Et cur hæc? quia organum iudicandi, hoc est, Spiritum sanctum non habet, secundum quem, hæc rectè tantùm diiudicantur. Spiritualis. Simile. Spiritus sanctus est organum iudicandi.

Idem est, homo interior Eph. 3. ver. 16. *vt corroboremini in internum hominem*, hoc est, indies magis ac magis in Christo confirmemini, vt non dubitetis extrema quæque Christi nomine subire, quod proprium est noui & renati hominis. 1. Cor. 4. *Propterea non deficimus, sed etiamsi exterior noster homo corrumpitur, tamen interior renouatur quotidie.* Rom. 7. ver. 22. *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem*, hoc est, quatenus sum renatus à Christo, alioquin caro semper suos paritur manes. Internus igitur renatus est: externus naturalis & tardus adhuc, in causa salutis.

Platonici non sic loquuntur de homine interno. Ponit quidem Plato hominis veram proprietatem in Anima, quia imperium illi debetur. Deinde hominem distinguit in hominem ἐντὸς & ἐκτός, sed τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον, absoluit ab omni peccato, & hunc vocat νοῦν παντέλειον, rationem vel mentem omnibus numeris absolutam & perfectam: ἐκτὸς verò ἄνθρωπος, Plato.

εἰκονικὸν vocant, qui veri illius imaginem & vmbram gerat. Sed sciendum est Scripturam etiã hanc mentem παντέλειον, extra Christum damnare, adeóque partem constituere non interni, sed externi hominis. est enim tota natura nondum renata, vetus fermentum, quod Apostolus iubet expurgare, 1. Cor. 5. ver. 7. noua cõspersio est homo nouus: vetus conspersio homo vetus, in eadem & communi massa. Christus vocat tales discipulos suos Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quòd mei discipuli sitis*, & filios lucis. Luc. 16. Agrum bonum, qui fert fructum multiplicem.

Eph. 5. v. 24. Carnem crucifixerũt cum affectibus & concupiscentiis.

Horum est proprium in Christo esse, Rom. 8. v. 1. *Secundum Spiritum ambulare* ibidem, & ver. 4. *Spiritu incedere*. Gal. 5. v. 16. *mortificare affectus carnis & membra terrena*. Col. 3. v. 5. *Superna quærere & curare*, Ibidem *Renouari in dies ad imaginem Dei conditoris*. Col. 3. v. 10. *pro Christi nomine extrema quæque ferre*. Rom. 8. *Propter te mortificamur tota die*, *cum operibus tenebrarum nullum habere commercium*. Eph. 5. v. 11. Et similia, quę passim de electis prædicat Scriptura, ostendens quales esse oporteat renatos.

1. Porrò nominis ratio suauis est, dicitur enim Nouus homo, respectu naturalis, qui vetus ingenium retinet: nouus autem ab eo est alius, hoc est, renatus & tale ingeniũ acquirit, quod in natura nõ erat plãtatũ, qualis in Christo renatus est, non qualis à parentibus natus.

Deinde propter ingenij diuersitatem, consideratur hîc etiam originis oppositio. Prima natiuitas datur à parentibus corrupta: Posterior, noua tempore & ordine, posterior à Christo communicatur.

3. Nouus etiam, quia restructus & refectus est, qui non amplius interit, sed nouitate hac in dies crescit & proficit.

4. Item propter nouum Adamum, hoc est, Christum, qui secundus dicitur Adam. Primus Adam vetus dicitur, hinc Christus secundus Adam, rectè nouus, & ab hac voce, renati in eo dicuntur, vide 1. Cor. 15. v. 45. & suprà in veteri homine.

Noui hominis partes duæ.

1. Partes noui hominis duæ sunt vt in veteri. Anima νοῦς vel τὸ ψυχῆς ἡγεμονικόν.

2. Nam ratio, & mens imprimis illustratur, & edocetur de melioribus. Corpus mox, vt organum, sequitur mentis imperium: & quanquam in carne maneat infirmitas, & peccati reliquiæ, tamen hoc subit adiuta Christi spiritu. Inde vas testaceum dicitur corpus nostrum ab Apost. in quo pretiosus Dei thesaurus circumfertur 2. Cor. 4. ver. 7.

3. Addatur his duobus gubernator spiritus, quia Apostolus in prima Thε. 5 v. 23. ista tria in renatis coniungit, *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, & anima, & corpus inculpatè in aduentu Domini nostri Iesu Christi, seruentur.* Vbi tres partes hominis renati constituit spiritum gubernatorem, animam intelligentem meliora, & corpus organum vtriusque. Sic Spiritum corpori coniungit. 1. Cor. 6. ver. 20. *glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro quæ sunt Dei.*

Quomodo renati dicantur perfecti.

Pertinet huc etiam illa diuisio, quòd inter renatos alij sunt aliis perfectiores. Perfectos autem intelligimus in hac infirmitate, & imperfectione eos qui aliis altius ascendunt, & posteris vix relinquunt modum quo eos superent, & qui ad primam & veram perfectionem quę Deus est semper aspirant. Quo sensu Christus iussit suos esse perfectos. Matth. 5. v. 48. Talis fuit Paulus, & cæteri Apostoli, ac Martyres, qui pro Christi gloria mortui sunt. Item Ioannes, & alij, quos tamen Deus ad Martyria non vocauit, alijs interim modis eos satis probans.

Imperfecti qui dicantur.

Imperfecti autem dicuntur, qui infirmi rectiùs dici poterant, & ὀλιγόπιστοι. i. exigua fide præditi, qui affectibus sæpius cedunt, vt in lucta cum carne succumbant, talis fuit Petrus, cedens & succumbens ad vocem ancillæ. Tales multi sunt inter renatos, qui tamen in dies proficiunt, & renouantur spiritu mentis suæ, vt ad piorum perueniant gradum, vt videre est in Petro, Dauide, & similibus.

An peccatum in renatis maneat.

Ex quo illa quæstio soluitur, An in renatis maneat peccatum. Manet vtique in multis, & nimis tenaciter manet. Ioannes inquit, *si dixerimus nos non habere peccatum, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est*, 1. Ioan. 1. vers. 8. & Apostolus Paulus renatus tamen fatetur se peccatorem, Rom. 7. v. 23. ideo mox exclamans dicit, *Miser ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius?* Et in oratione Domini dicimus, *Remitte nobis debita nostra.*

Sunt igitur quædam debita in renatis, contra quæ orant vt remittantur à Deo. Et Christus Luc. 17. iubet nos dicere, *si omnia feceritis, serui inutiles sumus:* significans semper inhęrens esse peccatum, quod remanet in sanctis, quandiu hîc viuunt.

Efficiens causa noui hominis, est Deus, qui suo Spiritu recreat, vt olim primum Adamum creauit. Hîc, synerga sunt Deus Pater creans, & λόγος per quẽ creat, ac Spiritus sanctus, quo recreat. Quemadmodum in prima creatione concurrebant Deus, Verbum, & Spiritus. Inde *Elohim* Mosi dicitur persona creans. In voce *Bara*, adumbrauit tres personas Diuinitatis, creatrices, quorum opera indiuisa sunt. Sic Christus inquit Ioan. 5. v. 17. *Pater meus vsque huc operatur, & ego operor.* Et Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Venire ad Christum est renasci, & nouum fieri hominem, hoc Dei donum est. Item *Spiritus est qui viuificat.* Ioan. 6. v. 63.

Ordo quo Deus suos renouat.

Ordo autẽ quo Deus suos renouat, hoc est, ex veteri nouum facit hominem, is ferè est.

Primò

Primò illustrat mentem sui notitia, patefacit illi æternam suam voluntatem, qua proposita, mens tanquam in speculo seipsam incipit etiam cognoscere. Ordo quo Deus suos renouat.

Inde Deus renouat etiam voluntatem, vt dici solet: dat etiam velle.

3 Exornat animum fide, qua apprehendit Dei promissiones, in Christo propositas.

4 Addit dona Spiritus sancti, vt fructū ferat, vita ac moribus exornat nouam hanc professionem. Hic spiritus postea eis semper est comes, & inhabitat in ipsis, tanquam in proprio domicilio. Ideo dicuntur *Templum Spiritus sancti*. 1. Cor. 6. v. 19. & 2. Cor. 6. v. 16. *Templum Dei dicuntur viuentis*. Denique cōfirmat eos in hac professione externis symbolis, Baptismo, Cœna, verbo suo &c. Itaque hic ordo in adultis innouandis perspici potest. De infantibus alia ratio est, quos Deus amplectitur propter Christum, & ornat vita æterna, sua misericordia.

Impellens causa est misericordia Dei & mera philanthropia, qua ductus, *misit filium suum in hunc mundum, vt omnis qui crederet in ipsum non periret, sed haberet vitam æternam.* Sic Apostolus se ait misericordiam esse consecutum in vocatione sua ad Christum. 1. Tim. 1. & ad Tit. 3. ait *saluos nos factos secundum misericordiam*. 1. Pet. 1. *Secūdum magnam suam misericordiam*. Itaque hic nulla alia statuo synerga quę iuuēt innouationem hanc, extra Deum, in hominis voluntate aut habilitate, seu possibilitate: quæ si per se consideretur, extra Deum, mera est ἀδυναμία, id est, impossibilitas. In Deo autem quærenda sunt ista quæ synerga dici possunt.

1 Organa quibus Deus vtitur, eadē sunt, quæ in vocatione, & regeneratione exposita sunt. Verbo vtitur vocali, per quod omnes ad se vocat. Huc pertinet ministerium, vt per prædicationē Ioan. Baptistæ, Apostolorum, ac aliorum, multi semper conuersi sunt: alios per lectionem Scripturæ illuminat. Organa vocationis.

2. Ideo Christus iubet Ioan 5. scrutari Scripturam, quia in illa habemus adminicula conuersionis.

In aliis vtitur insolito modo, miraculosa vocatione, vt in Paulo: in aliis tacita inspiratione: in aliis idem efficit per afflictiones, quę multis dāt occasionē sanæ mētis. Hinc Dauid ait, *Bonū est, quòd humiliasti me Domine, vt discā mādata tua*. Psal. 119. in litera *thet*. Et ibidē. *priusquā humiliarer ego errabam, nunc autem eloquium tuum custodiui.*

Materia noui hominis est homo tanquam commune subiectum veteris & noui hominis, adeò vt idem homo nouum & veterem, diuerso respectu ac motu circunferat. Sic Paulus renatus agnoscit veteris hominis reliquias in se, quæ repugnant Legi Dei & mentis. Itē secundum quas faciat quæ nolit ipse. Ideo non debemus illa contraria sic dirimere, quasi simul non sint, eodem tempore, eiusdem respectu. In eodem quidē simul esse possunt, sed diuerso tum tēpore tum respectu, re enim simul sint in eodem homine. Hinc manet perpetua pugna Sanctorum in hac vita, spiritu decertante cōtra carnē: manet carnis infirmitas, vt spiritus sit prōptus. Ideo scias te in eadem vita, eodem sæculo circunferre reliquias veteris hominis, & initia noui hominis *ein boese katzeen, by einer armen dubly*. Idem homo nouum & veterem hominē circunfert.

Finis est expressus ad Ephes. 2. vers. decimo. *Ipsius sumus opus conditi ad opera bona, in Iesu Christo, quæ præparauit Deus, vt in his ambularemus.* Itaque ne somniemus renatos otiosos fore à bonis operibus, sed omnibus modis conabuntur declarare se verè Christi esse discipulos vitæ innocentia & sanctitate morum. Illud est operam dare ne peccemus. 1. Ioan. 2. v. 1. Si tamē peccauerimus non desperare, sed ad Christum aduocatum nos conuertere. Finis vltimus. Fructus noui hominis.


Finis vltimus est, vita æterna quam Deus renouatis promisit & solis quidem dabit præmium omnium laborum & ærumnarum quas in hac vita pertulerunt nomine veritatis.

Effecta & fructus sunt ipsa bona opera, quæ in vita & moribus nostris relucēt. Ista produnt, an noui simus homines, an veteres: &, vtrum in eodem homine, hic aut ille præualeat. Contrarij hic sunt motus, ideo contraria sæpe opera. Boni ad bona opera se natos esse sciunt, vt in his ambulent. Recensentur autem Eph. 5. v. 9. vbi fructus spiritus dicūtur: plenius verò, ad Gal. 5. v. 22. *At fructus spiritus, est dilectio, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo temperantia.*

Hæc de nouo homine satis sint, vtinam aliquando reipsa reddamur practici, & mundus videat quamplurimos renatos, nō lingua, sed moribus. Theoretici sanè mihi videntur quos ex verbis dicas renatos: vita autem & moribus admodum paucos videas.

QVOD VITA NOSTRA PROfessioni respondere debeat.

LOCVS XLV.



Hristianismus duabus partibus absoluitur, professione & innocentia vitæ, seu (vt secundū scripturam magis loquar) fide & bonis operibus. Hæc ita inter se vnita sunt, vt in sanctis nullum admittāt diuortium: adeóque ad Christianismum non secus se habent, ac partes integrales ad constitutionem totius, sine quibus nec esse nec subsistere potest: ideóque meritò de his dici potest, membra esse Partes Christianismi duæ.

bra esse ἄνευ ὧν μὴ: sine quibus non.

Hoc dogma, vt verissimum semper in Ecclesia Christi obtinuit, & adhuc locum suum retinet retinebitque in æternum.

Reperti tamẽ sunt quidam omnibus seculis, & hodie quoque homines impuri, quibus religio omnis lusus & quæstus est: qui affirmant parum referre, qualis sit vita hominis, adeoq; ministri in Ecclesia Christi, modò sana doctrina existat. De hac igitur quæstione nobis hic dicendum est, vt intelligant adolescentes, quantùm à vero distet horum opinio.

Quæ sit nostra professio. Notæ professionis Christianæ.

I. Ac primitus operæpretium est reuocare in mentẽ, quid in Christianismo profiteamur. Quam rem Dominus Christus nobis optimè explicat Ioan. 13. *In eo cognoscunt omnes, quòd discipuli mei sitis, si dilectionem habueritis inter vos.* Ioan. 8. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* apud Luc. capit. 14. professioni etiam subiicitur, quæuis Christi nomine relinquere, vt parentes, coniugem, liberos, &c. Itẽ valedicere omnibus, ferre crucem Christi nomine impositam, quæ nisi præstemus, nõ possumus Christi esse discipuli. Huic consentit Apostoli doctrina 1. Thes. 4. *non vocauit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem.* Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt,* &, *Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si autẽ spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis.* Ad Eph. 6. insignis illa lucta describitur quæ nobis est aduersus potestates & rectores tenebrarum, ad quam luctam nos munit singulari quadam armatura, vt ad Gal. 5. caro spiritui opponitur & quæ caro concupiscit, non perficienda esse dicit, & illustris est ibidem operum carnis catalogus, quæ qui fecerint, regni Dei hæredes esse non possunt.

1. Thes. 2. Vita hominis Christiani militia dicitur.

Et illud fortè est dignè Deo ambulare & vocatione illa qua vocati sumus. Ephes. 4. Quare rectè mihi videntur pronunciasse de vita hominis Christiani, qui militiam esse dixerunt, & agonem. Nam lucta illa cum impiis & carne implacabilis est. Huc ducit nos exemplum Christi Saluatoris, huc Apostolorum conditio relata est: hac pij martyres iuerũt: & hodie ambulãt hanc viam multa hominum millia, confirmantes Christi sententiam: *In hoc mundo afflictionem habebitis.* Item, *Qui vult meus esse discipulus, tollat crucem suã & sequatur me.* Item, *Nisi iustitia vestra maior fuerit quàm Scribarũ & Pharisæorum, non potestis ingredi in regnum cœlorum.*

II. Sed dignum fuerit inspicere, quomodo exempla Christi exprimamus, Christus præceptor noster ad optima n[illegible]s eniti iubet: nos interim vt mali pictores, aliis coloribus vitã nostram adumbramus. Sequimur Christum imperitè.

1 Alij Christum seriò imitãtur, qui quod docent, vita & moribus exprimũt, quales fuerũt Apostoli, & hodie qui Christianismum non in ore habent solùm, sed reipsa exprimunt, quantum hominum infirmitas id patitur. Isti vocatione su[illegible] gloriam Domini & vtilitatem proximi promouent, ad mandatum Christi pro viribus.

Ore tenus Christiani.

2 Alij professionem solùm in ore habent, Christiani dici volunt, quia sub Christianismo nati & educati sunt: vita interim & moribus nihilo infidelibus meliores. Tales hodie multos nutrit Ecclesia Christi, atheos, epicureos libidinosè & flagitiosè viuentes.

3 Alij his meliores haberi volunt, sed pietatem in hypocrisin mutant: vera dilectionis opera intermittunt & vitæ innocentiam: pro quibus assumũt peregrinationes, inediam, cultum diuorum, satisfactiones, vigilias, cantus Ecclesiasticos, & similia. Interim proximum esurientem negligunt, & Christum in membris suis algentem contemnunt.

4 Sunt etiam qui loca ipsa inuisunt, in quibus Christus docuit & fecit miracula in his terris: sepulchrum & vestimenta, & si fieri posset, omnia ex ordine sectarentur. Sed cùm Domini præceptum nullum habeamus, probari non possunt, nec ad professionis nostræ ornamenta magnopere pertinent. Missis igitur his omnibus, vitæ innocentiam professioni addamus, siquidem Christo placere, & ipsius discipuli esse volumus.

III. Confirmatio loci.

Primùm enim Dominus Christus passim à suis requirit vitæ innocentiam: quare ea in primis necessaria est. Matth. [illegible] *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem qui in cœlis est.* & Ioann. 13. *Beati vos si sciẽtes illa, faciatis eadem:* & ibid. ad sui imitationem suos prouocat, cùm discipulis lauisset pedes, vt similia ipsi præstarent.

2 Huc pertinet doctrina de bonis operibus, quam Apostolus solet doctrinæ fidei subiicere, vt ostendat quibus virtutibus renati homines ornati esse debeãt, obedientia magistratuum, dilectione proximi, patientia in aduersis, constantia sub cruce, abnegatione sui, lucta contra opera carnis, & omni bonorum operum choro.

3 In nouissimo iudicio, Iudex singulis pro suis factis repẽdet. Hinc Apostolus ad Rom. 2. inquit, *Reddet cuique secũdum opera sua.* Necessarium igitur est, vt professio non nudis verbis, sit infinita dictorum, factorum, cogitationum congeries, de quibus omnibus sciens iudicat, sed morib. potiùs & vitæ integritate ornetur.

4 Iacobus cap. 2. fidẽ sine operibus mortuã esse affirmat, quod non alio fine dictum puto, quàm vt ostendat iactatores fidei gloriosos nihil agere nisi secundum fidem etiam vixerint.

Fides sine operibus mortua.

5 In sacramentis planè hoc stipulamur Domino: In Baptismo consecramur Christo & valedicimus Satanæ, mundo, peccatis, carni, & quicquid nos à Christo separare potest, huic in vniuersum abrenuntiamus: Id quomodo præstabimus, nisi professionem vita & moribus ornemus?

In

In Cœna Domini Christo vnimur, & profitemur nos cum Christo vnum corpus esse velle: imò membra illius fore, quæ nõ aliunde, quàm ab ipso Christo, tanquam à capite regi debeãt, & velint. Hinc videmus Apostolum Paulum libenter ducere argumenta à religione Sacramentorum, vt est videre 1. Cor. 10. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est?* Item, *Non potestis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum.* Item, *Nõ potestis mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.*

Apud Philosophos, optimi sunt habiti, qui vita & moribus philosophantur, hoc est, quod docebãt, re ipsa exprimebant, parci in sermonibus, copiosi autem in operibus, qualis Socrates imprimis fuit: & inter medicos Hippocrates. Pythagorici etiã in verbis breues, operibus verò prolixos habebãt sermones. Et Anacharsis ille in Mysone græco probauit copiam operũ, & parsimoniam in verbis. Natura enim ipsa dictat oportere vitam & professionem congruere. Hinc mali sunt iudicati Philosophi qui de virtutibus splendidè quidẽ disserebant: in moribus autem illorum nihil minùs elucebat.

Apud Ethnicos qui philosophi habiti sunt optimi.

Mali philosophi.

Dicebantur tales μέχρι τῶν λόγων φιλοσοφεῖν. verbo tenus philosophari, qualis fuit Aristippus, quem Diogenes non illepidè regiũ canem vocabat. Tales Christianismus habet infinitos, malo quodam fato, qui Christi nomen gerunt & in ore habent, in moribus autem & vita, nihil reperies Christo dignum.

Aristippus dictus canis regius.

Damnat sanè hos ipsos Natura, quæ nihil fictum & simulatum amat, sed ab effectis iubet res cognoscere, quales sunt res ipsæ. Lusciniã cognoscimus ex cãtu, coruum similiter, aquilam ex clangore discernimus à vulture: leonem rugitus discernit à lupo: sic verum Christianum vita ipsa discernere debet à fictitiis, & nisi ab ipsa vita oriatur sermo meditatus, nulla harmonia laudabilis conficitur. Vt enim in musica, præstantissima est harmonia, quãdo certa seruatur tonorum proportio ad reliquos superiores & inferiores: sic optima est consonantia, si vita professioni & vtrisq; respõdeat sermo, & sanè vt in musica, sic in his modicus etiã neglectus consonantiam corrumpit. Hinc factum est, vt Dominus Christus verbosos passim damnet: inter orandum suos non vult linguaces esse, quales erant Scribæ & Pharisæi. Doctos etiam & multa scientes non beatos prædicat, sed multa facientes & misericordes, esurientes iustitiam, persecutionem patientes: & Apostolus dicit paucos sapientes, eruditos & claro genere natos ad cognitionem veritatis vocatos esse.

Simile.

Aliud simile.

Quare etiam atque etiam videant flagitiosè viuentes, & isti quoq; quibus tantopere placet diuortium vitæ & professionis, in quo numero haberi velint, beatorúmne an damnatorum.

Sed quia huc deuentum est, audiamus quid isti homines re vera Athei & sine Deo in mũdo viuentes dicũt, qui diuortium hoc morũ & professionis induxerunt. Nemo enim vnquam tam malus fuit, quin specie probitatis sese ornare sit conatus, adeò vt Satan sese in Angelum lucis aliquando transformet, & serpens sæpe gyros & venena videtur deposuisse.

1 Dicũnt isti, Deus me talem fecit, alius esse non possum. Impius iste est sermo & blasphemus: Deus enim malum nõ fecit: sed quicquid fecit Deus erat valde bonum. Itaque viderint ipsi, quis Deus ipsos fecerit. malum à Diabolo est, & mendacium, homicidium & similia, sic impia vita à Satana simpliciter proficiscitur. Fortè rectiùs illi dicerent, Alius esse nolo nec laboro, cùm possim: corrupta vita mihi placet. Id cùm erubescunt dicere, in Deum referunt. Melius profectò Socrates, quàm isti, sapuit: agnouit is naturæ vitia in se dominari, adeò vt pessimo Cynædo non esset melior natura: attamen philosophiæ beneficio vitia illa sic emẽdauerat, vt facilè inter optimos primus haberi posset. Discant igitur & hi nostri in causa religionis discernere naturæ vitia ab opere Dei.

Blasphemus sermo.

Quid philosophię professio effecerit in Socrate.

2. Sed excipiunt, Talem Deus me esse vult: quid ego possum facere, aut voluntati illius quomodo resistam? Et illa impia est defensio. Deus malo non delectatur, nec simpliciter vult te impiè viuere, quum expressum sit Prophetæ oraculum, *Deus mortem peccatoris non vult, sed vt conuertatur & viuat.* Hinc Christi conciones & Apostolorum passim ab ipsa pœnitentia initia sumunt, & hanc vnicè vrgẽt. Itaque quòd Deus te malum esse patitur, patientia eius & longanimitas te ad pœnitentiam vocat: tu contrà illam rapis ad impietatis prætextum, & expectas quando te crinibus attrahat, siue aliquo insigni miraculo: sed cogitare debes, Deum volentem trahere. Interim cùm tu velis, & in peccatis tuis mori placet, Deus tui interitus culpam non fert.

Deus volentem trahit.

3 Alij etiã hic se tuentur accuratiùs: Iustificatio, inquiunt, non confertur in operibus, sed iustificamur gratis, vt est ad Rom. 3. & alibi.

Hac defensione vtuntur etiam interdũ mali ministri vt improbos mores excusent. Omnes peccatores sumus, Nemo suis iustificabitur operibus. Sed audiant isti non ob id sequi nihil boni operis ideo faciendum esse. Ac vt rem intelligant miseri isti homines, sciant primùm viam ad salutem fuisse implere legem Domini, quæ si perfectè seruetur vtique vitam donet. Nunc verò cùm vsus docuerit, hãc seruatu esse impossibilem, rectè sequitur, Ex operibus legis nemo iustificabitur: ratio est, quia nemo perfectè illam seruat: & siqui iustificantur, gratis oportet iustificẽtur, quia opera imperfecta sunt, & in gradu iustificationis nihil possunt. Hinc Deus nostri misertus aliam ad vitam æternam monstrauit viam, per gratiam & meritum Filij

Prima via ad salutem inaccessibilis.

Altera via ad salutem patens.

sui. Hinc omnes facilè intelligunt admodum esse impium, simul professionem à vitæ innocētia separare, quasi nihil referat vt vt viuas. Vt enim non quæuis forma digna est laude non quæuis vita: addo nō quæuis speciosa forma: nam Helenæ forma, quæ cum infortunio Græcorum & Troianorum compēsata est. Sic iudicandum est etiam de vita. De oratione vt vt in speciem bona videatur, nisi congruat cum professione, damnabilis est.

4 Confugiunt tādem quasi ad sacram anchoram, cùm dicunt, Interim bene doceo aliū, non premet mea vita, onus cuique suum est ferendum.

His non aliud respondeo, quàm quod Dominus de Pharisæis pronuntiauit, *In cathedra Mosis sedent, quæ docuerint vos, facite: secundùm verò opera illorum nolite facere.* Infelix est illa & miserenda excusatio. Fatentur isti, se non aliter fungi suo munere, quam mercuriales statuæ secus viam, quæ aliis monstrant semitam quam ipsæ nunquam ambulant: sic campanæ conuocant populos ad Dei voluntatē audiendam & faciendam, interim ipsæ auribus carent: sed excusari statua & campana potest: cùm ad maiora non sint vocatæ, & sint organa ἄλογα. Alia est ratio hominis & nominatim ministri: non debet illi satis esse aliis monstrare viam, sed eandem ante alios ambulare, vt exemplum reliqui imitentur.

Mercuriales statuæ.

Et sanè falluntur, si putant se aliis prodesse posse bene docendo, malè autem viuendo. Primùm enim per se difficile est eum bene docere, qui viuat malè. Deinde doctrina etiam bona non est efficax sine vitæ exēplo. Vna enim manu quidem ædificat: sed mox altera destruit quod construere cœperat. Rectiùs igitur illi competit illud Christi, *Clauem scientiæ tulistis, ipsi non intratis, & alios quoque ingredi non sinitis.* Vita enim non sunt quod illi ore docent: ideoque magis vitandi, quàm homo olim satyro: quoniam videbat ex eodem ore calidum & frigidum efflare. Vt enim bonus medicus à coquo differt: sic bonus doctor ab istis deploratè viuentibus. Medicus nō simpliciter suaues cibos commendat: sed sanos: coquus verò simpliciter voluptati inseruit: sic bonus doctor, doctrina bona vitæ innocētia condit, & auditoribus cōmendat: sed isti etiam bonam doctrinā vitæ improbæ veneno inficiunt, dum voluntati inseruiunt. Dominus in veteri populo, prophetas & sacerdotes esse voluit, hoc est, acres vitiorū reprehensores & vigilātes cōtra idololatriam: nō autem illis concessit vt dissolutè viuerent: turpe enim est doctori, si culpa redarguit ipsum. Et in nouo Testamento Dominus Christus suos Euangelij doctores soli cōtulit, & lucernas esse voluit & lumina, quod non alia factum est ratione, nisi quòd vita aliis prælucere debeant. Itaque firmum & indubitatum debet esse, vitam ac mores omnium. Christianorum debere professioni quoad fieri potest respōdere: in primis verò ministrorum &c.

Falluntur qui putāt se aliis prodesse bene docendo dū malè viuunt.

Simile.

Boni ministri canes non muti.

DE CONSCIENTIA.

LOCVS XLVI.

1. Tim. 1.



Onscientiam vocamus iudiciū cordis, quod sacræ literæ testimonium cordis appellāt. Apud Hebræos *adot halebeb*, & in Iobo *schahe duta.* Græci συνείδησιν nominant: quos latini imitati conscientiam dicunt. Videntur aut eadem ratione ducti tam Græci quàm Latini in nominis impositione. Compositio enim est à σύν, & εἰδέναι, id est con & scire, vnde illis συνείδησις, & his conscientia, subindicat latè patere illius scientiam. Habet enim eiusmodi compositio copiam & quandam συναθροισιν cōgeriem rei subiectæ. Quærendum est igitur quàm latè pateat illius cognitio. Quod vt agnosci possit, ad duo respiciendum est, ad rem subiectam, & ad conscios testes.

Quàm latè pateat conscientiæ notitia.

Res subiecta.

1. Rem subiectam vocant νοητόν, hoc est, quod sciri potest. Latissimè hic patet campus. Conscientia enim nouit actiones nostras tam malas, quàm bonas, cogitationes, animi affectus, dicta &c. Inde dicitur mille testium loco esse, & domesticus testis, & oculata ac vigilans, quia ex tota vita omnia dicta & facta ad censuram reuocat, adeo vt in paruis sæpe grauiter hæreat. Id quod Sanctorum quoque testantur exempla. Scit igitur omnia quæ ad ipsam attinent, vt dicitur 1. Reg. 2. de Semei. Tu nouisti omne malum, quod scit cor tuum. Deinde nihil dat gratiæ, sed pronunciat de rebus grauiter & seriò, adeo vt de otioso verbo quoque rationem exigat. Sic de curis conscientiæ scribit Statius.

Inuigilant animo, scelerisque patrati.
Supplicium exercent curæ, tunc plurima versat
Pessimus in dubiis timor. Et Lucanus.
Heu quantum misero pœnæ mens conscia donat.

Lucani versus.

Et Apost. ad Rom. cap. 2 gentibus in omnibus suis actionibus ascribit conscientiam accusantem vel excusantem. Et 1. Cor. 2. *Quis hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi Spiritus qui est in homine?* vbi spiritum in homine videtur pro conscientiæ iudicio posuisse. In quo cum sit infi-

rectè conscientia dicitur.

Porrò non sola scit, sed alij cum illa sunt testes dictorum ad factorum nostrorum. Primùm, Deum supra se habet vt testem & iudicem, ad cuius tribunal conscientia solum cadit vel stat. Inde Iob dicit Conscius meus in cœlis. Et Ap. solet ad conscientiam suam & Deum prouocare. Et D. Pet. 1. 2. ait oportere pios propter conscientiam Dei ferre molestias, h. e. in officio, in quo te constituit Deus, patienter ferre aduersa, cùm habeas & Deum & conscientiam tuam innocentiæ testes. Et quanquam conscientia sciat multa: tamen Deus plura nouit, & syncerius accuratiúsque iudicat. Conscientia enim in multis aliquando extinguitur, in aliis obliteratur ad tempus, donec Dei iudicio excitetur, vt videre est in morituris.

Non sola scit.

Cōscientia aliquando extinguitur.

Deinde conscium hostem habet Satanam, qui hominibus consultor est ad scelera. Is igitur, vt peccati author, bonam partem delictorum nostrorum nouit, & accusat apud Deum: excitat ille alastores in animis hominum vt furias vltrices. delectatur enim pernicie & interitu hominis, vt in Nerone videre est, qui occisa matre Agrippina, nunquam amplius placidè dormire poterat, sed spectris terrificis de lecto sæpe excitatus & turbatus exiliret. Talia in Iuda aliísque desperabundis videre est.

Satan.

Neronis crudelitas.

Tertiò conscios habet homines quoque. Nam in hac re valde improuidi sumus: peccamus rarò soli: sed socios sceleris vt plurimùm quærimus. Sic fures, latrones, sicarij, adulteri, scortatores, vsurarij suos habent conscios cum quibus & contra quos, item, in quos peccant. In Act. 5. Ananias habet vxorem consciam facti. Adam Euam, serpentem & Deum. Iudas conscios sceleris habet Iudæos, à quibus corruptus est: milites, quorum dux fuit ad capiendū Christum, discipulos, qui prodentem viderunt Christum, quem prodidit, & qui ipsum furem quoque nouerat: Satanam suasorem: Deum Patrē gubernatorem rerum ad suos fines. Sic contrà, boni suos testes habent innocentiæ suæ inter homines: conscios intra se, conscientiam excusantem: in cœlis ipsum Deum.

Homines.

Dicendum quoque nobis quid sit Conscientia, Scholastici nonnulli definiunt quod sit practicus syllogismus accusans vel excusans nos. h. e. Iudicium rationis est, quod statuit de nostris factis. Syllogismus enim iudicium quoddam est & ratiocinatio, practicus verò dicitur, quia de propriis actionibus censuram agit: nec leuiter sed seriò statuit de pœnis, aut præmiis. Quod expressit Ouidius in Fastis:

Syllogismus practicus.

Definitio conscientiæ.

Conscia mens, vt cuiq; sua est, ita concipit intra
Pectora, pro factis spémque metúmque suis.

Nos sic definiamus: Conscientia est pars memoriæ, qua de nostris actionibus, nobis bene vel malè conscij sumus. Partem facimus memoriæ, quia reminiscentia est præteritorum, vel præsentium, quæ applicat ad normam Dei, & non pronunciat de euentu. Ideo in hoc iudicio, tria solent concurrere. Primùm regula Dei æterna, statuens de honestis ac turpibus, quæ est lex iubens honesta, & prohibens contraria. Huic accedit assensus in animo hominis, qui approbat legem Dei iustam esse, quanquam illam non seruet. Inde impij fatentur quoque se videre meliora & approbare, deteriora interim sequuntur: atque hanc partem vocant συντήρησιν, quæ est animæ portio, semper vitiis aduersans. Tertiò, applicantur generalia, ad nostra facta & dicta, ex quo formatur cōscientia, vel bona & excusans, vel mala ac dānans. Atq; hoc totum vocarunt syllogismum pract. Cuius maior statuitur ab assensu ex lege Dei, vt prodere filium Dei ingens scelus est. Minorem addit conscientia de facto. Tu, Iuda, prodidisti filium Dei: concludit συντήρησις cum conscientia consentienter: ergo ingens commisisti scelus & inexpiabile. Hi syllogismi euidentissimi sunt in agone mortis & in desperabundis. Bonos quoque interdum vexant, & nisi Christi merito sese erigant, spe veniæ concepta: suos manes, & stimulos illius carnificinæ sentiunt.

Impij meliora probant & deteriora sequuntur.

Hinc nascitur conscientiæ diuisio, qua dicimus conscientiam aliam esse bonam, aliam malam. Apost. ad Rom. 3. distinguit in accusantem & excusantem. In. 1. ad Timoth. 3. in puram & impuram. Pura est bona & eadem excusans, sic mala impura, & accusans.

Duplex conscientia.

Bona nascitur ex studio virtutis, ac bonorū operum: contrà, mala nascitur ex malè factis, & ex studio peccatorum. Est enim conscientia quasi nuda tabula primitus: In hāc quiquid inscribitur, æternùm durat & indelebile est per se, & quia natura peccatores sumus, & in peccato adolescimus, inde fit vt nulla conscientia per se bona esse possit. mala verò & accusans, in omnibus est mortalibus. Bona fit autem in electis, qui amplectuntur Christi beneficium: confirmatur mox studio innocentiæ, & bonorum operum exercitio. Hinc Apost. ait 1. Cor. 4. *Nullius mihi conscius: sed in eo non sum iustificatus.*

An bona sit aliqua per se.

Nulla quia peccatum omnibus inhæret.

Primùm igitur, sanatur conscientia ab ipso Deo, qui delet omnes iniquitates nostras, atque hi semel purgati, debent nullam habere amplius conscientiam peccatorum. Hebr. 10. quia placatum habent Deum contra omnia peccata, quæcunque tandem illos accusant. Sanatur autem per Christum, salutis nostræ organum Heb. 9. *Quantò magis sanguis Christi purgabit conscientiam nostram à mortuis operibus ad seruiendum Deo viuo?* Est enim hostia munda quæ delet peccata nostra. Sic sanata à Deo per Christum, munda retinetur per Sp. S. qui precibus nos adiuuat, & dictat nouos motus, vt quoad fieri potest, Deo seruiamus, vitæ innocentia, &

studio virtutum. Et hæc vtcunque nihil sibi conscia sit, tamen indiget eius, qui peccata corrigit, delet, &c. Vide Chrysost. in locum 1. Cor. 4. *Nullius mihi conscius sum.* Bonæ & puræ adeóque satanæ conscientiæ gaudium est ineffabile, suauissimáque consolatio (quod Cic. etiam agnouit, in rebus politicis.) Conscientia inquit, bene actæ vitæ, multorúmque beneficiorum recordatio iucundissima est. Sed longè melius iudicat S. Scriptura. Ap. ait 2. Cor. 1. *Gloriatio nostra est hæc, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate versati sumus in hoc mundo.* Heb. 13. *Confidimus nos habere bonam conscientiam vt qui in omnibus cupimus honestè conuersari.* Adeo vt bonam retineamus, scriptura vbique nos hortatur. Act. 23. Paulus in hanc rem maximè ait se incumbere, vt in conscientia bona seruiat Domino. 1. Tim. 1. *habens fidam & bonam conscientiam*, & 1. Tim. 3. iubet Diaconos mysterium fidei retinere cum bona conscientia, & 2. Tim. 1. ait se Deo seruire à maioribus *suis in pura conscientia.* 1. Pet. 2. *conscientiæ bonæ ἐπερώτημα vocat*, hoc est, firmum testimonium apud Deum, quo omnibus Satanæ obiectionibus respondet. Horatius murum aheneum vocat. lib. 1. ep. ad Mecœnatem scribens.

Notanda ciceronis sententia.

Horatius.

Pueri ludentes Rex eris, aiunt,
Si rectè facies. Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Mala cõscientia augetur assuefactione & est duplex.

Mala conscientia omnibus inest si naturam spectes. Cùm enim vitium omnibus inhæreat, consequens est in omnibus sauciari conscientiam, augetur autem praua assuefactione, corrupta educatione, & malorum consortio. Est hæc mala, duplex. Alia enim sanabilis est, de qua iam diximus, alia insanabilis de qua loquitur Ap. 1. Tim. 4. *cauteriatam habentes conscientiam*, & Tit. 1. *polluta est illorum mens & conscientia.* Hi sunt qui in peccatis moriuntur, vt Cain, Iudas & similes. Extant eius graphica exempla in tragœdiis Ethnicorum, quale est exemplum Orestis, qui matre interfecta, furiis vltricibus actus est. sic Oedip. Nero sæpe mutauit locum, vt quietus esset à spectris nocturnis, sed frustra. Poetæ finxerunt alastores, hoc est, vltrices scelerum quasdam deas, vt significarent Deum, atrocia scelera non relinquere impunita. Dicuntur autem alastores δαίμονες ἐρυννιώδες aut, φθονεροὶ δαίμονες. id est, dæmones indignabundi & inuidi. Hinc inter equos Plutonis, Alastor commemoratur à Claudiano, Ditisque nota signatus, Alastor. Est & Iouis cognomen, quia peccatores punit seueriter. Est autem ἄλαςος peccator, ἁμάρτωλος, & ἀλαςεῖν significat δεινοπαθεῖν, quia peccatores atroces, affliguntur atrocibus pœnis. Ex quo illud consequitur, officium conscientiæ esse, hominem de peccato admonere: quo fine Deus homini indidit hunc testem domesticum, sine quo non possit peccare, Sic Gen. 3. Adamum & Euam mox cõscientia cõfundit. hinc fugiunt præsentiã Domini & sese abscondunt. Sic Gen. 4. Cain & Lemeth, conscientias habent ipsos damnantes. Idem videre est in fratribus Ioseph. Gen. 37.

Orestis crudelitas.

Alastores quid.

Officiũ conscientiæ.

Hoc officium conscientiæ tribuit Ap. Rom. 2. *accusantibus vel excusantibus simul cogitationibus illorum*, & Rom. 9. prouocat Apostolus ad conscientiam suam excusantem se.

Porro accusans conscientia formatur in rebus etiam adiaphoris, vt in cibo & potu, quando infirmi alieno ducuntur exemplo, vt faciũt homines animo non satis instructi, vt 1. Cor. 8. Paulus ait pios infirmos cum conscientia edere idolothyta, non per se, sed alieno exemplo.

Ideo ratio est habenda non tam nostræ conscientiæ quàm alterius. Nam peccatum hoc in Christum ipsum pertingit. Quare Apost. nunquam esurus erat carnes ne conscientiam læderet fratrum, pro quibus Christus mortuus est. Magni igitur faciamus hunc testem, & vbique præsentem metuamus. Dei sanè est vicarius longè oculatissimus, nec illum latere quicquam possumus. Seuerus quoque censor est, qui ad tribunal Dei, nihil de rigore iuris remittit. Placatam autem habituri sumus studio innocentis vitæ, & fiducia Mediatoris Christi quem rogemus, vt nobis conscientias nostras sanet suo sanguine, Amen.

Consciẽtia Dei vicarius est.

Menandri.

Βροτοῖς ἅπασιν ἡ συνείδησις θεός.

i. Mortalibus omnibus conscientia Deus est.

DE ZELO.

LOCVS XLVII.



Vem Græci ζῆλον vocant, Latinĩ æmulationem, Hebræi verò *kineah.* Ac apud Hebræos non inepta nominis est ratio. Nam in Daggessata cõiugatione *kinne* æmulari significat, cùm in prima possidere sit. Significans affectum hunc homines non suis viribus relinquere: sed aliò rapere, interdum etiam ad opera insolita: quod est videre in Mose, Phinee, Christo, alijsque: possidentur igitur spiritu Dei & reguntur supra vires humanas interdum.

Prima origo huius nominis zelus.

Græci ζῆλον vocant ζηλόω, apparet tamen primam originem esse ζέω, quo sensu ab ardore & vehementia amoris ac studij res denominata est: sed & in verbo ζηλέω καὶ ζηλόω inuenerunt

runt grammatici discrimen. Nam Eustathius indicat, ζηλόω esse idē quod μιμοῦμαι, imitor, ζηλόω verò φθονέω inuideo. Ex quo illud accipimus vocem esse quæ in bonam & malam partem accipi possit. Hinc zelus laudabilis, & alius vitiosus. Illius exempla sunt virtutum imitationes: huius verò ipse liuor & inuidia.

Latini æmulationem appellāt. Sic enim Cic. Zelum vertit: interdum ægritudinem facit: interdum virtutis honestam imitationem sine inuidia alterius: significans vocem mediam esse, quemadmodum illa apud Græcos.

II. Stoici vnam solùm huius dictionis vim definitione exprimunt. Dicunt enim quòd sit appetitus boni alicuius absque inuidia: alij quòd excitatio animæ ad honesta, in exemplum aliquod inspicientis.

Zenonis apud Laërtium est, quod sit λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖν ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, καὶ οὐκ ἔχει, ἄνευ φθόνου. i. dolor, quem quis concipit, ex eo quod alter potiatur eo quod expetit & non habet: idque sine inuidia. Sic fermè Cic. Stoicos sequutus, iam imitationem virtutis, iam ægritudinem (vocans) qua ipse carens, alius potiatur: ἄνευ φθόνου, & hanc esse harum definitionem sententiam perspici potest ex lib. 2. Rhet. Aristot. vbi in definitione hac explicanda ζῆλον à φθονεῖν separat. Aliter de Zelo loquuntur, quoties inuidiam denotare & liuorem exprimere volunt.

Nos in præsentia sic definiamus. Zelus est amoris affectio, excitata singulari quodam Spiritu, ad imitationem virtutis alicuius, aut honestatis defensionem impellens, aliísve modis studium in rem amatam declarans. Definitio zeli.

Causæ hîc expressæ sunt. Primùm efficiens est Spiritus Dei singularis: nam ad bona hîc excitat illos motus: hinc motus illi heroici vt plurimùm fiunt, cùm supra vires, & præter rationem aliquid moliuntur.

Materia subiecta, est virtus & honestas. Aristoteles subiicit ei ἀγαθὰ ἔνδοξα, hoc est, honoranda & magnifica bona. Non enim simpliciter circa virtutes: sed circa insignes & raras versatur, ἔντιμα ἀγαθὰ, qualis est rara virtus, pietas, gloria Dei, parentum, patriæ honor. Hinc ζηλωτοὶ sunt, hoc est, digni quos imitemur, vires præclari & raræ virtutis. Alexander re bellica ζηλωτὸς visus est multis ducibus. Ouidius in poësi, Cicero in eloquentia, Iosquinus in musica, Durerus in pictura: videntur enim hi alios superasse. Ζηλωτικοὶ autem, qui se dignos iisdem iudicant, qui ingenio valent: & de successu non desperant. Quales sunt iuuenes, & in virili ætate μεγαλοψυχοὶ. i. magnanimi.

Forma posita est in imitatione, defensione, ac studij declaratione. Quid enim possint, ac quantùm proficiant, declarant his modis, &c.

III. Considerate iam varietatem Zeli per suas species. Græci constituunt has tres. Primam ἐπὶ μακαρισμοῦ, fœlicitatis: alteram μιμήσεως, imitationis: tertiam ἐπὶ φθόνου inuidiæ.

Scolahstici quatuor enumerant. primo loco Zelum bonum: deinde ignarum qui non est secundùm scientiam. Rom. 10. Tertiò, malignum. Quartò, amarum, Iacobi. 3. πικρὸς. i. amarus dictus.

Nos ex scripturis sic statuamus. Zelus omnis vel accipitur propriè, vel per metaphoram. Propriè in homine & de homine, spiritibus etiam bonis & malis. Impropriè, cùm Deo tribuitur, aliísve rebus insensatis & ratione carentibus. Diuisio zeli.

Principio, igitur Deo tribuitur zelus: ideóque diuinus hic zelus, & planè sanctus dicatur. Tribuitur autē Deo per anthropopátheian: in Deo enim tales affectus locum non habent. Tributur autem Deo primùm in testimonium obligationis, qua Deo tanquam sponso obstringitur populus eius: qualis enim inter coniuges est zelus, talis inter Deum & populum suum. Maritus non potest ferre vxoris cum alio consuetudinem: sic Deus non vult suos aliis adhærere. Sic Zachar. cap. 8. *Zelatus sum Zion magno zelo.* Esa. capit. 34. *Zelotes nomen eius.* & Exod. 20. Præceptum de non adorandis diis alienis, additur. *Ego Deus Zelotes*, &c. Hinc in comminationibus, quibus Deus repudium comminatur populo suo, interdum zeli fit mentio. Ezech. 16. *auferetur zelus meus abs te*, hoc est, deseram te, quemadmodum maritus petulantem repudiat vxorem. Zelus Deo tribuitur impropriè.

Deinde tribuitur Deo zelus ardens, cùm de pœnis loquitur, quibus sit vindicaturus suos electos, ab impiorum oppressione & tyrannide, sic Sophon. 1. *in igni zeli mei deuorabitur omnis terra*, &c.

Altera species est, cùm per Catachresin sumitur de vehementia pœnarum, vt ad Heb. 10. igni tribuitur: impœnitentibus nullam esse relictam hostiam: sed ζῆλον πυρὸς, hoc est, feruorem ignis, qui cōsumpturus sit eos. Rei insensatæ tribuitur sensus in detestationem impœnitentiæ, quasi dicat, tanta est impietas vt ignis & elementa reliqua commoueantur in eius perniciem.

Tertia species. Iustam iram, & tristitiam significat ex rei indignitate ortam. Quò pertinet exemplum Phinees, Num. 26. Eliæ, 1. Reg. 19. *Zelando zelatus sum pro Domino Deo Israel.* Mathathiæ qui occidit sacrificantem & aram auertit. 1. Machab. 2. Tale est exemplum Christi, Ioan. 2. repurgantis templum, quò referunt rectè discipuli locum, Psal. 69. *Zelus domus tua* Heroicæ sanctorũ actiones ex zelo.

comedit me. Pertinent huc actiones Heroicæ sanctorum, vt Samsonis, Gedeonis, Dauidis, Apostolorum & piorum martyrum.

Quarta species. Feruor alterius cohortatione excitatus. 2. Cor. 7. Fatetur Apostolus suam epistolam in ipsis effecisse zelum, & in Apocal. 3. excitat ad resipiscentiam, ζήλωσον, hoc est, sis æmulus & resipisce.

Quinta. Beneuolentia quædam, & studij declaratio, in quo non priuatum commodum, sed amati vtilitas quæritur. 2. Cor. 11. *zelo vos Dei zelo, despondi enim vos vni viro,* &c. hoc est, vnicè diligo, vt possim Christo consecrare. Col. 4. laudatur Epaphræ zelus pro Colossensibus, & 2. Cor. 7. commendatur Corinthiorum zelus pro Paulo, &c.

Sexta species. Quædam imitatio, ex admiratione virtutis orta, quam nobis comparare cupimus sine illius inuidia. Huc pertinet illa definitio Stoicorum, quòd ζῆλος μίμησις καλοῦ τινὸς χωρὶς φθόνου. i. imitatio Boni alicuius sine inuidia. Potest hæc species politica dici, quando in virtutibus Ethicis plurima habet & laudata exempla. Alexander æmulatur virtutes Achillis, Cæsar Alexandri virtutibus excitatur: Cicero Hortensij eloquentia: Demosthenes Isocratis ζηλωτὴς, in arte dicendi. Sic in Poëtica, Musica, Pictura, vtile est sibi exempla proponere imitationis, quæ vel æquare, vel etiam superare velis, si detur, sine tamen inuidia & detrimento illius, quem imitaris: quod hodie in primis faciunt, qui Ciceroniani haberi volunt.

Sed & sacræ literæ hoc genus imitationis nobis commendant. 1. Cor. 12. ad finem ζηλοῦτε τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, spiritualia persequimini ardenter, hoc est, imitemini dona meliora, hoc est virtutes potiores. 1. Cor. 14. ζηλοῦτε τὰ πνευματικά. Gal. 4. καλὸν τὸ ζηλοῦσθαι ἐν τῷ καλῷ πάντοτε. præclarum est amare semper in bono. Tit. 2. vt purificaret sibi populum ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. i. studiosum bonorū operum. 1. Corinth. 14. ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν. id est, studete vt prophetetis. 2. Corinth. 9. Zelus vester prouocauit multos, hoc est, ad exemplum vestri alij excitati sunt.

Species istæ zeli sunt, quatenus dictio hæc propriè accipitur, & in homine, non malo fine, locum habet. Addamus iam tertio loco affectionis illius modos vituperandos.

Zelus vituperandus. Ζῆλος primitus hic significat inuidiam & contentionem: hinc ἔρις καὶ ζῆλος apud Hesiodum idem est aliquando. Fingunt poëtæ hunc affectum ex Styge & Pallante natum esse, hoc est, à Satana & inuidis dæmonibus inspirari hominibus. vnde συγκερώπης καὶ πύελπνος dicitur, hoc est, liuidus & ardens, quod proprium est inuidiæ, tristes enim & concitati sunt. Hoc malum eleganter expressit Vergil. in Liuore,

Liuor tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas.

Laborant hoc malo interdum sancti & boni viri quoque, vt Exo. 15. Aaron & Maria Mosi inuident. Fratres Iosephum inuidia adducti vendunt, quod exemplum citat Apostolus in Act. 7. & 1. Cor. 3. de Corinthiis inquit quòd adhuc carnales sint: quia adhuc est in vobis (inquit) zelus, id est, inuidia. Sic nulla satis pura est Ecclesia, quin aliquid mendæ habeat.

In reprobis validiùs regnat hoc malum: vt in Caino contra Abelem. In Pharisæis contra Christum & Apostolos. Act. 5. Sadducæi zelo rapti, Apostolos rapiunt in vincula. Act. 13. Iudæi inuidia repleti contradicunt Paulo & Barnabæ. sic Act. 17. Zelantes seditionem mouent, & domum Iasonis inuadunt. Quare Scriptura vbique prohibet ne locum demus huic zelo.

Zelus Amarus. Gal. 5. inter opera carnis numeratur. Iacobi 3. zelus amarus dicitur, hoc est, amara inuidia, lædit enim & proximum, & eum qui inuidet Rō. 13. *Non ambulemus in contentione & zelo.* 1. Cor. 13. *Charitas non zelat,* id est, non inuidet. 1. Cor. 12. *Ne sint in vobis zeli.*

Secundò, Hypocriticus zelus est, qui simulat studium vindicādæ gloriæ Dei, re ipsa verò sua quærit vel commoda vel gloriam, quod proprium est falsis doctoribus. Sic Galat. 4. de his inquit. *Zelant vos*, hoc est, simulant amorem vestri, sed non honestè id faciunt: verùm, vt me, Paulo excluso, illi apud vos regnent & falsa dogmata inter nos spargant: sic æmulabantur Paulum, sed cum obtrectatione & iactura sanæ doctrinæ.

Zelus sine scientia. Tertiò, Zelus alius cæcus est, qui interdum non multùm à furore differt. Hunc Apostolus ad Romanos cap. 10. sine scientia dicit esse. De Iudæis enim inquit, zelum Dei habent: sed non secundùm scientiam. Huius proprium est defendere ea, quæ Deo displicent, & contrà impugnare illa, quæ Deus approbat. Locum habet in electis interdum, qui magno studio tuentur, quæ iusta putant: mox tamen illuminati reflectunt à proposito: hunc sibi tribuit Apostolus Paulus, Act. cap. 22. Galat. cap. 1. Philipp. cap. 3. *Secundùm zelum persequens Ecclesiam.* Et Act. cap. 21. Iudæi pij & credentes Euangelio, adhuc erant zelotæ Legis. Hæc imbecillitas est fidei pullulantis primùm in Christo.

Quartò, intempestiuus est etiam zelus, qui non suo loco, nec tempore studium pietatis vult declarare: & hic in vitio est etiam in sanctis vt in Petro, qui in horto armis vult dominum suum tueri: & Luc. 9. discipuli cupiunt ignem cœlitus deducere, vt fecit Helias, qui perderet ciuitatē, vbi hospitio non erant excepti.

DE LE-

DE LECTIONE SACRA-rum literarum.

LOCVS XLVIII.



DE Lectione Scripturæ acturi, rem à definitione ordiamur, vt hinc tanquam ex fonte petamus, ea quæ huic instituto inseruire videbuntur. Definiamus igitur lectionem ad hunc modum. Col. 5.

Lectio est diligens & cum iudicio suscepta sacrarum literarum meditatio, mandata diuinitus, omnibus vitæ humanæ ordinibus, in primis verò his qui alios cum fructu docere volent. Definitio.

Primùm considerandum hîc, nos lectionem definire per meditationem. Nam oculari inspectione non rectè definitur, quod nonnulli scholastici fecerunt. Aliquantò his rectius Augustinus in libello de scalis paradisi, qui ait, Lectio est diligens scripturarum cum animi intentione inspectio.

Sed nec hæc definitio integra est, nec Augustini diligentiam spirat, vt totus ille libellus, quem Bernardo quoque tribui obseruauit Erasmus, ad nostram igitur reuertamur. Meditatio.

Meditatione definimus lectionem, quia Græci etiam ἀνάγνωσιν vocant ἀνάμνησιν, & ἀναγνῶναι ἀναμνησθῆναι explicant. Eodē iure, nos lectionem meditationem dicimus, & apud Heb. *Kariia* explicatur per *hagaion*, vt dixit Psalmus 1. In lege eius meditabitur die ac nocte, hoc est, non tam oculis inspiciet, quàm præsenti animo sensum venabitur. Ideo non refert legásne tu, an verò legentem attentè audias. Denique lectio illa nostra omnibus accommodari debet, quod fieri non potest, si oculari inspectione limitetur. Nam cæcus illa caret, cùm auditione ac meditatione frui possit. Adeóque plus interdum proficiunt cæci, ex lectione scripturæ quàm oculati. Exemplum non obscurum est in Antonio nostro cæco, qui scripturas prudenter & appositè citat, disserit artificiosè de qualibet re proposita: imò de ipsis præceptis artium. Quid sit in lege Dei meditari. Antonius cæcus peritus scripturarū.

Deinde meditationem hanc in medio quodam locamus inter negligentiam & sophisticen. Priori opponimus diligentiam, posteriori iudicium sanum.

2. Vitia igitur sunt, extrema, lectionis defectus siue neglientia. Hoc peccant primùm, ij qui cùm possint, planè non legunt, deinde qui legunt & ediscunt, sed diligentia & intelligentia non adest, sed scripturas recitant, vt Psyttacus suum χαῖρε, *also die nonnen, den Psedter*, & indocti monachi Euangelia & Epistolas in Ecclesia. Alij his omnibus deteriores sunt, qui dum non legunt, lectionem omnem contemnunt, ac damnant, prætexentes Apostolorum ruditatem, & dictum Christi, *Dabitur vobis in illa hora quid dicturi sitis.* Nam refelli potest sine negotio impudens illa negligentia. Apostoli enim si non priùs, at saltem posteà legerunt, acceptis donis Spiritus sancti: quod testantur illorum scripta, & conciones in Actis, quæ refertæ sunt scripturę testimoniis. Deinde habuerunt illi doctorem Spiritum sanctum, quem cùm isti non habeant, nimis impudenter horum exemplo velant. Sed mirificè contra illos facit exemplum Apostolorum, quos constat postea diligenter legisse & mandasse posteris lectionem quam illi penitus tollunt. Extrema

Refert Augustinus de doctrina Christi. lib. 1. Antonium Eremitam sine scientia literarum memoriter tenuisse scripturas, hoc est, cùm rudis esset literarum, nec ipse sciret legere, tamē adeo auidè alios audiuisse legentes, vt contextum teneret memoriter. Ac si maximè ad miraculū trahas, quod illi volunt, nihil tamē patrocinatur negligentiæ: summa enim est, consecutum scripturæ peritiam miraculo: cōsequātur illi eandem etiam miraculosè, si possunt: quod si id minùs possunt, conuertant se ad δεύτερον πλοῦν, vt dici solet, ac lectione eò contendant. Fœlix memoria Antonij Eremitæ.

Refert idem Augustinus eodem loco de quodam seruo Barbaro, qui triduanis precibus impetrauit plenā literarum notitiam, adeò vt librum oblatum legendo percurreret omnibus stupentibus: quæ omnia rectā huic negligentiæ proponi possunt. Sed alterum extremū expendamus. Barbarus quidam precibus impetrat plenam literarū notitiā.

Excessus, est sophicicè, quoties alium scripturæ sensum elicimus, quàm qui ferri posit à scriptura, quod Sadducæis obiicit Christus, Marc. 12. *Erratis nescientes scripturas*: cùm scirent illam & quotidie legerent: sed sophisticè eludebant præcipuos articulos, vt de immortalitate animarum, de resurrectione mortuorū, & similes locos peruertebant falsa interpretatione.

Hoc vitium ambitiosi secum afferunt: ideo in hæreses facilè labuntur.

Olim Arrius sic elusit testimonia de æternitate Filij: & hodie quidā eludūt dictū Ioannis, In principio erat λόγος, quod sophisticè ad principiū patefactionis referunt, cùm Ioannes manifestè loquatur de æternitate Filij Dei. Arrius hæreticus.

Intra hæc duo extrema lectionem mediam collocamus, munimúsque illam diligentia contra negligentiam, & sano iudicio, contra sophisticen. Diligentia & iudiciū in

legendis scripturis.

Tertium igitur est membrum definitionis, quòd sit diuinitus mandata. Deus enim vt est author scripturæ: sic illis mandatum est ad nos, de hac diligenter legenda. Mandatum passim extat in veteri Testamento in primis Deute. 6. & Christus Ioan.5.præcipit. *Scrutemini scripturas*, & Apost.præcipit, *Intende lectioni*. Hæc vim habent diuini mandati.

Lectio scripturę omnibus diuinitus mādata.

Quod autem mandata sit omnibus vitæ humanæ ordinibus ostendendum est. Certum est ex Deut.6.& 11 cap.præcipi parentibus & liberis, & cap. 17.regibus quoque mandatur. Sed ex prioribus locis sic colligamus, Lectio diligens mandata est parentibus ac liberis, sed his membris omnes ordines includuntur, reges, nobiles, ignobiles, subditi, rustici, mechanici, docti, indocti. Itaque omnibus ordinibus humanæ vitæ mandata est.

Deinde Christus apud Ioannem 5. rationes habet mandati, quæ ad omnes pertinent. Vitā in his habemus. vitæ autem solicitudo ad omnes pertinet, eóque magis vitæ æternæ cura omnium esse debet, quæ cùm in sacris literis contineatur, manifestum est, lectionem omnibus ordinibus præcipi.

Sic ex eo quod dicit, & hæ testantur de me, quasi dicat, in solis scripturis reperiri se. Porrò scire Christum, est via, & ostium salutis. Et Apostolus ad Colos.3. absolutè præcipit omnibus, *Sermo Christi abundè habitet in vobis in omni sapientia*. Addamus istis quòd scriptura sola contineat officium omnium ordinum rectè determinata, vt de magistratu, de subditis, liberis, seruis, dominis, famulis, parentibus, filiis, vxoribus, maritis, &c. Itaque singulis legenda est, vt suum quisque officium piè intelligat. Est etiam salutis ratio omnibus necessario tenēda, nam de hac singuli firmi & certi esse debent. Stultum enim est corporis proprij curam habere, & animæ salutem aliis committere, in primis imperitis, imò impiis & palàm prophanis curatoribus cui ne suem aut pecus vilissimum committeres.

Addo etiam, quòd scripturæ lectio faciat ἀρτίους, vt ait Apostolus. 2. Tim. 4. Itē τελείους Col. 1. quæ interpretamur per ἱκανότητα, quia idoneos & habiles ad vitam æternam facit scriptura. Nam suppeditat vera & infallibilia media ad regnum Dei. Itaque omnia personare debebunt lectione scripturarum, vt parietes picti essent, omnis ætas illam loqueretur, canerent puellæ, interpretarentur adulti, meditarentur iuuenes, &c. ac vt ille ait, vt litora Halcionem resonat, & Acanthida dumi, sic omnia scripturas resonare deberent.

Ad hunc locum pertinet etiam hoc membrum, quod addidimus exceptione quadam, in primis ad eos pertinere qui alios cū fructu docere volent.

Lectio scripturę ad ministros maximè pertinet.

Ad hos maximè pertinere ex superioribus iam positis sequitur. Si enim omnium ordinum est: Ergo ministerij quoque est: & si auditoribus est necessaria lectio, ideo doctoribus magis præcipitur. Deinde interpretatio petenda est à sacerdotibus & peritis in vetere Testamēto. Ideo his præcipuè lectio erat mandata. Si in nouo testimonia scripturæ obscuriora explicari debēt à doctoribus: ideo in eius lectione tersiores esse debent. Ad hos etiā præcipuè pertinet pręceptum Timotheo dictū, *Intende lectioni*: & canon Apostolicus, quem ministris pręscribit, hoc etiam vult, quomodo enim poterunt παρακαλεῖν, adhortari, quomodo ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας. i. arguere cōtradicentes, quomodo etiam ὀρθοτομεῖν τὰς γραφάς, rectè secare scripturas, nisi in his quam versatissimi sint?

Finis lectionis scripturarum.

Superest postremum mēbrum de fine lectionis, hunc finem in genere, vtilitatis nomine complectimur, & in genere appellamus ἱκανότητα, hoc est, vt habiles simus seu ad vitam æternam seu ad vitæ munia rectius obeunda.

Itaque hoc fine accedamus ad lectionem scripturæ. primùm, vt hanc cognoscamus Dei volūtatem. Ait alicubi diuus Augustinus duos esse libros ad genus humanum priorem esse naturam, in qua descripta sit Dei voluntas: sed difficilis est illius lectio: posteriorem appellamus sacras literas: qui liber lectu facilior est, nā planior est & minùs errare nos patitur, voluntas Dei plenissimè hic expressa est.

Deinde quæramus hîc salutis viam. Cùm enim scripturæ D. Christus tribuat quod de se testatur, & approbet per iudicium Iudæorum, qui sibi videbantur in scripturis habere vitam: omnino consequens est viam salutis non alibi quàm in illis quæramus, hic ingens thesaurus est, quem scriptura monstrat: ideò hunc finem præfixum teneamus.

Simile.

Tertiò, afferamus etiam hoc propositum, conuertendi salubria præcepta in mores, vt enim cibus non prodest comestus, nisi digeratur, & in sanguinem ac alimentum toti corpori conuertatur, sic scire debemus frustra nos in lectione versaturos, nisi eo fine legamus, vt meliores inde recedamus.

Pia Augustini sentētia.

Augustinus ad hanc sententiam elegāter dicit, tum prodesse lectionem, si fecerimus quod legimus, & alibi. Beatissimus est qui diuinas scripturas conuertit in opera.

Consentit his ipsa scriptura. Nam Apostolus ad Rom. 2. testatur *non auditores sed factores iustificari*. Id planè de lectione verissimum est. Et Dominus Luc. 12. dicit de seruo, qui scit voluntatem Domini, & non facit, quod pluribus plagis sit afficiendus.

Et Iacobi 4. dicitur, *Scienti bonum facere & non facienti, id ei peccatum est*. Et contrà pręstaret idiotas esse, ignaros scripturæ, quàm assiduè legere nouisséque salubria eius præcepta

eáque non præstare. Caueamus igitur ne nostram propriã damnationem hinc auferamus. Ingens quidem ibi nobis promittitur thesaurus, si obsequamur lectioni: sed contrà deplorandus interitus metuendus est, si legamus ac perdiscamus omnia, vitam autem & mores inde non corrigamus.

Atque ista ad mores pertinent, alius hic finis etiam respici debet, scilicet docendi facultas. Materiam omnis doctrinæ suppeditat nobis scriptura. Ideo hoc fine legẽda est vt abundemus docendi copia: ἱστορίαν προτάσεων hinc colliges, methodum autem aliunde afferes, quã optimam habebis, si in humanioribus disciplinis non sis planè rudis, est is scriba doctus quem laudat Dominus Christus, Matth. *qui familia vetera & noua profert*: Sed fortè satis explicata & confirmata fuerit proposita nostra definitio. Alius finis.

Diuisio Lectionis.

Lectionis duplex est genus. Alia enim est priuata, alia publica: & priuata alia vaga est, alia ordinaria. sic publica est scholastica, & est popularis: scholastica qua in cœtibus studiosorũ vtimur: popularis qua ministri coram populo vtuntur. Scholastica igitur nostræ est professionis: popularem expoliant ministri.

Est illa nostra aut nuda, hoc est, sola lectione constat, qualis olim fuit in vsu ad mensam in cõtuberniis monachorum. Hanc pluribus laudant Hieronymus & Augustinus, quorũ vterque huius admodum studiosus fuit. Augustinũ dicunt plus lectione ad mensam quàm epulis oblectatum. Hanc commendat Monachis epistol. 109. eius vmbra est hodie in cœtibus studiosorum. Vel habet adiunctam interpretationem, qualis est in lectionibus theologicis. Sed ad priuatam reuertamur.

Priuata lectio duas habet partes integrales, diligẽtiam & iudicium, illam vocamus ἐρέυνησιν ex verbis Christi, Ioan. 5. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, inuestigate scripturas, iudicium verò appello διάκρισιν, discretionem, & σοφίαν sapientiam magis apostolica voce Colosſ. 3. Priuata lectio duas habet partes.

Ex quo etiam loco diuisionis membra probamus: Sermo, inquit, Christi, inhabitat in nobis opulenter in omni sapientia, quibus verbis duo requirit in attento lectore scripturarũ, diligentiam & sapientiam. Diligentiam munimus duobus comitibus, constantia & hilaritate, quæ nisi adsint, diligentia constare nõ potest. Hilaritas tædium lectionis adimit, constantia in cursu retinet: vtrique addamus delectum temporis propter alias vitæ occupationes, & studia humanitatis. Legant igitur manè & vesperi studiosi singulis horis singula capita. Hilaritas & cõstãtia comites diligentiæ.

Deinde sit etiã delectus in libris à facilioribus initium fieri velim, quales sunt historiæ, hinc ad epistolas transgressi, breuiores longioribus præferrem, qualis est illa ad Eph. ad Gal. vtraque ad Timoth. & illa ad Titum: has tres posteriores studioso ediscendas esse cẽseo, propter typum boni doctoris, plurimum enim ad vigilãtiam officij excitabitur adolescẽs, si quàm sæpissimè Timothei & Titi epistolas expenderit. His duobus addat exemplum Apolli verè studiosi hominis ex Act. 18. Huic addo epistolã ad Rom. quæ plus diligentiæ requirit & vigilantiæ. Sic periclitatus de ingenio, de nouo, tanquam ab ouo lectionem ordiatur, omnésque libros noui Testamenti, quo hodie extant ordine perlegat studiosus, in singulos dies bina capita euoluens.

Idiotis magis prodest historiarum lectio, quã magis afficiuntur, & in ordine lectionis retinentur. Grauiores disputationes legant cum iudicio, attentè ministrorum explicationem conferentes cum ipsa scriptura exemplo Berœensium.

De iudicio.

Diligentiam sequitur Iudicium quod appellauimus ex Apostolo σοφίαν, & ex philosophia διάκρισιν. Hanc munimus pietate & methodo. Pietas cauebit hæreses, methodus lucem ac facem addet, vt perspicuitas sit in lectione. His addimus obseruationem ac perpetuam annotationem, qua, ad sua commentaria quæ ὑπομνήματα dicuntur, suas refert obseruationes, &c. Comites iudicij, pietas, & methodus.

DE VTILITATE SCRIPTVRAE.

LOCVS XLIX.



Apostolus ad Roman. 15. magnificè prædicat scripturæ vtilitatẽ, cùm inquit, *Quæcunque enim præscripta sunt ad nostram doctrinam præscripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Qui locus nos admonet, vt de vsu scripturæ paulò diligentiùs agamus, præsertim cùm supra caput. 4. ad Roman. exemplum Abrahæ omnibus posteris credituris sic accommodarit: *non autem scriptum esse propter ipsum solũ, quòd illi imputatum sit: sed etiam propter nos quibus imputabitur, scilicet omnibus qui credunt in nomine Domini Iesu Christi.*

Nec tamen hîc quisquam expectet à nobis sacrarum literarum cõmendationem: nã, vt de Carthagine ille, iudico satius esse silere, quàm parum commodè dicere. Methodica verò, hoc

est, quibus nominibus passim appelletur, & quæ sit nominum ratio:item quæ sit diuisio scripturæ, quæ media perueniendi ad eius veram peritiam, quæ item κριτήρια iudicandi de illius veritate, nolo hic etiam persequi, partim quòd alibi exposita sint ab aliis, & à nobis in Examine Theologico diuisio illius plena, & authoritas diuina certis astructa est rationibus.

Scripturæ vtilitas non potest satis pro dignitate commẽdari.

Vt verò planior sit oratio nostra, hanc Scripturæ diuinæ statuamus definitionem.

Definitio.

Scriptura diuina est testimonium volũtatis diuinæ erga mortalium genus patefactum primitus spiritu Dei, consignatum verò postea literis per homines authore Deo, ad salutem fidelium. August. in exposit. Psal. 96. & serm. 56. ad frat. in eremo, definit esse literas Dei de patria nostra vnde peregrinamur nobis transmissas vt bene viuamus: non malè vtilitatem attigit: sed Platonem magis videtur imitatus, qui mundum hunc dixit librũ esse Dei manu scriptum. Nos rem apertiùs complexi sumus.

Platonis sententia de mundo.

Deus author scripturæ.

Ac loquitur definitio nostra de authore primùm, deinde de fine. Author scripturæ est Deus, hinc enim diuina dicitur: sed & Deus primus leges dedit Adamo, & postea scripsit, Deut. 10. *scripsit Dominus in tabulis secundum priorem scripturã, decem verba quæ loquutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis.* Ita quidem decalogus digito Dei scriptus est, reliqua verò scripta sunt à Mose iubente Domino. Exod. 17. Deute. 6. De Prophetarum oraculis certa extant testimonia, quòd authore Deo conscripta sint. Esaias cap. 8. iubetur scribere in magno volumine, & stilo hominis, vaticinia contra Israelem. & cap. 30. dicitur, vade & scribe prophetiam istam, coram eis in tabulam & in libro sculpe eam, vt maneat in diẽ nouissimũ, in seculum, & in æternum. Ieremias quoque iubetur suas visiones cõscribere omnes, cõtra Israëlem, contra Iudam, ac reliquas Gentes, cap. 36. Et Ezechiel iubetur annotare scripto oracula, cap. 27. Abacuc. cap. 2. Dominus ait, scribe visionem, & explica eam in tabulis, vt percurrat eã, qui legit. Idẽ de aliis propheticis scriptis iudiciũ est. Hinc 2. Pet. 1. 21. *nõ enim voluntate hominis allata est, olim prophetia: sed à Spiritu sancto acti, locuti sint sancti Dei homines.* Et 2. Timoth. 16. dicitur hinc scriptura θεόπνευςος. id est, à Deo inspirata. Deo igitur authore, & patefactum est & cõscriptum hoc testimoniũ diuinæ erga nos voluntatis.

Finis & vsus scripturæ.

Altera pars definitionis loquitur de vsu: quod enim addimus, ad salutem fidelium, indicamus salutem esse vsum scripturæ electis. Item quòd diuina voluntas in his perdiscatur, quid scilicet nos facere, quid omittere velit: quod Augustinus pulchrè dixit, literas has de patria ad nos exules missas, hortari nos ad piè viuendum. Et reuera Dei voluntas non potest aliunde cognosci rectiùs & perfectiùs, quàm ex sacris literis, cùm hoc fine nobis relictæ sint. Et in eo conuenit scripturæ sacræ, cum hoc visibili mundo: nam ex isto quoque Dei inuisibili cognosci & possunt & debent, vt est Rom. 1. Et hinc Plato eruditè vocauit librum Dei manu cõscriptum: sed quia hunc homines vel planè non legunt, aut corruptè legunt, Deus alterum addidit lectu faciliorem.

Alius Dei liber.

Quòd autem ad salutem nostram faciat testatur Apostolus. 1. Tim. 4. *attende lectioni & doctrinæ, persiste in istis. Id enim si feceris, & teipsum seruabis, & eos qui te audiunt.* & 2. Tim. 3. *perfectum reddit hominem Dei, ad omne opus bonum instructum.* & Psalm. 19. *lex Dei immaculata, conuertens animam testimonium Dei firmum, sapienter erudiens simplicem.*

Quòd verò tota scriptura ad nostram faciat vtilitatem, locus ad Rom. 15. versu 4. satis testatur, & Roman. 4. vers. 23. *non scriptum propter Abrahamum solum testimonium Abacuc, quòd scilicet fides illi imputata sit ad iustitiam: sed propter nos quoque quibus imputabitur, his scilicet qui credunt in Iesum Christum.*

Hæc in genere vsum scripturarum nobis proponunt, quem tamen operæpretium fuerit planiùs persequi, quare per gradus seu species quasdam digeramus eum in aliqua membra.

Scripturæ vtilitas multiplex.

Prima vtilitas sit, de rebus ad salutem necessariis, de quibus nos perfectè instruit scriptura. Perfectũ enim in quolibet genere scriptũ, est, quod argumẽti sui propositi capita necessaria, perfectè proponit. Sic de Oratore dicitur perfectè scripsisse Cicero & Quintil. quia si quis talis reperiri posset, absolutus haberi poterat. Scriptura autẽ sacra perfecta est. Psal. 19. *lex Dei perfecta est, conuertens animam.* Superest igitur vt perfectè tradat ea quæ ad salutẽ sunt necessaria, in eo enim argumento propriè versatur. Deinde perfectum reddit hominem ad omne opus bonũ absolutum. 2. Tim. 3. oportet igitur vt ipsa prior perfecta sit, cuius perfectionis normulam sequens homo, ipse quoq; perfectus & dici & censeri possit. Porrò perfectionis caput est, necessaria ad salutem sufficiẽter tradere. Id igitur præstat scriptura veteri & nouo Testamento: huc faciunt illa etiam quæ in Examine Theologico in hoc argumento attulimus.

Cæterùm inter necessaria ad salutẽ primum locum occupat, ratio consequendi salutẽ, quæ in Christo est proposita: quælibet enim res ea parte capi debet, qua potest capi. Ita salus non alia ratione capienda est, quàm qua potest capi: is capiendi modus in Christo Dei filio est.

Primum caput rerum ad salutem necessariarum.

Quare scriptura passim diligẽtissimè inculcat promissiones de Messia, & officiis eius, de merito & beneficio mortis illius. Discere Christũ igitur, facimus primum caput rerum necessariarum ad salutem, quas suppeditant nobis S. literæ. Sic ad Rom. 10. Apostolus dixit. *Christus finis legis est,* hoc est, hũc vnicè passim proponit, & docet. & Dominus Christus Ioan. 5. inquit, *Moses de me est. locutus* Itẽ, *scrutamini scripturas, illæ enim sunt quæ de me testãtur.* Huc pertinent,

vera

vera adoratio, de qua apud Ioã.4.regeneratio. Ioã.3. vita æterna, iustificatio, præmia, pœnæ post hãc vitã & in hac vita sanctimonia vitæ, integritas morũ, quibus vera & viuida fides inter sanctos cõfirmari debet officiis dilectionis. Hic vsus scripturarum longè maximus & amplissimus applicatur nobis per regeneratione͂. Sunt enim duo genera hominum, qui in sacris oberrant literis tam legendo, quàm audiendo. Alij ad vsum verum pertingunt. h. e. Christum verè discunt & percipiunt: quales erant Corinthij, de quibus dixit Apost. 1. Cor.4 *per Euangelium vos genui*, vt Onesimus fortè, de quo dixit ad Philem. v. 10. *Oro autem pro Onesimo filio meo, quem genui in vinculis meis.* Quod isti viua voce ab Apostolo didicere, explicare scripturas Propheticas de Christo, id nos hodie lectiones & interpretationes earundem dicimus: confirmamus autem hoc conuersatione nostra: quod Christus innuit per parabolam bonæ terræ, quæ semen verbi Dei excipiens multiplicem protulit fructum. Sic conuersi sunt initio Ecclesiæ, philosophi quoque ad Christũ, quòd vel legerent ipsi, vel audirent alios explicantes veram doctrinam pietatis. Ita Iustinus Martyr testatur se conuersum in principio colloquij cum Tryphone. Et August. de se testatur, quòd audierit voces adhortantium ipsum ad scripturæ lectionem, tolle lege, tolle lege. Id postquam fecit, assecutus est quod quærebat. Huc pertinet electorum cœtus, seriò & rectè philosophantium in S. literis. Alij legunt & audiunt, sed perfunctoriè, qui ad scopum non perueniunt: tamen hoc commodi inde efficitur, vt fiant hinc ἀυτοκατάκριτοι. i. à sese condemnati. Non enim habẽt, quo sese excusent. Itaque ad sui perniciem legunt & audiunt: sic Porphyrius, Iulianus, Appion, aliíque nostra legerunt, Galenus quoque: sed quia apodictica requirebat mathematica, resiliit. Huc pertinẽt hæretici etiam, qui S. literas colant vt loquitur Hierony. seu def[illegible]ant cum nihil habeant turbidi. Hoc ipsum caput appellemus, διδασκαλικὸν & διδασκαλίαν, i. est, doctrinam, quia Apost. Rom. 15. 4. ad nostram doctrinam præscripta esse omnia dicit. & 2. Tim. 3. scripturam facere ad διδασκαλίαν: huic membro docendi causa subiicimus necessaria ad salutem, quæ asserimus in S. literis perfectè esse tradita. Altera vtilitas est Pædia, hinc παιδευτικὴ ὠφέλεια, vtilitas institutionis & informationis de bonis moribus. Nã doctrina de moribus renati hominis, rectè subiicitur doctrinæ cognitionis, vti theoriæ subiicitur praxis, contẽplationi, actio, quæ & ipsa necessaria est ad salutem pro loco & tempore. Docent igitur S. literæ oportere nos beneficos esse, constantes in professione, pacis studiosos, innocentes, tolerantes iniuriarum, magistratibus morigeros in ciuilibus, quietos, ne moliamur seditiones sub prætextu pietatis, sed potius omni genere virtutum ornemus nostram in Christo professionem: hinc Apostolus ad Rom. doctrinam de bonis operibus & vita renati hominis subiecit doctrinæ iustificationis, eámque grauiter vrget cap.13.14. 15. ad Rom. Tertia est ἐπανόρθωσις. i. correctio. Nã scriptura passim in hoc incumbit vt vitia patefaciat, & eo loco statuit peccatum, quo statui debet. Nullus scriptor vnquam, vtut disertus & purus idololatriam pro merito damnauit Socrates & Plato quidem videntur aliquando vnius Dei cultum probare, & Cato, pura mente colendum Deum censuit: attamen idololatriam non admodum damnant: solæ hoc faciunt S. literæ: sic de scortatione, adulterio, homicidio, appetitu rerum alienarum, non satis grauiter iudicant Ethnici omnes, vtut sint docti & oculati: Scriptura hanc censuram facit, ligonem vocat ligonem, corrigit seueriter mores, peccata patefacit, & quàm grauiter his irascatur Deus, Gal.5 *manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, impuritas, lasciuia*, &c. tandem addit grauem cẽsuram, *qui talia agunt, regni Dei hæredes esse non possunt*: hoc latuit doctũ Platonem, argutum Aristotelem, disertum Ciceronem. Huc pertinẽt conciones, Prophetarum, Christi & Apostolorum de pœnitentia, quibus depingunt mores naturæ nostræ corruptos, in quibus Deo placere non possumus: huc etiam exempla pœnarum spectant, vt Adæ, Caini, Saulis, Diluuij, Hierosolymorum, & similia, quibus Deus iram suam aduersus peccata declarat. Quarta est vtilitas, ἔλεγχος. i. reprehensio. Nam scriptura sacra omnes omnium ætatum confutat errores: hinc Christus contra Satanam non potentia miraculorum, sed scripturæ authoritate pugnat. Matth.4. & Sadducæorum errores de resurrectione, quã illi negabant confutat scripturis, Mar.12. *erratis, inquiens, nescientes scripturam.* Et Apostoli contra Iudæos infideles pugnant scripturis, vt testantur Acta. Hunc morem postea retinuit Ecclesia, vt semper in difficilibus quæstionibus sese reciperet ad scripturam tanquam ad portum tutissimum. Concilia enim sana omnia sua scripturis confirmarunt: & quàm mox recessum est ab hac consuetudine, lapsa sunt concilia etiam in errores, quod testantur concilia mala, quæ errores vel confirmarunt pristinos vel nouos receperunt. Vt Ariminense sine scripturis rebaptizandos baptizatos ab hæreticis sic Constantiense nouum errorem stabiliuit de altera specie Sacramenti laicis neganda. Itaque in dogmatibus semper ad scripturam respiciendum est, ne quid admittamus quod inde non possit euidenter probari: hinc prudenter Constantinus ille Magnus, patres in concilio Niceno reuocauit ad scripturas, vt secundum has disceptarent: & Christus huc nos reuocat. *Ioan.5. scrutamini scripturas.* Hodie bona pars ceremoniarum in Ecclesia Christi refelli poterat ex scriptura: vt delectus ciborum superstitiosus, contentio de rebus adiaphoris, cœlibatus affectatus, dominium pontificis in grege Domini, si aduersarij illam scripturæ tribuerent authoritatem,

Iustinus philosophus colloquio cũ Tryphone conuersus est ad Christũ.

Alia scripturæ vtilitas.

Tertia vtilitas.

Docti inter ethnicos non satis grauiter vitia damnarunt.

Quarta vtilitas.

Concilia sine scriptura erronea.

quam habere debebat apud omnes mortales. Nos igitur qui eam & concedimus & agnoscimus in scriptura authoritatem, discamus sic legere sacras literas, vt hinc cõtra errores depromamus veritatis testimonia: quod vt fiat, sine præiudicio & positis affectibus legenda est ardẽti spiritu. Quinta est, παράκλησις.i.cõsolatio: consolationis enim argumenta & exempla suppeditat in omni fortuna. Rom. 15. *vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Quid differant philosophicæ consolationes à diuinis, alibi dictum est: & res ipsa testatur non consistere vllas rationes philosophicas in terroribus veris conscientiarum: sed ad desperationem tandem confugiunt tanquam malorum portum, & fingunt impunè licere sibi manus inferre: sic Cato desperatis rebus seipsum interficit, Saul, Achitophel, Iudas, sui carnifices facti sunt. Sed scriptura nobis exhibet consolationes firmas, in Iobo, Abrahamo, Iacobo, sanctis omnibus, qui aduersos casus constanter tulére, quia à Deo immissas calamitates agnouerunt suo bono: sic Iob exclamabat, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum:* & Dauid, *si Dominus me vult ecce adsum.* Si moriendum sit pro confessione Veritatis, habes Christum, Apostolos, Esaiam, Ieremiam, exempla, quæ imiteris: si ferenda inedia, habes Danielem & socios eius pane solo & aqua curatos, habiliores tamen, quàm fuerint regij pueri lauto cibo aliti: si fuga & exiliũ indicatur, vides Apostolos extorres, Prophetas latitantes per speluncas montium, Eliam, Christum fugientem, vt tibi fugam consecrarent, &c.

Quinta vtilitas.

Desperatio malorum portus.

De vtilitate scripturæ hactenus, de qua vide Aug. sermone 56. Tertullianum in Apolog. Basilium magnum epist. 1. Chrysost. de sacerdotio.

DE PROPHETIA.

LOCVS L.

Origo vocis.



Rophetam græca voce Latini appellant hominem diuino spiritu afflatum, oraculorum antistitem, quem aliis placet vatem dicere.

Cur nabhi.

1. Hebræi *nabhi* vocant, voce deducta vt Kimhi affirmat à verbo *nabha* quod significat *dabhar* loqui. eloquuntur enim Prophetæ Dei voluntatem, & arcana interpretantur. Sed potest pari opera vox deduci à *ba* verbo, id est, venit: hinc passiua forma *nabhi* dicitur Propheta. Quia consulitur à populo in arduis rebus. In priuatis etiam & in speciem neglectis consuli solitos ostendit hist. Saulis. 1. Sa. 9. qui pro asinis amissis Samuelem consulit. Idem rebus deploratis eundem consulere vult iam mortuum. 1. Sam. 28. quia igitur priuatim & publicè adibantur, rectè à conueniendo dicti sunt: deinde quia Dei spiritu illustrantur, ipsi etiam cum Deo familiariùs agunt & loquuntur, hinc rectè dici videntur à, *ba*, quòd ad eos Dominus suo spiritu accedat & illustret, quod illi euenit sine aliquo suo merito. Conueniuntur quodammodo ipsi rerum nescij. Quod in Mose, Ieremia, Esaia, atque aliis est manifestum.

Προφήτης Græcis dicitur, vel ἀπὸ τοῦ φάναι. i. à dicendo, quia res illis priùs manifestantur per visiones aut reuelationes. Vel παρὰ τὸ φωνεῖν, quòd interpretantur oracula obscuriora. Vel simpliciter πρόφημι, quia futura prędicunt. Aut etiã παρὰ τὸ φαίνειν, hoc est, ab ostendẽdo, & declarando, quòd euentus insolitos populo denuntient. Quicquid horum sit, non ab officio Prophetæ errabis. Nam & prædicunt interdum, & interpretantur arcana, & reuelationes peculiares etiam habent. Plato videtur Prophetas κριτάς. i. iudices facere ἐν μαντείαις, in diuinationibus & μάντιν eum qui arcana præuideat. Vt Mantes maior sit, & illustretur spiritu diuino in accipiendis reuelationibus, Propheta autem interpretando polleat.

2. Vsus multiplex.

Ex quo constat multiplicem huius vocis vsum esse tam in sacris, quàm in prophanis literis, ex quibus paucula subiiciemus.

Abrahã propheta.

1. Significant hac voce sacræ literæ virum Deo peculiariter familiarem, qui singulari spiritu Dei sit præditus, & sua cũ Deo colloquia habeat, per certas visiones, sic Abrahã Gen. 20. dicitur Propheta, qui suas habet visiones: sua cum Deo colloquia. Hinc *roim*, hoc est, videntes dicti fuerunt olim, vt testatur locus 1. Sam. 9.

Deinde vulgò dicitur Propheta qui futura nouit & prædicit, quem gentiles Vatem dixerunt. Hinc Græcæ vocis origo pendere videtur. Talia plurima sunt in sanctis Prophetis de Christo, de politiarum mutationibus, de pœnis reproborum, de præmiis piorum, quæ omnia prophetico spiritu longè antequam fierent, prædixerunt.

3. Interpres alterius, & sermonis dux dicitur etiam, vt Exod. 7. de Aarone. Quòd futurus esset Mosi Propheta apud Pharaonem, hoc est, dux sermonis & interpres, cùm Moses lingua esset impeditior.

4. Interpres arcanorum, quæ nemo facilè sine interpretatione intelligat. Sic Prophetæ officio fungitur Daniel in Babylone apud Nebuchadnezar, & Ioseph in Ægypto apud Pharaonem. Hac significatione, hac voce vtitur Euripides in Bacchis. Cadmus ad Tiresiam cæcum

cum ait. Ἐγώ σοι προφήτης λόγων γενήσομαι. Ero tibi sermonum interpres.

5. Passim apud prophanos scriptores dicuntur idolorum ministri. Sic Prophetæ Iouis in Creta. Et Euripides in Bacchis: σὰς προφήτιδας, tuas prophetissas. Et in Ione φοίβου προφῆτις, Phœbi prophetissa, id est, ministra dicitur. Prophetæ qui, inter Ethnicos.

6. Dicuntur & Prophetæ, qui insolita loquuntur, quos arreptitios aliqui vocant. Qui ἐνθουσιασμοῖς aguntur, rapiuntur in alium quodammodo mentis statum. Ita Saul 1. Samuel. 18. corripitur.

7. Pro Poëta videtur ea voce vti Apostolus ad Tit. 1. citans Epimenidis Cretensis contra Cretenses versum. Sic Plato Poëtas & Prophetas coniungit deorum filios asserens. Θεῶν παῖδες ποιηταὶ καὶ προφῆται. Nec est abs re virum doctum & veritatis studiosum filium Dei appellari & Prophetam. Poëtæ prophetæ dicti.

Hæc ex multis de vsu vocis. Videamus deinceps, quidnam sit propheta & prophetia.

Definiunt Scholastici ferè sic: Vt sit diuina inspiratio rerum, futura immobili veritate denuntians. Loquitur solùm definitio de vno prophetarum munere quod est futura denuntiare. Quemadmodum & illa Græca, προφήτης ἐστὶν, ὁ δι᾽ ἐνεργείας πνευματικῆς τὰ μέλλοντα δηλῶν. i. Propheta est qui futura declarat spirituali vi. Verùm non id solùm ad prophetam bonum & sanctum pertinet, futura dicere. Sic enim Pharao & Caiapha idonei fuissent prophetæ. Vterque habuit diuina inspiratione reuelationem futuri, quod immobili veritate erat euenturum. Neuter tamen intellexit, neuter etiam sanctus & bonus, quærenda ergo descriptio quæ sanctos prophetas ab illis separet. Scholastica. Græca vetus.

Sit igitur prophetia, facultas cognoscendi & interpretandi arcana Dei spiritu adepta, ad Dei gloriã & Ecclesiæ commodũ faciens. Græce sic dici potest. Δύναμις γνωστικὴ καὶ ἑρμηνευτικὴ τῶν κρυπτῶν ἐνεργουμένη διὰ πνεύματος ἁγίου πρὸς δόξαν θεοῦ καὶ ἐκκλησίας ὠφέλειαν. i. facultas cognoscendi & interpretandi occulta, per spiritum sanctum agens, ad gloriam Dei, & ecclesiæ vtilitatem. Cùm δύναμιν dicimus non illam naturalem intelligimus quæ homini insit natura: sed quæ afferatur à Spiritu sancto, qui disponit hominis animum ad eas reuelationes. Quòd autem addimus cognoscendi & interpretandi, duas primarias partes explicamus, quæ tamen non simul sunt semper. Fieri enim potest vt boni etiam futura cognoscant: non autem plena intelligant interpretatione: aliis autem detur interpretatio arcanorum, quæ apud alios legunt. Et quanquam veteris Testamenti prophetæ vtrumque habuisse videantur: probabile tamen est, multa prædixisse & scripsisse, quæ Apostoli pleniùs accepto Spiritu sancto intellexerint, & populo interpretati sint. Quòd autem Dei spiritu adipisci dicitur, causam efficientem indicat, in qua humana opera, studium & diligentia quiescit. Sic 2. Pet. 1. dicitur: *Non voluntate hominis allata est olim prophetia: sed à Spiritu sancto impulsi, locuti sunt sancti Dei homines.* Reliqua finalem causam indicant. Dei gloriam in primis spectat prophetia fidelium, & commodum Ecclesiæ, quò pertinet electorum salus: reproborum iusta condemnatio. Ab his finibus aberrant pseudoprophetæ, qui lucrum spectant: priuatos honores, imposturam publicam, & confirmationem errorum. Alia definitio, Græca noua. Multa prædixerunt Prophetæ, quæ Apostoli plenius intellexerunt.

1. Genera prophetarum & prophetiarum variis modis colligi possunt. Est aliqua diuisionis forma in his quæ retulimus prius in significatis huius vocabuli. 4. Diuisio.

2. Deinde nota est & illa distributio. Alios veros prophetas, de quibus nostra loquitur definitio. Alios falsos qui ob id pseudoprophetæ dicuntur, quia non à Deo reguntur hi, sed diabolo patre mendacij, de quibus dicitur, 1. Reg. 22. & 2. Paralip. 18. *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab.* Tales vetus Ecclesia plurimos habuit. Et noua mox initio, adhuc, sempérque habitura est, vt prædixit Christus Matt. 24. & Pet. 2. Epist. cap. 2.

D. Augustinus quodam loco in tria genera eleganter distinguit prophetas. Alios inquit esse Iudæorum, quos vetus habet Testamentũ. Alios autem esse Gentium prophetas, qualis est Epimenides, cuius versiculum citatur prophetæ nomine. 1. Tit. talis Aratus qui in Actis citatur. Tales omnes docti Philosophi & pij qui de Deo, de bonis moribus admonuere: tales Sybillæ in primis, quæ futura prædixère, demum alios esse veritatis, hoc est, noui Testamenti Prophetas. Porrò quòd Christi Ecclesia in nouo Testamento Prophetas habeat, inde constat: quòd inter dona Ecclesiæ relicta recensetur & prophetia, Eph. 4. & idem dedit, *alios quidem Apostolos, alios verò prophetas*, &c. 1. Cor. 12. *& alios quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores*, &c. Et quòd reipsa in Ecclesia sint reperti, Act. Apost. testantur cap. 13. in Ecclesia Antiochena fuisse scribuntur, ibidem mox pseudopropheta Elymas habetur Magus. & cap. 11. à Hierosolymis descendunt quidam Prophetæ Antiochiam, inter quos nominatur Agabus, qui prædixit famem quæ sub Claudio Cæsare fuit. & ca. 21. Philippus habet filias quatuor prophetantes. Ibidem Agabus Propheta prædixit vincula Pauli Hierosolymis. Propheticum est, quod Paulus Elymæ Mago cæcitatem significat, quæ mox illum occupat. Et quòd Petrus mortem Ananiæ & vxori quæ eos subito tollit, Act. 5. Et in Epistolis Paulinis multa sunt prophetica, de calamitatibus Ecclesiæ, de pseudoprophetis, &c. Sic Apocalypsis iisdem abundat. Tria genera prophetarũ, nempe Iudæorũ, Gentiũ, Christianorum.

Cur autem hoc donum desierit in Ecclesia successu temporis? Primùm, temerarium est ne-

Donum prophetiæ, hodiernę Ecclesiæ nō est denegandum. Cur Ecclesiæ primitiuæ donis, hodierna Ecclesia caret.

garc in totum Ecclesiæ etiam hodiernæ hoc donum propheticum. Et licet obscuriores sint: tamen dubitandum non est quin sint. Et possent produci piorum virorum oracula planè prophetica, quæ euentus comprobauit. Rarius tamen hoc donum esse, concedi facile potest, quàm fuerit Apostolorum tempore. Nam & reliqua dona paulatim imminuta sunt. Ecclesia enim iam confirmata & dilatata in omnem orbem, non habebat opus externis miraculis & prædictionibus, cùm omnia nunc prædicta sint, quæ ad salutem sunt necessaria. Et quia iam disci possunt & tradi commodè omnia, illa siluere. Ita sanandi donum sublatum est in postera Ecclesia. Nam Ecclesia iam medicos habere potuit & facultates, quibus remedia pararet. Ita postquam pios cœpit habere magistratus, miraculorum donum tradendi Satanę desiit. Sic donum linguarum, postquam pax Ecclesiæ est tradita, voluit Deus studio & opera nostra disci in scholis quam diligentiam adiuuat Spiritus sanctus. Eadem est prophetici doni ratio.

Ampla diuisio prophetici muneris.

4. Est & illa non inepta diuisio, quam Græci afferunt, & nonnulli Theologi explicant, à forma sumpta. Diuidunt autem prophetiam in quinque gradus seu differentias. Primi generis est Prophetia πνευματικὴ. id est, spiritualis quæ ad solos sanctos & veros prophetas Dei spectat. Talis Abraham, Ioseph, Moses, posterique omnes, qui Dei spiritu illustrati prædixerunt. Atque hi προηγουμένως. i. potissimùm dicuntur Prophetæ, quia & vera dicunt & gloriam Dei spectant, & intelligunt, & suo commodo totum hoc agunt, & Ecclesiæ.

Secundum genus eorum est, qui δι' οἰκονομίαν, id est, per dipensationem munus propheticum habent, vera etiam dicunt, licet ipsi sint mali & reprobi: talis Propheta Pharao, qui futura præuidit, non autem intellexit. Gen. 41. talis Bileam, qui & præuidet & intelligit, reprobus autem est, Num. 22. talis etiam Caiapha, Ioan. 11. qui cùm esset pontifex anni illius prophetabat de morte Christi.

Tertium genus impium διαβολικὸν, quia mandato Dei sancitum non est, & in natura nullas habet causas, pugnat autem expressè interdum cum Dei verbo. Qualis erat ille spiritus mendax in ore prophetarum Achab. 2. Paralip. 18. Interdum speciem pietatis habet. Nam transmutat sese in angelum lucis, sicut immundi spiritus clamant: *Iesu fili Dauid, venisti ad cruciandum nos ante tempus.* Talis est Zidkia qui se opponit Michæ Prophetæ Domini. Talis Elymas in Actis apud Sergium proconsulem. Tales Hymenæus & Philetus qui dicebant resurrectionem iam esse factam, 2. Timoth. 2. Tale oraculum paganorum, quod cum irrisione cōfutat diuus Augustinus fidem Christianam nō vltra 365. annos duraturam. Augustinus de ciuit. Dei lib. 18. cap. 54.

Astrologi prophetæ.

Quartum genus est φυσικὸν καὶ τεχνικὸν à natura & arte, quo vtuntur homines literati, non afflati singulari Dei spiritu prophetico. Quales sunt prædictiones ex signis naturalibus, vt ex cometarum apparitionibus, & tempestatibus anni, ex moribus etiam hominum præsagiunt boni interdum quid euenturum sit. Hoc genus medium est, nam boni & mali eo vtuntur.

Ex obseruatione dierum duodecim à natiuitate Christi, quidam de omniū mensium constitutione totius anni iudicant.

Quintum est κοινὸν καὶ δημῶδες, hoc est, populare genus vaticinandi, in quo causas non curiosè inquirimus: sed obseruationibus tantùm contenti sumus. Ita solent homines hodie ex Vrbani die iudicare de vindemia. Et ex aëris constitutione 12. dierum à natiuitate Domini, de omnibus mensibus sequentis anni. Quæ etsi non semper congruāt: tamen acquiescunt homines qui multis obseruationibus sæpè congruere viderunt. Sed est & hoc genus μέσον. Satan his anilibus persuasionibus scitè potest abuti, vt homines in erroribus & superstitionibus retineat & confirmet.

5. Cæterùm apud Mosen, qui facilè princeps est inter Prophetas veteris Testamenti, talem reperio diuisionem prophetici spiritus, qui bonis inspirat oracula, loquitur ibi Dominus: Si fuerit vobiscum Propheta Domini, in visione *bamarea* cognoscar ab eo. Atque in somno *bachalom* loquar cum eo. Non talis est seruus meus Moses, qui in vniuersa domo mea est fidelis. Ore ad os loquar cum eo & in visione, & non in ænigmatibus *bechidot*, & in similitudine *vtemunat* videt Dominū. Quare ergo non timuistis loqui contra seruū meū Mosen?

Ex quibus verbis videntur non immeritò gradus quinque prophetici spiritus constitui, aut potius modi totidem reuelationum.

Modi diuersi reuelationum.

1. Nam alij visa habent *mareot*, vt Abraham videt tres Angelos: Iacob videt scalam, & Angelos ascendentes & descendentes.

2. Alij insomnia habent *chalom* vt Pharao, & Nebuchadonezar in somniis perturbantur.

3. Aliis loquitur Deus *peh el peh*, ore ad os, talis propheta est Moses, quo reliquis omnibus præstat.

4. Aliis loquitur *bechidot* per ænigmata, qualis est Ezechielis ænigma de volumine, quod debet edere.

5. Aliis autem *bitemanut*, in similitudine, & per imagines, vt sunt quatuor rotæ, & animalia apud Ezechielem. Animalia & statuæ, & cornua illa in Daniele. De hac diuisione plenius consule Hebræos. Habet quædam ad hanc facientia August. lib. 2. ad Simplicianum. Aliam habes apud eundem lib. 17. cap. 3. de ciuit. Dei, vbi accommodat suo instituto. Alias prophetias

tias loqui de terrena, alias de cœlesti, alias mixtim de vtraque Ierusalem.

Addamus ergo Colophonis loco, diuisionibus illis etiam hanc, quæ à materia sumitur.

1. Prædictiones propheticæ, vel loquuntur de Messia & redemptione humani generis, quò refero omnia quæ de officio Messiæ dicuntur.

2. Aut loquuntur de politicis, de Imperiis, de illorum conseruatione, déque mutatione: hoc est, quibus de causis illa mutet, aut etiam conseruet.

3. Aut loquuntur de doctrina veri & falsi, hoc est, de ministrorum officio in populo Dei, de pseudoprophetarum ingenio & moribus, de scandalis in populo Dei, de corruptela sanæ doctrinæ.

4. Aut loquuntur de pœnis peccatorum, de resipiscentia, de emendatione & gratia Dei, quæ resipiscentibus est parata.

5. Aut denique loquuntur de externis bonis & terrenis promissionibus. In quibus tamẽ semper inest typus bonorum æternorum, ad quæ respiciunt pij. Huc εὐτυχία & ἀτυχία. i. res secundæ & aduersæ Ecclesiæ militantis in his terris pertinet, &c.

6. Diximus de origine vocis: de significationibus etiam prophetæ: de eius vera definitione & de diuisione. Addamus quinto iam loco illud etiam, quomodo Christus dicatur propheta. Nam suprà, 11. de Ioanne Baptista dicitur, *Ecce plus quàm propheta*, Quod si Ioanni non satis prophetæ titulus competit, sed est maior, quid de Christo dicemus? Vtique minus illi nomen prophetæ tribuere possumus: & peccauit turba eum ita compellans.

Primùm Christus verè propheta est, ideóque non malè illi titulus hic competit. Nam Messiam fore prophetam constat ex Deut. 18. — *Christus verè propheta.*

1. Prophetam alium excitabit tibi Dominus de fratribus tuis, illum audies: quem locum etiam Iudæi de Messia intelligunt.

2. Deinde Christus multa propheticè prædixit Matth. 10. fortunam discipulis suis, quòd sint persequendi de loco ad locum. Id euentus comprobáuit: & cap. 16. mortem suam, nec id semel: indicans locum, personas, genus mortis, & Matth. 24. fatum vrbis & nouissimum iudicium. Et apud Ioan. 4. mulieri suum vitæ genus depingit. Vnde exclamat, *Video quod Propheta es*. Et Luc. 24. discipuli. *quidam fuit vir propheta potens in opere & sermone*. & cap. 21. Matth. turbæ respondent, *Hic est Iesus ille propheta à Nazareth Galilææ*. Ex quibus omnibus constat, & Christum fuisse & habitum esse vulgò tanquam Prophetam.

Cæterùm fieri potest vt turbæ apud Matth. 21. errent in eo, quòd Christum habent tanquam prophetam gregarium, quemadmodum testantur discipuli, Matth. 16. qui interrogati respondent ex iudicio turbæ, alios habuisse illum pro Helia, alios pro Ieremia, aut alio de numero prophetarum. Quod si non amplius de Christo senserunt: rectè illis dici poterat plus quàm propheta hoc loco. Fuerunt tamen qui Filium Dauidis agnoscerent, quæ compellatio Messiæ erat, vt constat ex cap. 2. Matth. Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? respondent ei, Dauidis. Quare vox illa in die palmarum Hosanna filio Dauid, testatur in turba fuisse, qui non simpliciter prophetam: sed magnum illum Mosis prophetam, ipsum Messiam agnoscerent.

DE SPIRITV ET LITERA.

LOCVS LI.



CRebro fit mentio, spiritus & literæ, in sacris literis, præsertim in Paulinis epistolis. Deinde non parum refert ad intellectum pietatis, quid hisce vocibus intelligatur. Ideóque de his iam breuiter agemus, præsertim cùm de eo negotio alij copiosiùs egerint. Dicemus autem primò, quid spiritus & litera sit. Deinde quomodo secundùm illa omnis nostra vita examinanda sit. Tertiò, quæ sint spiritus proprietates, quæ etiam literæ propria. — *Definitio spiritus.*

Spiritus igitur est motus interior excitatus à Spiritu sancto, & illuminãs doctrinam legis & Euangelij vera notitia, & hanc exornans veris virtutibus ad gloriam Dei, & proximi vtilitatẽ.

Contrà litera est motus interior, nõ à Spiritu sancto excitatus, sed humano iudicio, qui doctrinam legis & Euãgelij non illustrat notitia vera, vitam verò exornat virtutibus ciuiliter, non ad verè bonum.

Ex descriptione hac perspici potest, Spiritũ quasi animam esse literæ, & literam vmbram sine corpore mortuã. Versantur enim circa idem subiectum: differunt autẽ causis efficientibus, forma, & fine.

Cõmune illis est, quia in vtroque motus est, hoc est, iudicium statuens cum assensu voluntatis de religionis doctrina & externis actionibus certo fine, ac fertur hoc iudicium, de lege

& Euangelio, ac simul de moribus hominis.

In quo differant spiritus & litera.

Differũt autẽ, quia litera iudiciũ habet informatũ non à Spiritu sancto, sed à philosophia, aut prudentia carnali, ambitione, aliisve causis.

Deinde quòd spiritus veram habet notitiam doctrinæ: litera, illa caret.

Et spiritus ad verè bonum fertur, litera apparens habet bonum propositum.

Spiritus toto pectore & anima agit quod agit, litera hypocrisin admittit. Spiritus laudem habet apud Deum: litera apud homines mercedem quærit.

Lex Mosis sine Christo litera est occidẽs.

Hoc pacto consideretur primùm lex Mosis, quæ litera est, si nudè consideretur à Christi notitia separata, quemadmodum tẽpore Christi & Apostolorum bona pars Iudæorum, legem Mosis separabant excluso Christo. Sic Apostolus 2. Corinth 3. de litera & spiritu loquitur, litera occidit, spiritus autem viuificat, hoc est, notitia separata a Spiritu sancto & seclusa à Christo. Et hoc intelligamus primùm de lege morali & decalogo, quem si extra Christum obseruemus occidit, eadem autem, si Christum iungas viuificat. Occidit autem, quia monstrat peccatũ, & imperfectionem tuam, incitat etiã peccatũ ad vetita, Christus verò medelam adhibet.

Simile.

Deinde in ceremoniis & typis eodem modo litera est & spiritus. Litera si ceremonias & typos sine Christo tractes, eisdem si addas Christum, animam addis corpori, & lucem infers oculo cæco. Exemplum de agno Paschali, quem Moses mactare docet & edere, non fractis ossibus, aspergi etiam postes, vt seruentur domestici ab occisore Angelo, litera mortua est: sin addas Christi mysterium, vt facit Apostolus 1. Cor. 5. spiritum habes viuificantem. Sic æneus serpẽs litera muta est sine Christo. Inde Christus Ioan. 3. ad se typum trahit. Et Ionæ submersio ac restitutio litera est, cuius veritas & finis Christus erat, Matth. 12.

Tertiò, in Prophetis nuda est litera si Christum separes, hinc lex & Prophetæ vsque ad Ioannem durasse dicuntur, quia respexerunt Christum, quem præsentem monstrauit Ioannes.

Professio Euangelica nuda est litera absque motu Spiritus sancti.

Quartò, tota professio Euangelica nuda litera est nisi Spiritus sanctus inter nos motus suscitet, & illuminet mentes vera notitia, moresque regat ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem.

Nec enim illa hypothesis solùm Iudæorũ est separantium Christum exhibitum à Mose ac Prophetis: sed est totius naturæ humanæ, quæ per se & extra Christũ nihil videt in nouo quoque Testamento, quàm nudam literam.

Nam quod Iudæis contigit in Mose, vt velatam solùm possent ferre faciem eius: sic tota natura hominis Euangelium legit & audit extra Christum velatum, tanquam historiam ciuilem, miraculis ornatam, mores etiam eidem accommodat vel nullos, aut hypocriticos.

Hæc sententia est Pauli loquentis de litera & spiritu. Summa, litera carnale iudicium est, sine Christo: carens vera notitia & illuminatione Spiritus sancti, tam in Euangelio, quàm lege Mosis & Prophetis. Contrà, spiritus est, vera notitia, rectè iudicans de lege, ceremoniis, Euangelicis etiam dictis. Litera vmbra est, & oculus sine visu, corpus sine anima. Spiritus anima, visus, illuminatio oculi, vmbræ corpus.

Apud Theologos scholasticos quid significent spiritus & litera.

Theologi aliter loquuntur de litera & spiritu aliquando. Nam literam etiam vocant literalem sensum, spiritum autem allegoricum sensum, tropologiam aut anagogen: de quibus diximus in loco de allegoriis.

II. Ex his quæ diximus, statuendum est in vniuersũ de toto negotio religionis nõ solùm Iudæorum: sed nostra quoque professione: dominatur enim tam in dogmatibus, quàm in moribus litera & spiritus. Examinemus igitur quædam huius rei exempla, tam ex Iudaismo, quàm Christianismo. Alij sapiunt & viuunt secundũ spiritum solùm, alij secundum literam solùm, alij secundum vtrunque: alij denique secundum neutrum.

Primi generis sunt, qui quod agunt toto pectore agunt, veritatis cognitione, & amore Dei, proximi quoq; vtilitatem & ad salutem animarum suarum. Exemplũ sit, Luc. 18. Publicanus, qui inuocat Deum seriò, sine hypocrisi, & implet id quod Christus dixit Ioan. 4. veri adoratores inuocabũt patrem in spiritu & veritate, i& 1. Cor. 14. *orandum esse spiritu, & orandum esse mente.* Sic in Iudaismo, Iudæus erat secundum spiritum, qui laudem apud Deum habebat, non in aperto, sed in occulto. Sic Abel Iudæus erat, & omnes sancti. Huc respexit Apostolus ad Rom. 2. *non is Iudæus, qui in aperto solùm Iudæus, sed qui in abscondito.* Et Moses Deut. 10. & 30. *cùm circumcisionem cordis vrget.* Eodem modo docere Christum dicuntur secundum spiritum, qui cum fructu, & seriò docent: qualis doctor fuit Paulus. 2. Cor. 3. qui doctrinam inscripsit Corinthiorum cordibus, vt essent viua epistola, non scripta attramẽto, sed spiritu Dei viuentis. Et oratio huius doctoris non nititur persuasionibus humanæ sapientiæ: sed demonstratione spiritus, & potentiæ, &c. Sic agũt pœnitentiam secundum spiritum fideles, dãt eleemosynã secundũ spiritum, inuocant Deũ, diligunt proximum. Summa, officium suum faciunt secundum spiritum, hoc est, seriò & ex animo. Ioan. 6. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, Circumcisi sunt spiritu. Philip. 3. *nos sumus circumcisi, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, nec confidimus in carne.* Colos. 2. *circumcisi estis circumcisione non manufacta, dum corpus carnis exuistis per circuncisionem Christi.*

Docere Christũ secũdum spiritũ.

Viuere secundum literam.

Secundi generis sunt, hoc est, qui secundum literam viuunt & sapiunt, hypocritæ. Tales in veteri

veteri Testamento erant Iudæi idololatræ, & aliis modis simulanter viuentes. Saul secūdum literā circumcisus est, non spiritu, Esau, Ismael, & similes. In nouo Testamento, Luc. 18. Pharisæus secundum literam inuocat Deum. Iudæi Christi hostes secundum literā circumcisi sunt, non corde & secundū Spiritum. Christū prædicant secundum literam, qui gloriæ studio, honorum, opum nomine Christum profitentur. Philip. 1. *nonnulli per inuidiam & contentionem Christum docent.* Quod igitur Apostolus dicit per inuidiam, contentionem, rixandi studio, ostentatione prædicare Christum, hoc ipsum est, fictè, secundum literam, non ex animo Christum annuntiare. Quid istis sit proprium, Christus explicat, Matth. 5. in illorū eleemosyna, precibus, & ieiunio. Item cap. 7. & 23. Horū opera damnata sunt à Domino, etiāsi miracula per nomē eius fecerint. Matth. 7. 1. Cor. 13. si habuero omnem fidem, &c. Hinc ad Galat. 5. & 6. *circumcisio & præputium damnantur, sola cōmendatur fides per dilectionem operosa.*

Tertij ordinis, qui secundum vtrunque sapiunt & viuunt, hoc est, secundum literam & spiritum. Nec enim sentiendum est literam & spiritum ita diuisa esse, vt nō possint in eodem simul habere locum. Exemplo res manifestior erit. Nathanael apud Ioan. 1. dicitur verus Israelita, in quo dolus non est. Erat igitur secundū spiritum Israelita, teste Christo, quia fuit à dolo & hypocrisi alienus: fuit tamen idem secundum literam Israelita, quia Iudæus ex Iudæis parentibus, circumcisus, & secūdum legem Mosis viuens. Vtroq; igitur modo Iudæus, hoc est, Israelita fuit. Sic Abraham carne circumcisus est & corde. Sic omnes sancti à Mose ad Christum, legem secundum literam & spiritum seruarunt, quantùm fieri potuit.

Quarti ordinis sunt, qui nec litera, nec spiritu rectè sapiunt, hoc est, planè sunt prophani. Hoc modo prophani Ethnici nec litera nec spiritu circūcisi fuerunt: Pharao nec litera nec spiritu Iudæus est. Hodie impij Turcæ & infideles, Iudæi nec litera, nec spiritu, Christum agnoscunt, & prophani Christiani, qui Bacchanalia viuunt, nec litera nec spiritu faciūt Christiani hominis officium.

De hoc discrimine eleganter loquitur diuus Hieronymus in capit. 2. epistolæ ad Epes. explicans illa verba, *memores estote, quòd vos aliquando Gentes in carne.* Gentes Ephesios in carne vocans (inquit) ostendit in spiritu esse non Gentes: sicut è contrario Iudæi in spiritu Gentes sunt, & in carne Israelitæ. Quadrifariam igitur Iudæi diuiduntur & Gentes. Alij sunt in carne circumcisi & in spiritu, qualis fuit Moses & Aaron, Apostoli & Nathanael, cuius occultum Iudaismum Dominus intuens ait. Ecce verus Israelita, in quo dolus non est. Alij qui nec carne nec spiritu circumcisi sunt, qualis fuit Nebucadnezar & Pharao, & hodie Barbararum & Romanarum Gentium multitudo, quæ non credunt in Deum. Tertij qui tantùm in carne sunt circumcisi, & spiritum incircumcisum habent: ad quos *Propheta dicit: circumcidimini Deo nostro, & nolite circumcidere carnem præputij vestri.* Et alibi: *Omnes Gentes incircumcisæ carne, domus verò Israel incircumcisi sunt corde.* Extremi de quibus non dicitur, *quia aliquando vos Gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta*, qualis hodie est vniuersa turba credentium, & totus ex Gentibus mundus est plenus, &c.

Quadrifariam diuiduntur Iudæi & gētes.

III. Huc iam referantur per Antithesin quæ scriptura recenset de fructibus spiritus verbi Dei, regenerationis, lucis, veritatis & contrà de fructibus carnis, tenebrarum, literæ, mendacij, aut hypocriseos.

Vt ad Rom. 2. exempla duo ponit Apostolus, de circumcisione, alterum de Iudæo. Iudæus in carne, litera, in manifesto, coram hominibus laudem habens, omnia hypocritica sunt. Contrà Iudæus in occulto, in corde, in spiritu, laudem habens apud Deum, omnia veritatis sunt.

Rom. 8. Electorum & damnatorum cōditio eadem antithesi proponitur. Electi secundum spiritum ambulant, liberi à peccato sunt, spirituales sunt, quæ spiritus sunt curant, affectus spiritus in se sentiunt, lex vitæ in his regnat, spiritus adoptionis in illis operatur, corpus mortificatur, spiritus viuificatur, in his vita, pax, iustificatio locum habet. Atque illa omnia spiritus sunt, hoc est, veritatis. Contrà, literæ & hypocriseos sunt, caro, carnalem esse, secundum carnem ambulare, quæ carnis sunt curare, affectibus carnis duci, inimicitia aduersus Deum, legi Dei non subiici, Deo non placere, debitores esse carnis, spiritū seruitutis habere, in his mors, inimicitia, damnatio regnat.

2. Cor. 3. Lex & Euangelium sic conferūtur, vel Mosis ministerium & Christi. Lex, ministerium mortis, ministerium Mosis, literæ, condemnationis, lapidibus inscriptum, peccati, vetustas literæ. Contra Euangelium est ministerium vitæ, ministerium noui Testamēti, ministerium spiritus, iustitiæ, cordibus inscriptum, nouitas spiritus.

Conferūtur inter se lex & Euangelium.

Ibidem doctores Euangelij, alij secundum spiritum docent, qui cordibus inscribunt Euangelium, subministrant spiritum, iustitiam, ad gloriam Dei: alij contrà atramento scribunt, bulis, subministrant condemnationem, mortem, priuata gloria.

1. Cor. 2. Prædicare spiritu, demōstratione spirituali & potētia Dei. Cōtrà, humanæ sapientiæ persuasionibus niti. 1. Cor. 14. *orare mēte, orare lingua.* Phil. 3. *spiritu Deū colere, & cōtrà cōfidere in carne.* Ad Heb. 8. *Lex mētis, & contrà lex in tabulis.* Col. 3. Circūcisio sine manibus: & manibus facta. Ioan. 6. *spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: non potest nisi mortem parere, &c.*

DE ALLEGORIIS.

LOCVS LII.



Criptura sæpe tecto sermone loquitur: ac aliud respicit quàm prima specie mēs sub inuolucris illis quærat. Quæ occasionem dedere patribus, vt in explicandis sacris literis à sensu grammatico liberè interdum recedant, ad allegoricum sensum: in quo genere interpretandi alij aliis sunt frequētiores. Hieronymus diligens scripturæ enarrator, rarior in illo genere est: tamen cùm virginitatem, & viduitatis statū tueri vellet, multa hinc desumit præsidia: quæ, si extra controuersiā expendas, præter mentē scripturę torta & violenta videbuntur: sic in Augustino quædā reperies. Ambrosij allegoriæ & Hilarij in multis locis absurdiores sunt. fœlicissimè aliquando in his lusit Origenes, aliquando manifesta est pugnantia & absurditas.

Quatuor sensus scripturę apud veteres theologos.

Posteri hoc genere oblectati, induxerunt quatuor sensus scripturę, aut quadruplex enarrandi genus: Grammaticum, in quo sensus literalis & historicus ordo retinetur. Tropologicum in quo ad bonos mores & exhortationes ad virtutes, ad fugam vitiorum scriptura accommodatur. Allegoricum, in quo mysticus sensus de ecclesia & Christo elicitur.

Anagogicum in quo ad Deum, ad Ecclesiam triumphantem in cœlis, ad Trinitatem, & ad vitam beatam, negotium reducitur.

Ac de generibus istis interpretandi, dicemus aliàs, nunc de solis allegoriis agemus.

Sumpserunt Theologi eā vocē à Grāmaticis & Rhetoribus, qui allegoriā inter figuras appellāt, cùm aliud verbis exprimitur, aliud sensu intelligi & accipi debet. Quintilianus alibi vocat allegoriā perpetuā metaphorā: est enim in allegoria, metaphoricus totus sermo, vt in parabola seminātis semē in terrā quadruplicē. Sic Vergilius in Eglogis sub pastorū in personis allegorias nectit de August. & Mæcenate.

Allegoria est perpetua metaphora.

Hinc, Theologi in sacris literis Typos etiam appellant, allegorias. Historia de æneo serpēte, allegoricè de Christo explicatur: historia Ionæ, de morte & resurrectione Domini.

Multa allegoricè de Christo explicantur.

Præterea sensum mysticum & spiritualem, vbi expressi etiam typi nō sunt: vt historiam de muliere αἱμοῤῥοοῦσα. Marci quinto capite de gentibus explicant, quæ gratiam Domini intercipiunt, dum vadit ad domum Iairi, hoc est, ad populum Israëlis. Græcis inde dicta est ὅτι ἄλλος ἐστὶ λόγος καὶ ἄλλο τὸ νοούμενον. i. alius est sermo, aliud, res per sermonem intellecta.

August. libro decimo quinto, de Trinitate ait esse vbi aliud ex alio intelligitur. in explic. Psal. 103. dicit esse sacramentum figurarum, explicans verba illa, Ascendit super pennas ventorum: Ventos animas facit, quia sunt πνεύματα: aliàs virtutes, quibus subleuantur: ac in his dominatur Deus.

Parabola. Parabolę species.

Hoc pacto fermè παραβολὴν dixeris, nisi quod in parabola res cum re παραβάλλεται, hoc est, comparatur: nec solùm simile, sed dissimile interdum explicatur. Cuius species fecerūt ὁμοίωσιν cùm similitudo rerū explicatur. ἀναλογίαν cùm totum toti confertur: εἰκόνα cùm res imagine, quasi ob oculos ponitur. ἀντίθετον quando contraria contrariis illustrantur. Non ita excurrit Allegoria: sed in explicatione similium commoratur.

Tamē non curiosè hic allegoriam à parabola disiungemus, cùm nec grammaticos id fecisse videamus, & d. August. in eadem est sententia: sed & res ipsa demonstrat in parabola contineri allegoriam, cuius sit quasi anima & spiritus, illa verò huius inuolucrum & corpus.

Quid sit allegoria apud August.

Augustinus rectè inquit, in explicatione Ps. 103. Allegoria dicitur, cùm aliquid videtur sonare in verbis, aliud intellectum significare. quomodo dicitur agnus Christus, nunquid pecus? leo Christus, nunquid bestia? petra Christus, nunquid duritia? mons Christus, nunquid tumor terræ? & sic multa, aliud videntur sonare, aliud significare, & vocatur Allegoria. Nam qui putat me de Theatro dixisse allegoriam: putet & Dominum de Amphitheatro dixisse parabolam, &c. quibus verbis parabolam & allegoriam non scrupulosè discernit.

Alia definitio.

Sit igitur allegoria sensus mysticus, verbis translatis propositus, ad quē vel vtilitatis vel necessitatis causa à sensu historico transimus. quò facit nomen ἀλληγορίας, ὅτι ἄλλο ἀγορεύει παρὰ τὸ ἀκουόμενον, quia dicit aliud, quàm quod auditur, quemadmodum παραβολή, ὅτι παραβάλλεταί τι τινὶ, comparat aliquid alicui, ac vtrinque similitudo quæritur, aut dissimilitudo, &c.

Species allegorię.

1 Species allegoriæ apud Rhetores sunt, ænigma, parœmia, & ironia. Ænigma obscurior est allegoria explicatione indigens, vt illud de Hyacintho poëtarum.

Dic quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

Parœmia prouerbialis sententia breuis & celebris, vt illa Theocriti λύκον εἶδες lupum vidisti. & Vergil. lupi Mœrin videre priores. & apud Pin. Nem. ad finem Διὸς κόρινθος Iouis Corinthus.

Ironia simulata est sententia, acerba irrisione aliquando constans, aliàs nudo verbo cōtrarium

rium exprimit. Verbi est, vt Parcæ ironicè dicuntur, quia minimè parcunt. Sentẽtiæ autem: qualia illa in Verrem Ciceronis, Verres pretor vrbanus, homo sanctus & diligens.

Quid sit ironia. Duplex ironia verbi, & sentẽtiæ.

His etiã in sacris locus est: vt Sãsonis ęnigma, De forti, egressa est dulcedo. Saul inter Prophetas prouerbij vim habet. Dormite nunc, ironia Domini est, in horto. Et Augustin. ęnigma speciem allegoriæ facit in libris de Ciuitate Dei.

Alij quasi formas allegoriæ subiiciunt, μυθολογίαν cùm fabulæ ad moralem institutionem applicantur, σημειολογίαν cùm signa explicãtur, vt somniorum explicatio de bobus & spicis, vt in somno Pharaonis. θεολογίαν, cùm ad pietatem cælestia accommodantur.

3 Theologi allegoriæ formas constituunt, Tropologiã cùm verba ad obseruationes morales accommodantur, in quibus sunt exempla virtutum & vitiorũ, vt in historia Abrahæ excipiẽtis Angelos, est hospitalitatis exemplum: in Matthæi vocatione, peccatoris conuersi, & deserentis vitæ genus, propter Christum, in historia Herodis, sauciatæ conscientiæ, & malè consciæ, cùm dicit Ioannem à mortuis resurrexisse, & Christum esse Ioannem.

Quid sit Tropologia.

1 Allegoria specialis, quando verba ad Ecclesiam Christi militantem referuntur. Sic cantica canticorum ad Ecclesiam & Christum referunt. Vinea Domini, Ecclesia est. Semẽ sparsum in quadriformem terram, auditorũ diuersitatem significat: & cur non omnes saluentur, cùm tamen verbum audiant.

Anagoge ad Deum, Ecclesiam triumphantem, & beatorum in cœlis statum pertinet, sic Trinitatis mysterium est in tribus angelis Abrahæ. & in historia creationis Pater creat, Verbum, per quod creat: & Spiritus sanctus, fertur super aquas. Quæritur hæc aliquãdo in verbis singulis: sic in voce *Bara*, tres sunt Trinitatis personæ. *Ben* filius, *Ruach* Spiritus sanctus, & *Ab* pater. talia multa habent Iudæi mystica, in suis quæ appellãt Roschateboth, quæ nihil soliditatis habent. Aliquando in verbis coniunctis, hoc est, in tota sententia. Sic Apostolus ex historia Saræ & Agar duo facit testamenta, & duos montes, Sina & Sion ad mysticum trahit sensum.

Anagogicus sensus.

D. Augustinus libro de vera religione quadruplicem facit allegoriam, Historiæ, Facti, Sermonis, & Sacramenti.

Quadruplex Allegoria apud August.

1. Historica est allegoria, quæ ex re gesta sumitur, vt Ionæ historia, Mat. 12. typicè de sepultura & resurrectione ab ipso Christo explicatur. Et 1. Cor. 10. Apostolus totã fermè historiã populi egredientis ex Ægypto allegoricè explicat ad mores Christiani hominis ad Galat. 4. historia de Sara & Agar ad duo testamenta applicatur.

Allegoria historiæ.

2 Facti allegoria est, vt Samsonis qui ducit alienigenam, & morte sua tãdem oppressit hostes suos, ad Christum accommodatur, qui Gentium Ecclesiam assumpsit & moriens deuicit Satanam. Ita Ezechiel volumen iubetur edere, & in vno latere diebus multis recubat: ac in laterculo depingit vrbem Ierusalem: quæ manifestam habent allegoriam.

Facti.

3. Sermonis allegoriam intelligo, cùm in sententiis quæritur, & verbis simplicibus, quæ factum & historiam non habent. vt quòd Christus dicitur Agnus, dicitur Ianua, Via, Vitis, Lapis angularis, Petra, Leo, &c. in his enim sermo proprius habet absurditatem manifestam, ideóque ἄλλο τὸ νοούμενον accipimus, quàm τὸ λεγόμενον verbis exprimat. Sic narratio de vinea. Esa. 5. manifestam habet allegoriam de populo Iudaico. hinc vineæ parabola apud Matth. 21. de ingratis colonis quam in se dici facilè intellexerunt Pharisæi.

Sermonis.

4. Sacramenti allegoria est elegans in agno Paschali. Exod. 12. quam Apostolus nobis digito monstrat. 1. Cor. 5. *Pesach nostrum immolatus est Christus pro nobis.* & Ioan. in Apocal. agni illius perpetuam facit mentionem. Ita in circumcisione suauis est allegoria, quam indicat Apostolus, Rom. 2. Circumcisio cordis est circumcisio, quæ spiritu constat, non litera: & Coloss. 2. *Circumcisi estis, circumcisione non manufacta, dum exuistis corpus peccatorum carnis*, &c.

Sacramenti.

1. Est & illa obseruata varietas in allegoria. Alia enim ex sola historia petitur: vt Petra in deserto ad Christum refertur ab Apostolo, transitus maris ad Baptismum: serpens æneus Christi typum habet, sic immolatio Isaac: velum in facie Mosis, &c.

Varietas in allegoria.

2. Aliam necessitas imponit, vbi narrationis series absurdum aut falsum aliquid infert: vt in dicto Christi, Soluite templum hoc: quod falsi testes malitiosè ad literam torquent, Mat. 26. cùm apud Ioan. 2. explicet scriptura, dictum hoc fuisse de templo corporis sui, absurditatem facilè intelligebant Iudæi, cum dicunt, 46. annis extructum est templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? sic de fermento Pharisaico cauendo, non de panibus quos Apostoli non acceperant: sed de doctrina Pharisaica, quæ fermenti instar inficit, hoc modo cantica canticorum allegoricè de Christo & Ecclesia, multi explicant: quòd videant absurda multa & parum honestis moribus congruentia in literali sensu posita.

3. Alia, cùm sola sit allegoria simul obscura est & ænigmatica: qualis est templi dimensio & nouæ vrbis apud Ezech. 40. Item terræ nouæ partitio secundum Tribus: secundum sacerdotes, Leuitas, ciues & principem nouæ vrbis. Ezechiel. 48. Ænigmatica est visio apud eundem cap. 1. de quadriga & quatuor animalibus. item cap. 10. de quatuor rotis & Cherubim, quę per allegoriam sunt explicanda.

Allegoria ænigmatica.

4. Aliàs, ſcriptura geminatam proponit allegoriam, aut ex allegoria hiſtoriam veram nectit, quæ ſit ad literam explenda, vt Eze. 37. allegoriam proponit de oſſibus reſurgentibus, quæ ſuauis eſt ſignificatio reſurrectionis mortuorum: ſed Propheta ex illa, hiſtoriam futuram inducit, externè implendam, de populo Dei ab afflictionibus reſtituendo, quæ ad conſolationem oppreſſorum Iudæorum accommodat.

Allegoriæ de oſſibus reſurgentibus.

5. Interdum multiplex iiſdem verbis proponitur allegoria. ſic Auguſtinus Dauidis & Goliæ monomachiam de Chriſto expugnante Satanæ regnum interpretatur, & de humilitate fidelium quæ occidit ſuperbiam. Ita apud Moſen. Deut. 22. non veſties te ex lana & lino ſimul, allegoria eſt non miſcendam doctrinam Euangelicam cum Iudaiſmo. Item non miſcenda ſacra prophanis: doctrinam pietatis non cum philoſophia conſpurcandam. Item non oportere duabus ſedere ſellis, non hypocriſin alere in religione, &c.

Ad hunc fermè modum de allegoriæ formis loquuntur, tum prophani ſcriptores, tum etiã Theologi. Sic ergo diuidamus allegoriam.

Duplex in genere allegoria.

Allegoria alia eſt prophana, alia Theologica. Prophanam dico, quæ à Grammaticis & Mythologis in explicandis fabulis ſolet explicari: quo genere interpretationis excelluere Heraclitus Palæphatus, & quidam Charax, vt eſt apud Euſtath. Homeri interpretem: nam cũ manifeſtam viderent ἀτοπίαν in fabulis, medelam adhibuere per ἀναγωγικὴν ἑρμήνειαν, hinc allegoriam dixere antiqui θεράπειαν τῶν μύθων διὰ ἱστοριῶν, fabularum medicationem per hiſtorias: nam fabulas ad hiſtorias interdum heroũ applicant: aliàs, ad mores aut naturam reducunt. Inde enata eſt allegoria fabuloſa ἱστορικὴ & ἀναγωγικὴ, poſteri allegoriam hanc fabularum triplicem eſſe conſtituerunt.

Cœlius. lib. 10.

Φυσικὴν, cùm ad naturam accommodatur fabula, & in natura cauſæ demonſtrantur, vt quòd Homerus deos pugnantes inducit de elementis interpretantur. rectè enim Neptunus aquam ſignificat, & Sol ignem, qui in acie Troiana contrarij ſunt dij. Sic Martis & Veneris adulterium ad harmoniam mundi, in qua eſt diſcors concordia rerum.

Diſcors concordia rerũ in harmonia mundi.

Ηθικὴν quando ad mores fit relatio, fermè eſt τροπολογία, & quòd Pallas à Marte diſſidet, rationis contra appetitum pugnam ſignificat. ſic Latona à Mercurio diſſidet, hoc eſt, memoria ab obliuione. ſic Argi fabula hominem perſpicacem & πολυπράγμονα ſignificat: & aſini aures habere dicitur, qui audiendis viris doctis expleri non poteſt.

Αναγωγικὴν, quem Cœlius θεολογικὴν dixit, placet tamen diſtinctionis gratia ἀναγωγικὴν dicere, nam fabula ad diuina reducuntur, & nomina ipſa deorũ allegoricè explicamus, vt ζῆνα vitæ ducem ζωῆς χορηγόν, Deum vitæ authorem, Δία verò omnia adminiſtrantem Deum διὰ πάντα φοιτῶντα: quia Deus omnibus adeſt rebus ſua potentia, qua ſeruantur. Sic Rhea & Saturnus qui deuorat filios Rheæ: typus eſt temporis, quod cæli motu deſcribitur, ac genita ſemper abſumit.

Saturnus deuorat filios Rheæ.

Sic fabuloſæ explicantur allegoriæ, phyſicè, ethicè, & anagogicè, qui ordo eſt directus quo à fabulis ad doctrinam proceditur: alius obliquus, quo à fabula ad hiſtoriam rei geſtæ fit progreſſus: fabulæ enim ex hiſtoria aliquando ſubuenitur, vt quòd Lycurgum tradunt fabulæ Baccho inſidiatum eſſe, qui fugiens à Thetide ſit conſeruatus, fabula ex hiſtoria eſt. Nam Lycurgus vites excîdit, quia hominum deteſtabatur ebrietatem, tandem cùm vini κρᾶσις eſſet reperta, ſeruatur vinum, remedio ebrietati conſtituto.

Lycurgus vites excidit quia hominum deteſtabatur ebrietatẽ.

Ad prophanas allegorias refero grammaticas etiam allegorias, ſiue ea ſit περιφραστικὴ, quale eſt illud λαΐνον ἕσσο χιτῶνα, indutus es Lapidea tunica, pro ἐλιθάσθης, lapidibus enim obruti, amicti lapidibus videntur. Siue ῥητορικὴ, vt eſt Homericum illud ἴσας δ' ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχον: quod explicans Euſtath. inquit ſignificare victoriam adhuc in ambiguo fuiſſe, id enim eſſe æqualia habere capita, aut quòd corporibus alius alium excelluerit: τῇ δὲ ὑσμίνῃ ἴσας ἔχον κεφαλὰς, æqualia pugnæ capita habens, hoc eſt animas.

Duplices allegoriæ quæſitæ & oblatæ.

Venio ad Theologicas allegorias: quarum vſus eſt in ſacris literis explicandis. Sunt illæ duplices, aut enim adferuntur in ſacras ſcripturas ab interpretibus: aut à ſcriptura ipſa offeruntur. Illas quæſitas appellemus: has, oblatas. Et quæſitæ, interdum locum ſuum tuentur: interdum abſurdæ ſunt: vtriuſque generis paſſim exempla interpretes ſuppeditant.

Locum ſuum tuentur, quæ literalem ſenſum non eneruant, & breues ſunt, vt quòd Chriſtus Marc. 6. binos & binos mittit diſcipulos ad docendum poſt hiſtoricum ſenſum, admittit breuem allegoriam, admoneri binario numero etiam miniſtrum, legitimè vocatis ad miniſterium dari ab ipſo domino animum & vires: concilium & auxilium, iuxta Homeri ſentẽtiam σύν τε δύ' ἐρχομένω. duobus vna euntibus, Verè enim dat Deus & velle & perficere. Sic Hieronymus illud Eſa. 29. Libanus conuertetur in Carmel, & Carmel in ſaltum reputabitur, Libanum interpretatur populum gentium: Carmel Iudęos. Tranſierunt enim gentes in locum populi Dei, & Iudæi redacti ſunt in ſaltum, hoc eſt, in ſterilem & incultum populum.

Allegoriæ. εὔκαιρος. Miniſtris legitimè vocatis, Deus dat animum & vires, conſiliũ & auxilium.

Idem in præfat. in libr. Regum. 24. libros Canonicos veteris Teſtamenti facit. 24. ſeniores in Apoc. adorantes agnum, & coronas ſuas proſtratis vultibus offerentes, &c.

Tales apud Auguſtinum, Hieronymum, Origenem, alióſque interpretes plures reperire eſt, quæ locum commodè tuentur, & doctrinam habent vtilem.

2. Abſurdæ & intempeſtiuę ſunt, quas adferunt interpretes de ſuo, nulla vtilitate, ſed nouitatis

uitatis studio, aut quę etiam euertunt mentem historiæ. Vt qui arcam Noë de Maria virgine allegoricè exponunt. Item Cantica canticorum cùm de Christo & Ecclesia non male intelligantur, aliqui de Maria matre & Christo insulsè explicant. Sic absurdus interdum est Hieronymus in allegoriis, præsertim in virginitate tuenda contra matrimonium, munda animalia in arca Noë confert virginitati: immunda maritatis. Item vasa ad honorem: virgines, vasa in contumeliam, coniugatas: sic fructum illum centuplum in parabola Euangelica de virginibus, vt virginitatis corona primũ gradum teneat: sexagenarius pro labore viduarum in secũdo sit numero: tricenarius fœdera nuptiarum, ipsa digitorum coniunctione testetur, hinc digamiam excludit quasi extra numerum: certè inquit, in bona terra non oritur: sed in vepribus & spinis vulpium. Vnde fluxit atrocius fulmen in maritatam, vt in eo putet se laudabilem, si scortis melior sit: si publicarum libidinum victimas superet: si vni sit prostituta, non pluribus, &c. his similia infinita reperies apud eundem. Absurdæ Hieronymi allegoriæ.

Mar. cap. 6. historia est Ioan. Baptistę, qui ab Herode decollatur, caput illius in lance datur puellæ, quæ illud offerat matri. Historia aperta est, quam ad allegoriã trahit Hieronymi scholion. Caput Ioannis, est Christus, caput legis: quod caput de corpore proprio abscinditur, hoc est, à Iudaico populo, & datur puellæ Gentili, hoc est, Romanæ ecclesiæ, & puella dat illud matri suæ adulteræ, hoc est Synagogæ, &c.

Quis non rideat allegoriæ ineptias? sed scholia in Marcum omnia his similibus allegoriis scatent, vt meritò de authore dubitare queas.

Augustinus tales etiam affert interdum, quas meritò quis ineptas vocauerit, & aliunde in sacras literas illatas. In explicat. Psalm. 33. historia est Dauidis, qui apud Regem, furiosum se simulat, & scribit ad ostium portæ, aliáque facit furiosi hominis, quæ Augustinus omnia allegoricè ad Christum transfert, ac dum omnia accommodare studet, vehementer sudat, & absurda quoque non prætererit. Inter alia de Dauide dicitur *vauthalel beiadam*, hoc est, stultum simulabat sese inter manus illorum, quod Græci verterunt καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, hoc est, ferebatur in manibus suis, hanc lectionem arripit, & ad Christum accommodat, & quia absurdum videt aliquem suis ferri manibus, sic elabitur: ferebatur Christus manibus suis quando commẽdans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meũ: ferebat enim illud corpus in manibus suis, &c. Cùm sensus historiæ apertus & dilucidus sit in Hebræa lectione: stultum simulabat se in manibus illorum, scilicet Regis, non inter proprias manus.

Similia in explicandis Psalmis committit multa ac in Homiliis, &c.

Nolo pluribus persequi allegorias quæsitas & extortas: facilè est videre, quàm facilis sit in his lapsus & quantos pariant errores.

Alterum est genus allegoriæ, quod scriptura nobis sponte & vltrò offert: vt quod Esa. 21. cap. de Babylonis dicit ruina, apertam habet historiam, nam capto Balschazar, impletum est illud, *Cecidit cecidit Babylon*. tamen Ioan. in Apocal. cap. 18. ad casum Antichristi trahit. oblata hæc allegoria igitur est, & inuenta in sacris literis, non quæsita. Christus Mar. 6. virgã concedit Apostolis, & eandem idem Christus apud Matthæum prohibet: itaque non immeritò quæritur allegoricus sensus, quò & virga simul & concedi & prohiberi dicatur. In eodem cap. Christus concedit Apostolis sandalia in viam. & quia Apostolus ad Eph. 6. ait, *Calceati pedibus & parati sitis ad Euangelium pacis*: dat occasionem honestæ allegoriæ, sandalia, paratos & expeditos oportere esse ministros, significare. sic Apostolus. 1. Cor. 10. petram, manna, allegorias facit, admonens historiam populi in egressu multas, & vtiles admittere allegorias. sic Ephe. 5. allegoriam quærit in fide coniugali, quã ad Christum & Ecclesiam applicat: occasionem his & similibus dat scriptura, concinnæ allegoriæ. Allegoriæ in scripturis oblatæ.

Porrò quoties offeruntur allegoriæ, fit id vel perfectè vel imperfectè. Perfecta est allegoria quæ rem explicat, quæ in sermone translato inuoluta fuit. Huc pertinent parabolæ Christi, Mat. 13. In his partes duæ sunt, primum enim est τὸ ὅμοιον, hoc est, τὸ ἄλλο λεγόμενον, vt est semen, agricola, terra bona, mala, deinde est τὸ νοούμενον, ὑπόνοια, hoc est, mens & sententia, vt est verbum Dei, corda auditorum, minister. Imperfectæ sunt, quæ explicatione carent, & ab interprete sunt illustrandæ: vt quomodo casus Babylonis, ad Antichristum spectet. sic Esa. 9. historiam Medicam refert ad victoriam Christi contra peccatum, vbi interpres explicabit quomodo huius rei typus illic fuerit. Perfecta allegoria. Imperfecta.

Diximus de allegoriæ definitione & speciebus: nunc de origine & causis illarum pauca afferamus. Causæ allegoriæ.

Causa igitur allegorici sensus in primis est necessitas: nam proprius sermo, propriis rerum subiectarum constat vocibus: improprius, vbi propria desunt: tum enim necessariò translata admittuntur. Sic allegoria interdum est necessaria, cùm sensus proprius falsus est, aut absurdus, vt in Canticis Canticorum, boni mores non ferunt historiæ sensum: itaque confugitur ad allegoriam, vbi tolerabilis adhibetur verbis sensus. 1. Falsitas

Deinde scriptura sæpe ἀντιλογίας. i. contrarietates habet manifestas, ni mysticus sensus admittatur: vt quòd Christus, Mat. 10. *prohibet baculum & sandalia. Mar. 6. concedit vtrunque*. 2. Antilogia.

3. Sic cùm verba cum exemplo Christi pugnant: & absurdum aliquid inferunt: vt quòd

Christus iubet eruere oculum, abiicere manũ, pedem, &c. odisse patrem, matrem, alteram exhibere maxillam, quod nec Christus, nec Apostoli leguntur fecisse.

4. Præterea cùm historia insipidum habet sensum & durum: mysticus autem naturæ causas magis explicat: vt quod Iacob decorticatas virgas ouibus Labani obiicit: sic Lyæ mandragoræ. In his suauior sensus videtur ex allegoria, quàm ex historia.

5. In primis autem causam & occasionem allegoriis dedit Christus, & Apostoli, qui plures habent allegorias. Christus Ionæ historiam primus docuit esse typicam: Ita serpens æneus in deserto Ioan. 3. explicatur typicè. Visitatæ Christo fuere vt constat, ex parabolis Mat. 13. & Mar. 4. sic Apostolus 4. ad Galat. historiam Sarai & Agar allegoricè explicat, inquiens esse ἀλληγορούμενα. Et Eph. 5. Christi & Ecclesiæ typum magnum quærit in matrimonio. Faciunt huc scripturæ testimonia, quæ sensum mysticum in lege quærunt. Rom. 7. *scimus quod lex spiritualis est*, id est, allegorias multas habet. Gal. 3. *pædagogus dicitur lex ad Christum*. 1. Cor. 13. videmus nunc δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι. per speculum in Ænigmate. 1. Cor. 10. veterum historias typos dicit. 2. Cor. 3. *litera occidit, spiritus viuificat.*

Augustinus lib. 2. contra Manichæos diffusè ostendit non posse vbique scripturam ad literam exponi: quod etiam affirmat D. Hieron. in cap. 29. Esa. *explicans illud Libanus conuertetur in Carmel: & Carmel in saltum reputabitur.*

Quando locum habeat allegoria.

Ex his iam etiam constare potest, quando locum habeat allegoria, nimirum quando id suadet necessitas aut vtilitas, oportet enim allegoriam ex his fontibus fluere, vt vel extorqueat eam necessitas, scil. vt vitetur τὸ ψευδές, ἢ ἀντιλογία. i. absurdum. Vtilitas autem, vt in docendo res illustrent: doceant: ad bonos faciant mores: & fidem alant. D. Hieron. in cap. 8. Ezech. ait in præceptis moralibus non esse opus allegoria, ne iuxta comicum, nodum quæramus in in scirpo: perspicua enim sunt & certam habent sententiam, quæ per allegoriam euanesceret.

Sic vbi manifesta texitur prophetia de futuris, ipsum vaticinium est sui interpretatio: vt quòd Dominus apud Mala. 1. ait contra sacerdotes Israelis, *Munus non suscipiam de manu vestra*: significat quid in futurũ debeat contingere, carnalibus victimis, spirituales successuras.

Hinc reiicit insulsam allegoriam cuiusdam. Esa. 7. qui per profundum & altum, intelligebat allegoricè, τὰ αἰσθητὰ καὶ νοητὰ. i. ea quæ sensu percipiuntur, & quæ mente, virginem autem animam quæ nulla peccati consciẽtia corrupta, potest de se Immanuel, hoc est, nobiscum Deum, hoc est, præsentem Dei generare sermonem, &c.

Nam vaticinium est de virgine paritura filium, in quo insistendum est verbis prophetæ, nec aliud hîc quàm virgo intelligi debet.

In historiis concedi potest allegoria, quæ tamen historicum sensum non tollat. Nam historicus sensus tanquam fundamentum semper manere debet saluus. Sic eleganter inquit Hieron. in cap. 9. Amos, Cùm historiæ habuerint fundamenta: tum spiritualis intelligentiæ culmen accipiant: vt verè Christus de virgine natus sit, verè Lazarum excitarit, verè sit ad tactum sanata illa αἱμόῤῥους: verè in aduentu Domini cæci viderint, claudi cucurrerint: contractæ manus extensæ sint, lepra mundata sit: licet secundùm tropologiam quotidie de anima virginali nascatur sermo diuinus. quotidie peccato mortui, & vitiorum funibus alligati, de sepulchro scelerum suorum iubeantur egredi, &c.

Et in præfatione Esaiæ post historiæ veritatem: spiritualiter accipienda sunt omnia. Verùm ad Christum hic spiritus sensus tendere debet, vnde subiicit, & in omnibus his, quasi sapiens Architectus Paulus Apostolus iaciat fundamentum, quod non est aliud præter Iesum Christum.

Quæsitæ allegoriæ, ad aliquid probandum sunt inualidę.

Sequitur vt de vtilitate quædam subnectamus. Ad probandum sanè, iam in confesso est, eas inualidas esse, quod copiosiùs explicuit August. in epistola ad Vincentium. Habent autem allegoriæ suum vsum, & commoditatem in loco adhibitæ. 1. Etenim certum est allegoricum sermonem, reddere magis attentos animos, quàm si idem simplici proponatur oratione, huius rei conatur rationem afferre diuus Augustinus epistola ad Ianuarium. 119. inquiens quòd animus per similitudines corporales feratur ad spiritualia, ipso quasi transitu vegetetur, & quasi facula ignis agitatus accendatur.

Et hac de causa Christus parabolis admodum est delectatus, vt humanam somnolentiam excitaret.

Deinde piis stimulus additur inuestigandi mysteria Dei, quæ tecto sermonis inuolucro latent abscondita.

3. Plus afficiunt etiam animos, & hærent diutiùs, iuuant memoriam, quasi notæ & signa quibus res continentur, delectant etiam magis intellecta, quemadmodum aliàs etiam labore parta solent esse iucundiora.

4. Margaritæ sic latent porcos, vt audiant & non intelligant, de quo copiosiùs August. de doctrina Christiana.

5. Αὐξητικὰ magis sunt, vt est videre in parabola de filio prodigo.

6. Taxant in obiurgationibus modestiùs, sic Nathan Dauidem increpaturus, parabolam adhibet allegoricam, de rapta oue. 2. Sam. 12. nam prima fronte non intelligitur: ita securiùs auditur.

7. Validiùs concludit & elicit confessionem rei. sic, Nathan Dauideum rem facit & confitentem

centem concludit propria confessione, 2. Sam. 12. Ita Christus irretire solitus est Pharisæos, Mat. 21. mali cùm sint, malè perdet eos: propria confessione damnantur.

8. In confirmando etiam locum habere possunt quatenus conscientiam arguunt, vt de Dauide & Pharisæis diximus: & in dogmatibus allegoriæ, etiam probant: sed illæ quæ in sacris literis expressæ sunt, non quæ ab interpretibus afferuntur, sic allegoria est apud Eze. 37. sed resurrectionem generalem firmiter probat: allegoria est in æneo serpente: tamen Christi intercessionem & meritum confirmat: sic Ionæ typus, resurrectionem Christi probat. Hæc authoritas solùm spectat ad allegorias, quas ipsa scriptura nobis offert: quas autem inferunt interpretes de suo, nullum habent in confirmando robur, &c.

Allegoriæ in scripturis expressæ dogmata probant.

DE OBSCVRITATE MOSAICA ET *totius scripturæ.*

LOCVS LIII.



OBscuritatem in Mose agnoscit D. Apostolus. 2. Cor. 3. sub typo velaminis, quod cùm Moses faciei suæ imposuisset cum populo loquuturus, rectè ad obscuritatem doctrinæ Mosaicæ Apostolus trahit: sed & doctorum virorum passim extant querelæ de obscuritate Legis & Prophetarum, vt videre est apud Hieron. & August. & similes, qui diligentiùs in sacris literis versati sunt. De hac igitur materia iam dicemus, præsertim cùm nemo ex professo hanc quæstionem explicuerit.

Dicemus autem ordine de his capitibus.

1. Primùm, quid sit velamen Mosaicum, & quæ sint illius genera. Deinde vbi locum habeat, hoc est, an in Mose solùm, ánne etiam in reliquis sacræ scripturæ libris. Tertiò, quæ sint illius causæ, & vnde dependeant, à Deóne, an verò à Satana & nobis. Quartò, quæ sint illius commoda remedia, quibus absolutis finem dicendi faciemus.

I. Velamen igitur in Mose definimus ita. Est obscuritas, scilicet literis inhærens, & mentibus nostris innata, qua præditi, finem scripturæ ordinarium, verúmque sensum perspicere non possumus.

Quid sit velamen Mosaicum.

Definitionem probamus ex loco Apostoli. 2. Cor. 3 vbi sub metaphora velaminis, obscuritatem in lectione veteris Testamenti, Iudæis obiicit, Apostolus *κάλυμμα*. i. velamẽ vocat. Petrus *ἐπικάλυμμα* alia significatione dicit. Moses vnde locus hic petitus est, *masue* appellat. Iudæi *Karne habod*, hoc est, cornua magnificentię: sed non est eadem significatio vocis illius. Propriè quid sit velamen notum est, vel ex Mose qui velamen templi, & altaris, & propitiatorij instituit. Per metaphoram autem, symbolũ est subiectionis. qua significatione 1. Cor. 11. dicit potestatem esse in capite mulieris, hoc est, testimonium quòd subiectæ sint maritis suis. In Gen. 20. compensatio est ignominiæ: *Velamen*, inquit Rex ad Saram, *erunt mille argentei, quos dedi fratri tuo.* In 1. Pet. cap. 2. malitiæ prætextum denotat: loquitur enim de libertate Christiana, quæ non debet *esse velamen malitiæ*, hoc est, prætextus scelerum, sed bonis operibus debemus retrudere infidelium obtrectationes.

Hic verò neutrum horum, sed notam obscuritatis significabit velamen. Dicimus autem velamen hoc inhærere, cùm sacris literis, tum animis legentium: quia Apostolus, duplex ibidem constituit: aliud in facie Mosis, hoc est, scripturæ: aliud verò in cordibus legentium. ver. 11. Denique in definitione additur duplex incommodum huius mali, impedit enim vt finem ordinarium non possimus intueri, quem scilicet Moses sua facie respicit, vt enim tecta facies oculos suos aliò dirigit, quàm intuentes obseruant: sic scopus legis alius est, quàm auditores in his verborum inuolucris assequantur. Id efficit velamen interpositum. Deinde impedit etiam ad verum sensum consequendum. Id totum, vt velamen quoque, referri debet ad maiorem partem hominum, qui Mosen legunt & audiunt sine Christo, & quandiu velamen illud manserit. Nam velamine posito, cedunt etiam illius incommoda.

Duplex velamẽ. Simile.

II. Diximus de definitione, & duplici genere obscuritatis, de quibus copiosiùs quoque loquuti sumus in verb. Apostoli explicatione.

Superest vt dicamus quàm latè pateat hoc velamen. Trahimus igitur hoc non solùm ad Mosen, sed ad totum vetus Testamentum: imò ad nouum quoque, adeóque ipsum Apostolum Paulum, qui obscuritatem in lege Iudæis obiicit.

Ac primùm in genere, scripturam veteris Testamenti obscuram esse, hinc inde probatur apud Isaiam 29. *Signatus legitur liber & clausus, vt legi non possit.* Sic in Apoc. 5. *Clausus est liber, solúsque agnus dignus habitus, vt aperiret librum illum.* Oseæ 14. dicitur, *quis sapiens, vt intelligat ista, & quis intelligens?* &c.

In genere scriptura habet velamen.

Et forma loquendi Prophetarum de suis visionibus obscuritatem quandam indicat, vt Obsignare Prophetiam, onus, visio, secretum, mysterium aliquando reuelandum, &c.

Accedunt tot parabolæ, similitudines, ænigmata, allegoriæ, typi, hyperbata, pleonasmi, pe-

ristologiæ, tautologiæ verbi & sententiarum, leptologiæ, macrologiæ, βραχυλογίαι, ἐκλείψεις, quæ omnia & singula per se, sine obscuritate locum in oratione habere non possunt. Taceo phrases & idiotismos Hebrææ linguæ, quos cogimur legere in græca & latinis versionibus. & ab his ne quidem Apostoli abstinuerunt in conscribenda historia Euangelica, & aliis libris Canonicis.

Itaque non frustra Hieron. & August. sæpe conqueruntur de obscuritate interpretum, versionum, & ipsius scripturæ.

Vnde manarit versionũ diuersitas & obscuritas. Nam cum punctis careret Hebræa lingua, singuli legebant quod à præceptoribus didicerant, & hoc ipsum mox vertebant in græcum vel latinum sermonem.

Moses habet velamen. Sed propiùs accedamus. Moses obscuritatem habet teste Apostolo. 2. Corinth. 3. fatetur ipse Moses velamen suum. Exod. 34. quod populus non potuerit ferre radios faciei suæ: ideo ad populum est semper loquutus sub tecta facie.

Si quæras vbi sit illa obscuritas. Respond. in genere, nouam tùm fuisse illius doctrinam de creatione rerum, de lapsu Angelorum, de pœnis peccatorum, de præmiis vitæ æternæ, quæ nulla philosophia satis explicare potest. Adde ceremonias sacrificiorum, quę omnia aliud verbis dicebant, aliud significabant: item tantam præceptorum varietatem. Iudicant Iudæi 613. præcepta Mosi data esse ad populum, quæ eliciunt ex dictione Thorah. His addidere infinita Seniores & viri synagogæ magnæ. Ideo Petrus inquit, nec ipsos, nec patres totum ferre potuisse, & Christus Pharisæus dixit, quòd hominibus imponant grauia onera, quæ illi ne digito attingant. Et sanè grauitas illa, & impossibilitas adiunctam habet obscuritatem, saltem hoc nomine, cur factu impossibilia suo populo Deus imponere voluerit. Expressa enim est sententia legis, *Maledictus omnis qui non manserit in omnib. præceptis libri huius*, at nemo seruauit vnquã ad amussim. Cur igitur data? aut cur omnes maledicti? & quid de sanctis Prophetis, Patriarchis & tot Dei amicis statuemus?

2 Prophetæ velamen habent. Nõ Mosi soli, sed & Prophetis inest sua obscuritas. Deinde velamen hoc, nõ solùm tegit faciem Mosis, sed Prophetarum quoque, adeóq; totũ verus Testamẽtum: quod inde probamus. Apostolus inquit velamen hoc manere in hodiernũ vsque diem in lectione veteris Testamenti, itaque non solius Mosis, hoc est, Legis dici debet, sed prophetis inest sua obscuritas. Inde nomen Oneris illis solenne est. & manifestum est omnẽ sermonem Propheticum obscurũ esse, quatenus futura prædicit. Nam in his adhibentur typi & ænigmata, de Messia, de piis, de Ecclesia, de vita ęterna, quæ lectori facilè tenebras offundunt. Legat aliquis Danielẽ & Ezechielem in postremis capitib. & neget inesse obscuritatẽ. Idẽ dici potest de multis Psal. de locis aliquot in Esaia, Iobo, Ieremia, aliísq; Prophetis.

Euãgelij velamẽ. Noui quoque Testamẽti est aliquod velamẽ, quod Apostolus palã fatetur de Euãgelica doctrina. 2. Cor. 4. *Si Euangeliũ meũ tectũ est, iis qui pereunt tectũ est* Itaque tectum est, hoc est, obscurum saltem impiis quos Deus seculi huius excæcauit, ne illuminaret eos lumen Euangelij gloriæ Christi.

Sed piis etiã multa obscura manent, quæ in hac vita nunquam satis intelligunt, sed coguntur agnoscere altitudinẽ sapientiæ Dei, & profunditatẽ mysteriorum eius, quæ omnia demum in schola cœlesti perfectè cognoscemus. Sic enim ex parte intelligimus, & tanquam per speculum in ænigmate. Quis satis vnquam explicuit negotiũ Trinitatis, incarnationis Flij Dei, λόγον vniri cum carne in vnam personam, & similia? Taceo locorum Euangelij discrepantes intellectiones in quibus reperias apud interpretes, tot sententias ferè, quot interpretes. Denique Apostolus, qui Iudæis obiicit Mosis obscuritatem sub velamine, non caret etiam suo velamento. Id si non aliunde constaret, certè D. Pet. 2. 3. satis astrueret, de quo scribit, *Inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu: quæ indocti parúmque stabiles detorquent, vt & reliquas scripturas, suo ipsorum exitio.* Sed legat aliquis eius epistolas sine impedimento, & dicat nullibi offendisse, nullos incidisse in scopulos & Syrtes.

Statuamus igitur totam scripturam suum habere aliquod velamen, hoc est, in suo genere esse aliquomodo obscuram, adeóque ipsum Paulum obscuritatis censorem.

Causæ obscuritatis scripturarũ. III. Explicandæ iam nobis sunt causæ huius obscuritatis, vt sciamus non pẽdere à Deo, sed potiùs à nostra imbecillitate, & Satanæ imposturis: qui, vt Sophista malitiosus, lectoribus interdum alium sensum suggerit quàm scripturæ author Spiritus sanctus respiciat.

Itaque nõ per se à Deo proficiscitur illa obscuritas, quia lex Dei munda est illuminãs hominem, Psalm. 19. hoc est, aperta & plena per se. Item verbum Dei lumen est pedibus meis Psal. 118 hoc est, perspicua est doctrina honestæ vitæ. Sed & Deus ipse lumen est, synceritas est, perspicuitas est, cui cum tenebris & obscuritate nihil potest esse commune, quemadmodum

Simile. soli cum nocte nulla est societas: sed absentia Solis noctem inducit.

Ita Deus lumen inhabitans, nihil cum obscuritate habet cõmercij. Et Christus Io. 8. inquit,

Tota scriptura per se clara & perspicua est. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ.* Et vt lumẽ est, ita perspicua est tota illius doctrina per se illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.

Moses quoque culpam non gerit huius obscuritatis. Consilium enim eius fuit purè proponere doctrinam his verbis quibus eam à Deo acceperat: nihil his de suo addidit, nihil ademit,

nihil

nihil etiam imminuit. Mansit igitur in tradendo, eadem perspicuitas, qua doctrinam hāc acceperat. Deinde Moses non volens asciuit velamen hoc, sed populi vitio, qui doctorē hunc purum & sine velamine, ferre non poterat. Itaque inuitus sese debuit submittere ad auditorum captum quibus inseruiebat suum ministerium.

Et sanè historia Exod. 34. expressa testatur Mosem non obseruasse faciem suam ita fuisse illustratam ex conuersatione Diuina: sed monitus à populo, velauit faciem locuturus cum populo. reuersus deinde ad Dei colloquium idem velamen remouet, significās apud Deum omnia fuisse perspicua & plana, etiam doctori Mosi: contrà dum venitur in cœtus hominum: carnis infirmitas hanc lucem cœlestis doctrinæ puram ferre non potest.

Expositio Mosaici velaminis.

Diximus quæ non sit vera causa. Culpam à Deo, Mose, sanctisque Prophetis & Apostolis remouimus. Monstranda igitur est tandem vera causa.

Hāc nobis mōstrat. d. Apost. 2. Cor. 4. Deum seculi huius obscurare Euangelium in impiis ne illuminet eos, Is est rex tenebrarum, qui fugit lucē, obscuritatē amat: hinc & callidus sophista verbum Dei corrumpit falsa interpretatione. Exemplum habes in serpente, qui præceptum Domini per se dilucidum & clarum corrupit, contraria efficta sententia. Perspicuum erat præceptum Domini, *Morte morieris quo die comederis de ligno scientiæ boni & mali*: Serpēs suspicionem iniicit falsi. *Nō moriemini: sed eritis Deo similes*: hoc astu deinceps sæpe est vsus, Corrumpit ipse primum in animis hominum perspicuitatem verbi Dei dubitatione, ambiguitate & similibus cogitationibus excitatis. Deinde omnium plenissimè hoc præstat per organa sua, homines malitiosos qui corrumpunt simplicitatem verbi Dei & sensum adulterant: qua in re mirabiles fuerūt Iudæi, & inter illos Pharisæi & Sadducæi pro suo arbitrio luserūt in scripturis: adeóque totus seniorū ordo: quos postea correxit Dominus Christus. Matth. 5. populum ad antiquam simplicitatem reuocās. In hac palæstra studiosiùs eos mox Satan exercuit, cùm vident Christi regnum dilatari multa testimonia prophetica de Christo manifestiùs loquentia audacter corruperunt, quale illud insigne fuit in Esa. 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus: quo loco Galatinus testatur olim scriptū fuisse, Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sāctus Spiritus sanctus, & sic rabinos explicare, & tergū à se visum Licij vetusti exemplaris, quod adhuc ita legebat hunc locum. Corrumpendi scripturam modos plures habuerunt. Primùm enim pūctis mutatis, noua poterat haberi lectio. Deinde literis permutatis, iterum noua emergebat sententia: item dictionibus mutatis, denique planè sublatis ex contextu, aliisque modis, de quibus si placet, consule Galatinum.

Satan vera causa obscuritatis scripturarū.

Iudæi corruptores & artifices obscuritatis.

Sub Christianismo id conatus est per Hæreticos: nam & isti variis modis simplicitatē verbi corruperunt, dum singulis suis opinionibus patrocinium quærebant ex doctrina Christi. Alij Euangelium Ioannis repudiarūt: alij Paulinas Epistolas: alij pro his alios subiecerunt adulterinos libellos: alij aliquid adimere conati sunt: vt principium Euangelij Ioānis: quædam capita ex epistolis: sic facta est illis scriptura obscura non suo vitio, sed legentium affectu: nam obscuritatem secum importabant, & laqueos quos in scriptura non inueniebant induxerūt suis commentis.

Hæretici corruptores scripturæ.

Idem dici potest de iniuria librariorum, quorum vitio interdum mendosa habuit exemplaria Ecclesia. Et hodie sæpe in bonis authoribus oscitantia, librariorum næui obrepūt, qui sensum impediunt. Id satis accidisse probabile est: & horum negligentia non minùs vtitur Satā, quàm hæreticorum vigilantia. Nam corrumpi simplicitatem scripturę & perspicuitatem vnicè quærit, quomodocunque id fiat.

Deinde nos quoque causa sumus obscuritatis, nam obscura dicitur respectu alterius. Iam verò scriptura nō potest dici obscura respectu Dei, cui nihil est, aut dici potest obscurum, nec respectu Angelorū. Superest ergo vt quicquid obscuri habeat, id nostri respectu sit, nec solū quod impios attinet, sed pios quoque. Nā his, quanquam Dei oracula per fidem sunt illustria: attamen eos multa ignorare fateri debēt, Quare ignorantia nostra & caligo mentis causa est: quia non capit Dei oracula purè, qualia sunt. Caligat enim per se mens humana ad diuina, non minùs quàm noctuæ oculi ad Solem meridianum.

Quicquid habet obscuri scriptura id nostri dicitur respectu.

Has tenebras sancti etiam fateri coguntur in hac vita: quas dum afferimus ad scripturæ lectionem, nō mirum est si obscuretur in animis nostris. Postea accedit, sensuum stupor, qui de absentibus non iudicat, nisi coniectura quadā, ideo bona promissa nō capit sine illuminatione Spiritus sancti. Pauci sunt qui pollent plena plirophoria fidei, ideo bona cœlestia qualia sint, per vmbram & speculum, vix concipimus: olim in schola cœlesti, remoto omni velamine coràm contemplaturi res veras, *Homo animalis non capit quæ Dei sunt*.

III. Tertiò, scripturæ tractatio, nos quoque ad obscuritatem nondum renatos facilè inuitat, vt id intelligamus, expendi debent res & phrases scripturæ. Res ferè externæ sunt, qualis est politiæ forma admodum speciosa in populo Iudaico: terra promissionis: ceremoniæ legales: cultus veri Dei vni loco alligatus: populus vnus adoptatus: templum vnum pietati dedicatum: ordo sacerdotalis perpetua successione firmus: quæ omnia sic in Scriptura proponūtur, quasi semper mansura, si populus in obseruantia mandatorum Dei perstiterit. Ac-

Scripturæ tractatio.

cedit moralis disciplina: Iustitia ciuilis honestissima, adeo vt omnium bonorum meritoria haberi possit: In hæc externa homo non renatus facilè rapitur.

Phrasis verò scripturæ hoc est, verba tam simplicia: quàm côiuncta accômodata sunt hominis ingenio. Interim de Christo sæpe loquitur, attamen inuolucris illum tegit certo Dei consilio. Et de externis omnia prope intellecta esse, testantur Iudæi Christi seculo, qui de Messia nihil quàm carnale somniabant: imò Apostoli diù cum Christo conuersati, adhuc tamen regnum externum, liberationem carnalem, & similia somniabant. Terrena omnia meditabantur, sabbathum, pascha, circumcisionem, &c.

Aug lib 12. contra Faust. Manic. tit. 6.

In nouo Testamento, illa quidem bona ex parte sublata sunt: quia Christus & Apostoli docuerunt omnia ad æterna esse reuocanda: attamen sua nobis restat in his tam rebus quàm phrasibus obscuritas, quam nobiscum ad eius lectionem importamus.

Hactenus de causis efficientibus, Satana, nobis innata cæcitate, & scripturæ phrasi. Addamus nunc de fine & consilio Dei, qui ista omnia sic voluit concurrere.

Consiliũ Dei & finis in obscuritate scripturæ.

I. Ac certum est Dei côditoris longè aliud fuisse consilium quàm Satanæ: hic perniciem hominis quærit at: Deus autẽ salutem electorũ. Velamen igitur admonebat aliã esse aliquando expectandã doctrinã quæ esset illustrior. Proinde Moses Deut. 18. olim Prophetã promittebat, *quem essemus audituri*, & Ieremias aliam legem, *quæ eßet scribenda in corda hominum.*

II. Deinde admonebat illa obscuritas in his ceremoniis nô esse semper hærendum: sed esse quædam tyrocinia ad Christum deducentia. Præsentia illa exercitia talia esse ad quorum intellectum nunquã essent peruenturi, quantò enim accuratiùs expendebatur lex, tantò profundior reperiebatur. Hinc stimulus debuit esse diligentiæ, obscuritas enim facit, vt pulsemus, quæramus, & petamus: somnolentos excitat. Itaque nostro magno bono multa lecta reliquit in scripturis Deus, quò esset materia exercitationis honestæ.

Remedia ad tollendã obscuritatem.

IIII. Côмoda remedia obscuritatis sunt illuminatio, quæ impetrãda est à Deo. Id probatur ex loco Apost. 2. Cor. 3. aboleri velamen, vbi ad Christũ fuerit cor conuersum: inde ad Heb. 6. dicitur, *Per spẽ nos ingredi vsque ad ea quæ sunt intra velum*, hoc est, ad arcana Dei, hoc remedium Christus explicat apud Ioan. 3. cum Nicodemo disserens.

Literæ velamen tollitur per idoneos interpretes, qualis in primis fuit D. Christus: qui corruptas & nebulas legis à Senioribus inductas, diligenter coërcuit suis côcionibus. Exemplar eius habemus. Mat. 6. Hunc sequuti Apostoli legem & Prophetas suo candori restituerunt, & lucem intulerunt his obscuritatibus, præsertim oraculis quæ de Christo loquuntur, de redemptione humani generis: de peccato: de iustificatione: de vita æterna: de pœnis dãnatorũ: de quibus omnibus magnæ erant tenebræ apud expositores Iudæos. Paulus sanè suis scriptis has nebulas diligenter discussit in omnibus suis Epistolis. Philippus Act. 8. Eunucho discussit obscuritatẽ in Isaia, Petrus Cornelio Act. 10. Ioannes Bapt. suis auditoribus. Eadem ratio est noui Testamenti, cui lucem attulerunt boni interpretes: vt vix supersit locus obscurus, qui non diligenter excussus sit à diuersis.

Ingens est Dei beneficiũ idoneos habere sacræ scripturę interpretes in ecclesia.

Ac ingens est beneficium Dei, si relinquat in Ecclesia sua aliquos idoneos interpretes Sacræ scripturæ: his enim sublatis, in caliginem adducitur Ecclesia: quod accidit patrum memoria.

Deinde priuata diligentia in legendo, aptissimum est quoque remedium. Nam obscura sæpe relecta, iterúmque pensiculata, tandem lucem aliquam admittunt. In his sequimur vt plurimum authoritatem, dum obscurum locum per minùs obscurum interpretamur: authoritatem meritò damus loco aperto. Aliàs, sequimur rationem, quę & ipsa sæpe môstrat viam explicandi nodos difficiles: qualis est ingeniosa resolutio antecedentium & consequentium diligens consideratio: circunstantiarum censura, &c.

3. Linguæ.

Pertinet huc etiam linguarum notitia: qua instructi, rectius iudicare possunt de phrasi Scripturæ: quam dum adhibemus, plus lucis afferimus, quàm integra commentaria euoluendo.

4. Methodus.

Methodus quoque perutilis est: nã ista monstrat ordinem in disputationibus grauioribus. Ostendit statum quæstionis, rationes, argumenta, & quæ sint parerga, quid ex quouis sequatur, & rectè concludi possit. Id dum non obseruant interpretes, sæpe extra oleas saltant. Itaque amemus methodum dialecticam, tãquam venatricem veritatis, vt eam vocat August. his addamus assiduas preces, vt Deus nobis aperiat oculos nostros vt in scripturis sanctis cum timore Domini versemur: illas ad Christi gloriã tractemus, & veritatis studium, non victoriam histrionicam quæramus. Ista si concurrunt, dubium non est, quin Dominus scripturam nobis apertissimã & planissimam sit facturus, quæ malitiosis lubrica est: mare enim est in quo camelus natat & agnus peditat.

DE AB-

DE ABROGATIONE LEGIS.

LOCVS LIIII.

PLausibilis est in mundo quæstio de abrogatione legis: quẽadmodum in populari statu conciones sunt fauorabiles de immunitate tributorum, de isonomia bonorum,& honorum, volunt enim homines mundani, non solùm vt liberè viuere, sed cuperent etiam sine metu pœnarum, & reprehensione legum in peccatis viuere. Itaque diligenter explicanda est & perspicuè legis abrogatio, vt intelligant prophani homines non defendi sub hoc titulo Epicuri vitam, ac mores, nec induci Atheismum, imò totam hanc quæstionem ferè ad pios,& electos pertinere solùm, cùm impij sub legis disciplina semper maneant, mansurique sunt. Breuiores tamẽ erimus, quia negotium hoc ab aliis copiosè tractatum est, & à nobis aliquoties repetitum.

I. Quomodo abrogatur lex? Respondeo, non vno modo abrogari. Primò enim abrogatur Lex, quæ antiquatur, hoc est, aboletur, vt nec obedire teneamur, nec vlla pœna transgressorem sequatur: hoc modo antiquatæ sunt leges ceremoniales, hoc est, in totum sublatæ. Cùm enim mutatur Reipublicæ forma, multæ leges tolluntur, aliis subinductis, pro statu Reipublicæ, vt Romæ mutata politia in Monarchiam, tribunorum leges abrogatæ sunt. *Multis modis abrogata est lex.*

Deinde abrogatur lex, cùm pœna saltem mutatur: obedientia manente: Sic lex de furto abrogata est, hoc est, pœna de restitutione sublata grauior successit, & lex de adulterio mutata est leuiori pœna admissa. Sic Christus legem noluit abrogare, imò nec pronunciare quidem de adultera punienda. Nõ venerat enim iudex vt Magistratus terrenus.

Tertio loco vis legi adimitur, vt damnare non possit, etiam si ad amussim per omnia non seruetur: pœna in alium translata tum quidem dicitur reo abrogata, quia vires suas in reum non potest exercere, alio persoluente pœnas. Sic Christus dicitur abrogasse legem, cùm ipse soluerit pro electis λύτρον. h.e. pro his mortuus sit, vt iustitię Diuinę satisfaceret, adeo vt electi damnari non possint secundum illam legem. *Maledictus quisquis non seruauerit omnia praecepta libri huius.*

Ad hunc modum de abrogatione legis loquitur Apost. ad Eph. 2. vers. 15. *inimicitiam in carne sua, legem mandatorum in dogmatibus abrogauit.* Et ad Col. 2. *chirographum nostrum sustulit è medio, affigens illud cruci*: significans electos morte sua pœnis omnibus liberatos, satisfactione plena præstita, & chirographo deleto.

Quarto abrogatur lex, cùm debilitatur & eneruatur à transgressoribus, hoc est, licenter peccatur in leges, nec iusta pœna castigantur. Hoc pacto soluere leges est, vt Dauid soluit legem, *Non mœchaberis*, item illam, *Non occides*. Salomon legem, *Non habebis deos alienos coram me*, &c. Sic impij vita & moribus abrogant leges optimas quantum in ipsis est. Hoc modo de legis abrogatione loquitur Christus, Matt. 5. docet enim illic in piis requiri necessariò bona opera. His mox confirmandis subiicit vers. 17. *Ne putetis me venisse καταλῦσαι τὸν νόμον, soluere legem: Non veni vt soluam legem sed vt compleã.* h. e. Non veni vt inducam ἀταξίαν. i. confusionẽ contra bonos mores, sed vt eos potius confirmem. Ideo vers. 20. subiungit: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Pharisæorum & Scribarum, non ingrediemini in regnum cœlorum.

Cùm igitur Christus dicitur abrogasse legẽ: non intelligi debet abrogatio talis, quæ bonis moribus obsit, aut quæ pœnas temporales aliis subrogatis mutet, sed abrogauit tanquam finis legis, & completor in aliis legibus, sublata obedientia, in aliis etiam pœna, in omnibus autem generaliter iure & authoritate condemnandi electos.

Quærunt igitur hic, an tota lex Mosaica sit abrogata per Christũ? Respondent alij, totam esse abrogatam, rationem afferunt quia totus Moses cesserit Christo. Verùm non animaduertunt id inde non effici: non enim eodem modo cedit legislator & lex, cùm non sit necessum omnes leges cum latore mutari, etiam mutata Reipub. forma. vt Romæ multæ leges manserunt saluæ, etiam mutata Reip. forma. Deinde quod leges ipsas attinet, non eodem pacto omnes à Christo sublatæ sunt, adeo vt ne sublatæ esse possint dici. Itaque distinctiùs loquuntur, qui dicunt non totam esse abrogatam, quia inquiunt, morales abrogatæ non sunt: itaque examinandæ sunt legũ Mosaicarum species, vt certò cõstet quomodo singulę sint antiquatæ. *Tres legum ordines apud Mosen quarum duæ scil. ceremoniales & forenses sunt abrogatæ.*

Tres sunt apud Mosen legum ordines: sunt enim Ceremoniales, Forenses, & Morales. Ceremoniales & Forenses abrogatæ sunt, quia pertinebant ad Remp. Mosaicam propriè, nec forma his stantibus aboleri poterat. Itaque simpliciter abrogatæ sunt, vt nec obedientiam his legibus debeamus præstare, nec pœna aliqua alia constituta sit contrà facientibus. Sic Christus inquit, Matth. 11. *lex & Prophetæ vsque ad Ioannem.* item Luc. 16. Itaque intelligo locum ad Gal. 3 *Lex pædagogus fuit ad Christum*, hoc est, ceremoniis illis, & tota illa Mosis politia adum-

bratus est Christus ad quem manu nos ducit, eóque exhibito cessit tota illa pædagogia, quemadmodum vmbra cedit & typi, exhibito natiuo corpore. Et Act. 15. *Apostoli* pronuntiant legem esse intolerabile onus, & minimè imponendum fidelib. quod de ceremoniis imprimis intelligi debet. Sic 2. Cor. 3. lex opponitur Euangelio eo respectu, quod illa sit aboléda, hoc verò firmum maneat quod de ceremoniis pronúciauit, nihil inquinare hominé, nisi quod egrediatur de pectore illius, & Heb. 7. Apostolus ostendit ex translatione sacerdotij, consequi legis quoque translationem, hoc est, abolita forma sacerdotij Aaronici, aboleri quoque leges ceremoniales, vt sit tam noua lex quàm nouus Rex & Sacerdos Christus: non secundum Aaronis sed secúdum ordinem Melchisedec. Huc facit typus ille illustris quod in morte Domini, templi velum ruptum est ab imo ad summum: Hoc est, interstitium, quo gentes à Iudæis erant separatæ, sublatum est: quod ad Eph. 2. quoque explicatur. Septum autem hoc positum erat in Ceremonialibus & forensibus: ideo has præcipuè abrogauit Christus.

Velum templi ruptum, legis abrogationé significauit.

Lex Moralis non est abrogata vt ceremonialis.

III. Moralis quomodo est abrogata? Non est abrogata, vt Ceremonialis: nam Morali debemus obedientiam, cùm Ceremoniali non debeamus. Deinde pœnæ temporales etiam manserunt in moralibus, cùm illic sublatæ sint. Præterea moralis disciplina impios æternis pœnis constringit, quamuis electos damnare non possit, si ad amussim non præstetur. Et est lex Moralis nihil aliud, quàm æterna Dei regula & immutabilis, præcipiens facienda & prohibens contraria. Itaque aboleri non debuit. Infusa est etiam hominum mentibus, vt tolli non possit, quemadmodum discrimen honestorum & turpium. & Christus inquit. *Non veni soluere legem, sed implere.* Matth. 5. vers. 17. hoc est, Non tollo bonos mores, sed illos potius confirmo, & stabilio & impleo meo exemplo: satisfacio etiam toti legi morali perfectè, præterquam quod ceremonias typicas compleo, & ad Rom. 3. *per fidem inquit stabilimus legem*, non tolli.

Itaque lex Moralis mansit hoc sensu inuiolata, manebítque ad finem seculi, quia semper manet Dei iudicium contra scelera inuiolabile. Attamen verum est quod *iusto non sit lex posita*. Dicamus igitur quid in lege morali quoque sublatum sit, lex ipsa non potest dici sublata, attamen vis eius & authoritas, quia maledictio illi adempta est, hoc est, non possit damnare pios, vt prius Gal. 4. *Christus nos redemit ab execratione legis*, & Galat. 4. *vt eos qui sub lege erant redimeret.* Itaque redemit nos Christus, λύτρον soluendo pro tota lege, etiam pro Morali, cui nemo satisfaciebat, ideóque damnabat omnes: ab hac authoritate legis seu imperio rigido nos liberauit Christus. *vt nulla sit condemnatio his qui in Christo sunt.*

Lex moralis quodammodo est abrogata.

Deinde quia hæc authoritas legis fracta est, sequitur etiam hoc, quod sub illa quidem detineamur, non vt rei & noxia mancipia, sed liberi, quibus pœna æterna non sit nobis metuenda.

Et hoc quoque vt disciplina illius non inuitos premat nos spontaneos, & vltro currentibus addat calcar. Contrà, impios premit inuitos & contra luctantes, transgressores etiam pœnis æternis constringit: pij, Domini Spiritu reguntur, & sponte faciunt quæ legis sunt. Hoc sensu dixit Apostolus, iusto non est lex posita, quatenus scilicet iustus est, eatenus spóte facit: idé facturus si nulla extaret lex scripta, sed in iustis posita est, vt ibidé docet Apostolus.

IIII. Sed quare est abolita? vitiúmne fuit in ipsa lege abolenda, an in personis quibus data erat? Respond. lex per se iusta & sancta bona fuit, imò etiam perfecta, adeo vt si in homines idoneos incidisset, qui illam ritè seruarent, eosdem quoque summè beatos redderet, donaret vita æterna & immortalitate beatissima. Interim tamen est abolita non suo, sed nostro vitio: nam infirmitas hominis tanta fuit, vt legis rigori per omnia non potuerit satisfacere, ideo sanctissimi quoque sua ignorauerunt peccata, & Iob, ait, ne puerum vnius diei mundum esse coram Domino. Cùm igitur Deus vellet suos ad vitam æternam destinatos à peccato liberare, necesse erat vt abrogata lege per aliud medium eosdem perfectos redderet.

Cur oportuerit quodammodo legé moralé abrogari.

Deinde est & illa ratio, quod Deus legem nō aliter dederat, quam vt ad tempus solum duraret, non semper debuit durare: igitur par fuit vt aboleretur. Hæc dispensatio clarè prædicta est, ab Iere. 31. vt promittit Dominus *nouam legem quæ non vt illa prior in deserto patribus data sed in scripta cordibus, & quam non transgrederentur.* Et Esa. 2. *promittit nouam legem ex Sion & Ierusalem, cū prior ex Sinai prodierit.* Agnoscūt hoc etiam Iudæi veteres, qui per legem Messiæ, aut quandam legem Mosis docuerunt. Sex enim data est, inquiunt, propter venenum serpentis quod peruasit Adamum in transgressione. Messias autem veniens, hoc venenum tollit, superest igitur vt illius aduentu etiam lex Mosaica tollatur. Sublata enim causa tollitur etiam effectus, & rectè quidé illi ratiocinantur.

Rom. 8. v. 1.

V. Quorum igitur respectu abrogata est lex, hoc est, ad quos pertinet beneficium Christi tollentis, & complentis legem? Ad pios & electos tota hæc quæstio pertinet. Nam illorum respectu, impleta est lex in Christo, & sublata. Nam notanter inquit Apost. *Nulla igitur est condemnatio his qui sunt in Christo Iesu, his qui non secundum carnem sed secundum spiritum viuunt*, hoc est lex qualiscunque tádem sit, hos damnare non potest in conspectu Dei. Huc pertinet quod de abrogatione legis disserit Apost. ad Eph. 2. v. 15. τ νόμον καταργήσας. Etenim ἀργεῖν

&

& καταργεῖν, eneruare, irritum facere, viribus ſpoliare. Itaque ſenſus eſt, legem ſuis viribus priuauit, & authoritate ſpoliauit. Erat autem eius vis & authoritas, damnare tranſgreſſores. Hactenus igitur abolita eſt, vt electos non poſſit damnare. Sed quia lex hac poteſtate ſpoliari non poterat, niſi prius etiam iræ Dei ſatisfaceret, Ideo dixit quoque Chriſtum ſuſtuliſſe τὴν ἔχθραν, nam ex hoc beneficio fluit illud poſterius de abolita lege. Itaque illic notãda ſunt duo Chriſti beneficia diſtincta, abolere ἔχθραν, & τὸ νόμον. inimicitiam & legem abolens. Vtrunque eodem verbo concludit τὴν ἔχθραν, & τὸ νόμον τῶν ἐντολῶν καταργήσας. Addit etiam organicas cauſas, inimicitiã ſuſtulit in carne ſua. quod mox interpretatur, διὰ τοῦ σταυροῦ per crucem, legem autem ſuſtulit ἐν δόγμασι. i. in præceptis. h. e. minoribus ſubſtitutis Legibus. Hic mihi placet ſenſus. Non ignoro interim quid alij hic ſequantur, qui dogmata ad legem referũt quia lex in dogmatibus poſita: ſed non obſeruant iidem, ſe confundere duo Chriſti diſtincta eneficia, quæ præſtat diligenter inculcare hominibus, inimicitiam ſcil. Dei ſublatam, & legẽ. Sic ad Cor. 2. 14. beneficium hoc ſublatæ legis diligenter proponit. Chirographum in genere vocat, confeſſionis noſtræ obſignationem, qua nos reos mortis, & legis debitores fatemur. Talis obſignatio erat apud Iudæ quòd in dies offerrent pro peccatis oblationes, reipſa fatentes ſe legis eſſe debitores. Talia erant etiam Ethnicorum beneficia, quibus deos ſuos volebant placare. Hoc igitur chirographum Chriſtus ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου. ſuſtulit è medio. *Er hat es dennen gethon*, ἐξαλείψας delendo, *Er hat es zerryſſen.* Modus enim eſt quomodo è medio ſuſtulerit. Item προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ. cruci illud clarus affigẽs, *hatt es, en deß kruitz gehẽkit.* Emphaticis plane verbis, ſignificans legis vim ita fractam, vt ipſe filius Dei, in cruce, ſpoliatus eſt viſus omnibus viribus, & ſubactus à morte in ſuam poteſtatem. Sed hoc totum ad electos pertinet. Impius mundus adhuc viuit ſub diſciplina legis rigida, quam quoties præuaricantur, toties ſibi conciliat mali iudicij conſcientiam, & æternas pœnas. Viuit etiam ſub metu perpetuo, ne tẽporales incurrat pœnas, quia exempla habent quotidiana, quibus Deus declarat irã ſuã etiã tẽporalẽ contra facinoroſos. Itaq; impiis & non renatis Pædagogus adhuc manet, ligantur inuiti ad legis obedientiã, quam ſpontepræſtant pij. Deinde eoſdem reipſa damnat lex efficaciter, dominium, ius, & authoritatẽ plenã in eos retinuit, quos vt mancipia ſuo tẽpore in æternum pœnarũ præcipitat piſtrinum, vbi fletus eſt, & ſtridor dentium.

Vbi legis eſt damnare trãſgreſſores.

Oblationibus pro peccatis, Iudæi ſe legis debitores fatebãtur.

Nos Chriſti agnoſcamus beneficium, & Deo Patri per Filium ſeriò agamus gratias, curemúſque quoad fieri poteſt, vt pro tantis beneficiis nos Deo minimè ingratos exhibeamus: quod fiet ſi profeſſionem noſtram vita & moribus ornare quàm diligentiſſimè pergamus, Amen.

DE SABBATHI OBSERVANTIA.

LOCVS LV.



Abbathum, Greci ἀνάπαυσιν, Latinè quietẽ, appellare poſſumus, eſt enim vox Hebrea, apud quos *ſchabat* dicitur quies. Et quia ſeptima die à creationis exordio, Dominus quieuit, in rei memoriam, dies ſeptimus Sabbathum dicitur. Sic ab euentu nomen reperit, diebus enim ſex, creatio rerum eſt abſoluta, & ſeptimo ab opere quieuit Dominus, Gen. 2. verſ. 2. & 3. Et abſoluit Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & quieuit die ſeptimo ab omni opere ſuo, quod fecerat: & benedixit Deus diem ſeptimum, & ſanctificauit eũ, quia in eo quieuit ab omni opere ſuo, quod creauerat Deus, vt faceret.

Nomen Sabbathi.

Hinc Græci & Latini Sabbathum appellãt diem quietis, quem Gentiles diem Saturni vocabant, ac eundem etiam quieti conſecrarunt, quòd putarent ciuilibus actionibus bellicíſque negotiis ineptum eſſe, contemplationibus verò idoneum: ideóque hoc die, diuinum patrocinium implorandum contra diſcrimina & ἀτυχήματα infortunia. Inde σαββατίζειν Græci Theologi & Iudæi, dicunt feriari à laboribus ἀναπαύειν quieſcere. Et σαββατισμὸς, quies illa populi Dei æterna, de qua Apoſtolus ſcribit ad Hebr. 4.

Diẽ ſabbathi Gentiles vocarũt diem Saturni.

Non ſatis commodè Sypontinus ait Sabbathum Iudæis dici diem ſeptimum, quia apud eos Scheba ſeptem ſignificat: nulla enim eſt cognatio vocum apud Hebræos, cum *ſcheban* ſeptẽ denotet: *ſchabat* vero ſit ſabbathum, hoc eſt, quies, quæ voces ab eadem radice non promanant.

Græci etiam quidam, inter quos eſt Plutarchus, non rectè vocem σαβάζειν ſumunt. Eſt Græcis σαβάζειν εὐάζειν tripudiare, exporrigere frontem, genialiter viuere: & quia Iudæi ſabbathis lautiùs viuere ſolebant, & hilaritatem præ ſe ferre, etiam lege præceptam: hinc Græci à σαβάζειν Sabbathum ortum eſſe dixere.

Sabbathis hilaritatem præ ſe ferebant Iudæi lege præceptam.

Plutarchi verba lib. 4. Sympoſ. illa ſunt, Οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. σάβους γὰρ καὶ νῦν πολλοὶ τοὺς βάκχους καλοῦσι. Arbitror autem ferias Sabbathorũ non omnino abſurdè vocari. Nam multi etiamnum Sabbos vocant Bacchos. Et mox,

αὐτοὶ δὲ τῷ λόγῳ μαρτυροῦσιν ὅτι σάββατον τιμῶσι, μάλιστα μὲν τινειν καὶ οἰνοῦσθαι προσκαλοῦντες, ἀλλήλους. Ipsi vocabulo testantur se Sabbatum venerari: Sabbathis enim se mutuò inuitant ad largius bibendum.

Verùm, Sabbatho Iudæorum nihil commune fuit cum Sabbis bacchi sacerdotibus & menadibus: nec Sabbathum à σαβάζειν defluxit: sed contra σαβάζειν a Sabbatho videri potest descendisse. Cùm enim gentes malè æmularentur veram religionem & Dei cultum, vt res, sic etiam nomina deprauarunt: Sabbathi vsum mille modis deprauarunt idolis suis feriando. Nomē etiam ad lasciuam & ridiculam significationem detorserunt, in quo tamen mansit aliquod vestigium antiquæ originis, ad quam serò tandem Gentes redire debuerunt.

Definitio Sabbathi.

Diximus de origine vocis simul & rei: ex quibus constat, Deo authore fuisse institutum. Gen. 2. qui diem Sabbathum confirmauit postea per Mosen. Exod. 20. 31. 35. Deut. 5. alijsque locis passim in Prophetis. Est autem Sabbathismus laborum certo tempore intermissio, à Deo instituta, ad memoriā cōditi mūdi, & exercitiū pietatis faciēs. Alij breuius dicūt: Est quies qua Deo adhæremus, relictis negotiis secularibus.

Definitio authorem Deum exprimit. Ratio ex institutione sumenda est, quæ causas finales indicat.

Finis Sabbathi duplex.

Ac finis Sabbathi duplex est, prior externus: posterior internus, homo enim cùm corpore & anima constet, vtrique parti in hac institutione fuit consulendum.

Externus vsus, politicus est: necessum enim erat fessis quietem aliquā concedi à laboribus: Hinc adeò disertè Dominus in lege expressit seruos, ancillas, bouē & aratorē, & asinū, laborū socios, aduenā & filiū ac filiam domesticam. vt est Exod. 20. hic finis rationem habet in natura ipsa. Nam, *Quod caret alterna requie durabile non est*, feriæ igitur istæ necessariæ erant.

Deinde in ista quiete, honesta exercitia præscribit: qualia sunt memoria conditi mundi: in qua de origine rerum omnium admonebantur, de vero Deo authore generis humani. Tertiò, cum his coniungebatur studium audiendi verbum Dei, lectio legis & Prophetarum, explicatio locorum difficilium & similia quæ ad pietatis pertinebant exercitium. inde Iudæi dicūt *hascha bath nitenah leha ben manga se elohim vlehagot betorato*, hoc est, Sabbathum est datum ad intelligendum opera Dei, & ad meditandum in lege eius.

Quartò, in his feriis, exercitium charitatis erga proximum postulabatur: nō enim solùm Iudæi in his exporrigere debuerunt frontem, sed aduenis, viduis, pupillis impertire. Deut. 16. Ne. 8. & Apost. in nouo Testamento in Sabbat. collectas videbat fieri pro fratribus egentibus in Iudæa.

Vsus Sabbathi internus.

Internus finis seu vsus Sabbathi erat, à carnis operibus cessare, nam vt Dominus septimo die à suis operibus cessauit: ita nos decet ab operibus nostris requiescere, siquidem velimus in requiem Dei ingredi: quo argumento vtitur Apostolus ad Heb. 4.

Ac Iudæi quoque hunc vsum agnouerunt, nam sic illi definiunt inter alia Sabbathum, *schabath hu sud el chai*, hoc est, *Sabbathum est secretum Dei viuentis*, quo voluerunt significare Sabbathum esse quoddam otium à peccato, à quo Deus semper feriatur: homines verò nunquam, aut certè rarò: atque hoc Sabbathi vsu solum Deo reddimur similes, idcoque meritò dicitur *sud* id est, secretum & mysterium: quæ sententia vtilis est, ne putemus, quod Iudæis etiam accidit, Sabbathi vsum poni solùm in externis ceremoniis & nugis puerilibus, quales mille excogitarunt Iudæi. Facit huc Græcorum etiam definitio qui dicunt.

Græca definitio

Σάββατόν ἐστι κατάπαυσις ψυχῆς λογικῆς, καθ' ἣν πέφυκε μὴ ὑπερβαίνειν τοὺς τῆς φύσεως ὅρους. Est enim vera quies animæ bene constitutæ, abstinere à peccato, qui termini sunt perfectæ naturæ & integræ. Hanc integritatem cùm amiserimus per opera carnis & peccati, cogitandum est omni modo, quomodo ad eandem quietē redire possimus. Huius igitur Sabbathi hæc erit definitio, Sabbathum est quies per quam homines reiecta omni labe, redibunt ad pristinam integritatem proprio vitio amissam, requisitam autem merito Christi Filij Dei.

Hoc Sabbathum hic meditamur in his terris, agemus autem in vita æterna in omnia secula. Hinc constat iam vocis huius diuersas esse acceptiones: non enim solùm dies septima est Sabbathum: sed & anni, est quoddam Sabbathum & æternitatis itidem, videamus ergo ista paucis.

Diuisio Sabbathi

Sabbathum aliud est χρονικὸν, temporarium, aliud ἀΐδιον perpetuum. χρονικὸν dico, quod certi fuit temporis, & finem habere etiam debet. Æternū verò, quod fine carebit. hoc idē πνευματικὸν. i. spirituale dicitur, quia ad spiritum pertinet cui consulit, vt illud corporale est & carni consulit. Est etiam temporaneum illud Sabbathum τυπικὸν, quia ad aliud referebatur, quod innuebat populo Dei, tanquam perfectius, & æternum. Spirituale autem Sabbathum illius respectu est ἀντίτυπον, quia ex opposito eidem respondēs præfigurabatur per illud externum Sabbathum: nec aliter se inuicem respiciebant, quàm vt corpus & vmbra.

Typicū Sabbathū tres habuit gradus.

Typicum Sabbathū, quod vmbrā appellare placet, tres habuit gradus. Primus gradus fuit diei Sabbathum: dies septimus huic deputatus fuit illis de causis, quas priùs iam commemorauimus. Hunc diem Gentes Saturno consecrarunt, quòd ciuilibus & bellicis actionibus non

esset

esset commodius, fortaſsè propter frigus planetæ: hoc Sabbathum primùm à Deo fuit obſeruatum & inſtitutum à creatione mundi. Gen. 2. confirmatum autem per Moſen. Exod. 20. aliiſque locis.

Secundus Sabbathi gradus eſt, annus ſeptimus, quo terra etiam à laboribus debuit quieſcere, non aranda erat: non conſerenda: ſed quæ ſponte protuliſſet, de illis viuendum erat. Deut. 15.

Tertius gradus, annus quinquageſimus, quē ab euentu Iubileum appellarunt: in quo omnes poſſeſſiones redibant ad natiuos hæredes, mancipia etiam manumittebantur, obærati liberabantur, in ſumma omnia ad priſtinum ſtatum redibant. Leuit. 15. Num. 36.

I. *Spirituale* Sabbathum duos habet gradus, prior eſt huius vitæ, in qua contra vitia nobis certamen eſt: dāda enim eſt opera, vt quàm minimum peccemus, quieſcamus ab operibus noſtræ carnis, & indies magis magiſque renaſcamur in Chriſto, de hoc Sabbatho rectè dicitur illud Hebræorum *haſchabath natan keuam lecol dabar*, hoc eſt, Sabbathum dat robur & vires omni rei, quaſi dicat, ritè ſeruatum ab homine Sabbathum, fortunatas & auſpicatas facit reliquas actiones: qua ſententia volunt indicare præcipuum ſcopum Sabbathi eſſe in pietate poſitum. Spirituale Sabbathum duos habet gradus.

Poſterior gradus eſt æterni illius Sabbathi, cuius in hac vita ſola eſt meditatio: de eo dixit Eſa. 66. *Erit menſis ex menſe, Sabbathum ex Sabbatho.* & Hebr. 4. *relinquitur igitur Sabbathiſmus populo Dei*, &c. Æternū Sābbathum.

Ex his illud conſtat duplex eſſe Sabbathum, externum & internum, quod Iudæi etiam agnoſcunt: nam dum explicant illud Ezechielis, *Et Sabbatha mea dedi illis*: indicant, Sabbatha dici pluraliter, quia aliud ſit externum quod præceperit Dominus, ad quod referunt verbū *ſchemor*, hoc eſt, cuſtodi, ſub quo complectuntur negatiua præcepta, & aliud internum quod per externum fuerit figuratum, & ad hoc referunt verbum *zecor*, hoc eſt, recordare: quòd huius in illo oporteat eſſe memorem, & ob id affirmatiua complectatur præcepta. Duplex Sabbathum.

Externum Sabbathum religioſè colendum fuit, propter Deum authorem & diſcrimen Eccleſiæ veræ: ideóque eius tranſgreſſores, ſeueriter puniuit Dominus, vt eſt Num. 15. in homine colligente ligna in die Sabbathi: & in Prophetis inter querelas hæc præcipua eſt, quòd deſeruerint Sabbatha Dei, Tren. 1. *Deriſerunt Sabbatha eius.* Ezech. 20. *Sabbatha mea violauerunt.* & 22. *Sabbatha mea polluiſtis.* 23. *Sabbatha mea prophanauerunt.* Nehem. 13. conqueritur quòd viderit calcantes vuas & torcularia in die Sabbathi: & Ierem. 17. *quod portarint onera die Sabbathi: & quia peſsimè cuſtodiuit populus ille Sabbatha Domini, tandem deletus eſt, vt terra ageret ſua Sabbatha.*

Chriſtiani homines hoc tranſtulerunt in diem Dominicum, nam temporaneum ſic fuit inſtitutum vt res ſemper maneret, temporis autem obſeruatio mutaretur. Chriſtiani Sabbathum in diem dominicū tranſtulerunt.

Res Sabbathi erat refectio virium, & exercitium pietatis: illa manere debuere. Tempus autem, hoc eſt, vt ſeptimo die obſeruaretur, hoc non fuit neceſſum in Eccleſia Chriſti, & quòd externa temporis obſeruatio nihil proſit, nec Deo placeat, ſine interno animi pio affectu, ſatis docet Eſaias. cap. 1. Chriſtiani igitur in diem dominicum mutarunt, vt extaret memoria dominicæ reſurrectionis, in qua perfecta eſt noſtra redemptio, vt in extremo illo Sabbatho, fabrica mundi perfecta eſt. Deinde in Eccleſia Chriſti diſtingueretur à Iudæis, nec illi de nobis gloriari poſſent, quaſi iudaizantibus. Hoc iudicium primitiuæ Eccleſiæ poſtea confirmarunt pij imperatores, quorum lex de obſeruando die dominico in codicem iuris relata eſt à Iuſtiniano Imperatore.

Nec iuuat Iudæos antiquitas Sabbathi & reuerentia inſtituti: cùm populus Dei Sabbatha etiam per annos 40. in deſerto non obſeruarit, vt teſtatur Amos cap. 6. Ierico etiam Sabbatho capitur & vaſtatur, Ioſ. 6. ſacerdotes quoque in diebus Sabbathi opera in templo neceſſaria obibant, purgando, mactando, panes adornando, patres etiam ante diluuium non leguntur obſeruaſſe: & Deus ipſe in die Sabbathi perfecit opera creationis. Gen. 2. itaque dies tota non fuit quiete tranſacta, ſed perfecto opere eius, deinceps quieuit, vt Hebr. contextus habet, Gen. 2.

Vnde colligi poteſt, quàm iniqui iudices fuerint Phariſæi & Scribæ, in cauſa diſcipulorum Chriſti, Mar. 2. qui ſpicis vellendis & terendis affirmant violari Sabbathum. Etenim id violari dicitur, quòd contra mentem legiſlatoris fit: at Chriſtus hîc nihil contra mentem Dei inſtituentis fecit, nec diſcipuli. Sabbathum igitur violatum non eſt: Chriſtus Mar. 3. ſanat aridam manum, diſcipuli euellunt ſpicas, cap. 2. quæ ad ſalutem hominis ſpectabant, hos inedia compellit, Chriſtum verò commiſeratio erga miſerum hominem. Phariſæi veram Sabbathi rationē ignorarunt.

Quod verò illi ſic interpretantur ex patrum traditionibus, non erit de inſtituto Domini, aut mente legiſlatoris. Præterea odio & liuore repleti, quælibet arripiunt in occaſionem criminandi: quo ſanè oſtendunt, ſeſe obſeruare Sabbathum ſecundum iram, externis ceremoniis, quemadmodum gentes ferias diis ſuis inſtituerunt, ſecundùm ſuperſtitiones corporales: cùm vera Sabbathi obſeruatio debeat dirigi ad mentem ipſius authoris. Itaq; Chriſti Eccleſia, meritò cum gentium feriis etiā Sabbathi Iudaici ſuperſtitionem damnauit: in qua pij

deinceps spiritu sabbathum agerent, in quo ociantur ab operibus carnis: in Deo verò piis exercitiis negociantur salutem suam.

DE EXEMPLIS VETERIS TESTAMENTI, quatenus scilicet transferenda sint in vsum nostrum.

LOCVS LVI.



Vplex est sententia de veteri Testamento. Sunt enim qui putent illud ita abrogatum, vt illius exempla nobis hodie ad vitæ & morum informationem, tam pacis, quàm belli tempore, nulla ratione inseruiant: ex hoc cœtu olim fuit Manichæus, qui in solidum damnauit vetus Testamentum, & nostro seculo ex Anabaptistis, quidam nullas inde admittunt probationes siue testimonia siue siue exempla.

Manichæus vetus testamentũ damnauit.

Alij verò ita illud amplectuntur, vt promiscuè quiduis conentur inde tueri: tales olim erant ex Iudæis facti Christiani, qui ceremonias etiam & circumcisionem iudicabant obseruatu necessaria fidelibus: & hodie improuidi quidam suorum dogmatum defensores, qui intempestiuè exemplis vetustatis, Christianorũ mores informare voluerunt. De vtrisque dicemus in præsentia, cùm quia superiori loco cohærent: pertinet enim ad vsum scripturæ sacræ hæc quæstio. Deinde vt adolescentes discant, quomodo sint adhibenda exempla.

Statuimus igitur contra vtrosque exempla veteris Testam. nobis etiam hodie ad vitæ, & morum informationem, belli & pacis tempore plurimùm prodesse in suo genere.

Probatur exẽpla veteris testamenti in nostrum vsum accommodari.

Id ita probabimus vt simul illos, quos priore loco retulimus abundè confutemus. Ac initio quidem refutat eos euidenter Dominus Christus, Marc.2. exemplo Dauidis discipulos suos defendit contra Pharisæos, quòd non peccarint in legem sabbathi, vellicando spicas & edendo. Ratio est ab exemplo, quia Dauid esuriens etiam cum suis comedit panes propositionis apud Abiathar, qui alioquin solis sacerdotibus erant concessi. Et apud Luc.ca.4. Christus docet exemplo Heliæ & Helisæi cur à paucis recipiantur, quia Helias ad solam Sareptanam viduam missus est, cùm multæ essent aliæ viduæ: & Helisæus solum Naamanum Syrum à lepra curauit, cùm infiniti alij essent. Et Matth. 12. exemplo sacerdotum in sabbatho ipsum sabbathum prophanantium excusat, quod exemplum sumpsit ex Leu. 8 & 28. Num. 28. Et Ioan. 3. ad exemplum serpentis in deserto erecti, se crucifigendum esse docet.

Ad Rom. 4. Abrahæ exemplum ad nos trahit, quòd ad illius exemplum simus iustificandi fide; Rom. 11. docet electionem Dei fieri secundùm gratiam quemadmodum tempore Heliæ. 1. Cor. 10. vetusta adfert exempla pœnarum: quidam illorum murmurarunt & perierunt à serpentibus, ideò nobis non esse murmurandum, & similia, in quibus typus sit nobis vtilis, 1. Cor. 9. exemplo bouis triturantis ostendit bonis ministris deberi alimentum, quod sumpsit ex Deut. 15. Sed apertissimè conuincuntur ex cap. 15. ad Rom. vbi dicitur: *quæcunque scripta sunt prius*, hoc est, *in vet. Testam. illa ad nostram doctrinam sunt scripta, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Nam eo tempore noui Testam. libri nondum extabant, & citauerat locum ex vet. Testam. hoc aptè fieri probat, quia omnia illius scripta nobis sint vtilia. Ex quo efficitur primùm malè tolli vsum veteris Testam. deinde nulla exempla illic extare, quin apud sanctos habeant suam vtilitatem. Et 2. Tim. 3. dicit, *omnem scripturam diuinitùs inspiratam esse vtilem.* Itaque & exempla quia diuino spiritu prodita sunt, intelligi debent vtilia esse. Sed dicunt, ita, multa colligi absurda: nam in veteri Testamento obtulerũt hostias & sacrificia Deo, igitur & nobis offerenda erunt. Certo loco adorarunt, tempora obseruarunt, certa festa, ritus & similia, ergo, idem erit nobis faciendum. Respondemus, illa non tollere vtilitatem exemplorum: non enim rectè colligitur, Hoc modo non prosunt exempla, ergo nullo modo prosunt. Non scripta sunt illa ad hunc vsum. Ergo ad nullum vsum præstant. Nos autem: illa in suo genere non prodesse diximus. Vt Dauidis adulteria & homicidia recenset scriptura, non vt colligas horum scelerum patrocinium vel excusationem: sed vt videas, ne in sanctis quidem, Deum impunita similia relinquere: sic, hostiæ & sacrificia veterum hodie illũ habẽt vsum, vt videas quali pædagogia Deus olim cœtum Ecclesiæ in officio continuerit: & quantò hodie nostra conditio melior & tolerabilior sit.

Omnia quæ sunt scripta in veteri testamẽto in suo genere nullis possunt prodesse

Politia Mosaica abolita est, igitur illius exempla nobis non prosunt. Respond. eodem quo priùs modo, ἀνακόλυθον. i. inconsequens, est in argumento: non enim nõ prosunt, quia hoc modo nõ prosunt: quemadmodũ malè colligeretur Respubl. nostra non est more Mosaico administranda, ergo nullo modo est administranda: sic etiam hoc absurdum est, Illã formam non debemus in vsum reuocare: igitur exempla eius nullum habent vsum: sed potiùs ita argumentari oportet. Illi pro terra lacte & melle fluente tantos subiuerunt labores, tanta pericula pertulerunt: quid igitur nos non feremus pro vita æterna, siue pro regno cœlorum? Illi contra hostes externos tot prælia susceperunt, tanta constantia perseuerarũt: quid igitur nos

contra Satanam, Mundum, carnem & affectus eius facere non decet? Illorum fortitudo & vigilantia nobis exemplum præbet vigilantiæ. Relinquamus igitur illis sua bella, suum more Reipub. nos in Christi Ecclesia sciamus ouium esse balatum: sed oues non carere constātia, sua lucta, suo ordine, sua gubernatione: habent suā εὐταξίαν, suos ordines, disciplinam, magistratū, virtutes & mores, in quibus, ad exemplum sanctorum veteris Testamenti, ad vitæ innocentiam modis omnibus contendunt.

Diximus contra eos, qui omnem vsum belli & pacis tempore tollunt ab exemplis veteris Testamēti. Superest alterum genus, eorum scilicet qui præsumunt quiduis probare ex veteribus historiis. Peccant illi primùm grauiter in mores publicos, quos corrumpunt exēplis contra illorum vsum: sic scortatoribus adulantur, proposito exemplo Dauidis, Salomonis, libidinosis, exemplo Abrahæ, Iacobi, qui Digami & Polygami fuere. Nec aliud induxit Landgrauium, vt turpissimo exemplo secundam duceret vxorem, priore viuēte, quàm aulicorum assentatio, qui fœdissimum tactum exemplis veteris Testamenti conati sunt tueri. Peccant in piam Ecclesiam, quam graui offendiculo impediunt, & infinitis malis imponūt. Sic impostores exemplo Israëlitarum contra Pharaonem insurgentium, suaserunt passim agricolis seditiosa arma contra ordinarios magistratus. Peccāt in seipsos, quos iusto Dei iudicio nunquā possunt purgare, de sanguine tot millium effuso, de perditis tot animalibus, tot corruptis moribus publicè & priuatim, quæ omnia satis argumenti habent ad eos cōfutandos: sed omnium rectissimè refutat eosdem Christus etiam. Ioā. 4. docet fore, vt adoratio in vno loco tollatur, *& veri adoratores adorent in spiritu & veritate vbique gentium.* Itaque non valet argumentum, Iudæi in vno loco peregerunt, ergo & nos hodie idem debemus facere: ratio est, quia dixit hoc abolendum, nec tamen caret suo vsu illud factum. Et Matth. 5. idem Dominus Christus corrigit legē talionis oculum pro oculo, significans electos non oportere auidos esse vindictæ, quæ vt est in manu Domini relinquenda: sic illam per ordinarios magistratus exequitur. Ibidem legem repudij à Mose concessam, reuocans nos ad primam institutionem, qua Deus duos in carnem vnam coniunxit, non autem plures: quod occinendum erat libidinosis principibus contra Polygamiæ suadelas. Act. 15. Apostoli Spiritu Dei imbuti tollūt ceremonias & circumcisionē, quia Christus, quem adumbrabant, iam venerat. Itaque meritò cassanda erant, adeò, vt sit contumelia in Deum, illa velle in vsum reuocare: hinc Apostol. ad Galat. 5. *si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Id nos de tota politia Mosaica, de ceremoniis & ritibus externis dicimus, si quis illa in vsum reuocare velit, absurdus sit & in Christum Filium Dei impius ac blasphemus.

Sed excipiunt isti quoque omnia, dicunt, *scripta sunt ad nostram doctrinam* Rom. 4.

Respondemus: Rectè quidem, sed nō inquit Apostolus, *omnia scripta sunt ad nostram vtilitatem*: & quanquam sic etiam loqueretur, illis non prodesset, licet suo priuato iudicio æstiment vtile & inutile. Illis vtile videtur, quod priuatim iudicāt affectibus suis expedire, id mox palliant fuco publici boni. Errāt autem: quia doctrina inest omnibus exemplis veteris Testamenti, quamuis non illo modo, quo ipsi colligunt. Dauidis adulterium illustrem habet doctrinam: quòd Deus non ferat impunita in sanctis etiam peccata, nedum in impiis. Itē, quòd nemo adeò sanctus sit in his terris, quin suos habeat næuos, vt cogatur implorare Dei misericordiam. *Miserere mei Deus secundum multitudinem miserationum tuarum.* Patriarcharū Polygamia doctrinam habet memorabilem, sanctos non caruisse peccatis, quæ ex publica consuetudine Gentium contraxerunt. Deus enim duos coniunxerat: homines mox prolapsi sunt in contrarium, vt vnus, quot libido dictaret, sumeret vxores, id imitantur & Patriarchæ: quòd verò bono aliquo id sit factū, hoc Deo debetur, non illorum exemplis: ad eundē modum alia aliam habet vtilitatem.

Deinde aiūt, Spiritus sanctus vbique sibi est similis, nō idem nunc probat, nunc improbat: idem non docet, mox prohibet: incōstantia illa non cadit in Spiritum sanctum, qui in sanctis & agit & loquitur.

Respondeo, in limine mox illa impingere, Spiritus sanctus est sibi similis, semper etiam & vbique: sed quid tum? ergo non idem iam probat, aliàs improbat? non concedo. Nam illa temporum ratione variant sine culpa, imò sine inconstantiæ nota: Vt, paterfamilias interdiu domesticos vult laborare, noctu verò quiescere, diebus profestis in opere esse, festis verò otiari à laboribus, & similia quæ sine inconstantia fiūt: sed εὐταξίας potius sunt argumenta: sic idem Spiritus sanctus in veteri Testamento voluit pios exercere sacrificiis aliisque ceremoniis: in nouo verò electos ab his liberauit. Deinde modus agendi Deo liberrimus est, nec debet à nobis, vt à censoribus notari. Sic illi placuit veterem cœtum colligere: nos autem ampliori spiritu ornare, & liberiori agendi modo: quemadmodum in schola rudimenta puerilia non ob id instituuntur, vt in his perpetuò detineantur adolescentes: sed vt proficiant, & ad maiorem rerum cognitionem perueniāt: sic iudicare debemus de ceremoniis Mosaicis, aliisque politicis constitutionibus, de forma gerendi belli, puniendi victos, &c. queadmodum igitur circumcisionem hodie non postulat Spiritus sanctus: licet olim præceperit: sic mores & vitam, non ad illorum formā instituere debemus specialiter, sed ex illorum exemplis, vtilem depro-

Doctrina quæ-di inest omnib. exēplis veteris Testamenti.

Simile. mer doctrinam, quæ vel ad virtutes incitet, vel à peccatis deterreat.

Sed addunt & illud, instãdum esse opportunè, & importunè. 2. Tim. 4. Cui respõdemus, si mentem Apostoli respiciant, nos libenter id agnoscere: docenda enim est veritas, siue homines id libenter ferant siue ægrè. Sin autem ex veterum exemplis inferant aliquod, quod cum bonis pugnet moribus, aut cum fide vera, dicimus malè hoc detorqueri. Nam Apost. non loquitur de nouitate hac, sed de diligentia docendi Euangelium.

III. Duplicem errorem confutauimus, eorum qui de vsu exemplorum agunt: ostendimúsque hoc abusum magis spectare, illos verò & abusum & rerum tollere vsum. Dicamus iã quis sit vsus eorũ honestus & legitimus. Ac vt res notior sit, sciant adolescentes quid sit Exẽplum, Est narratio rei gestæ, aut tanquam gestæ, similitudine quadam, instituto nostro conueniens. Vt Cham ignominia affecit parentem Noachi, ideóque maledictus est. Igitur qui parentes ignominiosè tractant, maledicentur.

Definitio exempli.

Ex qua definitione patet exemplum valere tantùm propter similitudinem, quæ si apta sit & concinna consequentia, aliquam vim probandi habet: sin maior sit dissimilitudo, nihil cõcludit: ideò Dialectici monent, exempla nihil necessariò concludere, quia semper aliqua dissimilitudo proferri potest. Vt Iudæi expulerunt iure Cananæos, impias Gẽtes: ergo & nobis licet Papistas idololatras expellere: non sequitur, quia dissimilitudo est: illi mandatum habuerunt, nos non habemus.

Exempla nihil necessario concludunt.

Deinde exempli consequentia, vel singulare probat per singulare, nec altiùs ascẽdit. Vt Ionas triduo in ventre ceti iacuit, igitur Christus triduo in sepulchro debuit quiescere: dialecticum est ex Cicerone, Opimio licuit occidere Gracchum, ergo, Miloni licet occidere Clodium.

Vel vniuersale probat singulare. Vt liberi regum immunes sunt à tributo, ergo, Christus debuit, & poterat esse immunis ab exactione, Matth. 7.

Vel per singulare probatur vniuersale: vt serpens decepit Euam: ergo Satan eodem modo imponit omnibus hominibus. 2. Cor. 11.

Vel denique vniuersale per vniuersale asseritur: vt omnia membra in corpore animantis concordiam alunt. Ergo eodem modo pij omnes in Ecclesia pacis debent esse studiosi. 1. Corinth. 12.

Est & illa varietas exemplorum: quòd alia sunt vetusta, & habent rem gestam verã: qualia sunt à quibus argumentatur Aposto. 1. Cor. 10. súntq; domestica suæ Gentis. Alia vera & ipsa, sed externa. Et Gentiũ reges nõ sumunt tributum à propriis filiis, ergo Dei filius poterat esse liber à tributo. Alia vera quoque, sed ex natura deprompta, quæ ob id physica dicere possis: vt serpẽtes prudentes sunt in cauendis insidiis, ergo Apostoli etiam debent esse circumspecti: & oues libẽter sequuntur vocẽ pastoris, ergo pij vnius Christi vocem audiũt & agnoscunt. Columbæ simplices sunt ad malũ, igitur pios decet tales esse. Alia sunt ficta, vt fabulosa exembila, quales Græcis fuerunt μῦθοι, & ἀπολόγοι, qualis est in libro Iudicum cap. 9. quo vtitur Apomelech ad Sichimitas de arboribus quærentibus sibi regem. Tales Apologi & probãt & ornant festiuiter inuenti. Aut etiam sumũtur ab aliis, qualis videtur cap. 12. ad Rom. de mẽbris humani corporis, quod aliunde videtur sumpsisse: vtitur eodem enim Menenius Agrippa apud Liuium, ad populum dissidẽtem à patribus.

Quęnam exempla veteris Testamẽti, vim probãdi habeant.

Ex his iam constituamus de genere exemplorum in vniuersum. Quæcunque in veteri Testam. bonos mores plantant, virtutẽ alunt, illa in nouo Testamento vim probandi habent. Vt Loth hospitalis fuit, & Abraham, igitur & nos decet hospitalitas. Iob patiẽs fuit igitur & nos Idem præstemus. Dauid curam habuit religionis, igitur boni principis est, illam tueri. Idem seriò pœnitentiam egit: igitur & nos seriò ad Deum conuertamur.

Deinde exempla pœnarum quoque valent ad deterrendos peccatores: vt, Cain fratricida grauiter punitus est, igitur Deus inultum homicidium non patitur: inobedientiam in Saule grauiter puniuit, igitur cauenda etiam nobis. Sodomorum scelera igni persecutus est, igitur nec nostra inulta feret. In Israële scortatores, idololatras, murmuratores Deus seueriter castigauit, ergo nec nobis talia concedet. 1. Corinth. 10.

Tertiò, quæ typo aliquo Christum respexerunt illa ad eum solum valent, & quærenda est semper illustris similitudo. Vt hostiæ placabant Deum hominibus, ergo multò magis mors Christi, quia illius typi erant: nec debent aliò referri: Vt, non valet exemplum, in veteri Testamen. sacerdotes offerebant pro peccatis populi sacrificia, ergo in nouo idem fieri debet, quia illa typi erant Christi, non ministrorum. Ideò non latiùs euagari debet exemplum, quàm res patitur.

Quartò, quæ confirmant res noui Testanemti in genere singula in suo etiam genere valent vt arca Noë, Ecclesiam in hoc mundo fluctuãtem, Ionas, Christi resurrectionem: serpens æneus Christi mortem. Sic alia testimonia valẽt in nouum Testamentum translata: vt partus Virginis probatur ex capit. 7. Esa. Magi patriã Christi demonstrant ex cap. 5. Mich. & Apostoli omnia sua scripturis probarunt. Igitur & nos ad scripturam referre nos semper debemus.

Quæ charitatem mutuam commendant in suo gnere valent, vt liberorum erga parētes, vel parentum in liberos: vxorum in maritos, maritorum in vxores: magistratuum in subditos, & horum in illos: quæq; e apta allegoria Christi dilectionem erga Ecclesiam, & Ecclesiæ erga Christum, & simul membrorum inter sese declarant.

Quæ articulos fidei confirmant, aptè in suo genere aplicanda sunt. Vt Diluuium, nouissimi iudicij ideam: tres Angeli apud Abrahamū, Trinitatem in creatione Deus loquens Patrem: Verbum, Filium λόγον, Spiritus super aquas fertur Spiritum sanctum: & his similia, quæ moderatam debent habere allegoriam. Ex quibus infinitus vsus exemplorum peti potest.

Videamus quomodo exempla etiam non valeant. vt istis repagulum ponatur, qui ita licenter indicunt exempla. Primùm quæ bonis moribus obsunt nihil concludunt: qualia primùm sunt impiorum scelera. Deinde piorum etiam errores: vt Dauidis adulterium nemo sanus in exemplum trahit. Huc pertinent etiam piorum facta, tempore concessa magis quàm approbata: vt quòd Sara Abrahamo copiam facit ancillæ. Genes. 16. nemo ad exemplum debet trahere. Et Iacob duas sorores simul ducit, & insuper polygamus est. Genes. 29. fœdiora sunt quòd Loth filias comprimit oblitus pœnarum tanti peccati in Sodomitis. Genes. 19. Iudas nurum suam Thamar impraegnat. Gen. 38. Hæc & similia si quis in exemplum velit trahere, carcere dignus sit: & tamen ex illo aceruo tuentur speciosi isti parasiti polygamiam, cuius exemplum nostra vidit ætas in Landgrauio. Quæ nō exempla in vsum nostrum non sunt transferenda.

Deinde specialia facta etiam honesta, non sunt rapienda in exemplum, quia illic extat aliquod Dei mandatum, quo nos destituimur. *Vt Helias sacerdotes Baal occidit.* 1. Reg. 18. ergo nobis sacrificos Papisticos occidere licebit: nō valet, quia illic extat Dei spiritus impellens, qui vim mandati habet nos nullum tale habemus. *Samuel Agag regem occidit*, nō tamen idē faciet minister Christi: Iudæi prophanis Gentibus vltrò debuerut inferre bellum, ergo nos Turcis & Papistis: non sequitur, quia illic mandatum est, quo nos caremus.

Tertiò, specialia facta, quibus inest species crudelitatis, aut alia quædam turpitudo: Vt, Israëlitæ furto auferunt *ex Ægypto, vasa aurea & argentea, ac pretiosas vestes.* Id minimè licet imitari, quia turpitudo in illis excusatur voluntate diuina. Numer. 31. in Madian debuerunt, ne infantibus quidem parcere: id crudele sit post victoriam Christiano homini. Iosua idem præstat in euersa Ierichunte, non tamen mox idem imitabitur pius Imperator.

Quæ in Christo iam completa sunt, tanquam in fine, non sunt in vsum pristinum reuocanda: sic tota lex ceremonialis completa est in Christo vt in fine. Roman. 10. *Finis legis Christus est.* Itaque nec sacrificia, nec circumcisio, nec Pesach, nec similia amplius reuocanda sunt. Quæ charitatem mutuam dirimunt, & seminant lites & discordiam non necessariam. Apostolus enim iubet vt omnia ad ædificationem fiant.

DE ECCLESIA.

LOCVS LVII.

D nobis ferè est Ecclesia, quod veteri populo fuit Synagoga. Apud Hebræos propriè *kahal* significat cœtum & congregationem populi totius, ad audiendū aliquid, quod omniū aut singulorum scire intersit. *gheda* quoque cœtus est in veteri Testamento, quæ vox nos admonet de officio Ecclesiæ, quod est vt sit testis veræ doctrinæ. Nam *ghed* testem significat, originem habet à *iaghad* quod est confirmare & testari. Sic Christus doctrinæ suæ testes reliquit Apostolos, Act. 1. Vos eritis mihi testes, & Act. 2. Apostoli profitētur se esse testes. hinc Martyres dicūtur qui sanguine suo testimoniū obsignarūt. Sic de Stephano loquitur Paul. Act. 22. Rabini vocant *ceneseth* cœtū, & in thargū dicitur *cenesch*, samech mutato in *schim*, & significat ferè doctorū cōgregationes. Hinc Estræ collegium vocant *ceneseth hagedolah*, cœtū magnū. Nostra lingua dicitur *kirch* & *kilch* peregrina voce. Videtur enim deriuatum à κυριακὴ, quasi dicas, Dominica. Vnde fluxit altera vox *Thuonn* itidem peregrina. non tamen absurda est coniectura, *kilch* dici à clacis cōmunione, quo sensu Ecclesia vnita & concors dicitur, quia de vno pane & vno calice omnes participāt. Natiuum nostræ linguæ vocabulum est *Gemaindt* quod significat communitatem, hoc est, viciniam quæ rebus vtitur communibus, vt foro communi, fonte, campo, pascuis, &c. *Die lieb vnd leid mitt ein andrenn hatt*, hoc est, res secundas & aduersas communes sustinet. Latini, Græcos secuti, Ecclesiam vocarunt ab euocando, quod est ἐκκαλεῖν, hinc enim dicitur Ἐκκλησία. Sunt autem plures voces apud Græcos significationibus ferè conuenientes, quas vtile est distinguere. Ἐκκλησίαν propriè vocarunt populi vrbani conuentus: διάκλησιν autem & διακλησίαν, si ex agris simul rustica turba conuenirer ad audiendum vel spectandum. Σύγκλησις verò & Συγκλησία erat τῶν ἐντίμων, hoc est, Senatorum & Consulū cōuentus, qui

Nominis ratio.

Ratio nominum apud Græcos & Latinos.

dicitur etiam βουλή, & βουλευτήριον & σύγκλητος. Συναγωγὴ autem cœtus promiscui, etiam paucorum & priuato cõsilio instituti, quæ vox de alijs etiam rebus dicitur, vt Συναγωγὴ γάλακτος; dicitur collectio lactis. Συναγωγὴ εἰς τὸ ὀξύ, collectio in acutum, vt est in gladio & pyramidibus, similibúsque rebus, quæ in acumen desinunt, dicuntúrque Græcis Συναγωγὰς ἔχειν εἰς τὸ ὀξύ, quia sese in acutum colligunt.

Ratio nominis apud Latinos.

Latini vocem præstantiorem retinuerũt, & Ecclesiam vocarunt potius quàm synagogam, quia tempore Apostolorum iam cœperũt, & Iudæi priuata sua cõuenticula vocare Synagogas: quas omnibus cœtibus præferebãt. hoc supercilium delendum fuit per Ecclesiam, quæ admittit omnium nationum homines, modo Christi disciplinam admittant.

Hinc sunt illa apud Ioan. 9. & 16. quòd fideles à Synagogis sint excludendi.

Deus vocat. efficiens causa.

1. Admonet autem nos Ecclesiæ vox nullos esse posse in corpore Ecclesiæ Christi qui Deo non vocante accesserint. Est enim vox relatiuè dicta respectu vocantis Dei. Sic Christus inquit, *Nemo venit ad me nisi Pater traxerit illum*, Ioan. 6. & contra, *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Ioan. 14. Itaque Deus Pater vocat, & vocat Filius Dei per Prophetas, Apostolos, horúmque successores. Illi sunt qui diuerso tempore ad vineam Domini mittuntur.

Forma.

2. Qui porro vocanti obediunt & conuertuntur ad veram pietatem & vitæ emendationem, illi Ecclesiæ huic accesserunt. Inde ab eadem voce κλητοὶ dicuntur, hoc est, vocati, interdum addito titulo Sanctitatis κλητοὶ ἅγιοι, vt in salutationibus Paulinarum Epistolarum.

Certissimæ notæ vocatorum.

Vocati deinde certam doctrinam profitentur, offerunt etiam se melioribus cœtibus, iisdem vtuntur sacramentis, doctrinam eandem audiunt, moribus sese conformes reddunt, ad crucem sese præparant, non quam ipsi fingunt sibi, sed quam illis imponit Dominus, dilectionem in proximum exercent, vita & moribus professionem ornant: sanguine etiam si opus sit confirmant & obsignant, scientes quòd *qui manum semel posuerit ad aratrum non debeat retro respicere*: & Christo dicente, *Qui negauerit me coram hominibus, negabo illum coram Patre meo*: & Apostolo, *Si negauerimus illum negabit ille & nos*.

Luc. 9.
Matt. 10.
2. Ioan. 2.
Materia ex qua.
Mar. 16.

Colligitur autem hic cœtus ex toto mundo, omnibus nationibus & linguis, secũdùm Christi dictum, *Ite in vniuersum mundum*, & Act. 1. v. 8. *Eritis mihi testes ad vltimas vsque terras.* Et Christus in parabola dixit mundum agrum esse in quo bonum Dei semen spargitur, ex quo passim colligitur triticum, & boni pisces ex toto mari colliguntur.

Ordo. Parabola vocatorũ in vineam.

Vocantur etiã certo ordine: alius in iuuentute, alius adultior, alius serò tandem secundùm parabolam vocatorum in vineam. Matt. 20. Sunt qui prima hora vocantur, vt qui pijs à piis parentibus nascuntur vt Ieremias, Ioannes Baptista & similes quos ab vtero statim vocauit Dominus. Alij sexta hora vt Paulus iam persecutor & Apostoli iam adulti piscatores, Matthæus tum Publicanus & Zachæus. Alij hora demũ vndecima, vt latro in cruce & pauci similes, quos in agone sua amplectitur gratia Deus per Christum. hic tamen ordo per omnes ætates mundi vagatur, cœpit ab Adamo, continuatus per omnes hominum successiones, durabítque ad finem vsque mundi. De his nos admoneri debemus, quoties nomen Ecclesiæ explicatur, significat enim vocatum cœtum ad audiendum veram religionem, & professionem veræ doctrinæ salutis nostræ, qui symbolis quoque & externa professione vitæ ab aliis cœtibus distingui potest.

Sed diligentius expendamus quid sit Ecclesia: multùm enim refert quomodo illam describamus, ne pro Christi Ecclesia, mundo Ecclesiam malignantium proferamus.

Definitio Ecclesiæ.

Ecclesia est cœtus audientium Christi pastoris doctrinam & rectè vtẽtium eius sacramentis, qui cœtus fundatus est super Christum lapidem fundamentalem, habétque externa sua signa quibus cognosci potest, licet hypocritæ interdum admixti sint. Græcè paulò mutatis verbis sic definiamus, ἐκκλησία ἐστὶ πλῆθος ἐν ᾧ ὑγιαίνουσα διδασκαλία τοῦ χριστοῦ πρωτεύει, καὶ ὀρθὴ χρῆσις τῶν μυστηρίων αὐτοῦ διασώζεται ἑδραιωμένον ἐπὶ τῷ ἀκρογωνιαίῳ λίθῳ τῷ χριστῷ, καὶ ἔχον γνωρίσματα φανερὰ ἐξ ὧν διαγινώσκεται, Hoc est, Ecclesia est multitudo in qua sana Christi doctrina pro duce est & recta administratio sacramẽtorum ipsius consecratur fundata super lapidem angularem, qui est Christus, quæ multitudo habet illas notas manifestas, ex quibus dignoscatur.

Notæ veræ Ecclesiæ.

1. Loquitur definitio de externa & visibili Ecclesia, quæ verbo Christi regitur, secundùm dictum illius, *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ioan. 10. *Et vocem alterius non audiunt.* Item *lucerna pedibus meis, verbum tuum Domine.*

Deinde retinet verum Sacramentorum vsum, quia Christus non solùm docere, sed & baptizare iussit: & in Actis, fideles passim baptizantur, & in fractione panis perdurant.

Christus vnicum Ecclesiæ fundamẽtum.

3. Addimus autem, super Christum fundati, quia vnius ædificij non possunt diuersa constitui fundamenta, quæ natura inter se pugnent. Et Apostolus ait, 1. Corinth. 3. vers. 11. fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. Si igitur Christus fundamentum est, aliud constitui non debet: At Christus est fundamentum Eph. 2. ver. 20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum cuius vnus angularis lapis est Iesus Christus.* Esa. 28. ver. 16. *Ecce, pono in Sion summangularem lapidem electum & pretiosum.* Quæ verba de Christo fundamento Ecclesiæ interpretatur diuus Petrus. 1. Epist. 2. vers. 6. Et Psal. 118. *lapidem reprobarunt ædificantes, is factus est in caput Anguli.* Quæ verba etiam de Christo fundamento ibi Petrus interpretatur vers. 7. & D. Paulus ad Rom. 9. ver. 33. Et Petrus in

Act 4.

Act. 4. ver. 11. Quare super Christum petram, non super Petrum ædificata est. *Petra enim erat Christus*.1.Cor.10.Et Christus Matth.26.*non dicit. Super hunc Petrum confessorem*, sed *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petram confessus fuerat omnium nomine, *Tu es Filius Dei viuentis*, hæc est illa Petra, cui superstructa est Ecclesia.

4. Habet etiam hic cœtus externa signa quibus cognosci potest & discerni ab aliis sectis & cœtibus prophanis, de quibus postea dicemus.

In Ecclesia mali semper erunt bonis commixti.

5. Vltimo loco, exprimimus in definitione, malos Ecclesiæ esse commixtos, contra eos qui puros per omnia cœtus quærunt. Erat hoc quidem optandum omnibus modis, curádúmque etiam vt quàm paucissimi sint mali & hypocritæ in Ecclesia, sed cùm vtiliter separari non possint, aut rectè cognosci nequeant, patienter interdùm sunt ferendi in externa societate. Et malos ferendos esse docet parabola Domini Christi Matth. 13. vbi dicit *in agro boni tritici zizania sparsa esse*, quæ tamen paterfamilias non patitur euelli, ne noceant tritico. Ibidē verriculū attrahit bona & mala quæ sedentes separant Matth. 3. in area Domini sunt paleæ quæ tandē à Domino repurgantur, Mat. 22. In nuptiis deprehenditur homo non vestitus nuptiali veste. Et 2. Ioan. 2. *inquit, Exiuerunt de nobis, sed de nobis non erant.*

Sed hic quærunt, An propter malos, secessio fieri possit ab externo cœtu Ecclesiastico profitentium doctrinam Christi? Diximus de ea quæstione nonnihil in loco de Schismatibus, ideo hic breuius absoluemus rem istam.

1 Mali.

Primùm non sufficiens causa est ad secedendum, quòd mali sint in Ecclesia. Nam Prophetæ semper malos habuerunt inter auditores, interim secessionem nec fecerunt, nec aliis concesserunt.

2. Præterea, ab vsu Sacramentorum non possunt arceri, cùm hypocritæ imprimis lateant, & Christus in cœtu suo Iudam tulit, nec à Cœnæ cōmunione exclusit, si credimus his, qui eidem interfuisse contendunt. Item rituū diuersitas non satis causæ habet cur secedamus, cùm semper Ecclesia pro locorum & temporum diuersitate variarit in ritibus, & in ieiunio, Augustini tempore. In Paschæ celebratione Irenæi & Victoris tempore, quæ varietas tamen non rupit Ecclesiæ vnionē. Ac cùm Victor Romanus Orientales Ecclesias damnare vellet ob diuersitatem Paschatis, Irenæus illi grauiter restitit, ostendens non satis causæ esse ad rumpendam Ecclesiæ pacem.

Diuersitas rituum non debet Ecclesiæ vnionem abrumpere.

Diuersitas interpretationis.

4. Idem dico de varietate interpretationis. Singuli suo dono fruuntur, & vtiliter variāt interdum, præsertim cùm inter dona Spiritus sancti sit etiam ἑρμήνεια.i. interpretatio, quæ dū ex dono Spiritus sancti fluit, non errauit à scopo fidei, quo posito, diuersitate offendi nō debemus. Grauissimū illud est, quod de vita & moribus impœnitentium multi dicunt. Iam pridem disciplina publica in desuetudinem abiit, vt ne nomen eius ferre possimus. Interim auditoribus loquimur ne faciant ab Ecclesia secessionem, quandiu vident Ecclesiæ veras notas, hoc est, sanam doctrinam, verum Sacramentorum vsum, & similia, quod si interim improba est multorum vita, id ipsis defendendum relinquant, singuli sua ferent onera.

Mali ministri nullo modo ferendi.

De Ministris Ecclesiarum illud saltem dico, flagitiosè & improbè viuentes nulla ratione tolerandos in ministerio. In quam rem diligentior Magistratus esse debet. Interim si videas tales ferri, nec tu id possis corrigere: ab Ecclesia secedendum non est, modò vera doceant: quia doctrina illorum, non vita tibi sequenda est: Christo dicente, *in cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, quod docuerint vos facite, facta autem illorum nolite imitari. Dicunt enim & non faciunt*, hoc est, cùm bene doceant, malè viuunt.

Alia est ratio, Si boni eiiciantur à maiori parte, adeò vt illis interesse non liceat, tum bonos excusat necessitas. Sed ne sic ab Ecclesia secessisse videri possunt, cùm Christi Ecclesia vniuersales bonos nunquā arceat, particulares autem Ecclesiæ sæpe errent, & titulum illum vsurpēt cùm potius sint malignantiū Ecclesiæ.

Ob doctrinæ corruptelam particularis Ecclesia deseri potest.

Deinde si manifesta sit corruptela sanæ doctrinæ, adeò vt articuli fidei non integri conseruentur, & liceat puriores cœtus adire, in quibus sana doctrina, & fundamentum fidei retineatur, verus etiam vsus Sacramentorum, vt Christo est institutus haberi possit: vtique rectè facient pij, si cœtus mutent: sed ob id non dici potest secessio, quia Ecclesiam Christi non deserit, sed cœtum meliorem sequitur. Vide locum de Schismatibus.

III. Expendamus etiam quàm varia sit Ecclesia. Vocabulum est πολύσημον.

Ecclesia pro templo.

1. Significat enim locum ipsum etiam in quo cœtus fiunt, hoc est, Templum, quod tum Oratorium, tum Basilica aliquādo dicitur: éstque vel Cathedralis, vel Parrochialis. Vide locum de Templis.

2. Sed, in præsentia, significat cœtus ipsos & conuentus fidelium. Huic Ecclesiæ, quiuis locus & numerus, etiam minimus, quod externa attinet, satis est. Non alligatur loco, quia militantium more sæpe mutat castra sua, & locum.

Simile.

Multitudini etiam non alligata est, quia inter duos & tres Christus se præsentem fore promisit. Porro quia hunc titulum mali etiam vsurpant, ideo accuratiùs distinguenda est. Est igitur Ecclesia alia Vera, alia Falsa. Illa re & nomine est quod dicitur.

Hæc nomine solùm reipsa malignantium Ecclesia, quæ conuenticulum & conspiratio potius est contra Christum & veritatem. Vera Ecclesia diuiditur in vniuersalem & particula- Vera.

Falsa. Vniuersalis. Triumphans. rem: Illa catholica est in Symbolo expressa: sic dicta, quia omnium ætatum est, & ex omnibus mundi nationibus colligitur. Constat hæc duabus quasi partibus integralibus, quarum prior dicitur triumphans in cœlis, nunc cum Christo agens in vita illa beata. Hæc reuera pura est, immaculata, & sancta, de qua loquitur Ioannes in Apocalip. 7. versu. 9. Et Apostolus ad Hebræos 12. versu 22. 23.

Militans Altera pars eius est militans, quæ adhuc in his terris colligitur, cruci est subiecta, & mixta ex bonis & malis. Dicitur & hęc sancta, & non habens maculam, quia hæc illius proprietas, hic incipit quidem, sed olim planè in vita ęterna illius dabitur possessio. Dicitur & sedes veritatis, quia in Ecclesia solùm regnat veritas, habétque fundamentum Christum, cui innititur, qui via & veritas est. Interim dum hic militat suos habet næuos & maculas, à quibus in dies repurgatur.

Visibilis Porro hæc militans duplici modo consideratur. Est enim quædam visibilis, hoc est, cœtus, qui externè profitetur doctrinam Christi, & illius vtitur legitimis Sacramentis. Et hi cœtus admixtos habent hypocritas, aliósque malè viuentes. Neque hic cœtus visibilis est, sed alio modo propriè dicitur Ecclesia Christi, quæ constat solis Christi veris membris.

Hæc Deo cognita est, nec admittit zizania, aut putres pisces: quia mali, qui sunt mēbra Satanæ, ad Christi corpus nulla ratione pertinēt. Ideo de illius vera Ecclesia non sunt. Hæc dicitur etiam inuisibilis. Inuisibilis.

Particularis. Particularis dicitur Ecclesia, quæ vniuersalis est complementum, cœtus aliquis certus, qui si totius Prouinciæ alicuius sit, Prouincialis dicitur, vt Ecclesia per Iudæam tempore Apostolorum. Si certę communitatis, parrochialis dicitur, sin familiarum tantum certarum, domestica dici potest Ecclesia, Qualis fuit Aquilæ domestica Ecclesia. Rom. 16. versu. 5. Hæc varietas non efficit multas Ecclesias, sed vna est, & manet Ecclesia Christi vno spiritu congregata, & deinceps ad finem vsque mundi congreganda. Eph. 4. v. 4. *Vnū est corpus Christi, & vnus est Spiritus, sicut & vocati estis in vnā spē vocationis vestræ.* vt Cant. 6. *Vna est columba mea, & perfecta mea.*

Acto. 9. Acto. 14. Quòd sit vna.

In quo sita Ecclesiæ vnitas.

1. Ad hanc vnitatem sufficit consensus in articulis fidei præcipuis.

2. Item locorum Scripturæ præcipuorum conformis interpretatio, quæ congruat cum symbolo Apostolico.

3. Denique sacramentorum pura administratio, secundum Domini institutum. In hoc si consentiant Ecclesiæ locis dissitæ, & ritibus differentes, tamen vnitę sunt, quia vno reguntur spiritu, vnum agnoscunt caput Christum, vna spe beatę vitę dicuntur. Sic temporum diuersitas non impedit vnitatem. Vt Ecclesia ante legem, sub lege & post legem, vna est, consensu doctrinæ, quia omnes ad Christum Messiam respiciunt: solùm isto discrepantes, quòd illæ in venturum sperabant, post incarnationem autem in præstitum iam sperent. Idem interim manet salutis Organum Christus Mesias: idem spiritus gubernator ac defensor: eadem fides: eadem spes: quanuis diuersis temporibus diuersi ad illam vocentur. Quemadmodum vinea vna est & eadem, quanuis diuerso tempore diuersi in illam admittantur, secundum parabolam Matth. 20.

Vna semper fuit Ecclesia.

Simile.

Caput Ecclesię. Hæc vna & vera Ecclesia, vnum & verum tantùm habet caput, Christum Filium Dei, *Quia vnus est Dominus, & vna fides, & vnum Baptisma.* Ephes. 4. vers. 5. & ad Ephes. 1. versu. 22. *constituit eum caput super omnia Ecclesiæ suæ.* Eph. 5. vers. 23. *Christus est caput Ecclesiæ, qui & salutem dat corpori.* Quemadmodum igitur vna est ecclesia, & vnum verum corpus Christi ecclesiasticum: ita vnum verum habet caput, nec est multiceps. Nam scriptura Apostolos nunquam fecit capita ecclesiarum, quanuis honorificè loquatur de Apostolatu ac toto Ministerio: Et ipsi Apostoli hunc titulum sibi nunquam vsurparunt, imò fuerunt, contenti seruorum titulo, dispensatorum & cooperariorum. De capite & Vicario administratorio, inconueniens quæstio est: nam illa locum haberet, si Christus abesset à sua ecclesia, nunc cùm semper præsens sit vsque ad finem mundi, adeo vt vbi duo vel tres congregati fuerint, in medio illorum esse velit, satis constat vicario capite non esse opus. Præterea vnicum matrimonium, vna sponsa, non admittit duos sponsos, non duo capita. Christi ecclesia vna est, vnum igitur sit eius caput oportet. Quòd autem dicunt de potestate commissa, ligandi, soluendi, docendi, &c. illæ proprietates non faciunt caput, sed ministros & commissarios (vt ita loquar.) Et quanquam vni Petro hoc dictum sit, omnibus tamen præstitum & exhibitum est: ideo caput dici ex eo non potest, sed scriptura ob id eum nunquam vocauit caput, & ipse Petrus hunc titulum nunquam agnouit, de qua re alibi diximus.

Nullum caput vicarium in Ecclesia.

Simile.

Fatemur etiam hanc Christi vnicam ecclesiam in his terris militantem errare posse.

Ecclesia militans errare potest.

1. Nam primùm concedendum est pios in hac vita peccato esse subiectos: & cùm peccatum error sit, hoc sensu Ecclesiam posse errare manifestum est, nam etiam iustus septies in die cadit, teste Salom. Prouerb. 24.

Deinde secundum membra sua errat: vt, Petrus Apostolus errauit, simulando cum Iudęis. Gal. 2. adeo vt à Paulo grauiter sit obiurgatus, & obiurganti cesserit. Quid ergo dicemus de aliis inferioribus?

3. Et prima illa Iudaica Ecclesia, aliquandiu errauit zelando pro lege Mosis. Act. 21. v. 20.

Zelatores

zelatores legis sunt, quanquam credant in Christum, qui error non potuit mox auelli ab Apostolis.

4. Gentium Ecclesiæ etiam suos habuerũt errores, & Galatarum Ecclesia admisit circuncisionem. In Corinthiaca multi erant grauissimi errores: qualis erat is, quòd nonnulli negarent resurrectionem: alij discrimina ciborum obseruabant more Iudæorum: alij temporum: alij aliis laborabant vitiis: sic de aliis ordine dici potest. Errauit grauiter Græca Ecclesia, Aphricana, Alexandrina, Ierosolymitana, Constantinopolitana. Quid ergo de Romana aliud dicemus? Certè quod aliis accidit, in hac etiam verum deprehenditur, externam illam Romanam plurimum errare. Sed aiunt, Sponsa est Christi, & illius regitur spiritu. Respõdeo: Quatenus illius regitur Spiritu non errat, sed quia alterius sæpe audit vocẽ, omnino errat. Id planũ est in Romana Ecclesia, in qua non vox Christi pastoris, sed Antichristi frequentius auditur.

Ecclesia quatenus regitur spiritu Christi nõ errat.

1. At dicitur sine macula, ad Ephes. 5. Respon. Est sine macula, imputatione, quia merito Christi non imputatur, alioqui nemo tam sanctus in hac vita est, quin suas maculas cogatur agnoscere.

Ecclesia est sine macula imputatione.

Deinde, si conatum sanctorum inspicias, sine macula dici possunt, propter conatum, quia aspirant ad eum statum, qui omni caret macula.

3. Denique non statim necessum est in hac vita impleri omnes conditiones Ecclesiæ veræ: multæ in alteram vitam reseruantur: & quòd pura est, in altera demum vita plenè obtinebit. Vide nostrum Examen, & locum 1. Timoth. 3. in explicatione versus. 15. Est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.

Superest vt consideremus signa veræ Ecclesiæ. Quia enim hunc titulum sibi vsurpant impij & hypocritæ, necessum est habere quædam γνωρίσματα secundum quæ agnoscamus veram Ecclesiam, hoc est, vbi sit, & quæ sit: nam quia est visibilis cœtus, oportet in his terris etiam certo aliquo loco, quanuis nõ eodem semper, monstrari posse. Id perdifficile est interdum, vt tempore Christi, Pharisæi tenebant nomen veræ Ecclesiæ, cùm non essent. Sic Eliæ temporibus admodum obscura erat, ideo diligenter attendenda sunt vestigia veræ Ecclesiæ, ne locis & personis erremus, aliisque quibus hodie solet limitari ecclesia.

De signis & notis veræ Ecclesiæ.

1. Notæ aliæ internæ sunt, aliæ externæ. Internæ sunt, primùm vera Ecclesia originem habet à Deo. Ioan. 1. ver. 13. *qui non ex sanguine aut voluntate carnis, vel viri, sed ex Deo nati sunt* hinc *cælestis est Ierusalem*, ad Gal. 4. Contrà falsa Ecclesia propagatione carnali gloriatur. Ioan. 8. *Semen Abrahæ sumus.* Matt. 3. *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham, potest enim Deus ex lapidibus filios Abrahæ excitare.*

Veræ notæ Ecclesiæ duplices internæ.

Deinde vera Ecclesia Spiritu Christi regitur. Rom. 8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Contrà, falsa Ecclesia, spiritu carnis ducitur, Satanam habet Patrem & conditorem.

3. Præterea vera fide coniungitur Christo. Ephes. 3 17. *vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris*, vbi veram Ecclesiam à falsa distinxit Apostolus, quia falsa Christum in labiis habet non in cordibus: hoc est, hæret in externis ceremoniis, locorum discrimina, personarum successionem admiratur, traditiones & constitutiones hominum: interim vera fide & corde longè abest à Christo. Sed perueniamus ad externas notas, ex quibus de internis etiam iudicandum nobis est.

Externæ notæ.

Primùm igitur certissima nota est veræ Ecclesiæ, si in cœtu aliquo dominetur puritas doctrinæ. h. e. si Christi, non alterius, vocem audiant homines, Ioan. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Sed latè patet hæc nota, nam continet veram interpretationem scripturæ, vt non solùm legatur scriptura canonica, sed recta sit illius quoque interpretatio. Vide locum Chrysost. in cap. 24. Matthæi homilia 49. Addemus igitur specialia quoque γνωρίσματα.

2. Sit igitur altera nota, consensus in summariis articulis fidei, in vera scripturæ interpretatione, quæ non pugnantem, sed consentientem faciat, vtque hic interpretationis consensus, congruat cum articulis fidei. Non enim mox omnis consensus bonus est: ideo obseruandum est, ne moueamur, si in ecclesia diuersitatem rituum videamus, in quibus semper vsa est sua libertate ecclesia, ideo ne hodie quidem vnitatem & veritatem fidei soluit: illa diuersitas.

Quis cõsensus in Ecclesia retinendus.

3. Vera ecclesia agnoscit libenter quæuis loca satis idonea esse ad cultum diuinum. Ioan. 4. In fide & Spiritu adorabunt Patrem. Sic agnoscit discrimina sublata esse personarum respectu. Gal. 3. *Non est Iudæus nec Græcus*, & cap. 5. v. 6. & cap. 6. v. 15. Col. 3. contrà, falsa ecclesia locis alligat religionem vt Pharisæi Ierosolymis, hodie Romæ: olim clamabant, Templum Domini, Templum Domini: hodie dicitur, Roma Roma. Sic hodie alligatur successioni Apostolorum patrum, conciliorum. In his externis falluntur homines. Nam tempore Christi, illa omnia hostes Christi habebant. Ideo sciamus nil valere sine puritate doctrinæ.

4. Vera ecclesia vnicum fundamentum Christum agnoscit, vt natiuum corpus suo cohæret capit. 1. Cor. 3. *Aliud fundamentum nemo potest ponere.* Eph. 2. v. 20. *angularis vel fundamentalis lapis est Christus.* 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*, hoc fundamentum retinet vera ecclesia. falsa aliud etiam agnoscit, quod super homines fundatum est, super Petrum non petram cùm vera ecclesia dicat, supra petram scil. Christum, fundata sum. Ideo Christus ait, Matt.

16. *Super hanc petram*: non ait super te Petrum.

Christus vnicum Ecclesiæ caput.

5. Vera ecclesia vnicum caput Christum agnoscit, Eph. I. v. 22. *eum constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ*, Eph 5. *Christus est caput Ecclesiæ, & dat corpori salutem.* Falsa ecclesia alia admittit capita, quasi vicaria, cùm verum caput ecclesiæ à corpore ecclesiastico nunquam absit. h. e. Spiritu suo semper præsens, & regens corpus suum. Sic vera ecclesia Christum agnoscit vnicum sponsum, vnicum pastorem, Ioan. 10. vnicum ostium ad salutem. Falsa, alios pastores admittit, quos etiam sequitur: aliam viam salutis ingreditur, alteri viro etiam copulatur.

6. Atque hæc omnia vera ecclesia in externa quoque religionis professione, fatetur. Non enim illi satis est fateri symbolum Apostolorum & Nicænum, sed addit omnium dilucidam doctrinam, vt sanitas eius luculenter perspici possit, & in illa confessione vnitatem fidei complectatur.

Falsa Ecclesia suam habet confessioně.

Falsa ecclesia suam etiam edit confessionem, sed mixtam ex diuersis, quæ sanæ doctrinæ nõ congruunt, nec ex scriptura dilucidè concludi possunt: quia addit infinita alia, quę dissident ab vnione fidei & sana doctrina: vt purgatorium, adorationẽ sanctorum, vicariũ Petri, ceremonias non necessarias, & ritus à Patribus traditos. Atque sic, ex professione doctrinæ, cognosci potest discrimen veræ & falsæ Ecclesiæ.

A Sacramentis quoque certa ponitur regula cognoscẽdi. Nam vera Ecclesia verum vsum à Christo institutum retinet in sacramentis, hoc est, non aliis quàm à Christo institutis vtitur, numerum seruans præscriptum. Deinde formam quoque Christi non mutat, vt in Cœna sequitur formam institutionis, vt sub vtraque specie exhibeat, & actioni addat verbum. Sic in Baptismo lauacrum aquæ per verbum coniungitur, & Matt. 28. Docentes iussit baptizare. Falsa Ecclesia hîc variat, primùm in numero, deinde in actione mutilat sacramẽta. Addit nouas ceremonias, nouam linguam, de quibus alibi.

Aliæ notæ, veræ Ecclesiæ.

8. Vera Ecclesia dilectione fraterna copulatur, Ioan. 17. In hoc cognoscent quòd discipuli mei sitis, si dilexeritis vos mutuò: hanc igitur pij seriò exercent.

1. Hinc illius fructus etiã perspici possunt, vt beneficentia in pauperes, quam nulla hypocrisi exercẽt, sed amore Dei, nil sui quærentes.

Deinde studium pacis cum omnibus, quoad fieri potest. Nam idem Spiritus dilectionis est, qui & pacis author.

Antithesis veræ & falsæ Ecclesiæ.

3. Item reliquorum bonorum operum studiosissima est vera Ecclesia, quia scit se ad illa conditam esse, vt in his ambulet. Item, quòd fides per dilectionem operosa, sola Deo placeat. Interim se agnoscit semper inutilem seruum, quantuncunque multa præstiterit. Falsa Ecclesia hostili laborat odio, fraterna non ducitur dilectione, opera verò præstat, vt spectetur ab hominibus ideo accipit mercedem suã in hac vita. Confidit operibus non Christi merito, prædicat opera sua, vt ille Pharisæus in templo: interdum illa planè negligit, & in aliis quoque damnat.

9. Vera Ecclesia hostiliter insectatur vitia, quia nouit aliena esse à renato homine, & in regno Dei locum habere non posse. Ideo disciplinam morum amat tanquam εὐταξίαν illi necessariam in hac communi vita: &, vt disciplinam honestam retinere possit, optimos præficit sibi, qui moderentur mores, aduertant in vitia. Hinc Aristocratia rectissimè dicitur. Omnia autem refert ad vnum pastorem Christum, cuius Spiritum in omnibus audit, ex quo Monarchia eadem est. Falsa autem Ecclesia licentiam quærit in moribus: ideóque figit & refigit pro arbitrio leges: vel tyrannidem instituit & carnificinam animarum, colendo Deum mandatis hominum.

10. Vera ecclesia vt plurimùm cruci est subiecta, vagatur per loca deserta, migrat de gente in gentem, de loco in locum vt testatur epistola ad Heb. II. Contrà, falsa persequitur, dominatur, occidit, mactat. Meminerimus igitur probè veræ Ecclesiæ proprium esse pati persequutionem, falsæ, persequi, veræ, occidi, falsæ occidere: veræ fugari & oberrare, falsæ dominari & vno loco semper velle durare. Hoc odiũ & illa antithesis statim cœpit cũ hominibus, & continuata est per omnes ætates ad nostra vsque tempora, duratura ad finẽ mũdi. Cain Abelẽ iustũ fugat & occidit: Esau Iacobum: Ismaël Isaacũ irridet. Sic falsi prophetæ persequuti sunt bonos: filij hominis filios Dei: Pseudo apostoli veros Apostolos: falsi fratres, veros fratres: Iudæi Christum: Satan Adamum: Sacerdotes Baal cum Iezabele, Eliam: Moses Ægyptios fugit: Ieremiæ cõtradicũt falsi prophetæ, à quibus incarceratur, & tandem occidi procuratur. Hæc diligẽter imprimantur animis nostris, tanquam idea fortunæ veræ Ecclesię, ne specie externa decipiamur, & pro vera falsam amplectamur.

Discrimen hoc vtriusq; Ecclesiæ diligenter annotat Apostolus ad Galat. 4. in typo Saræ & Agar. Ex qua collatione, pauca his addemus ad finem. Vera Ecclesia in Sara adũbratur, ex qua nascitur Isaac, secundum promissionem fidei. Ideo liber ex libera nascitur: agnoscit tamen gratiam Dei, quæ est gratia noui Testamenti. Ideo Sion mons sanctus, sedes illius, & sancta Ierusalem seminis illius habitaculum.

Sara typus veræ Ecclesiæ.

Falsæ autem Ecclesiæ typus est Hagar, ex qua serua, seruus nascitur Ismaël, secũdum carnem quo-

quoque cõcipitur & nascitur, hoc est, ex ea quæ idonea adhuc erat ad partum: & quia seruus est, cum matre ad legẽ pertinuit ceremoniis addictus: hinc ad Sina montem (in cuius solitudinibus enutritur, & viuit ex præda, tanquam homo ferus) cuius manus contra omnes sunt. Hinc Ierosolyma externa conflata est, cœtus hypocritarum, & synagoga Iudaica, oppunans Ecclesiam Christi. Hactenus de Ecclesia. *Hagar typus falsæ ecclesiæ.*

DE CONCORDIA ECCLESIAE.

LOCVS LVIII.



DE Concordia quæ iam proponemus huc spectabunt. Primùm eam Ecclesiæ proprium esse ornamentum, eique necessariam. Deinde in quibus sit necessaria. Tertiò, cum quibus seruanda. Quartò, per quos cõseruanda. Atque vtinam tam feliciter quàm libenter in hoc versemur argumento.

1. Quod necessitatem eius concernit, hinc potest perspici, quòd scriptura illam proponens, soleat ad naturam ipsam nos reuocare. Vt enim consensu rerum natura conseruatur, dissoluitur discordia, sic Ecclesia Christi. Hinc illæ similitudines Apostolo tam familiares de mẽbris in vno corpore. 1. Corinth. 12. vers. 12. Rom. 12. v. 5. Eph. 4. v. 4. 16. Ac si dicat, species singulæ conseruantur concordia & consensu quodam tacito. Auris certè rogata, quid facit oculus? si posset responderet, mihi videt: & oculus rogatus, quid auris facit? diceret mihi audit: & ambo de manibus, responderent nobis laborant: vt hæ de oculis & auribus nobis vident & audiunt: de pedibus, nobis ambulant. Summa, omnia membra in corpore sano concordia sunt, gaudent & congaudent sibi: quam rem eleganter explicuit Augustinus in explicatione Psalm. 130. hàc membrorum legem in natura positam requirit Christus in suis corporis menbris: quam, singuli videant quomodo obseruent. *Natura dictat cõcordiam.* *Simile.*

Deinde, experientia accedit, quæ satis testatur nullam vnquam domum, ne dicam cœtum maiorem, vnquam incolumem permanere potuisse, sine concordia. Rectissimè est dictum à Salustio, Concordia res paruæ crescũt, discordia verò magnæ dilabuntur. Paruos cœtus concordia sæpe extulit: maximas Ecclesias discordia euertit. Idem accedit Rebuspublicis magnis, exercitibus potentissimis, regnis florentissimis, quæ non aliunde corruerunt quàm dissensionibus. Exemplis plenæ sunt omnes historiæ. *Dictum Salustij.*

3. Inde factum arbitror vt Ethnici concordiam Deam fecerint, sacra instituerint, templáque erexerint, quia videbant saluas res humanas sine hac esse non posse. 1. Camillum produnt historiæ primum templum concordiæ vouisse deuictis Hetruscis, vel vt alij volunt militari seditione permotum. 2. Idem postea fecit Manlius, cùm in Gallia seditione laboraret exercitus. 3. Et Opimius oppressis partibus Gracchianorum. 4. Et Tib. Cæsarem prodit Suetonius Concordiæ ædem consecrasse, quam prius Liuia mater eius vouerat. *Concordiã, Ethnici deã fecere.*

4. Et Xenophon author est per Græciam publicam fuisse legem τοὺς πολίτας ὀμνύναι ὁμονοήσειν, καὶ πανταχοῦ ὀμνύουσι τὸν ὅρκον τοῦτον. i. ciues iurare concordiam, & vbique sacramento hoc se obligant. Iusta fuit legis causa, quia animaduerterunt Respubl. incolumes esse non posse, sine concordia ciuium.

5. Ac si primos inspiciamus Christianos, videbimus hanc piorum propriam semper fuisse virtutẽ. Act. 4. Legimus multitudinis cor fuisse vnum. Cor vnum ad nominis rationem pertinet, hinc enim concordia dicitur à cordis conuenientia, vt discordia à cordium diuersitate. Sic Græcis ὁμόνοια, ἀπὸ τῆς τῶν νοημάτων ὁμοιότητος. Quòd igitur primi fideles tanto studio coluerunt, cur nos tam frigidè colimus? *Concordia primitiuæ ecclesię. Nominis ratio.*

6. Sed & his promissio seruit Christi, *Beati pacifici.* Quid igitur de non pacificis? Illi vtique beati non erunt. Et Matth. 18. *Si duo consenserint accipient*, quantò igitur magis si plures, si omnes Ecclesiæ piè consenserint, accipient id magis à Deo Patre?

7. Præterea, origo eius ad Deum refertur, hinc Deus pacis dicitur, tãquam illius author, largitor & conseruator. 1. Cor. 14. *Non discordiæ Deus, sed pacis* 2. Cor. 13. *Deus pacis & dilectionis.* 1. Thes. 5. *Deus pacis vos sanctificet.* 2. Thess. 3. *Deus autem pacis det vobis idem sentire.* Itaque tanquam Dei singulare beneficium conseruandum est studiosè.

8. Sed & Christus hinc dicitur *Princeps pacis.* Esa. 9. & Luc. 1. *Ipse dirigat pedes nostros in viam pacis.* Ab huius principatu igitur alienos esse oportet eos, qui discordię seminaria passim deponunt.

9. Est quoque grauiter præcepta à Domino, Marc. 9. *Inter vos pacem habete*: quod idem repetit Apostolus 2. Cor. 13. Ioan. 14. pacem suam dicit se nobis reliquisse. & 16. *In me pacem habetis.* Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur.* Quomodo autem reliquit nisi reipsa extet in ecclesia? certè inane nomen & vmbra pacis fuerit potius nisi locum habeat reipsa. *Precepta.*

10. Et Apostolus ad Gal. 5. Inter fructus spiritus recenset pacem. Dissidia igitur à cõtrario aspirantur spiritu, qui Dei non est.

II. Et Ecclesia triumphans in cœlis in hac præcipuè acquiescit: illic enim nulla στάσις, nulla λύσις, nulla seditio, nulla secessio. Eleganter inquit Nazianzenus, Inter sanctos & Angelos nil adeò propriũ, quàm τὸ ἄμαχον καὶ ἀστασίαστον. id est, quòd neque pugna neque seditio sit. Ad hunc cœtum cùm aspiremus, vitia hic opponenda sunt, vt paci acquiescamus in his terris.

Sed nolo in his longior esse: omnes facilè perpendent rei necessitatem: Itaque finiamus hoc membrum definitione rei.

Quid sit concordia. Concordia est consensus à Deo suis insitus, de præcipuis religionis veræ articulis, non obstante donorum diuersitate ad ædificationem Ecclesiæ suæ.

Græca definitio. Græci definiunt, quòd sit Συμφωνία νοημάτων, consensus rationum, id si paulò explicatius dicas, rectè habebit. Addamus ergo illa ad explicandam definitionem, ὁμόνοια ἐστι συμφωνία νοημάτων ἐν πρώτοις κεφαλαίοις τῆς σωτηρίας ἡμῶν, ἐμφυτευθεῖσα ἀπὸ θεοῦ πνεύματος εἰς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας. i. Concordia est consensus rationum in primis capitibus nostræ salutis insita à spiritu Dei, ad ædificationem ecclesiæ.

Subiectũ cõcordię honestũ esse debet. II. Dicamus nunc in quibus seruanda sit. Primùm sanè subiectum honestum sit oportet, quis enim in scelere concordiam laudaret?

Christus inquit Matt. 10. *se missurum ignem*. Et Luc. 12. dissidia, non vtiq; suis sectatoribus, sed mundo ista immittet, in malo concordi, vt mala cõcordia inquisitione veritatis dirimatur. Itaque de honestæ rei concordia agendum est.

Primi articuli fidei vocãtur qui ad salutẽ sunt necessarij. Hanc constituimus ex definitione posita in primis fidei articulis. Primos vocamus qui ad salutem necessarij sunt, quos nobis symbolum expressit, in his obtinere consensum, concordiam dicimus.

August. sentẽtia. De reliquis, cùm non possit transigi, ferenda est iudiciorũ diuersitas: imò, quod est maius, in his sæpe liberè fateri possumus ignorantiam nostram, quod Augustinus habet, *Christianus ad multa respondere potest, ignoro.*

Id contra eos valet qui in minutissimis etiam omnium iudiciorum confirmationem exigũt, ac nisi in omnibus subscribatur, parata habent fulmina, hæreses, sectas, anathemata, imò carceres & mortes.

Exempla si res postularet, produci poterunt non inepta: sed sciamus nos, morem hunc Ecclesiæ veræ nusquam fuisse: in ea homines malitiosi illa sustinent incendia, vt possint πρωτεύειν. i. primas obtinere.

Nũquam erit in Ecclesia, idem sententiarum consensus. .1 Sed cogitent ipsi quàm rem impossibilem requirant & absurdam. Nullum certè vnquam ingenium tam elimatum emersit, cuius iudicio omnium doctorum sententiæ subscriberent. Euolue & reuolue tam ecclesiæ, quàm Philosophiæ historias, reperies rem ita se habere. Perfectissima visa est Aristotelis Philosophia, tamen reperti sunt homines qui reperirent in ea reprehendenda, nec sine ratione. Socratis Philosophia planè pia est, & innocentiæ plena, tamen habet quod reprehendat in ea Augustinus. De religione si loquendũ sit, Moses perfectissimam dedit eius formulam, tamen Iudæi varietate in explicatione ipsi non conueniunt. Et in Christi doctrina Patres infinita sine insectatione aliter atq; aliter exposuerunt.

2. Et donorum diuersitas hoc ipsum secum trahere videtur. Quid enim, si datum mihi nõ sit quod tibi, aut tibi quod mihi, aut vtrique quod tertio, quid insectabimur dissentientes? vtique pietas hoc non fert.

3. Ac si rem penitus inspiciamus, non caret interdum sua vtilitate, excitãtur ingenia, expenduntur rationes, confertur sibiipsi scriptura, ponderantur argumenta, posteríque dies intelligunt, quod initio secus videbatur.

Itaque sic statuo salua concordia præcipuorum articulorum fidei, in aliis non obstare rebus Christianis, dissidere opinionibus, cui tamen addo istud: Optandum quidem nobis omnibus, iterum, iterúmque optandum vt in minimis quibúsque consensus firmus ineatur à tota ecclesia: sed cùm euentus votis non respondeat, fortè aliud pro merentibus peccatis nostris, & insigni ingratitudine, diffidentia iudicia à multis proferenda esse: Imitemur in hoc casu Senatores prudentes qui in Senatu de eadem causa contrarias pronuntiant sententias, & singuli nituntur suo intellectu, suísque rationibus, bonáque conscientia. Interim dimisso Senatu, amicissimi sunt, sine vlla simulatè Rempub. tuentur.

Exemplum. Erasmus sanè cum Budæo amicè disceptauit de conscribenda copia: cum Fabro de sententia illa μετὰ τρεῖς ἡμέρας, interim cum vtroque inuiolatam seruauit concordiam. Et de Moscopulo ac Philelpho tradunt, eos amicè dissensisse: in graui tamen loco Euangelij Ioan. & λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν, cùm Moscopulus πρὸς verteret, secundùm Deum, vt sensus sit λόγον esse secũdum Dei imaginem, ab æterno natum, quia πρὸς significat conuenientiam, Philelphus verò censeret vertendum, penes, quasi dicat, λόγος erat penes Deum: ac quanquam verior esset Moscopuli sententia, & erroris plena sententia Philelphi, tamen concordiam non violandam censuerunt. In Hieron. & August. quot sint iudiciorum dissidentes rationes, nemo ignorare potest, qui saltem epistolas illorum legerit: tamen anxiè semper cauerunt dissidia. Hodie certè secus fit, ob commata & particulas, καὶ, ὅ, &c. litem moueremus: ita vt crimen hæreseos metuendum sit. Quòd si recentes illi plus feruoris quàm pietatis ad disceptationes afferre pergerent,

habe-

habebunt & ipsi suum aliquando iudicem.

Cũ quibus sit colendus cõsensus

III. Reliquum est vt explicemus cum quibus sit colendus consensus. Primùm, ex superioribus efficitur, discrimen esse opinionum: hoc diligenter seruandum est. Nam qui palàm ἄθεοι sunt, non sunt ferendi: qui ἀταξίαν inducunt: qui Magistratum tollunt: qui bella non necessaria mouent: qui aperta flagitia tuentur: qui articulos ad salutem necessarios negant, tollunt, aut in dubium vocant: cum his vtique nolim concordiam seruare. Sic, qui Epicuri mores amãt, indigni sunt consensu.

Vitanda concordia.

Facit hoc contra eos, qui vniuersalem quandam totius orbis concordiam sibi imaginantur, somniántque singulos in sua religione posse saluari, ideóque permittendum vt omnes sua fruantur liberè religione & opinionibus, impunè.

Contrà, statuo certos esse, & eos fortè paucos, cum quibus vera concordia seruanda sit. Ac contra illam totius orbis concordiam affero illas rationes.

1. Deus vnus est, quæ vnitas parit vnitatem fidei veræ. Eph. 4. ver. 6. vt igitur vnus Deus est, non multi: sic vna est formula rectè colendi Deum, quam mundo Deus iste vnus proposuit, & extra quam, impossibile est Deo placere.

2. Deinde Deus violatores vnius & certę religionis atrociter punit. Ergo in aliis eidem non placebãt, nec enim punire voluit violatorẽ Mosaicæ legis, si, sine illa, Deo quis placere poterat.

Magistratus custos religionis.

3. Præterea magistratus, qui custos est religionis, & Dei in hac re vicarius, vnam & certam conseruare iubetur, contrarias autem omnibus modis tollere, vt vni Dei adoretur, idola verò & eorum cultus prorsus eliminentur.

4. Et quæ Respub. ferret, aut quis Princeps pateretur, suos ciues alienis vti legibus ac ceremoniis, nisi quas patrius mos publica authoritate recepisset: At Ecclesia, Dei ciuitas & Respublica est: habet ergo vnam & certam formulam, in qua sola, Deo potest placere. Simile.

5 Denique nocens esse istud dogma inde constare potest, qnòd malos in malitia confirmet: contemptum Dei & ἀθεότητα inducit, bonos mores corrũpit, sectas alit. Doctrina autem veritatis contraria efficit, malos emendat, castos parit mores, pœnitentiam omnibus suadet. Atque hæc doctrina sola est Christi, quam in Euangelio nobis reliquit, ideóque potentia Dei est ad salutem omni credenti.

Salua pietate pax cum omnibus seruanda.

1. Sed habent illi quod dicant. Primùm aiunt: Deus per Apostolum iubet cum omnibus pacem seruare: Rom. 12. Id quidem verum est: sed limitat mox rem, quoad fieri potest: quasi dicat, si fieri potest, salua conscientia, salua pietate, saluo vero Dei cultu, pacem seruare cum omnibus: sin minus, Deo plus debetis, quàm impiis hominibus.

In hac vita nunquam erit vnum ouile, sed in futura

Deinde, Erit vnum ouile, vt est vnus pastor: sed facilis est ratio, vt pastor vnus est, sic erit vnum ouile, non dicit est vnum ouile, nec etiam dicit in hoc mũdo erit vnum ouile, sed erit absolutè dicit. Iam quærunt illi quando hoc sit futurum: nos asserimus in vita æterna hoc futurum: illi videntur in hunc mundum trahere: videant ergo quomodo hoc probent. Itaque desperatum est in hac vita de hac vniuersali concordia, nisi velint ad millenarios transfugere: sed ne tum quidem probabunt. Magis igitur optãda, quàm speranda est in hac vita.

3. Præterea addunt semper fuisse dissentiones de religione, quas nemo vnquam potuerit corrigere. Id quidem concedimus: sed non sequitur ideò, quæuis deliria esse probanda aut toleranda in Ecclesia.

Addo etiam: sæpe necessitas imponit leges, vt feramus quæ nulla ratione probanda sunt: addimúsque sententiam Domini Christi, *Necesse esse vt veniant scandala, sed ve homini per quem veniunt.* Itaque sectarum antiquitas rem non probat, nec etiam necessitas rem honestam facit.

Sectarũ antiquitas rem non probat.

4. Omnium est Deus, inquiunt, non solùm Iudæorum an non etiam Gentium? vtique Gentium. Addunt illi, num solùm Christianorum, an non etiam Turcarum & Iudæorũ? Rectè quidem, sed vt omnium Deus est, nec omnes approbat: ita in religionis diuersitate, concedo omnes Deum colere, sed non omnem cultum Deo approbari. Deinde ineptè locum Apostoli huc trahunt: nam Paulus hoc vtitur argumento, vt doceat Gentes etiam per Christum saluari, non solos Iudæos: isti contrà faciunt: vt probent extra Christum aliquos saluari posse, eadem verba afferunt, quod planè absurdum est.

Argumentum Papisticum.

5. Affertur & illud, tot hominum millia in æternum damnari contra Dei naturam & misericordiam est, quotus enim est Christianorum numerus, ad tot myriades Turcarum, Arabum, Ismaëlitarum, aliarúmq; nationum, quæ Christum non agnoscunt, & per nouas insulas, quot sunt regna, quot hominum millena millia, quæ nomen Christi non audiuerunt, audiunt nec audient, & dicere illos omnes perire, quid aliud est, quàm insanire velle contrâ rationem.

Responsio.

De multitudine respondemus ex dictis Christi, *Stricta est porta, & pauci ambulant per illam, angusta est via ad vitam, lata autem ad interitum, & multi illam incedunt.* Itaque numero hîc non est certandum. Ac interim Dei arcanum hîc non impugnamus, si per illas nationes quosdam habeat Christianos occultos, vt habet: illis suo modo succurrit. Nos sequimur apertã Dei voluntatem, quæ falli non potest, nec fallit eos qui innituntur. Sine fide impossibile est Deo placere, fides autem ex auditu, auditus per verbũ Dei reuelatum. Ergo verbo insistamus oportet.

Cæterum, institutum nostrum erat de Ecclesiæ concordia saltem loqui, non de horum qui Notanda

dictorū coclusio. sunt extra Ecclesiam. Itaque finimus hoc quoque membrum illa distinctione: alios palam aduersarios esse articulis fidei ad salutem necessariis, cum quibus nulla est nobis concordia. Alij in his infirmi sunt, quos ferendos docet charitas, & si id quod dicunt sunt, facilè & ipsi pacem seruabunt, donec meliora perspiciant. His secundùm Apostoli regulam inseruiendum est, vt lucri fiant Christo. In reliquis ad salutem non necessariis, patienter sunt ferenda dissentientiū iudicia, quod de ieiunio, aliísque grauissimis causis fecerunt Augustinus, Ambrosius, Hieron. Ireneus & alij.

Cauenda hîc est vehementer vindictæ cupiditas, ne per contentionem amittamus patientiam, quæ est pluris facienda, quàm omne id quod etiam inuito potest inimicus aufferre, vt ait Augustinus Epist. 5.

IIII. Restat quartum instituti nostri membrum, per quos scilicet conseruanda sit: id breuiter expediemus.

Simile. Primùm sanè ad omnes pertinet, quia omnes membra sumus vnius corporis, nā in corpore humano etiam infinita membra consensum seruant. Et in musica, harmonia non solùm constat certa proportione summorum tonorum ac mediorum, sed infimi conspirant quoque, vt ex omnium concentu fiat suauis illa harmonia. Sic in militia, victoria consistit in omnium militum consensu, si nullus suo desit officio.

Ad hunc modum de concordia Ecclesiæ æstimendum est, nimirum illam consistere in omnium ordinum officio, si summi, medij & imi omnes, ad illam conspirent.

Magistratus custos publicæ pacis. Deinde in primis ad Magistratum spectat eius conseruatio, quia hic vicarius Dei est in his terris, & custos publicæ pacis: cuius nomine gladium habet sibi Diuinitus traditum, vt terrori sit non bonis & pacificis, sed malè agentibus, ac pertubatoribus publicæ tranquilitatis. Cuius illustria habemus exempla in veteri Dei populo, & in Christianis quibusdam Principibus.

De Constantino refert historia Ecclesiastica lib. 10. cap. 2. illum sedulò procurasse pacē Ecclesiæ, non solùm contra externos hostes, vt pij pacatè viuerent: sed etiam contra sectas, vt veritas publicè doceretur contra errores Arrij: imò in Synodo Nicena diligenter suppressit priuatorum simultates, adeo vt diuersorum Episcoporum libellos supplices, de variis quereiis semel eodem die omnes exciperet, & excitato igni iuxta se flammis concremaret, ne ministrorum dissidia innotescerent populo, & vt ipse quoque ignoraret, lectione non est dignatus: omnibus silentium & pacem imperauit. His similia alij Magistratus pij præstiterunt, quibus pax & Ecclesiæ commoda cordi fuerunt.

Constantini prudentia in Synodo Nicena.

Illustre Thrasybuli consilium. Cicero concordiæ cultor. Non enim debet huius minor esse cura, quàm Reipub. externæ. Referunt Græcorum historiæ de Thrasybulo illustre consilium, qui Athenis ciuibus diu ac miserè afflictis, bellis ac dissidiis intestinis, instituit ἀμνηςίαν, hoc est, iniuriarum præteritarum obliuionem, quod consilium, patriæ fuit saluberrimum. Et Cicero de se testatur quòd illius author fuerit Romæ, post interfectum Iulium Cęsarem, sed non obtinere potuit: alioquin, Roma tot ciuilia bella non vidisset. Et de Aureliano principe scribitur, quòd idem ad pacandum exercitum Imperij Romani, publicorum delictorum condonationem instituerit. In quo tamen non desit culpa. Quantùm autem in Ecclesia sit necessaria illa Attica ἀμνηςία, videant pij Principes & Magistratus.

Pertinet etiā hæc cura ad Ministros, qui cùm defensores sint sanæ doctrinæ, imp rimis illam ad tranquillitatē debent dirigere. Deinde cùm debeant esse exemplaria gregis, in primis vita ac moribus pacis exemplum declarare debent. Ne ad arma incitent Magistratus, & moueant tumultus non necessarios. Deinde in dissidiis tractandis & locis controuersiis moderationem sequantur, ne ob quamuis voculam lites moueant, omnésque dissidentes mox damnēt.

Iren. lib. 5. cap. 24. Victor Romanus Episcopus. Illustre exemplum habemus in Irenæo, qui in eo verè nomini suo respondit: fuit enim verè pacificus. Nam cùm quæstio de Paschate celebrando sub Victore Romano Episcopo, in acerbam contentionem traheretur, adeò vt idem Victor omnes Asiaticas Ecclesias excommunicaret, hanc ipsam ob causam quòd 14. luna celebraret Pascha contra morem Romanæ Ecclesiæ, acerbissimè illum obiurgauit, ac profert in ea epistola inter alia, exemplum Polycarpi, qui hac ipsa de re cum Aniceto contulerat priùs, tamen neque Polycarpus visus est Orientalium morem corrigere, nec Anicetus Rom. Eccl. morem deserere, sed re libera vtrinque relicta, pacem & concordiam studiosè continuarunt. Ad horum exemplum Victor quoque debuerat pluris facere pacem Ecclesiæ, quàm præiudicium suum.

Moderatio Irenæi sequenda. Hac moderatione Irenæi hodie multa acerbissima dissidia corrigi poterant, si tantùm pietatis, quantùm animi ad has disputationes afferremus.

Trip. lib. 1. cap. 10. Spiridioni in quadragesima licebat peregrino apponere suillas carnes, quo abhorrente ac dicente Christianus sum, non vescor iam carnibus: Amice, respondit, Eò magis vescere, cùm Christianus sis, cùm mundis omnia munda sint: quæ moderatio hodie locum non haberet.

DE

DE SCHISMATIBVS.

LOCVS LIX.



SCHISMA propriè dicitur corporis solidi sectio, qualis est in lignorum fissura, quæ vnitas partes ligni dirimit: id enim significat Σχίζω καὶ Σχίζομαι, à quo Germani mutuati sunt, *schidem*, & χίζα καὶ χιδακαὶ μικραὶ, hoc est, κλάσματα τοῦ ξύλου, *schitter*, & Σχινδαλμοὶ assulæ, *schindlem*, &c. — Ratio nominis.

Hinc per metaphoram res translata est, ad opinionum & sententiarum diuersitatem. Qui vnum & idem sentiunt, rationibus aliquando adducti incipiunt diuersum sentire, id schisma vocatur, hoc est, sectio: & quibus de re vna est pronuntiandum, sententiis differunt. Sic de Christo diuersa sunt iudicia, Ioan. cap. 7. alij dicunt, bonus est, alij non, sed turbas seducit: ideóque rectè inquit, schisma fuisse inter eos. Vox ista postea mansit in Ecclesia, vt illa notarentur hi, qui à concordia publica, & studio pacis secederent, priuatos instituerēt cœtus: quales hodie sunt Anabaptistarum congregationes, ideóque vicina est Hæresi.

Differt tamen schisma ab Hæresi. Primùm, quòd hæresis falsum habet dogma: schisma autem in eodem interdum dogmate societatem rumpit. — Quomodo differat schisma ab hæresi.

Deinde quòd Hæresis fidei synceritatem euertit, Schisma autem pacis vinculum lædit. Addunt scholastici quòd hæresis à principio sui habeat peruersum dogma: Schisma autem in fine fingit hæresin, vt iustè videatur ab vnitate recessisse.

Item Schisma tanquam genus esse, hæresin speciem: omnis enim hæresis schisma est, non autem contrà mox omne schisma hæresis. Adde, quòd schisma quædam sit dispositio, hæresis autem iam induratus habitus: sic quidem hæc inter se distinguunt. — Schisma genus est, hæresis species.

Cęterùm sacræ literæ non admodum separant. Nam Apostolus 1. Cor. 11. schisma & hæresin pro eodem accipit, *Audio in vobis esse schismata, & ex parte etiam credo, oportet enim hæreses in vobis esse*: quo loco schisma & hæresin vt idem significantia coniungit. Tamen si rem ipsam consideremus, sic possunt rectissimè distingui.

Hæresis est latens virium, quod etiam suo tempore, cum offendiculo erumpit: schisma autem tum dicitur, cùm factiones dat, cùm partes & secessus fiunt. Ita quidem hæresis latêre potest diu: schisma autem palàm fit. Cùm Arrius secum meditaretur dogma suum, hæresis erat: nondum tamen schisma, donec discipulos & sectatores quæreret, quos separauit à reliquis cœtibus. Ita Anabaptistis multi fauent hodie, non tamen instituunt schisma, sed concordiam & vnitatem in Ecclesia seruant.

Hinc Germani schisma appellant *einsunderunp*, hæresin verò *ein irthumb*. Itaque quidē schisma latiùs Hæresi patet.

Schisma Augustinus ita definit lib. 2. contra Cresconium gramm. Est recens congregationis, ex aliqua sententiarum diuersitate, dissensio: rectè quidem recens, quia nisi erumpat in sectas, non est schisma: manet tamen schisma diu, vt non solùm in nouitate, sed in duratione maneat. Itaque dicemus schisma esse dissensionem, quæ facto ipso partes alat, contra vnitatis & concordiæ vinculum, siue illa sit recens siue inueterata. Vt schisma inter Vrbanum sextum & Clementē sextum durauit ad annos triginta, quo tempore, Clemēs sedem Auinionem transtulit. — August.

Schisma prima sui origine, à malo cœpit. Nam bonum vnitum est: hinc Deus boni author vnus & simplex est, omnis diuisionis expers: à bono quæ recedunt schisma faciunt, & in partes abeunt. Sic Adam à Deo recedens schismaticus est factus, authore Satana: idem ille est qui spargit malum semen & zizania inter bonum semen, Matth. cap. 13. gaudet iste sectis & factionibus, ideóque omni studio illa promouet. — Adam schismaticus.

Deinde accedunt membra Satanæ, quæ ipsa quoque turbis delectantur: non tamen omnia iisdem ducuntur rationibus. Alij odio fratrum ducuntur, quo vitio Donatistæ laborasse videntur tempore Augustini.

Alij ambitione & dominandi studio: quo vitio Papatus creuit cum maximis schismatibus. Romani enim Pontifices Episcopum Alexandrinum, Hierosolymitanum, Constantinopolitanum deiecerunt. Orientem tandem, vt schismaticum damnarunt. Ipsi etiam inter se Romani de sede factiones innumerabiles instituere. Inter Gregorium 12. & Benedictum graue schisma, vterque etiam depositus Pisis, & in concilio Constantiensi subrogato Martino quinto, omnes tres priores Gregorius, Benedictus, & Ioannes, qui Pisis electus fuerat, depositi sunt. — Papatus creuit maximis scismatibus.

Et mox Eugenius, qui Martino successit, schisma instituit, ita vt in concilio Basiliensi deponeretur, electo Amedæo Sabaudo. — Amædæus Sabaudus Papa.

Alij accedunt, qui cæco fauore in personas laborant. Hoc vitio laborant imprimis mali doctores, qui deposito veritatis studio, hominibus gratificari volunt: & hi magis impunè ludunt aliis, quando pietatis specie magis pollent. Hinc Hieronymus rectè dicit: *Veteres scrutans historias, non possum inuenire, scidisse Ecclesiam, & de domo Domini populum seduxisse, præter eos, qui sa-*

cerdotes à Deo positi erant & Prophetæ, hoc est, speculatores.

Quidã ignorantia veri, in partes abeunt: qui eò sunt tolerabiliores, si illa non sit affectata: sic turbæ de Christo schisma faciunt, Ioan. cap. 7. quia ignorant illum esse Bethlehemitam, putant Galilæum: ideòque reliquis sese opponunt. Num à Galilæa veniet Christus? nónne Scriptura dicit, quod ex semine Dauid, & ex Bethlehem, &c.

Anabaptistarum erronea opinio. Alij propriarum virtutum admiratione, & vana sanctitatis persuasione: vt olim Cathari, qui puros cœtus quærebant: & hodie ex Anabaptistis aliqui fingunt puras & sine labe Ecclesias.

Schisma diuersis modis accidit. Schisma aliud est in rebus externis, qualia sunt schismata in eligẽdis Magistratibus, Episcoporum & Papæ, quando alij aliorum sequuntur partes. Aliud in professione vitæ. Talia induxerunt monachi, dum alius alterius regulam sequitur, tanquam præstantiorem ad vitam æternam. Attamen ex illis nemo regulam Christi sequi vult. Aliud in negatio fidei, idque vel in articulis ipsis, vt hodie renouatur schisma de Trinitate: vel in ritibus: qualia semper fuere, & sine incommodo esse possunt, vt de Feriis, de Paschate celebrando, de aqua vino commiscenda, de ieiunio, de calicibus & panis forma in Cœna, &c. vel in phrasibus: vt hodie in negotio Cœnæ, logomachia magis exercetur à multis: tamen schisma mordicus fouent & retinent.

Schisma diximus genere suo malum esse, & à malo ortum: ideóque non nisi per accidẽs bonum esse potest. Hinc nulla satis iusta necessitas præcidendæ vnitatis visa est Augustino, contra epist. Parm. T. 7. fol. 39. Et Emericum Donatistam hoc in primis vrget argumento, quòd sine causa ab Ecclesia secesserit, epistola 164.

Schisma Victoris Papæ. Victor Romanus Episcopus cùm Asianos damnaret, quòd pascha cum Iudæis celebrarent, admonitus est ab Irenæo, ne facilè scinderet vnitatem ecclesiæ: opinor quòd tanto studio pax & concordia piis sit commendata Apost. 1. Cor. 1. manifestè, prohibet schismata, *ne sint schismata in vobis*, & 1. Cor. 11, obiurgat eos, quòd audiat in illis schismata, &c. Debet igitur omnibus cordi esse, pacẽ & consensum retinere. Quæri hîc solet, quando igitur excusari possit schisma, & quando non habeat excusationem? de quo sic statuimus.

Schisma laudandum. Primùm, illud excusat necessitas: quando boni palàm expelluntur ab ecclesiis, vt illis nec locus inter auditores, nec doctores esse possit: vt hodie totæ familiæ, & integri cœtus coguntur solum vertere nomine religionis: hi dum secedunt, necessitas eos tuetur.

Deinde, cùm synceritas fidei & doctrina ita corrupta est, vt sana doctrina secundum Apostolum non possit vel addisci, vel doceri. Sola enim laudabilis est in sana doctrina concordia: sana doctrina amissa, non ampliùs quæstio est de concordia.

Tertiò, accedit vsus Sacramentorum iustus, & institutioni Christi respondens. Nam Ecclesia Christi has duas habet proprias notas, sanam doctrinam & vsum legitimum Sacramentorum Christi: quę si tollas, amisisti etiã Ecclesiam Christi. Non igitur dubium est, quin ab his liceat secedere, qui nec sanã doctrinã profitentur, nec legitimum habent Sacramentorũ vsum.

Iusta secessio. His quidem de causis iusta fit secessio: & his fundamentis nostræ nituntur Ecclesiæ reformatæ, dum quæritur cur à Papatu sesserint: secessio negari non potest, sed iustas non illius habuisse, causas, profitemur. Optandum fuerat, sanam doctrinam publicæ fuisse ab omnibus admissam: quod cum nolit maior pars, sed errores præferat, debuit reliqua pars Christum potiùs sequi quàm errores receptos.

Porrò hîc se offerunt Anabaptistæ, qui in Ecclesiis reformatis secessionem instituerunt, quã adhuc tuentur. Rationes fermè illas habent.

Anabaptistarum rationes quibus suã secessionem tuentur. Primùm, quòd doctrinæ non respondeant mores, idque adeò non solùm in auditoribus qui nullo cum fructu audiunt: sed etiam in ipsis ministris videre est crassissima vitia: scortatores enim, ebrios, blasphemos, leues, superbos est videre. Et cùm omnia sceleribus plena sint inter nos, promiscuè etiam admitti omnes ad Cœnam sine grauiori vel censura, vel disciplina. Accedit etiã Scripturæ interpretatio tam varia & dissimilis, vt vix spiritus Domini in hac agnosci possit. Hæc fermè sunt quibus sese excusant hodie in schismate ab ipsis instituto.

At has non satis esse iustas ad schisma instituendum, inde constat: quòd sana doctrina & puritas fidei in his non posita sit: quam dum nobis concedunt, se in eo damnant, secessionẽ istam non sano consilio susceptam.

Responsio ad rationes Anabaptistarum. Tamen rationes diligenter quoque expende: quas omnes non difficile sit dissoluere bono & pio Christi ministro, prima excepta.

Certissimum enim est, ministrum Christi bonum, non solùm nouisse, sed debere facere voluntatem Domini sui. Quod enim de lege dixit Apostolus, non auditores sed factores iustificari: id de ministris suis dixit Christus, *Si hæc nouistis, beati estis si feceritis ea*. Ioan. 13. Iam quod ministrorum vitam attinet, extra controuersiam est plurimos hîc reos teneri: nota est multorum quotidiana ebrietas, leuitas, scortatio, blasphemia nominis, adde singularis ruditas & sacrarum literarum crassa ignorantia. Hæc & similia quomodo tueri velint coram Christo iudice viderint ipsi: interim certum est offendiculi subesse iustam causam. Ac quòd me attinet, non habeo aliud, quod hîc respondeam, nisi quod Christus dicit, Matt. 23. de Scribis & Pharisæis, simile de his ministris dicam auditoribus offensis, *In cathedra Christi sedẽt imperiti & dissoluti ministri, quæ docuerint, vos facite, secundùm opera autem illorum nolite facere*. Nobis enim satis esse

potest

potest, quòd vera doceant: quòd verò doctrinam factis non exprimant, mihi non obest: ferent ipsi suas sarcinas. Hoc velim in hoc argumento considerare Anabaptistas, quod quidem faciunt: sed eo contenti non sunt. Talis enim aut indignus erat admitti, aut ferri in ministerio non debebat, quod reliquo magistratui, & deputatis ad id, expendendum est.

Quod auditores concernit, nimis illi arctè limitant Ecclesiam Christi in his terris. Dolendum quidem est doctrinam veritatis non maiori cum fructu audiri: tamen & isti peccant, qui puram quærunt & sine macula in his terris. Christus tulit infirmos & peccatores discipulos. Euangelium contulit reti, in quo non solùm pisces boni, sed alia etiã contrahuntur: & agrum dominicum Zizaniis respersum docet parabola Euangelica, quæ tamen non euelli debent nisi suo tempore. Frustra igitur laborant, in planè puris cœtibus quærendis: & si suos explorant cœtus, non minùs inuenietur peccatorũ, quàm in nostris. Illis satis esse debet, quod semper piis fuit satis, malos cognitos etiam, non obesse piis in Ecclesia: nam bonos interdum impedit, vel quòd prohibendi non sit satis plena potestas, vel alia ratio conseruandæ pacis.

Ecclesia in his terris pura non est quęrẽda.

Nec interea desunt politicæ leges & animaduersiones, quibus scelerati refrenantur.

Quòd de cœnæ communione dicunt, non satis circumspectè faciunt. Nam in illius institutione Christus & Apostolus Paulus præcipiunt, vt quisque se probet, non vt alius priuatus alium priuatum probet.

Christus cum infirmis celebrauit, & inter eos Iudam admisit, vt multis placet. Paulus verò disertè iubet, probet homo seipsum: ita meum est me probare: tuum te: singulorũ seipsos. Hãc disciplinã cùm diligenter & accuratè minister vrgebit, videbitur de occultis officio functus: de manifestis, singulæ Ecclesiæ suas habent pias leges admonendi, consulendi, arguendi, corripiendi, &c. Nam potest Deus vno momento operari, & mutare mentẽ illius, qui, quantumlibet indignus accedit. Nescio vero quo iure arcere possit homo, quẽ Deus & filius Dei non arcet. Sed non est candidi animi argumentum secedere propter peccatores, quos ad se inuitat Christus. Rectè dixit Cyprianus, Etsi videntur in Ecclesia Zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra: vt quoniam Zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus: nobis laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus 2. Timoth. 2. dicit: *In Domo autem magna, non solùm vasa sunt aurea, & quædam honorata quædam inhonorata:* nos operam demus, & quantùm possumus, laboremus, vt vas aureum vel argenteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringere domino soli concessum est.

Propter peccatores ab ecclesia nõ est secedendum.

De Scripturæ interpretatione variã, leue est quod dicunt. Perpendendum illis fuerat, diuersa esse dona in Ecclesia: nominatim in interpretatione, in qua dum fidei regula & synceritas seruatur, nihil est quod opinionum diuersitas nocere possit. In ritibus verò tanta fuit semper libertas, vt cordati non sint offensi: de qua cùm alij copiosè & perspicuè docuerint, non est quòd hîc immoremur. Illud potiùs videamus, quod hodie multos mouet.

Varia interpretatio scriptutæ sincera schismatis causa non est.


An cogi possint? durum est cogi, præsertim in his quæ voluntatis sunt, quæ cogi nisi rationibus piis non potest: & fuit in hac sententia August. quoque lib. retract. capite 5. vt putaret non esse cogendos schismaticos: tamen vsu posteà edoctus mutauit sententiam, vt omnino cogendos ad concordiam censeret. Experientia quoque testatur, multos salubriter emendari, diutina solicitatione.

Augustinus contrà, epistol. ad Parmen. profert legẽ Imperialem contra illos. Author schismatis deprehensus 10. libris auri mulctari debuit, & locus conuenticulorum in fiscum redigi, ipsi etiam nec ius testandi, donandi, conferẽdi, capiendi aliquid ex donationibus & testamentis habebant. Hæc pro loco & tempore piè interdum exerceri posse à pio magistratu iudico.

Moderatio tamen in his sanctè obseruetur, aliter cum authoribus schismatis, & his qui palàm præfracti sunt agendum est: aliter cum aliis qui zelo pietatis & simplici quodam ardore seducti sunt. Cum his dolenter & piè agendum est, vt animaduertant studium pietatis & amorem fraternum apud nos vigere. Cypr. passim magno amore & gratanter suscipit schismaticos, si quando pœnitentia redirent ad Ecclesiam, vt est videre epist. 3. lib. 3. & alibi, &c.

DE PRIMATV.

LOCVS LX.



EST equidem difficilis & perantiqua illa quæstio de primatu: tamen quia id occasio postulat, paucis de ea monebimus.

1. Difficilem autem ideo dixi, quia à magnis viris acriter interdum etiam ad sanguinem est de eo disceptatum. Quæsiuerunt primatum magna contentione Constantinopolitani olim Episcopi, maiori Romani. Et tandem in eo certamine facti sunt superiores.

Difficultas quæstionis de primatu.

Primatus Papæ in Episcopos & in imperatores.

2. Nec solùm eò spectabat illa contentio, vt inter Episcopos summus & esset, & haberetur Romanus: sed & Imperatoribus præferri tandem voluit. Quod citra sanguinem vix tandem obtineri potuit.

3. Accedit ad rei difficultatem, quòd sine expresso Dei verbo, res tanta quæri videatur. Etenim Petri priuilegia quecunque tandem sint, non videbantur in conferendo, ad eam amplitudinē & pompam spectare, vt ob id & princeps in mundo, & inter Episcopos summus potestate & authoritate, successor illius constitueretur.

4. Adde his quod est maximi momenti. Inter doctissimos etiam vtriusque iuris cōsultos nondum satis litem esse diremptam. Hæret illa adhuc inter partes dissidentes, & iudicem ordinarium quærit. Nam licet alij pontificem ita summum cōstituant, vt illi & honoris & imperij primum tribuant gradū, vt solus possit pronuntiare ex scrinio pectoris sui, sine vitio in quancunque tandem partem: tamen alij resistunt acriter. Nam & hæreticū fieri posse pontificē, & de sede deponi, cuius non sunt contēnenda exempla. Quòd Liberius Pontif. Arrianis subscripserit: Marcellinus idolis sacra fecerit: sed & fœmina in eum gradū irrepserit, cuius nota est impietas. Et habet catalogus pontificum, planè impios, qui & Deum negarent, & animarum statu post mortem non bene sentirent.

Multi Papæ hæretici.

Hinc inductos quosdam arbitror, vt putarent cap. 16. Mat. non pertinere ad stabiliendum Primatū Rom. Pontif. Nam in Ecclesia Romana quatenus est particularis Ecclesia, ab vniuersali distincta, non est necessum fidē Christi vsque ad finem mundi continuandā, neque id è scripturis affirmari potest. Si igitur fides ex Ecclesia Rom. in vniuersum deleri potest, vt est metuēdum, vtique totus ille primatus corruit. Nec sunt in hac sententia pœnitendi authores pontificij viri assertores. Qualis est Petrus Alliacensis Cardinalis Cameracensis, item Panormitanus ille Abbas, qui in titulo de sentētia excōmunicationis affirmat vniuersalē duntaxat Ecclesiam in fide errare non posse. Et adhuc sensum intelligendū esse docet, cap. illud lib. decretorum 24. q. 1. Et Lyranus quoque testatur Ecclesiam nō consistere in aliquibus, dignitatis vel officij ratione. Et in decretis habetur glossa distinctione 19. quòd Papa teneatur requirere conciliū Episcoporum, vbi de fide agitur, quo synodus maior constituitur, quàm sit Papa. Ex qua glossa colligit Archidiaconus Bononiensis, periculosum esse fidē nostrā vnius hominis arbitrio committere. Quò citant Bernardi sentētiam. Quæ est maior superbia, quàm quod vnus homo toti congregationi iudicium suum præfert? tanquā solus habeat spiritum Sanctū? quo facit glossa etiam 9. cap. q. 3. Orbis maior est vrbe, quæ citatur ex dictinct. 93. vbi recitantur verba. D. Hieronymi. Si, inquit, authoritas quæreretur, orbis maior est vrbe, &c.

Ecclesia Romana est particularis Ecclesia.

Ecclesia vniuersalis in fide errare non potest.

Synodus est maior Papa.

Sed est eadem perantiqua quæstio, & fermè cùm ipsa religione nata. Nam apud Matt. 18. ipsi Apostoli quærūt, quis sit inter eos futurus maximus. Et ca. 20. mater filiorū Zebedæi anxiè pro filiis intercedit, vt primi esse possint in regno Christi. Natura primatum amat, & cupimus preesse & dominari, opinor eam fraudem esse serpētis: eritis sicut dij. Quam vanam persuasionem ita ingessit auribus nostris, vt totum occupet pectus. Dulce est & amicum dominationis nomen. Ab Apostolis illa quæstio mox defluxit in Ecclesiæ membra, non tam Apostolorum iudicio & volūtate, quàm opera illius qui in Petro & cum petro audiuit, *Abi post me, Satana.* Nam cœperunt regnū Christi externo more imperiorū constituere. Hinc Antiochena Ecclesia propter Petrū prima haberi voluit: negauit id Romana, res in synodo Nicena dirēpta est, non satis tamen certa fide. Nam cùm postea Afri eam negarēt authoritatē Papæ, & quærerent autographum, dubium ille quidem habuit & protulit. Cùm autem apud Alexandrinā Ecclesiam, Antiochenam, & Constantinopolitanam in Archiuis inquirerent in autographa synodi Nicenæ, nihil tale est repertum, quod ea potestas Romano Episcopo daretur.

Origo primatus.

Notæ sunt concertationes inter Ioan. Constantinopolitanum Episcopum, & Gregorium Rom. sub Mauritio Imperatore. Nititur Ioannes authoritate Imperatoris. Deinde, quia sedes imperij sit apud suam vrbem: amplior etiam vrbs erat & augustior. Cōtrà, Grægorius Romam inquit esse antiquiorem, illos coloniam ex Italia in Thraciā deductos, & Romanos dici etiam in Græcia, & ipsorum Imperator non Græcus sed Romanus dicebatur.

Concertationes de primatu.

Tamen ea moderatione Gregorius titulum hunc Ioanni negat: vt interea eum sibi non arroget. Ac disertè affirmant hunc titulum sibi arrogare esse Antichristi munus. Et Ioanni Constantinop. obiicit: Quid respondebis corā tribunali Christi, cuius munus tam arroganter vsurpaueris? Videbatur hic titulus in medio adhuc positus, & si commodum emptorem reperisset, facilè futurus venalis, quod mox deinde factum est. Nam Bonifacius. 3. maiori impudētia non solùm hunc titulum aliis negat competere, quemadmodum fecerat Gregorius, sed eundem sibi arrogat constanter, & à Phoca Imperatore, qui æquior Italicis fuit partibus, obtinuit, vt & diceretur & haberetur summus Rom. Episcopus. Inducta est deinde ab aliis Constātini donatio, quæ rem in solidum confirmat. Et quanquam magni sit illa nominis: tamen Laur. Valla homo Rom. non pœnitendis iudiciis ausus est eam conuellere, quem deinde secutus est in eo iudicio Lutherus.

Primatum sibi arrogare est antichristi munus.

Phocas imperator.

Laurent. Valla suppositiam esse Constantini do-

Cæterū in quàm querit hoc felix studium de primatu litigandi, euentus docuit. Nam & hæc ipsa libido regnandi effecit, vt ecclesia Christi primùm per Asiam vniuersam sit deleta: Africa etiam

etiam fidei synceritatem amisit. Græcia, contempta à Romanis hosti manus coacta est tradere. Et in Europa quid in solidum retinet ista Tyrannis? Turca bonam partem occupauit per Thraciam, Illyricum, Vngariam. Super sunt reliquiæ ex immenso naufragio, in quo tamen non satis bona fide tabulas colligit summus ille Primas. *nationē affirmat.*

Porrò in hac quæstione tria nunc præcipuè docebimus.

Primùm, Petrum non fuisse principem inter Apostolos. Deinde primatum statuere in Ecclesia Christi absurdum esse. Tertiò, absurdius loco alligare illud, quicquid Petro videri volunt concessum priuilegij. *Petrus non est princeps Apostolorum.*

Ac Petrū nō fuisse principē inter Apostolos, hinc cōstat, quòd nullū eius expresſū est τὸ ῥητόν.

1. Namquòd proferunt verba Christi Mat. 6. iam diximus ab ipsis interpretibus Pontificij iuris, non agnosci ad stabiliendum primatum satis idonea. Cùm bona pars Petrā intelligant fidem, qua confessus fuerat Christū filium Dei viuentis. Quòd si Petra est fides: Ecclesia autem ædificata est super hāc Petrā, nihil hoc ad successores Petri, sed ad successores fidei Petri. Oportebat autem in rebus controuersis esse apertū Dei verbū, quod omnē controuersiam tolleret. *Interpretes pontificij per petram fidem intelligūt.*

2. Quòd autem de promissis clauibus ex eodem afferunt capite, facilè dilui potest, cùm in exhibitione illarum non soli: sed omnibus dentur. Ioan. 20. quod omnibus datur, nullum facit priuilegium. Oportebat proferre donum singulare, & soli Petro concessum, ex eo enim primatus effici poterat. *Claues regni cœlorū omnib. Apostolis cōmittūtur non soli Petro.*

3. Quòd verò omnium nomine loquitur Petrus, nihil huc affert firmū. Vnus inter multos loquitur omnium nomine. Ergo omnium fuit princeps. Non rectè infertur, cùm aliud dictet publica consuetudo, qua dicendi munus nō summis, sed inferioribus imponitur. Sed esto, fuerit eloquentior reliquis, senior etiam, zelo & studio erga Christum præstantior, adde etiam amore primus fuerit: nondum tamen, quod volunt concludunt. Non enim amore & zelo primus statim habet authoritatē in reliquos. Aliud enim est honore primum esse, aliud potestate. Honor inter æquales, deferri potest vni etiam in Aristocratia, sed potestas non ampliùs æqualitatem admittit, & spirat Monarchiam, quæ est aliena ab instituto Christi.

4. Proferunt illi speciosa nomina & epitheta Petri ex patribus. Vt quòd ab Augustino dicitur summus pastor: à Chrysost. præsul Ecclesiæ, summus orbis doctor, Ecclesiæ colūna, turris, fundamentum fidei, &c. ἀρχιποιμὴν & ipsam dignitatem προστασίαν ex Theophylo Alexādrino in Ioannem. *Speciosa epitheta Petro tributa.*

Meminisse oportebat primam & firmam probationem quæstionis ex Scripturis sacris fuisse proponendā. Nunc cùm ita subbitò à Scriptura ad patres confugiant, quid aliud faciunt, quàm quòd causam suam malè tuentur? Ac quod patres attinet in laudes Petri, multa dixere, quæ tamen nollent rapi in eam tyrannidem, quam inde tueri hodie conantur. Quòd ex Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, &c. nisi longum esset facilè ostendi poterat.

Quare adhuc restat illis probanda quæstio, Petrum fuisse principem inter Apostolos: ita vt habuerit potestatem in eos iubendi, decernendi priuata & propria authoritate. Interea dum id facient, nos ad alia procedamus. Alterum huius loci sit ἀξίωμα, Petrum etiam non vsum vnquam tali potestate, qualē illi affingunt. Id quàm sit verum prouocamus ad suas epistolas duas, & historias eius in Actis Apostolorum. In epistolis certè συμπρεσβύτερον se non dubitat appellare. Qua voce aliis seipsum æquat, non præfert, seruum & Apostolum, vt reliqui se, ita Petrus seipsum & agnoscit & dicit: & quod fidem attinet, ἰσότιμον πίστιν aliorum agnoscit, in se nihil maius agnoscens. Historia verò Actorum eius, testatur, Petrum nihil priuato iudicio facere, sed communia sunt consilia, communes deliberationes, dicit sententiam, & audit vicissim aliorum sententias, quod omnibus placet, ipse non impugnat, iussus ab aliis ire, obtēperat. Quæ omnia Aristochraticum statum confirmant, non Monarchichum illum primatum. *Petrus seruus non princeps.* *Petrus aliis Apostolis obtemperat.*

Non ergo princeps talis inter Apostolos constitutus est plena authoritate, nec ipse ea potestate vnquam est vsus.

His iam accedunt alia, quæ suppetias huic negotio afferunt.

Primùm, quòd Petrus propriè datus fuit Apostolus Iudæis: Paulus autem Gentibus. Gal. 2.

Deinde quòd idem Petrus à Paulo fuit correptus, quam admonitionem boni consuluit. Gal. 1. & 2. ex quo efficitur Petrum reliquis Apostolis non fuisse superiorem. Et falsa est regula Canonistarum, qua asserūt ab inferiori non posse superiorē iudicari, aut peccauit enormiter Paulus vt inferior Apostolus, qui ausus est Petri summi & principis Apostolorum factum damnare. Idque tam liberè & confidenter. Tertiò, quòd priuilegio illo nusquam vtatur Petrus. Et sanè boni tanti malus fuisset possessor & assertor, si, quod iure priuilegij potuisset, illud negligentia quosdam amisisset. *Distinctione 21. Maiores à minoribus iudicari non possunt Ex Nicolao Papa.*

Alterum instituti nostri caput est, talem προστασίαν, vt faciunt pontificij, in Ecclesia Christi constituere, esse planè absurdum. *Rationes pugnantes contra Petri supposititium primatum.*

Primùm, absurditas inde colligi potest. Quòd Christus vbique Apostolos suos hortatur ad humilitatem: In primis autem vbi quæstio est de primatu. Matth. 18. proposito puero ostendit, quæ debeat esse ratio dominationis inter Apostolos. Ad æqualitatē puerilem & humilitatem mentes illorum reuocat. Et Matth. 20. in idem incumbit à suo proprio exemplo. Et quòd alie-

num sit à natura sui regni, in quo ministri & serui reliquorum primas teneāt. Item quòd quæstio de primatu sit res propria regni mundani: *Inter vos autem non erit ita.* Hoc consilium Christi & institutum de suo regno, immutare res est valdè absurda imò impia.

Deinde, absurdum etiam eo nomine est, quia Ecclesia Christi his externis ordinibus non indiget: res enim complectitur spirituales, iustitiam, fidem, sanctificationem, quæ omnia per Spiritum sanctum dantur, & administrantur in Ecclesia Christi sine respectu prioritatis, inferioritatis, similiúmque ineptiarum, quas excogitauit illa προστασία.

3. Accedit huc, quòd ordinarium Ecclesiæ caput Christus non potest ferre aliud caput, vt illi dicunt, subordinatum. Nam eiusdem respectu & in eodem ordine, res vna & eadē non fert duo capita sine insigni vitio. Christus autem caput est Ecclesiæ in spiritualibus. Ergo in eisdem Papa caput esse non potest, ne biceps fiat Ecclesia. Minor ex cap. 4. ad Ephes. constat. Maior

Ecclesia non est biceps.

vera est ex ipso rerum ordine, qui non admittit duo capita eodē respectu in re eadem sine vitio. Aut igitur Papa caput non est, aut solùm est externū & politicū. Sed posterius magna contentione negant, Papam scilicet non politicū solum esse magistratū: sed in spiritualibus etiam caput Ecclesiæ. Subsistit igitur firmum, per eos Ecclesiam factam bicipitem & monstrosam.

Obiectio.

Nam quod de vxore afferunt, quæ habeat & Deum & maritū caput, huc non facit, cùm diuerso respectu Deus, & alio maritus sit illi caput: Non autem sic in Ecclesiæ capite constituendo.

4. Absurdum igitur id totum est cōmentum de primatu in Ecclesia, nec solùm ἄτοπον: sed etiam ἀδύνατον moliūtur. Nam rem vrgent impossibilē, cùm nemo vnus possit orbis gubernationi par esse. Ne in secularibus quidē videmus hoc fuisse constans & possibile. Argumēto est imperium Alexandri magni, Cæsaris, &c. Hāc impossibilitatē correcturi homines belli, instituêre quatuor Monarchias inferiores. Quas Patriarchatus appellarūt: vt Antiochenus Syriam

Quatuor monarchię pontificiæ.

regeret. Alexandrinus Ægyptū & Æthiopiam. Cōstantinopol. Asiam, Græciā & Illyricum. Romanus autem Occidentē totum, hoc est, Italiam, Gallias, Hispaniam & Germaniam. Sic diuisus orbis ad morē Romani Imperij omnes Ecclesias regeret Romanus Episcopus per suos quasi præfectos. Experiētia rerum hoc institutū damnauit & aboleuit fermè. Nam vbi Alexandria, vbi Antiochia, vbi Constantinopolis? Sic malè suos tutatus est Romanus Papa patriarchas.

5. Et quod illi afferūt de Hierarchia Ecclesiastica, non est sic instituta à Christo & Apostolis, qualem illi finxerūt. Nā ædificationi omnia inseruire debent in Ecclesia, non dominationi & imperio. In quo præcipuè aberrant à scopo Christi & Apostolorum, vt etiam in aliis multis.

6. Demum, quæ afferunt exempla politica & ex natura petita, parum consideratè applicant. Nam quælibet domus suum habet patremfamilias, qui suam curat familiam citra præscitum alterius patrisfamilias. Sic nauis quælibet suum habet naucleruṁ. Sic regnum quodlibet suum regem. Exercitus singuli suos duces. Apes suos reges singulos in singulis aluearijs, singuli gruum cœtus suos antesignanos & ductores, qui alios non agnoscunt, nec ferunt rectores. Quid hinc aliud efficies, quàm in singulis Ecclesiis oportere esse singulos Episcopos fi-

Fabri error.

deles, qui regant ad certam vtilitatem oues Christi? Nec audiendus est Faber, qui ποίμαινε, Pasce, Homerico more interpretatur, hoc est, rege, quemadmodū Menelaus aut Agamemnon aliquis pastor populorum dicitur. Absurda hæc est & à sacris literis aliena pascendi formula. In primis autem officit honori & dignitati Christi: Quasi is non possit aut nolit Ecclesiam suam in terris militantem tueri.

Cur patres olim tribuerint tantum honoris Romano Episcopo.

Sequitur vltimum instituti nostri membrum. Nihil id pertinere ad locum, si quid Petro priuilegij sit concessum. Profert enim Faber speciosos titulos & dignitates, quas aliæ Ecclesiæ contulerint Rom. Pontifici. Ad quæ omnia facile est respondere. Ecclesiæ Romanæ olim tribuisse plurimùm sanctos patres dum esset minùs corrupta, minúsque tumultuaretur, quàm Asianæ & Africanæ. Præterea propter sedem Imperij in Occidente. Quemadmodum Constantinopolitanæ Orientales plurimùm deferebant honoris propter Imperij sedem. Tamen illæ laudes non sic debebant excæcare oculos nostros, quin etiam obseruaremus in piis patribus, quid in Roma carperēt. Atrocia sanè D. Hieron. Romæ obiicit. Idem fecit Augustinus, Bernardus, alij omnes ferè. Quid igitur hinc colliges? Romam, nisi laudata fecerit, frustra laudari.

Quales esse debeant Petri successores.

Quare, si Petrus aliquod accepit priuilegium, id tamen ad Romam nihil pertinet. Ratio est, quia Christus in conferendo priuilegio, non contulit illud loco, sed personæ.

Deinde locus non potest vti priuilegio personæ, nisi quatenus similes habet successores. Oportebat ergo dare Petros fide & constantia: sic tandem constitui & defendi aliquo modo

Quidam affirmāt, nūquam Petrum Romam venisse

posset successio. Præterea incertum est apud multos, an Petrus vnquam Romam venerit. Nam quòd illic sederit 25. annis, & à Nerone sit eodem die cum Paulo occisus, astruit multis Faber: tamē contrà non pauci sunt, qui non leuibus cōiecturis nituntur nunquā eum Romā venisse. Sed esto, illum Romæ sedisse, quid id erit argumenti. Sedit idem Hierosolymis, & Antiochiæ: Ergo primatus Romanæ Ecclesiæ non debebitur. Sed quòd illic sit mortuus, & posteros illic

Incertū est, Petrū Romæ mortuū esse.

suos successores voluerit esse, & hoc incertum est. Primùm an illic sit mortuus, non leuibus argumentis dubitari potest. Deinde incertius multò est, quòd illic moriens successionem hanc instituerit. Id autem illis probandum incumbit, Petrum id sic instituisse. Et id ex sacris indicandum est, non ex Romana Ecclesia, quæ hic partes sectatur, & ob id suspectam facit fidem

suam.

suam. Romæ, inquiunt, passus est sub Nerone. Esto, Christus Hierosolymis est mortuus sub Pontio Pilato. Nihil hoc totum ad primatum confirmandum facit.

Produnt autem, quantùm à maiorum modestia deficiant. Petrus nullibi hoc est vsus, nec eum venditat. Et Gregorius ille scribit, hunc titulum oblatum esse Leoni Papæ in concilio Chalcedonensi: sed respuisse, & ipse Gregorius Ioanni adimit, vt sibi non ascribat. Hodie nihil tritius est, quàm plenis buccis illum & laudare, & ambabus manibus amplecti. Sic res in peius ruunt in dies. Verè de illis dici potest, quod de Græciæ vrbibus olim dicebatur. Dum singulæ imperare cupiunt, imperium amittunt: ita nostri illi de primatu dum contendunt eum planè amittũt. Vbi Asia? vbi Africa? & Europæ quota portio hunc primatum ampliùs agnoscit? Angliæ Rex, (etsi id non omnino sit laudabile) aliquãdo non dubitauit seipsum suæ Ecclesiæ dicere caput contẽpto Rom. primatu, Germania tota iugum hoc tandẽ excussit certis & necessariis de causis. Gallia itidem suis paret & regitur Episcopis, & iam liberiùs contemnit Rom. sedem. Vix hæret Italia, & Hispania ab illius nutu, &c.

Iustinus.

Henricus octauus.

DE CLAVIBVS ECCLESIÆ.

LOCVS LXI.

MAGNA est de clauibus quæstio: eóque maior quòd Petro à domino promittantur Matth. 16. Vnde sic extulerunt potestatem clauium nonnulli, vt supra Reges & omnes Principes ius & authoritatem earum constituerent. Alij his obuiam eundo in clauibus nihil aliud docuerunt promitti, quàm munus docendi Euangelium. Medij sunt reperti, qui dignitatem ministerij quoque in clauibus esse contenderent,

Nos in præsentia non scrutabimur de ministerij potestate, an supra ciuilem potestatẽ constitui debeat, aut infra illam, sive par habenda sit: sed hoc agemus. Primùm, explicabimus vsum clauium in sacris literis, vt constet quomodo vox illa vsurpetur. Deinde docebimus Petro nullum primatum hîc promitti. Denique ea quæ hîc promittuntur, ne quidem ad solum pertinere Petrum.

Partes tres.

Clauium appellatio aliquoties habetur in sacris: qua exprimunt potestatem aliquam officio certo alligatam. Metaphoram sumpserunt ab vsu politico seu œconomico, vbi claues organum significant claudendi & recludendi loca, & aditus locorũ, quæ non promiscuè volumus esse omnibus communia: sic arces & vrbes Principes muniunt contra hostes seris: diuites thesauros claustris, per quæ clauibus ad opes penetrandum est.

Eustath.

Admonet Eustath. clauium inuentum esse recens. Veteres enim ligamentis & funibus vsos fuisse. Scribit autem sic, κλεῖς νεωτέρων ἐστὶν εὕρημα, ἀρχαῖοι δεσμοῖς κατησφάλιζον τὰς θύρας, καὶ τὰς κιβωτούς. εἶδαν δὲ δρεπανοειδεῖς, hoc est, falcis figura dentata. Hinc Hom. εὐκαμπέα κλεῖδα dixit Odyss. T.

II. Hinc vox ad alias res est translata. Nam Medici κλεῖς appellant in corpore humano os latum supra costas, & iugulum, quo caput & collum pectori cohæret. Ex qua ambiguitate scitè lusit Philippus Macedo. Cùm in prælio læsus esset circa clauiculam: medicus qui illum curabat indies ab eo aliquid petebat: tandem respondit: Quin tibi sumis quantùm vis: cùm tibi clauium τῶν κλειδῶν, sit potestas?

Medicis claues quid? Facetum Philippi Macedonis dictũ

III. Sacræ literæ potestatem politicam eo symbolo interdum tradunt. Sicut Esa. 22. de Eliakim apud Ezechiam ad summam rerum potestatem exaltando. Clauem Ierusalem ponam super humerum tuum, hoc est, summam potestatem aulæ tibi committam.

Deinde potestatem animaduersionis & pœnarum significat. Sic similis ille filio hominis in Apocal. inquit, habeo clauem inferorum & mortis, hoc est, in damnatos, damnandos, & damnatorum loca etiam. Apoc. 1.

Et Angelus abyssi qui ἀπολλύων, hoc est, vastator dicitur, clauem abyssi accipit: quo aperiente puteum abyssi, ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ. Dispensator hic est pœnarum diuinitus ordinatarum. Apoc. 9.

Et cap. 20. descendit Angelus de cœlo, qui habet clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua, qua ligat diabolum serpentem antiquum, & claudit eum in abyssum per annos mille. Suprema illa est potestas in diabolum, mancipandi eum destinatis pœnis.

Præterea potestas & ius conseruationis per claues exprimitur, item regiminis plenarium. Sic dicit sanctus & verax, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: & claudit, ac nemo aperit, &c. Apoc. 3.

Est etiam symbolum officij docendi veram sapientiam. Sic Christus legisperitis exprobrat, quòd tulerint clauem scientiæ: ipsi non sint ingressi, & introeuntes vetuerint, hoc est, corrupta & mala docuerint, & viam salutis, quam scire poterant, sint aspernati.

Ex quibus perspici potest claues significare in sacris literis rerum aliquam potestatem, quæ vel absoluta & plenaria est. Talis solius Dei est, non aliunde accepta. Accepta ab alio, plenaria autem & æquata Dei patris potestati, est Christi potestas, etiam solius. Quò pertinet illud, data est mihi omnis potestas, Matth. 20. at non est absoluta sed certi officij, limitata etiam & legibus certis inclusa. Quæ vel est politica, qualis illa Eliakim: vel pœnarum corporaliũ, qualis vastatoris illius Angeli: vel conseruationis, qua potestate homines ab interitu conseruantur, rationes salutis perdiscunt, qualis commissa fuerat legisperitis. Et talis est Petri potestas docendi, illa quam à Domino Christo acceperat.

Definitio. Sint ergo claues in præsentia potestas Ecclesiæ relicta à Christo, qua tenẽtur ministri Euangelium purè docere, & pœnitentibus, secundum Christi volũtatem, remissionem peccatorum offerre: impœnitentibus autem pœnas æternas denuntiare.

Nomine clauium nullus primatus Petro promittitur. Porrò quòd in hac commissione facultatis docendi, ligandi & absoluendi, nullus primatus, nulla potestas dominandi externa promittatur, ostendendum est.

Primùm quia claues sunt regni cœlorum, non igitur mũdi huius est aliqua potestas vel dominatio, cùm cœlum & cœlorum regnum, hoc est, vita æterna sint extra res seculi huius. Nam regni cœlorum dicuntur, quia ad aliud regnum, & ad aliud vitæ genus mittant, à fine, sic dici possunt, qui est, auditores cœlestes reddere, eos bonis æternis beare.

2. A materia. Deinde hîc non agitur de bonis externis, sed de iustitia cordis, de expiatione mentium, de remissione peccatorum. Quæ res non sunt potestati externæ subiectæ, vt res aliæ corporales. Non est ergo hîc promissa aliqua politica authoritas & iurisdictio.

3 Ab vsu. Præterea clauium facultas posita est in remissione peccatorum & retentione. Ioan. 20. *quoruncunque remiseritis peccata, remissa erunt.*

4. A connexis. Item à verbo separari non debent: non est ergo hîc quærendus primatus, cùm docendi munus commune sit officium ministrorum. Hinc Marc. 16. dicit. *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

5. Ad hæc Spiritus sanctus rector est clauium & gubernator: non igitur personalis externus hîc quæri debet primatus. Hinc Ioan. 20. facultatem docendi commendaturus, & ligandi ac absoluendi ius, insufflans in eos priùs inquit, *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Quare eo absente nullum robur habet ista quæsita potestas.

6. Adde quòd promissio illa debet intelligi ex ipsa rei exhibitione: sed vbi exhibuit, non aliud traditur quàm docendi munus, absolutio pœnitẽtium, denuntiatio pœnarum aduersus impœnitentes. Ergo nulla externa dominatio.

7. Clauium vsus non debet Scripturæ sacræ repugnare: sed illa soli Christo ascribit plenam & absolutam rerum omnium potestatem. Ergo per claues nullam talem promisit Petro, Assumptum constat ex cap. 20. Matt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, &c.*

8. Clauium potestas officij est determinati, non absoluta concessio. Ergo pendet ex tradentis voluntate, ita vt nisi secundùm Christi voluntatem administretur, irrita & cassa sit præsumptio.

9. Non est libera administratio. Huc facit Gal. 1. *si Angelus de cœlo aliud Euangelium annuntiauerit, anathema esto.* Et 2. Cor. 13. *non possumus aliquid contra veritatem: sed pro veritate.* 2. Cor. 10. *Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem, &c.*

Petrus non est vsus aliquo primatu inter Apostolos. 10. Petrus potestate clauium, vti illa ei est tradita, vsus est. Alioquin neglecti muneris reus esset & graui damnaretur peccato defossi talenti. Verùm Petrus externa dominatione & primatu, inter discipulos ac alios Euangelij præcones, non est vsus. Quare nullam talem potestatem accepisse apertissimum est. Huc refer epist. Gregorij Pap. lib. 4. epist. 92.

11. Primatus iniuriam facit Christi gloriæ, & libertati Ecclesiæ: res ergo est nocens, quam Christus nõ potest dici Ecclesiæ suæ reliquisse. Gal. 5. *Nolite iterũ subiugari iugo hominum.* Quod nimirum potenter facit primatus induens ψυχοτυραννίδα, vt Christo neglecto pauidæ conscientiæ plus tremant ad externa fulmina primatus, quàm ad veros conscientiæ morsus.

12. Adde his, Petro quidem hîc promitti claues regni cœlorum: sed quid hoc ad posteros? Claues hæ non testamento, non legato, non mandato Christi, non etiam hæreditario iure ad posteros deriuari possunt. Ergo nulla hîc est legitima successio.

Denique Petrus Apostolus fuit, habens vbique docendi Euangelium mandatum: ergo primatum Romæ per has claues non potuit constituere. Quid, quòd Iudeorum fuit peculiaris Apostolus, quemadmodum Paulus gentium? quòd sacræ literæ nullam Petri Romæ faciunt mentionem, vt, an illic fuerit, res adhuc dubia sit? Quid quòd hîc primatus Petri institutum non fuit, &c.

Claues omnibus Apostolis datæ fuerunt. Sed ad tertium transeamus membrum. Quòd scilicet, quæ hîc de clauibus dicuntur, non ad solum Petrum spectent. Ex quo iterum corruit primatus politicus.

1. Initio constat questionem fuisse non vni Petro, sed omnibus propositam: respondit igitur vnus pro omnibus: ac vni, nomine omnium respondit Christus.

2. Quæ hîc vni dicit de vsu clauium: illa mox infrà cap. 18. omnibus loquitur. Ex quo illud efficitur, Vsus clauium communis est. Ergo claues etiam cõmunes sunt, nec personale bonum, quod

quod hæreditario iure ad certos pertineat. Vsus autem est in remissione, quæ omnibus est & concessa & præcepta. Sequitur igitur bonum esse commune.

3. Item de vsu & hoc sequitur, Excommunicatio & eiicere è cœtu, totius est Ecclesiæ. Ergo clauis illa etiam est totius Ecclesiæ. Confirmatur anteced. ex doctrina Apostolorum & exemplo, qui soli non excommunicarunt, sed cum tota Ecclesia. 1. Cor. 5. 6. 2. Tessal. 3. Tit 3.2. Ioan. 1.10.

4. Petro credenti promittūtur claues. Ergo ad solos credentes, nec promiscuè ad eius successores, quorum turba non fidem, sed ferè magis carnalē zelum sequitur. *Propitius sis tibi Domine*, &c. ex quo audiunt cum Petro carnali, *abi post me satana*, &c.

5. Omnes reliqui Apostoli sunt vsi clauibus, & integræ Ecclesiæ: ergo ad solum Petrum non pertinebant hæc bona, de quibus hîc est promissio.

6. Ecclesia Christi nō homini est alligata: ergo nec Petro. Ratio, quia Christus fundamentum: ergo non Petrus. 1. Cor. 3. & 1. Cor. 1. Eph. 2.

7. Præterea. Claues etiam priuati homines exercent orando & impetrando. Non est ergo personale aliquod solius Petri priuilegium. Matth. 18. *si duo ex vobis consenserint super terram de verbo aliquo*, &c. *Et vbi duo vel tres congrega sunt in nomine meo, ibi sum*, &c. Oratio igitur bonum est commune: quo remissio impetratur peccatorum. Ergo claues sunt bonum commune totius Ecclesiæ.

8. Possunt hanc causam etiam iuuare patrum suffragia, qui locum Matth. 16. de clauibus & petra ad hūc modū intelligunt. Prolixè Origenes ostendit de fide accipienda esse: sic Chrysost. Hilarius & Cyrillus, Augustinus Petrum Ecclesiæ typum facit, quæ in Petro claues accepit. Petram autem non Petrum, sed confessionem eius facit, quia dixerat: tu es Christus ille Filius Dei viuentis. Hæc est Petra, supra quam ædificaturum se dicit Ecclesiam suam. Non sunt igitur personalia bona soli Petro hic promissa. Multò minùs quæ hæreditariò vni loco attribui debeant, &c. Patrum sententiæ de clauibus.

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

LOCVS LXII.



ECCLESIA Christi semper habuit certa officia docentium, & administrantium tum sacramenta tum disciplinam morum, ad cuius imitationem postea excogitati sunt gradus & certi ordines in Ecclesia, & in multis nuda sine rebus nomina: ideo de his dicemus in præsentia.

Primùm secundum scripturas, qualia fuerint Ecclesiæ officia: Deinde quæ hominum instituto, prioribus desinentibus, partim etiam languentibus successerint, hinc facto principio.

1. Sacræ literæ χαρίσματα appellant: & Rom. 12. v. 6. 1. Cor. 12. v. 4. Ephes. 4. v. 7. dicitur χάρις, ad Rom. 12. dicitur διακονία: Latini ministeria vocarunt gubernationem, functionem, & functionum genera. Ex quibus constat sacras literas officium cum dono coniunxisse, adeo vt dona pro officij gradu ponat, & officia pro donis enumeret, & 1. Cor. 12. ad finem. Cuius illa est ratio, quod in prima Ecclesia, officia illa non erant nudi tituli: sed quos Deus dedisset vel doctores vel prophetas simul vim, & donum officium illud rite exequendi conferebat: postea autem cum electiones ab hominibus solùm fierent, nec illas gubernaret Spiritus sanctus, effectū est, vt nudi tituli in Ecclesia manserint, vis autem & facultas illorum officiorum euanuerint, adeo vt hodie ferè ignoremus, quales olim prophetæ fuerint in Ecclesia, & Euangelistæ, & diaconi, presbyteri & similes. Posterius seculum Religiosos vocauit quod religioni sese deuouissent, & clericos, quia forte primitus eligebantur Ecclesiarū ministri Act. 1. electio Matthiæ sortem habuit coniunctam. Κλῆρος græcis sors est, vnde κληρικοὶ sortiti hūc statum, vel sortitò ad hoc munus vocati: vel quod illorum portio Dominus esset. Viuebant enim de publico, & nullis rebus aliis vocabant quàm doctrinæ & muneri ad quod erant vocati. Vetus origo verbi est κλῶ quod est frango, quia tum inter plures pariter idoneos, sors adhibita litem dirimebat. sed & κλῶ verbum, negotio respondet: ex toto enim cœtu vnus ad certum munus euocabatur, & quia sortium notæ ligneis vt plurimùm imprimebantur tessellis, ideò à materia, hoc est, ἀπὸ τοῦ κάλου, hoc est, à ligno dicta fuit. Porrò sortium vsum adhibuerunt veteres more Iudaici populi, apud quos sortes in grauibus causis fuerunt adhibitæ. Videntur primi igitur Clerici propè Nazareis respondisse in veteri populo qui etiam ipsi separati & Domino consecrati erant, quod significat vox, *Nazir*. Hinc κλῆρος clerus, hoc est, cœtus seruientium Ecclesiæ aliquo ministerio & de illius bonis viuentium, eo fine vt aliquando inseruiant ad certam ædificationem. Græci dicunt. Κλῆρος ἐστι σύστημα τῶν διακόνων καὶ πρεσβυτέρων, hoc est, cœtus clericorum & seniorum, sed vocibus illis generaliter vtuntur vt contineant omnia Ecclesiastica munia.

In prima ecclesia officia non erāt nudi tituli, vt hodie in Papatu.

Clerici dicuntur quia forte olim eligebantur ministri.

Primi clerici videntur respondisse nazareis in veteri populo.

II. Necessarios autem esse docentium ordines, hinc potest constare, quia Deus in suo populo, semper esse voluit distincta munia docentium & administrantium religionem ab aliis officiis ciuilibus. Inde summos sacerdotes semper habuit synagoga ex successione, sacerdotes, leuitas, cantores, ianitores certa electione. His Dominus extraordinaria vocatione semper addidit aliquos prophetas. Nam quando sacerdotes, principes, aliique pietatis ministri dormitarent & magistratibus conniuerent ad scelera & idololatriam, tum Prophetæ accedebant reformatores religionis & morum, quos Deus ornabat donis singularibus virtute miraculorum, vt fides illis a populo & magistratu haberetur.

Prophetæ reformatores religionis & morum. Simi.c.

In nouo Testamento, Christus instituit ordinem Apostolorū Matt. 10. his addidit alios multos discipulos, inter quos nonnulli quoque docebant, & aliis modis Ecclesiæ inseruiebant, vt ad Rom. 12. Ecclesia corpori confertur in quo sunt multa membra, non autem eadem omnium actio: Sic in Ecclesia Deum ait diuersa singulis dedisse dona secundum gratiam, quæ similitudo repetitur. 1. Cor. 12. vbi manifestè ait *Deum posuisse in Ecclesia, alios Apostolos, alios Prophetas*, &c. & ad Eph. cap. 4 *Ipse Deus dedit alios Apostolos alios Prophetas, &c.* Non potest malum esse institutum quod Deum habet authorem. Accedit ab vsu & fine argumentum ex eodem loco Apostoli, officia illa Ecclesiastica faciunt ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi, hoc est, Ecclesiæ. Item vt certa sit doctrina, nec ambigua, quod Apostolus dixit, *ne circumferamur quouis vento doctrinæ*. Certos enim oportet esse de salute: ideo certa esse debet doctrina credendorum, faciendorum, & omittendorum, quod dixit in 1. ad Corinth. 12. πρὸς τὸ συμφέρον. ad vtilitatem. Itaque certa est vtilitas horum officiorum, si rectè administrentur. Id nouisse prodest contra eos qui doctrinam religionis & fidei, ita separāt à ministerio, ac si illo planè non esset opus ipsi Ecclesiæ. Inde totū ministeriū damnāt & calūniantur. Quos tamē falli necessum est. Primùm quia ordinē à Deo institutū damnāt: deinde quòd Deus εὐταξίας ordinis sit author in omni negotio, & temporū series testatur Ecclesiā veram nunquam caruisse docentiū ordine. Hoc quidem fatemur Dominum posse & sæpe velle extraordinariè quosdam vocare & instituere: sed illa non tollunt consuetum ordinem ab ipso Deo institutum, solum abusum corrigunt, & ad veterem doctrinam reuocant: ideo non debemus de reuelationibus mox gloriari, aut priuata lectione solum contenti esse: Deus enim cœtus instituit & verbum reliquit ad cuius normam reuelatio examinanda est. Et si qui fuerūt & adhuc sunt θεοδίδακτοι, illi non damnabunt congregationes, & cœtus Ecclesiasticos in quibus purè docetur & auditur verbum Dei.

In ecclesia certa esse debet doctrina, credendorum, faciendorum, & omitendorum.

Priuata lectione fideles non debent esse contenti.

III. Apostolorum illo fœlicissimo statu, Ecclesia habuit publica officia, & donorum gradus ferè istos. Primùm Apostoli erāt totius gregis antesignani, inter omnes discipulos & sectatores Christi, selectiores, habebāntque mandatum, vbique, in omnibus linguis, & nationibus docendi: simúlque testimonium Spiritus sancti, quòd non errarent. Inde quoties opus erat, doctrinam miraculis confirmabant, linguis loquebantur, multáque prophetico more agebant: religionem reformabant: Ecclesias instituebant: illis ministros præficiebant: à qua excellenti legatione, nomen retinuerunt ἀπὸ τοῦ ἀποστέλλειν dicti Ἀπόστολοι. i. Legati.

2. Euangelistæ ab Euangelij prædicatione nomen habuerunt, Apostolis proximi officio, dignitate tamen inferiores. Non incumbebat illis necessitas, vbique docendi: nec instituebant nouos cœtus, sed Apostolicam doctrinam conseruabant: incertis Ecclesiis docebant, vt Philippus in Cæsarea Act. 8. & 2. Timot. 4. iubetur Timotheus docere Euangelium. Alias significat scriptores Euangelij, quo sensu quatuor tantùm habemus Euangelistas.

Gradus officiorū in primitiua Ecclesia.

3. Pastores, quæ vox interdum significat quosuis ministros, qui gregem Domini pascunt Dei verbo, inter ministros tamen certi erant qui pastores dicerentur: hi certis Ecclesiis præerant, quæ ipsorum fidei erant commissæ, in his non solum Euangelium docebant vt Euangelistæ, sed legem explicabant, & prophetas cum Euangelio conciliabant.

4. Doctores scripturæ erāt interpretes, ac videntur inter doctores disseruisse de causa Religionis, vt hodie in scholis fit, ipsos etiā pastores formabāt, vt hodie ex scholis ministri prodeūt.

5. Prophetæ ampliora habebant dona. Nam illi Dei mysteria poterāt explicare, quæ naturæ viribus intelligi à nullo poterant: ideo scripturæ abstrusiora loca illustrabāt, eodem spiritu quo scripta fuerant. Prophetiæ enim à nullo rectiùs intelliguntur, quàm ab ipso prophetico Spiritu. Ideo de futuris rectiùs prædicebant: præterita præsentibus rectiùs accommodabant, & totam scripturæ interpretationem ad rem præsentem rectiùs & magis idoneè applicabant.

6. Diaconi à ministrando nomen habent. Matth. 2. *Filius hominis non venit* διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι, *vt ministretur illi, sed vt ipse ministret aliis.* Erant autem duo genera diaconorum, vnum quod inseruiebat mensæ Domini, & fidelium cœtui, quales septem eliguntur ex plebe. Act. 6. & Eccl. Hist. apud Euseb. lib. 2. cap. 1. Alterum diaconorum genus episcopis & ministris erat coniunctum vt est videre ad Philip. 1. ver. 1. hi aderant ministris in docendo Euangelio, vices illorum supplebant, si esset opus. In aliis etiam erat diaconus episcopi minister, scribendo, docendo, distribuendo eleemosynas, &c.

Duo genera diaconorū.

7. Gubernatores, qui cœtum fidelium in ordine retinebant, mores & disciplinam vitæ conseruabant, inspectores actionum: hi cum Episcopo indignos arcebant à cœtu: pœnitente

reci

recipiebant cum totius Ecclesiæ consensu:cótinetque gubernatio totum senatum Ecclesiasticum:qui ex senioribus & ministris constabat : sed nondum habebat Ecclesia magistratum politicum,quo improbos vi corporali coërceret.

Senatus ecclesiasticus.

8. Presbyteri dicebantur qui docendo etiam præerant & administrabant sacramenta, videntur æquales Episcopis.Nam ad Tit.1.*iubet in cœtu ordinari presbyteros*, quos postea vocat Episcopos.Itaque erant presbyteri etiam ministri in verbo & sacramentis.Aliud genus illorum fuit,quod ex Laicis sumeretur,hi non docebant:sed tantum cum Episcopo & aliis delectis,res Ecclesiæ procurabant,hi verè erant seniores ex Laicis selecti,Episcopo à consiliis.

Duplex genus presbyrorum,

Videntur etiam presbyteri dicti qui formandæ iuuentuti præerant,sanctis moribus & literis informabāt,quales hodie sunt magistri scholarum in collegiis.Alia voce κατηχήτης dicebatur,rudimenta pietatis præcipuè docebat.Talis fuit presbyter Macarius quem Lucianus martyr audiuit,& talis Dydimus Alexandrinus & similes.

9. Episcopus inspector gregis Domini: idem videtur olim fuisse cum doctore , pastore & primo genere presbyterorum.Postea qui in maioribus vrbibus erant pastores, vicinarum Ecclesiarum qui viciniores essent,inspectores dicti sunt: nomen non dignitatis, sed officij & laboris fuit vt docet Chrysost.Homerus sanè Hectorem vocat Troiæ Episcopū , hoc est, custodem pro Troia studiosè vigilantem.Iurisconsulti eum qui rebus venalibus præsit:& apud Indos referente Arriano,Episcopus erat qui in prouinciis explorabat,quid vbique ageretur,idque ad Regem referret.

Episcopus fuit olim nomen nō dignitatis sed officij & laboris.

Hæc ferè officia erant Ecclesiastica vt colligi potest ex epist.ad Rom 12.1. Cor. 12.ad Eph.4. & ex aliis scripturæ locis.Præter illa officia,erant etiam in Ecclesia dona, seu illis officiis coniuncta,seu extraordinariè aliis personis concessa:quale fuit donum sanationum,quo in primis pollebant Apostoli ad confirmationem suæ doctrinæ,aliis interdum concessum fuit sed rarius, donec tandem tolleretur.

Donum sanationum.

Δυνάμεις potestates,quibus instructi vtebantur contra reprobos , erátque loco gladij politici.Sic Petrus Ananiam & Saphiram repellit:Paulus Elymam cęcitate percutit,Elias ignē cœlitus deducit,Elisæus vrsos immittit in pueros irrisores,*Paulus Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit,vt dediscant blasphemare.*

1.Tim.1.

3. Peritia linguarum frequens fuit in prima Ecclesia præsertim inter Apostolos, qui vbique gentium docere debeant:ideò facultas erat admodum vtilis & necessaria. hoc donum miraculosè illis tributum est.Act.2.sed aliis etiam dabatur vt est Act.10. in familia Cornelij.

4. Interpretatio linguarum:Nam sæpe qui linguis diuersis loquebantur,non statim auditoribus vtiliter proponebant:ideo interpres aliquando erat necessarius.hodie manifestius est donum.Postquam enim donum linguarum desiit miraculo dari,interpretatio magis locū habet. Regnant hodie in scholis linguarum interpretes,qui iuuentutem vtiliter linguas docent. Hæc dona, condimenta erant,quibus officia commemorata exornabantur.In primis Apostolicum munus , quod vt erat reliquis excellentius : ita omnibus donis magis pollebat.Ideo Paulus & Petrus,iam linguis loquuntur,nunc potestate vtuntur,nunc sanant,nunc alia edunt miracula, quod & reliqui Apostoli præstitêre,quoties veritas requirebat & auditorum vtilitas.

1. In his obseruanda est illa varietas,quod ex his quædam fuerunt certi temporis:quæ deinde mox sublata sunt,vt dona sanationum,potestatū,linguarum,& ipsum munus Apostolatus, quod,vt alia quædam,ad tempus fuerant data Ecclesiæ ad fundationem illius. Vt enim Mosaica Respub.initio miraculis est collecta & confirmata, quæ deinde desierunt : sic Dominus Christus suam Ecclesiam voluit initio potenter contra omnes mundi principes stabilire,ídque per homines abiectos, ideo diuinitus fecit admirabiles:mox verò constituta Ecclesia,sublatis miraculis,reliquit doctrinā Apostolicam,quæ norma esset fidei & vitæ.Interdum , cùm mundus exorbitat à doctrina,extraordinariè Deus mittit alios,reformatores religionis qui loco Prophetarum & Apostolorum sunt:tales sunt hodie Lutherus, Zuinglius aliíque,qui miraculosè contra omnium opinionē destruxerunt idôlolatricum cultū, nos ad Dei verbum reducentes.

Vsus miraculorū & aliorū donorū temporarius.

Lutherus Zuinglius religionis reformatores.

Quædam in Ecclesia semper manent,& necessaria sunt ad conseruationem & gubernationem Ecclesiæ. Vult enim Deus εὐταξίαν conseruari inter suos.Tales sunt doctores,pastores, diaconi & similes functiones, quæ tamen vtiles sunt, quatenus à Spiritu sancto reguntur & administrantur vt olim:sin hominum arbitrio tantum administrentur vt fieri solet,nuda nobis sine rebus nomina relinquunt.

Diximus secundum scripturas de officiis Ecclesiasticis , quæ hodie vtcunque restituta sunt ad præsentem Ecclesiæ vtilitatem. His operæpretium est addere illam considerationem quæ scilicet hominum instituto Ecclesia acceperit officia, & officiorum Ecclesiasticorum gradus. Religio peperit opes,sed filia deuorauit matrem.Inde Ecclesiam transformarunt in regnum quoddam mundanum,in quo esset vnus rerum monarcha & autocrator. Hinc infinita instituta sunt officia,quorum alia aliis inseruiunt,vt in catena annuli cohærentes.Omnia verò eò respexerunt,vt diuitiis,& honoribus tantùm locupletentur & ornantur personæ , retineantur tituli,præsidentiæ,iura publica,& quicquid ad priuilegia Ecclesiastica pertinet : quæ vt melius intelligamus,à toto initium capiamus hoc modo.

Religio peperit opes, sed filia deuorauit matrem

Triplices homini ordines in Christiano orbe.

Homines in Christiano orbe distinxerūt in triplicem ordinē: Hoc modo alij sunt λαικοὶ alij μοναχοὶ alij denique κληρικοὶ. Laici, qui religionis negotium non curarent, nisi quatenus salutis propriæ consulerent, alios vero non docerent, nec laborarent de arcanis pietatis misteriis. Monachi religionem quidem iurant, sed suo priuato iudicio, vitāque non vterentur politica, sed solitaria, quæ illis nomen dedit: & hi distincti sunt in quatuor ordines. Alij enim sunt cœnobitæ, qui in communi cœtu viuunt sub eadem regula. Alij Anachoritæ qui secedunt, solique degunt. Alij Eremitæ, qui solitudines excolunt, & loca deserta petunt religionis ergo. Denique alij incertis hinc inde vagantur sedibus: hinc vagabundos dixerunt, Curouagos, & circumcelliones. Ista quatuor sunt summa sectarum capita, quæ in infinitos abeunt ordines & vitæ genera regulis distincta.

3. Clerici.

Clerici generali nomine dicuntur omnes qui in Ecclesia Domini seruiunt: atque huc officia Ecclesiastica pertinent. Illa quidem certa & designata sunt quanuis non eodem ab omnibus modo referantur.

Institutum illius ad Hyginum pōtificem referunt qui primus clerum instituit, gradus ac ordines distinxit, quos alij semper illustriores reddidere, nouis additis honoribus & priuilegiis.

Syluester pontifex sic ordinauit, vt Papæ subesset presbyter, cui diaconus, ei subdiaconus huic acolytus, illi exorcista, cui lector, & ei ostiarius, & huic abbas, abbati monachus.

Sed angustior hic cœtus est visus, ideo plures additi gradus, & distincti in dignitates & ordines. Dignitates aliæ extra chorum vt Papa, Cardinalis, Patriarchæ, Primas, Archiepiscopus, Archidiaconus, Archipresbyter & Præpositus.

In choro autem Decanus, Subdecanus, Cantor, Thesaurarius. Archiacolytus, &c.

Ordines.

Ordines verò essent, per quos supremam dignitatem esset ascensus, vt ostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus sacerdo, &c. De his breuiter, qui plura volunt, ipsorum authores repetant si volunt.

Minores ordines.

Ostiarius ianitor est, templi claues habet, intus & extra omnia curat, olim exclusos etiam repellebant, pœnitentes, iussu Ecclesiæ, iterum admittebant.

2. Cantor, idem forte psalmista, olim quia Psal. in cœtu auspicabantur: qui id faceret, præcentor dictus est, qui verò huic responderet, succentor. hi à reliquis cibis abstinebant solis leguminibus contenti: & quia fabis pascebantur præcipuè fabarij dicti sunt, vt reliqui scholastici hordeacei, *gersten fresser*.

3. Lector qui scripturas sacras legebat in cœtu, oracula Prophetarum & Apostolorum, idque clara voce, qui mos antiquissimus fuit in Ecclesia vt constat ex Tertull. &c.

4. Exorcista, nomen Domini inuocat super energumenis & his etiam necessaria præbere debent. Videtur successisse miraculorum facultati, sed inani titulo, *die toubenn ger vn signi machen*, de his alibi diximus.

5. Acolytus cereos curat: hinc ceroferarij: lumina in templo accedit argumento, quòd ipsi in meridiana luce, religione carent.

6. Subdiaconus suo diacono subest, cuius est minister, calicem tamen & patinam ad mensam domini defert.

2. Diaconus habet lectionem Euangelij. Romæ Papam humeris circunferunt diaconi. In nouo Testamento mensæ erant ministri, pauperibus prospiciebant, & facultates Eccl. curabāt.

3. Sacerdotes alij minores, qui in locum discipulorum successēre, ac presbyteri dicuntur. Alij maiores qui Apostolos referre debent.

4. Episcopi sunt de numero maiorum sacerdotum: ideo sibi authoritatem arrogant Apostolorum, & Archipresbyteri sunt.

Episcopi non sint successores Apostolorū.

Verùm authoritas Apostolica illis non competit, cùm non vbique doceant, nec habeant testimonium Spiritus sancti, quod non errent, nec doceant simpliciter, sed in vno loco sedeant, à quo nomen sumunt Episcopatus sui: nec curant vt olim negotia Ecclesiastica amplius, sed morum & vitæ inspectionem tanquam sua cura indignam repudiarunt, omnémque curam iurisdictionis in alios deriuarunt, quos ab officio vocarunt Officiales. Flamines magis etnicorum referunt, in quorum locum constituti sunt à Gregorio Papa, qui sanciuit vt in iis vrbibus in quibus fuissent Flamines, Episcopi iam præsiderent.

Arch.

Archiepiscopi Episcoporum principes in his locis constituti sunt, vbi prius habebantur Archiflamines. Metropolitani dicuntur quia in Metropolis regionum sedem habent, & ab Episcopis differunt pallio & cruce, quæ ornamenta illis dedit Clemens.

Patr.

Patriarcha & Primas idem: hi erant patrum principes: in hos translata est senatoris & patricia dignitas, vt in Archiepiscopos ducum potestas. Initio quatuor fuerunt Patriarchæ, Romanus, Antiochenus, Alexādrinus, Ierosolymitanus, quibus postea additus est quintus Constantinopolytanus propter sedem imperij illuc translatam. Præstabant isti ipsis Archiepiscopis. Nam Anicetus illos distinxit edicto: ne scilicet Archiepiscopi dicerentur Primates, hoc est, Patriarchæ, nisi ex singulari titulo.

Papa.

Papa, suprema dignitas est, & in toto religionis imperio monarcha. Hic solus & vnus tyrannicè & impiè potestatem sibi in terris, cœlo & inferis assumit, quam potestatē nullus Apostolorum

ſtolorum ſibi arrogauit, de cuius primatu alibi dictum eſt.

Nomen ſumpſit à dignitate & reuerentia: olim Epiſcopis commune nomen. Nam Cypriano ſcribunt Papæ, lib.2.epiſt.7.& apud Niceph.lib.6.cap.9.Dionyſius Alex.Heraclium præceſſorem ſuum, Papam vocat.& lib.18.cap.45.Eulogius Alexand.Epiſcopus Papa dicitur, & Iuſtinus Martyr ad Zenam & Serenam ſcribens, ſtatim initio facit mentionem epiſtolæ, quam ad Papam, hoc eſt, ad Epiſcopum ſcripſerit, Hieronymus ſanè hunc titulum defert Auguſtino, vt eſt videre in epiſt. Auguſt. epiſt.25.& 30.Auguſt. Ambroſiū Papam vocat.epiſt.34.& Aurelium Epiſcopum, Papam vocat.ep.76.& in ep.quam libris de Trinitate præmiſit. Ex quo euidens eſt familiarem & communem fuiſſe tum temporis Epiſcoporum titulum, quem honoris ergo tanquam pueri eis deferebant alij vel Epiſcopi vel alterius conditionis. Nomen à Græcis fluxiſſe apparet qui πάππον & πάππαν πατέρα vocarunt. Inde παππάζειν, πατέρα καλεῖν, infantum more. Euſtathius indicat deriuari ἐκ τοῦ μᾶ fit μάμα ſic ἐκ τοῦ πᾶ fit πάππα, Apud Chaldæos ſignificant virum, Paf, & Paſi, quæ voces nobis dederunt Pfaffes paff pfaff à Chaldeo paff: non perinde commodè ſumitur à Papa. Nomen Papa olim fuit commune Epiſcopis.

DE MINISTERIO.

LOCVS LXIII.

DE Miſterio dicturi initio repetamus definitionem conſuetam ad quam referemus membra præſentis diſputationis.

Eſt igitur miniſterium ordinaria vocatio, eadémque Eccleſiæ in his terris neceſſaria, ad docendum ſanam doctrinam ſacramentorum & diſciplinæ mores adminiſtrationem ad certam & euidentem Eccleſiæ vtilitatem. Definitio.

In hac definitione quæri ſolet ordine de iſtis locis. 1. Primùm an neceſſarium ſit miniſterium in Eccleſia Chriſti. 2. Deinde quis eligere debeat. 3. Quomodo fieri debeat. 4. Quales eligendi ſint. 5. Ad quid. De his breuiter exponemus ſententiā noſtram, ſacris literis, & teſtimonio rectè ſentientium ſuffultam.

Quod igitur attinet primam quæſtionem: dicimus miniſterium neceſſarium eſſe Eccleſiæ Chriſti in his terris. Ratio eſt quia Chriſtus hoc inſtituit, *vt eſſet in ſua Eccleſia alij Apoſtoli, alij Prophetæ, doctores, paſtores*, &c. Eph.4 id minimè facturus, niſi rem plenè neceſſariam iudicaſſet. 1. Neceſſarium miniſterium.

2. Deinde quia vetus populus ſemper habuit ſuos Religionis miniſtros & doctores, qui populum retinerent in officio. Hinc leuitica tribus ab alijs omnibus exempta, ſoli miniſterio religionis cōſecrata fuit. Hinc prophetæ & illorum cœtus ac collegia inſtituta ſunt.

3. Et ante legem Deus miniſterium in ſua Eccleſia exercuit. Patriarchæ ſuos inſtituerunt, & religionem propagarunt ad poſteros. His addidit Angelos, quorum inſtitutione de ſua voluntate eos admonuit.

4. Noſtra quoque imbecillitas ſatis indicat quàm ſit neceſſaria miniſterij conſeruatio. Nunquā certi eſſe poſſumus de ſalute & fide, niſi tuti ſimus de doctrina docentiū, de qua non poſſumus eſſe certi, niſi de vocatione legitima conſtet. Cùm igitur à Chriſto ſit inſtitutum & Deus ſuos in religione ſemper per miniſterium edocuerit, noſtráque infirmitas aliter non poſſit in officio contineri, piè de miniſterio ſentire debemus, tanquam de re ſummè neceſſaria.

I. Obiiciunt hîc nobis homines fanatici Deum poſſe nos ſine illo, vel ſaluté aliis modis illuminare, & edocere in his quæ ad ſaluté ſunt neceſſaria. Quibus reſpondemus hoc quidē verum eſſe, Deum poſſe ſine miniſterio ſuos illuminare: ſed quia id ſine illo nō facit, non prodeſt illis potentiæ diuinæ argumentum, cùm de potentia iudicandū ſit ex volūtate. Et quod nolit aliter ſuos erudire manifeſtum eſt, quia ante legem vſus eſt miniſterio Angelorū in inſtituendis Patriarchis, quos etiā ſua voce & colloquio dignatus eſt. Poſtea ſub lege inſtituit certū miniſterij ordinē in tribu Leuitica inter ſacerdotes & Leuitas, quibus addidit Prophetas extraordinariè, additos & ſæpe miſſos ad corrigendos errores in religione obortos, & ad quædam politica munia. Poſt legē verò Chriſtus Dei Filius idem miniſteriū continuauit, inſtituens Apoſtolos, quorum opera homines erudiret, & cœtus nouæ Eccleſiæ inſtitueret. Apoſtoli idem certa electione propagarunt, cùm paſſim in Eccleſia inſtituerent Epiſcopos, ſeniores, diaconos. Obiectio. Reſponſio. De potētia Dei iudicandum eſt ex eius voluntate.

Excipiunt iterum, multos tamen repertos paſſim à Deo inſtitutos, ſine hominum opera, quos theodidactos vocant, & inter Turcas paſſim eſſe pios Chriſtianos ſine miniſterio verbi illuminatos in his quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Reſpondemus primùm quod ad θεοδιδάκτους attinet, non infringere communem ordinem à Deo inſtitutum, ſi aliquos ſpeciali reuelatione illuminet. Refert Auguſtinus lib.1 de doct. Chriſt. Antonium Eremitam ſcripturas ſacras memoria tenuiſſe & intellexiſſe ſine ſcientia literarum: & ſeruum quēdam Barbarum, tridnanis precibus impetraſſe plenam literarum notitiam, adeò vt librum oblatū loquendo percurreret omnibus ſtupentibus. Iſta & ſimilia ſpecialia ſunt, & regulæ communi non derogant, quemadmodum quòd Eliam inſolito modo pauit, non ideò non vult pane conſueto nos alere. Alia obiectio Reſponſio. Hiſtoria de Antonio Eremita valde notanda.

Sed nec Antonius ille Ægyptius, nec ſeruus iſte Barbarus miniſterio omni in rebus ad ſalu- Ratio ab

exemplo sumpta. Peritiam legendi precibus impetrauit seruus quidam barbarus.

tem necessariis caruerunt. Prior ille, miraculo scripturæ intellectum est consequutus, posterior verò peritiam legendi. Interim in Ecclesia Christi versati sunt, audierunt, alios edocuerunt, & ipsi cæteros, ideò & ministerio vsi sunt, & ipsi ministri fuere aliis.

Quod verò ad eos attinet qui inter Turcas degunt & fideles sunt: in multis sanè locis cœtus habent, quos Turca non impedit. Alibi conuentus illiciti sunt, ibi miseram conditionem esse fidelium palam est, vt variis sectis infici homines quoque credibile est. Suos tamen conseruat Deus pro sua bonitate, mediatè siue immediatè, vt vult: sed ordinario ministerio nihil id detrahit. Piè igitur sentiamus de ministerio, tanquam de Ecclesia Dei, quam velit in his terris conseruari, ac eius beneficio sibi cœtum colligere ad vitam æternam.

Magnificis titulis ornantur pij ministri.

Et sanè magni faciendum esse ostendit vel hoc, quòd magnificis titulis ornentur boni ac pij ministri. In veteri Testam. dicuntur *Prophetæ Videntes, Viri Dei, Speculatores*, *Pastores*, *Angeli*, *Dij*. In nouo verò *cooperarij Dei, serui Christi, dispensatores mysteriorum Dei, ministri Dei*, *doctores*, *Euãgelistæ, plantatores, rigatores, Lux mundi, pastores, fermentum, sal terræ, &c.* Quibus titulis non solum officium illorum expressum est: sed insignis quoque vtilitas ac necessitas: estque ingrati hominis tantum Dei beneficium vel contemnere, vel extenuare.

Ad quos pertineat ius electionis.

II. Proximum est, vt diximus, quis debeat eligere. Cùm enim necessaria sit vocatio, proximum est, vt quæramus ordinariáne debeat esse necne: &, si ordinaria, quis ordo seruari debeat.

Ac ordinariam esse debere, alibi diximus: nunc dicamus ad quem pertineat ius electionis & missionis.

Dei est eligere. Immediata.

Primùm indubitatum est ius missionis in primis ad Deum pertinere. Is enim ordinem hunc instituit, eundem conseruat. Est præterea ouile illud, suum, cui præficit pastores: ideo Christus iubet, vt rogemus Dominum messis vt extrudat messores in messem suam. Hoc ius electionis Deus semper exercet in sua Ecclesia: sed non eodem modo. Aliàs modo insolito, mittẽdo præter hominum expectationem & suffragia, vt ferè misit Prophetas, Ieremiam, Esaiam, Eliam, Mosen & similes.

Ordinaria vocatio. Extra ordinaria.

In hac vocatione Deus vtitur etiam hoc discrimine quòd aliàs ordinem sequitur à se institutum semel, vt cùm ex Prophetarum collegio prophetas misit ad populum suum vt Elizeum, vel ex ordine sacerdotali piores doctores excitauit. Aliàs eo neglecto ordine, alios misit, qui non erant de ordine Leuitico, nec sacerdotum filij, aut de collegio prophetarum, qualis Ieremias fuit & Esaias. Sic in nouo Testa. Christus Apostolos misit rudes piscatores, qui à pontificibus & Pharisæis nulla habebant suffragia. Quoties tales dedit, eos ornauit singularibus donis & testimoniis Spiritus sancti, & Prophetis dedit vim miraculorum aliquando: frequenter facultatem futura prædicendi: quibus Christus adiecit in missione Apostolorum dona Spiritus sancti, qualia erant, peritia linguarum, sanationum, vera interpretatio scripturæ.

Solet Deus tales mittere in extrema hominum corruptela, quando reliquis non datur locus amplius, adeo vt Deus violento quodam pharmaco hominum malitiam & religionis corruptelam cogatur corrigere. Sic Eliam dedit Achabo, Esaiam Manassi, Apostolos Pharisæis, hodie Lutherum Papæ & Episcopis.

Mediata.

Aliàs Deus mittit ministros, confirmatos hominum suffragio, eorum scil. iudicio, penes quos est eligendi potestas. Ideo hæc mediata est vocatio, quæ per homines administratur. Sic Matthias ab Apostolis est electus, Timotheus & Titus à Paulo, alij ab aliis.

Hoc genere electionis hodie vtimur, idque exemplo Apost. vt videre est in electione Matthiæ, diaconorum septem, Act. cap. 6. & ad Titum scribit se illum propterea in cœtu reliquisse, *vt oppidatim constitueret presbyteros*. Hæc ordinaria nobis est sequenda, ne quis se ingerat, aut vocationem fingat suo arbitrio. Nam expressum est Apost. mandatum, Ne cui citò manus imponamus, ideo per se sibi nullus nec potest nec debet imponere. Deinde quia in Ecclesia omnia debent fieri ordine: ideo missio quoque debet esse ordinaria.

Ecclesia ius vocationis semper exercuit in cœtu publico.

Ecclesia ius vocationis semper exercuit in cœtu publico. Cõueniebant quidem vicini Episcopi, ad eum locum, cui dandus erat minister, sed populo sibi deposcente aliquem per suffragia, habebatur delectus & censura morum & doctrinæ illius qui vocandus erat. De quo habentur constitutiones in canonibus, & iure pontificio. Hîc se nobis opponũt, qui sublata vocatione ordinaria, cuiuis permittunt docendi ius, asserentes hoc modo impediri vocationes Diuinas. Nec aliud magis Prophetis & Apostolis obstitit, quàm persuasio retinẽdi ordinis instituti: qui, quia à pontificibus & senioribus electi & confirmati non erant, passim inclusi & traducti sunt à Iudæis.

Responsio.

Respondemus ordinaria vocatione non impediri illam primam quæ immediata est: Sed hoc dicimus, immediatam à nobis non esse imitandam, quia solius Dei est, cuius ius violant, qui vltrò currunt. Contra hos clamat Ieremias, *Currebant & ego non misi eos.* Deinde cùm versemur in constitutis Ecclesiis in quibus auditur vera doctrina, ordinem seruare debemus vt omnia fiant, κατ' τάξιαν, vt iussit Apostolus.

Quando Deus vtitur vocatione extra ordinaria.

Nam immediata Deus tum vtitur, cùm Ecclesia vel nulla est constituta, vel constituta olim, degenerauit, vt sola supersit illius vmbra. Quòd si pij in talia incidãt tẽpora, omnibus modis tenẽtur sanã doctrinam propagare, quæ generalis est quædã vocatio, qua omnes pij obligãtur ad defensionẽ veritatis, deinde copiã habere non possunt eorũ qui eos confirmẽt & eligãt, alioquin ordinariã electionẽ nõ contempturi.

rempturi. Sequentur igitur vocationē generalem, vel tacito instinctu de extraordinaria confirmabuntur. Secus res se habet in constitutis Ecclesiis, in quibus doctrina sacra auditur, & legitimus Sacramentorum retinetur vsus. Ordinem Deus commendauit nobis: ipse, quando vult, eundem vel sequitur vel negligit: quod minimè ad imitationem nobis est arripiendum. Nec rectè illi colligunt, Deus vtitur aliquando extraordinaria vocatione, ergo homines semper illa vti debent, cùm idem Deus præcepit, vt omnia fiant ordine.

Deinde falsum & illud est, quòd ordinaria vocatio impediat illam quæ est immediata, cùm subordinatæ sint, & idem Deus vtriusque author.

Quòd verò Apostolis apud Pharisæos obfuit immediata vocatio, & Prophetis eadem apud Iudæos, id non factum est propter bonum ordinem à Deo institutum: sed quia ordinaria vocatio apud eos quoque nulla esset nisi pœnitus corrupta.

Vocatio ordinaria corrupta, extraordinariam persequitur.

Ideo necessum erat, vt Deus extraordinariè mitteret sanos doctores.

Deinde afferunt locum ex epist. ad Cor. cap. 16. de familia Stephanæ, quòd seipsos ordinauerint in ministerium Domini & de eo commendantur ab Apostolo.

Respondeo illos sanctos viros se ordinasse ad ministerium sanctis εἰς διακονίαν τοῖς ἁγίοις, quod intelligi debet de benefaciendi studio, quasi dicat, Totos sese deuouerunt pauperum curæ, iuuandi & promouendi alios, benefaciendo aliis. nec statim διακονία docendi munus significat, sed quoduis significat ministerium. Præterea notum est in prima Ecclesia fuisse, certa officia curandi pauperes, peregrinos, viduas, orphanos & similes egentes: talis fortè fuit illa διακονία, cui sese sponte addixerunt isti. Denique si maximè docendi munus hîc veniat intelligendum, vt quibusdam placuit, non tamē illi habent quod volunt. Nam Apostolus vult dicere, quòd vt huic muneri sese accommodarent, hoc vitæ genus elegerint, quod permittit Apostolus etiam: *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, quod intelligi debet de his, qui & possunt & volunt docere sanam doctrinam. Nec dicit Apostolus eos ordinariam confirmationem neglexisse: sed dum eos commendat, perspicuum est, quòd non solùm sese obtulerint ad hoc munus, sed etiam à Paulo vel simili doctore sunt electi & missi. Licet enim ad ministerium operam suam offerre vt ad alios honestos labores, quibus sis par, & relinquas interim his, penes quos est ius electionis, tui iudicium.

Licet ad ministerium operam suam offerre.

Et certissimum est, illos non inuito Paulo ingressos hoc docendi munus, alioquin illos non commendaret Corinthiis.

Aliis rationibus abundè responsum est alibi: Statuamus igitur indubitatò ordinariam vocationem diligenter esse retinendam, cùm Apostoli illam adeo studiosè retineant, nec aliunde magis cōmendent ministerium, quàm ordinaria vocatione, quam Deus in Ecclesia cōfirmauit.

III. Modus electionis nullus certus est præscriptus in sacris literis: tantùm narratur forma, qua sunt vsi Apostoli. Act. 1. cœtus fidelium congregatur, Petrus ibi habet exhortationem ad præsentes de electione. Hinc statuuntur duo in medium, mox habentur preces, denique mittitur sors, vt Deus inter preces decernat quis illi placeat, vt Act. 6. Cœtus fidelium circunspicit sibi de diaconis, eos afferunt Apostolis, qui imponunt manus, & præcibus habitis, in officio confirmāt. & cap. 13. Paulus & Barnabas, mittūtur ad gentes, ieiunio precibus & impositione manuum adhibitis. Ex quibus vtcunque de modo electionis statui potest, scilicet præsente tota plebe electionem factam, siquidem adesse poterat. vt Act. 6. Diaconi eliguntur ab ipsa Ecclesia: sin adesse non posset, à fidelibus electio fiebat. vt Act. 13. quia ad gētes erant mittendi, nondum Ecclesia, sed constituenda primùm. Ac præsente populo factas electiones historia Ecclesiastica etiam testatur. Trip. hist. lib. 7. cap. 8. in Ambrosij electione ratio habetur primùm plebis illum deposcentis, cuius iudicio acquiescit Imperator & præsentes Episcopi. & lib. 10. cap. 3. in electione & restitutione Chysostomi primæ partes sunt populi.

De modo & forma electionis.

Quomodo electus fuit Ambrosius.

Cyprianus etiam lib. 1. epist. 4. iudicat præsente plebe suo tempore esse factas electiones, & lib. 4. epist. 5. Citerinum plebi commēdat, vt lector in Ecclesia fiat. Id postea mutatum est, quod populus per seditiones sæpe malos & indignos deposceret, & in hac sæpe cruenta essent suffragia, vbi tamen plebis pietas honestum & dignum loco virum sibi deposcit, ne hodie quidē solet aspernari illius iudicium à nostro magistratu.

Cur mutata sit vetus forma electionis

Deinde manuum impositio adhibebatur veteri ritu, quo Patriarchæ erant vsi, & Apostoli, & Christus: quoque Patriarchę in benedictionibus ea vtebantur, vt videre est in historia Iacob. Gen. 47. Christus verò in sanandis ægris eo vsus est, vt est videre Matt. 9. Marc. 5. In benedictionibus quoque vsus est, vt cùm infantibus imponit manus. Apostoli vtebātur in precibus & donis spiritualibus conferendis Act. 8. & 19. Hinc in cōfirmatione ministerij, eodem sunt vsi symbolo. 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 1. eodem symbolo hodie vtuntur in quibusdam reformatis Ecclesiis, quod est efficax, si idē Spiritus sanctus gubernet electiones. Tertiò, adhiberi debet oratio, vt Dominus addat gratiam suam & dona spiritualia, quæ ad munus rectè obeundum sunt necessaria.

Quædā Ecclesiæ adhuc vtūtur manuum impositione.

Quartò, Ieiunium accedebat ante nimirum electionem, vt promptiores essent ad preces, & depositis affectibus, bono publico eligerent vtilem magis Ecclesiæ, quàm priuatis affectibus gratū & acceptū. Hæc olim fuit forma quæ hodie, vt alia ferè omnia, pessùm iuit. In reformatis

Vsitata hodie electionis forma.

tamen Ecclesiis ministri eligũt, qui illius ius habent ab ordinario magistratu:electum offerũt suo magistratui. Si quid Ecclesia cui deputandus est, sani afferat pro idoneo ministro intercedendo, non solet aspernari magistratus. Electores alibi precibus adhibitis, & impositione manuum, populo quoque commendant nouiter electum, & designatum à senatu. Hęc piissima est formula & ad Apostolorum normam proximè accedens.

Personæ eligẽdæ. IIII. Sequitur vt de personis eligendis loquamur, hoc est, quales isti debeãt esse. Id Apostolus in canone nobis expressit ad Tit.1.& 1.ad Tim.3.quas suis locis explicuimus, ideo breuiter hic perstringemus.

Cõditiones pij ministri. Primùm debet esse irreprehensibilis, ἀνεπίληπτος, hoc est, qui iure non possit reprehendi. Idem sonat vox qua vtitur ad Titum, ἀνέγκλητον, inculpabilem hoc est, qui iure culpari nõ possit. Alioquin fatendum est ministros ipsos etiam homines esse, & varia admittere peccata, quæ coram Deo verè reos agant, nisi gratia Christi, illis subueniret.

2. Vnius vxoris debet esse maritus hoc est vno & eodem tẽpore non plures habeat, quod vitium tum inter Iudæos & Gentes erat frequens: quam interpretationem sequitur D. Chrysostomus, & sanè Apostoli vxorati fuere vt testatur Eusebius, Clemens, & alij, &c.

3. Σώφρονα, temperantem, hoc est, sanæ mentis & sobrium, est enim Græcis σωφροσύνη, temperantia virtus quæ cupiditates circa potum & cibum ac res venereas coërcet, dicta quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν.i.mentis prudentiam seruat. Prudentiæ enim comites sunt, sobrietas & scitum est quod Græci dicunt, σωφροσύνη γείτων εὐσεβείας. Temperantia pietati propinqua est.

4. Κόσμιον, hoc est, bonis moribus & concinnis præditũ, est enim κόσμιος ornatus & concinnitas in rebus, quæ propriè pertinet ad εὐταξίαν rerum. Itaque κόσμιος, dicitur, qui decorum suæ personæ seruat, τὸ πρέπον non negligit.

5. Φιλόξενον, hospitalem, hoc est, erga peregrinos & aduenas amabilem: non enim quęlibet hospitalitas est, sed illa quæ amanter excipit peregrinos, significans pauperes oportere hospitio suscipere.

Secus nostri hodie faciunt: hospitales sunt, sed erga diuites, & viduas opulentas inuitantà quibus duplum recipiant.

Quid sit aptus ad docendũ 6. Διδακτικὸν, hoc est, aptum ad docendum. aptus autem est qui peritiam habet Scripturæ, linguarum & artium, quibus sacra doctrina, melius proponitur & defendi potest, docet volentes, conuincit repugnantes.

7. Non vinosum μὴ πάροινον, hoc est, vino non deditum, sonat, vino amicum & assiduum. Itaque damnatur non solùm vinolentia, sed assiduitas bibendi, vel amor frequentandi cauponationes etiam si non inebrietur, tamen vino non debet libenter assidere.

8. Μὴ πλήκτην non percussorem, non pugnacem, hoc est, qui pacis sit studiosus: quod fiet, si tam lingua quàm manu pacificè viuat, non dissidia serat, non manu quoque persequatur odium.

9. Μὴ αἰσχροκερδῆ, non turpiter lucri cupidum. Duo prohibet, cupiditatem lucri, quæ in aliis personis poterat tolerari, in ministro verò minimè. Exemplar enim gregis esse debet. Deinde prohibetur etiam turpitudo in cupiditate. Aliud enim est turpe lucrum: aliud turpiter lucrum appetere.

10. Sed ἐπιεικῆ, hoc est, moderatum: sonat mitigatorem summi iuris, ne semper quod licet libeat: sed condonet, & mitigatione iuris agat, idque exemplo præceptoris Christi, qui hostibus etiam benefecit, & orauit pro inimicis.

11. Ἄμαχον, alienum à pugnis, hoc est, minimè rixosum oporteret esse. Μάχη autem militiam significat & verborum litigationes: itaque placidum vult esse, qui à violentia abstineat & à rixosis disputationibus. Hodie satis bellicosi sunt nostri Theologi, stilum in quemuis qualibet de causa stringunt: bellum plus quàm literarium exercent: & his velitationibus nihilo melius habet Ecclesia, sed dubij vtrinque abeunt spectatores. Itaque optandum est, vt his antimachis promachis & symmachis aliquando palęstra hæc interdicatur, &c.

Bellicosi Theologi.

12. Ἀφιλάργυρον, alienum ab auaritia, non amantem argentum. Pecuniam non damnat, sed amorem illius: nam amor pecuniæ cogitationes auertit, vt negligat munus suum: deinde impedit hospitalitatem & curam pauperum.

13. Qui familiæ suæ bene præsit: est enim familia quædam Reip. species, in qua minister dat tyrocinium, quantùm polleat dexteritate regendi alios, & habet inter suos domesticos duplex imperium, δεσποτικὸν erga famulos, quibus liberè mandat, sine illorum præiudicio: Hoc volo vos facere. Hoc genere imperij vtitur animus in corpus: corpori enim non licet detrectare imperium mentis. Alterum est πολιτικὸν, quo vtitur erga vxorem cum qua confert consilia, audit interdum illius sententiam, sequitur illam, vel eam argumentis ducit in suam sententiam. Hoc genere imperij etiam vtitur mens hominis in affectus. Minister igitur, publicè recturus Ecclesiam, sciat se habere politicum imperium, hoc est, vt illam ducat oratione, & suo exemplo retineat in officio, violentia autem corporali non vtatur. Hoc totum discet priuata disciplina domesticorum: ideo Apostolus addidit, vt habeat liberos in subiectione, cum omni honestate quia illi δεσποτικὸν debent ferre parentis imperium quod in Ecclesiam non potest exercere.

Duplex imperiũ ministri inter domesticos.

Ideo

Ideo addit, *Qui domui suæ non potest bene præesse, quomodo is reget Ecclesiam Dei?* A minori ducit argumentum: Non potest suos continere in officio, quid ergo faciet apud alios?

Argumentum à minori.

14. Μὴ νεόφυτον, non debet esse nouitius, vt loquuntur, hoc est, recenter ad fidem conuersus, vt si hodie mox ex Iudaismo conuersus eligeretur minister. Id cur velit Apostolus, subiecit rationem, ne reddatur inflatus, & in Diaboli cadat reprehensionem.

15. Bonum testimonium debet habere ab extraneis, hoc est, alienis à nostra Religione testimonium boni viri, vitæ inculpatæ, humanitatis, & similium virtutum, ne referat ad fidei testimonium, quod non potest ferri ab extraneis.

16. Μὴ αὐθάδη non præfractum, hoc est, qui sibi placeat, & in eo sit durus eigen richtig, nullius sententiam audiet talis, sed imperiosus reddetur tyrannus.

17. Μὴ ὀργίλον, non iracundum, hoc est, irritabilis: tales enim ὀργίλοι, dicuntur Græcis. Iræ deditus, facilis ergo & mansuetus & placidus esse debet.

18. Φιλάγαθον, hoc est, studiosum boni, & bonorum omnium fautorem.

19. Δίκαιον, iustum in contractibus & vita politica: vniuersaliter etiam iustus, hoc est, æquitatis studiosus, omnium virtutū sectator, secundùm illud. *Iustitia in sese virtutes continet omnes.*

20. Ὅσιον, pium, sanctum, hoc est, rebus diuinis deditum, castum, & pietati per omnia deditum: & obserua ὅσιον posse esse ministrum, qui vnius vxoris maritus dictus est.

21. Ἐγκρατῆ, continentem: sonat enim qui affectibus suis potest imperare, cohibentem & refrenantem animi impetum. Hoc imperium rationis in affectus, πολιτικὸν est, quia duci volunt affectus rationibus, alioqui non parent: decebat esse δεσποτικὸν, sed licentia peccati effræni est: non admittit iugum.

22. Tenacem fidelis sermonis, qui est secundum doctrinam vt possit exhortari & contradicentes conuincere. Idem est quod dicit ad Tim. διδακτικὸν εἶναι, nisi quod constantiam hic requirit in sana doctrina, cui subiicit duas quasi partes: cohortationem ad constantiam in proposito, & ἔλεγχον confutationem errorum, qui in doctrina & moribus possent irrepere.

Duæ partes doctrinæ.

V. Restat vltimum propositi nostri membrum, ad quid scilicet eligendi sint. Respondemus, id definitione esse expressum ad certam nimirum & euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Vt enim in aliis functionibus aliquod bonum respici solet: sic in ministerio, nisi certa sit vtilitas, frustra præficimus Ecclesiis ministros. Hoc Christus dixit, *Ite & docete omnes gentes*: item, *Luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem qui in cælis est*, vtrunque coniunxit Petrus 1. epist. 5. *Cùm præcipit vt pascant gregem Domini, & sint exemplaria gregis*, hoc est, vt veram doctrinam proponant, & vitæ innocentia doctrinam confirment, vt videant auditores in moribus doctoris quid illis sit agendū. & Apostolus præcipit Tim. vt doctrinam quam acceperat commendaret fidelibus hominibus, qui possint eandem aliis quoque tradere.

Finis & vtilitas electionis ministrorum.

Primùm igitur pertinet cura sacræ doctrinæ retinendæ, ne homines sequantur diuersam doctrinam, quod prohibet Apostolus 1. Tim. 6. Et Christus dum iubet caueri fermentum Pharisæorum. Quæ autem sit sana doctrina, hauriendum est ex Apostolis & Prophetis: Inde Christus iubet *scrutari scripturam, quia in hac vitam habemus.*

Vnde peti debeat sana doctrina.

Et certum est Christum Apostolos suos summa fide & diligentia instituisse in tota doctrina ad salutem necessaria. Apostoli verò & si omnia primitus non intellexerunt, certum tamen est superueniente Spiritu sancto de omnibus fuisse edoctos: Nam Christus hoc illis promittit, inquiens, *is docebit vos omnia*, scilicet quæ sunt necessaria ad salutem. Cùm verò omnia probè intellexerint, officij eorū fuit, omnia Ecclesiæ tradere, non solùm viua voce, sed scripto quoque. quæ enim infidelitas, necessariis omissis alia tradere? Itaque firmiter tenendum est, Apostolicā doctrinam necessaria ad saluté continere, ideo omnis doctrina ministri hinc debet depromi.

Apostolica doctrina omnia ad salutem necessaria continet.

Deinde huc pertinet sacramentorum administratio: nam illa ad ceremonias pertinent vt ritus Ecclesiæ. In his seruanda est Christi & Apostolorum institutio, præterea edocendus populus diligenter, de vsu & fine Sacramentorum, & submouendæ rixæ quæstionum. nimium enim altercando amittitur veritas.

Nimium affirmando amittitur veritas.

Tertiò, quia ministri Apostolis successerūt, & vtrique Prophetis ac sacerdotibus veteris testamenti, manifestum est ad id eligi etiam ministros, vt pro populo sibi commisso orēt. Id quidem exemplo Christi faciunt, qui pro suis orauit, imo pro inimicis etiā, & adhuc ad dextram Patris pro Ecclesia sua indesinenter intercedit, Tamen conditio huius vitæ id in primis postulat, in qua miseriæ infinitæ Ecclesiam premunt, non alio fine, quàm vt ad preces excitentur. Id si auditorum est, certè magis doctorum. Hinc Apost. ad Rom. 1. *testatur se in precibus suis indesinenter mentionem facere Romanæ Ecclesiæ*, & ad Philip. 1. *In omni precatione sua, preces se facere pro omnibus cum gaudio.* ad Colloss. 1. *Semper pro vobis*, inquit, *precantes.* Idem habes, Thess. 1. & 1. Tim. 2. Iubet preces fieri pro omnibus hominibus. Id quidem de tota Ecclesia intelligi debet, sed in hac primæ partes sunt ministri. In veteri Ecclesia enim ad Sacerdotes pertinebat orare pro populo, id Christus non mutauit, nec Apostoli.

Quartò, disciplina morum ad eos pertinet: in primis autem, vt suæ familiæ bene præsint, 1. Tim. 3. ne auditoribus sint vel occasio diffidentiæ vel scandali. Deinde auditorū mores regant

Disciplina morum

verbo Dei, sine vi corporali. Nec laboriosa hîc opus est formula disciplinæ, castigent, increpent, obiurgent, priuatim & publicè moneant: siqui audiant, bene est: sin minus, his denuncietur Domini sententia, *Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt etiam in cœlo*, &c. admoneantur etiam diligenter magistratus Christiani, vt scandalis maturè occurrant. Maximum autem pondus ad vitæ innocentiam habet ministri vita: illa plus docebit quàm omnes cóciones etiam eruditissimæ: exemplis enim duci volunt homines, id quod Christus & Apostoli studiosè fecerunt.

DE VIRTVTIBVS BONI MINISTRI Euangelij.

LOCVS LXIIII.



DE Ministerio iam semel diximus. Admonet tamen hic locus, vt quædam de eodem addamus: nimirú, quæ sint illius prçcipuç pestes. Deinde quç sint boni pastoris primariç virtutes. Ná Apostolus Paulus hic nó dubitat suas in docédo virtutes canere, & insuper à quibus vitiis imprimis sibi cauerit. Quæ si rectè ministerio applicemus, nó obscure boni pastoris idea absolutissima cófici videbitur.

1. Quod vitia attinet, mox ipso Apostolorum tempore fœda scelera ministerium cœperút commaculare, de quibus præmonuit Dominus Christus Matt. 7. Ioan. 10. Apostolus Paul. Act. 20. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. & 4. cap. Cyprian. lib. 1. epist. 5. peccata recēset quæ suo tempore regnabát inter confessores: & Hieron. sui temporis monachos ac presbyteros valde dissolutè vixisse testatur. Fecerunt singulis ætatibus viri cordati idem. Nostro seculo peccata clericorú satis detecta sunt mundo. Faciet idem posteritas, vt agnoscant hi qui in munere docendi sunt constituti suos errores, vt discant seriò agere quod cœperunt, ne honestissima & sanctissima professio, vitiis profitentium traducatur vt hodie fit.

Vita Ministrorú. Primum vitium est, de vocatione sua certum non esse: hinc fluunt alij infiniti errores. Contra hos clamat Dominus apud Ierem. 23. *Currebant & non mittebam eos.* Tales sunt qui sese ingerunt ministerio, vocationes sibi fingunt & formant suo arbitrio. Deinde qui spe lautioris vitç & otij accedunt ad titulos ministerij cum nec donum habeant docendi nec docere velint vnquam alios, aut ipsi à quoquam doceri.

Hinc subsequitur secundarius error, vt alios vita ac moribus corrumpant sui s: fœda statuunt exempla, eáque stabiliunt.

Et ex horum numero, si qui docere præsumant, synceritatem ac simplicitatem veræ doctrinæ suis opinionibus corrumpunt, contra quos idem Dominus clamat, Faciunt errare populum meum.

Itaque prima esse debet cura, vt de sua quisque vocatione sit quàm certissimus.

Alterum vitium est, quod ministerium vastat ἀκαθαρσία, hoc est, vitæ petulantia. Nam qui ordinariè ad illud accedunt, sæpe corrumpi sese patiuntur, ventri inseruiunt, libidiné aliáque fœda exercent. Hinc scortatores, mœchos, adulteros, & similia probra.

Tertium, dolus ac fraus, quod vitium primum in contractibus versatur, in quibus circumuenire proximum magna est impietas, maxima verò si in ministrum cadat. De quo conqueritur Sophonias de sacerdotibus sui temporis, *Complent domum Domini sui iniquitate & dolo.*

Deinde in ipso ministerio dolosè corrumpendo simplicitatem veritatis, de quo Dominus apud Ierem. 9. loquitur, *in dolo renuerút me cognoscere*: hac fraude humanis traditionibus repletá est Christi Ecclesia pro Dei verbo, quæ deinceps nouo dolo defensæ sunt.

Studium placendi hominibus ministro vitandum. 4. Corrumpit etiam ministerium studiú placédi hominibus, quod dicitur ἀνθρωπαρεσκία. Minister Christi, seruus Christi est, cui soli sese approbare debet, eíque soli adducere homines, ideo tam pauperibus quàm diuitibus sermonem accommodare debet, nec curandum illi quod cuique placere possit secundum carnem. Hoc vitium studiosè vitauit Apost. vt testatur Gal. 1. 1. Tes. 2. Eph. 6. Col. 3. hominibus interim placere permittit idem Apostolus, sed in bono. Rom. 15. Ideo ἀνθρωπαρεσκία dicitur semper in partem deteriorē cum ministri sese personis accommodant cum iactura veritatis.

Ministri adulatores coruis similes. 5. Vastat ministerium etiam adulatio superiori vitio cognatum, differt tamen quòd in moribus magis posita est κολακεία, vt spe lautioris vitæ, assentatur superioribus, vt solent gnatones esuribundi, quos Græci κόλακας quasi κόρακας coruos vocarunt, quia isti inhiant prædæ singulari studio.

Auaritia fons totius Ecclesiasticæ corruptelæ. Sextò, huc pertinet πλεονεξία auaritia, quæ radix malorum est, & fons totius Ecclesiasticæ corruptelæ: hæc, ne in auditoribus quidem ferenda est, nedum in præside religionis. Proximè recedit ad idololatriam, ideo idolorum cultus quoque dicitur. De auaritia clericorum conqueritur quoque Hier. & Aug. & cóstituti sunt aliqui Canones contra hoc malú, sed sine effectu

ctu Hodie quid sit auarum esse ministrum Christi, nouerint misselli rustici, & opifices, qui talibus subseruire coguntur.

Septimò, inanis gloria perdit ministerium κενοδοξία: hoc vitio laborant in primis qui per ostium non ingrediuntur ad pascendum Christi gregem. Gloriæ serui sunt, ideo huic omnia accommodant. Agnosci potest hoc vitium sæpe in re minuta, vt in mensa, & cœtu publico, nam qui hoc laborant, primas tenere volunt videri, & ob id etiam regnare. Quod Pharisæis obiicit Dominus Christus, Matt.23. Luc.20.ver.46. Et Fridericus secundus. Adriano Pontifici mouenti ei litem de nominis prærogatiua. Fœdum sanè erat seruum Christi litigare cum Imperatoribus, rectiúsne Imperatoris, an verò Pontificis nomen præmitteretur, qua de re editæ sunt duæ contrariæ epistolæ anno Domini 1155.

Hæc vitia in ministerio suo diligenter cauit Apostolus, aliísque cauenda proponit, Tess.2.

II. His vitiis virtutes contarriæ spectandæ sunt in persona Apostoli: prima est, Mansuetudo ἠπιότης, à Philosophis πραότης vocata. in moribus & conuictu est facilitas de se moderatè sentiens suísque donis, ne magnitudine donorum efferatur. Deinde ne tyrannide quicquam conetur tentare, ne vi corporali ad religionem cogat, potius quàm rationibus. Sic de se dicit Dominus Christus: *Discite à me, quia mittis sum corde.* Et Apost. apud Thess. vixit omni humilitate, quemadmodum nutrix suos liberos θάλπει. i. fouet, quem affectum Christus, Matth.23. similitudine galinæ proposuit congregantis & fouentis pullos suos. N/·

Virtutes Ministrorum. N3·

1. Thess.2.

2. Huic coniuncta est ἡμερότης cicuritas, si ita loqui liceat: dicuntur ἥμερα ζῶα, domestica & cicurata animalia, quibus opponuntur fera, quæ ab hominis conuersatione planè abhorret, vt canis, bos, equus, ouis, &c. animalia cicura sunt: contrà lupus, vrsus, leo, lepus, fera. Hinc familiaritas ista & facilitas morum dicitur ἡμερότης, quia aliis facilè ignoscimus, illorum commodis inseruimus, totósque nos illorum commodis applicamus, non secus ac bos & equus rustici commodis mancipatus est.

Tertiò, has sequitur κόπος, qui enim hoc fine accedit, ad ministerium vt aliis prosit, semper habet occasionē laborandi. Labor primarius est in doctrina administrãda, in qua laborarunt Prophetæ, apud quos frequenter dicitur onus, quia ministeriū hoc admodum difficile erat, & sæpe cum vitæ periculo coniunctū, quod testantur exempla Ieremiæ, Esaiæ, Michæ, Zachariæ & aliorū. Laborauit in hoc Christus etiam ad mortē vsque, idem fecere Apostoli, qui omnes vita tandē & sanguine etiã nonnulli hunc laborē consignarunt. Deinde labor est in constãtia & alacritate: hinc Christus ait: *Sint lumbi vestri cincti,* quia semper paratos esse vult suos ministros, adeóque intentos operi vt in via neminem salutent, hoc enim solent seduli operarij facere. Præterea si res postulat non suffugiant laborem manuum, quo Apostolus vsus est, ne alios grauaret. 1. Thes.2. 1. Cor.9.

Quartò labori additur μόχθος, hoc est, ærumna & sollicitudo quotidiana pro omnibus Ecclesiis. Debet enim non præsentium solum curam habere, sed absentium, imprimis hi quibus plures cœtus commissi sunt, vt Apostoli, qui omnes Ecclesias curare debebant, sed est μόχθος quoque, si aliorum ærumnis seriò & ex animo afficiatur, si ægrotos studiosè visitet, afflictos consoletur, desperabundos erigat, pauperes iuuet, opera, re, consilio.

Sollicitudo quotidiana pro Ecclesia ministri pectus pungere deber.

Quintò, Sanctitas ὁσιότης, qua Dei studium declarabit, quòd à Deo edoctus sit: Dei causam synceritas tueatur, alios veram adorãdi rationem, inuocationem veram doceat. Tales olim dicebant deuotos & sanctos *heilige, gottes dienner*, qui omni cura mundana reiecta, soli Deo in spiritu & veritate inseruiebant.

Sextò, iustitia δικαιοσύνη, quæ ad cōuersationem ciuilem pertinet. neminē defraudet in contractibus omnibus, quod suum est reddat. Præterea in administranda doctrina singulos suo gradu & ordine instruat. Alius enim sermo doctoris debet esse inter adultos, alius inter iuuētutem: aliter loquatur apud matronas, aliter cum virginibus: aliter cum valido, aliter apud ægros. Sic cum impio aliter aget, ne porcis eloquia Dei temerè dispenset.

Septimò, Irreprehēsibilitas, qua tota vita & doctrina contra calumnias muniatur. Hæc virtus copiosiùs expressa est suprà in loco de eligendis Ministris. Et apud Apost. 1. Tim 3. & ad Titum. 1. vbi ministrum requirit sine crimine. Id nonnulli retulerunt ad tempus electionis: quasi esset satis tempore electionis vacare culpa manifesta: sed non satis esse docet Hieronymus, cùm ex eo tempore quo in Christo renatus est, & sese ministerio cōsecrauit, nulla peccati conscientia grauiori subiici debeat. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ malum de medio eius tollere, qui in delictum simile corruit? Aut qua libertate peccantem corripere potest? cum tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse, quæ corripit in aliis? Itaque ante electionem, in electione, & post electionem, vita Ministri sit ἄμεμπτος. Leuitæ olim offerebant suas oblationes in vase mundo, hoc nostri Leuitæ facient, si aliis Sanctam & mundam vitam prætulerint.

Octauò, in eo requiritur πατρικὴ ἐπιμέλεια. hoc est Paternus animus omnes ex æquo curandi. Vt enim pater in sua familia singulas curat personas, & pastor in grege, nullum habet tam vile pecus, quod non inspiciat & curet: sic Ministri animus affectus esse debet erga suos auditores. Hoc demum pascere est. Sic Apostolus 1. Cor.4. vt filios monet, hoc est, paterno animo, nil per tyrãnidem agit. Inde Patris, Abbatis, Papæ vocabula olim introducta sunt, quæ paternum affectum videntur significare. Vide locos de Ministerio: Item de officiis Ecclesiasticis. N3·

DE MANVVM IMPOSITIONE.

LOCVS LXV.



VETVS est consuetudo imponendi manus, inde à Patriarcharum temporibus ducta, à Christo obseruata, ab Apostolis etiam Ecclesiæ relicta, & hodie vsurpata in electione & confirmatione ministrorum Ecclesiæ. Non tamen simplex illius fuit vsus antiquitus.

Vsus impositionis manuũ sub lege.

I. Manuum impositio primùm ceremonia erat, quia hostiæ quædam Deo consecratæ ritè offerebantur. vt Exod. 29. *Aaron & filij eius debent manus imponere vitulo offerendo:* & eodem capite, arieti, cùm in aliis victimis id non factum legamus. Verùm hostiæ consecrationis istæ erant, quibus testabantur ordinarios hosce in eo populo ministros Dei esse, qui pro populo ordinarias oblaturi essent victimas.

Alius vsus.

In benedictionibus & faustis comprecationibus adhibitum est symbolum hoc, in quibus tamen non singularia dona Spiritus sancti cõferri necessum erat, vt Gen. 47. Iacob moriturus benedicens filiis Ioseph imponit eis manus adoptans eos in numerum Patriarcharum. Et cùm iam antè essent de numero filiorum Israel, pro vna familia Ioseph, duas constituit Ephraim & Manassen, fausta comprecando imponit manus. Sic apud Matthæum decimonono, Christo adducuntur pueruli, vt illis imponat manus, hoc est, fausta comprecaretur, & ornaret benedictionibus. Et Christus, eis susceptis, hac ceremonia testatur diligentiam parentum illi placere, gratam etiam se habere hanc ætatem, cuius salutis non minùs sit studiosus, quàm adultorum.

Manuũ impositione beneficia corporalia conferebãtur.

Eodem symbolo, beneficia corporalia interdum conferebantur. Lucæ quartò, *Christus vnicuique ægrotorum, quos passim ad eum ducebant, imposuit manus, & sanauit eos.* Et Marc. 16. Apostolis idem promittitur, *ægrotis imponent manus, & meliùs habebunt.* Matthæi nono, Princeps synagogę accedens Christum, inquit, *filia mea modò defuncta est: veni quæso & impone manum tuam super eam, & viuet.* Marci quinto Iairus ait, *filiola mea in extremis est, veni & impone ei manus vt seruetur, & viuat.* Marci septimo capite, *afferunt Christo surdum & difficulter loquentem, vt imponat illi manus.* Actorum nono capite, Paulus visum recipit ab Anania impositis manibus. Act. 28. Paulus Publij patrem curat à febri impositione manuum.

Beneficia spiritualia.

Præter corporalia beneficia, aliquando spiritualia quoque collata sunt per impositionem manuum. vt Act. Samaritani fideles Petro & Ioanne illis manus imponentibus, accipiunt Spiritum sanctum. & Act. 19. Paulus Ephesi duodecim viris baptizatis imponit manus *& accipiunt Spiritum sanctum.*

Symbolo impositionis manuum Apostoli ministros & diaconos ordinabant.

Certum officium cum donis spiritualibus ad eam functionem necessariis confertur. Vt Moses iubẽte Domino ordinat sibi successorem Iosuã *& impositis manibus impletur spiritu sapientiæ.* Deut. 34. Num. 27. Sic imperatoria dignitas & virtutes imperatoriæ illi simul conferuntur.

Eodem modo in ministerio Ecclesiæ, simul munus docendi & habilitas multis collata est. 2. Tim. 1. *exsuscita donum Dei, quod in te est per impositionem manuum mearũ:* significans Timotheum Episcopum electum impositione manuum, & simul accepisse donum diuinitus docendi Ecclesiam. 1. Tim. 4. *ne negligas donum quod in te est, quod tibi datum est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Act. 6. electi septem diaconi confirmantur ab Apostolis *impositione manuum.* Act. 13. Paulus & Barnabas *impositione manuum ad gentes mittuntur Apostoli.*

Sic quidem ceremonia illa non nuda fuit: sed habuit annexa dona, vel corporalia, vel spiritualia: ad certam & euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Hinc opinor factum vt Paulus præcipiat Timotheo, *ne cui manus citò imponas.* 1. Tim. 5. Viguit hic laudatissimus mos, quandiu Spiritus sanctus in Ecclesia rector fuit ministerij & electionum, qui non fuit passus inanes esse electiones, nec concessit malis aditum ad ministerium.

Inane & nudum symbolum mansit in postera Ecclesia corruptis iam moribus, & cùm malis artibus aditus ad Ecclesiæ ministeria patefactus esset: nec tam cura docendi, quàm dignitas, opes & dominium in misterio quæsita sunt. Et quanquam semper aliqui boni manserint, in quibus impositio manuum non fuit irrita: attamẽ loquor de communi corruptela ministerij sub pontificibus, quæ & hodie bona parte vastat Ecclesias reformatas.

II. Hoc autem modo est vsurpata. Non fuit nuda manuum impositio, sed accedebant preces: nam Iacob Gen. 48. *inuocat Deum patrum suorum.* Act. 6. *preces adhibitæ sunt* Act. 13. *preces & ieiuniũ:* ex quibus intelligimus religiosè vsurpatam fuisse. Mar. 7. Christus cùm esset rogatus vt imponeret manus, seorsim ducit surdum, digitos immittit in aures illius, sputo, facto tangit linguam eius, *ac in cœlum suscipit,* hoc est, ardenter orauit: hoc erat manus imponere. Sic in electionibus ministrorum adhibitæ sunt preces, interdum ieiunium: hinc facta electione, impositione manuum electio confirmabatur. Fiebat autem electio à plebe, vel saltem præsente plebe vt videre est apud Cyprian. lib. 1. epist. 4. & alios.

Electio ministrorum fiebat à plebe, vel

Deinde nihil hîc symbolo tributum est, sed libera ceremonia, quales aliæ multæ. Elias oratione

tione & tribus vicibus sese expãdens super filiũ mortuũ, eum resuscitat ad vitam. 1. Reg. 17. Eliseus in suscitando filio Sunamitidis, aliis est vsus ceremoniis, quibus tamẽ non nessariò deinceps vlla est annexa gratia: Sic manuum impositio tempore Apostolorum efficax fuit: non tamen sequitur idem hodie fieri, cùm non eodem spiritu, eadem pietate ac diligentia imponãtur. præsente plebe.

III. Hodie impositio manuum alia fit ratione: tribuunt ei characterem quendam indelebilem, qui cum hoc symbolo imprimatur: deinde characteri huic tribuunt gratiã gratum facientem, disponentem ad nouam gratiam, assimilantem diuinæ gratiæ, distinguentem ab aliis hominibus. Tota hæc doctrina eò respicit, cum symbolo conferri dona quæ auferri non possint, hoc illi volunt per impositionem indelebilis characteris. Hinc initiatos & lapsos in peccata intoleranda radunt, magnis ceremoniis exuunt, scalpũt etiam cutem ad sanguinis effluxionem, vt caracter ille rectè tollatur. Nihil tale in doctrina Apostolorum aut Christi habemus. Subeunt mali in ministerium, qui testantur se nihil habere ex donis Spiritus Sancti, ideóque hîc nullus character efficax est. In aliis symbolis idem videmus vsuuenire. Circumcisio non conferebat gratiam gratum facientem, nec celebratio agni Paschalis, nec consecratio in ordinem sacerdotalem, nec alia. Character indelebilis in Papatu.

Hodie illum caracterem in Baptismo conferunt, mox adolescentem in iuuentute confirmant, cuius verba solennia sunt. *Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis*. Mox in ordinatione idem præstare se dicunt: pugnat hæc doctrina cum antiqua impositione manuum. Vtilitas impositionis manuũ.

IIII. Nos his dimissis potius consideremus, cur impositio manuum sit adhibita: habet enim hæc res vtilem considerationem.

Primùm certos de officio reddebat: nam hoc symbolo demum accipiebant plenam docendi potestatem: quemadmodum Iosua à Mose confirmatur impositione manuum, & de officio certus redditur: sic Paulus, cùm esset mittendus ad gentes, & Timotheus esset electus ad ministerium. Debent igitur meminisse ministri etiam hodie, quibus manuum impositio adhibita est in electionibus, se hoc symbolo mandatum accepisse docendi veritatem.

Deinde aptos aliunde reddi: nihil ex se posse, sed sufficientiam præstari ab eo, cuius nomine manus imponitur. Nemo enim sibi imponit manus, hoc est, nemo se ipsum vocat aut idoneum reddit: sed alius est, qui imponit manus, hoc est, huic muneri consecrat: hinc blasphemiæ peccati damnato testes debuerũt priùs imponere manus, in argumentũ, quòd nisi conuictus esset, nunquam peccatum hoc fassurus erat: ita contrà consecratis ministerio imponitur manus, in testimonium, quòd nisi diuina dispensatione protracti essent, nunquam hoc munus essent admissuri. Hinc D. Chrysostomus, Basilius & alij tanta cum difficultate ad ministerium accessere.

Tertiò, admonet etiam de auxilio Domini, quod præsens est sedulò in eo munere versantibus: manus enim Domini est, quæ tuetur, & defendi contra pericula, contra offendicula, contra alia mille impedimenta. Sic Angelorum manus eripiunt Lothum ex Sodomorum violentia, eundem ex communi interitu manu educunt. Et filios Israël manu forti liberat ex Ægypto: & Dauid ait, Psal. 139. *Posuisti super me manum tuam*: & mox, *si habitauero in nouissimo mari, etiam illuc manus tua deducet me, apprehendétque me dextera tua*. Hinc tot miraculosæ liberationes fidelium ministrorum. Act. 4. Ioannes & Petrus ad ruborem hostium vsque sese magnificè defendunt, vt hostes cogantur dicere, *quid faciemus hominibus istis?* cap. 5. Act. diuinitus liberantur ex carcere per Angelum, & iubentur in munere docendi pergere. Act. 16. *Paulus & Silas terra motu facto liberantur*. Et alia infinita sunt in historiis Ecclesiæ, quæ testantur Deum tueri eos, quos per manuum impositionem elegit ad ministerium. Durat illa temporalis liberatio, quadiu causa veritatis prodest, & facit ad gloriam liberatoris. Quod si res Ecclesiæ aliud requirat, aut gloria Domini testimonium desideret, non dubitant iidem sanguine suo obsignare, quod docuerunt. Magna impositionis manuũ vtilitas.

Nec deest in agone manus Domini confirmãs: quale vides in Stephani morte, habet Christũ præsentem, stantem ad dextram Dei inuigilantem ministri sui saluti, & hostium pœnis, &c.

Quartò, manus imposita, debet electis incutere solicitudinem, vt vigilanter & omni studio operi Domini incumbant. Grauis est enim Domini manus, quæ illis imposita est, hoc est, certissima sunt pericula, & infallibiles pœnæ, si pergant sua negligentia hîc aliquid deperdere. Vt enim in auditoribus Dominus punit negligentiam, sic multò magis in doctoribus: hæc illa manus est, de qua dicit Esa. cap. 5. *irratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum* & Psal. 32. Dauid sensit vim Dei manus aggrauantis peccatorem: *die ac nocte grauatur super me manus tua, versúsque est succus meus in siccitates æstiuales*, &c. Hinc Philistæis intolerabilis est arca Domini. 1. Reg. 6. *quoniam dura est manus eius*: & infrà, *grauissima erat manus Domini*. Deus in ira sua manum imponit.

Hæc quidem peccatoribus in genere, sed ministris adhuc grauior est Domini manus, vt declarant Prophetarum voces, Ezech. 3. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, audies igitur ex me verbum, & monebis eos ex me. Cùm ego dixero impio, morte morieris, & tu non monueris eum, nec locutus fueris ad dehortandum impium à via sua impia, vt viuat: ille quidem impius morietur in iniquitate sua: sanguinem autem eius, de manu tua requiram*. Et apud eundem Proph. cap. 33. *Si speculator viderit gladium venientem, & non clanxerit turba, & populus monitus non fuerit, & venerit gladius, & abripuerit ex eis animam: talis propter iniquitatem suam abreptus est: sed requiram san-*

guinem eius de manu speculatoris,&c.

Hæc perpendant in ministerio, quibus manus est imposita, ne quid sua culpa negligat, ne putent se ad otium vocari & præbendas, sed maximos labores & mille pericula, quibus summa cum vigilantia debent occurrere.

Quintò, manus imposita admonet gubernationis diuinæ. Dominus est qui non solùm tuetur & munit: sed gugernat totum ministerium. Quibus enim imponitur manus, gubernari hi videntur ab his, qui imponunt. sic Psal. 95. inquit Dauid, *nos populus pascui tui, & oues manus tuæ* & Psal. 77. *sicut oues populũ tuum in manu Mosis & Aaronis duxisti.* Faciunt illa ad cōsolationem ministerij. *Dominus enim est, qui dat incrementum*, interim boni ministri faciant quod ipsis est commissum.

DE DIACONIS SIGNIFICATIONE.

LOCVS LXVI.

Nomina Ecclesiasticorum officiorũ significant diligentiam



OFFICIA Ecclesiastica fere omnia significant diligentiam ac vigilantiam, qualia sunt, Episcopus, Pastor, Doctor, Propheta, &c. Alia simul exprimunt amorem & affectum Paternum, vt Abbas, Papa. Alia insuper agnoscunt subiectionem & Dominum superioris, vt Apostolus, Seruus, Minister, Diaconus.

De aliis alio tempore & loco diximus. Nunc de diaconi significatione admonebimus vt videant omnes quales gradus Diaconatus in sacris literis sint expressi, & quales hodie titulis sub illa appellatione delitescant.

Etymon.

Origo vocis dependet à pulueribus & subdoribus. Nam Eustath. originem sumit à voce κόνις & κονία. quæ puluerem significant. Hinc κονεῖν, idem quod ὑπηρετεῖν seruire: & in pulueribus desudare. Hinc κονίςρα idem, quod παλαίςρα. Inde fluunt διακονέω, & διάκονο, seruus ac minister talis, qui μέχει τῆς κονιῶν κονεῖ, hoc est vsque ad sudores puluerentos desudat. Ex quo percipi potest Diaconos olim dicta mancipia, quæ sordida & seruilia munia heris suis expedirent, quanquam postea ad honestiora iidem adhibiti sint.

1. Græci describunt Diaconum, vt sit ὁ αὐτόχειρί δουλεύων qui sponte seruiat. Alij ὁ διαφέρων τὰ κελευόμενα, quod intelligo de secretis Dominorum suorum ad amicos de portandis, vt essent viuæ Epistolæ, ac vt dicunt, viua Epistola.

Definitio.

2. Nos sic describamus ex Scripturis, Noui testamenti. Diaconus est persona Deo seruiens, vel in administranda Rep. vel docendo Euangelio, vel curandis pauperibus aliòue modo priuatim etiam seriò & ex animo Christo seruiens.

Hæc nostra descriptio ex Scripturis est declaranda ac approbanda. Non enim videbitur multis reprehensione carere. Addamus ergo gradus diuersos Diaconiæ, quandoquidem definitio diuisione est constituta.

Diuisio scholastica.

Nec moramur hîc Scholasticam distributionem quæ magis dignitatis habet rationem & prærogatiuæ, quàm scripturæ germanum vsum. Distingunt illi officium hoc, vt alij sint Archidiaconi: alij Diaconi simpliciter: alij hypodiaconi, id est subdiaconi. Quā distinctionē suis relinquimus authoribus, nos ad Scripturam nos referimus.

I. Primi ordinis igitur sunt Diaconi, qui Ministris verbi adiuncti sunt, eisque inferiores quoque, quod genus Diaconorum in reformatis Ecclesiis adhuc in vsu habetur, vt Ministris adsint: illis inferiores, qui simul doceant & ministrent Sacramenta. Hi olim aderant Episcopis, hoc est, ordinariis Ministris non solum docendo, sed scribendo, legendo, inseruiendo, curando res quæ ad Ecclesiam spectabant. De hoc genere Diaconorum disputat Hierony. in Epist. ad Euagrium, in qua ægrè fert Diaconos æquari Presbyteris. Idem argumētum tractat D. Augustinus in quæstione, ex vtroque Testam. mixtim collectis, qui & ipse iniquissimè fert Diaconos à quibusdam æquari Episcopis, hoc est, Ministris.

De talibus Diaconis loquitur Paulus Philippen. 1. statim in titulo, vbi scribere se significat *Episcopis & Diaconis.* Quanquam non desunt qui de Eleemosynarum dispensatoribus interpretentur.

Diaconi in reformatis ecclesiis. Apostoli dicti Diaconi.

II. Verùm illa distinctio non anxiè obseruata est à Sacris literis. Nam passim omnes Ministri Euangelij ornantur hoc titulo, adeò vt Apostoli se aliquoties vocent Diaconos, Coloss. 1. v. 7. *Epaphras dicitur fidelis Diaconus Colossensium*, cùm omnes affirment eum fuisse cum Archippo ordinarium Ministrum, ac ne excipias hunc fuisse quasi episcopum, Epaphram verò eius diaconum, lege quæ infra cap. 4. vers. 17. habentur, vbi Archippo iubet dicere, *Orna Diaconiam tuam.* Itaque pares fuerunt diaconi, qui nullos haberent in Ecclesia superiores Ministros. Et Coloss. 1. vers. 23. 25. Paulus se bis fatetur diaconum, semel Euangelij, mox iterum Ecclesiæ. Et Act. 1. vers. 17. de Iuda olim Apostolo, sortitus erat partem τῆς διακονίας ταύτης, *hoc est, simul nobiscum fuit Apostolus.* 1. Corint. 3. vers. 5. *Quid Paulus, quid Apollos nisi Diaconi per quos credidistis?*

2.Cor.3.verſ.6. *Qui idoneos fecit nos vt eſſemus Diaconi noui Teſtamenti.*

Hinc doctrina quoque Euágelij hoc titulo ornatur vt dicatur ſimpliciter διακονία, vt 2.Cor. verſ.1.& 2.Cor.6.verſ.3.2.Cor.3.verſ.7:&8.2.Cor.5.verſ.18.& Rom.8.verſ.13.Epheſ.4.verſ.12.& alijs multis locis. Fere hic concidit vox λειτουργίας, quæ & ipſa munus docendi ſignificat & λειτουργοὺς ipſos Miniſtros. Rom.15.verſ.16.1.Pet.1.verſ.12.de prophetis.

II. Accedit tertium Diaconorum genus in Scripturis expreſſum, quod curam habebat pauperum, vt Act.6.ſeptem huius generis eligunt qui adſint menſæ, ne his occupationibus detraherentur Apoſt. à munere docendi.1. Timoth.3.verſ.8.10.deſcribit illorum virtutes. Hinc Diaconiſſæ. 1. Timoth. 5. verſu 9. quæ miniſtrabant mulieribus pauperculis, & puerperis aliiſque ægris, puerillis ac fœminis. *Talis Phœbe fuit apud Cenchreenſes*, Rom.16. Et Apoſtolus citato hoc, iubet ne minor 60. annis eligatur, vt abſit petulantia. Hinc etiam collecta ipſa διακονία dicitur, 2.Cor.9.verſ.1.13.Rom.15.ver.31.1.Cor.16. v.15.Act. 11.v.29. Ad hanc virtutem paſſim nos hortatur Scriptura, vt Heb.6.verſ.10.& citatis locis. Diaconi pauperũ curã habentes.

IIII. Affine huic eſt, quod legitur Mat.27. Mar.15. Luc.8. de mulieribus quæ Chriſtum ſecutæ ab inferiori Galilæa ſubminiſtrarunt ei ac Apoſtolis neceſſaria. Separo autem à ſuperiori, quia ſingulare eſt exemplum. Deinde nullius Eccleſię conſenſu inſtitutum fuit, nec electionem habebant ab hominibus, ſed Dei Spiritu ad hoc incitabantur extra ordinem.

V. Aliud eſt genus quod Deo fuerit in Repub. gubernanda, huc pertinet Magiſtratus Dei ſeruus in terris. Hinc Rom.13.verſ.4.dicitur διάκονος Dei. Et mox ibidem λειτουργός, vnde iterum colligi poteſt, vicinas eſſe voces has. Sed quia superna hæc Miniſterij functio eſt, ideò dicuntur etiam *Elohim* Dij, ac ſi vicarij Dei in his terris. Magiſtratus Diaconus & Dei ſeruus dicitur.

VI. Porrò ipſe filius Dei διάκονος dicitur Rom. 15. verſ.8. *Diaconus circuncisionis*, veteris Teſtamenti completor. Et ad Heb.8. *Sanctorum dicitur* λειτουργός, hæc Diaconia ad beneficium redemptionis pertinet.

VII. Et cultor Chriſti quilibet hoc titulo ornatur, Ioã.12. 26. *Vbi ego ſum, ibi erit & Diaconus* famulus, id eſt, cultor meus. Huc forte pertinebit quod legitur Matt.4. de Angelis Chriſto in deſerto ſeruientibus, quo teſtabantur ſe hunc Ieſum pro filio Dei agnoſcere.

VIII. Denique quęlibet conditio ſeruilis hac voce exprimitur, hoc eſt, ſtudiũ inſeruiendi, vt ſolent famuli heris ſuis adeſſe certo obſequio. Matth. 8. v. 14. *Socrus Petri inſeruit.* Idem Mar.1.Luc.4. Martha.Ioan.12.Luc.10. Similia habes Luc.17.22.& alibi.

DE EXORCISTIS.

LOCVS LXVII.



ACTORVM cap.19. fit mentio Exorciſtarum, nec alibi in ſacris literis hoc nomen facilè reperitur, quanquam de re, quam tractabant, ſæpius agat ſcriptura.

Eiecit enim immundos ſpiritus Dominus Chriſtus, & hanc poteſtatem dedit Apoſtolis: qua etiam vſi ſunt efficaciter. Et in primitiua Eccleſia, qui donũ habębant edendorum miraculorum etiam hac facultate pollebãt. Poſtmodum in Eccleſia ordo inſtitutus eſt Exorciſtarum, qui tertium occupat gradum inter officia ſpiritualia (vt loquuntur) qui quantùm diſſideat à re ipſa deinceps intelligemus. Ordo exorciſtarum.

Explicabimus in præſentia iſto ordine. Primùm nominis originem. Deinde quomodo Chriſtus eiecerit dæmonia, quomodo Apoſtoli, quomodo primitiua Eccleſia. Demum quis hodie mos ſit exorciſtarum: vt intelligas non Chriſti aut Apoſtolorum, non etiam primitiuæ Eccleſiæ pientiſſimæ conſuetudini reſpõdere, quod hodie ſub illo agitur titulo: ſed reuera, re & nomine, adde & numero reſpondêre omnia filiis Sceuæ Iudæi & principis ſacerdotum.

Ac nomen ipſũ Græcis, à iuramenti religione deſumptũ eſt: ὅρκος enim illud ſignificat, hinc verba ὁρκίζω, ὁρκέω, ὁρκόω, iuro, & iuramẽto obligo. Inde cõponitur ἐξορκέω, ἐξορκίζω, timore religionis obſtringo, cõpello: ἐξορκισμός, adiuratio, quæ vim religionis habere creditur, & ἐξορκιστής, tanquam Dei nomine adigit ad veri confeſſionem, aut factum aliquod. D. Auguſtinus adiuratorem vertit, & adiurationem, ipſum exorciſmũ: ad verbum dici poterat eiuratio, ſi idem hoc Latinis, quod illud Gręcis ſignificaret. Dicitur Græcis Theologis etiam βάσανος & βασανισμός, quia Marc.5. Luc.8. impuri ſpiritus clamãt, rogo te μή με βασανίσῃς. Poterat dici quoq; ἐκβολή, quia paſſim ſcriptura hac phraſi vtitur in Chriſti & Apoſtolorũ miraculis contra Satanam. Vnde ſit deductũ nomen exorciſtæ. Secundũ Aug. exorciſta ſignificat adiuratorem.

Ac quoties ſcriptura de Chriſto ac Apoſtolis loquitur eiicientibus dæmonia, verbo ἐκβάλλειν vtitur plerunque. Impuri autem ſpiritus fatentur hanc vim eſſe quandam torturam, vnde rectè βασανισμός dicitur.

Prępoſteri verò imitatores dicũtur ὁρκίζειν & ἐξορκίζειν, hoc eſt, adiurare & iuramẽto aliquo obſtringere: quo fatẽtur ſuperioris alicuius authoritate opus eſſe in cogẽdo ſpiritu improbo.

In veteri Testamento veritas interdum quærebatur in causis inexplicabilibus propria quadam confessione, aut miraculoso aliquo euētu. vt Num. 5. in lege Zelotypiæ: vbi religione quadam & autoritate Dei compellebatur persona ad veri confessionem, nisi mallet miraculosè ab ipso Domino prodi. sic 1. Reg. 22. rex adiurat Prophetam Michæam, vt solùm *diceret verum in nomine Domini.* Sic exorcistæ postea hoc ipsum imitati, conati sunt dæmonem Dei autoritate & nomine compellere in obsequiū, quem videbant Christo & Apostolis diuina autoritate passim cessisse. Inde ἐξορκίζειν ferè respondet Hebræorum, *hischbia* vt est videre, Num. 5. v. 19. & 21. Reg. 1. cap. 22. ver. 15.

Exorcistæ dæmonem Dei authoritate & nomine in obsequium compellebant.

Vsum huius rei videmus in Christo Domino luculenter Matth. 4. 24. obtulerunt illi malè affectos, dæmoniacos & lunaticos, & sanauit eos. Matth. 8. 16. vespera facta, obtulerunt ei dæmoniacos multos, & eiecit spiritus, verbo. Matth. 15. 22. & 28. filiam dæmoniacā mulieris Chananeæ absens liberat ab impuro spiritu. Matth. 9 33. dæmoniacum mutum curat. Matt. 12. 22. curat dæmoniacum cęcum & mutum. Mat. 17. 18. dæmonium eiicit quod discipuli eius non poterant expellere.

Marci 5. 8. exi spiritus impure ab isto homine, & statim egreditur. Idem Matt. 8. 28. Luc. 8. 26. Marc. 1. 25. obiurgans Iesus, dicit: obmutesce, & exi ab eo. Marc. 9. 25. *spiritus mute & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne amplius intres in eum.* Marc. 16. dicitur *de Magdalena de qua eiecit septem dæmonia*: quæ historia est Luc. 8. 2. apud Lucam similes sunt historiæ cap. 4. ver. 35. & 41. cap. 9. v. 42. cap. 11. v. 14. cap. 13. v. 32.

Nec in his omnibus vsum legimus Dominū curatione quapiam ex diuersis nominibus composita, aut poëtarum verbis hinc inde consuta. Sed simplicissima forma est, præcipio tibi ego: itaque rectissimè Matthæus scripsit Christum *dæmonia eiecisse* λόγῳ.

Deinde Apostoli eadem simplicitate contenti sola nominis Christi mentione potenter expulerunt impuros spiritus. Nam hanc potestatem non solùm promisit, sed efficaciter quoque dedit eis Dominus Christus, Marc. 3. 15. cōstituit duodecim, qui secum essent, & quos mitteret ad prædicandum, *haberéntque potestatem sanandi morbos, & eiiciendi dæmonia.* Luc. 9. 1. *conuocans autem duodecim discipulos suos, dedit eis potestatem ac vim in omnia dæmonia.* Hanc potestatem exercent ante passionem Domini. Marc. 6. 13. & *dæmonia multa eiiciebant: & vngebant ægros multos oleo, & sanabant eos.* Nec solùm Apostoli illi duodecim, sed reliqui discipuli 70. eadem vsi sunt facultate. Luc. 10. 17. *reuersi autem septuaginta cum gaudio dicebant: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.*

Post ascensionem Domini idem donum mansit in fidelibus: vt hoc promisit Christus Marc. 16. 17. *per nomen meum dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis.* Illius habemus illustre exemplum in Paulo, Act. 16. 18. vbi Apostolus molestè ferens Pythonici spiritus laudes, illi dicit: *tibi præcipio in nomine Iesu Christi, vt exeas ab ea, & egressus est eadem hora,* &c. Hactenus simplici forma & sine omni superstitione eiectus Satan, ita vt qui hac potestate pollerent, se tamen non exorcistas vocarent, nec ab aliis istis connumerentur. Quanquam enim tempore Christi & Apostolorum inter Iudæos essent exorcistæ, tamen nec Christum, nec Apostolos sic vocatos legimus: ratio est, quòd alia vterentur forma, quàm Christus aut Apostoli: hinc est, quòd filij Sceuæ, Apostolorum formula vti volunt, sua intermissa, quia vident per nomen Christi potenter eiici Satanam, quod ipsi multis ceremoniis non poterant, aut certè vix tandem, impetrare.

Exorcistę inter Iudæos.

Veniamus ad primitiuam Ecclesiam. In hac certum est, viguisse diu donum quoque: sed apud eos, qui miraculorum dono erant ornati. Hi inuocato etiam simpliciter nomine Christi impuros spiritus eiiciebāt, sine vllis ceremoniis aut exorcismis, quales postea introducti sunt.

Iustinus Martyr contra Tryphonem id luculenter testatur pro Christianis, *Et nunc nos credentes in crucifixum sub Pontio Pilato, Iesum Dominum nostrum, omnia dæmonia & spiritus malos exorcizantes subiectos nobis habemus.* Item, *per nomen eius, omne dæmonium adiuratum superatur & subiicitur.*

Tertull. quoque Christianis hoc tribuit de Cœna: *quos interdiu fugauit exorcismis noctibus incumbens defensabit?* & in Apol. cap. 23. luculenter hoc cuiuis Christiano tribuit, vt in *obsessis Satā interrogatus à Christiano fateatur se dæmonem de vero: qui alibi sit se fassus deum de falso.*

Cypriani quoque tempore adhuc durauit donum hoc vt est videre, lib. 4. epist. 7.

Augustinus lib. 12. cap. 22. ciuit. vera pietate homines Dei, aëream potestatē inimicam, contrariamque pietati exorcizando eiiciunt. Adhibebatur autem suo tempore ignis, vt est videre in explicat. Psal. 65 per ignem exorcismi venitur ad Baptismum, vt ab igni ad aquam: de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. in vniuerso orbe seruatum fuisse indicat. Vnde colligi potest ritus multos accessisse successu temporum: vt iam publica esset ceremonia eorum qui baptizandi essent: qui insufflabantur, & vt renuntiarent Satanę admonebantur, qui diebus aliquot ante Baptismum, instituebantur in fide, quam profitebantur in Baptismo & voce etiam testabantur se Satanæ & conatibus illius renūtiare: quæ disciplina erat catechumenorum. Hinc legitur etiam apud Gregorium Nazianz. in orat. de Baptismo: nę cōtemnas exorcismi medelam, nec ad illius disciplinam longiorem defatigeris: est enim index seu probatio quædam integritatis eorum, quæ ad gratiam Baptismi spectant.

Vetus superstitio exorcismi.

Et

Et concilium Bracarense constituit, vt baptizandi priùs 20. diebus ante Baptismum adulti edisceerent Symbolum Apostolorum, quòd scilicet in Baptismo, hoc illis esset recitandum. Sine illo exorcismo & insufflatione nemo adultorum baptizabatur, aut etiam paruulorum, quod constituit Cælestinus Papa.

Cælestinus Papa exorcismum in administratione baptismi instituit.

Ac quod disciplinam adultorum attinet, certum est laudabilem fuisse consuetudinem, imò etiam necessariam, vt adulti priùs instituerentur in fide Christi priusquam baptizarentur. Et quod inter baptizandum, adhibuerunt luminaria, vestes albas, symbola debebant esse regenerationis & innocentiæ: exufflatio verò, argumentum communicati Spiritus sancti, quem Christus suis Apostolis, afflando eis, contulit. Et rectè quidem quos afflat Christus, in his cedit Satan, quos illuminat, hi regenerantur, & ornantur albis stolis.

Cæterùm, quòd fine isto neglecto, ceremonias istas posteri transtulerunt ad infantes, & vim symbolis alligarunt, & flatui sacerdotis, id demum valde impium est.

Ex quo colligi potest, quantùm hodiernus Exorcismus differat ab illo primo Ecclesiæ. Primùm enim infinitis nugis defœdarunt simplicem formulam maiorum. Deinde magicis potiùs incantationibus hodie vtuntur, per secreta quædam vocabula: addunt diuersa fragmenta ex Euangeliis, rei non competentia, sine spiritu pronuntiant aut legunt, preces habēt conceptas, ter, aue sanctum oleum: ter aue sanctū chrisma: ter aue sanctū balsamum: & similia, quæ ignota sunt primitiuæ Ecclesiæ. Præterea non solùm in baptizandis vtuntur: sed aliis etiam coniurationibus adhibent exorcismos. Ad res etiam impias, & (quod maximum est) exorcistæ vt plurimùm omnes magni sunt necromantici, consortium Satanæ habent, illius consiliis vtuntur, quem oportebat impugnare: quo sanè vehemēter peccant contra sua statuta: nam exorcistam debere spiritum mundum habere, non solùm veritas clamat: sed ipsi etiam constituerunt.

Qualis sit exorcismus Papisticus.

Exorcistæ Papistici vt plurimū sunt magi & necromantici.

Concilium Carthaginense constituerat, vt in domo Dei ipsis energumenis cibum opportuno tempore administrarent, quod planè negligunt. Dæmoniacis debebant manus imponere vt sanarentur: illi dæmoniacis & energumenis & chatechumenis non imponūt manus, nullos etiam sanant dæmoniacos, cùm bona parte dæmoniaci sint ipsi: nec mirum, cùm ex pontificibus posterioribus vix vllus reperiatur, qui non sit vsus magicis artibus: quid igitur speres de illorum exorcistis?

Et quale illud est, quòd memoriter debet recitare exorcismos, quos nec Christus, nec Apostoli, nec vllus sanctorum vnquam nouerat?

Et quid sibi nouus ordo vult? cùm Tertullianus & Iustinus Martyr testētur, quoslibet Christianos de plebe potuisse pellere Satanam? an desiit liberale esse Dei donum? aut alligauit Spiritus sanctus certo ordini dona sua? & impuris Necromanticis solùm iam dat, quod olim simplicioribus idiotis? Hodie de manu Episcopi sumitur, olim à Christo & Spiritu sancto: hodie datur liber in quo scripti sunt exorcismi: olim virtus Spiritus sācti verba suppeditabat per nomē Christi: hodie Episcopus ita dicit, accipe & māda memorię, & habeto potestatē imponendi manus super energumenum siue baptizatū, siue catechumenū: olim non erat artis, sed donum.

Quis igitur credat illis, qui nec Christi & Apostolorum sequuntur morem: nec primæ Ecclesiæ instituta: nec propria sua quoque seruant decreta?

Porrò, quòd afferunt ad sui exorcismi defensionem, Christi exemplum, qui sputo facto, tangit linguam & aures, surdi ac muti, ineptius est quàm vt refutatione indigeat. Cùm illi nec luto contenti sint, nec verba Christi seruent, nec linguam & aures tangant: nec ad similem perueniant effectum. Quod si Christus hîc instituit exorcismum, cur illi addūt tot parerga? quis iussit consuere tot fragmenta ex Euangeliis? quis inseruit tot barbara nomina, tot cruces, circulos, aquam benedictam, herbas, sagmina, missas, vestes religiosas, sigilla, amuleta, reliquias sanctorum, &c. & quid non?

Vnde trahunt Papistæ sui exorcismi originem.

Et de Maria expulit septem dæmonia: quid hoc ad ipsos, qui nulla eiiciunt? qui ludificant & ludificantur à Satana?

VVilhelmus Mimatensis, qui conscripsit rationem diuinorum officiorum, refert originem exorcistarum ad Salomonem vsque. Et apud Ioseph. reperio. lib. 8. cap. 2. Antiq. Iud. Salomonem, quandam reperisse artem, depellendi impuros spiritus. At testatur idem Iosephus, se vidisse in præsentia Imp. Vespasiani, quendam Iudæum Eleazarum, qui dæmoniacos curarit per radicem quandam, signaculo annuli inclusam, quæ à Salomone ad hoc esset reperta. Sed historia illa nihil hîc probat. Primùm enim hoc de Salomone extra scripturam dicitur, quæ nobis dotes illius regis diligenter depinxit, ac totam eruditionem in physicis disciplinis: eam tamen artem exorcisticam nullibi refert. Viderit igitur Iosephus vnde hoc Salomoni assuat.

Solomo non fuit exorcistarum author.

Deinde quod Elazarum attinet, facilè illi fuit artis suæ nobilem proferre inuentorem, vt sic sub titulo Salomonis professio illius sanctior haberetur, quemadmodum hodie inepti garriunt Alchimistæ, qui Mosen, Enochum, ex sanctis, Vergilium, Ouidium ex poëtis, Aristotelem, Pythagoram suæ artis comminiscuntur authores, cùm nihil ea vanius sit. Ita Impostor Eleazarus, aut certè magus dixit Salomonē inuentorē illius artis, quod indubiè falsum fuit. Præterea Iosephus non piè in eo referendo fecit. Nam in Iudaica religione enutritus, scire debuerat, eam artē, si quæ esset, non humanitus comparari, ideóque ne quidem artem dici oporteret

ſed potius donum Dei, qualia Prophetis diuinitùs ſolebant inſpirari. Ideóque eſto, demus Salomonem, tale quid potuiſſe: non tamen id herbarum, aut radicum viribus effecit, nec tradi per manus aliis poterat: quemadmodum ſuſcitandi mortuos in Elia & Eliſæo, aliáque prophetica miracula, quibus diuinitus fuerunt ornati. Quare Ioſephus hic ſe prodit, quòd non verè ſit imbutus in patrum religione: ſed iam ſemiethnicus, paſſus ſit ſibi imponi ab impoſtore: & reuera gentiliſmum ſpirat, quòd viribus radicis cuiuſdam, & beneficio annuli illa effecerit: ſed quadrabat fabula Rationali diuinorum officiorum, in quo verbenæ, morſus diaboli, & alia ſagmina, cū annulis & ſigillis mirificè locum repererunt. Ne tribuamus igitur Salomoni, quod ſcriptura illi non tribuit: & quod à pietate ac ſapientia illius alienum eſt. Niſi placeat illis defenſoribus, cum iſta ſacra didiciſſe ab Ægyptia vxore, à qua etiam idolorum cultum recepit, vnde res cò redibit, vt fatendum ſit Satanæ inuentum eſſe.

Rationale diuinorum officiorū in Papatu.

Dicamus igitur hoc pacto: facultas eiiciēdi dæmonia ſub ſacra authoritate, quæ ex ſcripturis ἐκβολὴ dici poteſt, & βάσανος aut βασανισμός, olim in Eccleſia quoque ἐξορκισμὸς, meliori vocabulo, quàm hodie exorciſmus, qui reuera magiæ ſpecies eſt, illa, inquam, facultas gemina eſt.

Vna vera, altera ficta, Veram dico, quæ pio fine & ſeriò præſtat, quod molitur. Atque illa quadruplex.

Prima ἀρχικὴ καὶ αὐθεξουσιαστικὴ princeps & liberrima. Sic filius Dei, quoties voluit, vbi, & quando voluit propria authoritate & virtute contrariā Satanæ potentiam fregit & eiecit, ad ſalutem miſerè afflictorum hominum, & ad gloriam nominis ſui, vt conſtaret etiam Satanæ, illud eſſe nomen, in quo flecti oporteat etiam inferorum genua.

Alter eſt ἀποστολικὴ, δουλικὴ, καὶ ὀργανικὴ, apoſtolica famulatrix & inſtrumentalis, quia Chriſtus quod immediatè ſæpe fecit, idem per ſuos Apoſtolos, ſeruos & organa donorum ſuorum contulit: ſic Apoſtoli quoties Chriſto placuit hac facultate vſi ſunt: nec aliis ceremonis: ſed ſolo nomine Chriſti.

Tertia ἐκκλησιαστικὴ dicatur, quia poſt Apoſtolorum tempora inter fideles in vſu fuit contra idola & impoſturas Satanæ: quem per ſimplices ſæpe Chriſtianos confutauit Deus: vt teſtatur Iuſtinus, & Tertullian. in apolog. ſed & hi non alia forma ſunt vſi, quàm Apoſtoli ante ipſos.

Quarta eſt παιδευτικὴ καὶ κατηχητικὴ, ad inſtitutione comparata, qua patres in prima Eccleſia vſi ſunt, in recipiendis adultis per Baptiſmum in numerum fidelium. In hac, ceremoniæ quadā typicæ erant, vt luminaria, albæ veſtes, exufflatio, doctrina ſymboli Apoſtolici, & ſimilium rerum. Nulla autem ſuperſtitio, quæ poſtea rebus ipſis amiſſis in infinitum aucta eſt.

Ficta facultas eiiciendi dæmonia, nata eſt ex præpoſtera æmulatione, aut imitatione: nam homines glorię & pecuniæ auidi, cùm viderent, facilem eſſe rem fidelibus, & ſimul admodum glorioſam, ipſi quoque ſimilia attentauerunt.

Hæc ſtudia adiuuit Satan, vt ſeſe in locum Dei collocaret, & errores ſtabiliret: quod eò facilius potuit, quia obſeruauit fidem illam miraculoſam, nō neceſſariò requirere iuſtos, vel verè iuſtificatos à Chriſto: ſed poſſe ab hypocritis & impiis adminiſtrari. Hac ergo via ingreſſus, vim hanc imitari cœpit per ſe & in ſuis organis.

Et hæc quadruplex eſt. Prima Satanæ ipſius, qua contra Chriſtū Dei filium vſus eſt, ſine effectu tamē, Marci 5. v. 7. *adiuro te per Deum, ne me torqueas:* hîc vides Satanam etiā factū exorciſtā.

Altera Ethnica eſt, & ipſa quidē Satanica: ſed organis vtitur hominibus à vera Dei Eccleſia alienis. Nam in Gentibus efficax fuit Satanæ illuſio prætextu religionis & philoſophiæ. Huiuſmodi exorciſtæ vſi ſunt lapidibus, gēmis, herbis, radicibus, amuletis, ſacrificiis expiatoriis: quæ omnia vi quadam occulta contra lamias, lemures à numine læſos valere credita ſunt.

Tertia & ipſa organum Satanæ: ſed Iudaica & Phariſaica eſt, quam Iudæi per manus à maioribus ſumpſiſſe dictitarunt: ſed eò peior, quòd Dei nomine tetragrammato abuterentur. Iuſſerat quidem Moſes in ſummis rebus ad Dei authoritatem confugere: ſed homines impij, collapſa vera religione nihil non metu religionis conabantur extorquere. hinc Mat. 26. pontifex homo impius exorciſtæ munere fungitur. ***Adiuro te per Deū viuentem,*** & c. hoc eſt, Dei nomine & authoritate tibi præcipio, vt verum dicas, quaſi in conſpectu Dei, & ab ipſo Deo rogatus.

Caiphas exorciſtæ munere fungitur.

Poſtea Chriſti nomine diuulgato, impij etiam aſciuerunt Chriſti nomē, quaſi potentius hoc eſſet in adiurationibus quàm Dei ſimpliciter tetragrammaton. Hinc filij Sceuæ κακοζηλίᾳ quadam excitati eodem vtuntur. Acto. 19. ſed non ſatis feliciter: quanquam Cyprianus in ſermone de Baptiſmo aſſerat dæmonium illis ceſſiſſe, quod hiſtoria non habet: imò inſiliit in eos, vt vix nudi effugerint è domo illa: & palàm damnatos hac virtute pollere interdū, indicat Chriſtus Matth. 7. vbi inter damnatos aliqui excipient: *nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* quibus tamen dicetur, *non noui vos, abite,* & c. & Mar. 9. 38. Luc. 9. verſ. 49. Ioannes admonet eos vidiſſe quendam dæmonia eiicientem Chriſti nomine, qui tamen eos non ſequatur: quem Chriſtus noluit inhiberi, ſignificans dona miraculorum promiſcuè dari bonis & malis. Regi autē diuina permiſſione à Satana, niſi Deo aliud ſit viſum: inde fit vt fruſtra ſuas artes expediant, quod Iudæis obiecit etiam Iuſtinus in Tryphonē: vbi oſtendit Chriſtianos fideles efficaciter eiicere Satanam: ipſos autem Iudæos, ſi maximè per omnia nomina regum ſanctorum, prophetarum, adiurent dæmonem, nullos tamen dæmones illis parere. Nam illorum exorciſtæ iam more Gentium arte quadam, ſuffitu, & ligaturis vtebantur, & c.

Rebrobi dęmonia eiecerūt.

Quarta

Quarta est papistica, ex Gentili & Iudaica mixta: nam ligaturas habet, herbas sacras, radices, aquas, sales, reliquias, &c. more Ethnico, qui sagmina & sacra habebant carmina. Ex Iudaismo autem habet nomina sacra, Dei tetragrammató, Angelorum, Patriarcharum, Christi, Apostolorum, Martyrum. Quibus nugis reuera illudit eis dæmon: fingit se cogi aliquando, vt superstitionem istam confirmet: interdum palàm insultat illis, &c.

DE CATECHESI.

LOCVS LXVIII.



TRIA nobis hoc loco sunt explicanda. Quid sit Catechesis, qui fuerint catechistæ, & qui dicti sint olim catechumeni. Rem à definitione tãquam ab ouo exordiamur. Catechesis est institutio rudiorum, continens prima Christianæ religionis elementa, viua voce tradita, & per interualla repetita. Hãc definitionem primò confirmamus ratione nominis. Nam κατηχέω verbum, non simpliciter significat διδάσκω, sed κατὰ τὸν ἦχον διδάσκω. h.e. voce & sono doceo, ac si dicas persono, circumsono, auribus inculco, infundo, & instillo. Quæ diligentia in primis requiritur ab his, qui iuuentutem & adultos in re quapiam rudes, instituere velint. Hinc dicitur auditorium catecheseως, hoc est, schola iuuentutis, quæ viua voce in rudimẽtis pietatis instituitur. Quanquã non tam à voce viua, quàm à diligentia originem ducit. Est quidem ἠχέω sonare: hinc κατηχέω personare, & docere vnde κατηχίζω quoque factum est. sed omnia ista fluũt à verbo χέω quod est infundo, liquefacio. Proprium autem est huic doctrinæ, animos rudes imbuere vera notitia Dei & rerum ad salutem necessariarum. Item formare mores, quibus professio nostra ornatur, de qua verissimè dici illud potest, *Emollit, mores nec sinit esse feros.*

Definitio. Catechesis. Propriũ munus catechistæ.

Quòd autem per interualla repetatur illa doctrina, res ipsa postulat, nam de profectu certi esse non possumus, nisi tradita requirantur, vt eisdem verbis, aut non discrepante sententia auditor reddat quod acceperat à doctore, quasi sono reciproco, eadem vox doctrinæ reddatur. Et vetus est ille mos omnium gentium, vt mysteria secretiora non scripto, sed voce ad posteros quasi per manus traderent. Sic Iudæi legis mysteria, non scripto, sed voce viua posteris tradebant. Hinc nata est Cabala. Eadem ratio fuit apud sacerdotes Ægyptios, Græcos & Latinos, Mysteria religionum solis initiatis tradebant, quæ non committebantur libris. Sic primitiua Ecclesia nouos fidei Christianæ sectatores imbuebat viua voce in articulis fidei, priusquam admitterentur ad baptismum, Cœnam Domini, & secretiorem scripturæ interpretationem. In hunc sensum accipitur vox illa in sacris literis noui Testamenti. Sic Luc. 1. scribit Lucas ad Theophilum, *Vt cognoscas veritatem sermonum, in quibus* κατηχήθης, *id est, institutus es viua voce*, Act. 18 v. 25 de Apollo, *is erat* κατηχημένος *institutus viam Domini*, hoc est, audierat prima quædam rudimenta fidei Christianæ quanquam nondum solidè omnia percepisset, ardebat mirum in modum. Rom. 2. v. 18. de Iudæis catechumenis institutis ex lege. Gal. 6. *communicet catechumenus catechistæ in omnibus bonis.* 1. Cor. 14. v. 19. De linguis loquens peregrinis quas ideo damnat, quòd finis, hoc est, ædificatio in eis non sit, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, *vt alios etiã instituam.*

De quibus facilè intelligi potest verbum hoc significare, imbuere initiis quibusdam veræ religionis. In Act. 21. v. 24. accipitur pro sinistra fama de aliquo imbui, vt intelligant nihil esse illud de quo κατήχηται περὶ σοῦ, hoc est, quod rumore de te acceper[...].

Est hæc docendi ratio duplex. Vna cum adultis suscipitur: quæ olim fuit in vsu, nam antequã daretur baptismus, instituebantur in fidei rudimentis & de bonis operibus admonebantur: quod colligi potest ex Aug. de fide & operibus, vbi docet catechizandos diligenter etiam admonendos de operibus, ne solùm in fide instituantur. Exempla affert de Iohanne Baptista qui Matt. 3 præcipit nouis auditoribus, *vt bonam faciant arborem, & fructus bonos*, & Luc. 3. militibus præcipit, *ne quem concutiant.*

Diuisio.

2. Altera, quæ hodie in vsu est, cum iuuentute suscipitur: cui proponuntur quæstiones, quas certo postea tempore reddant in cœtu publico. Intersunt etiam adulti, vt simul discant religionem, aut saltem videant quantùm proficiat iuuentus, simúlque orent. Vtriusque duo sunt capita: prius de fide: posterius de operibus renati hominis, quæ innocentia vitæ & studio benefaciendi limitantur.

Ad prius caput refertur Oratio Dominica, Symbolum Apostolorum, & ratio sacramentorum. Ad posterius, Doctrina decalogi. Est illa partitio necessaria, quòd Catechesis alia dicitur esse priuata, alia publica.

Priuata ad parentes spectat, & ad patresfamilias: Hi enim curare debent, vt non solùm liberi, sed etiam serui & ancillæ rudimenta pietatis probè norint, vt vita ac moribus eadem quoad fieri potest ornent.

Priuata.

Publica. Publica autem pertinet ad scholas, & templa: in scholis præparantur, vt in templis sobriè ac modestè ministris requirentibus fidei rationem respondere possint. Sic domestica scholis subseruire debet.

Catechistæ. II. Dicendum etiam nobis de catechista, qui sanè non alius fuit quàm præceptor pietatis, quales hodie sunt scholarum magistri. In primitiua enim Ecclesia eo fungebantur munere, vt baptizandos erudirent, & præpararent ad baptismi susceptionem, & ad cœnæ actionem, ac sacræ literæ auditionem. Constituebantur autem tales ab Episcopis, hoc est, primariis Ecclesiarum ministris. Sic à Cypriano constitutus est doctor audientium Optatus, vt est, lib. 3. epist. 22. & Hieronymus in Apol. ad Dom. commemorat se habuisse catechistas, Gregorium Nazianz. & Dydimũ, hoc est præceptores in Christiana religione, à quibus initia didicerit post conuersionem. Talis fuit sub Origene Heraclas, qui primùm incipientibus prima tradidit elementa. Origenes verò prouectiores instituit. Euseb. lib. 6. cap. 12. Hinc mox profugus Origenes, catecheseos auditorium reliquit. Idem Euseb. lib. 6. capi. 19. & capi. 3. eiusdem libri refert catalogum catechistarum in Alexandrina Ecclesia: *In Alexādrina Ecclesia*, inquit, *primus catechizandi ministerium administrauit Pantenus, cui successit Clemens, huic Origenes discipulus Clementis: Origeni successit catechista Heraclas.* Similia legimus apud Hiero. in catalogo script. Ecclesiæ, *Clemens*, inquit, *Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter. Panteni* (de quo supra retulimus) *auditor post eius mortem Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit*, κατηχήσεων διδάσκαλος γέγονεν. Ex quibus omnibus euidenter patet magistros scholarum fuisse qui nouitios erudirent, id est, eos qui fidem Christi recens amplexi erant, & ad Ecclesiæ cœtum nuper sese contulerant. Posterius seculum cœpit catechistas vocare eos, qui baptizandis adessent testium loco, quos hodie susceptores & compatres solent vocare. Sed nullo antiquitatis testimonio probari potest hæc significatio, proferunt in hanc rem Diony. sed valde dubia est fides illius scripti. Superest vt de catechumenis quoq; paucis agamus. Quemadmodũ catechistæ sūt doctores, sic catechumeni sunt auditores rudimentorũ pietatis, nam noui auditores non statim admittebantur ad actiones secretiores, qualis est Cœna Domini, Baptismus, explicatio scripturæ plenior aliáque secreta, nisi probata illorum fide, quod colligi potest ex Cyrillo lib. 2. in Ioann. cap. 36. qui sic hac de re scribit *Non est stabilis fides eorum qui nuper crediderunt, nec mens firma inest in fide recentibus, cùm adhuc pietate firmati non sint. Quare nec Christus huiusmodi se hominibus credidit. Quanuis etiam hinc nobis ostendat, non repentè, sed longa meditatione bonorum habitum roborari.* Discant igitur omnes quibus saluatoris mysteria credita sunt non nimium citò ad Diuinam mensam neophytos accipere, nec antequam firmiores catechumeni sint, Christum eis priusquam oporteat baptismi mysterio commendare. Habemus enim, quemadmodum & in aliis omnibus, Christi exemplar nobis propositum, qui recipit quidem credentes, nondum autem penitus seipsum tradidisse videtur, vt tu non dubites non paruo tempore in catechumenorum statu nuper venientes in fidem esse reiiciendos.

Veteres catechistæ. Magistri scholarũ catechistæ. Non statim recipiebantur in cœtu nisi probata illorum fide.

Sic enim vix longa exercitatione in nostris firmati tutius possunt recipi.

Itaque infirmus erat gradus Christianorum, esse inter catechumenos, quod innuit etiam Tertullianus in lib. de corona milit. *Omnes*, inquit, *ita obseruant à catechumenis vsque ad martyres, & confessores, & negantes*, hoc est, ab imo gradu ad summum vsque. Et in lib. de præscrip. obiicit hæreticis quòd apud eos catechumeni antè sint perfecti quàm docti, rerũ confusionem eis exprobans. Hieronymus rectè catechumenos opponit baptizatis, vt est videre ad Oceanũ tomo tertio. Itaque baptizati nondum erant, quandiu catechumeni dicebantur, quod ipsum etiam colligi potest ex Cypriano lib. de hæreticis baptizandis, vbi docet, *si quis ex catechumenis pro confeßione nominis occisus fuerit antequam baptizetur, ei non obesse quòd aqua non sit tinctus quia talis baptizatur gloriosißimo & maximo sanguinis baptismo, de quo Christus dixit* Luc. 11. *Habeo aliud baptisma.*

Inter auditores autem numerabantur & peculiariter dicebantur etiam audientes vt est videre apud Cyrillum lib. 3. epistola 97. & Augustinum sermone 47. tomo 10. de verbis Domini. Dum legeretur, potuerũt esse auditores, nũquid & intelligētes? Manebāt autē in cœtu auditorum, donec episcopus exponeret Euāgelium: quo finito leuita clamabat, Catechumeni exeunto. His dimissis reliqui ad Domini mēsam accedebant, vnde missa dici cœpit vt placet Rhenano in Tertull. annotationibus. Idem tamen ostendit hodie in fine Cœnæ à leuita proclamari, Ite missa est, quod olim initio actionis dicebatur. Itaque dimissio est missa, sed de ea voce à nobis alibi dictum est. Hodie græca Ecclesia ad actionem Cœnæ Dominicæ solos inuitat catechumenos, κατηχούμενοι προσέλθετε, μετὰ φόβου θεοῦ καὶ πίστεως προσέλθετε. i. Catechumeni accedite, cum timore Dei & fide accedite. Accedentes postea ad mensam, dicunt, πανάγιε χριστὲ, μὴ ἔρχομαι ἵνα σε φιλήσω, οἷον ὁ προδότης ἰούδας, μηδὲ ἵνα σε ἀρνήσω οἷον ὁ ἅγιος πέτρος, ἀλλὰ ἵνα σε ὁμολογήσω ἐν ὅλῃ ταπεινωσύνῃ οἷον πτωχὸς λῃστής. Christe sanctissime, nō accedo, vt te osculer eo modo quo Iudas proditor, neq; vt te negem, quomodo sanctus Petrus, sed vt te confitear omni animi summissione, sicut Latro ille pauper. Hæc ideo obseruatione digna sunt, vt videamus non semper vbique idem in his rebus nomen fuisse conseruatum.

DE FAL

DE FALSIS DOCTORIBVS.

LOCVS LXIX.

SCRIPTVRA passim de falsis doctoribus loquitur, tanquam de publica quadam peste, qua alij corrumpantur: nec solùm cauere illos iubet, sed notas quasdam illis imprimit, ex quibus cognosci, & cogniti, meliùs euitari possint. Dicemus igitur de his in presentia, quòd Act.20. grauiter de istis cauẽdis permonuerit Apostolus, quem locum cùm explicaremus, de falsis doctoribus seorsim nos dicturos promisimus.

Rem tanquam ab ouo à definitione ordiemur. Sit falsus doctor persona, à Satana excitata, ad seducendam Christi Ecclesiam, nocenti doctrina, & corruptis moribus. Definitio exprimit causam efficientem Satanam. Nam Christus Matt.13. *Zizania quoque aduersario Satanæ adscribit:* & Dominus in Prophetis, cùm *testatur se non misisse eos*, satis indicat à Satana missos esse: nullũ enim tertiũ est: doctor aut mittitur à Deo, siue mediatè, siue immediatè hoc fiat: aut mittitur à Satana. Cùm igitur Deus dicat hos se nõ misisse, sequitur à Satana excitatos esse: & Ioãnes testatur illos *non esse ex Deo, sed de mundo, ideo mundana loqui, & audiri à mundo.* Satanæ igitur sunt organa. Reg.22. *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Definitio falsi doctoris.

Deinde in definitione finis est expressus: seducere Christi Ecclesiam. Vt enim boni doctoris scopus est ædificare, multos Christo lucrari, gloriam Christi illustrare: ita falsi doctores ad destructionem fidelium respiciunt: hinc est, quòd aliud doceant, quàm veri doctores. Inde lupi, mali operarij, canes, fures, & latrones, mercenarij, & similia nomina.

Tertiò materia quoque est addita. Nocens doctrina, & corrupti mores: quæ duo vt plurimùm in omnibus concurrunt. In quibusdam tamen nocens est doctrina, quos tamen non possis in moribus facilè culpare: quales hypocritæ erant inter Iudæos tempore Christi, & inter hæreticos Ecclesię, multi fuere vitæ in speciem non culpatæ: cùm interim peruersa docerent. Contrà hodie multos videas, qui sanam doctrinam probant & proponunt suis: interim flagitiosè viuunt, scortatores sunt, ebrij, auari, arrogantes, prophani sermonibus suis. Vnde triplex illa varietas est: alios doctrina, alios moribus, alios verò vtroque corrumpere Ecclesiam Christi. Multi hęretici fuerunt vitę in specie non culpatæ.

I. Triplices sunt isti falsi doctores, gradu differentes. Primo enim gradu collocantur à scriptura ipsi mali autores ἀρχέκακοι Antichristi, & Pseudochristi. Mat. 24. vers.5. Mar.13. v.22. Inter quos Ioannes, vnum insignem & caput seductionis nobis proponit. 1. epist. Ioannis, cap.2. v.22. *Antichristus est, qui negat Patrem & Filium.* & cap.4. idem inquit. & *omnis spiritus, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est: sed hic est ille spiritus Antichristi, de quo audiuistis, quòd veniat: & iam nunc in mundo est.* & epist 2. v.7. *ille est impostor & Antichristus: qui scilicet negat Iesum Christum venisse in carne.* Et epist. 1. cap.2. v.18. *filioli vltimum est tempus: & quemadmodum audistis quòd Antichristus sit venturus: ita nunc Antichristi multi sunt. Vnde cognoscimus quòd vltimum sit tempus.*

Sunt igitur multi Antichristi, hoc est, qui Christo sese opponunt: sed vnus propriè est Antichristus, qui loco Christi sese offert mundo, & vice illius omnia in terris administrare cupit: quem scriptura filium perditionis vocat & hominẽ peccati, qui qualis sit futurus expressè habes in 2. ad Thess.2. v.3 4. *Ne quis seducat vos vllo modo, quia priùs veniet defectio, & reuelabitur homo peccati, filius perditionis, qui opponit se, & extollit supra omnem qui dicitur Deus aut numen, adeò vt in templo Dei tanquam Deus sedeat & demonstret se, quòd sit Deus:* & mox: *& tum reuelabitur iniquus ille, quem Dominus conficiet spiritu oris sui, & abolebit apparatione aduentus sui.* Hic est qui primum gradum in omnibus tenet, & error illius efficacissimus est per signa & prodigia, meritò etiam primum gradum inter falsos doctores obtinet: de quo proprio loco nobis etiam erit dicendum, in epist. ad Thess. Vnus propriè est antichristus.

Secundo gradu consistunt, membra illius Antichristi, qui in munere docẽdi versantur, siue vocati sint ab hominibus, siue sponte ad docendum accesserint: de quibus hîc propriè agimus.

Tertij sunt: falsi fratres, qui & ipsi corrumpunt moribus suis ac opinionibus simplicitatem fidei Christianæ, de quibus conqueritur etiam Apostolus, quòd inter eos in periculo fuerit 2. Cor.11.26. & ad Gal.2.4. *subingressos dicit, vt explorent libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigant.* Est igitur etiam horum magna pernicies in Ecclesia Christi, de quibus seorsim quoque agendum est.

De doctoribus igitur ipsis (qui vel doctrina, vel moribus, aut etiam vtroque, gregem Christi corrumpũt) cauendis non solùm extat præceptum: sed nomina ipsa, quibus exornãtur, & notæ quibus nobis depinguntur, odio dignos reddunt: accedũt mala quæ infligunt miseris audi-

toribus: pœnæ etiam quas Dominus illis comminatur: quæ singula non solùm ex sacris literis proponi possunt, sed exemplis quoque nimium crebris illustrantur: de quibus ordine breuiter deinceps agemus.

I. De cauendis malis doctoribus, extat præceptum Domini Christi Matt. 7. ver. 15. *Cauete vobis à pseudoprophetis, qui veniũt ad vos in vestitu ouiũ: sed intus sunt lupi rapaces.* Matt. 15. vers. 14. *Sinite eos, duces sunt cæci, cæcorum.* 1. Ioan. 4. *dilecti ne cuiuis spiritui credite: sed probate spiritus an ex Deo sint.* Tit. 1. ver. 10. *hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem deuita.* In veteri Testamento crebra fuit contentio veris Prophetis cum falsis: hinc tot admonitiones de his cauendis. Vt Ierem. 23. *ne audieritis verba Prophetarum, qui prophetant vobis, vanitatem enim docent vos, & visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Domini,* &c. totum illud caput de cauendis seductoribus istis agit. sic cap. 29. *non decipiant vos Prophetæ vestri, qui sunt inter vos, &c.* similia habes apud Esa. 56. & alibi.

Veris Prophetis crebra fuit cōtētio cum falsis.

II. Nomina quibus passim in scriptura ornantur eò faciunt, vt & cauendos intelligamus: & damni magnitudinem expendamus, vt agnosci faciliùs possint. Porrò quia omnes hypocritæ sunt, & latent sub bonorũ doctorum nominibus, hinc necessariũ est, suis quoque nominibus depingantur. In veteri Testamento sacerdotes & Prophetæ simpliciter dicuntur aliquando, quia tales haberi apud auditores volunt. Ac vt res planior sit, ita dicamus. Nomina falsis doctoribus indita, vel sumuntur ab officio, quod præstare debebãt, quódque sibi cum bonis doctoribus commune esse volunt: aut sumuntur ab animi morbo, & specifica quadam proprietate, qua à bonis separantur: aut à fine, aut etiam ab effectu: de his pauca quædam proferemus.

Ab officio dicuntur Prophetæ & sacerdotes, quæ nomina aliquoties scriptura relinquit: quemadmodum illa sibi vendicant. Sic Ierem. 26 sacerdotes & Prophetæ contra Ieremiam clamant: *iudicium mortis est viro huic, quia prophetat contra ciuitatem hanc:* ex quo satis declarant se Pseudoprophetas esse: quare Græci verterunt etiam ψευδοπροφῆται.

Ab animi morbo, & specifica quadam proprietate plurima illis imponuntur: quorum alia metaphoram habent, alia sine metaphora illis competũt. Sine metaphora illis competit, quòd hæretici dicuntur. Tit. 3. 12 *hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem deuita.* Est enim hæresis animi vitium secessionem à fidei regula faciens, quam deinceps auditoribus quoque obtrudũt, sectas faciũt, ac discipulos post se trahũt: quod illis Apostolus tribuit. Act. 20. 29.

Sine metaphora illis quoque tribuitur nomen impostoris. Ioan. 2. epist. 1. v. 7. *impostores multi iam ingressi sunt in mundum.* 2. Tim. 3. v. 13. *impostores seducti & seducentes,* Paulus habet γοητὲς Ioannes verò πλάνοι: significat illud præstigiatorem, versutum, impostorem, quales sunt, qui magicis artibus vtuntur. Posterius verò erronem, scurram, deceptorem.

Pseudoprophetæ dicuntur. 2. Pet. 2. 1. Matth. 24. v. 11. & cap. 7. Mar. 13. ver. 22. 2. Cor. 11. 13. Pseudoapostoli, operarij, dolosi, trãsformati in Apostolos Christi. Animi vitiũ est amare falsum, & pro vero spargere 2. Pet. 3. *dicuntur irrisores,* quod & ipsum animi morbus est, omnia contẽnere & naso suspendere prę suis nugis. 2. Pet. 2. ver. 13. *dicuntur labes & maculæ:* non solùm quia Ecclesiæ inurunt maculas & labes: sed etiam quòd conscientia illorum impura est, maculas habet & labes contrahit: hinc illorum conscientia cauteriata dicitur. 1. Tim. 4. Hæc & similia simpliciter illis competunt.

Quibus titulis Christus ornet falsos doctores.

Metaphoram verò habent, quòd apud Ioan. 10. Christus illos fures, latrones, & mercenarios vocat. Sic quòd dicuntur lupi rapaces. Matth. 7. v. 15. & Act. 20. vers. 29. lupi graues. Esa. 56. ver. 10. 11. *canes muti, impudẽtes, insatiabiles.* Ibidẽ, *pastores, qui nihil sciunt: speculatores cæci.* Ierem. 23. *Pastores qui perdunt & disperdunt oues pascui Domini.* Ezech. 13. *vulpes in desertis:* quæ nomina omnia scitã habent metaphoram, qua animi quædã proprietas exprimitur. Vt, vulpes subdolos indicat, canes, rabiosos, speculatores, insidiatores, vigilantes. 2. Pet. 2. vers. 17. *fontes aqua carentes, nebulæ turbine agitatæ:* quod eleganter D. Hieronymus explicat. Tom. 3. fol. 32. d.

A fine quædam habent nomina. 2. Tim. 2. v. 20 *Vasa Domini ad ignominiã.* 2. *Pet.* 2. *vers.* 14. τέκνα κατάρας, *filij execrationis:* hic enim illorum tandem erit finis, &c.

Ab effectu autem illa desumpta videntur. 2. Tim. 3. ver. 13. *impostores seducentes.* Tim. 1. 10. *deceptores,* φρεναπάται, hoc est, qui mentes hominum decipiunt: ματαιολόγοι, vana docent, tã auditoribus quàm sibi inutilia & nocentia. Matth. 15. 14. *duces cæcorum.* Hæc nomina illis tradit Spiritus sanctus, ipsi cõtrà Prophetarum & bonorũ doctorum nomina sibi studiosè tribuunt.

III. Notæ necessariæ sunt, vt tanquam sepiæ in lucem protrahi possint. Ideò scriptura studiosè nos admonet de cognoscendis & probandis spiritibus. D. Christus Matth. 7. 16. *à fructibus eorum cognoscetis eos,* inquit, & diuus Ioannes 1. epist. 4. *dilecti ne cuiuis spiritui credite: sed probate spiritus, an ex Deo sint,* &c. Consideremus igitur notas illorum ex sacris literis.

Considerandę notæ falsorum doctorum.

Ioannes sui temporis ratione habita, inquit, *Omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.* Christi humanitatem igitur negare, aut aduentum primum negare, certissima nota est falsi doctoris: id tum faciebant Iudæi & adhuc faciunt, qui alium Messiam expectant: vt faciunt hæretici qui humanitatem illius in dubium vocant.

D. Christus ab habitu illos depingit. Matth. 7. 15. *in vestitu ouium venient: intus verò sunt lupi rapaces.* Vestitus ouium hypocrisis est simplicitatis, & mox vers. 16. à fructibus eorũ cogno-

scetis

ſcetis eos. Fructus ſunt illi carnis, & diſſipationis, de quibus mox ex Paulo.

Marci 13. v. 22. *edent ſigna & miracula, ad ſeducendum ſi fieri poßit etiam electos*. & D. Paulus Antichriſto etiam tribuit efficaciam miraculorum. Quæ ſuſpecta nobis eſſe debent miracula, nec aliter valere debent, niſi quatenus ſanæ doctrinæ ſunt coniuncta.

In Act. 20. v. 29. Paulus tres illis addit notas. *Primum non parcent gregi*, quod fecerunt in Eccleſia Corinthiaca, dum non ſolùm mercedem acceperunt: ſed in faciem ipſos percuſſêre: tales verè mercenarij & latrones ſunt. Paulus tres notas falſis doctoribus tribuit.

Deinde loquentur, inquit, peruerſa, hoc eſt, talia, quæ ad euerſionem & perniciem auditorum faciunt.

Tertiò, auellent diſcipulos poſt ſe: quod eſt nouas ſectas condere, quod in Corinthiaca Eccleſia quoque cõtigit, *dum alius Pauli, alius Cephæ, alius Apollo diſcipulus eſſe vellet*. Hoc tranſtulit in illa vocabula Apoſtolus, quòd mali doctores ſub propriis ſuis nominibus diſcipulos & ſectatores quærerent.

Ad Rom. 16. v. 17. tribuit illis, diſſidia & ſcandala facere: diſſidia enim ſeminant, dum pro ſuis dogmatibus pugnant: inde mox etiam ſcandala emergunt. Deinde ventri ſuo inſeruiant, quod explicatiùs dixit D. Petrus. 2. epiſt. 2. verſu 13. *pro voluptate habent delicias, & vobiſcum epulantur*. & verſ. 14. *cor ad auaritiam exercitatum*. Tertiò, inquit, decipiunt corda ſimplicium per blandiloquentiam, & aſſentationem. hinc ad Tit. 10. 1. *mentium ſeductores dicuntur*. & 2. Tim. 2. *quòd illorum doctrina faciat ad ſubuerſionem auditorum*. Item quòd *ſubuertant quorundam fidem, & ad maiorem impietatem proficiant, quales fuerunt Hymenæus & Philetus*. Hymenæus & Philetus falſi doctores.

2. Cor. 11. v. 20. in ſeruitutem redigere auditores, falſorum doctorum nota eſt, quod ad Gal. 2. v. 4. etiam dicit, *vt nos in ſeruitutem redigerent*. Deinde deuorare & exedere: quod Dominus dixit mactare & deglubere pecus, quod lupi eſt. Tertiò accipere vel munera, vel inſignia ſtipendia. Quartò efferre ſeſe, arrogantem eſſe in docẽdo, & gloriam captare, auram popularem venari. Quintò in faciem cædere, hoc eſt, ignominioſè tractare auditores.

1. Tim. 1. v. 6. & 7. de illis, inquit, ab his ſcil. *à dilectione, puro corde & conſcientia bona aberrant, & fide non ficta*: hoc eſt, in fidei articulis illorum eſt proprium aberrare. ſic 1. Tim. 6. circa fidem aberrarunt à ſcopo, & 2. Tim. 2. Hymenæo & Phileto falſis doctoribus tribuit circa veritatem aberrare. 2. *deflexerunt ad vaniloquentiam, excußi ſunt ad illam*. ſic 2. Pet. 2. 18. *relinquentes rectam viam, aberrauerunt ſecuti viam Balaam, filij Boſor*, &c. 3. cupiunt excellere, volentes eſſe legis doctores. q. d. cupiunt ſcripturæ etiam eſſe Domini, & optimi interpretes, quaſi ex pectoris ſui ſcrinio vera promanet interpretatio, &c. 4. ſeipſos non ſatis etiam intelligentes quæ loquantur. ſic 2. Pet. 2. v. 12. *vituperant quæ ignorant*.

1. Tim. 4. 1. 2. & 3. hæc illis tribuit. Primò, deficient à fide: id quod etiam auditoribus competit, ſed doctoribus quoque qui neglecta fide, opera docent. 2. Attendere ſpiritibus erroneis, & reuelationibus ſuis & inſomniis. 3. Doctrinæ dæmonũ, quę doctrina, qualis ſit, deinceps explicat per exempla. Vt prohibere matrimonia, ciborum delectum facere: quæ qualia ſint, non opus eſt explicatione: res ipſa loquitur. 4. In hypocriſi mendacia tegere: quod fit habitu, inceſſu, ficto ſermone & vultu ad grauitatem compoſito. 5. Cauterio notatam habere conſciẽtiam, hoc eſt, malè ſanam, irrequietam, & Satanæ mancipatam: quemadmodum equi & ſerui fugitiui inuruntur aliqua nota: ſic impij doctores à Satana.

1. Tim. 6. ver. 3. ferè ſimilia ſunt, Aliter docêre, hoc eſt, aliena à Chriſti doctrina proponere. 2. Inflatum eſſe, nulli velle parêre, aliis dictare, quæ ipſe non ſeruet. Tit. 1. v. 10. 3. Nihil ſciunt. Magna calamitas, & nouum genus imperitiæ eſt, nihil ſcire, & ſummam ſibi arrogare ſcientiam. 4. Quæſtiones mouere, & logomachias ſequi. 5. Suſpiciones ſiniſtras alere & inuidiam. 6. Mala exercitia amare, παραδιατριβάς. 7. Pietas illis quæſtui eſt. 2. Pet. ver. 3. Per auaritiam fictis ſermonibus vos negotiantur.

2. Tim. 3. v. 6. Irrepere in familias: quod Chriſtus dixit, deuorare domos viduarum.

2. Tim. 4. ver. 3. Pruriunt auribus, *die orenn iuken*, quod & ipſi patiuntur, & aliis pręſtant: placita canunt, vt placentia audiant: mutuò muli ſcabunt.

2. Pet. 2. copioſiùs deſcribunt, vt quòd *quæſtum faciant ex pietate, & voluptatibus ſint dediti*. ver. 14. *oculos habent plenos adulterio*. ver. 18. *ineſcant animas inſtabiles*. ver. 19. *libertatem pollicentur, cùm ipſi ſint corruptionis ſerui*: ad quos pertinet id quod ad Rom. 1. dixit Apoſtolus. ver. 24. *tradidit eos Deus cupiditatibus cordis ſui ad impuritatem*. & verſ. 26. *tradidit eos fœdis affectibus ſuis*. de quo vide Hieron. T. 5. fol. 150.

IIII. Quantùm iſti noceant, ex his quæ diximus, aliquo modo intelligi poteſt. Ad magnitudinem incommodi pertinet, quòd occaſionem boni adimunt, & ſuppeditant malorũ occaſiones, hoc Chriſtus dixit Luc. 11. *clauem ſcientiæ tollere, non ingredi & vt alij intrent non ferre*. Ierem. 50. *paſtores earum ſeduxerunt eas, ad montes auerterunt eas, de monte ad collem abierunt, oblitæ accubitus ſui*. Deinde impœnitentiam fouent. Thren. 2. *Non reuelarunt eis vltionem pro iniquitatibus ſuis, vt reducerent captiuitatem tuam: ſed viderunt tibi prophetias vanas*.

3. Hæreſes exitiales inducunt, *quæ ſerpunt & depaſtionem habent tanquam gangrena*. 2. Tim. 2. v. 17. 2. Pet. 2. *multi ſequuntur illorum veſtigia, per quos via veritatis blaſphematur*.

4. Mordent dentibus, clamantes pax, pax, & qui non dederit aliquid pro ore ipsorum contra hunc adornant bellum. Mich.3. Sibiipsis tamen plurimum nocent: *nam illis velox imminet exitium*. 2.Pet.2.1. hinc ad Tit.3.11. talis dicitur, *proprio iudicio damnatus: hinc etiam cauteriata illorum conscientia*, 1.Tim.4. Porrò in quibus efficax sit illorū doctrina, docet Apostolus 2.Thess. 2.10. *in iis qui pereunt*: quod facit eò, vt intelligamus electos diuinitus conseruari, vt illorum corruptelis non inficiantur.

Heretici morte plectēdi. V. Pœnæ diuinitus constitutæ sunt. Nam lex occidere iubet falsum prophetam, vt Zach. 13. indicat, *Pater & mater eius occident eum, quia falsum prophetauit*. Mich.3. *nox erit vobis propter visionem, & confundentur videntes*. 2.Cor. 11.15. finis erit secundùm opera eorum. Ierem.14. in gladio & fame peribunt prophetæ illi. 2. Pet. 2. 17. caligo tenebrarum in æternum illis seruata est. & vers.3. ibid. *exitium illorum non dormitat*. Apoc. 19.20. *in stagnum ignis ardentis sulphure, conicitur bestia & pseudopropheta*. Apoc.20.10. diabolus quoque illuc conicitur: vbi cruciabuntur die & nocte, in secula seculorum, de pœnis illorum plura vide apud Ierem.23. & Ezech.13.

VI. Exempla falsorum doctorum sunt. Primùm ipse serpens, qui Euam falsa docuit. Deinde Magi Ægyptiaci, qui Mosi sese opposuerunt. 1. Regum 22. Zidkiiac Michæ sese opponit. Ierem.28. Hananias Pseudopropheta Ieremiæ aduersatur. Ierem.20. Pashur mendacium prophetauit. Ierem.29. tres alij sunt Pseudoprophetæ, Achab, Zidkiiah, & Semaiah. Act.13.6. in Papho repertus est pseudopropheta Bariesus. 2.Pet.2.v.15. Bileam citatur. Act.8.9. Simon seducens Gentem Samaritanam. 2.Tim.2.17. Hymenæus & Philetus, &c.

DE SACRIFICIIS CHRISTIANORVM.

LOCVS LXX.



POSTOLVS. 1 ad Corinth.5. ait *Pesach nostrum quod nobis immolatum est, Christus*: significans pios non destitui suo certo sacrificio: hinc inter nomina Cœnæ dominicæ sacrificij nomen quoque reperitur. Veteres enim sacrificium appellasse notum est: & hodie sacrificij quoddam genus in Missa celebrant, quod quale sit cognoscendum est. Dicamus igitur de origine sacrificiorum. 2. Tum qualia sint fidelium. 3. Hinc cur Cœna Domini dicta sit sacrificium. 4. Denique an Christus etiamnum offeratur Deo Patri: de his breuis erit oratio nostra.

Cœna Domini sacrificiū vocatur. Origo sacrificiorum.

1. Origo sacrificiorum cum religione cœpit: quos enim homines vt numina colebant, his etiam sacrificia offerre voluerunt. Deus populum suum vt toto religionis negotio, sic etiam sacrificiis distinxit ab aliis gentibus: ideo de singulis sacrificiorum generibus, Moses tam diligenter scribit. Ac mox cum primis hominibus cœpisse hunc ritum, constat ex historia Abelis & Caini, qui primi leguntur Deo sacrificasse. Institutum hoc ab Adamo, indubiè acceperant: qui, ab ipso Deo, formam colendi Deum per sacrificia, acceperit necessum est. Erat autem testimonium veræ inuocationis, & gratiarum actionis pro beneficiis acceptis: quo testabantur se deinceps etiam petere protectionem ac defensionem sui à Deo. Eustath. ait sacrificiorum omnium scopum fuisse εὐχαριστίαν, i. gratiarum actionē, sic quidem Ethnici de suis idolis gratos declarare voluerunt: sed sacræ literæ testantur quædam fuisse expiatoria, quæ Christum referebant: alia votiua quæ Dei auxilium expostulabant. Et erat in genere sacrificiū opus hominis quod Deo præstabatur, ad declarandam veram inuocationem ex Dei instituto. Qui plura desiderat, consulat Macrobiū lib. 3. cap.1.2.3.4.&c.& similes scriptores: nos ad reliqua pergamus.

Definitio.

2. Christianorum sacrificia non amplius constant pecudibus. Nam post Christi aduentum ceremoniæ & legalia Mosis desierunt: non tamen carent suis sacrificiis.

Expiatorium. Primùm habemus sacrificium propiciatorium, quod satisfecit & expiauit delicta fidelium: tale vnicū est, semélque oblatum, non à nobis, sed à Filio Dei, in ara crucis, adeóque plenum fuit, vt pro culpa & pœna satisfaceret. de quo copiosè loquitur author Epist. ad Heb. cap.7.9.10. & Apost. ad Ephes.5. *qui tradidit seipsum pro nobis* προσφορὰν καὶ θυσίαν, i. *oblationē & sacrificium Deo in odorē suauitatis*. Huius sacrificij typi fuerunt diuersa illa sacrificia Mosaica, quibus expiabant singula peccatorum genera, populi, sacerdotum, priuatarum personarum, &c.

Eucharistica sacrificia. 2. Deinde habemus etiam sacrificia, quibus declaramus animi gratitudinem Deo Seruatori & Redemptori nostro, tale est sacrificium laudis, Hebr.13. *per ipsum aßiduè offeramus Deo sacrificium laudis: hoc est fructum labiorum confitentium nomini eius*. Hoc genus sacrificij commendauit nobis Dauid Psal.50. *Sacrifica Deo laudem, & redde altißimo vota tua*. Et Samuel, *melior est obedientia quàm victima*: tale sacrificiū Deo obtulit Paulus & Sylas in carcere media nocte laudantes Deum: & discipulorum cœtus in templo laudantes & benedicentes Deo. Luc.24. & chorus Angelicus Luc.2. atque hic fructus labiorum nostrorum Deo gratissimus est.

Act.16.

Eleemosyna species quę- 3. Præterea sacrificij etiam species est, quicquid in pauperes conferimus. Hoc enim Christus interpretatur tanquam sibi impensum, quicquid suis pauperibus confertur, ac addidit magnificam promissionem recompensationis. & Apostolus ad Philip.4. fatetur se ab illis accepisse per

pisse per Epaphroditũ munus, θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ θεῷ. Sacrificium acceptum & gratum Deo. Hinc passim scriptura nobis Dei authoritate commendat pauperes & eleemosynæ præmij loco vitam æternam promittit. dam est sacrificij.

4. Item seipsos totos Deo offerre & consecrare habet speciem sacrificij. Nam hîc opus est mortificatione carnis. Inde est quod ad Rom. scribitur. 12. *Obsecro vos fratres, sistite corpora vestra hostiam viuam Deo, sanctam, acceptam, rationalem cultum vestrum.* Hostia ista cõsistit in sui ipsius abnegatione: & suscepta cruce, docet intrepidè sequi Christum. Hoc genus sacrificij Deo gratissimum est. Psal. 51. *Sacrificium Dei spiritus contritus, cor confractum, & concussum.* 1. Pet. 2. *Hostias spirituales.* Scribit Pyndarus hyperboreos illos populos beatissimos, Apollini solos offerre asinos, & eo sacrificij genere imprimis delectari Deum: nos isti simus asini mactandi, & sacrificandi Deo, mortificatione carnis. Pyth. 10. ep 2.

5. Fit etiam hoc sacrificium docendo, & conuertendo alios ad Christi cognitionem. sic de eo loquitur Apostolus ad Rom. 15. se ideo docere Euangelium inter gentes, *vt oblatio gentium fiat accepta, sanctificata in Spiritu sancto.* Hoc modo sacrifici erant Apostoli, Christo offerentes sacrificium gentium. & eo modo hodie boni ministri, sunt sacrifici immolantes Deo pœnitentes peccatores.

6. Summus gradus est sacrificij, corpus suum posse pro Christi gloria impẽdere martyrio. Hæc est illa corona, quam soli beati martyres abstulerunt, & hodie ferunt, qui pro gloria Dei, & veritatis testimonio mortem accedunt. Sic de martyrio tanquam sacrificio loquitur Paulus ad Philip. 2. *imò si immoler pro hostia & sacrificio fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis:* significans se paratissimum esse ad martyrium, vt sua morte doctrinam & fidem obsignet. Hæc ferè sunt sacrificia Christiani hominis, quæ nobis scriptura commendat, nec alia deprehendo, quæ ad nos pertineant. Martyriũ summus est gradus sacrificij.

III. Porrò hîc nobis aliud sacrificij genus obtruditur, quod consideratione dignum est: dicunt enim in Cœna Domini offerri Filium Dei Deo Patri, pro viuis & mortuis: ideóque sacrificium hoc iuge noui esse Testamenti. In qua causa duo occurrunt. Primùm, an Cœna sit sacrificium. Deinde, an ob id, Christus illic offeratur à sacerdote: de posteriore deinceps agetur, nunc hoc solùm expediamus, cur cœna sacrificium dicatur. Cur Cœna dicatur sacrificiũ.

Ac primum Christus & Apostoli non appellant sacrificium: sed *nouum Testamentum*, corpus & sanguinem suum vocauit Christus in ipsa institutione. Apostoli videntur *Fractionem panis* appellasse, in Act. 2. D. Paulus vocat *Mensam Domini*, 1. Corinth. 10. *communicationem corporis & sanguinis Domini*, ibidem *poculum Domini panis Domini* dicitur, & *Cœna dominica.* 1. Corinth. 11. Hæc ferè nomina sunt Cœnæ Domini: sacrificij verò appellationem non reperio in sacris literis: sed rem sacrificij in eis haberi dicunt, & nomen ex patribus afferunt. Cyprianus enim, Irenæus, Augustinus, Chrysostomus sacrificium appellant. Concedimus quidem eos Cœnam appellare sacrificium, sed non eo sensu quo hodie, vt sit scilicet hostia pro viuis & mortuis, quam Deo Patri offerat sacerdos. Ac de eo mox: nunc cur Cœna Domini dicatur sacrificium veteribus, & quomodo secundum scripturas dici possit. In sacris literis sacrificij appellatio cœnę non tribuitur.

Primùm cùm in Cœna Domini celebretur memoria vnici sacrificij Domini Christi, quo in ara crucis expiauit peccata nostra, huius respectu sacrificium dici potest, cùm Christus dixerit, Hoc facite in meam memoriam. sic loquitur Augustinus lib. 10. Ciuit. Dei, cap. 5. *Sacrificium hoc visibile, inuisibilis sacrificij sacramentũ est.* Et Chrysost. homil. 17. in ep. ad Heb. *Et nos*, inquit, *offerimus quotidie, sed rememorationem mortis eius facimus, & vna est hæc victima non multæ, quia semel oblata est.* Sic loquuntur etiam scholastici interdum. de consecrat. dist. 2. *cùm frangitur hostia, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiúsque sanguinis de latere effusio designatur?* In hoc sensu si manerent, ferri poterant. Nunc verò cùm non memoriam solum, sed ipsam hostiam repetere se dicant, fiunt intolerabiles. Cur veteres cœnã Domini sacrificium appellarũt.

Deinde in Cœna Domini fit gratiarum actio. Nam beneficia Christi recolimus gratis animis: hinc illi laudes canimus, nósque ei commendamus: suprà verò iam ostendimus gratiarum actionem, speciem esse sacrificij.

Tertiò, pij sese totos Christo consecrant, offerunt, vt suo spiritu eos regat, affectus carnis in eis mactet, corda renouet, tueatur in aduersis, constantiam largiatur in persecutionibus, confirmet in martyrio, quæ omnia sacrificij speciem habent.

Quartò, ritus Cœnæ dominicæ olim celebrabatur in communibus conuiuiis, vt liquet ex 1. Cor. 11. ad talia conuiuia, ditiores conferebant panes, vinum, pecuniam, & alia necessaria, his collectis, & congregato toto fidelium cœtu, recitabantur preces, quibus benedicebant donis istis, hinc pauperibus distribuebãtur, absentibus etiam mittebant tanquam eleemosynam. Inter præsentes solenne celebrabatur conuiuium, in quo etiam Cœna Domini habebat locum. Hinc factum est, vt Hebræorum more sacrificium vocarint, quia oblatio coram Ecclesia fiebat, nec respiciebat hoc sacrificium Deum, sed Ecclesiam, cui offerebatur in nomine Domini. Hinc collecta dicebatur, quia pro pauperibus colligebãtur res necessariæ, & sacrificium pro oblatione eleemosynarum. sic Cyp. de sacrificio loquitur, sermone primo de eleemosyna: *In dominicum venis sine sacrificio, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis:* h. e. cùm sis diues matrona, in dominicum cœtum venis sine dono quod offeras, & sumis in cœna de Ritus cœnæ Dominicæ in primitiua ecclesia. Cypria.

ſacrificio,h.e.oblatione,quam pauper obtulit Eccleſiæ. Sic Iuſtin.etiã loquitur de oblationibus,quæ fiebant tempore cœnæ, προσφέρεται ἄρτος καὶ κρᾶμα τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν. Itaq; dicebatur προσφορά,non quòd Deo aliquid offerrent, ſed quia Eccleſiæ offerebatur, quod totum preſes fratrum benedicebat,Deo autem inquit ἀναπέμπει αἶνον καὶ δόξαν, hoc eſt,ad Deum tranſmittit laudem & gloriam. Itaq; manifeſtiſſimum eſt,in cœna ſacrificiũ laudis ſoli Deo offerri, Eccleſiæ verò collectã,quę in vſum pauperũ diſtribuebatur. Similia habes apud Tertullianũ in Apol.& nos alibi copioſius de eo egimus, cùm locũ de fractione panis explicaremus in Actis.

Iuſtinus.

In Cœna laudis ſacrificiũ Deo offertur.

IIII. Expoſui veras cauſas,ob quas Cœna Domini ſacrificium dici poteſt,& quo ſenſu etiam patres eam ſic appellarunt. Verùm his rationibus non contenti, afferunt aliam, non cauſam vt cauſam aſſignantes:hoc igitur conſiderandum eſt in præſentia. Falſa ratio eſt,Cœnam dici ſacrificium,quia in ea offertur Filius Dei iterum à ſacerdote Deo Patri, realiter pro viuis & mortuis.falſa inquam ratio eſt,imò impia & blaſphema.

Chriſtũ nõ offerri amplius.

Primùm,quia iam ſemel oblatus.1.Cor.5.*Peſach noſtrum immolatum eſt,Chriſtus*.Porrò nulla hoſtia vna & eadem bis,ſæpiúſve poteſt immolari: repeti quidem poteſt eodem genere & ſimili ſpecie, vt in Moſe hoſtiæ repetebantur in ſimili caſu, aut pari delicto,eadem ſpecie erat hoſtia,non autem indiuiduo.Itaque falſum eſt quod dicunt.

Oblatio corporis Chriſti non eſt iteranda.

2. Semel oblata, iteratione etiam non habet opus:repetitio enim imperfectionis eſt argumentum,Heb.10.*Omnis ſacerdos adfert quotidie offerens,& eaſdem ſæpius offerens hoſtias,quæ nunquam poſſunt auferre peccatum. Hic verò vna, pro peccatis oblata victima, in perpetuum ſedet ad dexteram Dei.*

3. Mori amplius non poteſt:ideò nec ſacrificari,cohærentia enim ſunt,vt omnis hoſtia intercedente morte fiat hoſtia.Abſurdum autem eſt Filium Dei quotidie morti tradere,ideò abſurdum quoque quotidie ſacrificari.

4. Hoſtia per ſe non eſt mediatrix,niſi reſpectu offerentis, qui mediatorem ſeſe præbet inter Deum & homines: at vnus ſolùm eſt Mediator, ideo vna hoſtia:& quia vna, ſufficiens:& quia ſufficiens,repetitione non opus habet.

5. Scriptura nullibi iubet Chriſtum ſacrificare: iubet autem membra noſtra mortificare, Coloſſ.3.ideò non eſt credibile officium hoc ſacerdoti conſeruatum in nouo Teſtamento.

Facere non eſt ſacrificare.

6. Chriſtus in Cœna iuſſit facere,hoc eſt,edere,bibere,facere autem non eſt ſacrificare.

7. Chriſtus ſymbolicum ſuum corpus,non Deo obtulit,ſed diſcipulis dedit.Ideò in Cœna non offertur corpus Chriſti Deo,ſed Eccleſiæ.

8. Sacerdos,Chriſto nec par eſt,nec ſuperior,ideò illum offerre Patri non poteſt.Ratio eſt, quia non offerens propter munera:ſed munera propter offerentem placent. vt Gregorius quoque ſcribit.ſic loquitur epiſtola ad Heb.Et D.Irenæus,*oblatio dignitatem accipit ab offerente*, at hoſtia Chriſti ab homine non accipit dignitatem,ideò à nullo hominum offerri poteſt: ſed à ſolo Filio Dei,ſemel oblata eſt.

Oblatio dignitatem ſumit ab offerẽte.

9. Nouum Teſtamentum,Miniſtros Chriſti,nullibi vocat ſeorſim ſacerdotes,cùm vnicus ſacerdos ſit Chriſtus manens in æternum ſine ſucceſſore.ad Epheſ.4.& 1. Corin. 12. habemus quidem ordines & officia quædam in miniſterio Eccleſiæ,at nullus ibi gradus tribuitur ſacerdotibus.non igitur ſunt hoc reſpectu ſacerdotes.

10. Sacrificia Chriſtianorum ſunt communia omnibus fidelibus, hoc eſt,gratiarum actio, ſeſe Deo offerre,eleemoſynas præſtare,memoriam mortis Chriſti celebrare,pro Chriſto mori,&c.Eſt igitur commune etiam ſacerdotium, & quia commune eſt ſacerdotium, nihil hîc proprium habet ſacerdos:hinc in Miſſæ canone habent etiam de auditoribus, qui tibi hæc dona offerunt,non igitur offert ſacerdos ſolus.

1. Cæterùm hîc excipiunt ſacerdotium commune ad omnes quidem Chriſtianos pertinere,ſed aliud eſſe ſpeciale,quod ſolis competat ſacerdotibus.ac citant locum.1. Pet.2.& Apocal. 1.*fecit nos ſacerdotes Deo,& Patri ſuo.* & cap.5.*feciſti nos Deo reges & ſacerdotes:& capit. 20. erunt ſacerdotes Dei.*

Reſpondemus in his locis omnibus nullam eſſe mentionem ſacerdotij ſpecialis, quòd non omnibus competat Chriſtianis:vt enim reges ſunt,& viui lapides,ſic etiam ſacerdotes. at hoc omnium eſt fidelium,ideò & ſacerdotes eſſe præterea D.Petrus ſe ſatis explicat:offerentes,inquit,ſpiritua les hoſtias,ſignificans ſpirituale eſſe hoc totum ſacerdotium.Et hunc ſenſum Origenes quoque ſequitur.Nam Homil.9.cap.16.in Leuit.ait,Petrus ad omnem dicit Eccleſiam. *Nos autem genus electum,regale ſacerdotium,gens ſancta,* &c.& Hieron.in 1.cap. Malac. *genus ſacerdotale & regale omnes ſumus,qui baptizati in Chriſto,Chriſti cenſemur nomine.*

Sacerdotij nomẽ omnibus competit Chriſtianis.

Origen.

Hiero.

Deinde aiunt,Patres,paſſim vocant ſacrificium,& concilia quoque. Suprà iam diximus,qua ratione dici poſſit ſacrificium.Deinde paſſim patres eo ſenſu ſacrificium interpretatos, vt dixi ex Iuſtino martyre,Cypriano,& Tertulliano, Auguſtino & Chryſoſtomo: quod ſi alibi aliter loquuntur, oratio ad has cauſas applicari debebat, nec ſenſus nouus contra ſcripturas debuit ſtabiliri.

Si alij aliter loquuti ſunt,viderint ipſi quomodo ſua de ſcripturis probẽt. Irenæus certè cap. 32.lib.4.Eccleſiæ tribuit oblationem non ſacerdoti.& ſequenti mox cap.33. ſeſe ſatis explicat, quale

Apoca. oratio-

quale hoc sit sacrificium. Et Græci passim ἀναίμακτον, καὶ ἄθυτον, i. incrementum & sine hostia sacrificium affirmant esse: ideo nulla hic realis hostia sanguinis & corporis Christi fingi debet. nes sanctorum esse sacrificia.

3. Dicunt, λειτουργεῖν esse sacrificare, & in Cœnæ actione, FACERE, pro consecrare accipiunt: sed pridem elusa sunt ista tela, in Act. 13. officium indicatur, in quo erāt occupati docendorum temporis. Hinc Erasmus etiam de prædicatione Euangelij interpretatur. de eo diximus copiosius in liturgia, vide locum. necdum illi probarunt, Facere esse cōsecrare, aut sacrificare.

4. Ad Heb. 5. *pontifex pro hominibus constituitur, in his quæ sunt apud Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

Respōdeo sermonem esse de veteris Testamenti sacerdotio, quod Christus aboleuit & perfecit: vt eodem cap. Epistolæ author satis indicat.

5. Gen. 14. de Melchizedek, qui obtulit Abrahamo panem & vinum, & huius sacerdotium esse in nouo Testamento ex Psal. 110. affirmant. Respondeo multa his dissimilia esse.

1. Nam Melchizedek non Deo offert, sed Abrahamo, & militibus eius.
2. Deinde nihil hîc sacrificauit, sed protulit in vsum publicum.
3. Tertiò, panem & vinum, non Messiam: ideo nihil est, quod ex typo argumentantur.

6. Malach. 1. scribitur in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.

1. Respond. primùm præcedentia satis indicant, quòd Propheta ibi corrigat Iudæorū oblationes, quas in genere repudiat Dominus, quia non vera fide, & vitæ innocentia offerebātur. Ideò damnantur etiam nostræ oblationes, cùm fide & sanctimonia vitæ careant.
2. Deinde sacrificium hoc iuge, quod illi in toto orbe offertur, tum offerebatur etiam nomini ipsius, vt loquitur Propheta: nondum erat autem in vsu sacrificium hoc pontificium. igitur de illo non rectè intelligitur.
3. Denique esto, vaticinium esse de rebus in futurū instituendis, nondum tamen confecta causa est, cùm aliis modis, rectius possit applicari, rebus noui Testamēti. Irenæus certè de Cœna quidem locū accipit, sed de pane & vino, aliisque muneribus, quæ in vsum pauperum conferebantur à fidelibus tempore Cœnæ. Hieron. verò explicans hunc Prophetæ locum, verba illa de precibus & gratiarum actione interpretatur, quæ sacrificium dicitur laudis. sic Tertull. aduersus Marcionem de doctrina quoque interpretatur, & gratiarum actione. nec dissimilis est Augustini sententia. lib. 2. cap. 86. contra literas Petitiani. Irenæus. Hieron. Tertull. August.

DE LITVRGIA.
LOCVS LXXI.



LITVRGIAM hodie interpretantur, missam, vel missæ partem, quæ consecratio dicitur, & Cœna Domini, Germanicè cum religione quadam appellant (*das ampt.*) Deinde huic liturgiæ officio tribuunt, quòd sacrificium in eo Deo patri offeratur quotidie pro viuis & mortuis, in quo virtus & efficacia sacrificij crucis applicetur illis in quorum nomine celebratur. Hæc ferè est sententia eorum qui sacrificium in Cœna Domini asserunt. Quid liturgia Papistis.

Audiemus igitur quibus rationibus hoc asserāt. Deinde nullum tale sacrificium esse in Cœna Domini luculenter ostendemus. Tertiò, qualis sit noui Testamenti liturgia, quæ in Cœna Domini locum habere possit.

I. Primùm aiunt, Barnabas & Saulus ab Antiochena Ecclesia electi sunt in liturgia, vt irent ad gentes docendas. Nam Act. 13. scribitur. λειτουργούντων δὲ αὐτῶν, &c. hoc est, *sacrificantibus autem ipsis Domino & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus: Separate mihi Barnabam & Saulem in opus ad quod vocaui eos.* Ex quo loco liturgiam illi sumunt: quasi ministri Antiochenæ Ecclesiæ Cœnam celebrarint, & quidem eo ritu, quo hodie sacrificium hoc peragitur ab ipsis.

Respondemus, illos plura hîc sumere quàm illis concedamus. Nam λειτουργεῖν esse sacrificare illis ostendendū erat: deinde hoc more & sensu quo ipsi sacrificium intelligūt, quæ duo si obtinuissent, aliquid concluderēt, quod causæ suæ inseruiret. In huius loci igitur interpretatione opponimus illis tria. Primùm λειτουργούντων hîc non de sacrificātibus intelligi, hoc sensu quo illi accipiunt: quòd Græca scholia & Chryso. interpretantur κηρυττόντων, hoc est, docentibus vel prædicantibus ipsis: quo sensu liturgia significat munus docendi & prædicandi Euangelium.

Deinde quòd in nouo Testamento in hoc sensu nullibi reperiatur hæc vox: quod quàm verè dicamus, constabit ex locorum collatione. Indicat autem locorum collatio, verbum λειτουργεῖν significare in genere seruire & ministrare certo aliquo officij genere, quod debetur vel superioribus, vel inferioribus, vel etiam paribus: hinc λειτουργία liturgia, officium tale *ein ampt, oder dienst*, quod ministerium præstatur ex officio debito: singulorū exempla sunt. Primi generis. h. e. vbi λειτουργεῖν significat in genere ministrare vel seruire superiori ex debito officio. Heb. 1. 14. de Angelis loquens, *Nonne omnes sunt λειτουργικὰ πνεύματα, ministratorij spiritus* & eo. c. vers. 7. de iisdem Angelis ex Psal. 104. citans locum, inquit, *qui Angelos suos fecit spiritus, &* Liturgia significat munus docendi. Liturgia in genere significat officium vel

ministerium quod præstatur ex debito officio.

ministros suos λειτυργὲς ἀυτῦ flammam ignis: hic λειτυργοὶ ministri & serui Dei sunt, quos emittit ad salutem credentium. Huc pertinent omnia Angelica officia quæ Deo creatori præstant. Deinde ad hunc gradum pertinet liturgia sanctorum: qui corpora sua Deo consecrât, & offerunt etiam in hostiam martyrij: de quo genere liturgiæ loquitur Apostolus ad Philip. 2.17 *sed etiam si immolor super hostia & liturgia fidei vestræ, gaudeo & congaudeo omnibus vobis*: significat enim se paratum ad martyrium pro fide Christiana, quod officium Deo creatori & redemptori debent omnes fideles, vt fidem consignent proprio sanguine, si res ita postulet.

Liturgus & Apostolus idem.

Tertiò, huc pertinet liturgia ministerij doctrinæ Euangelicæ: quo genere Apostoli legatione functi sunt Christi nomine, vnde serui Christi dicti sunt: hoc est, ministri & legati: qua significatione liturgus & Apostolus ferè idem sunt. vt ad Rom. 15. v. 16. *vt sim liturgus Iesu Christi ad gentes, sanctè administrando Euangelium Dei*, quod alibi interpretatur, cùm se Apostolũ gentium vocat. Itaq; liturgus legatus Christi est: & quia de sacra liturgia loquitur, hoc est, munere docendi, addidit ἱερυργῦντα τὸ ἐυαγγέλιον τῦ θεῦ. i. Sacrificantem Euangelium Dei: non potest autem sacrificari Euangeliũ aliter, nisi sanctè & piè administrando, docendo, & explicando. Ex quo facile est videre liturgum Christi, esse legatum publicum, qui Euangelium apud Gentes nomine Christi religiosè doceat. Atque illa liturgia præstatur superiori.

Magistratus Dei liturgus dicitur.

Alter gradus liturgiæ est, quæ inferioribus præstatur: sunt & illi liturgi ministri Dei: sed liturgiam suam, hoc est, officium declarant inferioribus. Hoc sensu magistratus dicitur Dei liturgus ad Rom. 13. v. 6. *liturgi enim Dei sunt*. Ac ciuilia officia in magistratu liturgiam dici infrà etiam abundè ostendemus: in præsenti loco ad Rom. 13. obserua de magistratu prædicari quòd sit princeps, minister & liturgus.

Primùm illud à dignitate officij qua repræsentat Deum ἄρχοντα, posteriora verò duo ab officij molestiis, quia se totum subditorum commodis, & Reipublicæ vtilitati, etiam cum opum suarum iactura debet impendere: vt cùm Dominus sit magistratus, tamen seruire aliis debeat: & bona sua in sumptus publicos Reipub. bono conferre. Ad hunc gradum refero etiam liturgiam Christi, qua ipse mediator & reconciliator sese totum humano generi impendit. Et hoc

Christus liturgus dicitur.

officium rectè liturgiam dici, inde constat: quòd ipse Christus liturgus dicitur ad Heb. 8. 2. *sanctorum liturgus, ac veri tabernaculi, quod fixit Dominus & non homo.* Quo loco Christi ministerium cum Leuiticorum sacerdotum ministerio confert, ac ostendit Christi liturgiam multò præstantiorem ac perfectiorem esse. Quia Dom. Christus tabernaculum æternũ habeat, quod Deus compegit, non homo: idem autem hic tabernaculum vocat, quod mox victimam, hoc est suum corpus quod obtulit hostiam puram pro mũdi salute: hanc liturgiam Christus præstitit in cruce, & pro inferioribus præstitit, Deus & homo pro nudis hominibus, purus & innocens pro peccatoribus damnatis. Perfecta etiam est & vnica, semélque oblata semper durat & prodest, vt repetitione non indigeat.

Tertius liturgiæ gradus debetur paribus, hoc est, qua homo homini inseruit: varia tamen illa est. Nam vel more veteris Testamenti de hac loquitur nouum Testamentum, hoc est, in qua liturgia sacerdotes & ipsi homines pro hominibus sacra offerebant, vt constituerat Moses. sic ad Heb. 10. vers. 11. ostendit veteris Testamenti sacerdotes quotidie adesse muneri & ministrare, offerre sæpe easdem repetitas hostias, quæ tamen peccata non possint delere, quod vel hinc constat, quia semper oportet easdem repetere: quo loco sacerdos λειτυργεῖν dicitur more vete-

Partes officij sacerdotis Leuitici.

ris Testamẽti officium sacrum obire. Cuius partes sunt immolare, orare pro populo, immolationis illic solùm meminit: quia ex collatione ostendit hostiam Christi perfectam, quia non repetatur semel facta. sic Luc. 1. versu 23. de Zacharia sacerdote inquit, *& factum est, vt impleti sint dies λειτυργίας eius, hoc est, dies totius officij sacerdotalis*, quod per vices ad singulos redibat, in quo non solùm erat sacrificium pro peccatis: sed alia sacrificia, orandi munus pro populo, disponendi panes propositionis & reliqua templi cura. Ad Hebr. 9. vers. 21. dicuntur vasa liturgias, sanguine aspersa, hoc est, vasa λειτυργικὰ, quæcunque ad cultum diuinum pertinebant, ministerij vasa erant.

Hæc liturgia veteris Testamenti tota sublata est aduentu Christi: quia tota ad ceremonias pertinuit, & Christi liturgia omnem compleuit.

Liturgiæ veteris Testamẽti noua non successit in vsum sacrificij.

Porrò quòd illi iam dicunt in illius locum institutam esse nouam: non admittimus, nisi loquantur de ministerio verbi, quod liturgia dicitur, quemadmodum Paulus dicitur λειτυργὸς Christi Rom. 15. At Paulus non sic vocatur, quia afferat hostias pecuinas more legis: sed quia docet Euangelium, quia orat pro Ecclesiis, quia Gentes adducit Christo. Hoc igitur sensu admittimus liturgiam in nouo Testamento: sed quid hoc iuuat illorum causam?

Primùm igitur huc referimus typicam liturgiam legis. Deinde liturgiam ministerij, quæ successit in Euangelio, hoc est, officium docendi veram doctrinam, administrandi Sacramenta, orandi pro populo, quod officium cùm totum sit λειτυργικὸν, attamen rarò sic appellatur. Act. 13. λειτυργῦντων ἀυτῶν, hoc est, docentibus ipsis.

Beneficentia liturgia dicitur.

Tertiò, beneficentia in pauperes huc pertinet, qua homo homini adest in vitæ necessariis, qua significatione sæpius reperitur ad Rom. 15. v. 27. cùm approbaret eleemosynas Macedoniæ & Achaiæ in Iudæos pauperes Ierosolymis commorantes, colligit, quia Iudæi Gentibus com-

communicarent spiritualia, ergo Gentes debent in Iudæis carnalibus λειτουργῆσαι & 2. Cor.6. v.12. *quia subministratio τῆς λειτουργίας ταύτης, non solum supplet sanctorũ inopiam, sed redũdat in multas gratiarum actiones ipsi Deo* & ad Phil.2. vers.25. de Epaphrodito, vestrum inquit Apostolum, hoc est, *legatum & liturgum, hoc est, subministratorem inopiæ meæ* ad vos mitterem. & ibidem vers. 30. de eodem vt suppleret defectum vestrum, erga me λειτουργίας, hoc est, beneficentiæ. Quibus locis officiosa commendatur beneficentia in pauperes Christi, quæ nomen liturgiæ rectissimè meretur, cùm Deo offerantur quæ pauperibus conferuntur. Hic vsus est vocis huius in nouo Testamento, in quo illi ostendant vbi hic sacrificium illud crucis repetatur aut etiam applicetur viuis vel morientibus: quod cùm non possint, rectè opponimus illis vsum vocis huius ex nouo Testamento.

Quom. liturgiæ nomen beneficentiæ conueniat.

Tertiò, opponimus illis vim vocis per se. Nam λειτουργεῖν significat non sacrificare, sed τὰ λιτὰ ἔργα ἔχειν, seu τὰ λιτὰ ἐργάζειν, hoc est, publico munere fungi, qualecũque sit: λιτὸν enim significat δημόσιον. Itaque non est necessum, vt mox sequatur ex hac, quod illi volunt, cùm ad alia munia possit meliùs applicari: vt in ministerio verbi ad doctrinam, & preces communes, in Christo ad vnam & perpetuam hostiam, in Mose ac sacrificia legalia, in diuitibus ad beneficentiam, in Angelis ad ministeria Angelica, in magistratibus ad curam regendi populos. Summa, liturgia non est sacrificiũ, quo Deo Patri quotidie offertur Filius Iesus Christus, minùs applicatur eius meritum in hac actione viuis aut mortuis. Vide locũ Aristotelis lib. 4. Polit. cap. 4. de magistratuum liturgia in Repub. Hactenus ad locum Act.13. ex quo malè tuentur sacrificium hoc.

Liturgia non est sacrificium.

Secundò, afferunt locum 1. Cor.5. *Nam Pascha nostrum pro nobis immolatum est Christus.* Ex quo colligunt. Christus Pascha nostrum dicitur: & cur? quia offertur quotidie à ministro, hinc etiam Pascha, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, vel παθεῖν dicitur, vt iudicat Lactantius libro 4. cap 26. Immolatio pecudis ab iis ipsis qui faciunt Pascha nominatur, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia Passionis est figura, quam Deus præscius futurorum tradidit per Mosen populo suo celebrandam. Et Augustinus in quæstionibus mixtis ex vtroque Testam. Pascha dilectissimi fratres à Passione appellatum est, sicut docet nos traditionis huius præfiguratio, quæ perfecta est in Ægypto, &c. & in quæstionibus noui Testamenti quæstione 96. ex lege id probat, immolatio hæc Pascha Domini est, Exod.12.

Respondemus ad locum Apostoli. Christus Pascha nostrum dicitur, quia typum illum impleuit. Agnus enim Paschalis Christum præfigurabat, vt rectè Lactantius attulit & Augustinus. Et quia agnus Paschalis pro populi salute immolatus est: Christus rectè pro nobis immolatus Pascha dicitur: sed quia idem agnus Paschalis non iteratus est toto anno, sed tantùm semel immolatus, quamuis aliæ hostiæ iterari possent: rectè hinc colligitur Christi hostiam reiterari non posse, nec debere.

Cur Christus pascha nostrum dicitur.

Porrò quòd vocem ipsam concernit, non damus nec Lactantio, nec Augustino Græcã hanc esse vocem. Lactantius falli potuit vocum similitudine, vt putaret Pascha, ἀπὸ τοῦ πάσχειν ortum habere: & fortassè linguæ huius ignarus fuit. At Augustino minùs ignosci potest, qui idem contendit citatis locis, cùm alibi Hebræam vocem agnoscat, vt lib.2. de Trinit. cap. 17. & aliis locis multis. Pesach igitur dici oportuit non Pascha, vt maior esset affinitas primitiuæ vocis: significat autem *Pesach* transitum.

Nec valet argumentum Augustini, quod adduxit ex cap.12. Exo. *immolatio hæc est Pesach Domini*, ergo Pesach à patiendo dicitur: nam de ritu ibi respondent posteritati, parentes interrogati, non de origine nominis: mox autem ad originem reuocant eos: cùm subiiciunt, qui transiit domos filiorum Israel, cùm percuteret Ægyptum: quod luce clarius est in Hebræo, *veamarthem zeuach Pesach hu lahouah ascher pasach al bathe bene Israel*, &c. idest, Et dicetis, oblatio, Pesach istud Domino, quia transiit domos filiorum Israel: vbi facilè est videre *pesach* deriuari à verbo *pesach* quod significat transire.

Tertiò, ad Hebr.5. scribitur, *omnis pontifex ex hominibus assumitur, & pro hominibus constituitur in his quæ apud Deum sunt, vt offerat donaria & victimas pro peccatis.*

Primùm, certum est, Apostolum loqui de sacerdotum ordine veteris Testamenti: qui hoc fine solebant ordinari vt seruirent in templo Domino, offerendo donaria & victimas. Deinde illi non profitebantur se offerre Domino ipsum Messiam: sed hoc ipsum quod in manibus habebant, puta pecus, similam, aut quid simile. Tertiò, hic ordo sublatus est in nouo Testamento. Nostri igitur sacerdotes quid offerunt, aut quo authore offerunt?

Ostendant ritum offerendi mansisse: hunc dico, de quo loquitur ibi Apostolus. Valde igitur ineptum est, sacerdotes veteris Testamenti semper offerebant donaria & victimas: ergo nostri semper offerunt ipsum Christum. Euertunt autem seipsos: nam vt illi sacerdotes semper offerendo, fatebantur semper durare peccatum, nec dum remissum: ita nostri contendendo de oblatione corporis Christi quotidiana, fatentur se sacrificio Christi in cruce oblato, diffidere: quòd in totum non placarit iram Patris pro suis electis.

Arguta collectio in sacrificos Papisticos.

Quartò, Cœna Domini ab hoc sacrificio dicitur oblatio à veteribus: cuius appellationis non potest alia esse ratio, nisi quòd sacerdos in hac actione offerat Deo Patri hostiam crucis.

Respondemus, dici quidem oblationem: sed quòd hac ratione fiat, negamus. Alia enim causa est cur oblatio dicatur: qua in re fatentur ignorantiam suam.

Cur veteres cœnā Domini oblationem & sacrificium vocarunt.

In celebratione Cœnæ Dominicæ solebant ditiores comportare de suis panem & vinum, tanquā ad commune epulū, ad quod omnes inuitabant pauperes, quos alebant, & inter conuiuandum, Cœna Domini fiebat. Cùm igitur offerrent pauperibus, dicebatur oblatio: quod manifestissimum est ex Iustino martyre, qui inquit, Et qui habent, egentibus omnibus suppeditant, & paulò pòst. Diuites autem & qui volunt, quisque secundùm animi voluntatem conferunt: & quod collectū est, deponitur apud Ecclesiæ ministrum: qui subuenit pupillis, viduis, & qui morbo detinentur, aut alia de causa egentibus, & his qui in vinculis sunt, aduenis etiam hospitibus, & in genere omnibus qui egestate premuntur, fit subsidium. Obserua hîc diligenter veterem morē conferendi eleemosynas tempore Cœnæ: nos hodie nomina habemus sine rebus. Collecta enim superest ex veteri consuetudine, Græci συλλογὴν dixerunt, quia colligerent pro pauperibus, hodie sacerdos pro se colligit oblata in Cœna. Et Missa, quia mitterentur pauperibus, Græci πομπὴν vocarunt, cuius alia est ratio apud Iustinum dignissima scitu: quia minister laudem & gloriam Patri vniuersorum, per nomen filij & Spiritus sancti remittit. Hæc de oblatione Cœnę Dominicæ etiā ex Tertull. in Apolog. & Cypr. disci possunt: vt stolidi sint, qui audita voce oblationis in Cœna, nihil aliud cogitent, quàm sacrificium illud commentitium sacrificulorum. Concedimus igitur libenter in Cœna Domini esse oblationem, sed non talē. Est enim eleemosynæ oblatio: est gratiarum actio, Deo patri oblatio. Item panis & vinum peractis precibus offerebantur primario ministro, qui his benedicebat: nihil igitur hinc cōcludunt. Deinde hæc oblatio non est solius sacerdotis, sed fidelium omnium, qui partim conferebāt eleemosynas, aut certè offerebāt preces suas Domino. In Chrysostomi missa legitur, offerimus tibi sanctam & immaculatam hostiam, quod hodie pertinaciter trahunt ad sacrificium missæ: sed idem Chrysost. se explicat non solùm in sua liturgia, inqua est ἀναίμακτος hostia, hoc est, incruenta: sed in Homil. 17. ad Hebr. *offerimus*, inquit, *sed memoriam mortis illius offerimus: vna est hostia non multæ, quia semel oblata est.* Ex quibus manifestissimè conuincuntur. Primùm hodie cruentam habent hostiam, cùm ipsum sanguinem & carnem in Cœna se habere dicant. Deinde non memoriam offerre, sed ipsam crucis hostiam, asserunt: nec vnam, sed in mille locis plures.

Sentētia Chrysostomi notanda.

Quintò, sacerdotū officium semper fuisse offerre pro peccatis populi, pro delictis, pro ignorantiis, pro mundicie, &c. Hoc totum quidem concedimus, sed de veteris Testamenti sacerdotibus, qui Mosaico móre offerebant, vt est Leuit. 5 6.9.14. & alibi. Deinde noui Testamenti sacerdotes non isto modo offerunt, cùm ceremoniæ & typi aboliti sint. Offerunt autem preces, orationes: docendo & conuertendo peccatores offerunt Deo. Distinguendum igitur est officium sacerdotum. Adde noui Testamenti ministros non rectè dici sacerdotes, cùm Apostoli nullibi dicantur sacerdotes, sed ministri, serui, cooperatores, omnes autem fideles generis sacerdotalis: sacerdotis nomen vni Christo conseruarunt Apostoli, & sacræ literæ noui Testamenti.

Apostoli nullibi dicuntur sacerdotes, sed vni Christo nomen sacerdotis conseruarunt.

Sextò. Mal. 1. *Non est mihi voluntas in vobis*, &c. *sed in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.* Malè hoc torquent ad suum sacrificium. Nam hîc corrigitur Iudæorum impietas: qui cùm mali essent, ostendit Deus, se non approbare illorum sacra: sed se nominis sui cultores habere alios in Gentibus, qui rectiùs ipsum colant laudando & celebrando. Hinc Tertull. lib. 3. contra Marc. & contra Iudæos. Totum hoc de sacrificio laudis intelligit: sed quid illud ad sacra noui Testamenti? nihil certè, nisi quòd hodierna sacrificia Deus eadem voce reprobare videtur: non est mihi voluntas in vobis, non munus accipiā de manu vestra. Impij enim estis, sed ab ortu solis, vsque in occasum magnum est nomen in Gentibus: & in omni loco offertur nomini meo hostia munda.

Reliqua quæ huc afferunt magis allegoriam habent, quàm argumentum. vt quòd scribitur Dan. 12. de iugi sacrificio, quod abolebitur per dies 1290. Quasi nullum fuerit iuge sacrificium quod ante vrbis euersionem aboleri potuerit: & quid illud ad Cœnam Domini? Tale est quod de Abrahamo huc afferunt ex Gen. 14. Melchizedek obtulit Abrahamo vinum & panē, quod totum contra eos facit. Christus enim ille sacerdos secundùm ordinem Melchizedek: itaque ipsius est se offerre, non sacerdotis alterius, fecit autem hoc in cruce: deinde Melchizedek non obtulit aut sacrificauit, sed protulit de suis opibus alimenta necessaria. Tertiò, nō obtulit Deo, sed æquali homini Abrahamo. Quartò, non sacrificauit panem & vinum, sed in alimentum lassis militibus contulit. Hæc pro sua liturgia ferè adducunt. Videamus nunc secūdo loco quid contrà dici possit.

Qualis fuerit Melchisedek oblatio.

II. Quòd igitur in liturgia Cœnæ, nullum sit tale sacrificium, quale illi comminiscuntur breuiter his rationibus ostendi potest.

Primùm, Cœna non dicitur sacrificium, in sacris literis, ergo in Cœna non est tale, & hoc sensu sacrificium.

Sacrificium dico proprium, quale ipsi etiam contendunt. Nam rerum nomina à propriis actionibus solēt imponi, præsertim in ritibus & ceremoniis: interim non obest in eadem actione

ne aliquid esse, quod per metaphoram alio dici possit nomine. Itaque à proprietate vocis vrgeri possunt: Non dicitur Cœna sacrificium in sacris: igitur ibi propriè sacrificiũ nō est. Quòd autem posteri sacrificium vocarunt, factum est, quia memoria vnici sacrificij hîc celebratur. Cõmemoratio est sacrificij, non repetitio: & sunt alia sacrificia hac allusione dicta, quæ hîc locum habent, vt gratiarum actio, preces, oratio, confessio, &c. firmum igitur est, hic non offerri iterum Christum. Cœna propriè sacrificiũ non est.

Secundò, Christus instituens Cœnam suam, iussit facere: ostendant autem illi, hoc loco *facere* esse sacrificare: *hoc facite*, non idem est atque hoc sacrificare. Facere non est sacrificare.

Vergilius facere pro sacrificare quidem dixit. *Cùm faciam vitula pro frugibus ipse venito*, hoc est, cùm faciam rem diuinam pro frugibus. At sacræ literæ facere rem diuinam vel sacrificare, non vlla faciendi voce exprimunt. Itaque magnus error est, cùm *facite* per sacrificate interpretantur.

Tertiò in eadem Cœna inquit, *hoc facite in mei commemorationem*: quod sanè non fert illorum interpretationem, obscuritas enim magna est, si de oblatione intelligas, quod Christus solùm effert de recordatione, præsertim cùm apud discipulos clarè hoc testamentum condendo potuerit sacrificij meminisse, & plana verba requirãtur in testamentis. Itaque non est vero simile D. Christum commemorationem posuisse pro veri corporis repetita oblatione.

Quartò, in Cœna propriè non fit oblatio aliqua Deo: sed dispensatio symbolorũ inter homines, itaque nullum hîc sacrificium comminisci debet. In cœna id solum est nobis faciendũ quod Christus fecit & iussit.

Quintò, in Cœna faciendum, quod ipse Dominus fecit & nos iussit facere in eadem Cœna: sed in Cœna panem & calicem distribuit, benedixit, fregit ac dedit, discipulos iussit idem facere, edere, bibere: itaque hęc facienda sunt. Hostiam autem pro peccatis viuorum & mortuorum obtulit non tum in Cœna: sed deinceps in cruce, quod nos imitari non iussit. Itaque absurdum est ad Cœnæ actionem trahere illa, quæ Dominus non in ea peregit, sed in cruce.

Sextò, Apostoli nullibi dicuntur sacerdotes, quòd offerant tale sacrificium, quale in veteri Testamento ad typum sacrificij Christi offerri solebat: igitur Christum non offerunt. Christus verò sacerdos & pontifex noster dicitur, ob hoc ipsum, quia solus seipsum obtulit in hostiam puram Deo patri.

7. Non missi sunt ad sacrificandum à Christo, sed ad docendũ in toto mundo: igitur sacrificium tale ad ipsos planè non spectat: docere autem, & administrare Sacramenta illorum est. Apostoli non sunt missi ad sacrificãdum sed ad docendum.

8. Christus in Cœna se non distribuit, nec obtulit Deo Patri: sed corporis sui symbola inter discipulos. In cruce verò postmodum hostiam sui corporis immolauit: igitur in Cœna non est hostia vel sacrificium.

9. *Semel oblata est: igitur non amplius offertur*, ad Heb. 7. quotidie hostias offerre, primùm pro suis delictis, deinde pro populo: hoc enim fecit semel seipsum offerendo, & cap. 9. *semel ingressus est in sancta sanctorum, æterna redemptione parata*. & cap. 10. *vna oblatio consummauit in æternum sanctificatos.*

Nec admittimus hîc distinctionem oblationis, quam Eccius adfert. Nam alteram illam repræsentatiuam non potest probare scripturis. Vnica est igitur Christi oblatio in cruce, nec plures: non potest igitur repeti. Eccij distinctio refellitur.

10. Christus Deo Patri in cœlis semper est præsens: igitur in terris vbi corpore est absens à sacerdote offerri non potest. Hebr. 10.

11. Offerens maior est ipsis hostiis, vel certè par suo sacrificio: at Christo nemo par, neque quisquam est Christo maior: impium igitur est præsumere sacrificium corporis Christi reale.

12. Oblatio placet Deo propter offerentem: vt Abelis sacrificium Deo placuit, quia Abel illi placebat. Caini displicet, quia persona displicebat. sic Noachi, Abrahæ, &c. Itaque Christus placeret Deo Patri oblatus, propter sacrificium offerentem, quod non solùm absurdum, sed impium & flagitiosum est cogitare. Oblatio placet Deo propter offerentem.

13. Christi hostia efficacissima est, *quia æternus est pontifex*, ad Hebr. septimo nec illi est quotidie necesse offerre hostias pro populo suo. ibidem versu vigesimoseptimo *& est sacerdos secundùm ordinem Melchizedek*, semper igitur prodest semel oblata illius hostia, non est igitur repetenda, cùm sacrificia veteris Testamenti hoc ipso quòd iterarentur quotidie, testarentur suam inefficaciam, peccato manente in omnibus.

14. Plena est facta remissio peccati. Heb. 10. vers. 18. *vbi est peccatorum remißio, non est amplius oblatio pro peccato*: at in hostia Christi, quam ipsemet obtulit Deo Patri est plena peccatorum remissio. Igitur non est ampliùs hostia opus pro peccato. Cessat omnis oblatio pro peccato facta eius remissione per Christũ.

15. Applicatio quoque gratiæ Dei & meriti Christi non est annexa sacrificio externo: sed fidei & prædicationi Ioan. 3. *Ita dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt vt omnis credens in illum non pereat: sed habeat vitam æternam*: & de sacrificij illius applicatione per fidem ait ibidem, *vt Moses in deserto exaltauit serpentem: ita exaltari oportet filium hominis, vt quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam*, & ad Rom. 1. de prædicatione Euangelij scribitur. *Euangelium potentia Dei est, ad salutem omni credenti.* 1. Cor. 1. 21. *placuit Deo per stultam prædicationem seruare credentes.* Itaque quod illi de applicatione gratiæ afferunt, in quo-

tidiano sacrificio suó pro viuis & mortuis, totum fictitium est. Qui vera & indubitata fide apprehendit Christi meritum, huic etiam applicatur per gratiam Dei ad salutem, vt non sit alio medio ad applicandum opus.

III. At dicet nobis aliquis, nullũ igitur planè in Cœna Domini est sacrificium, nulla liturgia, nulla oblatio? Vnde igitur Græcis sua προσφορὰ, i. oblatio, & Latinis collecta, offertoriũ, &c.

Respondeo, hactenus solùm depugnatum esse, quòd nullum tale sit in Cœna sacrificium, quale illi cõminiscuntur, hoc est, in quo ipse Christus Dei filius, verus homo & Deus; Deo Patri offeratur, quemadmodum ipse se obtulit ara crucis pro salute viuorũ & mortuorum. Hinc inquam intellectus sacrificij falsus confutatus est: non negamus autem nullum planè hic esse genus sacrificij: quod quale sit iam breuiter proponemus. Certissimum enim est Græcis non sine ratione προσφορὰν appellatum, vt Latini simili ratione ducti, primitus collectam & offertorium vocarunt.

Cœna est sacrificium secundũ quid.

Est igitur oblationis genus in Cœna primum, quòd antiquitus Cœnam Domini in publico epulo celebrarent, vt liquet ex 1. Corinth. 11. ad quod epulum commune diuites conferebant sumptus, vel necessaria vt panem & vinum, & ad hoc inuitabant pauperes, quos inde refocillabant, absentes verò vel morbo aut aliis de causis non negligebant, sed illis mittebant necessaria, imò toto anno omni tempore pauperes iuuabant de communi. Quod quale fuerit ex Iustino suprà ostendit, sponte diuites conferebant. Collecta ista deponebatur apud ministrum, quem Iustinus vocat προεστῶτα, qui ex his facultatibus iuuabat pupillos, viduas, peregrinos, ægros, &c. Hæc erat oblatio collecta eleemosynarum, vnde offertorium Papisticum vt & collecta fluxisse videri potest. Ita Tertullianus in Apolog. loquitur etiam de collectis in Cœna, quòd hinc inopes refocillarentur. Et quòd eleemosyna sacrificium sit Deo gratum, satis docet Paulus ad Philip. 4. 18. *accepi quæ à vobis missa fuerunt, sacrificium gratum & acceptum Deo.*

Collectę & offertorij in Papatu origo.

Porrò Græcis προσφορὰ quoque aliud significabat. Nam præter eleemosynam collectam, illi appellabant προσφορὰν, quando peractis precibus, panis & vinũ offerebatur ministro, qui verba Cœnæ & institutionis recitare solebat: quod manifestissimè idem Iustinus martyr indicat: nam in 2. Apolog. pro Christ. inquit, *tum peractis scilicet precibus profertur, vel offertur præsidi fratrũ panis & poculum aquæ ac mixtionis: quæ cùm acceperit, laudem & gloriam Patri vniuersorum per Filiũ Iesum Christum & Spiritum sanctum transmittit, hoc est, benedicit, & verba institutionis recitat.* Oblatio igitur est, non quam sacerdos Deo offert, sed qua diaconi primario ministro offerebant panem & calicem dominicum, quæ adhuc locum habet in actione Cœnæ dominicæ.

Ritus cœnæ apud veteres.

Tertiò, est quoque aliud sacrificium, vel oblatio alia, qua fideles cum sacerdote, Deo gratias agunt pro beneficiis Christi, pro mortis illius merito: hoc sacrificium laudis vocatur in scriptura. Psalm. 50. *qui sacrificat laudem ille honorat me:* ab hoc genere sacrificij Cœna Domini dicta est Eucharistia. Nam vt in omnibus sacrificiis veteris Testamenti præcipua pars fuit adoratio vera, & preces publicæ: sic in Cœna Domini non minima pars sunt preces: hinc in Missa ante consecrationem, in ipsa consecratione & post eam tãta est precum & Psalmorum frequentia. Dominus certè, nisi adsit pia adoratio & mens deuota, abominatur omnia sacrificia.

In cœna repetitur memoria sacrificij per Christum peracti.

Quartò, in Cœna Domini memoria repetitur peracti sacrificij in ara crucis per Christum: ab hac inquam celebratione mortis, Passionis, ac meriti Christi, tota actio dici cœpit sacrificium, quia in tota Cœna illa materia est sacrificij Christi. Hinc sacrificium dicitur visibile ab Augustino, & à Cypriano sacrificium dominicum: & in missa Chrysostomi sæpe fit mentio istius oblationis.

Quintò, in Cœna Domini est priuatæ vitæ humiliatio. Nam admonemur hìc de magnitudine peccati, de ira Dei contra peccatum, de beneficiis Christi, qui sustulit iram Dei: quæ nos humilitatem docent, & fraternam charitatem exemplo Christi Domini nostri: & quanquam passim fideles humiliter de sese sentire debeant: attamen in communicatione mensæ dominicæ imprimis omnis deponi debet arrogantia & ambitio, hoc sacrificium Deo gratissimum est. Psal. 51. *sacrificium noluisti, aliàs darem tibi, neque holocaustum: sacrificia Dei sunt, spiritus confractus, cor contritum & humile, hæc Domine non despicies.* Hoc genus sacrificij offerant, & Filium Dei ne iterum crucifigant.

Sextò, ad Cœnæ actionem pertinet etiam professionis constantia: adeò vt nos totos Deo offeramus, etiam corpora nostra illi consecremus. Primùm emendatione vitæ: deinde tolerantia in aduersis, illa hostia sanctissima Domino est: & sacrificium hoc rectè dici liquet, ad Rom. 12. *exhibete corpora vestra, hostiam viuam, sanctam Deo.* Viua hostia sunt corpora nostra Deo, cùm illi consecramus nos vt templum Dei simus. Illa dicitur mortificatio carnis, & regeneratio in nouum hominem, qui secundùm Deum viuat.

Demum, vt sacerdotes propriam sui muneris habeant hostiam, vel oblationem, ac sacrificium. Meminerint sui muneris esse, multos Domino adducere, lucrifacere Domino omnes, in primis incredulos ad Deum conuertere, dissolutè viuentes suo exemplo emendare. Cuius rei exemplum habent in Apostolis, qui in conuertendis Gentibus corpora sua mactanda obtulerunt, sanguinem profuderunt, vno Ioanne excepto qui dicitur naturali morte decessisse. De hoc genere sacrificij loquitur Apostolus de suo munere Apostolatus ad Rom. 15. vers. 16. *vt sim*

minister

minister Iesu Christi in Gentes, administrando Euangelium Dei, vt hostia Gentiũ fiat accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Hanc meminerint verè esse Euangelicam liturgiam.

Euãgelica liturgia.

Hæc membra liturgiæ in Cœna Domini piissima sunt, imò necessaria, sine quibus etiã Cœna rectè administrari non potest: sed vide quàm competant sacrificio pro viuis & mortuis. Eleemosyna pium est sacrificium, sed ab omnibus fidelibus confertur: deinde egentibus Christi membris. Hodie oblatio est, sed sacerdos totam oblationem tanquam prædam ad se trahit & retinet, non hinc iuuantur pauperes.

Eleemosyna piũ est sacrificium.

Diaconi panem & vinum proferebant ministro recitanti preces Domino, & benedicenti omnis præsentibus: hoc totum iam in consecrationem quandam conuersum est. Sacrificium laudis quoque totius est Ecclesiæ, non solius ministri. Memoria vnici sacrificij Christi ab omnibus fidelibus celebratur, vt ne hic peculiare quiddam habeant sacrifici. Sacrificium cordis & spiritus omnium est, & vtinam hoc seriò immolaretur à sacerdotibus. Sacrificium corporum nostrorum quoque necessarium est, & omnium fideliũ. In his omnibus nihil singulare habet minister: solum vltimum, nempe sedulitas & studium docendi & conuertendi Gentes, propriũ est sacerdotis. Istas hostias Domino afferre potest pietate vitæ, doctrinæ dexteritate & assiduitate: quod auditores reliqui non possunt. Isti hirci sunt, & arietes, tauri ac vituli Domino mactandi.

DE ORATIONE.
LOCVS LXXII.



DE Oratione hîc nobis agendum est: cùm sit præcipuum pietatis ornamentum, & domino Christo tanta diligentia nobis vbique commendetur. Præcipuè verò Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Porrò sermo noster ad ista tria refertur.

Primùm quid sit oratio. Vtile enim est iuuenes sæpius de rerum definitionibus admoneri.

Deinde quæ sint eius in sacris literis species.

Tertiò vnde fluat oratio, seu quibus de causis ad orandi sedulitatem incitari debeamus.

Primùm igitur sit nobis Oratio ardens & serium animi cum Deo colloquium: quo tum pro acceptis beneficiis gratias agimus: tum futuram etiam beneficentiam eius per Christum mediatorem imploramus. Non multum ab hac definitione diffidet græca illa explicatio. Oratio est, ὁμιλία σπουδαία τῆς ψυχῆς πρὸς τὸν Θεὸν μεθ' ἱκεσίας, βοήθειαν ἢ ἀγαθῶν δέησιν περιέχουσα, id est, est collocutio cum Deo profecta à intento animi studio cum supplicatione qua quæ bona sunt petuntur. Definitiones satis illustres sunt. Rem enim propriè & dilucidè explicant. Præterea rei conueniunt aper se.

Quid sit oratio.

Ac scholasticã quidẽ declarationẽ hîc relinquo. Nam vestræ illud diligentiæ commendo, examinare genus & differentias definitionis: sed de partibus eius quę pietatis negotiũ spectant, pauca agemus. Primùm definitiones docent, quid nos ad orandũ afferre deceat. Vtile sanè scitu est, nostras hic partes excutere, vt scias qualẽ te inter orandum esse deceat. Id hinc discis, quòd definitio habet, orationẽ esse ardens & serium animi colloquiũ. Et Græcè σπουδαίαν ὁμιλίαν τῆς ψυχῆς. i. vehementẽ animæ collocutionẽ cum Deo. Quare cum ardore, & cum spiritu orandũ est. Non oportet tepidã vel frigidã esse aut spiritu carere orationẽ. Hinc Christus apud Matth. 21. *Quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Vult enim suos cum fiducia impetrãdi orare, in ídq; toto pectore, magnóq; spiritus ardore incumbere. Tales sunt omnes iustorũ orationes. Sic orat Moses ad mare rubrũ. Exod. 14. Sic Anna. 1. Sam. 1. Sic Iosua Ios. 10. Sic Elias, Helisæus. Deinde docemur ex hac definitionis parte, in quo potissimũ consistat oratio fideliũ, nimirũ in spiritu. Nã est animi colloquiũ, & ὁμιλία τῆς ψυχῆς. Quare non refert, quantùm afferas verborum, sed quantùm spiritus, quantùm animi adhibeas. Ioan. 4. dicitur, *Deus spiritus est. Itaque spiritu colendus & adorandus est.* Fiet igitur oratio optimè etiam sine verbis: sed animi ardore. Sic Moses audit, *Quid clamas ad me?* Exod. 14. Cùm tamen non legatur illic quicquam dixisse. Et Annæ vox non audiebatur, cùm oraret. Hinc Christus Matth. 6. iubet nos ingredi in conclaue & occluso ostio orare. Penetralia sunt cordis in quo spiritus orantis est excitandus. Ostium oris est: quod clausum esse potest. Nam de oratione iudicare debemus, vt de nummo, qui eò est præstãtior, quantò in minori materia plus habet ęstimationis & ponderis. Hinc modicus aureus nummus magno argẽteo præfertur. Sic oratio censenda est præstantissima, quæ paucis verbis plurimùm habet spiritus. Hinc inconcinnæ fermè sunt piorum orationes & gestus. Anna temulenta habetur. Verbis tamẽ opus est interdum propter circumstantes, cum orationes publicæ fiunt. Propter nos ipsos etiam quandoque, cùm priuatim oramus, ad excitãdos nos, ad confirmandos nos, alioquin dominus verbis non indiget, nouit etenim priusquam petamus, quibus opus habemus, Matth. 6.

1. Quales nos esse oporteat in orãdo.

2. In quo consistat vis orationis.

Simile.

Verba in oratione.

3. Qui inuocandus. Altera definitionis pars est de obiecto, hoc est, ad quē dirigi debeat fidelium oratio. Solicitos habuit illa quæstio iam pridem multos, sed præter rationem. Nam sacræ literæ disertè ostendūt Deum creatorem cœli & terræ inuocandum. Hinc ex eisdem conflata hæc definitio ait, Colloquium hoc esse cum Deo, & Græcè ὁμιλίαν πρὸς τὸν Θεόν. Nam Christus Matth. 6. *ait, Ora Patrem tuum, qui est in occulto.* Et mox formulā præscribens dicit, *adhunc ergo modū orate vos: Pater noster, qui es in cœlis,* &c. Et apud Ierem. 29. ait Dominus, *Inuocabitis me, & viuetis.* Et Dauid inquit,

Psal. 115. *Nomen Domini inuocabo.* Item, Psal. 74. *Inuocabimus nomen tuum.* Quare oratio nostra dirigi debet ad Orationes nostræ dirigi debēt ad Deū patrem. Deum Patrem, tum quia ita mandauit Deus, tum quòd omnium fidelium exemplo sic docemur inuocare. Abraham, Isaac, Iacob, sic leguntur inuocasse nomen Dei æterni. Sic Prophetæ, sic pij Reges & Patriarchæ. Et in nouo testamento sanctorum orationes ad Deum referuntur secundum preceptum Domini. Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, eique soli seruies.* Sic orat Maria, sic Zacharias, ita Simeon. Christus etiā quoties orat, suspiciens fermè ad cœlos compellat Deum patrem. Sic pascens turbas, sic in horto, sic in cruce facit.

3. Accedit istis ratio, quæ hoc etiā dictat. Nam vtique inuocandus est is qui & potest, & vult & nouit rationes iuuandi, qui etiam intelligit miserias nostras. Talis autē solus est Deus, omniscius, omnipotens, φιλάνθρωπος, miserator, & vt Ionas inquit. cap. 4. *El chanun Deus gratiosus. verachum & miserator, Erec apaiim,* longus ad iram, *verab chesed, & multæ miserationis, venicham gual haragua,* & *pœnitens de malo.* Solus itaque inuocandus est Deus. Huc pertinet locus Esa. 43. *Ego sum, ego sum, nec est præter me saluator.* Cadit hîc omnis sanctorum inuocatio. Nam de

Cur sanctorum inuocatio sit reiicienda. illa nullum extat præceptum, nullum etiam dari potest in Canonicis literis exemplum. Contrà multis locis carpitur ille cultus sanctis collatus, vt Rom. 1. *Coluerunt condita supra conditorem.* Et in Decalogo: *Non adorabis deos alienos.* Item. *Non facies tibi sculptile.* Adde sancti in vita temporali id non docuerunt, nec eos honores sibi deferri ęquo tulerunt animo. Vt de Petro in Actis. 10. *Cornelium erigit, & se etiā hominem, hoc est, indignum adoratione fatetur.* Sic Paulus & Barnabas Lystris, Act. 14. Confirmemus ergo mentes nostras in vera inuocatione, & cogitemus Deum patrē per filium de omnibus inuocandū & salutandum esse, contra mundi idolomaniā.

Expositæ sunt partes definitionis præcipuæ. Nam quæ in ea sequuntur ad diuisionem pertinent. Itaque de ea nunc agemus.

II. Diuisio. Publica. Dixi secundo loco nos acturos de orationis speciebus, quæ in sacris literis reperiuntur. Ac duplex quidem eius hîc nobis occurrit diuisio. Nam cùm ad exempla orantium respicimus, reperimus duplicem orationem. Aliā publicam, aliam verò priuatam. Nam Act. 20. Paulus cum Ephesinis senioribus orat in publico cœtu. Et Act. 1. in electione Matthæi preces fiunt publicę, Act. 5. septem diaconi cum oratione eliguntur. Sic Act. 13. Paulus & Barnabas peractis precibus publicis mittuntur ad gentes. Sic Act. 4. Vnanimiter tollebant vocem ad Deum dicentes, Domine, &c. Huc accedit præceptū Apostoli. 1. Timoth. 2. *Adhortor vt ante omnia fiant deprecationes* &c. *Pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus in eminentia constitutis, vt placidā & quietam vitam degamus in omni pietate & honestate.* Eodem facit locus 1. Cor. 14. de precibus publicis in lingua nota instituendis, *vt idiota etiam possit dicere Amen,* ad tuam gratiarum actionem.

Priuata. Priuata oratio est, qua singuli priuatim domi, vel foris vtuntur in penetralibus pectoris sui. Ad hanc orationis speciē pertinet præceptum Domini Matt. 6. *Tu verò cùm oras introito in conclaue tuum, & occluso ostio tuo ora patrem tuum.*

Cæterùm priuata oratio causam tractat vel priuatam, sic Dauid orat *pro salute infantis,* & *Anna contra probrum sterilitatis.* Sic Ezechiel, priuatim orat pro salute populi. Esa. 37. Moses pro populo ad mare rubrum contra Pharaonem, Exod. 14. Et Ieremias pro populi reliquiis, &c.

Et Iudæos pro imperio Babylonico orare iubet Ieremias 29.

Contrà etiam oratio publica causas priuatas etiam complectitur. Sic pro infirmis, pro moribundis preces fiunt, pro captiuis, pro fratribus, qui in persecutione consistunt: pro fidelibus Ecclesiæ doctoribus, pro principibus & magistratibus frugi, qui hospitia Ecclesiæ liberaliter & fideliter suppeditant.

2. Diuisio. Sic quidem differt oratio sanctorum, quoties ad exempla respicimus. Alia est eius partitio à materia sumpta rerum earum, quæ in orationem cadunt. Quò pertinet locus 1. Timoth. 2. Adhortor igitur, ante omnia fieri δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις εὐχαριστίας. i. deprecationes, preces, postulationes, gratiarum actiones. Dominus Christus apud Matth. 6. vtitur verbis προσεύχειν & αἰτῆσαι, & cap. 7. αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν. i. petite & dabitur vobis. Hinc Philip. 4. αἰτήματα re-

Alia diuisio orationis. censentur. Et quanquam hę voces promiscuè videantur sumi: tamen non est obscura in eis differentia. Eam ergo paucis considerabimus. Omnis oratio ad Deū vel est αἴτημα, vel εὐχαριστία petitio vel gratiarum actio. In priori boni est comprecatio vel mali deprecatio, tum pro se, tum pro aliis. In posteriori accepti beneficij est gratiarum actio. Ad αἰτήματα pertinent, δέησις, προσευχή, ἔντευξις.

Δέησις. Δέησις est supplicatio aduersa deprecantis. Ἱκετηρία ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινὸς λυπηροῦ. Sic Apostolus 2. Thessal. 3. iubet pro se orari, *vt eripiamur,* inquit, *ab absurdis ac peruersis hominibus.* Et Rom. 15. *Obsecro vos vt adiuuetis me laborantem precationibus pro me apud Deum.* Deinde est etiam δέησις simpliciter rerum necessariarum supplicatio, Αἴτησις δεομένου. Complectitur illa orationis for-

forma omnem penuriam hominis,tum corporalium rerum vsum necessarium : tum spiritualium etiam egestatem. Sic δέησις est oratio ἀξιοῦντος ὁ ἀρνηθῆναι αὐτῷ ὧν ἐνδεής ἐστι qua petitur quicquid est necessarium. Ita pro sanitate oramus,consolationem à Domino petimus in afflictionibus,victum & amictum,sine quibus vita hæc conseruari non potest.

2. Εὐχή.

Εὐχή, videtur significare propriè orationē pro bonis vtilibus, αἴτησιν ἀγαθῶν ἀνθρώποις. Sic in præsens & futurum, beneficia Domini postulamus.

3. Προσευχή.

Προσευχὴ autem oratio est pro illustranda gloria Domini, pro cognitione veritatis propaganda, hominis deuoti est καὶ νενέοντος τὸ ἀξίωμα τῷ θεῷ. Et quia hic primarius scopus esse debet omnis orationis, hinc sacræ literæ προσευχὴν solent appellare fidelium intermissiones & deprecationes. Nam pia mens ita constituta est, vt in primis Dei gloriam respiciat inter orandum, vt illustretur nomen eius. Deinde molestias suas & fratrum, domino proponat, sese effundat in sinum domini.

4. Ἔντευξις

Ἔντευξις dicitur quoties de iniuria illata conquerimur, Domino vindictam committimus, interdum etiam sollicitamus εἰς ἐκδίκησιν.i.ad vindictam vt in Dauide aliquoties est videre. In hac salutem nostram vel fratrum domino commendamus, & iniuriæ vltionem contra improbos apud dominum deponimus. Hæc omnia in oratione habent futuri considerationem, & præsenti vel bono vel malo excitant orantis affectum.

5. Εὐχαριστία.

Εὐχαριστία bonorum præteritorū est commemoratio. Habet illa beneficij agnitionē, confessionē, & laudem diuini nominis, quod est grati animi singulare testimoniū. Hoc sacrificiū laudis, est appellatū à Dauide, quòd Dominus singulariter hoc delectetur & à suis id postulet. Psal.49.

III Causæ impellētes ad orādum. 1. Miseria.

Hactenus expositæ sunt vtcunque orationis quædam species. Superest vt etiam expendamus causas, quæ nos ad ardentem & indefessam orationem compellere debent. Inter has primum locum habet meritò miseria nostra. Nam circunstant nos non solùm fames, sitis, morbi, pestis: sed alia etiam mille pericula. Denique ipsa mors terminus miseriarum. Quæ singula nos admonent, quàm nihil sit in nobis præsidij : quàm parum efficiat medica ars : quàm vana sint consilia humana: & ipsa ratio humana quantùm cæcutiat in veris angoribus. Confugiamus ergo ad Deum ardenti oratione.

2. Hostis grauis.

Accedit ad has miserias nostras, astutia Satanæ: qui circuit vt leo, & insidiatur nobis in singula momenta vt rapiat, vt laceret, vt perdat. De quo 1. Petr. 5. Quantùm autem possit, vel nomen eius declarat. Diabolus ὁ δυνάμενος διαβάλλειν, καὶ τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιεῖν, qui conuitiari, & ex amicis inimicos facere potest. Huius ingenij tyrocinium fecit in Adamo, quem ab amico Deo auulsit per transgressionem. Satan verò osor, & obtrectator dicitur, *Satan* Hebræis est dolorum præuaricator. Has artes decipiendi, & præuaricandi multis seculis tractauit. Est præterea vigilans, valet ingenio & viribus, vt rectè dicatur mille artifex. Quem nisi dominus compescat, actum de nobis esset. Quare oratione vigilanti resistamus illi. Hinc videtur Apost. Ephes. 6. panopliæ Christianę subiecisse orationem, vt intelligeremus quantus noster esset hostis, & quibus armis repellēdus esset. Quē locū hîc diligenter expēde.

3. Mandatum Domini.

Tertiò, consideretur etiam mandatum Dei iubentis & præcipientis orare. Matth. 7. *Petite & dabitur vobis*. Et Luc. 18. Parabola iudicis eò spectat quòd oporteat semper orare, & non defatigari. 1. Thes. 5. *Indesinenter orate, & in omnibus gratias agite*. Pertinent huc testimonia tum de Deo præcipiente orationem, tum de Apostolis & Prophetis idem mandantibus fieri.

4. Vtilitas.

Quartò, ad eandem inuitat nos ipsa rei vtilitas. Primùm enim oratio omnia nobis reddit leuiora, vt maiori cum patientia dominum expectemus, & plus illi fidamus. Deinde voti compotes per illam reddimur. Nam & corporalia & spiritualia beneficia per eam à domino impetramus. Habes exemplum Mosis orantis & impetrantis maris diuisionem. Exod. 14. Elias orando impetrat pluuias. 1. Reg. 17. Iacobus cap. 5 *Orate pro vobis inuicem, vt sani sitis, multum enim valet deprecatio iusti efficax*. Huc pertinent alia quæ scribuntur de effectis orationis.

5. Promissio exauditionis.

Quintò, promissio exauditionis. Non enim simpliciter iussit orare nos: sed addit spem quòd velit nos exaudire. Mat. 7. *Petite & dabitur vobis*. Et Mat. 6. *Iubet clàm orare, ac promittit quòd Pater cœlestis persoluturus sit palàm*. Sic Ierem. 29. *Inuocabitis me, & ego exaudiam vos*.

6. Exercitium fidei.

Sextò, exercitium quoddam est fidei. Nam cùm subitò non dat quæ petimus, vult nos instare, fide non deficere, patienter perseuerare donec det. Dabit autem si ad gloriam nominis sui fecerint: si ad Ecclesiæ suæ vtilitatem: si ad animæ nostræ salutem. Et dabit tum demū, cùm opportunū erit, cùm vtilissima, cùm gratissima erunt. Itaque si non obtineamus alterum ex his, debemus statuere, aut non expedire nobis & proximo, vt obtineamus : aut hoc tempore nondum expedire, velle nostrā alere fidem, vt appareat quàm seriò, quanta constantia, quanto cum ardore oremus. Idcoque perseuerandum nobis est, semper ea conditione addita, si fecerint ad nominis sui gloriam: si ad proximi vtilitatem: si denique ad animæ nostræ salutem.

7. Exempla piorum.

Septimò, exempla piorum nos ad sui imitationem prouocare debent. Veteris Testamenti sancti viri in omnibus afflictionibus precibus ad dominum confugerunt. Idem in nouo obseruare possumus. Vt in Act. 1. 4. 12. Et in Euangeliis Christus ad Deum Patrem vbique preces fundit: ante passionem, deinde in horto, & in cruce. Quare ad Christi summi sacerdotis imitationem, & Patriarcharum ac Apostolorum exemplum opera nobis danda est, vt in omnibus tum secundis tum aduersis ad Deum per preces confugiamus.

3. Propter posteros.

Denique eò maiori studio in id debemus incumbere, vt posteritatem ad preces inuitemus. Nam vt maioribus nostris hoc nomine multùm debemus, quòd in ipsa barbarie nobis conseruarunt veram inuocationem Dei Patris per Filium, & mediatorem Christũ: sic idem beneficium posteris relinquamus. Vt nostro exemplo discant quis sit inuocandus, & per quem. Sciamus igitur non solùm peccare nos in nos ipsos non orando, sed in ipsam posteritatem, cui pia illa exempla & honestissima exercitia, quantum in nobis est, subtrahimus. His & similibus rationibus excitemus nos ad preces: vt serio, ardenter & constanter oremus.

Materia orationis.

Porrò materia orationis ab ipsa occasione & ratione temporis offertur. Perpetua tamen est orandi materia pro rerum spiritualium successu & incremento, vt pro pietatis & religionis propagatione, pro concordia & pace imperiorũ sub quibus viuimus: pro pace domestica, sine quibus militaris Ecclesia nõ benè subsistit. Atq; illa quidẽ simpliciter à Deo oranda sunt.

Quæ sunt simpliciter à Deo petenda.

Externa bona petenda sunt conditione interposita.

Externa verò reliqua petenda sunt à piis conditione interposita, si ad gloriam nominis Dei, si ad vtilitatem proximi, si denique salutẽ animæ nostræ non impediant. Sic diuitiæ, sic sanitas à domino postulanda est. Quæ autẽ ab humanitate aliena sunt & proximo nocent, aliena esse debẽt à fideliũ precibus. Quales sunt Oedipi preces in tragœdia καλχῷ διελέσθαι τοὺς υἱούς. i. dissindi natos ferro. immanis est illa vox, & monstrum naturæ arguit. Rectè monuit in hac parte Menander, cuius versiculus esse dicitur. Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος ὁ θεός. iustas preces nunquam non audit Deus. Honesta igitur & iusta petamus & obtinebimus, petamus autem per Filium.

Forma orationis.

Nam ita institui debet oratio, vt ad Deum patrem dirigatur, quia adorandus est per Filium. Inde inquit saluator, Ioan. 16. *Amen Amen dico vobis, quæcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis. Hactenus non petiistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit perfectum.*

2. Finis.


2. Finem illius statuamus ἀξίωμα Dei, hoc est, gloriam nominis eius. Vtilitatem proximi, nostrum etiam commodum. Sic Anna sobolem petit: leprosi sanitatem: cæci visum a Christo orant. Salutem animarum in primis respiciat. Sic latro in cruce misericordiam quærit & impetrat à Christo.

Pia oratio.

Æterne Deus Pater cœlestis, gratias tibi agimus, pro immensa tua erga nos miseros clementia & bonitate, qua nos à pueritia prosecutus es. Rogamus etiam te ne pro magnitudine delictorum nostrorum nobiscum agas, da veniam peccatis nostris misericors Deus. Da pacem domesticam, tranquillitatem Reip. nostræ hospitium Ecclesiæ tuæ vbique gentium dispersæ, sanam mentem contuberniis literarum, quæ corrupta sunt malis moribus & enormi negligentia, omnibus sedulam officij sui & piam exercitationem, vt omnes reddamur εὔεργα organa Ecclesiæ tuæ cœlestis per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DE ADORATIONE.

LOCVS LXXIII.



CHRISTVS de Adoratione interrogatus, tria explicat. Primùm quis sit adorandus. II. Vbi sit deinceps adorandum. III. Quomodo sit adorandum. His addemus quartum, quis scilicet sit huius vocis vsus in sacris literis, atque ab hoc postremo rem exordiemur.

Ratio nominis.

I. Adorare Latini vocant deuotè aliquid colere, vt non solùm in eo sint gestus externi, sed animi quoque affectio addicta ad seruiendum. Græci προσκυνεῖν incuruare dicunt magis de gestibus externis, & quia in adorando demittunt corpora ad terram, nihil nõ Deo oblaturi tanquam superiori. Idem apud Hebr. *Schacha* significat, prosternere, scilicet sese toto corpore ad terram: quam rem eleganter explicat, R. D. Kimhi, in Psal. 95. explicans versum sextum, *Bou, nischtachaueh, venikreak, niurecah.* Vbi harum vocum discrimina sic explicat: *Nischtachaneb*, inquit, significat prostrationem totius corporis in terrã, extensionẽ manuum & pedũ. Cùm *Keria* sit capitis inclinatio cum parte corporis. *Beracah* autem, genuum inclinatio ad terram. Ita quidem *Berech* significat, in genua procumbere. *Kara* verò caput denudare. *Schacha* autem pro toto corpore ad terram se prosternere.

Adoratio triplici modo exhibetur.

Hac adorandi consuetudine Scriptura triplici vtitur modo. Primùm pro ciuilitate debita, quæ solet exhiberi principibus, regibus ac in genere in dignitate aliqua constitutis: sic Gen. 23. *Abraham adorat filios Heth* .i. ciuiliter ac pro more gentis honestè defert honorem, tanquam superioribus & terræ illius tum dominis. Gen. 27. Isaac benedicens Iacobo ait, *adorent te filij matris tuæ*. i. superiorem agnoscant, & tibi seruiant. Gen. 33. Iacob fratrem Esau septies ad terram adorat. Gen. 37. manipuli fratrum dicũtur adorasse Iosephi manipulum: & ibidem sol & luna Iosephum ipsum adorasse videntur. 1. Sam. 20. Dauid Ionathæ hunc defert honorem. 1. Sam. 25. Abigail Dauidi.

Hic mos peccato caruit, quandoquidẽ sancti eo sunt vsi, & sibi idẽ honoris deferri passi sunt:

Dauid

Dauid eo vsus est erga Ionathan,& se ita adorari passus. Daniel similiter à rege Nabuchadnezar.vt est Dan. 2.Et vt refert Iosephus Alexander Magnus Ioiada sacerdotem Ierosolymis sic salutauit. Deinde consuetudo hæc nullibi à Scriptura damnatur. Fuisse autem publicam consuetudinem,ostendi potest,quòd præter exempla allata ex sacris literis,Gentilium historiæ testantur,Persarum, Medorum,ac Indorum populos suos reges solitos fuisse sic salutare.

Alexander Magnus Ioiada sacerdotē Ierosolymis adorat.

Apud Xenoph.lib.8.Pædiæ,Persæ Cyrum adorant.

Orientalium hic mos fuit,ac vitio carere potuit:Europæis non ita familiaris. Nam Græcis non fuisse consuetum satis indicat Ismeniæ Thebani historia, qui cùm deberet, Artaxerxem adorare Persico more,annulum in terram abiecit, cúmque tollendo simulauit speciem adorationis.Et Lacones apud Herod.in Polymnia testantur apud ipsos non esse moris adorare hominē.Romanis erat satis honoris de via cedere,genu flectere, aperire caput, de nomine salutare. Hinc principes ipsi secum habebant suos nomenclatores, qui de nominibus ciuium admonerent,vt salutando nomina exprimerent,quod vicissim ciues principi præstabant.

Neque Græci neque Romani Orientalium ciuilem adorationē sunt imitati.

Tandem ambitiosi principes aliunde hunc morem Reip.pessimo induxerunt exemplo:qualis fuit Calligula, Diocletianus, alijque:ac sensim eò processere temeritatis vt diuinos palàm honores inter homines affectarent. Hinc ortam puto consuetudinem, vt Romæ Pontifici osculum præbeant etiam principes,procumbendo ad terram,ac vt maior videatur,pedem osculantur,quæ res excusari non potest.

Qua forma adorationis Papa salutetur.

Secundo loco Adoratio sumitur non pro ciuilitate sed pietate:sed quæ iudicio pio destituitur,& habet in se falsum cultum.Hæc species adorationis palàm est interdicta passim.Deut.17. *qui adorat solem vel lunam lapidibus obruatur.* Deut. 30. *si adoraueritis deos alios pereundo peribitis.* 1.Reg.11.Salomon adorauit Astaroth deum Sidoniorum. 2. Reg.17. inter causas ponitur deleti regni Iudaici, quia *adorarunt militiam cœli.* Huc pertinet locus de Idololatria, quæ passim est prohibita,vt Exod.cap.20.& 23.Psal.80.Deut.5.

Adoratio superstitiosa.

Tertiò,Adoratio vnius & veri Dei cultum significat,in quo non solùm animi sit pia affectio: sed externi quoque ritus & gestus.Gen.22.dicit *Abraham se cum puero velle in monte adorare, ac redire ad seruos,*hoc est,diuinum obire cultum.Exod.33.*Populus adorat ad ostium tabernaculi sui, dum Moses cum Domino loquitur in tabernaculo Dei:* sic Ioan. 12. Græci Ierosolymis sunt qui volunt adorare,& cupiunt videre Iesum,&c.Hæc postrema adoratio huius est loci. Prima pertinet ad locum de salutationibus & consuetudinibus deferendi superioribus honorem debitum. Altera ad locum de Idololatria.Tertia demùm huius est propria.

Vera Adoratio.

Ex his iam constituamus de defi nitione veræ & sanctæ adorationis.

Adoratio est cultus,quem Deo debemus gratis animis cum inuocatione auxilij, & fiducia exauditionis,externis quoque gestibus competenter adhibitis,non superstitiosè.

Definitio sanctæ adorationis.

Definitio bona est:complectitur enim veræ Adorationis partes principales. Sunt enim in Adoratione quædam internæ partes,aliæ externæ.Internæ ad substantiam adorationis pertinent:vt est primùm scire quid inuoces,Deum scilicet verum,ne pro Deo idolum colas.Oportet igitur primitus certos esse de obiecto,quo referatur tota adoratio. Deinde in mente adorantis oportet esse persuasionem potentiæ Dei quòd scilicet possit te iuuare, alioquin frustra auxilium implorabis,aut certè languida erit adoratio. Tertiò accedit fiducia,quòd velit etiam te iuuare & exaudire.Quartò demum gratitudo animi ob beneficia accepta, & quòd agnoscimus hunc cultum placere Deo,quem nos ex officio illi offerimus. Hæc interiora sunt, & animum in adoratione erigunt & inflammant.

Quatuor sunt internæ partes veræ adorationis.

Partes accidentales sunt,quod addimus de gestibus externis,non superstitiosè adhibitis. Nam licet pij adorent Deum in silentio,& nulli appareant gestus:tamen pro re obiecta, non illos negligunt:vt est genu flectere, complicare manus, aperire caput. Accedit interdum ieiunium,vigiliæ,lachrymæ,vultus demissio,gemitus & similia.Exemplo nobis est ipse Saluator Dominus Iesus Christus.qui in horto orans Patrem, in terram procumbit, ad sudorem orat, aliàs montes & solitudines petit,perdurat totis noctibus in oratione:Hunc morem etiam sequuntur sancti homines & serui Dei:sic videmus orasse Mosem,Heliam,aliósque Prophetas.

Externæ partes.

Interea dicimus non oportere illa superstitiosè adhibere, quale hodie fermè est, quòd expansis brachiis orant, aut cilicio inuoluti,cereis adhibitis,in terrā corā imaginibus procumbunt,noctu certis horis,certo loco,certus precum sit numerus,quæ omnia superstitiosa sunt & cauenda.Huc pertinet quòd Apostolus *præcipit viros aperto capite orare ,mulieres verò tecto capite.*1.Cor.11.

Ritus in oratione superstitiosi.

Hæc partitio adorationis partes complectitur.Est & illa diuisio non inutilis. Adoratio alia ciuilitas quædam est:alia pietatis cultus.Pietas autem vel vera,vel falsa.Veræ pietatis cultus est Adoratio vera ad Ecclesiam Christi pertinens.Falsa adoratio, diuersas complectitur idololatriæ species:alij enim adorant imagines hominum,alij heroum,alij spirituum,alij dæmonum, alij animalium,alij solis,lunæ,stellarum,&c. Quidam etiam plantas,lapides, arbores & quicquid peperit superstitio inter homines alienos à Deo.

Variæ species adorationis.

II. Superest vt consideremus, quis sit adorandus. Hæc quæstio ex Scriptura optimè soluitur.Deuter.6. *Dominum Deum tuum adorabis,& illi soli seruies* : qua sententia Moses docuit ex

deberi adorationem, qui sit Deus tuus. Iam ipse constituas tecum, quis sit Deus tuus: is qui te formauit, qui conseruat, qui vitæ & mortis in te habet ius: hunc igitur solum adorare debes. Sic Christus Satanam repellit, Matt. 4. & Angelus Apocal. 19. Ioanni dicit *Deum adora*. Apoc. 4. *viuentem in secula*: ibidem, *qui fecit cœlum & terram*. Hic verus Deus est, quem in veteri Testamento sub nomine Iehoua Patriarchæ adorarunt, quo exprimebant Deum à nullo habere essendi principium, sed à seipso existere: deinde quòd aliis rebus omnibus author sit existendi. Dicitur *Deus Patrum nostrorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob*. Exod. 4. Deus *qui eduxit Israel ex Ægypto, qui fecit cœlum & terram*. His & similibus notis, discernitur ab idolis Gentium, quæ pro diis culta, Deus non erant. In nouo Testamento idem Deus nobis adorandus proponitur nomine Patris cœlestis, vt Matth. 6. Luc. 11. Ioan. 4. *veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*: sic Christus in horto ad Patrem clamat, & in cruce Patrem appellat.

Deus vnus quē patres adorarūt, proponitur in nouo Testamento, idem nobis adorādus nomine Patris cœlestis.

Hic quæri iam solet, solúsne Deus ita sit inuocandus & adorandus, vt sancti non sint adorandi?

Respondemus simpliciter, non esse omnino adorandos. Ratio est, quia solus Deus adorandus est: sancti autem cùm Deus non sint, facilè patet eos non esse adorandos.

Deinde nullum de hac re extat præceptum. Nam in religionis negotio oportet inniti verbo Dei: iam cùm testetur Scriptura solum Deum esse adorandum, nec sit addita huic legi exceptio, non est committendū vt nos legem mitigemus, quam Deus ipse ridigè à nobis seruari vult.

Inuocatio sanctorum caret exemplo in scripturis.

Accedit quod res ista exemplo caret in vtroque Testamento. Patriarchæ non adorarunt Adamum aut Noachum, sic Prophetæ non inuocant Patriarchas: sed Deum Patriarcharum, Deum Patrum suorum. Sic in nouo Testamento, Apostoli non inuocant Prophetas, Martyres, non Apostolos, sed Deum Patrem per Iesum Christum: non debet igitur hæc adorandi formula mutari.

Demum transfert hæc Adorationis species honorem à Deo vero ad creaturas: ac, quod solius Dei est proprium, communicat sine Dei iussu, cum creatura: quod manifestam habet impietatem.

Sancti absentes in cœlo, non audiūt preces mortalium.

Primùm enim in adoratione sanctorum, tribuunt illis quòd absentes ipsi, preces mortalium audiant: quod pertinet ad omniscientiam Dei, is solus nouit omnium vota, audit, videt, nouit, quid vbique in rerum sit & fiat vniuersitate. Sed dicunt: audiunt & norunt preces nostras non per se: sed quia Deus illis reuelat, & patefacit. Respondens hoc esse principium petere, hoc enim Scriptura non docet: ac mirum est, vnde hoc illi habebant: Scriptura disertè testatur de Deo, quòd sit Deus zelotes, honorem suum nulli alteri communicans. Adde, si sancti non aliter norunt vota nostra nisi Deo reuelante, quæ est nostra ergo stupiditas, vt non potiùs ipsum Deum, qui per se nouit, quàm sanctos inuocemus?

Papistæ omnipręsentiam sanctis tribuunt quæ soli Deo cōpetit.

Deinde tribuitur etiam ipsis sanctis Omnipræsentia: quòd in diuersis locis vno & eodem tempore adsint. Inuocatur vno & eodem tempore in mille locis Dominicus, Maria virgo, Franciscus, Christophorus, &c. idque citra omne discrimen: Germani sibi præsentem fingunt, Hispani apud se præsentem, Angli sibi præsentem: nónne illud est ex creatura Deum facere? Scriptura soli Deo hanc vim tribuit, vt est Psal. 139. *quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Atque hoc ita præcisè Dei est, vt ne Angelis competat aliud, quàm vno tempore in vno solum esse loco præsentem. Et de anima Christi scribit Augustinus, quòd in vno loco sit: secundùm diuinitatem in cœlo erat: secundùm corpus in sepulchro, anima verò apud inferos tempore mortis. Non igitur caret magna impietate sanctos ita euehere, vt in mille locis & ampliùs, præsentes esse possint simul & semel.

Tertiò & illud impium est, quòd illis simpliciter tribuitur vis & facultas iuuādi, quasi opem ferre possint: & sufficere tot adoratoribus. Solus Deus est *Schadai*, hoc est, per se ipse sibi sufficiens: sancti non sunt per se sibi sufficientes, sed Dei virtute sunt, quod sunt: ideóque honos ille malè eis defertur. Nec admittimus quod hîc excipiunt, Deo permittente eos iuuare posse: nam Deus honorem suum non dat alteri: illi manent creatura & subiecti Deo, nec ostendi potest ex Scripturis, quòd Deo placeat hic cultus: cùm igitur de voluntate Dei incertus sis, qua fide potes sanctos adorare? Argumentum est te diffidere Deo, aut quòd non sit ad te iuuandum sufficiens, aut quòd sancti sine Deo aliquid possint. Vtrunque sentire impium.

Argumētum vile ima.

Iamblici sententia alibi est, nihil esse quod omnia adorēt, vno excepto: hic vnus solus & verus est Deus, quem tota creatura colit & adorat: hūc igitur adorare solum debemus. Præterea statuere intermedia quædam numina, est Dei gubernationē distrahere, quasi diuisum illi cum Ioue imperium habeant, quod Ethnici scriptores etiam damnarunt. Aristoteles vnitatem Dei tandem hinc colligit, quia multorum dominatio non sit bona, εἷς κοίρανος ἔστω.

Vnde colligat Aristoteles Dei vnitatem.

Sed respondent hîc: sanctos ab ipsis adorari non eo modo quo Deus colatur & adoretur: quod cùm debent explicare, hos nobis adorationis proponūt gradus. Deum adorari principaliter tanquam creatorem, Sāctos & Angelos quasi organa salutis & cooperarios, Mariam virginem, vt reginā cœli, cui Filius nihil deneget. Hinc illa manauit partitio adorationis, vel cultus: Latria, Dulia & Hyperdulia. Latria ad Deum pertinet. Dulia dicitur cultus, quo Angeli & sancti coluntur, Hyperdulia cultus, quo adoratur Maria virgo & Humanitas Christi.

Papistica partitio

Respon-

Respondemus, pridem hanc distributionem confutatam à Valla & Viue, de quo vide Augustinum de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 1. & adiectas annotationes Viuis. Et res ipsa clamat discrimen hoc non obseruari à sacris literis. Nam Dulia etiam est, quæ Deo debetur, hinc Apostolus frequenter se δοῦλον Dei vocat, & contrà Latria, seruitus quæ homini præstatur, & nominatim propter mercedem: sed illa sinamus. Illi qui hanc distinctionem introducũt, eam non seruant. Nam sanctos ita adorant, vt præter Dei nomen omnia illis tribuant, omniscientiam, omnipotentiam, omnipræsentiam, & quid non? inanis igitur redditur distinctio, & nihil nisi inania habet nomina.

adorationis.

Dulia Deo debetur. Latria etiam homini præstatur.

Deinde aiunt, Deum in his coli. Respondemus colendũ esse Deum vt ipse vult & præscripsit. Non enim libera est colendi Deũ forma, quod clarissimè Dominus per Mosem docuit, Deuteron. cap. 4. vbi reddit rationem cur visibili nulla forma illis apparuerit. Ratio Domini est, ne aliquo errore decepti colerent & adorarẽt illas res, quarũ imagines vidissent. Nõ vult Deus in rebus vllis coli, sed puro pectore: non in lapide, statua, ligno, siue hominis, bestiæ, auis, aut piscis imagine: ideóque temeritas est humani ingenij & præsumptio colere Deũ eo modo, quo coli non vult.

Nõ vult Deus in rebus vllis coli sed puro pectore.

Agnouere Ethnici non quouis modo colendum, quoduis numen: & singula, eo quo ipsa velint & iusserint. Discant igitur malè Christiani homines verum & vnicum Deum, supra quem nullum est numen, eo vno solùm modo colendum esse, quo ipse præceperit & non ea forma, quæ nobis arriserit.

Ac si omnino placeat Deum in sanctis colere, audiamus in hac re Christum. *Pauperes semper vobiscum habebitis:* item, *Quicquid vni ex his feceritis mihi fecistis.* Colitur igitur Deus in sanctis non adorando defunctos sanctos: sed iuuando viuentes nobiscum sanctos, quo titulo ornat Scriptura fideles & membra Christi.

Quom. colitur Deus in sanctis.

Quòd autẽ dicũt illos posse iam magis iuuare quàm dũ essent in carne, in qua profuêre bonis. Respondemus, proximum iuuare, conditionem esse huius vitæ, quæ non debeat ad vitam æternam trahi, ideóque non sequitur: hîc potuerunt prodesse intercedendo, ergo poterunt etiam in altera vita. Nam eadem ratione efficies, hic potuerunt edere, & bibere, flere &c. ergo poterũt eadem in sequenti vita, nihil efficies. Deinde incertũ est, quantùm & possint & velint etiam, ideóque cùm in adoratione fides debeat esse certa, ad Deum est dirigenda, de cuius voluntate & facultate certi sumus.

Argum. à simili.

Porrò sic rectiùs colliges. Sancti in hac terra noluerunt adorari & coli, ergo minùs hoc volent in vita æterna. Quòd noluerint hîc, constat ex Act. cap. 10.

Petrus à Cornelio noluit admittere. Act. 14. Paulus & Barnabas à Lystrensibus oblatos honores diuinos respuunt, & indignantur: quare certum est, eosdem honores diuinos in cœlis ægerrimè ferre. Sic de Angelis sentiendum. Apocal. 19. & 22. Angelus Ioannem prohibet, ne se adoret. ex quo de bonorum angelorum omnium voluntate iudicare debemus.

Pia collectio.

Cæterùm quòd miracula leguntur fieri à sanctis defunctis, non satis firmum est. Nam miracula edere non solùm piorum est, nec solùm angelorum bonorum: sed impij & Satan quoque edunt miracula: quod constat in historia Magorum Ægypti, Exod. 7. & hodie Necromantici plurima edunt.

Verum quidem est sanctos post mortem aliquando miracula edidisse, vt 2. Reg. 13. Elisæi ossa suscitant mortuum quendam ad vitam, & 2. Reg. pallio Eliæ diuidit Elisæus aquas. Sed in his miraculis non adfuit vlla adoratio. Et in primitiua Ecclesia apud Martyrum sepulchra edita sæpe fuerunt miracula, sine omni adoratione, hodie contrà adoratio principem tenet locum, & si quæ accedunt miracula, talia sunt, vt suspicione fraudis & idololatriæ non careãt. Res notior est, quàm vt indigeat exemplis. Maneamus igitur in formula à Deo nobis præscripta, *Dominum Deum tuum adorabis, eique soli seruies,* &c.

Miracula à sanctis post mortem edita caruerunt adoratione.

III. Vbi sit adorandum? In veteri Testamento cultus verus adorandi, fuit alligatus vni loco. Nam 1. Reg. 9. & 2. Paral. 7. Deus Salomoni promisit, nomen suum se in hãc domum positurum, hoc est, templum Ierosolymitanum fore locum ordinarium adorationis.

Hinc Prophetæ passim Sionem prædicant, vt Esa. cap. 27. *adorabunt in monte sancto, in Ierusalem.* Psal. 99. *adorate in monte sancto eius.* Psal. 132. *elegit Deus Sionem.* Hinc pij hunc locum frequentarunt, quia eis erat addita promissio de exauditione si ritè inuocarent. Ante conditum templum, locus adorationis erat, vbicunque manebat Arca Domini in Israele, vt tempore Iudicum & Samuelis in Silo. Hinc Elcana in Silo adorat quotannis 1. Samuel. cap. 1. Voluit Dominus hunc populum separare ab omnibus nationibus, ideóque cœtus iussit suos seorsim à Gentibus habere. Deinde hoc faciebat ad vnitatem & concordiam alendam: nam qui sæpius conueniunt, & vno in loco sacra celebrant, minùs articulis fidei dissentire debent. Hanc concordiam Satan ferre non potuit, ideóque curauit vt per reges Israelis alius eligeretur adorationis locus. Hinc in Dan & Beerseba erecti vituli: tandem in monte Gerizim erectum splendidum templum ad similitudinem Ierosolymitani. Ita factum est, vt Samaritani cum Iudæis de loco adorationis contenderent, vt est Ioan. 4.

Cur Deus certo loco adorari voluerit.

In nouo Testamento nulli loco alligata est adoratio: quod Christus indicat Ioan. cap. 4. & *In nouo*

Testamento nulli loco alligata est adoratio.

nunc est hora, quando nec in monte hoc nec Ierosolymis adorabunt veri adoratores, hoc est, futurum est, vt & hoc templum vestrum in Gerizim, & Iudæorum Ierosolymis deleatur: id quod paulò post illius mortem factum est. Hinc passim Christus orare nos iubet vbique, non habito locorum respectu: vt Matt. cap. 6. *intra in conclaue tuum*, & Apostolus 1. Corinth. capit. 1. vult pios adorare vbique, quouis loco, nostro vel suo. Christus in montibus adorat. Marc. capit. 6. Luc. c. 6. Ioan. cap. 6. Matth. c. 14. in deserto orat. Luc. c. 4. & alibi. 1. Timoth. c. 2. *in cœtibus publicis iubet fieri preces*. Act. cap. 3. *Petrus & Ioannes in templo orant*. Act. cap. 10. in domo matris Ioannis. Act. cap. 12. in cœtu publico. Act. cap. 20. in naui.

Cur publici cœtus sint diligendi.

Ex quo discimus omnem locum adorationi esse consecratum post Christi aduentum: vbicumque te deprehendit necessitas Deus præsens tibi esse vult vt adores. In primis tamen templa & cœtus publici ad hoc consecrati sunt. Facit ad ædificationem aliorum tuum exemplum: deinde multitudo adorantium excitat animi pietatem: communes etiam preces apud Deum plus efficiunt: quare diligere debemus publicos cœtus.

Veteres etsi ad sepulchra martyrũ conuenirent tamen aberat adoratio.

Veteres ad sepulchra Martyrum conueniebant, cuius rei non erat absurda ratio. Nam ad Martyrum fidem & imitationem sese excitabant, ad quam rem non parum valebat loci circumstantia. Aberat autem adoratio Martyrum, vt constat ex Augustino & Hieronymo: hodie res secus habet: fide Martyrum neglecta, adoratio fœda solùm habet locum. Deinde aberat ille quæstus, qui hodie sepulchra Martyrum & memorias occupauit. Adde quòd ibi nulla daretur absolutio peccatorum, quæ hodie illic vænalis prostat. Demum vicini conueniebant, non erant illæ peregrinationes, aut si quæ essent, non habebant meriti opinionem: sed vt discerent, quemadmodum Basilius, aliique testantur, de suis peregrinationibus.

IIII. Quomodo sit adorandum?

Primùm religiosè & piè, quò pertinet animi affectus erga Deum, syncerus: ne hîc quicquam simulatè fiat aut tepidè. Christus dixit in spiritu & veritate, Ioan. 4. & Moses tota anima, toto corde, & omnibus viribus diligendum Deum, Deut. 6. hic amor in adoratione sese aperit. Primùm vt tribuas ei potentiam iuuandi, hinc nascitur auxilij imploratio. Deinde voluntatem exaudiendi, hinc spes & fiducia in adoratione confirmatur. Tertiò gratum esse hunc cultum Deo. Demum nos eum Deo ex officio debere, grati animi nota erit.

De dei potentia & voluntate certos nos esse oportet in inuocatione.

Secundò pertinet huc forma adorationis, hoc est, quo genere adorationis sit vtendum: Hãc Christus præscripsit Matt. 6. Luc. 11. Sed vtuntur aliis formis etiam pij, vt Stephanus in Actis, Petrus in carcere, Paulus in conuersione. Pro re nata verborum forma libera est, respicit enim magis orantis animum, quàm verborum numerum.

Tertiò gestus adorantium, modesti illi debent esse, & compositi tanquam in cõspectu Domini: insoliti aliquando, vt Hannæ, 1. Sam. cap. 1. Hos optimè dictat Spiritus ipse sanctus, qui in piis format & verba, & motus & gestus competentes, &c.

DE IDOLOLATRIA.

LOCVS LXXIIII.

Quid sit idolum.



IDOLVM vocat scriptura, quicquid homines loco Dei colunt, siue imago sit, quæ numen exprimat, siue animi affectus erga rem aliquam nimius. Ac dici videtur εἴδωλον ἀπὸ τοῦ εἴδειν, quia animo concipitur numen & refertur mox ad materiã, qua forma numinis oculis repræsentatur: hinc εἰδωλεῖον locus & templum idolo consecratum, ac Idololatra qui idolum gestu & affectu colit tanquã numen. Quare in hoc loco duo sunt, Species numinis, deinde cultus numinis. Nos de vtroque agemus, hinc petito initio.

1. Numina ista variis depinguntur nominibus: præcipuè verò dicuntur dij alieni, *Elohim acherim*. Nam sic scriptura distinguit verum Deum à fictitiis diis, qui dij non sunt. Dij igitur dicuntur, sed alieni, hoc est, à Dei natura alieni, nihil habent diuinitatis: titulo tenus sunt dij: vt pictus rex præter colores nihil habet regium. Deinde alieni sunt, quia indigni qui colantur, digni verò quos fugias, alieni etiam à bonis moribus, à vera pietate: de his habes, Exo. 20. Deut. 30. 2. Reg. 17. *ierunt post deos alienos*. Iud. 2. vers. 12.

2. *Teraphim*. Gen. 31. Rachel furatur Teraphim patris sui, hoc est idola Labani, erant autem imagines forma humana, quas consulebant in rebus dubiis: hinc illis nomen est à *raphah* quod significat omittere, quòd ad nutum & responsum horum idolorum omitterẽt vel continuarent suos conatus consulentes: est etiam *rapha* mederi, sanare: quia inuocarentur rebus afflictis, præsidium & auxilium apud idola quæritur: tales sunt imagines etiam hodie astrologorum quorundam, imò impostorum, quas sub certis constellationibus componunt, vt sint capaces cœlestium influentiarum: hinc mira se operari pollicentur, tales vocant *Buntzen*. Laban eodem capite appellat deos suos, & Iacob deos tuos, &c.

3. *Elohe hannecar*, dij peregrini. Gen. 35. vers. 2. Iacob remouere iubet deos peregrinos de familia sua in Bethel ascensurus. & vers. 4. afferunt ad eum deos alienos, quos defodit in Sichem sub quercu: eadem ratio est nominis, quæ in diis alienis.

4. *Etsev* imago ab *itsev* sculpsit: est igitur sculpta imago, hinc *atsauim* idola sculpta: sed est idem verbum affligere. Ideóque rectissimè dicuntur *atsauim*, quia cultores affligunt, durior est enim cultus idolorũ quàm veri Dei: amant mirandos ritus, hostias humanas, vexãt & cruciant conscientias. Deinde causa malorum sunt, dolorẽ afferũt, quia iratum faciunt Deum, Psal. 115.

5. *Pesel.* Exod. 20. Esa. 40. significat *pasal* sculpere idẽ quod *itsev*, est tamen *pesil* falsum quoque, prophanum, hoc est, quicquid veritati oppositum est. Idola igitur sunt *pesilim*, hoc est, res falsa, mendax. Deus verò ipsa veritas.

6. *Nesec* conflatile, Esa. 44. quæ scilicet ex metallo fiunt, vt auro, argẽto, &c. aut imagines lapideæ aut ligneæ, auro & argento ornatæ. Nam *nesec* significat etiam laminam auri vel argenti, quales visuntur in idolis. Hinc R. D. Kimhi ornamenta idolorum reddit.

7. *Ietser* figmentum. *iatsar* est rebus inducere figuram: fingere quiddam, quale sua natura est, vt lapidi hominis inducere formam, ligno Mercurij figuram: creaturã in Dei locum transferre. Sed est idem verbum angustia, vt cùm dicunt *tsarli* angustia est mihi: quæ significatio optimè quadrat idolis, quemadmodum *etsev* suprà, mirificè enim sese macerant.

8. *Thoar* forma, figura, Esa. 44. de idolis: artifex formã inducit, figurat, tam de sculptis, quàm de pictis idolis, item de animi idolis, quæ affectu solùm concipiuntur sine externa imagine.

9. *Tavnith* similitudo, à delineando & ædificando: seu quòd idolis tribuerent etiam rationem & intellectum, seu quia arte & ingenio essent excogitata.

10. *Tiphereth* effigies, quę ornatum & decorem habent, quales sunt deorum & regum simulachra: sub habitu augusto proponuntur, vt coronata imago, &c.

11. *Scheker* vanitas à sua natura dicuntur: sunt enim reuera vanitas & mendacium, putredo & puluis. Vanitas illa descripta est Psalm. 115. Esa. 44. Idola sunt vanitas.

12. *Zonah* & *Zenunah* fornicatio & scortatio. Iud. 2. vers. 17. scortati sunt post deos alienos. Ierem. 3. *fornicata est cum lapide & ligno*. 2. Paral. 21. *scortari fecisti Iuda secundùm scortationes domus Achab*. Ose. 2. *filij scortationum sunt*. Ose. 4. vers. 12. Ierem. 9. &c. Similitudine exprimit peccati magnitudinem: nam vt maritus ferre non potest scortationem in vxore: sic Deus non alterius cultum in populo suo.

13. *Heuel* vanitas: qua ratione *scheker* suprà.

14. *Schikuts* abominatio. 1. Reg. 11. v. 6. & 7. idẽ declarat vox *toeuoth* Ierem. 6. 9. nihil enim fœdius est in conspectu Domini: nec est aliud peccatum, quod hominẽ in Dei conspectu reddat fœdiorem: quia igitur hostiliter infensos Deo reddit & abominabiles, sic meritò dicitur.

15. *Gilul* idolum. 2. Regnum 17. 12. *seruierunt idolis hagilulim* & 1. Reg. 15. 12. *& deposuit omnia Gelulim, quæ fecerant patres eius*, de Asa rege bono. Significat autem vox ipsa stercus & rẽ fœdã, qualis scil. per se est in conspectu Domini, & quales homines reddit apud suum Creatorem. Idola sunt stercus & abominatio.

16. *Apha* nihilum. Esa. 41. 24. *Ecce vos estis meaiin de nihilo, & opus vestrum meapha* de nihilo, vbi idola & opera illorum dicuntur *aiin*, res non existens in rerum natura. Sic Paul. *inquit idolum nihil esse*, hoc est, reuera non existunt dij tales: non sunt nisi opinione, quemadmodum hyppocentaurus, tragelaphus pinguntur quidem à pictoribus, sed non sunt talia animalia, ita dij dicuntur, cùm non sit nisi vnus Deus. Idolum nihil est.

17. *Demuth* similitudo, quia rem aliam repræsentat, exemplar est alterius rei, Puta hominis, animantis, piscis vel auis. Idem *temunach* forma alterius rei, quæ huic materiæ per se non competit, sed ab artifice est inducta: vt si lapis ferat hominis formam & habitum, perinde, ac si asinum vestias purpura, suem diademate regio, hominem diuinis ornes honoribus.

II. Origo varia & incerta est: ex quo colligi potest, neque consensu vniuersali, neque bono publico receptas esse imagines.

Origo sine controuersia à Gentibus fluxit, cùm in populo Dei semper fuerint prohibitæ. Quòd si igitur quæras ab Ethnicis, à quo & quando sint repertæ, non idem omnes respondebunt. Alij ad Prometheum inuentum hoc referunt: alij ad Herculem. Latini ad Ianum, qui primus in Italia templa & ritus sacrorum instituerit. Græci ad Pelasgos, Pelasgi fortè ad Theseum, qui in Græcia edicto statuit deos colendos, Iouem, Mercurium, Neptunum, Iunonem, Cererem, Dianam, &c. Origo Idolorũ à Gentibus fluxit.

Verùm antiquiorem esse originem imaginum vel hinc constat, quòd omnes fatentur aliunde inductas. Latini enim fatẽtur à Græcis se accepisse, imò Roma stetit annis 170. sine deorum imaginibus, sine simulachris numen coluerunt. Græci à Phœnicibus, & Ægyptiis accepisse feruntur. Multæ nationes non admisere. Iudæi ex lege Dei nullas habent, ne hodie quidem in religione. Persæ, referente Strabone, in templis non habuerunt imagines: Idem factitarunt Seres populi, si Eusebio credimus. Patriarchæ ante Mosen vnum Deum sine imaginibus coluerunt. Sunt igitur non vniuersali consensu receptæ. Antiquissima illarum mentio est in Gen. 31. vbi Rachel deos patris sui Laban furata dicitur, sed ignorabat hoc Iacob. Nam Iacob mox cap. 35. ascensurus in Bethel, iubet de familia sua remouere omnes deos peregrinos Roma stetit annis 170. sine deorum imaginibus. Antiquissima mẽtio imaginum.

quos etiam terra obruit in Sichen. Sub Christianis tandem principibus nunquam catholicus consensus obtineri potuit. Iudæi & Græci semper pertinacissime simulachra oppugnarunt. Et quanquam tandem Græci quidam Imperatores admiserint, tamen reclamatum est semper. Nota est historia de Irene filia Imp. Licinij, quæ in paternis etiam edibus omnia simulachra comminuit & abiecit. Sub Theodosio & Arcadio, Symmachus imagines defendebat: quē acriter reprehendit D. Ambrosius.

Notanda historia.

Contentio de imaginibus primitus Græcos alienauit à Romana Ecclesia. Romani vt retinerent dominatū cum suis superstitionibus, passi sunt Gręcos, & omnes Orietales perire Ecclesias. Nec tamen tutæ fuerunt imagines: repererūt enim in sinu Romę Ecclesiæ reprehēsores.

Vnde ergo inductæ sunt? Certum est morem fluxisse à Gentibus in Ecclesiam Dei. Constat enim sanctos Patriarchas in religione non habuisse imagines: postea, cōstituta Republ. à Mose, authore Deo eliminatæ sunt. Exod. 20. Deut. 4 5. 27.

Origo imaginū promanauit ab ignorantia verbi Dei.

Quam rem diligenter expenderunt veteres patres Augustinus, Athanasius, & post eum alij, inter quos etiam est Lactantius ille Firmianus: qui consentienter scribunt originem promanasse ab ignorantia veri Dei. Nam excæcata mens malitia sua, postquam à vero Deo declinasset, primùm Solem, Lunam, deinde heroas, principes, reges colere cœpit tanquam deos: inde vt adularetur viuis vel absentibus, hominum formas coluit, hinc ad ligna, lapides, aliámque materiam deuentum est. Demum aliorum animalium formæ inductæ sunt, volatilium, terrestrium & aquatilium: ad hunc ferè modum inductis simulachris scribit Athanasius in oratione de Idolis, & Lactantius lib. 2 diuin. instit.

In quibus hæ causæ possunt obseruari. Primùm, ab hominibus inuenta sunt: qui natura iam mali & corrupti erant ex veri Dei ignorantia. Hinc scriptura sacra inuenta hominum appellat, & ob id artificibus æqualia, aut inferiora facit, artifices quoque idolis similes. vt Esa. 44. 40. Psal. 115. Esa. 46. 41. Ierem. 6. 10. vbi de causis efficientibus scriptura loquitur.

Deinde in istis hominibus regnauit desiderium quoddam eorum, qui in his imaginibus repræsentabantur, in quibusdam Dei incorporei, quem corporali forma sibi proponebant colendum. In aliis, hominum demortuorum, quos diuinis honoribus dignos iudicabāt: vt Adrianus suum Antinoum defunctum iubet sculpi & ornari diuinis honoribus. Romanus Senatus suos Cæsares, ac si numinis faciendi ius haberent.

Alij quos periisse putabant corpore & anima extinctos, hoc genere repræsentationis dolorem suum mitigabant.

Cur passim erectæ fuerunt statuæ & imagines regibus.

In aliis regnabat adulatio, vt illorum, qui absentes erant, prodesse autem poterant, hoc genere obsequij, speciem imaginibus expresserunt, vt tanquam præsentibus adularentur: sic passim regibus erectæ statuæ & imagines à prouincialibus, tum metu supplicij, tum studio adulandi. Accessit inde artificis industria, quæ maiestate & habitu, quàm pulcherrimos expressit, vt ignara hominum turba, sensum aliquē subesse, tam affabrè factis simulachris putaret: hinc non hominum, sed deorum nomine cultæ sunt.

Deus hortorū apud Horatium.

Materia idolorum & omnium imaginum hominum constat arbitrio: olim vilis erat materia, quod fatetur Deus ille hortorum apud Horatium.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum,
Cum faber addubitans scamnum faceretne, Priapum,
Maluit esse Deum, Deus inde ego furum auiumque
- maxima formido

Ex ligno igitur fiebant, non tamen quouis. Iupiter ex quercu, Minerua ex olea, Mercurius ex buxo, Priapus ex ficulno, Venus ex myrto, Hercules ex populo. A lignis ad lapides deuentum est, hinc ad alia metalla: hinc marmorei, & eburnei dij, lapidei in genere: ex ære, argento, auro, &c. materiam diligenter taxat scriptura in idolis. Psalm. 113. Esa. 44. 46. Ose. 4. 8. Ierem. 10. Abac. cap. 2.

Forma imaginū varia.

Forma varia est: nam diuersa imitatur animalia, quæ sibi proponit tanquam archetypum, ad cuius ideam, materiæ inducit formam, quam arte & ingenio quàm scitissimam repræsentat. Est tamen duplex in genere. Aut enim vnius specie exprimit ideam, vt solius hominis, quales dij maiores Ethnicorum, & hodie sanctorum imagines: dij Ægyptij solius bouis, serpētis, auis, piscis, &c. ideam referebant. Aut in eadem materia confusæ erant diuersarum specierum formæ: qualis canino capite latrator Anubis, cùm reliqua pars hominem exprimeret, Iupiter Lybicus arietis habebat caput, inferiora membra humana. Tales dij serpenticipites, asinicipites, fauni, satyri, diíque syluani. In hac re petulantiores fuerūt Ethnici, qui Nereides, Sirenas, Tritones & similia monstra excogitarunt.

Ad formam pertinet naturæ conditio, naturalis pontentia & ἀδυναμία; quæ si in imaginibus examinetur, naturalis quidem potentia materiæ sequitur conditionem, vt quod grauis sit, immobilis, loco fixa: sin ἀδυναμίαν consideres, omnes formæ expressæ repugnant: oculos enim habent sine visu, aures sine auditu, pedes sine incessu, & reliqua omnia membra hypocrisin exprimunt, non autem officia præstant, quæ in his membris requirenda sunt.

Hanc ἀδυναμίαν diligenter spectandam proponit scriptura Psal. 115 Esa. 41. 44. Ierem. 10 51. Abac. 2.

Abac.2.vt quod muta sunt, nullos sensus habeāt: nocere non possunt nec prodesse, nō liberare nec se, nec cultores suos, quòd vana sint, futura non possint prædicere, quòd pluuias non dent, &c. summa organa habent sensuum arte expressa sine sensibus.

Finis imaginum primus fuit, conseruare memoriam absentium, quo nomine inuentæ sunt imagines, vt testatur Lactātius. Absentes autem, vel viui erāt, vt principum suorum absentium subditi habebant imagines, & statuas, qualis est in Daniele cap.5. regis Babylonij statua: vel defunctorum imagines, quorum desiderium imaginibus leniebatur: hic finis politicus aliquo pacto erat adhuc tolerabilis. Accessit mox alter finis ex religione, vt quæreretur ibi præsidium & auxilium: hunc finem damnat scriptura citatis locis Deut.4. Exo.20. Esa.44. Psal.115.

Duplex finis imaginum. Primus finis politicus, secundus finis ex religione manauit.

Tertius hinc consecutus est finis, qui ad effecta pertinet, hoc est, consideratio pœnarum, quas Deus comminatur cultoribus idolorum & imaginum. vt Exod. 20. *visitans iniquitatem in tertiam & quartam generationē*, hoc est, in idololatras Deus est implacabilis. Deum igitur irritāt, ad iram prouocant: hinc pœnæ, quales in populo Dei, Num.25. *propter idolum Baalpeor.* & Deut. 11. *velociter*, inquit, *peribitis de terra.* Deut.8. *& vos peribitis*: de pœnis vide Exo.20.32. Deuter. 47. Psal.78. Ezech.23.20.6. Deut.11 8. 13. Num.25. Esa.65. Ierem.3. Soph.1. Ose 2.

III. Genera imaginum difficile est commemorare, quoniam nihil non sibi hîc permiserūt artifices: sculptores inter se de ingenio certarunt: idem fecerunt pictores & fusores. Hinc templa pictis & sculptis imaginibus repleta sunt, in quibus magis ars colitur quàm numē. Conferamus tamen diuersitatem istam in hæc primaria membra.

Omnis imago proponitur vel religionis nomine, vel alio fine politico. Prioris generis sunt, omnes, quæ in tēplis visuntur, tam pictæ, quàm sculptæ imagines. Sine religione, & quæ in foro ornatus gratia habentur, & in fontibus ornāt locum, in parietibus picturæ argumenta virtutis & antiquitatis, vel vt doceant homines, vt in nummo imago authorem indicat. De priori genere hîc solùm agimus, quod in templis & locis religioni dicatis statuitur, & religionis nomine: nam in templis etiam picturæ interdum visuntur, citra religionē tamen. Sic nostrū templum, foris, habet in porticu maximo, incisum nouissimum iudiciū: sculptas quoque imagines virginum stultarum, & è contrà astant sculptæ & pictæ virgines quinque sapientes, expressis gestibus mira arte: nemo tamen religionem illis tribuit: sed singuli artem & ingenium hîc admirantur: quare ad prius genus referamus nos. Omnis igitur imago tam picta, quàm sculpta, vel est similitudo rei existentis, hoc est, ad similitudinem alterius expressa, cuius est certa species in rerum natura. Vt hominis imago ad hominis formam conficitur, quia homo speciem habet inter res creatas, est aliquid existēs. Aut est εἴδωλον, hoc est, simulachrum, id est, imago simulata, quæ nullum habet archetypum.

Vsus imaginū licitus.

Similitudo rei existētis. Imago simulata quæ nullū habet archetypum.

Ad primum gradum pertinent primùm idola Ethnica, quæ humanam conseruabant integram & solitariam speciem vt Mercurius iuuenili specie, Iupiter, Mars Sol virili forma, Saturnus seueriori habitu, Diana, Minerua, Venus muliebrem formā: Gratiæ, Nymphæ, Musæ puellari habitu, &c. Deinde huc pertinent in religione Christiana sanctorum imagines in templis cultæ, vt Apostolorum, diuæ virginis, martyrum, &c. quas omnes longum sit commemorare. Tertiò imagines Trinitatis: nam Deus pater hominis senis habet formā: Filius Iesus Christus viri: Spiritus sanctus sub imagine columbæ exprimitur. Ac cùm Deus per se corpus nō habeat, exprimitur tamen aliena specie, hoc est, hominis: quia hominis species perfectissima est inter creaturas corporatas. Quartò, ad ὁμοιώματα pertinent aliæ Ethnicorum numinum formę, vt auium, serpentum, vitulorum, crocodili, ciconiæ, &c. falsa & impia numina. Itaque ὁμοιώματα sextuplicia sunt: aut enim hominis, aut aquatici animātis, aut volatilium, aut quadrupedis, aut serpentis, aut alterius rei creatæ simplicem retinent imaginem, &c.

Ad εἴδωλα verò, hoc est, simulachra refero, quæ confusas habent in eodem corpore formas: quales sub Christianismo non reperimus, Paganismus istis abundauit. Sirenes superna puellari forma inferna piscis forma, cultę sunt. Pan & Fauni cum Satyris caprinis pedibus, manibus & facie humana. Iupiter Lybicus arietis capite, alij alios coluere: quales recēset Athanasius, canicipites, serpenticipites, asinicipites, latrator Anubis. Nam ista figmenta sunt & monstra naturæ, quæ nullam habent certam speciem in natura rerum, neque reuera existunt.

In sacris literis alia est idolorum & imaginum partitio.

Omnis enim imago in religione vel ad Deum verum refertur: vt cùm sit inuisibilis, sub forma aliqua sensibus expressa colatur: hāc speciē imaginū manifestè prohibuit scriptura. Exo. 20. Deut.4. *non vidisti vllam similitudinē*, &c. Itaque nulla similitudine exprimi debet: hinc nec hominis imagine coli vult Deus, nec aliarum creaturarum formis, siue sculptæ sint siue pictæ.

Huc pertinent omnes formæ quibus Deus coli non vult: tale fuit idolum Michæ, Iud.17. Vitulus Aaronis, Exo.32. Ephod Gedeonis post quod fornicatus est Israel. Iud.8. hæc enim omnia videntur ad verum referri Deum, nec videri volebāt idololatræ. Tales fortè fuerunt vituli à Ieroboam erecti in Dan & Bethel, quos tāquam veri Dei imagines proposuit: nā cōstabat populo verum Deum illos eduxisse ex Ægypto. & cùm dicat Rex, *Ecce hi dij tui sunt qui eduxerunt te de terra Ægypti*, populum hoc titulo veri Dei vult retinere in officio obedientiæ.

Vituli. Ieroboā.

Aut refertur imago ad falsum deum, qui Deus non est: quando scil. vero Deo alia nomina fi-

GG.ij.

cta vel coniunguntur, vel illo neglecto præferuntur. Tales dij Gentium dicuntur in scriptura. 1. Para. 16. *dij populorum*: talis fuit Baal. Num. 25. 1. Reg. 18. Iud 2. Significat autem Baal dominum & maritū, quòd Satan in illo idolo, sibi copulare vellet populum, tanquam vero Deo. Ezech. 8.

Astaroth, Iud. 2. Deut. 7. 1. Sam. 7. significat autem agnam, Iud. 3. 10. quòd agni formam haberet. Ascheroth, vel quòd diuitiarum præcipua pars in agnis esset: aut certè, quòd idolum cultoribus promitteret opes, Nam *aschar* significat diuitem, beatum esse: hinc *aschere hausch* beatitudines viri prædicat Psal. 1. Fuit autem idolum Sidoniorum.

Melcom, 1. Reg. 11. idolum Ammonitarum est: nomen habet à regia dignitate: *melec* enim est rex. Hinc *melcom* vertunt regem ipsorum: fortè Iupiter deorum omnium rex, aut sol qui est inter sydera rex.

Melcom idolum Ammonitarum.

Chemos idolum Moabitarum, 1. Reg. 11. ver. 6. Græci verterunt χαμώς.

Moloch idolum Ammonitarum. Leu. 18. 20. Ier. 7. 1. Reg. 11. locus illius *Topheth* dictus fuit, imago fuit vituli concaui, manibus expansis, septem habens conclauia pro diuersitate donorū, quæ illi offerebantur. Primùm similæ offerendæ aperiebatur, alterum turturibus, tertium agno, quartum arieti, quintum vitulo, sextum boui, septimum tandem Filio hominis, in eo viui pueri huic idolo incendebantur: hinc topheth dictus locus à tympanis, quæ interim percutiebantur, ne pueri clamantes exaudirentur.

Viui pueri Moloch incēdebantur & ne clamātes exaudirētur tympana percutiebāt.

Dagon idolum Azoti. Iud. 16. 1. Samuel 5. significat autem piscem, quia infrà vmbilicum figuram piscis haberet: suprà hominis, truncatis brachiis integrum piscem retulit.

Melekethh, regina, vel machina cœli, quam adorarunt etiam filij Israel, cuius meminit Ierem. 7. 44. nomen habet ab imperio: alij solem intelligunt, alij multas simul stellas, quales in sideribus exprimuntur. Et quia constellationes etiam obseruarunt more Ægyptiorum, non malè pro machina cœli, hoc est, domibus & constellationibus sumitur, quas rebus dubiis consulebant: nam *malac* etiam significat consulere.

Baalzebub, idolum Ekron. 2. Reg. 1. nomen habet à muscis, quasi dicat, dominus muscarum. Targum 2. Reg. 1. vbi legimus, inquirite in Baalzebub Deo ekron vertit. Baalzebub abominatio ekron.

Baalzebub dominus muscarū dicitur.

Miplezet 1. Reg. 15. idolum Priapi exponunt, dictum ab horrore, quem cultoribus suis incutiebat: fortassè ob turpitudinem.

Tamuz Gentile idolum Babylonicum, fortassè Adonidis. Nam cultores illius totam noctem lamentabilem ducebant. Ezech. 8. obiicitur cultus eius etiam Iudæis.

Bel, idolum Babylonicum: à confusione nomen habet. Ierem. 50. 51.

Sicuth idolum, Amos 5. luciferi stellæ vel dæmonis, nomen habet ab auscultādo & obediendo, *Sacath* enim est auscultauit. *Kiiun*, imago Saturni. Stellas fuisse declarat Amos 5. ver. 25. coluistis Sicuth regem vestrum, & Kiiun imaginem vestram stellam deorum vestrorum, quos fecistis vobis.

Hæc & similia idola non ad verum Deum, sed ad falsos referebantur. Sic statua etiam Nebukadnezar in Daniele cap. 3. & idolum Antiochi in Machabæis: statua Adriani Hierosolymis, & similia, quæ à Gentibus acceperunt Iudæi, vt *Gad* idolum fortunæ, Iouis, vel Martis, cui mensam posuerunt, Esa. 65.

Aut refertur imago ad creaturas, quas pro Deo colunt homines. vt Ezech. 8. obiicit Iudæis quòd animalia coluerint, stellas, solem, cœli militiam. & ad Rom. 1. Gentibus obiicit Apostolus quòd coluerint & seruierint creaturis, neglecto creatore.

Aut idolum refertur ad animi affectum, qui res nulla imagine expressas enixè deperit, vt auarus deperit opes. Hinc Apostolus ad Eph. 5. *auarum appellat idololatram* vers. 5. & addit quod non habeat hæreditatem in regno Dei & Christi, &c. Hæc idolorum genera sunt.

Auarus cur idololatra.

Quęstio.

IIII. Explicanda nobis est quæstio, an idola vel imagines coli possint necne? Respondemus, imagines omnes qualescunque sint, si ad repræsentandum numen proponantur, prohiberi à scriptura: ideóque nulla ratione colendas esse.

Primùm contra hunc cultum facit manifesta authoritas scripturæ, Exo. 20. Deut. 4. 5. Esa. 44. 1. Corint. 10. *fugite à cultu idolorum*. Galat. 5. inter opera carnis refertur idololatria. Act. 15. decretum Apostolorum est, vt *ab idolis caueant*. 1. Pet. 4. illicitus dicitur idolorum cultus.

Deinde imago vel refert verum Deum: sed hunc cultum prohibuit Dominus, sic coli non vult. Exo. 20. Deut. 4. vel imago refert falsum deum, Iouem, Martem, &c. qui manifestè quoque prohibitus est. Rom. 1. Esa. 44. Psal. 115. Ose. 4. vel refert imago aliquam creaturam, sed & hic cultus prohibitus est Rom. 1. Esa. 44. 46. Psal. 115.

Colligo igitur ad hunc modum. Omnis species cultus externi prohibita est imaginibus, ergo simpliciter colere imagines prohibitum est in religionis causa.

Hinc in decalogo Exo. 20. prohibet lex, colere, adorare, & seruire: & hoc dilatat in obiecta specie imaginum, quę vel cœlestes esse possunt, vel animalium terrestrium, quæ volatilium, vel aquatilium sunt. Iterum igitur colligo: omnis species imaginum prohibita est in causa religionis: ergo simpliciter imagines in causa religionis coli non debent.

Fœda i-

Fœda illorum nomina id etiam indicant: vt quòd dicuntur *scheker* vanitas, *euen* iniquitas, scortatio,

scortatio, res nihili, opera manuum hominis, insensata, muta, inefficacia, impotentia: quæ omnia de cultu imaginum prædicat scriptura, siue ad falsos deos referatur, siue ad verum, siue etiam ad creaturas: aut ostendant imaginum cultores, has compellationes & proprietatem suis imaginibus non conuenire. dolorũ nomina.

Ratio quoque hoc dictat: nam cùm solus Deus ille verus, sit omnipotens & omniscius & cordium cognitor, vtique sequitur hunc solum adorandum & colendum esse: quia hic solus potest iuuare, scit modos iuuandi: quod imagines non habent.

Adorationis honor soli Deo debetur, qui dum aliis communicatur minuitur in Deo vero colendo: & quia hunc impartiri aliis Deus prohibuit, communicari imaginibus non debet.

Solus Deus veritas est: cui non debet copulari mendacium: quæ enim est communio Christi cum Belial? aut quæ concordia templo Dei cum simulachris?

Solo Spiritu & veritate adorari vult, Ioan. 4. quare in imaginibus non debet coli, minùs etiam imagines colendæ sunt.

Contra imagines & cultum illorum diligenter scripsit August. epist. 49. quæst. 3. & lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 31. insignem approbat Varronis sententiam, castiùs obseruari religionem sine simulachris, quàm in imaginibus, & Romam plusquam 170. annis deos coluisse sine simulachro, quod si adhuc inquit Varro, mansisset, castiùs dij obseruarentur. Lactantius Firmianus lib. 2. omnes damnat imagines, & cap. 19. magnificè pronuntiat, non esse dubium, quin religio nulla sit, vbicunque simulachrum est, &c. vide apud eundem cap. 2. lib. 2. Extat illustris oratio quoque Athanasij contra idola, in qua originem simulachrorum ad malum non ad bonum refert: ac infert, quod initium sui malum habet, nullo vnquam tempore bonum fuerit, cùm vndiquaque sit vitiosum. Iustinus martyr passim idola & imagines damnat: in oratione parænetica ad Græcos, ex Sibyllinis carminibus damnat: vbi extat hic versus. Ἔργα δὲ χειροποίητα γεραίρομεν ἄφρονι μύθῳ. *Opera manibus hominum facta colimus mente stulta*: in eadem oratione indicat cur specie humana Deus formetur & adoretur, quia dixerat Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram: hinc dæmon, vt Deus etiam haberetur, curauit idola fieri hominum formis. Horum vanitatem planiùs detegit in Apologia 2. pro Christianis: quod & nomina & formam potius dæmonum habebant, quàm veri Dei, &c.

Varronis pia sententia.

Vbicunque simulachrum est, ibi nulla est religio.

Contra imagines quidem sic dici potest: quas quomodo tueãtur cultores illarum, iam breuiter audiamus.

Primùm vetus argumentum fuit excusantium se, non deos alienos se colere, sed in diuersis adorare vnum verum Deum. Hoc argumento tuetur se apud August. epist. 43. Maximus Ethnicus Madaurensis: & hodie aiunt in imaginibus adorari Deum. Augustinus respondet illa nomina Ethnicorum numinum non esse membra veri Dei: quod sanè priùs fuit probãdum: quomodo enim Deus coletur in his, quæ ipsius membra non sunt? Athanasius addit, Deum non constare ex partibus, sibi alioquin esset dissimilis: quomodo igitur in membris quæ nulla habet, adorabitur? Itaque quidem rectè Ethnicis respondere poterat: nostris verò cogitandum fuerat, Deum colendum eo ritu quem ipse approbarit, nec alio. At vult in spiritu & veritate adorari, non in imaginibus. Peccant igitur quòd alio modo Deum colunt, quàm Deus velit: vt ineptum est, quod adferunt ex Psal. 150. *Laudate Deum in sanctis eius*: nam illi non Dei, sed sanctorum tantùm canunt præconia: non laudant in his Deum, sed sanctos: deinde iniuriã faciunt Dauidi, qui non præcipit Deum laudare in imaginibus, sed in sanctis. Ostendant igitur priùs imagines esse sanctos, quod non possunt. Sancti Dei sunt homines pij: in his laudari poterat. Adde quòd non dicat in Sanctis, sed in Sãctuario, hoc est, in templo, vero Deo consecrato laudandum esse: demum aliud est laudare, & aliud adorare. Si laudant Deum in sanctis, cur adorant imagines? laudant Deum in creaturis suis pij, vt non adorent, laudant Deum in opificio cœli, sed quis tam demens est, vt inferat, ergo opificium cœli adorandum est?

Rationes Papisticæ pro cultu imaginũ.

Nõ alio modo colẽdus est Deus, quã ipse velit.

2. Hic illi afferunt distinctionem, vt elabantur. Inquiunt enim, Deum colimus summo gradu, qui dicitur Latria: Diuam virginem autem colimus Hyperdulia, quia sanctos superat: ipsos autem sanctos Dulia, qui infimus est gradus.

Latria hyperdulia dulia.

Respondemus, discrimen hoc malum esse: ac probandum illis erat sanctos colendos esse dulia. Vnde hoc membrum probabunt? nos rectiùs ostendemus δουλείαν non debere impendi imaginibus, qualescunque sint. Nam Exod. 20. manifestè δουλεύειν prohibetur. Deinde illi seruire debemus, cuius serui esse debemus diuino iure: at non sanctorum, minùs imaginum serui sumus, iure diuino: Ergo imaginibus nõ debetur dulia. Præterea, imagines non habẽt ius in nos vitæ & mortis: sed solus Deus. Igitur imaginibus non debemus seruire cultu diuino, sed soli Deo.

3. Libri dicuntur Laicorum: fuit & hoc argumentum olim vsurpatum, vt est videre apud Athanasium in orat. contra idola, & hodie qui imagines tuentur eodem titulo suas imagines ornant, quo olim idola Ethnici.

Imagines libri Liacorũ dicuntur in papatu.

Quare respondemus probandos priùs hos libros ex sacris literis. Deus duos proposuit hominibus libros ex quibus cognosci potest. Prior est ipse mundus, opificium cœli & terræ, ex quo cognosci debet & potest Rom. 1. Posterior liber est sacra scriptura, quasi epistola ad genus

Duo libri ex quibus Deus agnosci potest.

mortalium. Tertium illi addunt sine scriptura: itaque hunc librum apocryphum esse dicimus, imò impiū. Deinde vt demus libros esse, quod tamen non probant: non tamen adorandi erant isti libri: cùm nec liber biblicus, nec mundi machina, veri Dei libri adorentur: at hoc ipso quòd adorantur imagines, testantur se libros non legitimos, sed nothos esse. Firmū enim argumentum est, Veri Dei libri non adorātur, ergo hi libri nothi adorari nō debēt. Athanasius rectè regerit illis, si libri sunt, cur pro Deo habentur? cur adorantur? sic nostris cultoribus dici potest, si libri sunt Laicorū imagines, cur adoratis neglecto Deo ipso? cur biblicos libros nō adoratis: cur opificium cœli non adoratis? si id impium iudicatis, & hoc pari ratione damnandum erat.

Libri pro Deo non sunt adorādi.

4. Nostri respondent, non colimus sanctos vt deos, sed vt mediatores & intercessores. Primùm sibi contradicunt: diuinos impendūt honores & tamen negant vt deos ab illis coli. Cur igitur diuinos deferunt honores? mediatoribus non debetur honor, qui regi ipsi debetur: sancti si sint mediatores, non erant colendi vt Deus. Et quia fatentur non esse deos has imagines, sequitur colēdos non esse: quemadmodum adulter, quia maritus non est, sequitur, ob id ipsum, loco mariti, siue adulteri, admittendum non esse ab vxore, hoc ipso quia maritus non est: sic quia imagines dij non sunt, ideò diuinis honoribus ornandi non sunt, hoc ipso quia Deus non sunt. Alterum est absurdum, quòd contra scripturam plures faciunt mediatores, cùm expressè scriptum sit, *Vnus mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.*

Quia imagines dij non sunt, nec diuinis honoribus sunt colendæ.

5. Sed, inquiunt, habent potestatem nos iuuandi, ideóque colendi vt iuuent. Respondeo, illos ignorare hoc.

Vnde enim norunt cultores imaginum, quòd sancti habeant potestatem iuuandi? deinde quanta est illa potestas? si quæ est, limitata est, nec propria, sed à Deo accepta, qualis est Angelorum. Et si accepta est, nonne à Deo hæret? qui quantùm illis concedat, nos hîc scire non possumus, quemadmodum incertum nobis est, an preces nostras exaudiant: quas si sciūt, Deo patefaciente sciunt, quantùm autem illis patefacit? non puto hoc quemquam posse determinare. Hoc certò dici hîc potest, Deum quantùm velit, illis posse patefacere: interea, in inuocatione, dubia est inuocantis fides, cùm non possit certò statuere, se à sanctis exaudiri.

Ex miraculis nō potest euinci cultum imaginū licitum esse.

6. Hoc illi confirmant ex miraculis: quia ad sanctorum imagines sæpe edita sunt miracula: ideò & possunt & volunt nos iuuare. Argumentum hoc splendidum est, ob miraculorum vim: attamen non efficiunt, quod volunt: quæritur enim hic de adoratione & inuocatione, ac simili cultu, quo diuinitas sanctis tribuitur: sic igitur colligo. Miracula communia bonis & malis sunt, ergo per se non monstrant sanctos: quòd communia sint, inde probo, quia mali etiam edunt miracula, vt Iudas inter Apostolos: & in nouissimo iudicio dicent, *nonne in nomine tuo fecimus virtutes?* &c. *quibus tamen respondebitur, nescio vos, abite in ignem æternum*, &c. Et pleni sunt libri Ethnici quoque miraculis idolorum Gētilium, qua de re cōsulantur Plutarchus, & Valer. Maxim. lib. 1. cap. octauo. Plutarc. in Coriolano refert, Fortunæ idolum locutum esse his verbis, Grata me diis lege matronæ, ritéque locastis: & Iunonis idolum rogatum an vellet Romam migrare, respondit, se velle: & similia legas de Apollinis Ammonis, aliorúmque idolis.

Porrò in sanctis miracula cùm vera sint & Deo authore fiant, non tamē statuunt adorationem: nam ossa Elisæi, quidem vitæ restituunt mortuum, non tamen ob id adorata sunt: sic pallium Eliæ aquas diuisit, sine adoratione. Sed hoc solùm spectauit Deus, vt illorū doctrina confirmaretur apud posteros: sic Apostoli ad confirmandam doctrinam leguntur fecisse miracula, nullibi autem adorationem induxerunt. Impiorum miracula fidem nostram probāt, quàm simus constantes in veritate: incredulos verò obcæcatos reddunt, vt pereant: quo pacto Antichristus cum potestate miraculorum veniet.

Impiorū miraculis fides nostra probatur.

7. Exemplum Cornelij Act. 10. sese ad pedes Petri abiicientes offerunt: sed non vident Petrum hoc nolle. Additur enim, Petrus verò erexit illum, dicens, surge & ego ipse homo sum: hunc cultum recusat etiam Paulus & Barnabas in Lystris scissis vestibus, Act. 14. & Angelus in Apocal. 19. *conseruus enim tuus sum* inquit. Idem dicerent sancti sine dubio, si nobiscum essent.

8. Institutum hoc peruetustum esse, nec eò spectare vt colantur: sed ad repræsentationem rerum inuisibilium.

Respondemus, vetustum quidem esse, sed vetustior est veritas. Deinde institutum hoc de imaginibus nunquam sine controuersia obtineri potuit: diu motum tandem obtinuerunt Italici Episcopi in Synodo Nicena posteriore anno Domini 790. sub Irene imperatrice: sed magnis vociferationibus orientalium reclamatū est: ac vt tumultus sedarent explicabant se isto carmine. Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa, Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa. Sed nec ita eluctari potuerunt, sæpe deiecta & explosa sunt, vt idoloclastæ idololatras impietatis conuicerint: de quibus vide hist. Ecclesiast. &c.

Versus notandi.

Vide P. Crinitum lib. 9. cap. 9. de honest. discip. vbi de tollendis imaginibus profert decretum Imp. Theodosij & Valentis.

DE LIN-

DE LINGVIS PEREGRINIS IN ECCLESIA CHRISTI.

LOCVS LXXV.



DVO sunt quæ veram religionis cognitionem in Ecclesia Christi præcipuè impediunt.

In Papatu cātus ecclesiasticus pro doctrina.

Primum quòd cantus Ecclesiasticus omnia pessundet, adeo vt pro doctrina perpetua regnet musica.

Alterum adhuc peius, quod tum cātus, tum mysteria alia peregrina celebrantur lingua, vt auditor non intelligat, quid rerum hic agatur.

Ac de cantu Ecclesiastico aliàs: nunc de linguis agemus, idque hoc ordine.

Primùm qua occasione peregrina lingua manserit in totius Europæ Ecclesiis.

Deinde cur ferenda non sit.

3. Demum quomodo hodie illam deffendant.

Origo. Initio ecclesia romana, materna lingua dīdicit pietatem Christianam.

I. Quod originem attinet, videtur hoc inductum magna quadam negligentia, partim etiā superstitione. Nam certum est primitùs, Ecclesiam Romanam materna lingua didicisse pietatem Christianam, in qua diu quoque omnia mysteria celebrauit. Postmodo, latina lingua obliterata, vt eam populus non intelligeret ampliùs, sed pauci tantùm non eruditi in causa Religionis, linguam latinam, imprudenter retinuerunt, quasi eam adhuc populus intelligeret: fortè quòd sperabant hoc modo reparandam linguæ iacturam. Ac res diu sic stetit, vt solis laicis esset ignota: Tandem maior barbaries inuasit Italiam, vt etiam sacerdotibus bona ex parte ignota esset, adeò vt quid orarent, quid canerent, quid murmurarent, ipsi etiam ignorarent. Interim mordicùs retentus est vsus latinæ linguæ, vt non solum chorus omnes cantiones latinè personaret, sed preces fierent latinè: Sacramenta latinè administrarentur: moniales etiam psalteriū latinè ediscerent, ignorantes quid recitarent. Accessit huic abusui superstitio, qua conati sunt idiotis persuadere maiorem his esse gratiā apud Deū, quàm si populari proponeretur lingūa. Inde factū est vt omnibus Europę nationibus obtrusa sit in sacris. Accessit etiam ambitio: voluerūt enim videri vel doctiores vel religiosiores in peregrino idiomate, queādmodū Corinthij in dono linguarum, quo immoderatiùs vsi quidā, publicè peregrinis vtebantur linguis, quanuis ab aliis non intelligerentur. Vnde Apostolo data est occasio morē istū reprehēdendi: qui si rediret, magis nos hodie & reprehēderet & corrigeret, qui omnia in theatricā musicam, & peregrinitatē perniciosam couersa retinemus mordicùs. Ac quis hodie sit mos Ecclesiæ papisticæ nihil attinet prolixiùs explicare, res nota est vulgo, improbanda autem his rationibus.

1. Cor. 14.

Peregrina lingua hodie in ecclesia nō est ferenda.

II. Linguam igitur peregrinam in Ecclesia Christi non esse ferendam, inde manifestū est, quia linguarum cognitio Apostolis data est, vt possent singulis nationibus sua priuata lingua proponere doctrinam Christi: id hodie euertunt dum vnam Ecclesiæ obtrudunt.

Deinde omnes nationes in materna lingua sua sacra celebrarunt, ac quanquam nonnulla fuerint mysteria, tamen initiatis intelligibili lingua proponebant. Hinc Apostoli etiam passim ingressi synagogas vulgari docent lingua: vt omnes Ecclesiæ olim sua vtebantur, non peregrina. Itaque peccant in morem istum hodie.

Præterea Apostolus non dat locum miraculosis linguis in Ecclesia sine interpretatione: ergo minùs ferenda inepta lingua, quam vix balbutiunt, malè pronunciant, corruptè legūt, nec ipsi bona parte intelligunt.

Sermo dicitur index animi.

Et sermo dicitur esse animi index apud auditores: id non fit in lingua peregrina, sed barbarus barbaro loquitur, surdus surdo, cæcus cæco.

Perit etiam pręcipuus doctrinæ scopus scil. vt Deus agnoscatur, vt fiat Christi perpetua memoria: quod in lingua materna fieret. At in peregrina, agnitio Dei tollitur, euanescit, & Christi nulla fit memoria.

Omnia debent fieri ad ædificationem: quę quantò maior est, tantò meliùs res se habet, at per notam linguam maior erit ædificatio, minor per peregrinam.

Exemplum Apostoli validum est, qui ait se etiam nihil prodesse posse, si linguis loqueretur sine interpretatione, multò igitur minùs nostri hodie prosunt balbutiētes quædam latina verba apud ignaram plebem.

Ignota lingua defraudat populum vtilissima acclamatione Amen, qua testantur se doctrinam hanc serio amplecti & sequi velle: igitur, &c.

Stultum hoc vocat & puerile Apostolus quasi dicat mera est iactantia puerilis sine certa & euidenti vtilitate, obmurmurare peregrinas voces inter rudes.

Reliqua argumenta vide in explicatione 1. Cor. cap. 14. nos ad reliqua pergemus.

III. Quomodo hodie illam defendant paucis exequamur. Primùm referunt hoc ad libertatem Christianam, secundum quam illis fuerit integrum statuere. vt in Ecclesia omnia latinè peragerentur. Id nos pernegamus: ac illis non fuisse liberū inde constat, quia repugnat doctri-

Linguæ non propter Deũ sed propter auditores sunt repertæ.

na Pauli, qui iubet omnia ad vtilitatem fieri Eph.4.1.Cor.14. Deinde item Apostolus hãc suam doctrinam de nota lingua vocat præceptum Domini.1.Cor.14.v.37. Itaque mandatum Domini non licet mutare.

Deinde aiunt, satis esse Deum intelligere quod hic recitetur, si maximè auditores non intelligant. Sed ne hoc quidem satis est: ratio est apud Apostolum, *Qui interpretatur, sibi & Ecclesiæ loquitur*, quo ostendit meliorem esse interpretationem ipsis linguis peregrinis quibus addo, linguas nõ propter Deum esse repertas vt illi loquamur, sed propter auditores, vt his loquamur ad ædificationem, præsertim in cœtibus publicis & congregationibus: nã illic ad auditores accommodanda est oratio. Deus non opus habet linguis, cùm cogitationes etiam nouerit. Homines autem habent illis opus tanquam symbolis, per quæ erudiantur.

Excipiunt hic Apostolum loqui solum de concionibus quas velit nota lingua haberi, id quod faciunt, dum sermones ad populum habent.

Primùm respondeo iniuriam fieri Apostolo, nam quod non loquatur de concionibus solùm, inde constat, quia mentionem facit primùm Psalmorum, gratiarum actionis, in quibus omnibus requirit notam linguam. Itaque non solum sermones, sed preces & cantiones debent nota lingua fieri. Præterea concionibus non ita acclamabatur Amen: sed precibus & Psalmis: ideo in his defraudari auditores magna est iniuria. Porrò de consuetudine hac qua populus concludebat preces acclamatione illa Amen, habemus illustre testimonium apud Iustinum Martyrem in Apolog. ad Antonium Pium pro Christianis, vbi reddit rationem conuentuum & Cœnæ dominicę. Locus est ad finem prope Apologię ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ καταξιῶσθαι τούτων παρ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται: οὗ συντελέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν, τὸ δὲ Ἀμὴν, τῇ ἑβραΐδι φωνῇ, τὸ γένοιτο, σημαίνει, hoc est. Deinde offertur pręsuli fratrũ, panis & poculũ aquæ & mixtionis, qui accipiens, laudẽ & gloriã Patri vniuersorũ per nomẽ Filij & Spiritus sancti transmittit, & gratias agit, quòd his digni sint effecti, quo absoluente preces & gratiarũ actionem: totus præsens populus fausta acclamatione dicit Amẽ: quod Hebraicè significat, fiat.

Exẽpla veteris Ecclesię.

Et paulò infra reddens rationem conuentuum, inquit, Diebus solis omnes conuenire ex agris & oppidis: hinc fieri lectionem ex scriptis Apostolicis aut Propheticis: Hinc ipsum antistitem exhortari fratres, ad harum rerum imitationẽ. Inde surgimus, inquit, omnes, & precamur: finitis precibus, panis offertur postea vinum & aqua: & pręses similiter precatur & gratias agit, quas fausta acclamatione concludit populus dicens Amen.

Ex quibus videre licet, quid dicat Apostolus per ignotam linguam defraudari auditores acclamatione Amen; hoc est, dum non intelligunt quid hìc agatur, non possunt dicere, Amen.

4. Sed inquiunt, Paulus per se concedit peregrinam, si accedat interpretatio.

Respondeo, Concedit quidem, sed in eo differunt nostri à Corinthiis, quòd illi miraculo haberent linguas, nostri non nisi studio acquisitas. Deinde quòd se ipsos nostri bona parte nõ intelligunt, vt nec sibi nec populo vtiliter loquantur. illi saltem se intelligebant, denique nostri interpretationẽ nullã addunt, quod nec illi faciebant, vnde reprehendũtur, & magis nostri reprehẽdẽdi quia quod in choro canunt, & quod ad altaria mussitãt, populo non interpretãtur.

Vulgaris Papistarum obiectio.

5. Verùm laici redderentur hæretici si omnia mysteria religionis populari lingua cognoscerent.

Respondeo, hunc metum frustraneum esse. Ratio, quia primitiua Ecclesia hoc nunquam timuit: & licet aliqui semper emerserint hæretici, hi magis è doctis & scholis prodierũt, quàm de laicorum turba. Apostoli deposito hoc metu singulis nationibus doctrinã Christi proposuerunt nota lingua, Iudæis Iudaica, Græcis, Græca, Latinis, Latina, Indis, Indiana. Ob id Ecclesia dicta est loqui omnibus linguis, quia singulæ nationes sua lingua doctrinam & sacramẽta administrabant: imò Deus nota lingua tradidit Iudæis omnia mysteria sub Mose: & Christus in nouo, Apostolis: Apostoli nationibus: Ecclesia ergo diuisionem linguarum retinuit, donec ambitio Romana occupauit sedem.

Apostoli, nota lingua doctrinã Euãgelij omnibus proposuerunt.

Sufficit illis bona intentio. Respon. non sufficit, alioquin Corinthij hac ratione facile se excusare potuissent.

Cùm igitur Spiritus sanctus hanc excusationem non admittat, minimè ferenda est. Accedat quod ministerij præcipua pars sit docere sanam doctrinam: id quomodo faciẽt, nisi per notam linguam? Christus etiam iussit pascere oues suas: quod non possunt in peregrina lingua.

Si lacte volunt alere rudes hoc pacto, sciant primùm lactis cibum non semper debere durare, sed adultis in fide, tandem mutandum in solidum cibum: quando igitur lactis tandem finis? aut quando tandem adultos habet Ecclesia? Anne semper pueri? semper infantes? nunquam locus solido cibo? Produnt se magna cum ignominia, quod muti sint doctores qui auditores semper infantes retinent. Deinde Apostoli nõ peregrinam linguam, sed rudimẽta faciliora potiùs significãt, adeo vt modũ docendi significẽt à facilioribus, qualis est in catechismi præceptis: ideo & hoc ipsos euertit, quod non faciliora, sed difficiliora Ecclesiæ obtrudũt, non res sed verba peregrina.

8. Quod

8. Quod si vetus Ecclesia, multa habuit nō satis cognita vulgo, nihil illos iuuat: idioma saltem illis fuit cognitum publicè, cùm Hebræa lingua omnia peragerentur. Malum hodie ignorantiâ duplicatur: nam mysteria quædam abstrusa manent incognita in Euangelio ad quæ ne oculatissimi interpretes perueniunt, nedum laici. Accedit etiam nouitas linguę, quæ infinita alia obscurat alioquin futura populo perspicua. Præterea Moses nulla instituit populo mysteria sine diuina authoritate: at linguę peregrinitas Christi Ecclesiæ obtrusa est sine Christi mandato, mero hominum arbitrio.

9. Qui dicunt sancta non canibus & porcis proponenda, illi impudentes nimiùm sunt, & declarant non pastores gregis sed euersores se esse. Impium enim est totum Dei populum eo loco habere, quo nec Christus, nec Apostoli, nec illorum primi successores Ecclesiam habuerūt. Canes ipsi sunt in præsepi, quia nec ipsi fruuntur bonis propositis, & alijs quoque inuident. Verè de his dicit Christus, *Clauem scientiæ tulistis, ipsi non intratis, & alios ingredi non permittitis.* Episcopi canes sunt non populi.

10. Alij metuunt confusionem: si nota lingua celebraretur Cœna Domini, peregrini non intelligerent. Verum ineptum est commentum: nā Ecclesia maioris partis habet rationem, cui minister in Ecclesia debet seruire. Deinde si peregrini multi sint, dentur illis sui etiam cœtus, vt verbum Dei & sacramenta audiant nota lingua.

11. Idem dicimus his qui scandalum & contemptum hinc euenturū metuunt. Religio Christi & sacramenta eius talia sunt, vt nemo fidelium vel offendatur vel cotemnat, si audiat celebrari nota lingua, cum apud veteres nihil tale fuerit metuendum. Et sanè hoc ipsum argumentum est, pontificios deflexisse à vera forma docendi & celebrandi, cùm illis suorum sacrorum sit metuenda irrisio & offensio, quæ Christo & Apostolis non erant metuenda, quāuis notissima lingua omnia peragerent.

12. Item Sacerdos, minister est totius Ecclesiæ. Is quia curator est animarum, suo tanquam curatori res committenda est, qui pro toto suo populo cū Deo loquitur & agit. Respondemus non esse hoc consequens: nam Paulus & reliqui Apostoli etiam erant Ecclesiarum suarum ministri & curatores: nō tamen ideo defraudarūt auditores intelligibili lingua. Quod autem hodie populares curatoribus suis negotium committunt, vana persuasio est, quam excogitarunt sacrifici, vt populi securitatem confirmarent, & ipsi liberiùs sacra suo arbitrio tractarent. Verùm perniciosa est illa securitas negligentiùs pastoribus & ineptis medicis curam animarum & salutis æternæ committere, quibus nullus rusticorum, ne porcos quidem vel anseres ausit concredere, Christus *iubet suis scripturam scrutari*, non aliis curam committere: iubet vigilare & orare singulos pro se, non in alios curam reponere: & *Apostolus operari salutem nostram* non pigris pastoribus concedere. Simile.

Interim hoc verissimum: pastor malus & malignus rationem reddet sui muneris Domino & sanguinem pereuntium requiret de manibus illius, non tamē excusabit pigras oues, si suam securitatem pastoris negligentia semper velint excusare: imò debent *operam dare ne gratiam Dei frustra videantur accepisse.* 2.Cor.6.

DE VSV SACRAMENTORVM.

LOCVS LXXVI.



DE vsu Sacramētorum dicturi sumus, quòd eorum vsum his ipsis diebus frequentemus, & locus in epistola ad Rom. cap. 4 hoc ipsum postulat.

Nam de Circumcisione Apostolus loquens, ait: Abrahamum accepisse signaculum iustitiæ fidei, vt esset pater eorum etiam, qui ex præputio credituri erant, vt & illis imputaretur iustitia ex fide.

Ex qua sententia occasionem sumamus, vt quod Apostolus de specie Sacramenti dixit, nos in vniuersum de genere Sacramentorum dicamus. Etenim non obscurum est, illic Apostolum vsum circūcisionis explicare: exponit enim cur admissa sit ab Abrahamo, iam prius iustificato.

Et quia de vsu nobis sermo erit, ponamus hanc ab effectis Sacramentorum definitionem.

Sacramenta sunt obsignationes donorum Dei in nobis: quæ fidem erga promissiones requirunt, & ad virtutes externæ conuersationi congruentes nos prouocant. Definitio.

Obsignationes dicimus, quia Apostolus circumcisionem vocat σφραγῖδα, hoc est, sigillum & obsignationem. Rectè autem speciebus imis, & intermediis generibus eadem assignātur in definiendo genera: quemadmodum iustitia dicitur habitus, ergo & virtus est habitus: homo est substantia, igitur animal est substantia. Circumcisio est obsignatio, igitur & Sacramentum est obsignatio. *A specie ad genus valet argumentum, seu quæ speciei conueniunt, eadem generi aßignari poßunt.* Sonat autem σφραγὶς ferè idem quod signum, ideò Apostolus coniunxit σημεῖον & σφραγῖδα: latius tamen patet signum, & angustius est σφραγίς. Deinde in obsignatione est quædam oblatio, & sunt quædam bona stipulata, quæ sigillo obsignantur & confirmantur, quod non

statim inest signis:generaliorem igitur vocem, speciali explicuit & limitauit.

Hæc ad generis declaratione satis sint : reliqua omnia loquuntur de fructu Sacramẽtorum, quæ tribus partibus sumus cõplexi, Obsignare dona Dei, Requirere fidẽ, & Excitare ad virtutes externas:quæ vt rectius intelligantur,altius repetito negotio dicamus de vsu in genere Sacramentorum.2.Vnde ille sit.3.Quid ad verum vsum requiratur.4.Cur Dominus instituerit Sacramenta ista:quibus capitibus præsens doctrina commodè limitari in præsentia potest.

Vsus sacramentorum duplex.

I. Vsum distinguimus:alius enim specialis est singulis Sacramentis,de quo hic non agetur: nam vt ritu differunt,sic vsu quoque.Alius cõmunis omnibus,vt enim genere conueniunt,sic communia quędã bona offerũt. De his igitur nostra loquitur definitio, & nos has metas non egrediemur inter explicandum.

In vsu sacramentorum Deus se hominibus obstringit & vicissim homines Deo.

1. Inter dona Dei primum locum habet fœderis ratio,quo Deus se hominibus certis conditionibus obstringit,& vicissim homines Deo sese obligãt in vsu Sacramentorũ.Quare communis omnibus Sacramentis vtilitas est, quòd nos fœderis Dei admonent: in circumcisione hoc manifestum est,Gen.17. *Ego ero Deus tuus & seminis tui post te,& tu integrè coram me ambulabis*,&c. huius pacti obsignationem accipit circumcisionem.Sic in agno Paschali,Exod.12.fœderis admonentur,quòd percussor Angelus nõ sit nociturus familiæ quæ mactauit agnum,& cuius postibus sanguinẽ aspersum repererit.Cœna quoque nos admonet fœderis illius iam impleti in Christo,& Baptismus,vt constat ex illorũ institutione. Ad eundem modũ Noacho Iris datus fuit arcus in nubibus monitor fœderis,quòd Deus nollet ampliùs delere mũdũ diluuio.

2. Hinc fluit altera vtilitas, quòd nos confirmant de promissionibus diuinis,& quia inter eas prima est,salus nostra:hinc salutis nostræ obsignationes sunt. Vetera propitiũ Iudæis Deũ significabant,si in his Sacramentis ritè manerent, & sic nostra propitium nobis Deũ significant. Baptismus enim remissionem peccatorum proponit,Cœna Domini redemptionem in sanguine Christi.Hinc est,quòd Augustinus,*Sacramenta vocat verba visibilia*:nam quod Deus per verbum facit,idem per Sacramenta prestat interdum.In circumcisione Abrahæ res manifesta est,qui priùs iam erat iustificatus,cui deinde accedit confirmatio salutis suæ per circumcisionem:ideóque dicitur sphragis iustitiæ,quam fide amplexus erat.

August. vocat Sacramenta verba visibilia.

Nostram salutem in Christo nobis partam quoque obsignant, nos certos reddunt & in Christo confidentes faciunt.

3. Omnia Sacramenta aliquid speciale de Messia animis nostris proponunt: nam cùm typi fuerint vetera,oportet in Christo aliquid adumbrasse,& quia noua successere,eadem de Christo aliquid referunt. Agnus Paschæ Christi immolationem adumbrabat.1. Cor.5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*.& Num.9.Exod.12.de agno scribitur,*os in illo non esse frangendum*: hoc Euangelista Ioan.cap.19.indicat in passione Domini completum, quòd Domino crura non sint fracta,vt latronibus.Circumcisio adumbrabat cordis renouationem,quam in Christo per regenerationem habemus. Item benedictum semen ex Abrahamo nasciturum, quod deleret peccatum originis,quod in liberis semper renascitur.Nam vt præputium in parentibus resectum semper redit in posteris:sic peccatum origenis semper redit in liberis, quamuis à sanctis progenitis parentibus,& circumcisione semper habebant opus posteri,donec Christus nasceretur benedictum illud semen Abrahamo promissum.Gal.3.

Nostra verò de Christo iam exhibito nos admonent. Baptismus mortificationem adumbrat,Rom.6.v.3.*an ignoratis,nos quotquot baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem illius baptizatos esse?* Cœna Domini mortem Christi proponit,& illius beneficia quæ ad nos spectant,quod in institutione exprimitur.Luc.22.*hoc poculum noui Testamenti est in sanguine meo*.& 1.Corinth.11.Ita veterum sacrificia Christi hostiam referebant,de quo ad Hebr.7.vers.27. & alibi.

4. Non solùm adumbrant vetera,quæ noua impleta esse denuntiant:sed bona collata fidelibus obsignant. Hinc dici videntur propriè Sacramenta : nam in his obligationes sunt interueniente iuramento:vt militare sacramentum obligat milites Imperatori,& illum vicissim militibus, intercedente iuramento : & bona promissa, hoc est, fidem,& tutelam Imperatoris obsignant.hinc ad Rom.4.*Circumcisio signaculum iustitiæ fidei dicitur*.Chrysost.in cap.4.ad Rom. *Sacramentum cùm sit sigillum iustitiæ fidei,nihil obsignat in iis qui fidem non habent,vt marsupium sine pecunia nihil valet etsi sigillo sit munitum*. Vide etiam Iustinum contra Tryphonem.

Militare Sacramẽtum.

5. Vnde non sunt nuda symbola:sed organa salutis inter fideles:nam vt per verbum operatur efficaciter Deus,& sine verbo interdum:sic per Sacramenta efficaciter obsignat collata bona fidelibus,quanquam sine his eadem etiam illis conferat.Petrus in Act.cap.2. fidelibus iubet baptizari,& addit *accepturos donum Spiritus sancti*. Itaque per Baptismum quædam dona erant accessura,quanquam Cornelij familia eadem dona priùs acceperit,& postmodum demum baptizetur:sed de gratia postea videbimus,quomodo non sit ascribenda illis.

Sacramẽta obsignãt bona collata fidelibus.

Sacramẽta distinguũt infideles à fidelib.

6. Addatur illud etiam, Sacramenta distinguere fideles ab infidelibus:hoc etiam omnibus commune est. Circumcisio Abrahami familiam ab aliis Gentibus distinguebat,de quo Chrysost.in Genesin Homil. 38. & 39. Et Gen.34. filij Iacob respondent *se non audere sororem suam dare homini incircumciso*, significantes per hoc Sacramentum se ab aliis nationibus distingui.

Et Dauid,

Et Dauid, primi Samuelis, decimoseptimo, de Goliath ait, *incircumcisus iste maledicit populo Dei*, hoc significans, indignum esse circumcisum Dei populum malè audire ab impio Ethnico, qui præputio ab Ecclesia Dei esset segregatus.

Nostra nos distinguunt ab infidelibus Turcis ac Iudæis, aliisque. Et quanquam inter Christianos hæretici quoque habeant eadem nobiscum Sacramenta, tamen palàm est, eos habere illa multis modis corrupta, quemadmodum tempore Augustini, Donatistæ, Manichæi. Hodie baptismus Anabaptistarum corruptus est, cùm institutionem Christi non seruent, & in Papatu tam Baptismus quàm Cœna multis modis corrupta sunt. Cœnæ ademerunt alteram partem, Baptismo infinita addidere parerga.

7. Antecedentium ferè bonorum sunt obsignationes, vt in Abrahamo, Circumcisio, iustitiæ iam imputatæ: Pascha, Israelis liberationis iam promissæ, deinceps etiam exhibitæ: sic Baptismus regenerationis in Christo promissæ, Cœna redemptionis præstitæ. Nec illa sic volumus intelligi, quasi semper bona priùs applicata sint: sed Deo permittenda est libera agendi facultas: aliàs regenerat antè, aliàs post, aliàs in Baptismo: sic aliàs ante Cœnam, aliàs post, aliàs in illa conuertit ad veram pœnitentiam. Sed quotquot regenerat & conuertit ad veram pœnitentiam, illa bona in eis obsignat vsu Sacramentorum. Atq; hoc pacto donorum obsignationes sunt, quæ Deus nobis confert, eáque omnia in bonis requirunt fidem erga bona promissa.

Sed & ad externas virtutes nos excitant, qua in re singularem habent vsum.

Primùm enim dignitatem electorum indicant, quæ res nos ad animositatem & confidentiam debet excitare. Generosa nota non solet imprimi equo ignauo, & amuletum nobile non solet cani degeneri appendi, & nummus sæpe ab imagine impressa dignitatem habet, sic pij de Sacramentis Christi iudicabunt: quod eò facit, vt curent quòd dignè sumant: nam qui se degeneres declarant, sunt indigni eo, de quibus loquitur Apostolus 1. Cor. 1.

2. Deinde nos admonent conditionis nostræ: nam canis & equus domini notam referunt, nos Christi: inde sequitur nos illius subiectos imperio, non esse nostri iuris: ille, qui nos redemit, suas nos ferre vult notas: ne igitur detrectemus illius imperium.

3. Tutelam Christi nobis promittunt: nam Christus rem suam tuebitur, & vindicabit ab omni iniuria. Non enim bouem suum contemnit rusticus, cui suam impressit notam: ne igitur desperemus de Christi auxilio, quandoquidem ipsius gerimus insignia, confidamus illi: bona fide, nos, vt rem suam tuebitur. Sic ad consolationem nobis faciunt. Sacramẽta Christi tutelã nobis promittunt.

4. Gratitudinem quoque exigunt: quia enim agnoscimus symbola esse donorũ Dei, par est vt vsu eorum declaremus nos gratos tantis donis. Vnde bis ingrati sunt, qui non solum malè viuunt: sed insuper à Sacramentis quàm possunt diligentissimè abstinent. Aliqua est gratitudinis significatio, illis libenter vti: sed maior, vità & moribus illis respondere.

5. Omnibus etiam commune est, quod ad domandos affectus & mortificandos communiter nos prouocãt. Circũcisionis dolor hoc monet, & Moses cùm iubet in circumcisione considerare cordis circumcisionem & emendationẽ. Pascha etiam damnãdos affectus docet, quod mactatio, immolitio, & consumptio indicãt. Eadẽ habemus in Baptismo, in quo sepelimus veterem hominem, vt aboleatur corpus peccati. Cœna etiam crucis nos admonet, vt cruci affigatur vetus Adam, & *Aboleatur peccatum ne ampliùs regnet in nobis: sed noua simus conspersio Christi.*

6. Fidem etiam alunt, nam verbi auditio confirmat fidem: ita Sacramenta fidem inflammãt: hinc Apost. ad Hebr. 11. fidei tribuit veterum sacrificia. De Abele inquit, *quòd per fidem maiorem obtulerit hostiam quàm Cain, & de Mose quòd per fidem Pascha fecerit, & Abraham admittẽdo circumcisionem testatur se Deo credere.* Nos, celebrando Cœnam, profitemur in Christo nos omnia bona nobis polliceri: hinc passim in Actis credentes baptizantur, eo profitentes fidem.

7. Spem vitæ æternæ alunt. nam illius habent annexam promissionem, Mar. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* & 1. Corinth. 11. de indignis ait, *damnationem eos sibi sumere.* Igitur qui dignè sumunt ad salutem accedunt, ex quo non mediocriter de spe vitæ æternæ confirmantur.

8. Ad crucem & persecutiones nos armant. quod vetus Ecclesia in solenni habuit vsu, vt in magnis persecutionibus sese confirmarent contra pericula Cœnæ vsu, recordatio Baptismi quoque nos confidentes debet facere in persecutionibus. Nam quicquid patimur pro nomine Christi, hoc leue nobis videbitur si vsum Sacramentorum rectè considerauerimus. Sacramenta nos armant ad crucem.

II. Proximum est, vt expendamus vnde sit Sacramentorum commoditas, præsertim cùm inter alia dixerimus, illa esse organa salutis & gratiæ diuinæ. Quæri hinc solet, vnde sit illa vis? Nota est hoc loco doctrina Scholasticorum, qui dicunt ex vi sua Sacramenta conferre gratiam, aut ex opere operato.

Quam doctrinam valere iubemus, nihil enim sua natura agunt, sed Deus in illis & per illa liberè agit & sine illis. nec fieri potest, vt ex opere operato aliquid præstent infidelibus, imò ne piis, cùm donum hoc Dei sit, non elementorum. Sacramenta ex opere operato non conferunt gratiam.

Porrò cùm illi colligunt, nõ nuda dicitis symbola & additis organa esse donorũ Dei, itẽ, confirmare in nobis bona promissa: ideò vi sua nobis conferunt gratiã, respõdemus plus illos colligere, quàm præmissæ patiantur. Quis enim non animaduertit illam malã esse consequẽtiam,

organa sunt donorum Dei, ergo vi sua nobis conferunt dona? Negamus igitur consequens: quemadmodum enim canalis qui in hortum deducit aquam, nō vi sua suppeditat horto aquas, sed quas ex scaturigine & fonte accipit, nec ampliùs quàm accipit, nec diutiùs: si fontis scaturigo desinat, desinit canalis offerre. Ita de Sacramentis loquitur, organa Dei esse concedimus, sed quæ muta sint & emortua, nisi Dominus in illis singulari virtute operetur, dum operatur viuida sunt, si desinat largiri gratiam, emortua iacent Sacramenta, symbola tamen esse non desinunt.

Simile.

Deinde afferunt, rationem Sacramenti hoc postulare, quia aloquin non possint esse mysteria, aut Sacramenta. Respondemus, palàm hoc falsum esse, non enim quia vi sua aut opere operato exhibent gratiam, Sacramenta sunt dicta: sed quia gratiæ sunt symbola.

Sacramenta sunt dicta quia sunt gratiæ symbola.

Vox illa μυστήριον à septuaginta interpretibus desumpta est, qui Hebræam dictionem *sod* ferè ita verterunt. in Esa. 24. legimus *razili, razili*, secretum meum mihi, secretum meum mihi, quam sententiam in totum omisere 70. interpretes: quæ vox in Daniele cap. 2. v. 18. & 19. seruatur *raza*, & aliquoties in consequētibus, ibi Græci verterunt per μυστήριον. Gen. 49. v. 6. *besodam* in secretum illorum non veniat anima mea: Græci habent εἰς βουλὴν in consilium illorum, &c. Prou. 25. *sod acher* secretum alterius ne reueles: quæ Græci neglexerunt. In nouo Testamento sæpius occurrit mysterij vox pro arcano, vt Eph. 1. v. 9. *qui patefecit nobis mysterium voluntatis suæ*. & cap. 3. v. 3. *per reuelationem patefecit mihi mysterium*. Col. 1. v. 26. *mysterium absconditum à seculo*. 1. Tim. 3. v. 16. *magnum est pietatis mysterium*.

Mysterij vox pro arcano sumitur.

Latini Sacramenta vocarunt, signa externa beneuolentiæ diuinæ, quibus esset annexa promissio salutis: ac possunt esse mysteria, si maximè vi sua non conferant salutem, quemadmodum vetera fuēre Sacramenta: vt serpens in deserto mysterium fuit Christi, quem vi sua non exhibuit, columna ignis itidem Christi, Man & alia, Baptismus regenerationis, Cœna redemptionis, quæ sua vi non exhibent.

Sed & Augustinum citant pro se, qui scribit in Psal. 73. alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia saluatorem: Sacramenta noui Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserunt saluatorem.

Verùm Augustinus dextrè intelligēdus est: loquitur enim de discrimine noui & veteris Testamenti, ac differentiam sumit ratione Sacramētorum, quia in illo Christus promittitur venturus: in hoc, iam venisse monstratur. Itaque rectè dicit illius Sacramenta promisisse saluatorem: huius verò dare, hoc est, indicare iam venisse salutem. Et hanc illius esse sentētiam sequentia indicant: addit enim, cùm ergo iam teneas promissa, quid quæris promittentia saluatorem? iam habes: hoc dico, teneas promissa, non quòd iam acceperimus vitam æternam: sed quia iam venerit Christus, qui per Prophetas prænuntiabatur. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora, &c. Hæc Augustini verba satis indicāt gratiam non Sacramentorum vi conferri, sed venisse Christum significant. Ac nisi hanc sumas sententiam, sibiipsi pugnantem facies Augustinum, qui manifestè dicit, *aliud esse rem Sacramenti, aliud Sacramentum accipere*: & de Iuda pronuntiat, *quòd acceperit panem Domini, non autem panem Dominum*: ex quibus manifestum est, eum vim Sacramenti ex opere operato, vt loquuntur, non adscribere. Et quomodo illa prodessent sine fide sumpta, cùm verbum Dei non prosit nisi fides accedat: Summa, *quicquid sine fide agimus peccatum est*. Præterea vt solius Dei est, instituere Sacramenta: ita eiusdem solùm est conferre gratiam. Aut monstrent illi, quòd Deus hanc vim suam Sacramentis alligarit: quod hactenus non fecerunt, nec deinceps facient. Porrò cùm extra contentionem scribunt Scholastici, interdum sobriè loquuntur. vt Thomas Part. 3. quæst. 62. artic. 5. Et sentent. lib. 4. dist. 1. quæst. 4. *Deum esse efficientem causam, quod & nos dicimus, Sacramenta verò organa esse salutis quibus Deus vtitur liberè*. Quare diuisa sunt interdum loco & tempore, vt qui Sacramenta sumant, gratiam non accipiant, alij iam Sacramentis intersunt, aliàs accipiunt gratiam, alij simul vtrunque sumunt, pro Dei misericordia.

Aliud est Sacramētum, & aliud rem Sacramēti accipere

Pia Thomæ Aquinatis sententia.

III. Superest, vt exponamus quid ad verum eorum vsum sit necessarium: in quo loco eò erimus breuiores, quòd aliàs de eo dictum sit, & deinceps fortè sæpius idem locus nobis erit explicandus.

Tria dicimus necessaria esse ad verum vsum Sacramentorum. Primum respectu Sacramenti, Alterum respectu nostri, Tertium Dei respectu dicitur. Quod prius concernit planè est necessarium, vt integra sumantur vt ab ipso Domino instituta, hoc est, vt materia & forma sua constent: non enim licet homini mutilare Dei instituta, cùm hominis testamentum ratum habeatur, magis Christi Testamentum relinqui debet integrum. Quo redarguuntur errores hæreticorum, qui Sacramentis vtuntur mutilatis & multis partibus corruptis: qualis Baptismus est hodie apud Catabaptistas, & Cœna Domini apud Pontificios vna solùm parte constat, iidem Baptismum multi, modis corruperunt. Hæc nos caueamus, ac integra conseruemus, vt Christus instituit.

Tria sunt necessaria ad verū vsum Sacramentorum.

Alterum nostri respectu necessarium est, vt fide accedamus ad illa: *nam quicquid sine fide fit, peccatum est*. vt in Act. 15. dicitur, *fide purificans corda illorum*. Et de Baptismo testatur Petrus non prodesse quatenus *abluit sordes corporis*: *sed quatenus bona conscientia apud Deum respondet*. Ne

igitur

igitur fallamus nos, fide amplectamur Sacramenta dum illis vtimur. Periculosum est operi operato tanta dona committere, quæ sola fides potest amplecti.

Tertium diximus Dei respectu dici necessarium: nam passim scriptura misericordiæ Dei adscribit gratiam: & reuera gratia non esset, nisi adempta nostris viribus Dei miserationi adscribantur illa bona: sic scriptura loquitur de vsu Baptismi, vt Deum agentem in nobis profiteatur. ad Tit. 3. *secundùm misericordiam suam saluans nos per lauacrum regenerationis.* & ad Ephe. 5. *mundans lauacro aquæ per verbum.* Ioan. 3. *nisi quis fuerit natus ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei:* quæ omnia declarant Deum in nobis agere oportere, siquidem verum vsum Sacramentorum obtinere voluerimus. Quare ista tria necessaria sunt, primò vt integra sumamus, deinde vt fide accedamus, tertiò, vt Deus in nobis operetur.

Hinc iam & illud perspicuum est, triplicem scilicet ordinem esse accedentium ad Sacramenta. Triplex ordo accedentiũ ad Sacramentum

Alij enim gratiam accipiunt sine Sacramentis, vt Abraham ante circumcisionem iustificatus est, & placuit Deo: & latro in cruce nullis vsus est Sacramentis Christi, tamen audiuit, hodie mecum eris in paradiso, qui locus solis electis patet: & Cornelij familia Spiritum sanctum accepit ante Baptismum. Sic Iob dicitur fuisse Gentilis incircumcisus, & Naaman Syrus fuit sine Sacramentis iustus.

Alij Sacramenta accipiunt sine gratia: sic Iudas dicitur interfuisse Cœnæ, de quo Augustinus dicit panem Domini, non panem Dominum accepisse. Simon ille Magnus accepit Baptismum, Act. 8.

Alij demum ambo simul accipiunt, hoc est, Sacramentum cum gratia: tales pij Israelitæ, qualis *Nathanael verus Israelita in quo dolus non erat.* Sic Apostoli baptizati sunt, & gratiam simul accepere: sic hodie pij Cœnam accedunt, qui sentiunt diuinitus intra sese confirmari fidem, & alia dona Dei, &c. Vide August. lib. 3. de quæst. veter. Testam. & lib. 5. capit. 24. contra Donatistas.

IIII. Respondendum etiam hîc breuiter his, qui solent quærere cur Deus Sacramenta instituerit, & non potius voluntatem suam nudo verbo expresserit. His respondemus curiosum esse hoc disquirere: nec enim Deus tenetur nobis rationes reddere suorum decretorum. Interea verò si quis pia diligentia inquirat, non deerunt sanctæ rationes instituti huius. Quæstio cur Deus instituerit Sacramenta.

Primùm enim externa signa multò efficaciùs mouent sensus, & meliùs edocent de voluntate Domini, quàm si nudo verbo id fiat. Carnales enim homines sumus qui spiritualia dona nõ rectè satis meditamur, impediti scil. corporis imbecillitate. Huic igitur malo Deus mederi voluit per externa symbola, quæ verbo adiecit, quam rem Chrysost. eleganter expedit in Homilia 60. ad populum, & 83. in Matt. *si spiritualis esses,* inquit, *Deus sua dona spiritualia tibi spiritualiter proposuisset: nunc verò cum anima corpori sit alligata, dona sua per externa proponit.* Responsio.

Deinde videmus in omni religione aliqua esse externa symbola, per quæ mysteria quædam occulta adumbrantur. Deus igitur voluit veram pietatem discernere per sua symbola ab ipso instituta, quæ hominem de vero Deo, & recta pietate admonerent. Vide Lactant. In omni religione semper aliqua extiterũt externa symbola.

Accedit istis magna symbolorum vtilitas, quæ nos ad varias virtutes erudit, & ad vnius Dei cultum nos reuocat. Fidem in Deum alunt, dilectionem erga proximum nobis commendant: bonos mores & vitæ castimoniam dictãt: nos Deo curæ esse dicunt, in illius custodia nos versari in omi fortuna, quæ magnam afferunt piis consolationem.

Denique cauit illis signis, ne nos nostro arbitrio nobis effingeremus signa, in qua re alioquin prona est facilitas humani ingenij: & sanè non abstinuissent homines ab aliis signis, nisi Dominus maturè voluntatem suam certis signis confirmasset. Vide August. lib. 19. cap. 11. contra Faustum.

Sed cur mutabilia voluit esse? Primis patribus sacrificia quædam erant commissa, vt Abeli, Enocho, Noacho, &c. mox Abrahamo addita est circumcisio, quòd promiscuè boni & mali sacrificiis vterentur: sed Dominus suam Ecclesiam segregare voluit ab aliis nationibus, hinc eidẽ Ecclesiæ per Mosen addidit agnum Paschalem, quę omnia in aduentu Christi mutata sunt, imò sublata per Baptismum & Cœnam Domini. Quæst.

Respondemus ex Augustino, hoc non factum esse Dei culpa, in quem nec mutatio consilij, nec inconstantia cadit: sed factum esse hoc nostra culpa, quorum tarditas hoc requirebat: segnes excitat nouitas, nouis igitur signis renouare voluit fidem & spem nostram. Responsio.

Accedit temporum conditio, quæ hoc postulabat, nam etiam apud homines aliter facienda proponuntur: aliter facta significantur. Cùm igitur illa de futuris solùm essent vmbræ, meritò de rebus peractis noua instituta sunt.

Præterea ruditas populi veteris, rudiora requirebat Sacramenta: hinc sensim ad altiora perducti, faciliora accepimus de quo August. in Psal. 73. quem locum suprà citauimus.


Et ratio etiam iubet, vt alia sit conditio promissorum, alia verò exhibitionum: alia sunt diplomata principum quæ nudam habent stipulationem promissorum: alia verò quæ promissa exhibita esse obsignant.

Homines quoque pro vtilitate suæ familiæ quædam temporum successu mutant, non propter seipsos: sed domesticorum suorum conditione & vsu moti.

Nostra Sacramēta sunt commodiora veteribus.

Denique istis addimus, Deo sic placuisse, cuius voluntas vt nobis debet esse regula: sic non potuit non vehementer prodesse: & vsus ipse docet nostra veteribus commodiora esse. Hinc August. cap. 1. ad Ian. de ritibus Ecclesię, *Dominus Sacramentis numero paucißimis, obseruatione facilimis, significatione præstantißimis, societatem noui populi colligauit.* & idem lib. 19. ca. 13. cōtra Faustum: *virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora nostra dicit esse*, &c.

DE CIRCVMCISIONE. LOCVS LXXVII.



IRCVMCISIO dicitur *Milah* à verbo *Mol*, quod significat amputauit, circumcidit: scriptura appellat fœdus Domini, Gen. 17. & fœdus æternum, signum fœderis. Græci περιτομὴν verterunt, & διαθήκην vocant, hoc est, testamentum vel fœdus. Act. 7. *dedit ei testamentum circumcisionem.* Apostolus ad Rom. 4. vocat signum, & signaculum iustitiæ.

II. Est Sacramentum veteris populi, à Deo institutum, in masculis solùm, præputium carnis amputans, ad significandam regenerationem hominis, & confirmandas promissiones Dei, ad certum tempus duraturum.

Definitio ex causis sumpta est, ideóque explicanda breuiter. Sacramentum dicitur veteris populi, quia in noua Ecclesia sublata est. Act. 15. vt infra explicabitur. Fuerunt duo Sacramenta Pesach & circumcisio quibus Ecclesia Christi alia duo ex institutione Christi substituit. Cœnam Domini, & Baptismum præter illa Sacramenta duo, habuit ille populus plura signa, quæ tamen non in pari cum his vsu fuerunt: de quibus consulendus est Augustinus lib. 2. cap. 1. de doctr. Christ.

Circumcisio initiale fuit Sacramentum, quo in fœdus & numerum populi Dei admittebantur initiati: sicut in nouo Testamento Baptismus.

Causa efficiens est Deus author circumcisionis: & à Deo inductam habemus, Genes. 17. Exo. 12. Deut. 10. Ac illo conuenit circumcisio cum nostro Baptismo, qui & ipse à Domino Christo institutus est. Mat. 28. & ad Deum pertinere institutionem hanc declarat Ioan. Baptista. Ioan. 1. *qui me misit ad baptizādum aqua, ille mihi dixit*, &c. Iosua iussu Domini repetit circumcisionem. Iosu. 5. & Stephanus Act. 7. dicit Deum dedisse Abrahamo circumcisionem.

Materia circumcisionis expressa est in definitione. Primùm in masculis solùm: fœminæ enim capaces signaculi huius non erāt, & cùm vir caput sit mulieris, in viro incorporātur mulieres.

Porrò qui masculi admitti debeant, locus Gen. 17. satis indicat. *Omne inquit masculum de filiis tuis, vernam, proselytum, emptitium*: inde Hæmor circumcidi coactus est, Genes. 34. de peregrinis circumcidendis est lex, Exod. 12. Genes. 17.

Significatio præputij circumcisi.

Deinde consideretur hic, quæ pars corporis circumcidi debeat. Præputium carnis vestræ: inquit scriptura, Gene. 17. Exo. 4. *Zipora præputium filij sui præcidit.* Eph 2. vers. 11. *circumcisio in carne, quæ manibus fit.* Cæterum quòd hæc pars corporis circumcidi debuit, ostendit naturam ex traduce prorsus esse corruptam, vt ex viri & mulieris commixtione nemo purus nasci possit: adeò graue Adami fuit peccatum: hinc Christus Dei filius, ex virgine natus est, & conceptus de Spiritu Sancto.

Pręputiū cordis.

Scriptura aliud præputij genus nobis proponit, Cordis scil. Deut. 10. *Circumcidetis præputiū cordis vestri, & ceruicem vestram non indurabitis vltra.* Deu. 30. *circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum, in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt viuas* Iere. 4. *circumcidamini Domino, & auferte præputia cordis vestri.* Phil. 3. v. 3. *nos sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo.* Rom. 2. versu. 29. *& circumcisio cordis est in spiritu, non litera, cuius laus est non ex hominibus: sed ex Deo.*

Duplex circumcisio.

Hinc duplex nascitur circumcisio. Alia enim est externa, in carne, & literæ dicitur, quæ data est primùm Abrahamo, postea à Mose tradita populo, & mandata literis, & est certi temporis.

Alia est cordis omnibus, vbique & semper necessaria, ad quam figurandam prior instituta fuit. Vocatur ista à Iudæis quoque circumcisio auris. quia Ierem. 6. conqueritur populi aures fuisse præputiatas. Oris etiam circumcisio, Exod. 6. Moses inquit, *& ecce ego præputiatus labiis.* Quo pacto illi quadruplicem statuunt circumcisionem. Corporis, quæ posteris Abrahæ data fuit, & necessaria ad tempus. Oris sermoni modum præscribens: auris auditum moderans, & cordis cogitationes temperans.

Quo ritu Iudęi hodie circūcisionem administrent.

Forma. huc pertinet modus circumcisionis, tempus, ministri, & instrumentum. Iudæi hodie multis ceremoniis eam administrāt. parant duas sellas cultu elegantissimo, in vna sedet sacerdos qui infantem circumcidat, altera sella cultior vacua adstat pro Helia, quem dicunt adesse omnibus in circumcisione. Sed Scripturam sequi oportet in ritibus illis.

Lex iubet octauo die infantem circumcidi. Leuit. 12. *die octauo circumcidetur caro præputij infantis eius*. Gene. 17. *filius octo dierum circumcidetur in vobis*. Hinc Ioãnes Baptista octauo die circumciditur, Luc. 1. versu 59. & Dominus Iesus Christus octauo die admisit circumcisionem Luc. 2. vers. 21. Intermissa est illa lex per annos quadraginta in deserto ipso Domino concedẽte. Ideóque omnis populus circumcidi secundò debuit, Ios. 5.

Cur verò octauo die fieri debuerit, ratio est, quòd ætas infantilis tum cõfirmatior solet esse: qui debiliores sunt, solent diem obire, nec ideò à fœdere sunt exclusi: quandoquidem tempus præstitutum non assecuti sunt, & fœdus hoc ad posteros pertinebat, non ad demortuos præcipuè. Ideóque stultum est quærere de salute infantum, qui sine Baptismo decedunt cum Iudæi nunquam dubitarint de suis infantibus, qui sine circumcisione mortui sunt. Imponebantur simul nomina die octauo, vt est videre in historia Baptistæ & Christi, Luc. 1. & 2. Et quia dies numerabantur ab ipso partu, octauus sæpè incidit in ipsum sabbathum, hinc fit vt sabbathò coacti sint eam administrare. Superior enim lex tollit inferiorem. Inde Christus eo vtitur exẽplo. Ioan. 7. vers. 23. *homo accipit circumcisionem in sabbatho, vt non soluatur sabbathum, & mihi indignamini, quòd totum hominem sanum fecerim in sabbatho?* Ratio cur in octauum diem circumcisio sit delata. Non est dubitandum de salute infantũ qui sine baptismo decedunt.

Administrabat eam vir, & fortè sacerdos Leuitici generis, quãquam nulla extet lex, quæ iubeat circumcisioni interesse sacerdotem. Ideóque probabile est, familias singulas per se eam administrasse aduocatis amicis & vicinis: nam epulum instituebatur, & festum ducebant diem hilares qui negotio intererãt, vt hodie cùm administratur Baptismus: nisi quòd illa in priuatis ædibus posset administrari, ille verò publicè in cœtu detur.

Singulare est exemplum Ziporæ, Exod. 4. quæ arrepta acuta petra, filium suum circumcidit, cùm Angelus Domini Mosen esset occisurus in hospitio: quo exẽplo docuit Dominus, neglectum suæ voluntatis grauiter in nobis se punire velle. Cur Angelus Mosen occidere voluerit.

Instrumentum circumcisionis erat, culter petrinus acutissimus, Ios. 5 & Exo. 4. eo adhuc vtuntur Iudæi. Præputium coronæ protrahũt molliter ad vnguem pollicis, cui applicatum præcidunt illo petrino cultro. Petrini cultri mysteria pete à Iudæis, qui varia de eo disserunt. Simpliciter admonuit Dominus Iudæos ad petram corrigendum esse naturæ corruptæ vitium nõ ad ferrum, hinc ex petra illis etiam exhibitus potus: petra autem Christus est teste Apostolo, ad hanc petram rectè circumcidimur. Significatio petrini cultri.

Ad formæ considerationẽ pertinet quoque vera & integra circumcisionis forma, quę constat duabus rebus: re externa, quæ videbatur & peragebatur secũdùm legem Domini: & re interna quæ per externum ritum ad intelligendum proponebatur: neque ista duo idem poterat esse, quanquam in piis simul haberent locum.

Externa erãt præputij præcisio, dies octauus, mysterium resurrectionis, petrini cultri, & similia. Interna verò erant naturæ emendatio, pœnitentiã vera, cordis conuersio ad Deum: quæ vbi locum habebant, in his verè & integrè fœdus Domini valebat: In impiis valebat fœdus in terrenis & temporalibus bonis, vis autem fœderis quæ respiciebat redemptionẽ à peccato, & iustitiam cordis coram Deo valentem, in impiis non habebat locum. Et in eo consentit circũcisio cum Baptismo nostro, in quo simili modo res interna, hoc est, regeneratio distincta est ab elemento externo. nec simul cohærent aliqua necessitate nisi in electis: hinc impij multi manẽt post Baptismum, vt olim post circumcisionem. Et vt circumcisos Iudæos impios, præputiatos vocat scriptura: sic nostros impios Christianos illotos rectissimè dixeris. Christiani illoti.

Finis Circumcisionis varius fuit, nam pertinet huc vsus illius & fructus tam in bonis externis quàm internis. Præcipuus finis erat vt esset signum æterni fœderis inter Deum & posteros Abrahæ: huius enim admonebat populum Dei, vt scirent sese in tutela Domini esse contra omnes alias mũdi nationes. Hoc signum fœderis in noua Christi Ecclesia Baptismus est, vt videas eo fine circumcisionem & Baptismum conuenire, vtrinque enim fœdus mansit, signa etiam ad idem referri fœdus. Præcipuus finis circũcisionis.

Iã fœdus illud partim respiciebat externa bona, partim interna. Externa erant, quòd eo symbolo discernebãtur ab aliis cœtibus: sic & nos per Baptismum. Deinde eo symbolo recipiebãtur tam adulti quàm infantes in numerum populi Dei: sic nos per Baptismum. Tertiò fiebant etiam bonorum externorũ participes, vt terræ promissionis, aliaque cõmoda tam boni quàm mali habebant inde, vt hodie baptizatis bonis & malis in Christianismo cõmunia sunt. Gen. 34. filij Iacob Hæmoro consentiunt ad rerum omnium communionem si admiserint circũcisionem. Quartò admonuit etiam omnes officij, vt pactis starent, sese Domino Deo soli approbarent. Et inde quoque admonebat eos promissionum diuinarum, confirmabat in inuocatione, in aduersis & prosperis.

Interna autem erant: quòd circumcisio carnis adumbrabat circumcisionem cordis, ad quã illa deducebat. Inde illa etiam præcipitur, Deut. 10. 30. 2. signaculum erat fidei & iustitiæ, Rom. 4. 3. admonet de naturę corruptione. 4. naturam non posse emendari sine effusione sanguinis 5. pœnitentiam & humilitatem docebat, quia ingenti dolore fiebat, nec facilè sanabile erat vulnus hoc, præsertim in adultis. 6. in inuocatione pios singulariter confirmabat se exaudiri à Deo, cui sciebant se curæ esse. 7. redemptionem veram sanguine futuram. Hæc omnia nostro Sex obseruanda in circũcisione quæ etiã in nostro Baptismo sint consideranda.

Baptismo rectissimè conueniunt: nam cordis emendationem postulat. Sigillum etiam est iustitiæ & fidei: admonet de naturæ impuritate, quæ enim abluuntur sordida sunt prius, vt cùm abluimur corporaliter aqua elementari, confitemur nos sanguine Christi ablutos, & redemptos. Immersio quoque in aquam & mortificationē & pœnitentiā indicat, nec fit sine dolore ob peccata commissa, confirmat in inuocatione, quia eum imploramus, in cuius nomen sumus baptizati, & qui promisit baptizatis & credentibus vitam æternam, quos etiam velit exaudire.

Hæc fortè distingui poterunt: quòd res tota circumcisionis innitebatur venturo Christo, eiúsque meritis & sanguini. Baptismi verò non venturi, sed exhibiti iam, eiúsdem tamē sanguini nititur. Meminerimus igitur probè symbola ista esse, naturæ nostræ regenerandæ, & seriò in eam causam incumbamus, vt per Christum verè regeneremur: quę particula indefinitione diligenter debet inculcari.

III. Vltimum definitionis membrum est; quòd hoc Sacramentum ad certum tempus debuerit durare. Id inde constat quòd Dominus author fœderis, illis nouum promittit per Ierem. 31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & percutiam cum domo Israel & cum domo Iuda fœdus nouum, &c. nouum autem esse non poterat ratione substantię & finis: Christus enim substantia est vtriusque fœderis veteris & noui. Finis autem salus nostra: nouum igitur dicitur ratione symbolorum, quæ mutata sunt, & inde nouum dicitur fœdus, & Moses inquit Deut. 18. *Prophetam excitabit tibi Dominus sicut me, de medio fratrum tuorum, illum audietis*, quasi dicat, sub aduentum Messiæ Prophetæ illius magni, cessabit lex per me data, & fœdus hoc vetus: ordietur is noua symbola fœderis: & sic Iudæi veteres locum hunc interpretantur.

Porrò in Act. 15. Apost. rem hanc determinarunt: nam in prima illa Synodo statuerunt Gentibus non esse imponendam circumcisionem, cùm Iudæis adhuc indulgerent: quo nomine Paulus alioquin acerrimus hostis circumcisionis Timotheū circumcidit, Act. 16. qui tamē mox in omnibus suis scriptis illam abolitam esse testatur etiam Iudæis, quandoquidē eam tanquā necessariam ad salutem vrgebant. Gal. 5. versu 2. *Ecce ego Paulus dico vobis, si circumcidamini Christus nihil vobis proderit.* Gal. 6. vers. 15. *In Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed noua creatura* 1. Cor. 7. vers. 19. *Circumcisio nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei.* Gal. 2. vers. 3. *Titus Græcus non coactus est circumcidi.* Col. 3. vers. 11. *non est Græcus & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia, & in omnibus Christus.*

Porrò per quem sit sublata, ex iisdem locis colligi potest, & ad Rom. 15. vers. 8. Christum ait fuisse ministrum circumcisionis pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones Patrum, hoc est, quod circumcisio præfigurabat effusione sanguinis, hoc præstitit ipse Christus sua morte, quo beneficio promissiones Patribus factas compleuit, vt deinceps ceremoniæ omnes sublatæ sint. Vt ait Ioannes, *lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum fuit.*

In illius locum successit Baptismus: de quo aliàs diximus copiosiùs. vide locos nostros, &c.

DE NOMINVM IMPOSITIONE.
LOCVS LXXVIII.


APVD diuum Lucam Christo seruatori, certo consilio imponitur nomen, idque die octauo. Idem in Ioan. Bapt. seruatum esse vidimus primo capite nec desunt huius rei plura & exempla & argumēta, præsertim in veteri Testamento. Ideóque visum est, in præsentia hac de re diffusiùs agere præsertim cùm hunc locum non videam excussum ab aliis. Ac vt res meliùs intelligatur, hoc vtemur ordine. Primò vtilē esse hāc nominum impositionem, & rē consideratione dignam. II. Indicabimus quando imposita sint nomina, & cur apud Iudæos, octauo die. III. Qualia imponenda sint nomina. IIII. An valeant & quomodo. V. Vnde sumantur nomina. De his perspicuè & breuiter, quantùm præsens hora ferre potest, dicemus.

Commēdatur. 1. Deus author Impositionis nominum.

1. Ac rem consideratione dignam esse hinc constare potest, quòd videamus, authore Deo consuetudinem hanc fuisse introductam iam olim à prima rerum origine. Nam Deus Opt. Max. creando res mox iisdem indit nomina: quæ enim Moses scribit de nominibus rerum conditarum, nō debemus existimare, à Mose tanquā scriptore, aut priscis hominibus casu imposita illis hæc nomina: sed à Deo ipso profecta sunt: ideóque Deo inter creandum tribuit non solum authoritatē iubendi vt sint res: sed nominibus suis cōpellat antequàm sint. *Fiat lux & erat lux. fiat firmamentū*, & fuit mox res illa, priùs à Deo sic appellata, sed & diei & noctis & cœlorū nomina Deus expressè sic imposuit. *iom laielah schammaim*, sic terram appellat *eretz* & maria *iamim* & alia quædam.

Adamus Dei mandato imposuit nomina.

Deinde idem mandatum legimus Adamo, ne quis putet hoc solius Dei munus esse, de rerum nominibus & impositione esse curiosum. Gen. 2. creatione rerum perfecta animalia & volatilia ad Adamum deducuntur, vt imponat illis nomina. *Et imposuit nomina omni iumento, & auibus cœli, & omnibus bestiis agri.* Et hanc ὀνομαθεσίαν ratam habuit Deus: nam præmisit, & singula vt appel-

appellauit, hoc nomen illis fuit. Habes hîc primam nominum impositionem ab ipso Deo conditore, & Adamo primo parente. In qua illud occurrit animaduersione dignum, quòd nomina illa rebus inhæsére, seu mansére recta & certa Dei approbatione: quòd enim addit scriptura *huschemo*, nihil aliud est quàm Deum ratum habuisse & posteritati hęc nomina mandasse. Ideóque Moses vult dicere, Semper illis rebus hæc ipsa nomina mansére & manere debent nisi ab ordine diuinitus instituto deflectant homines.

Tertiò, eo etiam nomine nobis commendatur, quòd nominum impositio sit valde necessaria idque ad indiuiduorum discrimina: quæ cùm numero sint infinita, fieri non potest vt ingenio hominis discerni possint: nisi quadam appellatione & nomenclatura: nec solùm res in genere omnes, sed illæ etiam quæ sub eadem specie latent, vt sub hominis specie infinita indiuidua, sub equi specie, bouis, &c. quæ pluralitas, optimè & sapientissimè propriis discernitur nominibus. Ex quo illud etiam emergit, Dei nomen nullum esse, quandoquidem in eius natura, nullum locum habet pluralitas. Impositio nominum necessaria.

Quartò, sequitur hîc valdè vtilem esse hanc doctrinam de nominum impositione: quia enim necessaria est, & à Deo inducta, posterisque commendata ab Adamo & Mose, fieri non potest, quin magnas habeat vtilitates. id ita intelliges.

1. Grammaticis inseruit ad proprietatē sermonis: si enim nominum rationem intelligant, de rebus magnis propriè loquentur. In versionibus authorum, nemo est, qui non videat summè esse necessarium, vim nouisse vocabulorum. Vtilitas impositionis nominum multiplex.

Deinde Dialectici & Rhetores hinc proprium effecere locum argumentandi, à notatione nominis: hinc illa, Compascuus locus est, ergo compascere licet: Homo sum, ergo humani à me nihil alienum esse debet: ἄνθρωπος dicitur, ergo diuina contemplari debet: sic Angelus ad Mariam loquitur, *Vocabis nomen eius Iesum, quia saluum faciet populum suum à peccato suo.* Apud Aristoph. aues πόλιν cōditturæ aiūt, πόλιν quasi πόλον dici ὅτι πολεῖται quia mobilis sit status Reipublicæ & mille alia quæ ex notatione verbi & etymologia vocis proferunt authores.

3. Historico etiam valdè vtilis est cognitio illa: nam historiæ in multis obscuræ manent, nisi nominum vis & origo cognita sit, vt historia Cæsaris, quia primus illius nominis ex vtero materno excisus sit. Thesei obscurissima est historia, si nominis rationem non attendas: dictus enim sic est διὰ τὴν τῶν γνωρισμάτων θέσιν: erant autem γνωρίσματα, gladius & calcei paterni sub caua quadā petra, quæ sola nouerat mater Æthra, quæ filius adultior factus, debuit clàm Athenas ad patrem Ægeum deferre: quæ notitia, totam illius historiā illustrat. Alij tamen volunt dictum Theseum τοῦ Αἰγέως αὐτὸν θέμενον παῖδα, hoc est, quia ab Ægeo sit adoptatus in filium, θέσις enim adoptio est in filij locum. Vnde nomen Cæsaris.

4. In Physicis valdè dominatur nominum ratio: si enim nomina rectè attēdas, bonam naturæ partem in illis assecutus es: vt in plantis Aristolochia, ὅτι ἰάεσι ταῖς λοχοῖς, parturientibus enim mirificè prodest. Raphanus ὅτι ῥαδίως φαίνεται mox enim à satione oritur. Sonchus quasi σῶον χέον, salubrem enim fundit succum. χαμαίδρυς quasi humilis quercus, quam figura foliorum refert. Malua quasi μαλάχη quia molliat, aluum. Salix à saliendo, celeriter enim crescit. Euphrasia quia oculis prosit. Blattaria à colligendis in se blattis. Bechium, quia βῆχας, hoc est, tusses curat. Abrotonum διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλόν, &c. & mille alia. Salix à saliendo.

5. Theologo sanè extra controuersiam mirificè illius notitia prodest: concinna enim interpretatio, interdum plus habet gratiæ, longa rerum commentatione. In historia Ioannis Baptistæ videmus initia gratię diuinæ manifestari, quod totum, nomen ipsum *iochanan* manifestè indicat. In vocatione Matthæi, omnia illi contingunt præter spem, rectè igitur dicas *mathi*, hoc est, donatū appellari. Zachæi vocatione describitur homo vafer, publicanus, peccator, impostor, quare *zachaij*, hoc est simplicem dixerunt antiphrasticōs, quasi minimè simplicem, ἀκάκιον quasi κάκιστον: sonat enim *zachai* Acacium, &c. Vnde nomen Ioannis.

6. Demùm, si attendamus sacras literas, videmus sanctos Patriarchas, & illius seculi homines, valdè huius rei fuisse studiosos, adeò vt vix legas vllū nomē impositum sine certa ratione. Vnde enim Eua, vnde Cain, Abel, Seth, Noach nisi certa ratione imposita nomina? sic post diluuium Babel, Abrahā, Sarai, Zoar, Isaac, Israël, Iacob, Esau, magno consilio nomina facta sunt. Sācti patriarchæ vix vllū nomen sine certa ratione impo suerunt.

Et in filiis Iacob, magna diligētia scriptura reddit impositionis rationem. De Græcis & Latinis scriptoribus non est quod dicam, notum est quantùm diligentiæ & curæ in hanc partem posuerint. Philosophi in ea re sese exercuere, quod ex Platonis Cratylo satis est conijcere.

Hinc speciosa illa in hac re nomina, ὀνοματοθέτης & ὀνοματουργός, qui nomina ponit & rebus concinnè applicat. ὀνοματοθῆραι, qui solerter nominum rationem reddere conantur, quasi venatores nominum dicas: hinc etymologia & onomastice pars apud grammaticos, quæ ideò dicuntur, vt studiosi intelligant non extra oleas, vt aiunt, euagaturos, si in hæc studia sese conferant: eruditionis enim bona pars in his rationibus nominum recondita est.

2. Alterum est propositi nostri, Quando imponere soliti fuerint olim nomina, & cur apud Iudæos octauo die? Varia olim in his fuit obseruata consuetudo. Græci decima die à natiuitate infantibus imponebant nomina. Alij nona die post partum maribus, femellis autē octauo die, interdum etiam septimo. De Antonino Imperat. scribunt, quòd iusserit nomina ferre, tertio à Quando imposita nomina.

partu die. Tamen ante septimum rarò data sunt nomina. Ratio est, quòd ante hunc diem infans pluribus casibus sit expositus, teste etiam Aristotele: quæ ratio etiam afferri potest, quòd Deus apud Iudæos octauo die circumcisionem administrari voluerit, & simul imponi nomina, vtpote corpusculo infantis per dies octo iam confirmatiore. Addunt Physici septimum diem climactericum esse, & infirmitatibus in primis subiectũ. hinc anni critici & climacterici, qui fatales ferè solent esse ex impari numero, nominatim ex septenario & nouenario in sese reducto, qu[illegible]is est 63. qui annus magnis viris fuit fatalis nostro seculo, vt Luthero, Philippo, &c.

Diem impositi nominis celebrem habuerunt, lustricum & lustrarium appellantes Græci, in nominis impositi memoriam ὀνομαστήρια vocarunt, &c.

Qualia sint imponenda nomina.

3. Qualia autem imponenda sint nomina breuiter dicamus, honesta & pia. Sine nominibus oberrare ferinum est, quod de Athlantibus quidam prodidere, qui oberrent anonymi. Brutorum animalium ad homines transferre impium est: certior enim ratio debet esse in appellando homine, quàm bruto animante. Troglodytas aiunt animalium nomina infantibus imponere solitos, vt arietis, bouis, auis, &c. quòd ex illis victitarēt, sed nō est satis rationis. Romani gentilitia plerunque seruarunt, quòd virtutis essent argumenta: sic Græci libenter renouarunt magnorum virorum nomina. Iudæi repetebant nomina familiis consueta, vt est videre in historia circumcisionis Ioannis Baptistæ, Luc. 1. vbi Ioannis nomen amici ideo respuunt, quia nemo sit in cognatione illius hoc nomine.

Iudęi repetebant nomina familiis cōsueta.

Christiani hodie liberiùs agũt, nomina suis imponunt, qualia singulariter admirantur, aut quæ ipsorum professioni inseruiunt. Ita Alchimistæ suos habent Orpheos, Hermetes. Theologi Hieronymos, Augustinos. Eloquentiæ studiosi, Cicerones. Poetę, Virgilios: Philosophiæ amatores, Platones, Socrates. In summa quos singuli vnicè admirantur, horum nomina libenter admittunt. Vulgus sequitur nomina sine ratione interdum, qualia testes sacramenti suadēt, vel obtrudunt. Honesta tamen esse debent, & quæ vel pietatis admoneāt, fidei, constantiæ, aut virtutis alicuius.

Quos singuli vnicè admiratur horum nomina libenter admittunt.

4. Quomodo valeant nomina? Optabile erat nomina semper valere, hoc est, vt qui Benedicti nominarentur reuera apud Deum tales sint. Nullus Ioannes sit sine diuina gratia: procul exularet omnis Absalon, Ismaël, tanquam infausta & dira nomina: conuenirent sanè nomina rebus. Verùm hæc parentum vota pientissima sæpius falli, argumento est Cain ille nomini suo tam fausto minimè respondens. & Hebel contrà malè propitio nomine adepto, optimus fuit. sic Absalon speciosum nomen habuit, ipse pessimus.

Tamen in multis boni ominis sunt ipsa nomina: vt Heua quia mater esset futura viuentium, Noach quòd quies terræ daretur, Ioannes Baptista quia gratiæ diuinæ primus esset præco, Iesus, quia saluat nos. Sic in aliis rebus nomina vt plurimùm rei subiectæ naturam exprimunt: vt terra, quia sit teres & rotunda, vel quia teratur indies, cœlum quasi κοῖλον, quia cōcauum, aqua, quia ab illa omnia vegetantur, quasi dicas, à qua viuunt omnia: homo quia de humo sumptus est: diues quasi diuus, quòd instar Dei plurima habeat, locuples quasi loci plenus, &c.

Exēplis docetur quā conueniant sæpe nomina rebus suis.

Ideóque Plato censuit nomina θέσει quidem constare: sed inesse quandam ὀρθότητα, quæ valeat φύσει, & non κατὰ συνθήκην, vt asserit Hermogenes in Cratylo: quæ verba intelligi vult non de erronea impositione, sed quæ sibi constet & de naturæ penu sit deprompta. Est enim ὀρθότης nihil aliud quàm consensus nominis cum ipsa re subiecta, quæ si discrepent nulla manet ὀρθότης, & ob id malè nomen impositum est. Ac esse aliquem huiusmodi cōsensum rerum & vocum inde cōstare potest, quia Deus author rerum & nominum, certo fine illa inuenit: per nomina enim rei natura exprimi debuit: vt est videre in his quæ Deo authore sua accepere nomina, *scammaim*, quia illic sint etiam aquæ: *scammaim*: terra verò *eretz* quia à cœlo perpetuo cursu ambitur. firmamentum *rakiam* quia sit expansum, & alia similia.

Deus per nomina rerū naturā exprimere voluit.

Deinde cùm nomina ipsa organa sint & quædam δηλώματα rerum, vtique non debent fortuita alia exprimere: sed rei subiectæ debent congruere, vt Ioannes verè gratiæ doctor fuit, Christus Iesus verè saluum fecit populum: Chrysostomus verè eloquens fuit. Nam si ὀρθότης non insit, ἀντίφρασις emergit, vt Parcæ quòd minimè parcant. Acacius, minimè simplex & purus in quibus natiua nomina vim suam amittunt.

Parcæ sunt dictę quod minimè parcant.

Tertiò, videre est eam ὀρθότητα in his qui scrutātur nominū origines, & ob id ὀνοματοθῆραι dicuntur: hi certo consilio & fine originalia vocabula venantur intuitu rerum proprietatem, à qua nolunt vocis significationem discrepare: vt Oribasius sit is qui montibus delectetur, non qui domi semper hæreat. Aqua significat rem humidam, non siccam, lapis duram, non mollem. Omega significat O magnum, non paruum.

4. Quod sanè apertissimè patet in nouis fingendis nominibus, quod fit vel vbi res nouæ, noua requirunt nomina, vt Bombarda rei nomen à bombis sumptum, quorū asperitatem & vim expressit bar & da, syllabæ.

Bombarda dicitur à bombis.

Aliàs citra necessitatē facta nomina, consonantiā hanc exprimunt, vt quòd Dionysius Siculus virginem μένανδρον appellauit, ὅτι μένει τὸν ἄνδρα. Columnam μενεκράτην, quia firma subsistat: Decipulam μυστήριον, quia mures τηρεῖ venatur. Alexarchus gallum dixit ὀρθροβόαν, quia manè caneret: Chenicem verò ἡμεροτροφίδα, quia in diem victum contineret. Hac ratione

Sophocles

Sophocles anchoram appellauit ischada, quia nauem continet à cursu. Quare est aliqua ὀρθότης nominum quæ φύσει constat. Non negamus interea multa esse arbitraria & eadem quoque significare κατὰ συνθήκην, vt vult Aristoteles: tamen non concedimus illam συνθήκην vbique locum habere posse sine consensu naturæ, sed illa extra propositum fortasse: qui volet repetat illa ex ipso Platonis Cratylo & ex Aristotele lib. περὶ ἑρμηνείας. & Macrobio lib. 1. Saturnalium, cap. 6. ex quo eadem repetit Cœlius. lib. 13. cap. 5. lect. Antiq. Nos ad τὸ πάρον reuertamur.

5. Dicendum nobis etiam vnde sumantur nomina. Ex superioribus iam constat aliam impositionem nominis esse veram, quæ rebus subiectis aliqua ratione certa congruit. Aliam contrà esse falsam, hoc est, vbi nomina rebus non respondent: hæc φαύλη sit θέσις, illa ὀρθή. de falsa, tanquam erronea non est quòd simus solliciti: *Falsi enim nullæ leges.* De concinna nominum impositione dicamus, cui competat illud, Conueniunt rebus nomina sæpe suis.

Plutarchus author est in vita Coriolani, Romanos Græcorum secutos consuetudinem, nomina solitos esse imponere vel ἀπὸ πράξεως τινός, ab aliqua actione. 2. ἀπὸ τύχης vel εὐτυχίας, ab euētu aliquo. 3. ἰδέας τοῦ σώματος, à specie corporis. 4. ἀπ' ἀρετῆς, à virtute, 5. ἀπὸ σκωμμάτων. à scommatis. 6. συντυχία γενέσεως, à natiuitate. 7. ἀπὸ σωματικῶν διαθέσεων, à corporeis affectionibus. hos enim modos fermè illic recenset: quos expendamus à corporis habitu exorsi. Duo sunt modi apud Plutarchum qui ad corpus pertinēt, ἰδέα & διάθεσις σώματος: sed est in idea diathesis, vt crassum esse vel macillētum: & in diathési quoque idea, vt cæcum, claudum, nigrum, rufum esse: sit igitur primus locus.

1. Nomina primùm sumi ἀπὸ τῶν σωματικῶν διαθέσεων à corporeis affectionibus: ad quam classem primùm refer nomina à coloribus indita: à nigro colore Nigri & Nigidij: à rufo, Pyrrhus, & Rufus, apud Græcos κύρρος καὶ πύρρωπος: ab albo, Albini, Albus & Albanus. sic Esau Edom dictus est, quasi Rufus. Nobis hodie in vsu sunt nomina à coloribus, inter quæ Albanum Germani etiam habent *Alben.* — 1. A coloribus.

2. Ad aduerso casu aliquo ἀτυχίᾳ quadam. hinc App. Claudius, inde Claudiorum familia, & hinc Cæci. — 2. Aduersus casus.

3. A membrorum aliqua singulari affectione, quæ est propriè διάθεσις, vt Simon à simis naribus. Silones & Sillæ à naso sursum repando, tamen Sylla per υ scribitur apud Græcos & Latinos. hinc à Sybillis dici Syllam aliis placet, vnde per contractionem factum Syllam. vide Suidam. Pansa à pansis capillis. Buccones à buccarum amplitudine. Lappa ab inculto capite. Capella à capillorum hirsutie. Mammula, quia esset papillosus vt fœmina. Nasica, quia obuncus naso. Antigonus Gonatus, quia magna haberet genua. — 3. Membrorum διάθεσις.

4. A statura corporis: vt Longini, quia longi. Columella, quia procerus. huc pertinet etiam obesitas & macies: ab illa crassi dicuntur, Galbæ. apud Græcos φύσκων. i. vētricosus, quod Ptolemæo & Pittaco inditum est cognomen. ab hac Macer, Macrus, Macrinus. nobis hodie *dürrbans Dürr.* huc refer etiā à forma & deformitate corporis sumpta. vt formosus *scœni* pulcher *hüpsch.* Carolus, Caluus. Fenestella etiam quia caluus. Hala à fœdo oris halitu. Hæc & similia à qualitate corporis ac partium eius sumuntur. — 4. Statura, forma & deformitas corporis.

II. Altera classis tribuatur illis, quæ συντυχίαν γενέσεως denotant. hoc Originis quoddam vitium: vt Proculus, quia natus absente patre. Posthumius, quia mortuo patre. Vopiscus qui è gemellis superstes manet. Cæsar, quia exectus è matris vtero. Thomas fortassè Græcis, Didymus, quia cum altero natus gemellus. Seneca, quia senex sit natus, ita Cassiodoro placet, referente Cœlio. ita natum etiam Numam Pomp. ferunt. — Nomen Seneca dictum volunt, quia senex natus.

III. Tertia classis tribuatur factis: quorum memoria imposito nomine conseruata est, vt Messala, à Messana nobilissima Siciliæ vrbe capta. Coriolanus à Coriolis captis. Hercules apud Thasios Σωτὴρ dictus est, quia eos seruasset. Scipio Africanus ab Africa domita. talia sunt Numidicus, Geticus, Asiaticus, &c. quod imitati Cæsares posteà multa sibi accumularunt nomina gentium domitarum. Hodie inanes mansere tituli, sine rebus vana nomina. — Ἀπὸ πράξεως τινός.

IIII. Quarta classis fortunæ tribuatur, ἀπὸ τύχης, vbi est vel εὐτυχία vel ἀτυχία & δυστυχία, ab euētu fausto vel infausto, à fortuna Sylla fœlix dictus est. Battus Eudęmon: huc pertinent quę boni ominis gratia imponuntur, vt Beneuentū, cùm priùs diceretur Maloeton, Maleuentum. Epidamnū mutato nomine dictū est Dyrrachium, ne in damnum naues venire dicerentur, &c. — Ἀπὸ τύχης.

V. Quinta classis τῶν ἀπ' ἀρετῆς, à virtute, vt à robore corporis & fortitudine Nerua, à neruositate vestigij. Sura à surarū robore. à liberalitate Εὐεργέτης Beneficus, à fraterno amore Philadelphus Ptolæm. ab audacia militari Ptolemęus κεραυνὸς Fulmen, de quo Pausanias. à pietate animi Metellus Pius, à pietate & officio in parentem, Cornelius Scipio, quia patrem cæcum pro Scipione, hoc est, baculo regebat. — A virtutibus & vitiis.

Pertinent huc à contrario, hoc est, à vitiis sumpta nomina. In genere à ruditate animi. vt Brutus quasi homo stupidus & brutis animantibus similis. Caius quasi rudis, Græcis enim γάϊος dicitur terrestris, à terra terrenum diceres: ab ebrietate Diotimus Choanus dictus est, hoc est, infundibulum, quia infundibulo ori inserto, incessanter infusum hauriebat vinum. Xenophon Rhodius ab eodem vitio dictus Metretes, quòd vini metretam hauriret. sic Congius Ciceronis filius. hinc Bibaculi, Amphoræ, Apitij, Heluones similiáque nomina. — A vitiis.

Ad virtutes etiã pertinẽt honestæ occupationes & studia vnde Lentuli, Pisones, Fabij, Cicerones, Hortẽsij, Stolones

Ad virtutes etiampertinent rerum inuẽtiones, vnde cognomina mansêre authoribus suis. Sic Claudius Caudex dictus est, non à stupore caudicis, vt quibusdam placet: sed quia primus docuit Romanos naues conscendere. Caudex enim dicitur plurium trabium cõtextus ein fleß C. Fabius Venox dictus est, quia solerter venas Appiæ aquæ conquisiuit & collegit. Sisyphus dictus à remediorum inuentione. q. d. θεόσοφος, nam Peloponesij θεὸν Σίον dicunt, instar Dei sapiens habitus est, pacatissimè regnauit, & remedia contra morbos præstantissima reperit, quæ ἀκεσώδυνα & ἀντίπαλα vocant, quia obluctantur morbis, & ὀδύνας, hoc est, dolorem sedant. Hinc locus datus fabulæ: nam fabulantur mortem à Sisypho in vincula fuisse coniectam. Iason à medendo, medicinam enim à Chirone didicit, à quo nomen etiam habuit, vt est apud Pind. φὴρ δέ με θεῖος ἰάσονα κικλήσκων προσηύδα, fera diuina me Iasonem vocans affata est.

VI. Sexta classis τῶν ἀπὸ σκωμμάτων, hoc est, quæ probri loco inserunt, aut dicterij nomine, vt Ptolomęo nomẽ Lamyri, λάμυρος enim facetus dicitur, qualis is fuit Antiochus, vel vt est apud Plutarchum Antigonus dictus est δόσων, quòd promittendo liberalis esset, nihil autem daret, Dabo, dabonis. Pergula, quia in adulterio deprehensus in pergulis latuit veniente marito. Cornelius Asina dictus, quia empto fundo, vel vt aliis placet filia elocata cùm sponsores ab eo solenniter postularentur: asinam produxit onustam pecunia, quasi pro sponsoribus præsens pignus. Tremellius Scropha, à faceto ioco, iurabat enim nullam esse in villa sua scropham, nisi illam quæ in centonibus iaceret, lectum monstrans.

In sacris literis ferè semper certa ratione nomina imposita legimus.

Hæc ex prophanis literis afferre placuit, quòd habere aliquem vsum videantur, & pars quædam sunt ἐτυμολογίας, quam iuuenes obseruare est valdè necessariũ. reuertamur ad sacra. In sacris literis nomina semper ferè certa ratione constant, in qua licet fallantur sæpè impositores: tamen ad finem aliquem respexêre, vt non tam in nominibus imponendis, quàm in fine errasse videri queant.

In his illa occurrit varietas. Nomina vel ab ipso Deo imponuntur: quò pertinent etiam ab Angelis mandata, aut immutata. Christo & Ioanni nomina ab Angelo ordinantur. Abrahę & Saræ à Deo immutantur. Adæ à Deo imponitur. Vel ab hominibus ordinantur nomina, ídque variis modis: aut enim ab euentu fortuito, vt Isaaco à risu: Iacobo, quia supplantauit fratrem. Benoni, quia moritur in partu mater, &c. aut præiudicio futuri euẽtus, vt Cain, Abél, Seth, &c. aut ominis gratia, vt Beniamin, Noach: aut rerum præteritarum memoria, vt Babel Pheretz, Ammon, Moab: aut professionis sunt nota, vt Iudęus, Christianus. Huc pertinent hodie ordinũ nomina, quæ professiones & sectas potiùs in religione exprimunt, quàm vllum habeant pium vsum, &c. Sed hactenus de impositione nominũ dictum sit aliàs de originatione dicemus plura, in primis de Germanica etymologia, &c.

QVOD BAPTISMVS SVCCESSERIT CIRcumcisioni.

LOCVS LXXIX.



QVI hactenus pædobaptismum impugnarunt, eo maximè nitebantur, quòd infantes priùs instituendi essent in fide, & sine Baptismo vitam æternam decedentes consequi possent.

Verùm quia his responsum, copiosè & verè est, noui fautores dogmatis illius ad noua sese contulerunt argumenta. Reperta sunt igitur ingenia, quæ à fundamentis Baptismum conuellendum censerent. Ad quam rem, idoneum visi sunt homines isti, aditum habere, si monstrarent Baptismum non succedere in locum circumcisionis: ideóque sacramentum non tanti esse momenti, quanti hactenus credidere homines Christiani: quo sanè impetrato, quidni pædobaptismus facilè non solùm eludatur, sed contemnatur liberè, & Baptismus in vniuersum eliminetur ab Ecclesia Christi? Quare vt illi solertes sunt in oppugnanda veritate: ita nos in defendenda decet esse vigilantes: illi noua indies proferunt & ἀθέμιτα ὥσπερ ἰὸς δηλητήρια ἐπιχειρήματα, infanda argumẽta tanquam lethali veneno tincta. Nos illis ex scripturis noua ἀλεξητήρια καὶ ἀντιδότους λόγους rationes quę venena illa extinguãt, proferamus, vt si illi sanabiles non sint, tamen veneni vim à nobis propellamus, & illa δόγματα ὀλετήρια dogmata pestifera, si non sanare, at aperire videamur: satis enim sit quãdoque medico, vim morbi patefecisse.

1. Indicabimus igitur Baptismum circumcisioni rectè esse substitutum.

Deinde quibus rationibus illi hanc successionem conentur tollere: quibus pro viribus & otio præsenti, Domino adiuuante respondebimus.

Probatur Baptismũ circumcisioni successisse.

1. Ac Baptismum successisse circumcisioni palàm est, orbis enim Christianus vbique omissa circumcisione, recepit pro illa Baptismum, & id ita constanter, vt nemo in censu Christianorum haberi possit, qui vel vtrunque simul, vel hoc neglecto, illam amplecti velit. Iudæum & Turcam natum ex circumcisione cognoscas, Christianum ex Baptismo: defectorem ex vtroq;

2. Com-

2. Communis igitur tessera est Christianismi Baptismus, & quam non erubescant pro cirmumcisione agnoscere: de iure igitur quærendum est, non enim mox quę publicam habent approbationem, vera sunt: videmus enim errores etiam quãdoque publica recipi approbatione.

Doceamus ergo Ecclesiam Christi rectè abolita circumcisione in illius locum recepisse Baptismum.

Ecclesia Christi abolita circumcisione Baptismum recepit.

Primùm, Christi Ecclesia rectè dicitur, quæ audit vocem illius, Ioan. 10. *Oues veri pastoris vocem norunt, & alienũ non sequuntur.* Christi autem vox est, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, Mar. 16. & Ioa. 3. *Nisi quis renatus fuerit, ex aqua & Spiritu.* & Matt. 28. manifesta est institutio Baptismi à Christo mandata Ecclesię, hanc de circumcisione nõ habemus. Nullibi illam mandauit Christus: sed nouo constituto sacramento veterem vmbram aboleuit.

Deinde Apostoli sequentes summi pastoris vestigia, eandem explosêre substituto Baptismo, Gal. 5. *si circumcidimini, Christus nihil vobis proderit.* de Baptismo contra habemus, *Quicunque baptizati estis, Christum induistis*, Gal. 3. Et quomodo hæc se non tollunt? Christum induere & Christum inutilem esse: hoc præstat: circumcisio: illud affert Baptismus: iure igitur explosa circumcisione: Ecclesia recepit Baptismum.

Sed fortasse ne sic quidem collimamus. Nam & Baptismum rectè institutum in Ecclesia esse à Christo & explosam circumcisionem: non tamen ob id vnum in alterius locum succedere. Videamus igitur etiam hoc.

Qua ratione quædam succedere dicuntur.

Primùm succedere sibi dicũtur, vbi vno abolito, alterum substituitur in locum illius. Vt Iosias abolet idololatriam, & substituit verum Dei cultũ: succedit igitur verus cultus malo sublato. sic corrigũtur vitia, quibus succedunt virtutes & morũ honestas. Corrigit errores sermonis magister in scripto discipuli: substituit elegantiores & emendatas phrases, sublatis malis bona succedunt.

Deinde succedunt sibi cohærentia temporum ordine. sic nox diei succedit, & vicissim dies nocti.

3. Succedunt etiam qui in officium substituuntur.

Succedũt quæ in locũ alterius veniunt.

4. Et succedunt in summa quæ in alterius locum veniunt, vt sint ἀντίτυπα in locum typorum subeunt: corpus succedit in locum figuræ. Hoc pacto, ni fallor, illi negant Baptismum successisse circumcisioni. Et quamuis ab illis iure postulandum fuerat, vt monstrarent illi alia analoga sacramenta in nouo & veteri Testamento, tamen præsenti seruiemus causę: & demonstrabimus Baptismum hoc ipso fuisse in locum circumcisionis substitutum, quia illa huius fuerit typus.

Circumcisio typus fuit Baptismi.

Primùm enim illa regenerationis fuit apud Iudæos Sacramentum, quemadmodum Baptismus apud nos. Et dabatur quidem in carne, sed cum dolore & sanguinis effusione, quæ Baptismi imago erat. Admonebat autem eos de pœnitẽtia & interiori emendatione quadam cordis. ideóque circumcisionem cordis scriptura exigit, & in persona Dei, Deut. 10. *circumcidite præputium cordis vestri.* & 30. *circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum.* Ierem. 4. *Circumcidamini in Domino.* & passim Prophetæ cordis emendationem vrgent.

Idem Baptismus in nobis requirit. *hinc Baptismus pœnitentiæ dicitur.* Luc. 3. Mar. 1. *& lauacrum regenerationis*, Tit. 3.

2. Sed & circumcisio non sine Baptismo fiebat: nam sanguinis effusione facta, resecto præputio in proprio sanguine tingebantur. Typus igitur fuit Baptismi: & finis quoque idem, idem igitur Sacramentum Symbola tantùm diuersa.

Sed requirunt expressam Scripturam. quòd si vt Iudæi hoc facerent, remitteremus illos ad Mosen suum, & Prophetas, qui Messiæ & nouũ tribuunt *berith* & noua fœderis Symbola, quę prioribus vt analogia instituta erant, requirãt ipsi: & discant à doctoribus Rabinis, quòd conuersi à gentilismo ad fidem Iudaicam non circumcidebantur sed baptizabantur.

Præterea quòd fideles matronæ non circumcisæ sed baptizatæ sunt, vt tradunt de Sara, Rebecca, Rachele & Lea. sed quia Christiani sunt, damus illis Paulum Col. 2. *Per quem circumcisi estis circumcisione non manufacta, in depositione corporis peccatorum carnis, in circumcisione Christi, cõsepulti cũ illo in Baptismo.* In quibus verbis Baptismus circũcisio Christi dicitur, quare illius habuisse typum necessum est, alioquin non erat ratio cur Baptismum & circumcisionem hic cõnecteret. Cõstat ex his typum fuisse: sequitur igitur rectè Baptismum circumcisioni successisse, nec solum quia simpliciter hoc factum est à Christianis, sed quia ita fieri debuit.

Ratio, quomodo circumcisio fuerit typus Baptismi.

Hanc sententiam confirmat consensus veterum scriptorum, de quibus paucula proferemus testimonia. Iustin. martyr & Philosophus Christi, contra Tryphonem agens de hac re ita scribit: παρελάβομεν οὐ ταύτην τὴν κατὰ σάρκα περιτομὴν ἀλλὰ πνευματικὴν ἣν Ενωχ καὶ οἱ ὅμοιοι ἐφύλαξαν, ἡμεῖς δὲ διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτὴν ἐλάβομεν, assumimus non eandẽ circumcisionem in carne, sed in spiritu quam Enoch & alij similes reiecerunt: nos autem per baptismum recepimus illam.

Sententia veterũ.

Et paulò superiùs externam circumcisionẽ ait τύπον fuisse internæ & ἀληθινῆς περιτομῆς veræ circũcisionis per quã ab erroribus & malitia simus circũcisi per eũ, qui vna Sabbathorũ resurrexit à mortuis: quæ si vera esse debẽt, vti sunt, oportet circumcisionem illam externam nostri Baptismi τύπον fuisse, qui & ipse nos ad eam Christi regenerationem perducit.

Athanasius quoque in hac est sententia, in sermone explicans illud Luc. 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* Circumcisio figura erat exuuiarum quę per Baptismum deponuntur, & mox, Abraham enim vbi Deo crediderat, circumcisionem recepit pro nota insignibúsque eius regenerationis, quæ per Baptismum conficitur. Quapropter vbi venerat res, quæ figurâ denotabatur: nota ipsa, figuráque intercidit & conquieuit. Circumcisio enim nota erat: lauacrum autem regenerationis, idipsum est, quod denotabatur.

Et Epiphanius appellat Baptismum circumcisionem magnam: vt contra Epicuros agens. *Illic fuit circumcisio carnalis, quæ inseruiuit vsque ad magnam circumcisionem, hoc est Baptismum, qui circumcidit nos à peccatis & obsignat nos in nomen Dei.* Et contra Cerinth. *Durauit circumcisio tempori inseruiēs, donec maior circumcisio accessit, hoc est, lauacrum regenerationis.* August. epist. 108. expresse affirmat Christum in Ecclesia sua dedisse pro circumcisione carnis, sanctum Baptismū & in epist. ad Dardanum, eiusdem naturæ esse testatur circumcisionem & Baptismum.

Maneat ergo indubitata successio Baptismi in locum circumcisionis: quia Christus ita instituit, Apostoli docuerunt, sancti Patres sic intellexerunt, & pia Ecclesia sic accepit, seruátque ac seruabit vsque ad Domini Christi aduentum, qui hosce cum aliis doctrinæ suæ corruptoribus iudicabit.

2. Dignum autem fuerit illorum audire rationes, quibus hoc nouum dogma fulciunt.

Rationes eorū qui negāt baptismū successisse circūcisioni.

Primùm aiunt, Circumcisio non nisi vni sexui mandata erat. Gen. 17. contra Baptismus vtrique sexui conuenit, Matt. 28. Mar. 16. Act. 8. 16.

R. secundum quid, monstrat differentiam, & simpliciter concludit negatiuè: speciosum argumentum, ab eo quod est secundum quid, ad id quod simpliciter. Ac si dicas Cæsar pictus non est typus viui Cæsaris, quia ille sedens pictus est, hic autem equitat: sed quid si ob id ipsum debuerit succedere Baptismus tanquam perfectior, pro circumcisione, vni tantùm sexui idonea? An verò admittamus successionem han, etsi vni tantùm sexui applicetur Baptismus? sed quid si ne tùm succedat, si per omnia idem fiat Baptismus, oportet enim res aliquas esse differentes, vt salua maneat successio. Quæ idem sunt per omnia nullam habent successionem nec tempore quidem, ne dicam typo: cùm de singulis circunstantiis hoc pacto possim excipere, hoc illam habet circunstantiam, illud eadem caret, ergo nō succedit: sed quid illud est? ineptire potiùs quàm successionem iustam tollere.

Circumcisio cordis vtrique sexui conueniebat sed carnis vni tantū & cur.

Porrò quòd vni sexui solum applicata fuit circumcisio, sumit ex Gen. 17. simpliciter verū non est: nam res circumcisionis & substantia fœderis pertinent etiam ad alterum sexum, secundum illud, *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* deinde cordis circumcisio vtrique conueniebat, quò illa externa referri debuit. Quod carnis circumcisionem attinet, vni tantùm sexui mandata fuit, quia alter sexus illius signi nō erat capax. At Baptismi capax est: nō igitur prohibet, quin succedat. At in applicatione signorum ratio habenda est personarum, cum quibus fœdera cōtrahūtur. Contrahebat Deus cum Abrahamo fœdus, illius ergo ratio habita est, & illi competens signum constitutum, cuius solus mas esset capax, à re signi autem mulier non excluderetur. Deinde Apostolus ad Rom. 4. perspicuam huius rei affert rationem, quia circumcisio non dabatur in iustitiam, sed in signum iustitiæ, εἰς σημεῖον, οὐκ εἰς δικαιοσύνην, ideóque signaculū appellat. Cuius iustitiæ cùm particeps esset Sara, non referebat quo signo fœdus cōfirmaretur inter Deum & Abrahamum, ideóque Iustinus martyr hinc colligit circumcisionem non esse iustitiæ opus, quia ad fœminas non pertineret, cùm Deus iusta tam à mulieribus, quàm à viris præstari velit. Vult autem ostendere, ad salutem, nullam esse prærogatiuam viro præ fœmina, quod circumcisionē attinet. Quod si verum est, nulla est causa, quo minùs Baptismus illi succedat, licet illa viris solum, hæc etiam fœminis sit communis. Videtur autem hic vir Iudaismū sapere, dū quærit tale correspōdēs Sacramentū, quod solis etiā viris competat in nouo Testamēto. Ita non solum conculcat Baptismum, sed Iudaismo aut Machumetismo aperire fenestram nititur.

2. Circumcisio non nisi octauo die fiebat: contrà Baptismus nunquam non administratur: dummodo baptizandus crediderit, Act. 8.

R. Mala est consequentia à circunstātia temporis. Baptismus liber est, circumcisio autem octauo fiebat die: ergo non succedit ille huic. Hoc quidem hinc infertur: ergo baptismus ratione temporis non succedit circumcisioni: vt scil. administretur solum octauo die quemad. non successit vt administretur solum masculis: in his rectè cōcluderet. Verum ampliorem affectat prędam, vt scil. penitus non successerit. sed quis non videat plumbeum illud medium? singulare est & tamen non erubescit elicere vniuersalem conclusionem: quin etiam si colligat, Pesach semel tantùm in anno celebrabatur, ergo cœna Domini ei non successit, quia sæpiùs administratur, aut Pesach in primo mense solum celebrari debuit: cœna nunquam non ergo non successit Paschati, quid nugari est, si illud non sit?

Verùm idē Spiritus hîc se prodit, qui suprà. Primū desiderat alia sacramenta veteribus analoga, pertæsus fortè horum, quę Ecclesia semper habuit: deinde vult in omnibus etiam circunstantiis noua veteribus respondere: sed ne quidē succedere tùm possunt, sed eadē erūt. oportet enim differentiam aliquā relinqui, si modo salua debeat esse successio, demum manifestè prodit se spiritus Anabaptisticus, dummodo baptizādus crediderit. ergo nisi credat, nō tibi baptizabitur.

bitur. Vis dicere infantes non esse baptizandos, hoc ipso, quia nondum possunt credere: quo facit locus ab eo citatus Act. 8. Phil. in Samaria prædicat. cui cum credidissent de Christo euangelizanti, baptizati sunt viri simul & mulieres. sic de Eunucho dicitur, quod sit baptizatus à Phil. postquam credidit & Lydia credit Pau. posteà demum baptizatur: ita custos carceris cum sua familia. Sed quid eademne tibi videbitur ratio adultorum & paruulorū? de illis rectè dicas, priùs fidem suam confiteri debent, antequam ad baptismum admittātur: sic enim Ioannes Baptista, sic Christus, sic Apostoli, priùs docuere: & qui doctrinam admitterēt, & sese nouo cœtui adiungerent, eos baptismo incorporarunt credentium cœtui. Hæc ratio cum infantibus non potuit: quemadmodum nec in circumcisione. Et cùm totæ familiæ dicūtur baptizatæ, vt Act. 16. custos carceris cum omnibus domesticis, & 1. Corinth. 1. *domus Stephanæ à Paulo baptizata est*: magna est audacia, familias sine infantibus cogitare. At leguntur tantùm baptizati adulti. Respond. sed non omnes: ergóne de quibus non legitur, non baptizatos dices? deinde in colligenda Ecclesia opus erat solum adultorum testimonio & confessione: nam his credentibus sua authoritate reliquam familiam & iuniores secum adducebant: satis igitur erat perstringere adultos fuisse baptizatos, quorum authoritate reliqua parebat familia, quemadmodū ad Iudaismū conuersi gentiles secum deducebāt suas familias. Sed vrget τὸ ῥητὸν, *Quicunque crediderit & baptizatus fuerit*, &c. Ei reponimus, si placeat syllabas numerare Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, &c. vides pręcedere aquam, hinc sequi spiritum: pari iure concludam: ergo infantes baptizandi sunt.

Anabaptistica opinio: nepe nullos esse baptizādos nisi credant.

Etsi legātur soli adulti baptizati, tamen reliqua intelligitur familia.

Sed & illud præsumptuosè facit, quòd infantibus planè fidem negat: notum est à multis eis fidem tribui, & Augustinus non dubitat illis eam tribuere. Sed esto, fidem non habeant quādo quidem miraculosa ratione illis concedi fidem scriptura non exprimit, quamuis Deus id possit: sit ergo infantes fidem non habere, habent tamen eā parentes, & sunt ipsi sancti, 1. Cor. 7. & pertinent ad Ecclesiam, & habēt spiritum Sanctum qui administrator est veri Baptismi. Quid ergo impedit quominus baptizentur? an infœliciores erūt infantibus Iudæorum, quos nō excludebat infantia à signo fœderis? an noster Baptismus circūcisione est inferior, vt non applicari possit infantiæ? Sed & infantes suo modo fideles dici possunt: habent fideles parentes, habent Spiritum sanctum, nostrum est benè de illis sperare, cùm sit occulta Dei secreta electio. Nulla igitur honesta ratione Baptismus illis negari potest. Sed reuertamur ad pręsens argumētum. Octauo solum die administratur circumcisio: Baptismus nunquam, non ergo ille huic nō succedit: diximus falsam esse consequentiam. Addamus nūc & illud eo ipso rectè astrui successionem. Nam octaui diei elegans est typus ad Baptismum, per quem in Christo resurgimus à peccatis ad nouitatem vitæ. Nam Christus octauo die resurrexit, in qua plena est peccati abolitio, & nos in eodē. Colos. 2. sic de hac re loquitur Augustinus epi. 89. & Iustinus martyr. Cyprianus ad resurrectionem quoque refert nouæ vitæ: quòd qui se Deo consecrassent vitæ innocētia, post septimanam huius vitæ, octaua. hoc est, æternæ beatitudinis consortes fierent. Et Athanasius, *Exuimus eum qui sexta die mortuus est, & renouamur dominica die.*

August. fidem infantibus tribuit.

Parentes fidem habent, infantibus vtilem.

Apud Iudæos infantia nō excludebat à signo fœderis nec etiam apud Christianos excludere debet.

III. Circumcisio etiam adultis citrà vllam verborum administrabatur formam. Cōtrà Baptismus sine illa forma, *Ego te baptizo*, &c. fieri nequit. Respond. Quia diuersa sunt symbola, rectè forma administrādi etiam diuersa fuit. ac de formula in circumcisione vsurpata nihil habet scriptura, solum ritū exprimit, Gen. 17. & Ios. 5. tamen Iudæi hodie non solum ceremonias in actione certas habent: sed etiā verborū conceptam formulā, non enim muti peragunt totam illam actionem. Baptismi autē forma certa est à Domino Christo expressa, Mat. 28. Marc. 16. Sed quid hæc ad successionem? probandum erat illi rem sacramenti aliam esse, aut verborū formulam talem, quæ successionem legitimam excluderet, quorum neutrum facit.

Quibus verbis circumcisio administraretur scriptura nō exprimit.

IIII. Baptismus nisi ritè administretur, reiteratur, Act. 19. At circumcisio etiam à fœmina collata nequaquam repetitur Exod. 4.

Respon. Circumcisio repeti non potest in vno & eodem homine, siquidem præputium tantùm vnum est: sed quid sibi vult à fœmina administrari? an ne vt Baptismus quoque administretur à mulieribus? quòd sanè hæretici nōnulli permisere: & Marcioni apertè hoc obiicit Epiphanius. Sed esto, illa de circumcisione solùm dicat. Num singularis casus Sephoræ in circumcidēdo Eleazaro filio, legem ponet, vt mulieribus liceat conferre inter Iudæos circumcisionem?

Ad alterum veniamus. Baptismus nisi ritè administretur, reiteratur. Rebaptistam agnoscas hic. sed vnde reiteratio probatur? Act. 19. *Paulus Ephesi baptizatos Ioannis baptismate, baptizauit in nomine Iesu.* Primùm verbis Lucæ fit iniuria: non enim scribitur, Et rebaptizati sunt, *sed baptizati sunt in nomine Iesu.* deinde nondum satis constat an baptismus hic professionem Christianismi significet, vt mens sit, Initiauit eos in nouū doctrinæ & professionis genus, quæ verba per sequentia explicantur, *Et impositis manibus descendit super eos Spiritus S.* Sed esto, sint baptizati hi 12. viri, à Paulo. Prior baptismus, baptismus non erat: nam de Spiritu Sancto nihil audiuerant: non igitur baptismus fuit, quare non iteratio sed noui erat collatio, quem priùs non habuerant. Augustinus alibi scribit, quosdam dixisse, hos discipulos mentitos fuisse, & non accepisse Ioannis baptismum. Alij conati sunt effugere, vt dicerent Ioannis baptisma non fuisse idem cum Christi baptismate, sed illi tamen militasse. D. Hieronymus ait imperfectum fuisse,

Exemplum Sephoræ est singulare nec imitandū fuit Iudæis. Nicep. lib. 8.

cap.45. narrat de Athanasio, quòd per ludū baptizarit pueros, qui ab Alexādro ordinario episcopo nō fuint baptizati.

quia Spiritum sanctum non dedit, ideóque baptizandos fuisse.

Et quàm fuerit veteribus exosa baptismi reiteratio facile patet ex illis.

Primùm, Cyprianus (qui tamen contēdebat ab hæreticis baptizatos retingendos esse) disertè scribit sermone de ablutione pedum, Baptismum repeti Ecclesiæ prohibent regulæ. Iustinus martyr quæstione 14. respondet baptismum non repeti, sed corrigi σφάλμα τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος τοῦ βαπτίσματος, τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου. i. mutatione. sententiæ lapsus prauæ opinionis corrigitur: vnguēti autem sancti vnctione, lapsus in baptismo admissus emēdatur. quæ si vera sunt Iustini verba. illo seculo planè non repetitus fuit baptismus. Et constat ex decretis non rebaptizandos esse. Vide de consecrat. dist. 4. c. Quanuis: & paulò infrà, Rebaptizare hæreticum. Augustinus quoque eandem rem persequitur, Tomo. 7. Et quia de facto Pauli hic queritur, conferatur id cum cōsilio eiusdem Apost. 1. Cor. 1. vbi Paulus abusos fuisse quosdam malos & doctores Corinthiorum aliquorum baptismate: vbi tamen non iubet vt repetatur: sed vt corrigatur menda, hoc est, ne sectas ex doctorum nominibus instituerent, & in illorum nomina quasi iurasse viderentur.

Verùm illa omnia omittamus, demúsque in certo casu repeti posse baptismum, vt cùm in Trinitatem non baptizātur, vel in idoli nomen: vt constet illud, ὅσοι μὴ εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα ἐβαπτίσθησαν, τούτους δεῖ ἀναβαπτίζεσθαι, quotquot non sunt baptizati in sanctam Trinitatem, illos oportet rebaptizare. Quid tandem hinc concludetur? Baptismus in certo casu repeti potest: Circumcisio autem non potest repeti, ergo baptismus non successit in locum circumcisionis, Ego verò miror concludendi genus: dicam sic etiam. Pascha repeti toto anno non debuit: cœna autē debet: ergo cœna Paschati non successit: probanda erat illi consequentia illa falsa quod ob id non succedit, non enim vera causa affertur.

V. Circumcisio nemini ex gentilismo conuerso dabatur, si non illi manendū erat inter Israëlitas. Patet ex Naamano Syro, Ietrone, Nabuchodonosore, &c. At baptismus nemini mortalium non concedendus si modo credat. Mat. 28.

Respon. Qui conuertebantur ex gentilismo, & mansuri erant in populo Dei certis ceremoniis, tandem suscipiebant circumcisionem: qui Iudæi autem nollent esse nec censeri vel haberi, nō erat opus populi illius signaculo: Baptismus erat obsignatio Ecclesiæ Christi, omnibus volētibus in eadem esse & manere: sed quemadmodū circumcisio nō dabatur ei, qui inter Israëlitas manere nollet: ita baptismus nemini datur qui Christum quidem fateatur, sed de Ecclesia illius esse nolit, nolit etiam haberi Christianus: Nam Naaman, etsi esset curatus à lepra, Iudæus tamen esse nolebat. Ita socer Mosis agnoscebat pręsentiam Dei in illo populo, tamē de numero illo haberi nolebat. idē dici potest de Nebuchadanezare, qui Iudęus esse noluit, alioqui circumcisi tandem fuissent. sic de baptismo ratio planè similis est. Iudæus vel Turca licet agnoscat Christum Dei Filium, nolit autem esse Christianus vtique baptismum non accipiet.

Baptismus nemini datur qui nolit esse Christianus.

Verùm vt & hoc demus: quid ad rem? Ergo non succedit: afferat consequentiæ rationem.

VI. Sic circumcisio idem sacramentum, quod Baptismus fuit: ergo circumcisionis figura erat diluuium, siquidem baptismi fuit. 1. Pet. 3. quod vtique falsum est.

Respond. Primùm, non dicimus idem esse circumcisionem & baptismum, sed hunc illic successisse: tamen demus idem esse sacramentum, quod rem ipsam & scopum attinet: diuersa autē fuisse Symbola vtrinque, aliásque circunstantias, quæ tamen successionem non impediunt. Interea longè aliud est, idem esse, & aliud alteri succedere. Præterea, vnius typus non est necessariò alterius quoque typus, nisi rē ipsam spectes. Vt diluuium typus est baptismi, quia octo animæ seruantur in Arca Noë, quæ typus erat Ecclesiæ, quæ seruatur baptismum regenerationis & veram cordis circumcisionem: quatenus igitur spiritus, & circumcisio cordis idem sunt reuera: non discrepat ab vtroque typus diluuij. Quatenus verò Symbola hinc inde variant, non est necessum, diluuium circumcisioni accommodare vt ἀντίτυπα. Sic maris transitus & nubes, τύποι fuere baptismi: nō est necessum vt idem typus applicetur ad circumcisionem, nisi ad rem ipsam respicias: manet interim salua successio. Vna res diuersos habet typos, qui inter se tamē non habent typicam rationem: vt Æneus serpēs typus fuit Christi, Ionas itidē fuit typus Christi: ergo Æneus serpens typus fuit Ionæ? nō sequitur: diluuium fuit typus baptismi & transitus maris fuit typus baptismi: ergo diluuium fuit typus marini transitus. Itē nubes fuit typus baptismi. 1. Corinth. 10. & diluuium typus baptismi, 1. Pet. 3. ergo nubes fuit typus diluuij? simile est, diluuium fuit typus baptismi, circumcisio fuit typus baptismi: ergo diluuium fuit typus circūcisionis? opinor pueros in scholis ridere ita colligentē in secunda figura affirmatiuè.

Diluuiū fuit typus baptismi, itē transitus maris rubri.

VII. Si circumcisio idem est cum baptismo, ergo Israëlitis aut duę circumcisiones, aut duo baptismi erant à Corinth. 10.

Respond. Priùs diximus lōgè aliud esse vnam alteri succedere, & duo idem esse, ideò fraudulenter agit, qui alia vtitur voce nunc, quàm thesibus præfixit, nam titulus ita habet. Cōclusiones quòd Baptismus non successerit circumcisioni contra pædobaptistas. Nos contra ostendimus circumcisioni baptismum successisse pædobaptistis. Iam verbum succedendi trāsformat in idem esse, diximus tamen suo modo idem esse symbola diuersa.

Deinde

Deinde quomodo probabis Israëlitis duas fuisse circumcisiones? fortasse quia transitus per mare & circumcisio carnis idem tibi sunt: quod probas in secunda figura affirmatiuè. transitus per mare est typus baptismi.1.Corinth.10. & circücisio est typus baptismi, secundum nos. ergo transitus per mare & circücisio idem sunt secundum te. Quid si ita concludam? Quæ idem sunt non constituunt duo sacramenta: illa duo idem sunt, vt tu malè concludis: ergo non constituũt duo sacramenta, quod verum est. ex falsis enim verum, concludi potest. Sed quod res est, dicamus, Israëlitis duæ circumcisiones fuere: alia in carne, alia cordis. Deut. 10. *circumcidamini præputio cordis vestri.* Ierem. 4. *circumcidamini Domino, & auferte præputium cordis vestri.* Imò Iudæi quadruplices agnoscunt circumcisiones, carnis, oris, aurium & cordis: & tibi absurdum est duas esse? De baptismo idem dici potest, duos habere, vnum corporalem, alium cordis regenerantem nos ad vitam æternam. Sed illud non vis: hoc fortè: duas circumcisiones externas, aut duos baptismos externos. Circumcisionem corporis & baptismum in mari & nube. Atqui idem dicis esse, & confirmas: non duo ergo sunt, sed idem. Quòd si fine & substantia dicas fœderis, damus: sin symbola dicas idem esse, negamus, & diuersa dicimus: non timentes illas telas aranearum.

Ex falsis verum potest cõcludi.

VIII. Si Circücisio idem est, quod baptismus: ergo Christus, Apostoli, & quotquot erãt ex circumcisione, bis fuerunt tincti, quod est absurdum.

Respond. Idem esse, & succedere, aliud est quod infert. Christus ergo & Apostoli fuerunt bis tincti, negamus. Sed hoc sequitur firmiter, Christus est circücisus, Luc. 2. & Christus est baptizatus, Matt. 3. baptismus autẽ & circücisio re & substantia idem sunt sacramentum, seu diuersa eiusdem symbola: ergo vtroque sumbolo Christus initiatus est. Apostolorũ circumcisionem & baptismum non legimus, credimus autem: non enim sequitur: ergo bis tincti sunt: quia externa symbola non sunt vnum & idem.

IX. Manna quodammodo respondebat cœnæ dominicæ: sed Manna Israëlitarum nondũ adulti liberi vescebantur: cùm tamen cœna dominica eiusmodi infantibus non liceat vti, iuxta illud, probet autem seipsum homo: nam non potest rationis expers seipsum probare: ergo non valet argumentum, à circumcisione sumptum.

R. Argumen. hoc non pertinet ad negandam successionẽ baptismi, quod initio cœperat, sed ad subuertẽdum planè pædobaptismum, in quo se prodit spiritus anabaptisticus. Nos probamus ab analogia pædobaptismũ. Sub Mose circücisi sunt infantes: Ergo sub Christo baptizandi sunt infantes: quia baptismus circuncisioni successit. Contrà, ille excipit non consequi, quia cœna Mannæ respondens non datur infantibus, cùm Manna infantes etiam vterentur. Respondemus malam adferri analogiam Mannæ & cœnæ. Manna enim non fuit ordinariũ sacramentum in populo Dei, quemadmodum nec coturnices in deserto, aut aqua de petra: nec harum rerum instituta fuit celebratio. Circuncisio autem & pesach fuerunt fœderis sacramenta, quibus hæc nostra analoga sunt. Ac mirandum est, cur placuerit illi cœnam Mannæ aptare, cur non Paschati cõfert: sed vidit obstare illi quòd ad esum agni Paschalis tota familia admittitur, & ob id pueri etiam, verè παῖδες, quorum hic baptismum demolitur. deinde nouus spiritus omnia sacramenta à fundamentis immutare nititur: vt pædobaptismum tollat quærit baptismo aliud ἀντίτυπον, negans circuncisionem huc pertinere: vt cœnam profanet non ad pesach refert, sed ad Man in deserto.

Manna non fuit ordinarium sacramentum in populo Dei.

Sed reuertamur. probandum erat negocium per aperta, quæ in controuersia nõ essent: alioqui peti principium dicemus, & declarari obscura per magis obscura. Probandũ erat illi pueros nõ baptizãdos: Argumentũ sumit, quia pueri non admittuntur ad cœnam, ergo nõ ad baptismum: vtrunque perinde controuersum est. Sed esto: probet pueros nõ esse admittendos ad cœnã. adfert analogum, quia admittebantur ad Mannæ esum. habes expressum argumentum: ergo ad cœnam non debẽt admitti. Contrà, si analoga sunt Man & Cœna, & illic admissi sunt infantes ad esum mannæ: ergo hîc admittendi infantes ad cœnã. Vides te laborare in tua analogia cœnæ & mannæ? sed ad rem. Colligis, pueri non sunt baptizandi, ratio: quia non ad cœnam admittendi. Respond. oportere rem dubiam, non per æquè dubiam confirmari. An nescis diu controuersum, sint ne pueri ad cœnã admittendi? Certè tempore Cypriani infantibus dabatur cœna. Et Augustini temporibus idem factum apparet ex epist. 23. & Sermone 8. explicãs verba Apostoli. 1. Tim. 1. fidelis sermo, & dignus quem omnibus modis suscipiamus, &c. & in hypognostico contra Pelagianos lib. 5. Quid ergo tot damnabit ille Ecclesias, qui ita cœnã celebrarunt? Sed esto, non rectiùs hodiè habere constitutas Ecclesias in hac re, &, quod verum est, meliùs negari infantibus cœnam, quàm dari, an ob id negari debet baptismus? quis enim apud Iudeos tulisset hũc cauillũ: Circücisio fœminis non datur, ergo pesach etiã illis dari nõ debet?

Tempore Cypriani dabatur infantibus cœna.

X. Baptismus datur in remissionem peccatorum, Luc. 3. Act. 2. & 22. contrà, circumcisio non, nisi signaculum fidei iustitiæ erat, Rom. 4. imò nihil valet, 1. Cor. 7. Gal. 6.

R. Seipsum euertit. Si enim baptismus datur in remissionem peccatorum, vtique illius remissionis obsignatio est, quemadmodum circumcisio obsignatio iustitiæ. Ideóque Apostolus de Abrahamo ait, quòd in præputio placuerit Deo, & iustus sit pronuntiatus, postea autem signaculũ iustitiæ acceperit. Conueniunt igitur in eo baptismus & circumcisio. ideoq; rectè do-

cemus baptismum circumsioni successisse. Deinde corrigit se, imò nihil valet. quomodo hæc se non euertunt? signaculum esse iustitiæ fidei, quod rectè probauit ex 4. Rom. & eandem nihil valere? quod non rectè huc accommodat ex 1. Cor. 7. & Gal. 6. Nam Apostolus non eodem pacto loquitur in his locis de circumcisione. Ad Rom. commendat fidem Abrahæ, quæ sit confirmata speciosissimo illo signaculo, circumsione scilicet, eámque ibi non damnat. At ad Corinth. & Gal. loquitur de circumcisione iam abolita & sublata per Christi aduentum, quę vtique nihil valet, & quia abolita est, & ob id ei successit baptismus.

XI. Baptismus facit vt Christum induamus, ad Gal. 3. contrà circumcisio efficit, vt nihil nobis Christus prosit, Gal. 5.

R. Simpliciter conuertamus argumentum in aduersarium. Circumcisio sublata est per aduentum Christi, ideóque nihil prodest: imò efficit vt etiam Christus nobis nihil prosit, si post illius conditionem eam admittamus. Baptismus autem nos Christo inserit, & efficit vt Christũ induamus. Ergo rectè, abolita circumcisione, successit illi baptismus, Nec video quid hic contrà dici possit, &c.

QVOD COENA DOMINI SVCCESSERIT Paschati.

LOCVS LXXX.



Duo fuere sacraméta veteris Testamenti quibus duo noui Testamenti successerint.

DVO esse sacramenta veteris, totidem etiam noui Testamenti, sacræ literæ docent: & ex his patres euincunt Eucharistiam etiam Paschati succedere: publicus quoque consensus affirmauit. nam licet de numero sacramentorum dissideant hodie Christi Ecclesiæ: tamen hactenus inconuulsa mansit sententia hæc, duobus veteribus, noua duo successisse, Cœnam Paschati, Baptismum verò Circumcisioni. Ac poterat certè hîc tacitus consensus nobis veritatis esse argumentum. tamen quia vitia quoque & errores interdum catholicam consequuntur approbationem, nõ fuerit alienum, rem hanc accuratius inspicere.

An igitur rectè sic ordinata sint sacramenta, in dubiũ nonnuli vocant. Cœnã dico non Paschati, sed Mannæ potius respondere. Baptismum non Circũcisioni: sed nescio cui succedere.

Ac de Baptismo quidem accuratius rem persequitur is, qui hoc sibi negotiũ selegit. de Cœna verò parciùs, opinor veritatis luce obrutus, non potuit aptas contentioni latebras reperire. De Baptismi successione aliàs dicetur, quòd rectè in locum circumcisionis sit repositus. Nunc breuiter, quòd cœna rectè & piè, loco Paschatis, sit ab Ecclesia Christi recepta, ostendendũ est.

Christus ita instituit.

Primùm ex institutione Christi, Luc. 22. manifestissima est successio, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha, & misit Petrum, & Ioannem* dicens. *Euntes parate nobis Pascha, vt edamus,* &c. mox vesperi accubuit Dominus Christus, vt Lucas & reliqui testantur Euangelistæ, & pesach Mosaicum celebrauit: positis vestibus lauit pedes discipulorum, vt testatur Ioan. cap. 13. mox iisdem resumptis iterum accubuit, ac cœnam instituit. Manifesta est successio cœnæ Dominicæ, & cœnæ legalis: nec potest eludi, cum Dominus Christus eam mox huic, tempore subiecerit.

Nam cœnam legalem Christum celebrasse expressè testantur verba, cùm Paschatis bis fiat mentio, & paratæ cœnæ legalis finis (Vt edamus) Quòd verò eidem legali cœnæ, subiecta sit cœna dominica, quoque perspicuum est: quia illa peracta, noua institutio expressis verbis subiicitur: nam cùm gratiis actis dicit, *Accipite, edite, hoc est corpus meum*: item, *hic est sanguis meus*: illa verba non ad legalem cœnam, sed ad Eucharisticã noui Testamenti, pertinent. Quare firmissimum est, Christus hãc cœnam suam, legali subiecit, institutione, celebratione & tempore: ergo rectè & piè ordinatum est in Ecclesia, quod hanc successionem sacramentorum ita docent & credunt fideles.

Paulus sic docet

2. Sic docet Apost. Paulus. 1. Cor. 5. *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*: quod si Christus noster est agnus Paschalis, quemadmodum affirmat Apostolus, superest vt cœna Domini nostrum sit pesach: nam vt in cœna Paschali, Iudæi celebrabant memoriam beneficij patribus exhibiti in Ægypto: sic nos in cœna Domini memoriam beneficij per Christum exhibiti. Ostendãt ergo illi alium agnum Paschalem pro nobis immolatum, si cœna Paschati non respondet.

Idem subiectum materiale.

Sed nos vnũ & idem affirmamus esse, circa quod vtraque cœna versatur: Christus nimirum, vera & immaculata hostia, quæ debuit satisfacere iræ diuinæ: ideóque scriptura vbiq. sanguine Christi seruatos commemorat. Rom. 3. *Per fidem interueniente ipsius sanguine.* Eph. 1. *Per quem habemus redemptionem, per sanguinem ipsius.* Eph. 2. *Facti estis propinqui per sanguinem Christi*, aliisque locis innumeris vt 1. Ioan. 1 1. Pet. 1. Heb. 12. & 13. Col. 1.

Discri-

Nec est hic aliud discrimen, nisi quòd in agno Paschali Christus venturus præfigurabatur, qui

qui morte & aspersione proprij sanguinis suos redimeret à cæde percussoris. In cœna autem iam exhibitus, & beneficium præstitum agnoscitur. men Paschatis & Cœnæ.

4. Quò facit similitudo beneficij vtrinque. Nam in Paschali cœna Iudæi celebrant beneficium illud summum & maximum, quod ex seruitute Ægyptiaca liberati sunt patres & inducti in terram illam patribus promissam. Nos verò in cœna, ter maximum beneficium, quo Deus Pater, per Filium vnigenitum, humanum genus liberauit ex illa graui & dira seruitute Satanæ. Vnde Apostolus ad Heb. 2. de Christi beneficio scribens ait, *Christum carnem & sanguinem ob id suscepisse, vt aboleret per mortem suam, eum qui mortis habebat imperium*, hoc est, Diabolum, *& liberos redderet eos, quicunque metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti*: sed est illa beneficij adumbratio illustrior & apertior, quàm vt vel negari, vel in dubium vocari possit, vel debeat.

Simile beneficium.

Ratio assumptæ carnis per Christum.

5. Accedit & illud, quod vtrinque fines sibi respondẽt. In agno Paschali memoriale est, vt dixi, vt beneficij exhibiti: hinc Moses Exod. 12. ait celebrandum filiis Israel *lezicaron*, hoc est, in memoriam rei gestæ & exhibitæ: quemadmodum Sabbathi celebritas erat instituta ad memoriam creati mundi, Pentecoste in memoriam legis datæ, Festum tabernaculorum in memoriam errorum per deserta loca annis 40. sic agnus Paschalis celebrari debuit in illius memoriam. Deinde non solum erat beneficij exhibiti memoria in hac Paschali cœna: sed eiusdem beneficij quædam vsurpatio: testabantur enim Iudæi hac solennitate se verè agnoscere beneficiũ illud, & sibi applicare, se illo beneficio iam liberos factos, occupasse bona promissa, nullum agnoscere externum dominium, nisi solius Dei, qui eos redemisset. Ita in cœna Domini est memoria beneficij Christi veri agni Paschalis: sed est etiam apud fideles vsurpatio beneficij illius: non solum agnoscunt Christi morte se redemptos, sed spiritum Christi sentiunt pectoribus suis, qui illos regit & tuetur, quo etiam verè renuntiant Satanæ, totúmq. Christum cum omnibus suis meritis suum esse profitentur & testantur.

6. Deniq; respondent sibi etiã quæ vtrinque ad eundem modum & formam pertinent. Nam quod ipsum agnum Paschalem attinet, Christi typus fuit manifestus, debuit enim esse integer: immaculatus: mactari inter vesperas: sanguine illius aspergi postes: agnus ipse assari: crudũ & coctum de eo nihil debuit edi: caput cum cruribus & intestinis, in summa totius assari debuit. Edi autem debuit cum amaris herbis *merorim* & panibus azymis.

Formalia congruunt Agnus.

Habitus edentium compositus debuit esse ad formam peregrinantium, cincti lumbis, calciati pedibus stantes edebant: baculos in manibus habebant, festinanter etiam edebant, quæ omnia in Christo & eius cœna elegãter expressa sunt. Christus, agnus est immaculatus, mactatus: sanguine illius aspersi postes mundi: integer autem mansit: nec fractum illi vllum os, vt testatur Ioan. 19. citans locum Exod. 12 *Os non frangetis in illo*. Coctum & crudum, hoc est, simulatum & fictum hic nil agi debet. Editur autem cum panibus azymis, quos explicat Apostolus. 1. Cor. 5. hoc est, *synceritate & veritate*, cum herbis amaris vel lactucis syluestribus, hoc est, cruce & afflictionibus. Edentes debent se hic peregrinos agnoscere: festinanter editur, non enim hic locum manentem habemus, sed πολίτευμα nostrum in cœlo est, &c. Dixi Eucharistiam substitutam esse Paschati, idque piè & rectè ab Ecclesia Christi doceri & credi. Dicamus etiam malè & improbè illos agere, qui non cœnam Paschati, sed mannæ potius affirmant respondere.

Quom. edi Christus debeat in cœna spiritualiter ad formã eius agni Paschalis

Nec illud dicimus, quasi nullo pacto mannæ respondeat cœna (sunt enim quædam analoga vtrinq;) sed illud hic contendimus, cœnam Domini non succedere mannæ, vt illius locum nobis suppleat, in ordine sacramentorum.

Primùm manna non fuit ordinarium & proprium sacramentum, nisi quatenus signum erat beneficij diuini: sed cùm ordinaria sacramenta verbum institutionis debeant habere, cùm externo signo coniunctum, cui signo annexa sit promissio gratię: satis constat manna non fuisse ordinarium sacramentum Israëli commendatum: mysticum quidem signum fuit gratiæ diuinæ, quemadmodum petra, mare, nubes, baculus Aaronis florens, aliáque: sola Circumcisio & Pesach habuere institutionem sacramentalem, hoc est, externa signa, & verbum institutionis annexum, quo exprimeretur gratiæ promissio erga illos, qui seruarentur: at pœna transgressoribus debetur, non tam corporalis, quàm æterna.

Sacramẽta ordinaria verbũ institutionis debẽt habere cum signo externo cõiũctum.

Deinde Mannæ vsus non fuit perpetuus in populo Dei. Reliquiæ etiam à Mose seruatæ, maturè abolitę sunt. datur Man primitus Exod. 16. & reliquiæ in rei memoriam conseruantur. cessat Man, Iosuæ capit. 5. postquam ingressi sunt terram promissionis: durauit vsus illius annis quadraginta. Reliquię in arca Domini repositæ, beneficij memoriam habebant, & tabulæ & baculus Aaronis: sed apud populum non erat vsus solennis & sacramentalis: & periit vrna cum reliquo tabernaculo, priusquam Respub. Israëlis euersa sit per Christi aduentum.

3 Et quia abolitæ sunt illius reliquiæ, longè ante institutionem cœnæ dominicæ, non potuit illi succedere, cum tempore non cohęreant: decebat enim Mannæ reliquias superesse in populo Dei, donec veniret Christus & instituta sua cœna, tolleret Mannæ reliquias. Nam tota lex cum ceremoniis suis ita manere debuit, donec adueniret Christus, vmbrarum illarum corpus. Matth. 11. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*. Gal. 3. *Lex pædagogus ad Christum*: quo docetur debuisse vmbras & ceremonias manere, donec mitteretur Christus, debuit igitur Manna

Tempore nõ cohærent.

durare vsque dum cœna illi succederet,&c.

Non habet Symbolum meriti Christi, quod primarium est in cœna Domini.

4. Præterea Manna cum suis reliquis nullum habet Symbolum liberationis & redemptionis per Christum partæ: sed erat testimonium pasti corporis & beneficij externi, cuius nulla est integra analogia ad meritum Christi. Cœna Domini verò, in primis nobis repræsentat Christi beneficium in morte sua nobis præstitum, quòd suo merito à morte & seruitute Satanæ sumus redempti: ac pascimur quidem mystica ratione, carne & sanguine ipsius ad vitã æternam, sed liberationis & meriti Christi debuit adumbrari beneficium, in illius antitypo: quod non in manna, sed agno Paschali est expressum.

5. Accedit illud, quod maximum est: quod in institutione Cœnæ dominicæ & abrogatione cœnæ legalis nulla fiat mentio mannæ. Ac Christus non obscurè significat, quid abroget, & quid subiciat, cùm inquit, *Desiderio desideraui hoc pesach vobiscum edere, Amen dico vobis non amplius bibam de germine vitis, donec venerit regnum Dei*, &c. Non commodè sanè Christus abrogaret pesach & institueret suam cœnam sine mentione mannæ, si illa hanc adumbrasset, aut vllo modo succedere illi deberet, &c.

6. Nec est obscura in hac re doctrina Patrum, qui omnes consentienti suffragio duo sacramenta noui Testamenti sic affirmant, vt cœnam in locum Paschæ: Baptismum verò in locum circumcisionis reponant. Vide Cyprianum, de cœna Domini, fol. 448. & alios, &c.

DE FRACTIONE PANIS.

LOCVS LXXXI.

Quid sit fractio.



ΚΛΑ'ΣΙΣ ἄρτου, hoc est, fractio panis, dicitur actio communicationem & distributionem præcedens. Ac fermè vtilem distributionem seu fractionem significat. Hebræis enim *Scheuer* fractio dicitur in re necessaria & vtili: vt cùm fœtus nasciturus frangit ligamenta in vtero materno, vt possit erumpere. Et frumenta franguntur molendo, vt inseruiant alimento hominis: hinc *scheuer* frumentum ipsum dicitur, quia frangitur molendo: & quia distrahitur in alimento, item quia vendendo distribuitur, Gen. 42. Iudæi quoque *scheuer* appellant *bithron*, hoc est, quæstionis propositæ solutionem. Frangi enim videtur quæstio, dum soluitur, quod in ea nodosum videbatur. Hinc ad mensam & conuictum communem assumpta est forma loquendi: quòd paterfamiliâs cùm domesticis cibum sumpturus, panem frangeret, singulis de eo diuisurus suam portionem. Sic pater cum familia sua, & inter conuictores frangebat.

Sed & publica conuiuia habebant suos dispensatores, qui frangerent ac distibuerent: quales Græci in suis conuiuiis Reges vocabant.

Deinde frangere panem dicuntur, qui eleemosynam de suo distribuunt, sic loquitur Esa. 58. *Frange esurienti panem tuum*, hoc est, liberalis sis, & ad eleemosynam facilis.

Quid panis nomine intelligat scriptura.

Panis autem nomine intelligit scriptura nõ panem nudum: sed omne alimentum, quod pani addi solet, aut potest. vt Gen. 43. *Ægyptij non edunt cum Hebræis panem*, hoc est, cibum non solent cum illis capere. & Ioan. 13 *qui edit mecum panem*, &c. ex Psal. 40.

Hæc in veteri Testamento κλάσις τοῦ ἄρτου, hoc est, fractio panis est. In nouo Testamento vtriusque extant exempla: in cõuictu communi fractio panis est, Luc. 24. in qua Christus agnoscitur à discipulis duobus. Falluntur igitur qui illic cœnam celebrari somniant. Act. 20. conueniunt fratres ad fractionem panis in Troade, hoc est, ad communem conuictum. Et Act. 27. Paulus in naui frangit Panem ac edit, omnésque hortatur ad capiendum cibum.

Ad eleemosynæ distributionem referri possunt miracula Christi, quibus liberali distributione turbã pauit. vt Mar. 6. frangit quinque panes. Luc. 9. itidem. Marc. 8. frangit septem panes in turbas. Fuit igitur fractio panis in vsu adhuc tempore Christi, tam in conuictu, quàm in eleemosynis. Ratio videtur esse, quòd Hebræi semper sint vsi panibus latis & minùs crassis, qui commodius & faciliùs frangebantur, quàm scinderentur: tales erant azymi panes, & apud nos hodie panes Alpinorum hominum lati & non spissi, qui facilè franguntur, non perinde scinduntur. *Sibenthaler brott persten brott klepffen*, &c.

Ratio fractionis panis apud Iudæos in cõmuni cõuictu.

His accessit noua significatio, ex institutione cœnæ Dominicæ, Math. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. Cùm enim Dominus Christus in cœnæ institutione seruaret communem consuetudinem, fregit panem ac distribuit, dicens: accipite, edite, &c. Hinc factum est, vt cœperit fractio panis, dici cœna Domini: sic interpretati sumus locum in Act. cap. 2. *perdurabant in doctrina Apostolorum, communione, fractione panis, & precibus*: & mox infra, *frangentes per domos panem, simul capiebant cibũ*. Sic Græcis Theologis κλάσις τοῦ ἄρτου peculiariter de Eucharistia Domini dicitur.

Fractio panis pro cœna Domini accipitur.

II. Consideremus quare cœna Domini dicatur fractio panis. Primùm, quia instituta est in communi cõuictu, in quo fractio panis erat. Pesach enim celebratum est azymis panibus, qualibus Christus etiam est vsus.

De inde

Deinde symbolum corporis Domini, fractione præmissa distributum est inter discipulos, quem morem diu postea seruauit Ecclesia:& adhuc in quibusdam conseruatur, vt panis communis sumatur & frangatur. In quibus azymus quidem panis sumitur, frangitur tamen inter communicantes in alijs hostiæ distribuuntur: quem morem Romana instituit Ecclesia.

Tertiò, quia Christus est panis vitæ, rectè frangi dicitur, propter vsum & applicationem meritorum eius Ioan. 6. inquit, *Ego sum panis vitæ*, hoc est, viuificans, & vitam dans. Quia igitur verè ait & efficaciter ad vitam æternam, panis quidem dicitur, non substantia, sed effectu: non enim habuit Christus paneum corpus: frangi autem dicitur cùm pro nobis impenditur: & applicantur illius merita nobis: cuius rei nos cœna in primis admonet.

Quartò accedit: quòd reuera etiam pro nobis fractus est, hoc est, crucifixus & mortuus: de quo loquitur Ioan. 12. *nisi granum frumenti mortuum fuerit, solum manet*, &c. Et apud Ierem. 11. *Venite perdamus in ligno panem eius*: quem locum Lactantius & alij, vt Tertullianus interpretantur de morte Crucis. Et quanquam reipsa fractum corpus non sit: attamen quia conuulsum est, apertum illius latus, confossæ manus & pedes, tandem etiam corpus ab anima separatum, fractum dicimus. Nam os in eo frangi non debuit, quemadmodum agnus Paschalis hoc adumbrauit.

Quom. Christi corpus in cœna frangi dicatur.

Quintò, fractio nos in primis admonet de communicatione: quod scilicet in Christo coalescere debeamus in vnum corpus. Hinc Apostolus 1. Cor. 10. argumentatur à fractione panis. *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini est?* quasi diceret, panis fractus & sumptus nos admonet de vnione & consensu: qui enim de vno pane participant, coalescere debent in vnum corpus.

Addamus etiam hoc, fractionem dici, quia frangi nos etiam velit, hoc est, mortificari in nobis mortalia nostra membra, vt in Christo renouemur ad nouam vitam. Huc pertinent loca, quæ passim nos iubent deponere veterem hominem, mortificare membra nostra vt Col. 3. Eph. 4. 1. Cor. 15. *expurgate vetus fermentum*. Rom. 16. *vetus homo noster simul crucifixus est*: hoc adumbrat etiam Baptismi immersio, &c. Hæ causæ sunt cur libenter fideles cœnam Domini fractionem panis appellent: de multis enim rebus vtiliter nos admonet ea appellatio.

III. Superest vt explicemus breuiter, quid Apostoli post Christi ascensionem, & primitiua Ecclesia, seruarit in cœnæ Domini celebratione, hoc est, in fractione panis.

Quo ritu in primitiua Ecclesia Apostoli cœnam Domini celebrarint.

Primùm communis erat victus: non enim cœnam priuatim celebrabant: sed in communibus epulis: quod constat vel ex 1. Corinth. 11. *igitur cùm conueneritis in vnum, non licet dominicam cœnam edere: quòd vnusquisque propriam cœnam occupet in edendo*, & hic quidem *esurit, ille verò ebrius est: num domos non habetis ad edendum & bibendum?* & Act. 2. frangentes per domos panem, inuicem sumebant cibum. Vnde apparet illam cœnis vel prandiis publicis adhibitam fuisse tanquam colophonem, idque exemplo Christi, qui in solenni Cœna illam instituerat.

Postea facta est priuata, hoc est, in familiis numerosioribus, domi quoque celebrata, vt testatur D. Hieron. sed erat adhuc auita simplicitas, solùm memoria mortis dominicæ, & mutuæ dilectionis quædam obligatio, nec erat necessum ministros verbi adesse, quẽadmodum in agni Paschalis celebratione non legimus sacerdotis singulis adfuisse familiis.

Refert Euseb. lib. 5. cap. 24. Eccles. hist. Romanum Episcopum solitum aduenis Episcopis, in hospitium mittere Cœnam Domini. Quam rem Irenæus non improbat: ac grauiter obiurgat Romanum Episcopum quòd Asiaticos excludat, propter Paschę celebrationem. Videtur non alio consilio peregrinis Episcopis Romæ missam Eucharistiam in hospitium à Romano Episcopo, nisi concordiæ symbolo, quòd testaretur se illos pro fratribus agnoscere, quãuis in aliquibus discreparent ritibus. Quod si hic nihil aliud fuit respectum, non video cur magnopere hoc reprehendi possit.

Illud autẽ omni defensione iusta caret, quòd ad ægros defertur tanquam viaticum morituris: qui mos inoleuit, vt opinor, tũ demũ, cùm persuasum esset plebi, quosdã piè mori non posse, nisi priùs Cœnam Domini sũpsissent: hinc accessit spes lucri, & species religionis spẽdidior.

Abusus Cœnæ Domini in papatu.

Deinde, collecta fiebat, hoc est, eleemosyna distribuebatur egentibus. Hinc κοινωνία facultatum, cuius sæpius fit mentio in Actis: & ipsa Cœna inde dicta est ἀγάπη, quia dilectionis argumenta, & quoddam testimonium fraternæ dilectionis dabant, conferendo liberaliter in vsus pauperum: quò referunt quidam etiam illud Act. 2. *frangentes per domos panes*, hoc est, pauperibus distribuebant, quale illud Esa. 58 *frange pauperibus panem tuum*.

Tertiò, Symbolum corporis Christi inter communes conuiuas distribuebant: quique ad epulum fuisset admissus, is non excludebatur à communione corporis Christi. Hæc tria sic esse seruata ab Apostolis, satis constat ex 2. & 4. cap. Act. & 1. Cor. 11. Quòd autem eadem sint ab Ecclesia, succedente illis seruata, colligi potest ex Iustino martyre & Tertull. qui his temporibus proximi fuere.

Iustinus certè rem explicatissimè, narrat in 2. Apolog. pro Christianis. Cùm enim Christianis Thyestæas epulas obiicerent Gentiles, vt crimẽ hoc dilueret, bona fide narrat, quale epulũ inter se Christiani celebrarẽt. Locus dignus est qui ab omnibus legatur: multos enim errores Cœnæ dominicæ corrigit: eum breuiter perstringemus. Post Baptismum inquit, conuenire so-

Tempore Iustini eodem ritu cele

brabant cœnã fideles quo prius Apostoli.

litos omnes ad preces: hinc προσφέρεται προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. offertur præsuli fratrum panis, poculúmque mixtum vino & aqua. præses fratrum ἀναπέμπει αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων: laudem & gloriam cunctorum patri exhibet: diaconi distribuunt toti populo ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. de benedicto pane, vino & aqua. Itẽ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι, deferunt de eo absentibus: demum, καὶ οἱ ἔχοντες τοῖς λειπομένοις πᾶσιν ἐπικουροῦμεν καὶ οἱ εὐποροῦντες καὶ βουλόμενοι ὃ βούλεται δίδωσι, & qui abundant omnibus egentibus subueniunt dántque quod ipsis placet.

Habes illa tria quæ diximus commune epulum baptizatorum: mos autem is erat vt die Pentecostes aut die Paschatis catechumeni baptizarentur publicè solẽni ritu vt constat ex Gregorio Nazian. & Basilio. Post Baptismum igitur solenni conuiuio solebant conuenire, vt indicat hoc loco Iustinus. Deinde communis eleemosyna, nam qui abundant subueniunt egenis: & eis quantùm volunt largiuntur. Tertio describit Cœnæ distributionem, in qua sunt illa obseruãda. Primùm, quòd κρᾶμα dicit offerri vini & aquæ, hoc est, nõ puro vsos vino, sed aqua admixta, vetusta fuit consuetudo κράματος, cuius occasio sumpta est ex historia Passionis, quòd aqua & sanguis fluxerint ex latere Domini. Huic tamen facilè respõderi potest, allegoricum sensum non esse argumentatiuum, vt loqui solẽt scholastici. Sunt tamen in hac sententia fermè Græci omnes. Theophylactus in Ioan. hæresin vocat Armeniorum, qui puro vtantur vino. Certissimũ tamen est non esse de institutione Domini, & an Christus in Cœna vltima sit vsus cramate nõ potest probari, vero tamen simile est puro vsum vino. Deinde mirum est allegoriam trahi ad legem institutionis: nõ enim hîc spectari debet, quid alibi vel passus sit Christus, vel ipse fecerit: sed quid instituerit.

Veteres aquã vino miscebãt in cœna.

Probabilis ratio κράματος mihi videtur, quòd Cœnam Domini peragentes in communi epulo, largiùs etiam biberint non pitissando, vt hodie moris est: Ideoque vt vinum per se forte, minus obesset, aquam adhibitam; quod videmus etiam hodie fieri in cõuiuiis communibus, vt vina generosa misceantur: hoc vt credam, facit locus. 1. Cor. 11. vbi palàm docet, abusum Cœnæ Domini iam tum obtinuisse, adeò vt nonnulli inebriararentur in Agape.

Deinde expendi hic debet, qualis fuerit oblatio illo seculo, non sanè qualem hodie prędicãt. Iustinus loquẽs de oblatione, inquit προεστώς, hoc est, præses fratrum offert, vel ἀναπέμπει δόξαν καὶ αἶνον τῷ πατρὶ τῶν ὅλων. Hodie dicũt offerri filium patri à sacerdote: quod sanè nouum est figmentum: semel oblata hostia filius Dei satisfecit Patri, nec repetitione opus habet. Nos tamen offerre Deo Patri debemus per Filium ipsius, αἶνον καὶ δόξαν, quæ illi gratissima est oblatio, in qua nostri dixerunt *offleten*, Græci προσφορὰν καὶ ἀνάπεμψιν.

Apud veteres vtraque species panis sci. & vini omnibus concedebatur.

Tertiò, quòd omnes communicarint præsentes, nemo hîc exclusus est, deinde vtraque species omnibus est cõcessa: nam sumere eos inquit de pane benedicto, & de poculo vini & aquæ. Hodie vnam speciem tantùm concedunt.

Quartò absentibus missa est etiam portio Cœnæ, quod factum est sine superstitione, symbolum amicitiæ, & vnionis in doctrina & tota professione. quemadmodũ priùs ex Eusebio retulimus Romæ factum, nec hîc fit mentio vllius meriti aut viatici morituris exhibiti.

Demum mutuæ exhortationes ad concordiam & cõstantiam in fide ac professione accedebant, vt hæc esset quædam stipulatio & obligatio, constantes futuros in Christianismo, qualiscunque tandem accederet fortuna. Hæc in nostra actione facilè indicari possunt ferme omnia. Primùm in cœtu fit publico, quæ species est epuli publici. Deinde similis à nobis obseruatur προσφορά, recitantur verba institutionis & dicitur Deo patri αἶνος καὶ δόξα, κρᾶμα nõ habemus: non enim est pars institutionis, nec opus habent nostra vina mixtione, vt Orientalia, nec bibimus liberiùs, vt tum factum est. Omnes communicant præsentes modò velint, & vtraque species porrigitur omnibus. Absentibus non mittitur, quia hunc morem corrupit superstitio: sanis tum mittebant & aduenis, qui in cœtum non venirẽt: hodie solis morituris, & sub certo lucro & quęstu, adde vana persuasione, cuiusdam viatici necessarij. Collecta fit pro pauperibus, & dat quisque quantùm vult: volunt tamen quidam parum nimis. Actio non est muta, sed recitatur historia Passionis: priuatæ voces non accedunt, propter εὐταξίαν: accedunt, & à stantibus sumitur Cœna: agnus enim Paschalis à stantibus sumebatur: nec tamen refert multùm stẽt aut sedeant communicantes. Hæc breuiter nostra actio est, descriptioni Iustini non dissimilis.

Apud Tertull. in Apolog. aduersus gentes cap. 39. similem ferè habes descriptionem Agapes Christianorum: quæ nolo, ne longior sim, huc adferre.

Nos ad finem meminerimus actionem hanc esse sacrosanctã, & piè celebrandã: quod vt fiat maiori cum fructu, iuuenes cras in actione secum ruminent ruminent, istos elegantissimos Græcos versus non indignos memoria.

Θεουργὸν αἷμα φρῖξον ἄνθρωπε βλέπων
Ἄνθραξ γάρ ἐστι, τοὺς ἀναξίους φλέγων.
Homo intuens sanguinem diuinum horresce
Nam carbo est exurens indignos.

DE TRADITIONIBVS HVMANIS.

LOCVS LXXXII.



TRaditiones humanas Christus Marc. 7. appellat παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων traditiones seniorum item παράδοσιν ἀνθρώπων, traditionem hominum & ex Esa. ἐντάλματα τῶν ἀνθρώπων, mãdata hominum itẽ διδασκαλίας doctrinas his opponit scripturam & Christus ipse ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, hoc est, legem per Mosen datam, atque sic ἐναντία sunt, lex Dei & παράδοσις seniorum.

2. Apostolus Paulus simpliciter παραδόσεις vocat, quæ in Ecclesia Christi certo & vtili fine instituerat vel in moribus, vel ritibus aut etiam in doctrina. sic. 1. Corint. 11. laudat Corinthios, quòd retineãt παραδόσεις. & 2. Thess. 2. hortatur fratres *vt seruent* παραδόσεις traditiones *quas didicerant siue per sermonem, siue per epistolam.* Hoc modo Traditio non pugnat cum lege Dei, sed εὐταξίαν ordinem indicat; quæ seruanda est quatenus bonis moribus & pietati non officit.

Quę traditiones seruandę sint.

Christus Matt. 15. nominat παράδοσιν, hoc est constitutionem & ordinationem significãs nõ esse præceptum Dei, sed inuentum hominum. Ac vt in Christi Ecclesia infinitæ sunt constitutiones in negotio religionis: sic Iudæi post captiuitatem Babylonicã innumeras admiserũt traditiones. Iudæi vt his adderent maiorem authoritatem appellarunt etiam *torah* legem: ac sic distinguũt, vt Dei lex sit *torah schenicteba*, hoc est, lex scripta. Traditiones autem Seniorum sint *torah schebagalpe*, hoc est, lex in ore posita: quia scripto probari non possunt, scriptæ autem legis sunt quædam explicationes. Ex his cõflatum est Thalmudicum opus varium & immensum. De his gustum videre est in libello pręceptorum Mosaicorum, & extat liber quoque continẽs affirmantia & negantia præcepta ex Mose. Numero 6.15. in quibus facilè patet quę sint Iudæorum traditiones.

Thalmudicum opus varias Iudæorum traditiones continet.

Non dissimili modo in Ecclesia Christi, præter verbum Dei expressum, admissæ sunt traditiones magno numero, de discrimine ciborum, vestimentorum, dierum aliísque ritibus Ecclesiæ.

Has alij aliter definiunt, Gręci dicunt esse ἄγραφον διδασκαλίαν doctrinam nõ scriptam. Scholastici dicunt esse constitutiones bono fine à maioribus inductas.

Nobis illa placet definitio. Traditiones sunt pręcepta Ecclesiæ tradita absque scripto, de doctrina, vel ritibus, aut moribus Christianæ religionis.

Definitio traditionum. Diuisio.

1. Has traditiones alij distinguũt in ecclesiasticas & politicas. Ecclesiasticæ sunt, quę in cœtibus fidelium aut priuatim etiam in pietatis exercitio seruantur: publicæ sunt traditiones, vt ceremoniæ de oratione in templo, de cõcionibus, de lectione & interpretatione scripturæ publica. Priuatæ quæ singulis priuatim præscribuntur, vt in ieiunio, in confessione, &c.

Politicæ traditiones ad εὐταξίαν Reip. spectant & ad magistratum pertinent.

2. Alij diuidunt in adiaphoras & palam impias. Adiaphoræ sunt quæ vsu bonæ possunt esse, & abusu malæ fiunt, vt cibus, potus, cœlibem esse, vel vxorem ducere res tales sunt, quę cum laude interdum sumi, interdum omitti possũnt. Impiæ sunt quæ cum verbo Dei pugnãt, vt si adiaphoris opinio cultus Dei, & vis iustificandi tribuatur, aut si verbo Dei æquentur, quod in Pharisæis reprehendit Christus, Mat. 15. Mar. 7. nam in gratiam suarum traditionum negligebant præceptum Dei.

Alia diuisio traditionum.

3. His duobus membris alij non malè addunt tertium, vt traditiones vel sint apertè impię: vt in Sabbatho negligere curam miseri hominis, parentibus obgãnire illud Corban Pharisaicum: aut sunt adiaphoræ, vt cibi, potus, temporum discrimina, sine cultus diuini superstitione. Aut demũ ex sacris concludi possunt, vt quòd infantibus datur Baptismus, quòd cœna D. ieiunis & manè sumitur. Volunt illi opinor dicere, alias Traditiones per se bonas, alias per se malas, alias denique esse medias. Aut alias esse diuinas, alias diabolicas, alias verò humanas.

Quę traditiones ex sacris literis cõcludi possunt.

4. Est & illa quorundam partitio. Quòd aliæ sunt de ceremoniis ac ritibus Ecclesiæ, aliæ ad disciplinam & mores magis spectant. Sed ne isti quidem plenam habent partitionem: cùm aliæ traditiones etiam sint de doctrina Christianæ religionis. Nam in definitione, vt materia, hæc tria fuerunt expressa, doctrina, ritus & mores.

3. Addamus hanc quoq; distributionem: Quæ Ecclesia habet vel sunt ἔγγραφα, qualia sunt quæ habent expressum verbum Dei scriptũ in veteri & nouo Testamẽto: quale est corpus sanæ doctrinæ & sacramentorũ. In his quæ ad salutẽ necessaria sunt continentur præcipua capita, vt non sit opus ad salutẽ coronide: Vel sunt ἄγραφα hoc est, scripto non cõprehensa, quò pertinẽt traditiones quæ sacris literis accesserũt tanquã constitutiones de doctrina ritibus vel moribus pietatis. Atque hæ cõstitutiones vel sunt vniuersales, quas tota Ecclesia seruauit: vel sunt particulares quæ sunt certi tẽporis & loci. Vniuersales traditiones & obseruatu necessarię sũt, Symbolum Apostolorum, qui sint libri canonici, quæ sit vera interpretatio præcipuorum locorum scripturæ, &c. Vniuersales & obseruatu non necessariæ: vt est traditio de non edendo

sanguine, cùm tamen sit ab ipsis Apostolis tradita. de quibus copiosius agit Augustinus epist. 118. 119. ad Ianuarium.

1. Iam ad quæstiones aliquot respondeamus: quæ hîc moueri solent. Ac primùm hic illud mouetur, An scriptura sit ita perfecta vt non indigeat vllis aliis traditionibus. An verò præter τὰ ἔγγραφα, relicta sint quædam etiam ἄγραφα: Respondendũ est duplici modo. Primùm de scripturæ perfectione non esse homini Christiano dubitandum: nam 2. Timoth. 3. ait Apostolus, *Omnis scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem.* &c. Vbi sanè tribuuntur illa scripturæ, primùm eruditum reddere ad salutem, deinde integrum reddere Dei hominem: demum ad omne opus bonum præparatum. perfecta igitur est scriptura quòd illa attinet, quæ ad salutem sunt necessaria: alioquin non posset fidelem integrum reddere, non posset etiam erudire ad salutem plenè, nõ posset ad omne opus bonum instruere. Et cùm hæc Apostolus scripserit de veteri Testamento, quantò iam perfectior est in Ecclesia scriptura canonica? accesserunt enim Euangelia, & tot salubres epistolæ, de quarum authoritate nemo dubitare potest.

Quæstio.

Scriptura perfectã continet doctrinam.

Si ergo scriptura vtilis est ad docendam omnem veritatem, quæ ad religionem veram aliquid confert: si confutat omnem errorem, qui contra religionem obtruditur: si corrigit omne vitium in moribus: si denique instituit ad omnem virtutẽ bene agendi: consequens est vt perfecta sit in his rebus, quæ ad vitam æternam sunt necessaria.

Deinde quod attinet τὰ ἄγραφα, alia hodie est ratio, quàm fuerit in prima Ecclesia. Nam in illa erant ἄγραφα quæcunque Christus Apostolis tradidit ad noui Testamenti cõstitutionem, quale erat potestas docendi & absoluendi, Baptismi vsus, cœnæ dominicæ celebratio, hinc Apostolus. 1. Cor. 11. de cœna locutus ait se accepisse à Domino quæ tradidit illis. Traditio igitur tum erat cœna Domini, quando à Christo erat instituta, & in veteri scriptura non continebatur, nisi typicè.

Cœna Domini traditio dicitur

Sic traditiones erant, quæcunque Apostoli instituerunt per Spiritum sanctum, sine Christi expresso verbo, sic traditio Apostolorum erat abstinere à suffocato & idolotytis, Pauli traditio est mulierem in cœtu silere, mulierem velato capite orare. Item nota lingua in cœtu docere, duos vel tres ad summum prophetare: qui non laborat, illum non debere manducare, aliáque multa, quæ suas interdum παραδόσεις vocat, vt est 1. Cor. 14. 11. & 2. Thess. 2. & 3.

Cęterùm hodie illa nec ἄγραφα amplius dici possunt, nec paradoses censeri, siquidem vera sit definitio posita: diximus enim traditiones esse præcepta sine scripto tradita Ecclesiæ. ac vt illa tempore Apostolorum sine scripto circumferebantur in Ecclesia: sic hodie scripto sunt comprehensa, & S. literis incorporata. Quare hîc de illis non rectè quæritur. Ideóque dicemus illa omnia iam esse ἔγγραφα, pręter illa tamẽ esse quędam recepta pio consilio & vtiliter de quibus non extat expressum τὸ ῥητὸν, in quibus illa debet valere regula: τὰ ἄγραφα debent iudicari & examinari ad regulam & veritatẽ τῶν ἐγγράφων, ita vt nihil prorsus sit recipiẽdum vel in doctrina religionis, vel in ritibus, vel vita ac moribus, quod non doceri possit euidenter, & demonstrari per scripturas apertè & disertè. Sic Augustinus sæpe confugit ad scripturæ authoritatem in ritibus Ecclesiæ: & Cyprianus ait se non admittere alias traditiones, nisi quę in Euangeliis, Epistolis Apostolicis, & Actis Apostolorum haberentur.

Quæ traditiones admittendæ.

Secunda quęstio. Quę sint igitur admittenda ἄγραφα? Respondemus, quę sacris literis consona sint, & quę cum Apostolorum scriptis non pugnant. Cùm enim ad Apostolos referatur illorũ authoritas, oportet vt cum scriptis illorum non pugnent: non enim credi debet, Apostolos aliud literis mandasse, aliud verò per manus Ecclesię reliquisse: & absurdum esset, de scriptura iudicium facere ex ἀγράφοις cùm potiùs contrà, ἄγραφα iudicari debeant per ἔγγραφα.

Eius generis quędam sunt apud Epiphanium Tom. 1. lib. 2. & 3. & apud Basilium, & Tertullianum.

Qualia sunt sanctificatio diei Dominicę, Baptismus infantium, Symbolum Apostolorum, qui libri sint Canonici, quę sit vera scripturę interpretatio. Sic quędam in disciplina & moribus, de electionibus, de pœnitentia, de precibus publicis, de correctione peccantium, & alia similia absque scripto dicuntur tradita per manus ab Apostolis.

3. Ex his iam etiam de tertia quęstione statui potest, sitne, par traditionum authoritas cum scripturis sacris, distingui enim debent: nam quę ex scripturis certò demonstrari possunt, firmiter etiã seruari debent: vt est Symbolũ Apostolorum, Baptismus infantiũ. Quæ verò obtrudũtur sine scriptura, meritò scripturę æquari non solùm non debent, sed ne quidẽ admitti. Ac inter illa sunt quędam ridicula interdum, alia etiam puerilia, quædam quę aliàs nihil momenti ad religionem afferunt. Epiphanius ait traditionem Apostolicam esse, quòd Lazarus resuscitatus fuerit annorum 30. & quòd Zacharias ille interfectus à Iudæis inter altare & vestibulum fuerit pater Ioan. Bapt. Sic de patre Danielis & Helię traditiones citat, quę sine iactura ignorari possunt.

Quarum traditionum par authoritas cum scriptura

Quarto, solet quęri, an illę etiam Apostolicę traditiones pari religione sint obseruandę?

Respondemus vt ad priorẽ quęstionem, non esse pari religione seruandas. Nã quędam sunt catholicę & obseruatu necessarię. Alię certarum fuerunt Ecclesiarum, & certi etiam temporis.

Nam

Nam de non edendo sanguine traditio est Apostolorum, tamen eius vsus pridem desiit etiam apud patronos traditionum: & Epiphanius ait ieiunium 4. & 6 feriæ commendatum ab Apostolis Ecclesiæ, quam tamen non esse obseruatu necessariam constat apud Pontificios: qui eam tollunt indulgentiis suis. Et quia dubium est in multis, sintne Apostolicæ necne? meritò ad scripturam sunt exigendæ & diiudicandæ. Primùm enim videmus in traditionibus multa absurda, in ceremoniis, in preculis, in ieiuniis, in adoratione multæ nugæ aniles irrepserunt. deinde homines quamlibet sancti etiam errare possunt in hac vita & labi, nec solum singuli: sed etiam coniuncti, vt multa declarant concilia, quæ grauiter errarunt, & illorum acta rescissa & cassata postea sunt à melioribus. Sequẽdum igitur præceptum Spiritus sancti, *Omnia probate, quod bonum est tenete*. Accedit his maximum illud, quòd Apostolus suas traditiones nõ simpliciter obtrusit fidelibus: sed vel scripturæ consensu probat: vel rei honestate, vtilitate ac decoro. multò ergo magis faciendum illud in traditionibus quæ verè & merè sunt humanæ.

Quintò. Sed ita irrita fiet authoritas traditionum: & addunt testimonium Epiphanij, qui dicit, *vbi extat traditio Ecclesiæ non esse inquirendum*, & Basilius de Spiritu sancto scribit, *traditiones parem vim habere cum scripturis*, & August. epist. 118 *de eo disputare, quod Ecclesia per totum orbem seruat, insolentissimæ esse insaniæ*.

Sanè Patrum istę sententię intelligendæ.

Respondeo, fideles non grauatim ferent solas scripturas primum tenere locum, cùm sint diuinitus inspiratæ: ideóque traditiones dubias infra has collocari non molestè ferẽt. Quod verò patrum illa testimonia attinet, manifestum est, illa non posse intelligi, nisi de traditionibus vniuersalibus & obseruatu necessariis. Nã illi ipsi patres conqueruntur, manifestos abusus nomine traditionum in totam Ecclesiam irrepsisse. August. sanè conqueritur conditionem Christianorum suo seculo intolerabiliorem fuisse, Iudæorum oneribus, & quid hodie diceret? Basilius quoque traditionem Apostolicam esse ait, inter Pascha & Pentecosten stantes orare, non flexis genubus: quã tamẽ traditionẽ non vult æqualẽ esse, symbolo Apostolico, & traditæ interpretationi locorũ quæ testãtur de sancta Trinitate, de duabus in Christo naturis, & vna persona.

Sextò, consensus Ecclesiæ Catholicæ obiicitur, & quòd semper & vbique receptæ sint.

Respondeo, consensum non debere veritati præiudicare. deinde consensum non esse verè Catholicum in omnibus, præsertim verò in his quæ verbo Dei expresso demonstari non possunt. Preterea vetus Ecclesia nunquam fuit ita pertinax vt omnibus easdem obtruderet traditiones. Nam videmus apud August. ieiunium in Africa & Romæ fuisse die Sabbathi, Mediolani sub Ambrosio non fuit. Asiani Pesach celebrabant cum Iudæis, Romæ non ita: nec tamen scindebatur concordia. Alij à Paschate vsque ad Pentecosten ieiunabant, alij nõ: sic die veneris ieiunare & feria quarta, Epiphanius ait Apostolicam esse traditionem. Augustini temporibus & Cypriani, infantibus dabatur Eucharistia sub vtraque specie. Tempore Tertulliani baptizatis dabatur mel & lac, &c. Hæc & similia satis indicant veteres Ecclesias in traditionibus nõ idem secutas esse, interea de capite & scopo religionis consensum aluisse, de Christi merito, de satisfactione, de iustitia coram Deo, idem hodie sequendum erat consilium.

Augus. tempore cœna infantibus dabatur.

Septimò, quomodo probandæ sint traditiones quæri solet? Respondeo, quòd sint examinãdæ ratio dictat, quia errare & labi possumus: deinde mandatum scripturæ, *Omnia probate, quod bonum est, tenete*. Præterea experiẽtia rerum, qua videmus impia inuehi, & ab ipsis mutari & damnari, reuocari multa. accedit exemplum Apost. 1. Cor. 14. tam studiosè sua in traditionibus probantis, & in eadem, cap. 11. traditionem in velandis mulieribus diligenter probat. Constat igitur nullas traditiones admittendas, sine iudicio & sensura. Falsum igitur est, quod dicũt, Traditio est, igitur inquirere non licet: imò statuamus exemplo Apostoli, Traditio est, ergo inquirenda est, & examinanda. Examen traditionum erit iustum, si ad Scripturæ normam excutiantur, si illius censuram subire poterũt, fiet autem illud, *si ad ædificationem faciant*. 1. Cor. 14. *si scandalum vitetur*, 1. Corint. 7. 8. 9. Rom. 14. *Si non æquentur verbo Dei, si non illis tribuatur opinio cultus diuini, ne conscientias ligent: si inseruiant tempori, & loco, quorũ ratione mutari interdum possunt: ne multitudine onerent potius, quàm iuuent fideles.*

Verus vsus traditionũ.

DE ADIAPHORIS.

LOCVS LXXXIII.



ADIAPHORA dicuntur τὰ μέσα philosophis, hoc est, quæ ipsa actione bona vel mala deprehenduntur. Latini indifferens tale vocãt. Cic. de finib. quod enim Greci ἀδιάφορον dicunt, id mihi concurrit vt indifferens dicerem: hinc ἀδιαφορία apud eundem authorem. & Iustinus Martyr in Apol. sua pro Christianis ait, Impossibile est homini cynico, qui finem constituit adiaphoron, hoc est, indistinctum, vt aliud bonum agnoscat, nisi adiaphoriam, hoc est, dubium & vtroque vergens.

Quid Theologis adiaphoron.

Theologi hodie eodem modo vocant adiaphora in religione, quæ sunt communia bonis & malis: vt pius abstinet à vino orationis nomine: sed impius etiam abstinet in sua idololatria, & vsurarius, vt imposturis vacet. Ideoque non malè videntur Græcis dici talia adiaphora ἀδιάκριτα, ἀπαρατήρητα: quæ discrimine & obseruatione carent: distinguuntur enim vsu tandem, nec ab omnibus eodem tenentur pacto, sed variant.

Adiaphora in Ecclesia Christiana.

Pertinẽt huc res ferè omnes, de quibus in libertate Christiana, quæri solet in Ecclesia Christiana: qualia sunt, cibus, potus, dies festi, vestitus, ieiunia, virginitas, ritus Ecclesiæ ad εὐταξίαν facientes tum in religione, tum in Sacramentis, & similia.

Definitio.

Sunt igitur Adiaphora, res natura sua liberæ: quas siue omittas, siue facias, non peccas, nisi accedente aliqua circunstantia, quæ actionem vitiosam reddat. Vt defendere causam, medium quiddam est: sed si causam malam defendas, vt pro Catilina, actio iam vitiosa redditur ex circunstantia. Sic vesci carnibus, adiaphoron est: sin cum offendiculo fratris tui edas, malum fit, propter personam proximi, Rom. 14. Cœlibem manere vel vxorem ducere, est quiddam μέσον: sin cœlebs maneat quis, vt fugiat sobolem & rem domesticam, malum erit: aut vxor ducatur, vt maritus sub illo prætextu scortetur, vitiatur actio. Eadem ratio est in obseruatione dierum, Rom. 14. 5. *vnus quidem discernit diem à die, alius verò pares ducit omnes dies*: sic de mercede docentium, de vxore circumducenda loquitur Apostolus 1. Cor. 9. & 2. Cor. 11. 1. Cor. 9. 4. *an non habemus potestatem edendi & bibendi? an non habemus potestatem sororem, vxorem circumducendi, vt & reliqui Apostoli?*

Adiaphora secundũ quid.

Porrò res mediæ non eiusdem sunt generis: quædam enim certo tempore, certis etiam personis adiaphora sunt, quædam verò semper. Certi temporis est circumcisio: illa Apostolorum tempore indifferens erat: nam infirmioribus licebat eam obseruare, aliis liberum erat eandem negligere: & Apostolus Paulus eadem iam vsus est, vt in Timotheo Act. 16. aliàs eadem non vsus est, vt in Tito Gal. 2. Cæterùm eadem circumcisio ante Christi aduentum non erat res libera & indifferens, sed de rebus ad pietatem necessariis, quandoquidem præcepta erat à Deo. Sic hodie desiit esse indifferens, sed planè prohibita est in Ecclesia Christi, Gal. 5. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Talia sunt alia quoque ceremonialia Mosis, quę omnia, ante Christi aduentum, res erant necessariæ: tempore Apostolorum indifferentia facta sunt, postea mox in Ecclesia confirmata, planè abiecta. Hodie carnis vsus indifferens habetur, vt sub Apostolis quoque: sub Mose minùs erat concessus earum vsus, ante Noachum planè nullus carnium esus fuit, sed plantis, radicibus, leguminibus, &c. solùm vtebantur.

Res per se media desinit esse indifferens ob circũstantias.

Itaque alia semper necessaria sunt & honesta, vt vera adoratio, inuocatio, vitæ sanctimonia, virtutum studium & candor morum. Alia semper mala sunt & vitanda, vt vitium, peccatũ, dolus & similia. Alia inter hæc media sunt, quæ, vt dixi, variant temporum ratione. Deinde ista media seu adiaphora, sunt libera vel vsu, vel cognitione. Vsu non semper libera sunt, sed extra casum scandali, cùm enim frater offenditur, carnibus abstinere debeo, quod nisi faciam, res per se media desinit esse indifferens. Cognitione autem & iudicio de his semper manent talia: nam doctrina de rebus licitis & libertate Christiana perpetua debet esse in Ecclesia Christi: sic iudicio quidem manet indifferens semper, quod tamen vsu fit illicitum.

Consequens est iam videre scripturæ testimonia de rebus mediis. Ac de ciborum delectu pluribus locis scriptura hoc ingeminat. Rom. 14 *qui edit, non edentem ne despiciat: & qui non edit edentem ne iudicet.* Matt. 15 *illotis manibus edere panem, non inquinat hominem.* Luc. 10. *edite & bibite, quæ apud eos sunt.* Luc. 17. *regnum Dei non venit cum obseruatione.* 1. Cor. 8. *cibus nos non cõmendat Deo.* 1. Cor. 10. *omne quod venditur in macello edite, nihil disquirentes.* Coloss. 2. *nemo vos iudicet in cibo & potu.* 1. Tim. 4. *sanctificatur per verbum & orationem.* Tit. 1. *omnia munda mundis* Act. 10. *quod Deus sanctificauit, tu ne cõmune dixeris.* Et apud Euseb. recitatur historia de Spiridione, qui ieiunio hospiti apposuit carnes, quo dicẽte, Christianus sum, non edo iã carnes, respõdit Spiridion, ideò debes edere, quia Christianus es: significãs illa cedere necessitati, cùm enim nihil aliud paratum haberet, hospes boni debuit consulere carnes.

Historia Spiridionis.

De matrimonio & virginitate manifestè loquitur 1. Cor. 9. & 1. Cor. 7. versu. 36. *quod vult faciat, non peccat, iungatur matrimonio.*

Discrimina dierum alij aliter seruant. Rom. 14. *hic discernit diem à die, alius verò pares iudicat.* Col. 2. *ne quis vos iudicet in cibo & potu, aut parte festi, aut nouiluniį, aut sabbathi.*

Olim docere gratis quoque liberum erat, vt constat ex Apostoli exemplo 1. Cor. 9. & 2. Cor. 11. hodie ferè desiit esse.

Superstitio in habitu monastico.

Vestitus liber quoque mãsit, quanquam pij honestissimo semper sint vsi. Iustinus & alij philosophorum habitum retinuerunt nulla superstitione, sed quòd simplicior esset & iam vsitatus. Hodie magna est superstitio in habitu monastico, adeò vt in illo sepeliri religiosum esse ducatur: quod Apostolus de cibo dixit, nos de vestitu quoque affirmamus: habitus nos non commendat Deo. Interim piis conueniẽtissimus attribuitur functioni suæ: vt Eliæ, Ioanni Baptistæ aliisque. Ieiunare & orare semper adiaphorõ fuit, quòd hypochritæ has ipsas assumerẽt. De ieiuniis falsis habes locum Esa 58. de falsa adoratione passim in concionibus Christi Luc. 18. Pharisæus & Publicanus simul orãt, diuerso studio. Polygamia olim patribus libera erat, quæ Christi autho-

sti authoritate correcta est, vt sint duo solùm in carnem vnam.

Quæri hic solet, quando fiant mala, res mediæ: id facilè explicari pot est. Primùm si alant vitia illarum obseruationes, vtique malæ sunt. Vt ad crapulam edere carnes, & vinum bibere, malum est propter crapulam: sic abstinere à carnibus & vino, & tamen luxuriam nõ vitare, perinde vitiosa est abstinentia, quemadmodum vini & carniũ vsus. Id obseruauit in Manichæis Augustinus lib. 2. de moribus Eccles. qui à carnibus & vino abstinebant, & in eo magnã quærebãt religionem, interim vtebantur aliis cibis lautissimis & medicatis potionibus, quæ vinum etiã superant, cùm par vtrinque sit luxus, nihil differt talis abstinentia, à non abstinentia. Id hodie nostris meritò obiici poterat in ieiunio.

Questio.

Manichęorum abstinẽtia.

Deinde si accedat opinio cultus: nam desinunt sic esse libera, sed incipiunt ligare conscientias, & fiunt dogmata, pro quibus certatur tanquam pro aris & focis.

Si perpetua accedat obseruatio, adeò vt nõ liceat illa vllo tẽpore intermittere, siue ædificet, siue minùs.

Cùm pugnat illarum actio cum dilectione proximi aut verbo Dei: vt obseruatio sabbathi, tempore Christi inter Iudæos pugnabat cum proximi dilectione, ideò Christus contra illam consuetudinem in sabbathis passim sanauit. Sic præceptum de matrimonio in genere prohibito pugnat non solùm cum dilectione, sed cum scriptura, quæ permittit vt nubant, qui sese continere non possunt. Contra talia pertinet quod Christus ait Matth. 15 *frustrà me colunt mandatis hominum.* & Matth. 23. *alligant grauia onera,* &c.

Si nimia sit copia: nam Ecclesiæ nihil est perniciosius, quàm adiaphorica multiplicare, tenendúmque est, tum, nõ esse ampliùs adiaphora, quia nocent. Aug. conqueritur suo tempore, conditionem fidelium miseriorem fuisse, quàm Iudæorum vnquam fuerit, hoc ipso nomine, quòd rituum & ceremoniarum nimia esset copia: quid hodie diceret?

Augustini tẽpore iam tum erat nimia rituum & ceremoniarum copia.

Si confirmant errores, aut illis occasionem prębent, vt renouentur: huc pertinet exemplum Apostoli, qui omnibus omnia factus est. Timotheum circumcidit dum prodesset Ecclesię, Act. 16. Titum autem noluit circumcidere, Gal. 2. quia eo facto confirmasset errorem Iudæorum, quòd circumcisio esset necessaria ad salutem. Alibi votum suscipit & soluit: radit caput, purificatur, quia expediebat infirmis: alibi, acerrimè illa impugnat, quia pertinaces errores suos his confirmare volebant. Galatas cap. 4. obiurgat, quòd dies & tempora obseruent. cap. 5. si circũcidimini, Christus vobis nihil prodest, Colos. 2. nemo vos iudicet, & mox vers. 2. *si mortui cum Christo, liberati estis ab elementis mundi, quid ampliùs vt viuentes in mundo ritibus oneramini?*

Si scandalum infirmis ponant, Rom. 14. 13. 1. Cor. 8. 9. *videte ne licentia vestra offendiculo sit infirmis.* 1. Cor. 10. *omnia quidem licent, at non omnia expediunt.* Huc pertinet ex eadem epistola, quæ habentur cap. 7. 8 9.

Si non ædificent: omnia enim ad ædificationẽ in Ecclesia Christi fieri debent. 1. Cor. 14. Rom. 14 19. *Itaque quæ ad pacem & ædificationem faciunt mutuam, sectemur.* Summa est, quam mox adiaphora censuram verbi Dei perferre non possunt, sciamus mala esse, & à natura indifferentium iam excidisse.

Si facto nostro aliorum erroribus, aut peccatis cõmunicare inde videri queamus: nam qualiacunq. sint minuta adiaphora, nõ debemus cõmittere, vt aliorum peccatis communicemus. Exemplum recitatur de Ioanne Euangelista, qui etiam balneo communi vti noluit cum Cerintho: nam cùm illi diceretur Cerinthum intus esse, discessit dicens, abeamus: ne cum illo nos opprimat ruina. Et Lutherus, ne pilum quidem cedere voluit pontificiorum traditionibus, ne illorum erroribus cõmunicaret: & Apostolus Paulus in faciem restitit Petro, etiã in re minuta.

Quando abstinendum sit ab adiaphoris.

Exẽplũ de Ioan. Euangelista.

Diximus quando mala fiant adiaphora, hoc est, naturam suam amittant, & ex rebus mediis fiant simpliciter mala & illicita. Hinc iam facilè statui potest, quando res mediæ bonæ fiant & licitæ: si absit superstitio, si desit scandalum, si desit persuasio meriti, & similia, sed fine politico solùm instituantur & seruentur.

Nam in Ecclesia, omnia secundùm ordinem fieri debent. Itaque ad εὐταξίαν solùm faciant, & desit offensio, facilè seruari poterunt, modò ne copia & multitudo instituatur, aut similitudo in iisdem omnibus imponatur. Nam libera cùm sint, nihil refert alios dissentire: hoc seruauit semper vetus Ecclesia, vt dissimilitudo rituum ferretur vtcunque. Sic Romæ & in Africa ieiunabant in die sabbathi, Mediolani tamen non item, August. epist. 118. Asiani Pascha celebrabant cum Iudæis, nec tamen scindebatur concordia: quæ libertas, si mansisset, Ecclesiæ meliùs consultum foret: de his diximus etiam in loco de traditionibus humanis.

Dissimilitudo rituum ferri debet in Ecclesia.

Quomodo igitur geret se pius, in vsu indifferentium.

Respondemus ex Apost. ad Rom. 14. 1. Cor. 10. Col. 2. sequendam hîc regulam charitatis: ne quid hîc tentemus, quod infirmos possit offendere. Apostolus de se pronuntiat, *si frater offendatur, non vescar carnibus in æternum* Item. *ne tuo cibo perdas pro quo Christus mortuus est.* Et omnia mihi licent, sed non omnia cõducunt. *Et infirmum in fide tolerate:* quibus vult vt illius bono attemperemus nos in vsu indifferentium.

Ex quo est etiam illud manifestum: si incipiat nostra abstinentia proximo esse inutilis, quòd ea desinat esse indifferens. siquidem iam obest magis quàm prosit: quod diximus suprà, si dog-

mata mala vel errores eo facto stabiliantur. Paulus quidem rasit caput, & votum soluit, & purificauit se, attemperans sese Iudæis, vt omnibus omnia fieret: sed cùm talia obesse aduerteret veritati, palàm eadem damnat & conuellit. & Petro coram omnibus resistit, in his ambiguè incedenti.

Verùm dicis, infirmitatem esse affectatam, aut tales sunt infirmi, vt vel doceri nolint, aut nõ posint.

Respondemus, si tales esse certò constet, vtique sinendi sunt: nec illorum infirmitas præscribit veritati: amicus Socrates, sed magis amica veritas. Nec Apostolus de aliis loquitur infirmis hoc casu, nisi de quibus spes est conuersionis, & qui, non malitia, sed ignorantia offenduntur: tales non ægrè ferent institui, imò auidè meliora amplectẽtur. Quòd si nolint, valeat cõtra eos: quod Christus dixit, *cæci sunt & duces cæcorum, sinite eos, sanctum nolite canibus proponere.* Quòd si prętexant scandalum, nihil refert, nam non omne scandalum sanctis metuendum est. Pharisæi & Scribæ offendebãtur à Christo, sed immeritò, nec ob id segniùs egit Dominus Christus: & in Apostolis multi offensi sunt, quorum tamen nullam habuerũt rationem, cùm nec fratres essent, nec datum esset scandalum, sed malitia potiùs acceptum.

Non omne scandalum sanctis est metuendum.

Summa est. *omnia pura puris, pollutis autem & infidelibus nihil purum est*: sed polluta est illorum & mens & conscientia.

DE IEIVNIO QVADRAGESIMÆ.

LOCVS LXXXIIII.

Origo quadragesimæ.



DE ieiunio quadragesimæ quædam nobis hîc, & copiosius dicenda sunt. Nam cùm Filius Dei legatur ieiunasse diebus 40 quidam studio fortasse pio, non autem satis iusto, ad facti memoriam simile quiddam conati sunt. Ac dies illos ante resurrectionem Domini ita religiosè primùm seruarunt ipsi, deinde aliis cõmendarunt, tandem etiam obtruserunt obseruandos: vt bona pars mortalium peccatum mortale iudicarit, si quis ab eo instituto Ecclesiæ recederet. Et quia locus hic Matth. 4 nobis explicandus fuit, deinde eadem explicatio fato quodam in hos ipsos ieiunij dies inciderit, non abs re facturi videbimur, si de hoc ipso instituto Ecclesiæ pauca afferamus. Respiciet autem nostra oratio illuc, vt ostendamus ieiunium hoc malè ornatum fuisse titulo imitationis Christi: κακοζηλίαν, nec aliud esse, quæ malis principiis introducta, peiori progressu creuerit, pessimo tandem consensu sit stabilita & roborata.

Ieiuniũ quadragesimæ, titulo imitationis Christi inuentum.

Quæ igitur contra ieiunium hoc afferre possint, diligenter mecum expende.

Quid propriè ieiuniũ. Lib. 7 epist. 17.

Primùm certè nemini obscurum est, factum hoc suo nomini minimè respondere. Latinis enim ieiunium sonat abstinentiã ab omni cibo & potu, qualis est inedia, quæ à medicis in purgationibus solet præcipi ægrotis. Vbi non vnum aut alterum cibi genus, sed in totũ omnes cibos interdicunt. Potum etiã in ieiunio vero abesse oportebat. Quod vel ex Ethnico, Romano tamen homine Cicerone colligi poterat. Is Gallo scribens de se ieiunante ita loquitur: Cũ decimum iam diem grauiter ex intestinis laborarem, neque iis, qui mea opera vti volebant, probarem me non valere, quia febrim non haberem, fugi in Tusculanum: cùm quidem biduũ ita ieiunus fuissem, vt ne aquam quidẽ gustarem, &c. Ita quidem Cicero in sua δυσεντερίᾳ ieiunat, vt verè ieiunus sit, nihil gustat, ne aquæ haustum.

Sic Græcis νηστία sonat, non solùm parcè & sobriè edere: sed penitus nil gustare. νηστεύειν enim significat cibum in genere non admittere. Hinc νῆστις dicitur ἄγευστος σίτου. Hinc nomen rei etiam ortum est. Nam νη στερητικὸν est, σιτεῖσθαι verò cibare. Vnde κατὰ συγκοπὴν νῆστις appellari cœpit ὁ μὴ σιτούμενος. Talis autem est, qui nil planè gustat.

Eodem pacto Hebræi suum *Tsom* in vsu habent, quo ostendunt inedia corpora attenuari. Quod historia vel sola Niniuitarum declarat. Porrò nota sunt Latinis etiã ieiunia Sabbathariorum, quibus plenaria denotatur abstinentia.

Ieiuniũ Niniuitarũ Lib 1. fol. 52 Probl 12. quæst. 7.

Notum est Martialis epigramma in Bassam pessimè olentem, in quo ieiunia Sabbathariorum mœstorum vt pessimè olentia adducit. Et Græcis fermè etiam vim prouerbij obtinuit νηστίας ὄζειν, ieiunium olere, hoc est, grauiter olere. Cui rei causas redditurus Aristoteles, inquit, Τὰ στόματα μηδὲν ἐδηδοκότων: ἀλλὰ νηστευσάντων ὄζει μᾶλλον, hoc est, Ora nihil edentium: sed ieiunantium grauiùs olent. In ea quæstione certè νηστεύσαντες & μηδὲν ἐδηδοκότες iidem sunt. Respondeãt ergo hodierni ieiunii patroni, cur ipsorum ora ἧττον ὄζει. Et cur grauеolentiam illam ieiunam non exhalent. Opinor hoc ipso eos fateri suum istud ieiunium minimè respondere suo nomini. Quòd si excipiant, sobrios nos magis esse, & per interualla parciùs edere scire debebant aliud esse sobrietatem, quæ à vita hominis, religiosi præcipuè, nunquam debet abesse. Aliud verò ieiunium: hoc rarò assumitur, illa nunquam deponi debet. Sed ne satis quidẽ

Aliud est

νηφαλίως seseprodunt, dum gulosa illa abstinentia, lauti isti nō terra, sed aquis nati in honorem adducūt pisces: herbas omnes ita condiunt vt nihil possit esse suauius. Et faciliùs certè est, à carnibus abstinere, quàm à beta, piscibus, bellariis illorum non decipi.

Sobrietas & aliud ieiuniū. Gulosa Papistarū abstinentia. Papistarū ieiuniū antiphrasin dici debet.

Sed non est necessum de lautitiis quadragesimæ copiosiùs agere, præsertim primatum, per quos ieiunij cōsistit dignitas. Satis esto demonstrasse rem à nomine δὶς διὰ πασῶν dissidere. Rectissimè mihi hîc dicere videntur, qui ἀντιφραστικῶς ieiunium illud appellari putant. Nec enim destituuntur exemplis. Sic Latini bellum appellasse videntur, quasi res minimè bella esset. Et Charon ille inferni nauta Græcis παρὰ τὸ χαίρειν dicitur, cùm nil gaudij illic sit. Sic furiæ Eumenides etiamsi dicantur, nomini tamen non respōdent. Minimè enim sunt mites & beneuolæ. Et Parcę, cùm minimè parcant. Lucus, cùm minimè luceat. Et his mille alia addi poterant, quibus nihil inest de natura sui nominis, sola autem captatio boni cuiusdam ominis, quam εὐφημισμὸν appellant. Sic quidem ieiunio respondet quadragesima nostra, quod Deus omen auertat.

Sed nec definitioni etiam respondet. Quod cùm dico, nolo sic intelligi, quasi veræ descriptioni mos ille hodiernus nō respōdeat: sed ne quidem ab ipsis defensoribus positos limites seruat, Nam sic illi ieiunium definiunt. Vt sit abstinentia à cibo & potu, intuitu satisfaciendi, vel vitādi peccatum, vel acquirendi vitam æternam.

2. Nō definitioni respōdet definitio scholasticorum.

Peccat illa definitio multis modis: tamē quod contra eos præcipuè facit, angustior est, quàm vt quadragesimæ competat. Nam in ea ieiunium dicitur tantùm abstinere à cibo & potu, idque simpliciter: cùm ieiunium quadragesimæ sit etiam cibo & potu vti, nec enim omnes interdicit cibos, sed quosdam illicitos censet, reliquis concessis, manifesta est illa & non ferenda cōtradictio. Ex illa sic colliges, Abstinentia à cibo & potu est ieiunium: sed in quadragesima non seruatur abstinentia à cibo & potu, Igitur in illa non seruatur ieiuniū. Cæterùm condonemus istum errorem, quem recepti mores, & inueterata consuetudo tuetur.

In quadragesima non est ieiunium.

Maior est, & nocentior definitionis error, quòd opus satisfactorium ex ieiunio facit. Maximus verò & carcere dignus, quòd meritorium vitæ æternæ constituit. Nam satisfacit vnicus Christus pro peccato, & si omnia nos fecerimus, vix illa, quę oportuit, pręstitimus, inutiles adhuc sumus serui. Impium sanè est merita fingere, vbi merita non sunt, satisfactionem commentari cum Christi ignominia & iactura nominis eius. Sic quidem illi de ieiunio loquuntur.

Ieiuniū non est opus satisfactorium neque meritorium.

Nos ita describimus. Ieiunium est exercitium, quo, ad tempus, certis de causis, à consueta victus ratione cibū nobis subtrahimus, citra superstitionē. Ab hoc exercitio quantùm pontificij absint, res ipsa loquitur. Quanta verò cum superstitione coniunctum sit, ex eo colligi potest, quòd speciem faciant cultus diuini, & per se boni alicuius meritorium. Cùm de eo sacræ literæ non ita loquantur sed rem mediam constituant, quę alio fine suscipi debeat: de quo iam copiosiùs est nobis agendum.

Vera definitio.

Expende ergo vnà mecum, quātùm discedant à veteri ieiunandi consuetudine, maxima pars hodie per quadragesimam ieiunantium.

3. Nō respondet veterum ieiunantiū consuetudini.

Primùm veteris testamenti ieiunia tum dicebantur, cùm ab omni humano victu abstinerēt. Sic Israel ieiunat in Mizpa die vno. 1. Sam. 7. Sic Ionæ 3. Niniuitæ ex regis edicto cum iumentis penitus abstinent.

Deinde vni tempori & anniuersario nostri hoc ascribunt, quod veteres magis causis vrgentibus seruabant. Nam illi ieiunia indicebant, pœnis grauioribus iræ diuinæ præsentibus, vt belli tempore. Sic ciues in Iabes Gilead ieiunant diebus septem, occiso à Philistæis Saule. Sic filij Israel ieiunant in Bethel, die illo vsque ad vesperam, cùm malè esset pugnatum contra Gibea. Eadem ratio est in fame, peste, alijsque malis quæ metuuntur in futurum. Sic Iosaphat prædicat ieiunium per totum Iuda, cùm metueret Moabitas & Ammonitas. Sic ieiunant Daniel. Dan. 9. & Nehemias cum Israele, Nehemiæ 9. cùm essent in magno discrimine. Sic publica ieiunia populo semper fuere libera: & præcepta publicè, etiam quoties rei necessitas id postulare videbatur. Hodie certi temporis potiùs est obseruatio, quàm iustæ causæ & necessariæ pensiculatio.

In tēpore. Tempus ieiunij.

Præterea, quòd in certis cibis hodie discrimina faciunt, qui mos non fuit veteribus receptus. De Spiridone Cypri Episcopo legimus eū suillam carnē apposuisse in quadragesima aduenæ. Et recusanti cibum dixisse, *Omnia munda mundis*. Ex quo, licet constet tum illā iam inoluisse consuetudinem ieiuniorum: tamen magna adhuc superfuit libertas fidelium, secundum quam vir pius consuetudinem illam voluit subiectam esse humanæ necessitati & imbecillitati. Veterū ieiunia non legimus habuisse certorum ciborum delectū: sed in genere quicquid carni amicum & gratum erat, inhibebant. Et Iudæi quanquam ieiunium quoddam haberent solenne, quod in anno quater celebrabant, & alia quædam: deinde specialia ieiunia, de quibus peculiaris est tractatus in Thalmud parte secunda libro 9. Tamen discrimina ciborum sic non fuerunt obseruata, vti hodie. His accedit, quòd ab Apostolo 1. Timot. 4. doctrina dæmoniorum dicitur inuentum hoc de abstinentia certorum ciborum, quos Deus creauit ad sumendū cum gratiarū actione fidelibus: notum autem est, quàm strictè carniū esus in Sabbatho & quadragesima inhibitus sit, ita vt sub mortali peccato præceptum hoc populo proponatur.

Ciborū delectus. Exemplū Spiridonis viri pij.

Doctrina de abstinētia certorum ciborum à dæmone profecta.

Discrepat etiam in eo à veteri consuetudine. Quia non eodem fine inducuntur hodie illa stata ieiunia.

1. Veteres in his respiciebant corporis quandam castigationem & carnis quandam refrænationem.

Deinde vt habiliores essent ad preces, illa quasi προπαρασκευὴ præparatio adhibebatur.

Ioel.2. 3. Præterea vt testarentur veram cordis humilitatem. Ad quam vt ad principalem scopum totum ieiunium referri debet, secundum dictum Ioelis: *Scindite cor vestrum, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad dominum Deum vestrum*, &c.

Hunc verum vsum, qui veræ humilitatis coram domino argumẽtum esse debuit, relinquunt hodie nostra ieiunia, & externam formam vtcunque seruant. Qualia hypocritarum sunt ieiunia apud Matt. 6. de quibus Esa. 58. *Ecce ad litem & contentionẽ ieiunatis, nõ ieiunabitis in hunc modum hodie, vt resonare faciatis in excelso vocem vestram. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, vt per diem homo affligat animam suam, aut demittat caput suum, vt iuncus, & sternat saccum atque cinerem: nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptum domino? Nonne hoc ieiunium, quod elegi, dissoluere impias colligationes?* &c.

5. Dissidet à veteri ieiunio, quòd ob diuersitatem temporis cõcordiam rumpũt.

In hoc verò maximè à veteribus hodie dissident, quòd in eam vsque contentionem processerunt, vt pacem & concordiam cum dissidentibus rumpant. Qua in re quanta fuerit maiorum integritas, videre est in Irenæi epistola, quæ est apud Euseb. lib. 5 hist. eccl. cap. 24. Vbi inter alia sic post ieiunij diuersitatem scribit: *Et tamen nihilominus omnes isti etiam cum in obseruantia variarent inter semetipsos, & pacifici fuerunt semper nobiscum & sunt, nec dissonantia ieiunij fidei consonantiam rupit.* Ex quo manifestum illo seculo ieiunij dies non eosdem fuisse obseruatos. Alij vno tantùm die ieiunabant, alij duobus, alij 40. Tamen ista fuit piorum moderatio, vt res quasi libera cuiusque arbitrio relinqueretur, pax interea & fidei concordia studiosè coleretur. Hodie non Irenæi, pientissimum consilium locum habet, sed Victoris potiùs perniciosa seueritas.

6. Libertas in cibis tempore ieiunij. In ieiunio, etiã oportet viliũ satietatem vitare. Tom. 1.

Erat alia quoque ieiunantium tum libertas, quæ hodie penitus est sublata. Nam exercitium hoc carnis ingressi, vtebantur parciùs quidem cibo, vt de consueta dieta sibi detraherent. Sic alij pane & aqua victitabant, alij oleribus crudis, alij piscium aut auium carne, & id parcè. Alij nullum repudiabant cibum, quocunque autem vterentur, eo admodum parcè & sobriè, vt caro inediã sentiret, & spiritus ad preces esset alacrior. Rectè enim hoc præcipit D. Hieron. in ieiunio oportere vilium esse satietatem. lib. 2. contra Iouianum inquit. Sed & ex vilissimis cibis vitanda est satietas. Et mox taxans nostra ieiunia, Quale illud ieiuniũ est, cùm pridianis epulis distendimur, & guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum? dúmque volumus prolixioris inediæ famem quærere, tantùm voramus, quantùm vix alterius diei nox digerat. Itaque non tã ieiuniũ appellandum est quàm crapula, ac fœtens & molesta digestio &c. Et in epistola 27. ad Eustochium virginem de Paula scribens ait, Exceptis diebus festis, vix oleum in cibo capiebat. Vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino & liquamine, & piscibus & melle, & ouis & reliquis, quæ gustui suauia sunt, iudicarit: in quibus sumendis, quidam se abstinentissimos putãt, et si his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiam suspicantur, &c.

Ex quibus verbis intelligi potest ieiunium sic fuisse obseruatum, vt in cibis vilissimis quoque quæsitum sit: qui tamen arbitrio ieiunantium poterant esse liberi. Hanc sedulitatem Paulæ hodie sequantur ieiunatores. Hilarionis etiam diligentiam, cuius oculi ex ieiunio caligabant. Lentes eius, panem aridum, aquam, herbas agrestes, virgultorum radices crudas sectẽtur. Ita nobis probabunt, quòd seriò ieiunium tueantur. Verùm non est præsentis instituti quãtùm à veteri more discessum sit, demonstrare: hoc tantùm agimus in præsentia, vt constet à veteri consuetudine plurimùm eos hodie desciuisse, & ob id ipsũ nomẽ ieiunij in quadragesima pessimè tueri.

Hierõ. in vita. Hilar. Tom. 1.

4. Caret exẽplo. Tria hæc singularia ieiunij exempla non proponũtur imitanda.

Deinceps iam inspiciamus quibus exemplis institutum hoc tueantur. Hîc proferri solent tria præcipua, opinor, propter æqualitatem temporis. Nam Christus 40. diebus ieiunat, Matth. 4. 4. Elias totidem. 1. Reg. 19. Totidem & Moses, Exo. 24. 34. Nostrum verò est ostendere hæc exẽpla ad eos non pertinere. Ac quòd Eliam attinet, refectus sub iunipero cibo & potu Angelico, ambulauit postea in virtute illius cibi ad montem Dei Horeb, diebus 40. idque tantum semel præstitit. Mirum autem est, non animaduerti speciale hoc, vt reliqua, esse exemplum. Aut si catholicum debuit esse, cur Elisæus aliique Prophetæ populo hos dies non præscripserunt seruandos vel ipsi saltem in Prophetarũ cœtibus eos non coluerunt? Sic Moses accepturus legem à domino, illo ieiunio exercetur, nec ampliùs id repetit, aut in populo legem de eo fert. Quare necessum est, vel ad reliquos mortales hæc duo exempla nõ pertinuisse: aut illos (Mosem & Eliam dico) non omnia suis & candidè tradidisse. Verùm hoc posterius sanè perquàm est absurdum, cùm Moses perfectissimè de ritibus politiæ Israelis scripserit. Et absurdum etiam esset Rempub. illam abrogari, priusquam externa illa exercitia in vsum apud populum venissent. Perfectè igitur scripsit Moses, & cãdidè populo omnia præcipit. Elias etiam nihil conticuit, sed legem domini, quam à populo seruari voluit, totam vindicauit. Vterque tamen sui ieiunij non facit mentionem, minus hoc imponit cum aliis ritibus populo. Sequitur inde hæc duo exẽpla ad aliquos mortales non pertinere. Singularia igitur sunt, quibus, Legi suæ dominus volu-

apud populum diuinam authoritatem conciliare, per Mosen ferendo legem: per Eliam autem repetendo & postliminio reuocando intermissam diu.

Eadem ferè dici possunt de Christi ieiunio. Nam Euangelij initia non minùs debuerunt esse diuina etiam in externis, quàm legis Mosaicæ. *Ratio ieiunij Mosis & Heliæ.*

1. Quare ne in hoc Iudæi pertinaces præferrent legem suam, placuit Deo patri nouum illum legislatorem Christum non minùs quàm Mosen ieiunare.

Deinde Christus semel tantùm ieiunauit ingressus iam docendi munus.

Tertiò discipulis hoc non imposuit, vt idem facerent certis diebus.

4. Et certè, si legem communẽ ferre suo exemplo voluit, vtique singulis annis hoc debuit reuocari semel, quod nec à Christo, nec ab Apostolis factum legimus.

Adde nec Christũ nec Apostolos nobis hoc mandasse. Quod sanè erat necessarium in communibus regulis constituendis sub mortali peccato.

Verùm expende diligentiùs Christi ieiunium: nõ esurit diebus illis 40. cùm scriptura testetur elapsis illis postea demum esuriisse.

Deinde nil planè gustat, est in deserto cum feris. Quid huic simile habent quadragesimalia ieiunia? In cœtibus hominum fiunt, non inter feras, sed inter scorta quandoque.

3. Et quid grauius dici potest? non solùm nihil non editur: sed exquisitiores habentur cibi & confectiones, quàm vllus Apitius excogitarit apud veteres. Tamen hic etiam fortasse verum est apud nos hodie nihil non edi in ieiuniis, cùm Christus nihil ederit. Dissimilia igitur sunt ieiunia tum propter personas, tum propter locum, tum propter imperfectam abstinentiam: est & in finibus maxima dissonantia. Similitudo, si quæ est, sola hæret in numero dierum: quia vtrinque dies 40. numerantur. Sed quis tam vecors esse queat, qui in rerum collationibus, aut honestis factorum imitationibus vna sola adductus parilitate, statim prosiliens audeat tanto supercilio in facti sui patrocinium illud aduocare, cùm nil ferè sit tam distãs, quin in aliquo similitudo aliqua reperiatur? *Similitudo ieiunij Papistici cum ieiunio Christi, in solo dierum numero sita est.*

Fateamur ergo quod res est, Christi, Mosis, Eliæ ieiunia esse miraculosa, quia non humano, modo, sed quodam diuino ieiunarunt, & à Deo singulari consilio illis sunt imposita. Nec magis ad imitationẽ pertinere, quàm reliqua illorum miraculosa facta. In eo autem pertinere ad nos, vt in ipsorum admirationem nos rapiant, dictis ipsorum eò magis fidem habeamus. Malè igitur stabilitur quadragesimale ieiunium istis exemplis, in quorum imitatione, tam ieiuna est similitudo, tam dissimilis æmulatio veri, tam bene pastum & saturatum ieiunium. *Miraculosa ieiunia.*

Sunt alia etiã ieiunantium exẽpla passim in nouo Testamẽto, ad quæ meliùs poterãt recurrere. Marc. 2. Ioannis discipuli leguntur sæpius ieiunare, cùm idẽ non faciat Christus cum suis. Liberũ igitur quoddã tũ erat, & quasi priuatim singulis cõcessum, Cur talia nõ vrgemus hodie? *Liberũ.*

Sed habent hypocritæ sua etiam ieiunia. Matt. 6. sed quæ prohibita sint piis mandato Christi. Et quę illa sint, facilè explicari posset, nisi res prolixior esset. ὑποκριτικὸν vocamus: μιμητικὸν cùm res exprimitur aliena, quæ tamen non est. Vt Mimus exprimit in scena Vlyssem, Achillem, qui tamen Vlysses non est. Fingit autem habitum & vocem, verba eius ac gestus. Ita ὑποκριτικὰ dici ieiunia arbitror, quæ vera simulãt, saccum, cinerem, pulueres habent, vultum tetricum, aliáque populo bene repræsentant. Res tamẽ ipsa deest, hoc est, humilitas cordis, contritio spiritus, dolor peccati. Quare Christus rectè etiam in suis illum habitum Mimorum mutat declarans verum ieiunium non in illo habitu situm, cum ab eo id separet. Deinde suos ab illis oportere differre. Quare iubet suos lota facie ieiunare, & vnctos & clàm, vt mundo nullam μίμησιν proponant: soli verò Deo hic cultus deseruiat. Hæc libera & sponte suscepta sunt ieiunia. Quibus accedit alia forma, quam imponit tandem nobis ipsa necessitas, Matth. 9. Luc. 5. prædicit fore, vt ablato spõso, sui ieiunent. Durum sanè illud est ieiunij genus, quod calamitosa tempora suadent. Sic Apostoli sua prędicant ieiunia inter afflictiones & persecutiones. Sic Dauid humiliat in ieiunio animam suam, Psal. 34. Et Daniel in ieiuniis, sacco & cinere posuit faciẽ suam, vt rogaret dominum. Hodie hoc ieiunium multis imponit persecutio nomine Christi. Quibusdam rerum penuria & fames. Aliis pestis idem præcipit, metus belli aliæque pœnæ irati Dei. Quas vt tollat à sua Ecclesia, vero ieiunio in humilitate publicè, & priuatim erat rogandus. *Hypocriticum.* *Quid præcipuè in ieiunio sperandum.* *Necessarium ieiunium.* *2. Cor. 6. & 11.* *Dan. 9.*

Has species ieiunij reperio in nouo testamento, quas si conferas ad quadragesimam, & vtrinque expendas ὁμοιότητα: reperies eius ieiuniũ nulla imponi necessitate, cùm in peste, bello, fame, nõ alia ratione celebretur, aut strictiùs fuerit hactenus apud clericos, quàm cùm illa desunt. *1. Nõ imponit hoc necessitas.*

Deinde liberum non est, cùm pœnis diris violatores sint expositi. Extorres ab Ecclesia redduntur, mors etiam ipsa æterna illis denuntiatur. *2. Nõ est liberum.*

Præterea miraculosum non est, quale Christi, Mosis & Eliæ, quorum titulo sese ornant & spectandos populo proponunt. Superest igitur, vt hypocritica esse fateamur illa ieiunia, nisi hoc possint ostendere, præcepta esse à Christo, aut ab ipsis Apostolis, aut legem de ieiuniis latam Iudæis ad nos etiam pertinere. *3. Nõ miraculosum.*

Ac præceptum nullum esse, quod ad nos pertineat, temerarium fortasse sit asserere. Hoc tamen seriò dici potest quadragesimæ nullum esse, nec ostendi posse præceptum. Nam de ieiuniis in vniuersum non hîc agitur: sed quid contra illud peculiariter dici possit. *5. Nõ esse præceptum,*

Quare quòd in eo confirmando, ius naturæ adferunt, nihil efficiunt, cùm lex naturæ abstinentiam & ieiunium suadeat sanitatis ergò, & vt ad res agendas habiliores simus. Quò pertinent medicorum regulæ de victus ratione, & philosophorum præcepta de temperātia, sobrietate, abstinentia: sed illa omnium sunt temporū, locorū & personarū, tantùm in personis quid cuique conueniat & expediat, disquirūt. Nihil illud iuuat ieiunium, quadragesimale præsertim vsque adeò corruptum. Meliùs naturæ præcepta hîc seruat Socrates, Crates Thebanus, imò Diogenes, quàm bona pars religiosorum. Nam illi perpetuò sobrij legūtur fuisse, & virtutis amore excessum omnem in cibo & potu detestati sunt. Leges verò Mosaicæ de ieiuniis, etiamsi poterant huc aliquid momenti adferre: tamen data opera eas reiiciunt, ne iudaizare videantur: & inter ceremonialia pręcepta, qualia etiam sunt, reponūt: quæ cùm in totum cessarint nō etiā seruanda libenter fatētur. Scribit Antoninus etiam, quòd si quis seruaret illa, quia in lege mādata sunt, iudaizaret, & mortaliter peccaret. Tamen ne nihil ex veteri Testamento dicere videantur, legem de decimis huc alij torquent. Extat illa Deut. 14. vbi iubentur dare decimas omnium bonorum. Hinc ita nectunt sequelam. Populus Dei debet omnium suorum bonorum dare decimas. Quadragesima est decima pars anni. Ergo eam debemus reddere per ieiunium domino. Expende argumentum. Primùm maior falsa est, quia latior est, quàm locus Mosis, quo nititur. Nam Moses loquitur expresse de decimis sementis, & de fructibus quos ager producit annuatim. De his si tantùm loquantur, vera est: sed ita nihil iuuabit præsentē causam. Quare ad plura extendunt, quæ ager etiam non profert. Id quod ex minore constat, in qua ita assumunt. Sed quadragesima est decima pars anni. Sic non de decimis loquitur illic Moses & annum non profert ager. Falsa igitur est minor, quia à propria vocis significatione trāsit ad metaphoricam, in qua tamen nec analogia etiam consistit. Deinde apertè etiam falsa est. Nam quadragesima non est decima pars anni præcisè: cum enim annus constet ex 365. diebus, satis euidens est decimam eius partem esse 36. dies cum semi. Deinde ita etiam falsa est, quòd nō sit de bonis nostris, de quibus loquebatur maior, ex loco Mosis. Nam sic scribit: *decimando decimabis cunctos prouentus sementis tuæ, quos annuatim annus producit.* Annus cum partibus eius non est semētis nostræ. Videant igitur ipsi, quàm bene causam hanc agant ex Mose.

Ethnicorum ieiunium.

Parte 2. tit. 6. c. 2.

Ridicula collectio & inepta.

Decima pars anni constat diebus 36. cū semi.

Quòd noui Testamenti leges & pręcepta attinet, nulla habent: proinde ad exempla confugiunt. In primis verò Christi: sed illos non iuuare iam ostendimus, cùm dissimile sit præterea κακοζηλία quadam hoc exprimūt. Alia sunt piorum hominum, vt Apostolorum in Actis, Pauli & Barnabæ Act. 14. Annæ. Luc. 2. sed ne his ornari se posse vident, quare ab illis sponte abstinēt Quòd verò præceptum certorum dierum non sit, vide quàm eleganter & modestè scribat Augustinus epist. 86. ad Casulanum Presbyterum. Vbi scribit inter alia. Sibi videri tutiùs paratiúsque, vt qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicet. Quia, nec si manducauerimus, abundabimus: neque si non mādacauerimus, egebimus. Custodita scilicet eorum inter quos viuimus in his rebus inoffensa societate, &c. Ad eandem sententiam scribit Chrysost. Homil. 10. in Genesin, Ieiunium dominus nō simpliciter exigit: & nullus qui sapit, non ieiunantem poterit arguere. Hanc moderationē in ieiuniis si obseruarent nostri, non tanta contētione rem vrgerēt: Quòd ieiunium hoc obliget ex ordinatione regulari, ex statuto Ecclesiæ vniuersali, & consuetudine generali. Saluberrimum fuit Ambrosij consilium, quod Augustino dedit: Cùm Mediolani sum, non ieiuno die Sabbathi: quando Romæ, ieiuno. Hac moderatione vetus Ecclesia est vsa & salubriter. Mox posteri ab ea declinādo, rigore quodam omnes ad eandem formulam compellere conati sunt. Videamus ergo quibus initiis tandem res ad eam molem creuerit.

Tom. 2.

Consiliū Ambrosij.

VI. Malis initiis pessimè creuisse.

Leges ieiuniorum vnde & per quos cœperint hîc solùm quæritur, idque apud Christianos. Nam leges Iudæorum de ieiuniis pridem communi consensu desierunt. Post Christi igitur ascensionem Ecclesia eius diu vsa est ieiuniis in precationibus, in ordinandis ministris, in committendo ministerio. Vt est Act. 13. & 14. Religionis ergò priuatim singuli, quò paratiores essent ad orandum: Leges verò publicas ignorabant. Singuli regionum & Ecclesiarum suarum mores sequentes ieiunabāt more patrio, vel priuatim Spiritus ductu. Primus deinceps Mōtanus hæreticus leges ieiuniorum imposuit, quod testatur Eusebius Eccl. Hist. lib. 5. cap. 18. Ante illum Telesphorus Papa nonus in ordine, quadragesimam instituerat: sed sine arctiori disciplina & ieiuniorum legibus. Diu res deinceps sine pœnis obseruata est à diuersis diuersimodè, vt epistola Irenæi ad Victorem Romanum ostendit apud Eusebium. Et Augustinus ac Hieronymus hinc inde ostendunt. Tandem anno domini 1075. Gregorius septimus imitās mores Gregorij primi sacerdotes vxoratos excōmunicat, leges ieiuniorum seueriùs populo proponit, ac sub peccato mortali seruādum præcipit. Deinceps res ita conseruata est Pōtificum authoritate, & pœnarum atrocitate, vt scripturis in eam rem non ampliùs sit inquisitum.

174. Montanus hæreticus primus inuentor ieiuniorū 144. I.

His quidem principiis res orta est, peior progressu indies facta: pessimo tandem robore stabilita est. Ac si nihil esset aliud in hac causa, certè tam improba initia fidem quadragesimæ adimere debebant. Quid enim sani? quid pij? quid verè Christianum à Mōtano hæretico expectabis? Sed non ad hæc confugimus subsidia: scriptura palàm clamat doctrinā esse dæmoniorū discrimina ciborum, obseruationē dierum, & similia consectari, &c. De quadragesima hactenus.

DE CI-

DE CIBO ET EIUS DELECTU Apud pios.

LOCUS LXXXV.



IBUM dicunt Medici nutrimentum esse corporis, quo solidiores partes aluntur, & reficiuntur. Ac nutrimenti tria faciunt genera, Cibum, potum, & spiritum. Sacræ literæ cibum panis nomine ferè proponunt, vt Gen. 3. *in sudore vultus tui, vesceris pane tuo.* Et Esa. 58. *Frange esurienti panem tuum,* hoc est, cibum. Esa. 65. *serpētis panis eius puluis est.* h.e. cibus. & Mat. 6. D. Christus iussit orare, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie,* hoc est, cibum vitæ necessarium. Hipp. de flatibus. 118. lat.

Eum definimus ex Apostolo ad hunc modum, Cibus est alimentum à Deo homini ordinatum cum gratiarum actione ad vitæ eius conseruationem. Probantur partes definitionis, ex 1. epist. ad Timoth. 4. 3. Conditos ait à Deo ad participationem. Author igitur Deus est; finis vitæ conseruatio; forma, gratiarum actio: *sanctificatur enim cibus, per verbum Dei & preces.* & quāquā omnes homines, vt etiam animantes cibo reficiantur: tamen piorum proprium est cum gratiarum actione cibum sumere, cùm reliqua turba parum ista curet. Definitio. 1. Tim. 4.

II. De cibo fidelium tamen scriptura non loquitur eodem modo.

1. Nam cibum vocat etiam initia doctrinæ pietatis. hinc 1. Cor. 3 *lacte cibaui vos, non solido cibo, nec enim poteratis ferre.* & ad Heb. 5. solidus cibus perfectorum est: ex quo emanat illa diuisio, alium esse perfectorum, alium rudium: vel alium solidum, alium nondum solidum, hoc est, aliam esse rationem catechisticam, quæ habet prima pietatis elementa: aliam in fide iam confirmatorum. Variæ cibi acceptiones.

2. Est etiam cibi quædam ratio, in consiliorum destinatione ad vnius Dei obedientiam destinatorum. quo sensu dixit Christus, Ioan 6. *operamini cibum qui non perit, sed eum qui manet in vitam æternam.* & de se Ioan. 4. *Cibus meus est, facere voluntatem illius, qui misit me.*

3. Est etiam cibus fidelium misticus, de quo dixit Christus Ioan. 6. *Caro mea verè cibus est,* & in Cœnæ institutione, de pane dixit, hoc est corpus meum, accipite, edite, &c. sed de his ciborum modis non est in præsentia locus dicēdi. Corporis cibos prosequamur, quorum est multiplex ratio.

1. Apud Mosen primaria est distinctio, in cibos licitos & illicitos. Licitus cibus est, quem lex singulis concedebat: illicitus, quem lex prohibebat Iudæis. de his vide Leu. 11. & Deut. 14.

2. Vicina huic est illa quoque distinctio, quòd alius sit cibus Sacerdotum & Leuitarum, qui de sacrificiorum certis portionibus viuebant, de oblationibus, de primitiis frugum, &c. Exod. 29. Deut. 18. Num. 18. Alius Laicorum, ex animalibus mundis, & eorum sacrificiis. Leuit. 11.

3. Est & illa obseruanda distinctio in historiis, alium semper fuisse cibum sanctorum, alium impiorū. Sancti passim inducūtur frugali cibo vti, vt de Iosepho scribitur. Gen. 39. *nihil nouerat, nisi panem quo vescebatur.* Daniel & socij sui leguminibus pascuntur, contēpta regia mensa. Prophetæ passim pane & aqua cibantur. Ioannes Baptista melle & locustis. Christus cum discipulis passim panibus, interdum assis piscibus additis. discipuli aliàs spicas atterunt & edunt. Frugalis cibus piorum.

Contrà, impiorum sumptuosus est cibus vt diuitis illius epulonis Luc. 16. vt regum passim sibariticæ mensæ, & exquisitæ epulæ.

4. Est illa quoque in sacris historiis. Cibum alias ordinariè concedi, hoc est, mediis consuetis, vt labore, artificio, mercatura. Aliâs extraordinariè, & miraculosè, vt Man in deserto & coturnices. Num. 11. Esa. 48. Aquam de petra. Heliam coruus pascit. 1. Reg. 17. Alios nudum Dei verbum pauit, nihil cibi sumentes vt verum sit quod dixit Dominus, *Non solo pane viuit homo, sed omni verbo quod egreditur ex ore Domini.* Deuter. 18. Pertinebit fortè huc, quod hoc ipso anno dum hæc scriberemus accidit, in quibusdam Austriæ & Bauariæ locis triticum pluit, quod in panificium salubriter collegerunt pauperes. Miraculo Deus pascit variis modis. Cibi extraordinariè cōcessi. 1570. 14. Iunij.

III. Causarum est vtilis hîc consideratio. Efficiens causa est Deus: illius enim beneficium & ad eum tanquam authorem, pij cibum referunt. Gen. 1. *Omnem herbam dedi vobis in escam.* Exod. 16. *Iste est panis quem dedit Dominus Deus vobis ad edendum.* Psal. 104. *Catuli Leonum rugiūt, vt quærant escam sibi à Deo: Omnia à te expectant, vt des illis escam suo tempore.* Psal. 145. *Das escam illis tempore opportuno.* Psal. 147. *Pullis etiam coruorum inuocantibus eum.* Similia vide Psal. 65. Iob. 38. Ioël 2. *ego mitto vobis frumentum.* Hos. 2. *sed ipsa non intelligit, quòd ego dederim ei frumētum.* Hinc frumentum suum vocat Dominus & oleum & mustum suum, quia hæc omnia ex suis thesauris profert hominibus.

Porrò Deus cibum dat vt plurimum per ordinaria media. Nam si immediatè det, miracula sunt, vt cùm pluit triticum, cùm nudo verbo satiat & conseruat vitam. Interdum per miraculosa dat media, vt dum per coruum cibauit Heliam, aquā dedit ex Petra, Man ex nubibus, cotur-

Labor. nices à mari. Per ordinaria media reliquis consueuit dare, vt per labores: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, cui consentit Apostolus, Qui non laborat non manducet, huc pertinẽt cùm labores rustici, tum mechanici, tum ingenui; & in genere, quilibet in sua vocatione honestis laboribus sese alere debet. *Impio dulcis est panis fraude partus, sed mox impletur os illius lapidibus.* Prouerb. 20. quo admonemur vt honestis laboribus nos alamus.

Oratio. Deinde ad ordinaria media acquirendi cibum pertinet oratio. Nam Dominus Christus iussit orare, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Item *orate & dabitur vobis.* Testantur hoc exẽpla quidem rara. Moses orando impetrat carnes, panem, aquas, Psal. 105. Petierunt & venit coturnix & pane cœli saturati sunt. Ad ordinaria media Dei refero pium etiam Magistratum, qui suis de victu prospicere debet. Est enim loco Dei in terris, cuius vices gerit. Illustre eius rei habemus exemplum in Iosepho Gen. 47. Toti Ægypto prospicit de cibo in futuros annos. & cap. 45. fratribus, ait, *præmisit me Deus, vt cibum haberetis ad edendum,* & patri dicit, *Habitabis in Gosen, ibi te pascam.* Sic Dan. 4. adumbratur bonus Magistratus, per arborem quãdam amplam, & frugibus repletam, quæ hospitium præbet auibus & bestiis terræ. Hinc Magistratibus obuenit honestissimus ille titulus, vt dicantur pastores, Pascere enim debent subditos, hoc est, de victu & pane illis prospicere. Esa. 44 *Cyrus pastor dicitur Domini.* Apud Græcos reges & principes dicuntur ποιμένες λαῶν. apud Homer. & Platonem etiam. Et antiquitus reges etiam pastores erãt, aut de pastoribus sumpti. vt Saul & Dauid. Meminerint igitur principes officij sui, quid miseris debeant subditis. Huc pertinet cura parentum pro familia, tutorum pro orphanis, &c. & similium. nos verò cogitemus, quicquid ab illis accipimus cibi, totũ hoc Dei beneficiũ esse, quod per sua organa in nos deriuat. Hæc de vera causa efficiente & conficiente nobis cibos. Vtiliter hîc consideratur etiam corrumpens causa, item falsa causa efficiens.

Num. 20. Magistratus.

Corrumpẽs causa, & falsa efficiens.

Primùm victum nobis corrupit peccatum: habituri enim eramus cibum & facillimũ & præstantissimum, nisi peccassent primi parentes. Nunc peccato onusti ipsum peccatum difficilem accipiẽdi cibũ rationem effecit, vt sudore sit opus, nec dum satis fœliciter terra reddit fructum suum. Gen. 4. *Si operatus fueris, non reddet fructum suum:* & Eccles. dicit cap. 6. *labor est, & anima tamen non satiatur.* hæc difficultas ex peccato oritur.

Falsa autẽ ab impiis existimatur causa. Quia suis idolis, nõ vero Deo adscribunt fertilitatem & copiam cibi: quam opinionem Dominus in populo suo reprehendit. Ose. 2. Ierem. 44.

Causa materialis. Materia ciborum varia semper fuit apud homines, & adhuc est, dum alij aliis modis vẽtri & voluptatibus inseruire cupiunt. de his vide Plin. lib. 19. cap. 4. lib. 15. cap. 26. lib. 9. cap. 35. R. Textoris officinam. T. 2. fol. 604. 605. Alexand. ab Alexand. lib. 3. cap. 11.

Medici circa hanc curam diligentes sunt. Considerant enim in cibi diæta hominum quantitatem, qualitatem, consuetudinem, delectationem, ordinem, tempus; & similia multa obseruãt in ciborum materia, quæ nolo hîc attingere; solùm illa persequemur, quæ sacræ literæ nobis prodiderunt. Ante lapsum hominis, victus à Deo homini concessus fuit, de his quæ sponte profert terra. Gen. 1. v. 29. Et dixit Deus, *Ecce dedi vobis omnem herbam seminantem semen, quæ est in superficie totius terræ, & omnem arborem in qua est fructus ligni, quæ seminat semen, vt vobis sit in cibum.* & cap. 2. ver. 16. iterum describitur illius cibus.

Ante lapsum.

Post lapsum. Post lapsum cibus hominis est, herba agri. Gen. 3. v. 18. Et comedes herbam agri, & in sudore vultus tui edes panem tuum. Prius de paradysi fructibus edebat, iam cum iumentis herbam agri sortitur. Prius sine sudore & laboribus, nunc cum laboribus & sudoribus parandus est: atque sic victitasse vidẽtur homines vsque ad diluuium. quod veteres omnes etiam video seruasse. Et Iustinus Martyr contra Tryphonem testatur expressè. Noacho iusto concessum est à Deo, vt vesceretur quouis animante excepta carne in sanguine.

Ante diluuium esus carnium nõ fuit homini cõcessus.

Post diluuium igitur primùm cœpit carniũ esus, Gen. 9. *Omne mouens quod viuit, erit vobis in cibum: quasi herbam virentem, dedi vobis omnia,* durauit ista libertas vsque ad Mosen, qui leges dedit de cibis.

Sub Mose ergo limitatus fuit ciborũ vsus & delectus accuratior institutus, in iumentis certa concessa, quæ ruminãt, & findũt vngulam. Sic inter aues, inter pisces, & inter insecta. de quibus vide Leuit. 11. Deu. 14. Submota sunt etiam ab esu cum sanguine, lacerata à bestiis, morticinia, hœdus cum lacte matris coctus. Exo. 23 24. adeps, Leuit. 7. & similia.

Durauit hoc discrimen vsque ad Christi aduentum, qui legem impleuit, & vmbras sustulit, ac suos ad primam libertatem reuocauit, qua vsus est Noachus: imò ampliorem reddidit. Nam sanguinis vsum quoque concessit. cùm pronuntiaret, quicquid intrat per os, hominem nõ inquinat. Et Apostolus, *quæ in macello venduntur emite, nihil interrogantes propter conscientiam,* de quo paulò post plura dicemus.

Forma ciborum ad artes culinarias pertinet: sunt enim hodie ferè omnes cibi arte parati, exceptis arboreis fructibus, & terræ quibusdam, quos vt natura protulit edimus. Reliqua omnia arte parantur, corriguntur etiã hi arte, vt sapidiores fiãt & salubriores. Huc pertinet panificium, lacticinia, culina tota, & Apitij delitię: bona pars medicinę, quę docet tueri valetudinem, & pharmacopolium totum: de confectis vinis aromaticis, cibis conditis, quæ omnia ventri militant. In quibusdam Moses formam exprimit, vel parandi cibos, vel edendi, vt quomodo coquendæ

quendæ ſint ſacrificiorum carnes, quomodo parandi panes propoſitionis, quomodo aſſandus agnus Paſchalis, quomodo etiam edendus à ſtantibus, præcinctis ad iter, cum panibus azymis, cum lactucis, & ſimilia, quæ omnia hodie deſierunt.

1. Finis ciborum à Deo & natura ordinatus eſt conſeruatio valetudinis. Et ad hunc finem conſequendum ſufficiebat frugalis cibus olim, & hodie ſufficeret, niſi placeret potiùs citò mori in delitiis, quàm diu in frugalitate viuere. Eò enim deuenere mores, vt homines maximè cibo moriantur, qui tamen ad vitæ conſeruationem datus fuerat. Laudamus omnes veterum frugalitatem, olemus interim Apij culinas. Sanitas. Hodie homini placet potius citò mori in delitiis, quã diu in frugalitate viuere.

Stoicis mirificè placuit frugalis vita, vt & Cynicis. Vnde illud, Edendum vt viuas, non viuendum vt edas. frugalis fuit apud Perſas iuuentutis cibus: vtpote aduerſus famem & ſitim tãtùm paratus. Iuuentus naſturtio, pane, aqua, & ſale, tanquam exquiſitis valde obſoniis veſcebatur. Et Romanus populus antiquitus tenui cibo vſus eſt, vt videre eſt apud Plin. & Val. Max.

Alius eſt finis à Deo nobis propoſitus. Deut. 18. gratiarum actio. *Cùm ederis, inquit, & ſaturatus fueris, benedicas Domino Deo tuo.* Et mox, *Caue ne obliuiſcaris Domini Dei tui.* Hunc finem reſpicit Dominus dando cibũ, vt illum laudemus & inuocemus, & omnia ei accepta referamus. Diſcrimina verò obſeruabantur olim, vt ſancti eſſent, & obedientiam declararent Domino Deo ſuo. hinc Deu. 11. illud refertur vt ſancti ſint, quemadmodum Dominus Deus ſanctus eſt. Hæc ſanctitas in obſeruatione delectus à Deo conſtituti ſeruabatur. Hodie finis ciborũ, quod delectum attinet, manet, vt ſancti ſimus, ne offendamus fratres infirmos, *ne perdamus cibo noſtro, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* 1 Cor. 8 Rom. 14. Gratiarũ actio.

Accedit politicus finis in ciborum cauſa, vt commodius res domeſtica retineri poſſit in ordine, de quo mox dicemus. Ad finis conſiderationem pertinet, num etiam religionis cauſa in cibis haberi poſſit. Sub Moſe quidẽ tota ciborum ratio videbatur ad religionem facere. Nam Deus ipſe lædebatur ſi leges de cibis latæ negligerentur. Hinc in Machab. hiſtoria, Matrem cũ ſeptem filiis potius voluiſſe mori, quàm ſuillas guſtare carnes. & Daniel in Babylone leguminibus, aqua & pane maluit cibari, quàm regia menſa. Et Petrus in Act. cap. 10. religione quadam ductus, inquit, *Domine nunquam quicquam immundum intrauit in os meum.* valuit illa religio, quãdiu leges Moſis valere debuerunt. his autem ſublatis, fatendum eſt, quod dixit vox Domini, *Quod Deus ſanctificauit, tu ne immundum dixeris.*

Locus requirit, vt de delectu copioſius agamus: ſunt enim homines, vt olim etiam in eo interdum nimium ſuperſtitioſi: alij contrà nimium temerarij in tollendo omni delectu. Nec hîc perſequemur omnia, quæ in delectu ſinguli obſeruarũt, infiniti enim laboris & ſuperſtitionis fortè quoque videri poſſit: ſed quæ in ſacris, & natura obſeruari poſſunt.

Duo autem explicanda erunt. Primùm qualis ſemper fuerit in Eccleſia Dei obſeruatus delectus. Alterum qualis hodierni temporis ſit.

1. Eccleſia Dei hinc à condito primo homine ſemper habuit delectum aliquem. Ante lapſum, primi parentes in paradyſo de horti fructibus edebant: ſolùm ab arbore boni & mali abſtinendum erat. Quo loco obſeruandum eſt, Deum ipſum authorem eſſe, non ſolùm cibi, ſed delectus, qui magna religione ſeruandus fuerat parentibus noſtris. Ante lapſum.

Deinde poſt lapſum cùm ex horto pulſi eſſent, cibus acquirendus erat laboribus, & quod cultura terræ daret in cibum conceſſum, arborei etiam fructus, carnes tamen animalium non erant conceſſæ, ſed ſacrificiis deſtinatæ, quo videbantur à Dei menſa ſubmoti. Durauit hic delectus vſque ad Noachum. Ac de carnium eſu prohibito conſentiens eſt Theologorum ſententia, ex eo, quòd ante diluuium ſcriptura non faciat vllibi mẽtionem eſus carnium. Iuſtinus Martyr cõtra Thyphonem, manifeſtè inquit Noacho, primùm edẽdi carnes datã eſſe licentiã. Poſt lapſum. Ante diluuiũ animalium carnes ſacrificiis deſtinatę erant.

3. Poſt diluuium liberrimus fuit ciborum vſus Noacho conceſſus, carnibus in cibum quoque conceſſis. Credibile enim eſt terræ fructus per aquarum illuuionem multis modis vitiatos, vt non tam boni & ſalubres ſint nunc, ac fuerunt ante diluuium: quam iacturam in alimẽto hominis, nouo priuilegio compenſauit. Deinde tantas pœnas humani generis, ſingulari aliquo beneficio compenſare voluit, Noacho ad conſolationem. Attamen in tanta licentia ciborum, hunc delectum ſtatuit, ne ſanguinem in cibum admitterent. Gen. 9. Cur poſt diluuiũ eſus carnium ſit cõceſſus.

4. Durauit iſta licentia vſque ad Moſen, qui ex ore Domini eſum carnium limitauit, vt aliorum ciborum quoque. Ac quorundam eſum ſimpliciter ac ſemper illicitum conſtituit, quales ſunt immundæ aues, quadrupedes, piſces, inſecta. Sub Moſe.

Aliorum certo tempore, vt fermenti in diebus Paſchatis, adipis in ſacrificiis, carnium mundi animantis, ſi raptum à fera fuerit, laceratum, aut ſponte mortuum, &c. de his vide Deut. 12. Leuit. 11.

Hic delectus ciborum in Eccleſia firmiſſimè ſeruatus eſt à fidelibus: tum quia inductus fuit ab ipſo Deo, cui in omnibus ſine exceptione obediendum eſt. tum quia naturæ conſentaneum eſt, vt qui religione diſcrepant, vſu ciborum, adeóque aliarum rerum quoque differant. manſit hic delectus vſque ad Chriſtum.

5. Chriſtus ſuo aduentu hũc delectum ſuſtulit, cum aliis Moſaicis ritibus, at vſum ciborum reuocauit ad priſtinam libertatem, quæ Noacho data fuerat, imo liberiorem hoc quoque fecit. Matth. 11. Lex & Prophe-

tæ vsque ad Ioan. Bapt.

Math.15. *Quod intrat per os, non inquinat hominem.* Act.10. Petro dicitur, *Quod Deus sanctificauit, tu ne immundum dixeris.* Rom.14. *regnum Dei non est cibus aut potus.* Col.2. *Nemo vos iudicet in cibo & potu.* 1. Cor.10. *Omne quod in macello venditur edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Tit.1. *Omnia munda mundis.* 1. Tim. 4. *doctrina dæmoniorum dicitur delectum ciborum instituere.*

Libertatem hanc in cibo & potu constanter docuerunt & defenderunt Apostoli, & constat ex locis iam citatis, & ex Act. cap.15. Interim tamen non sine ratione docuerunt hoc esse vtendum. Si enim offendat cibus infirmum fratrē, cauendus est cibus ex doctrina Apostol. 1. Cor.8. & 10. Rom.14. Item si alat vitia, pietas iubet cauendum esse, debemus enim corpus in seruitutē redigere, vt discat obedire spiritui, quod suo exemplo docet esse faciendum. 1. Cor.9. ad finem. Item redigere, vt discat obedire spiritui, quod suo exemplo docet esse faciendum. 1. Cor.9. ad finem. Item si nobis noxius sit, si insalubris, si ardorem orandi impediat. Hunc delectum in libertate ciborum seruarunt Apostoli & docuerunt posteros: successores illorum studiosè etiā hæc ingressi sunt vestigia. Agnouerunt enim omnia munda mundis, attamen vel suo priuato commodo, vel proximi respectu delectum habuerunt. Priuati commodi erat castigatio carnis, proximi respectus autem, ne infirmos offenderent ciborum esu. Sic de Hilarione refert Hieronymus, carni suę solebat dicere, Ego te Aselle faciam, vt non calcitres, non te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per ęstus indagabo & frigora, vt cibum potius, quàm lasciuiam cogites. Ad hunc modum docet de abstinentia carnium Augustinus lib.2. de moribus Manichæorum, abstinendum ab eis, ad comprimendam delectationem, deinde propter charitatē, ne infirmi offendantur. Itaque quanuis Christianis sit liber ciborum vsus, tamen non ita liber est, quin cum prudentia quadam Christiana sit obseruādus delectus.

Delectus ciborum duplicem habet respectū.

Libertas Christiana nō refugit ciborū delectum.

Primùm enim cibus noster non debet destruere opus Dei, sed potius ædificare.

Deinde offensa quoque abesse debet, *si cibus meus offendat fratrem, in æternum,* inquit Apostolus, *non vescar carne.*

Præterea cauendus est abusus libertatis Christianæ.

Apostolus 1. Cor.9. abusum in eo statuit, si mercede accepta doceret Euangelium, cùm interim multis argumētis propugnat licere ministris ex Euāgelio viuere. Sic Corinthij abutebātur libertate Christiana, quòd cum fratrum offendiculo carnibus idololatricis vescerentur. 1. Cor. 8. Sic natura dictat abstinere à venenatis, ab iis quę lædunt sanitatem.

Hinc alius cibus ægris conuenit, alius sanis. Sic alius infantię, alius iuuentuti, alius senili ætati, alius puerperę, alius grauidę, alius lactanti, alius ab his omnibus liberę. Sic alius cibus alio tempore conuenientior est, quę discrimina medici studiosè tradunt, & obseruari sine superstitione vtiliter possunt.

Est etiam pollicitus delectus: leges sumptuariæ olim ordinibus certum concedebant dimensum. Et hodie œconomica ratio postulat delectum ciborum, ne euertamus rem domesticam: aliter viuit sutor, quàm senator, aliter diues quàm pauper: hinc emanant illa discrimina, in bene institutis familiis singuli dies habent suos certos cibos, quibus familia alitur. Dominico die carnibus alitur, Martis & Iouis: Die Lunę & Mercurij oleribus & leguminibus: Veneris & Sabbathi piscibus: delectus non superstitiosus est, sed ratio œconomica requirit ordinem & variationem. Deinde sic alenda est familia, ne pessundetur domus.

Familiæ bene institutæ singulis diebus suos certos habent cibos.

Ita Respub. bene institutæ leges habent sumptuarias, qui cibi, quibus diebus apponēdi sint, & quāto ferculorum numero. Huc pertinet ratio temporum. Bene instituta Resp. aliter iubet suos ciues viuere tempore belli quàm pacis: sic in nuptiis aliis est dięta, quàm in luctu, in festo aliter quàm in profesto die viuitur. Rex Niniuę ciuibus suis indicit ieiunium tempore periculoso, & ieiunant ab omni cibo toto die etiam iumenta. Sic Respub. pro tempore posset indicere ieiunia seria, vt prohiberetur non solùm caro, sed vini vsus, aliique delicati cibi ad tempus fine politico. Hæc & similia libertati Christianę nihil detrahunt: imò sunt pars prudentiæ Christianæ, quam requirit Christus in suis, *Estote prudentes vt serpentes, & simplices vt columbæ.* & est officium boni œconomi, qui ad familiæ vsum tempore suo profert de thesauris suis dimensum, Luc.12.

In feriis ieiuniis non solū caro, sed & vini vsus prohiberi debet.

II. Hodie verò delectus ciborum valde corruptus est.

Primùm enim superstitiosus est: mortale peccatum statuitur, hoc vel illo cibo vesci.

2. Alligatur temporibus sine causa vtili, sed religionis nomine.

3. Non prodest ad coërcendam carnem, cum alij cibi interim delicati concedātur, vt pisces Atragemata: item vini vsus, in quo præcipuè est crapula.

4. Nec etiam obseruatur ab ipsis nisi hypocriticè: saginantur piscibus, alij etiā caponibus, perdicibus & similibus: misero populo sub pœna capitali commendant delectum.

5 Obest etiam gloriæ Dei, quia cum opinione meriti coniunctus est. ieiunio & delectu ciborum vitam æternam consequi docent.

Superstitiosus ciborum delectus cauēdus In vini vsu præcipuè est crapula.

6. Addunt interim nundinationem, quia redimi posse docent licentiam edendi carnes, oua, caseum, butyrum. quod tamen in causa religionis nunquam concessit Deus. Discrimina ciborum non poterant sub Mose pecunia mutari, sed quod immundum erat, nunquam concedebatur in cibo. nullus dispensationis locus.

7. Tol-

7. Tollit libertatem Christianam simpliciter: quia cibos ad esum condidit Deus, quos si cum gratiarum actione sumas, boni & liciti sunt, 1.Tim.4. *Sanctificatur cibus per verbum Dei & preces*, quod illi tollunt. & ad Rom.14. inquit Apostolus, *persuasum habeo, nihil esse immundum, nisi ei, qui iudicat aliquid esse immundum*. 1.Tim.4. apertè dicitur doctrina dæmoniorum. supra retuli alia testimonia, quæ huc etiam faciunt.

8. Accedit etiam, quod delectum hunc sine verbo Dei, imò contra illud inducunt, & cum liberi simus ab eo delectu, quem ipse Deus statuerat per Mosen: quomodo non magis sumus liberi ab hominum delectu?

Notanda collectio

9. Item impietas manifestum argumetũ est, quòd grauiùs animaduertunt in transgressores delectus istius, quàm in transgressores mãdatorum diuinorum. Siquis die Veneris aut in ieiunio, deprehẽdatur edisse carnes capitis subit pœnas: ac hoc nomine multi boni viri decollati sunt, exusti sunt, strãgulati sunt. Interim adulteros impunè ferunt. Dei lex securius violari potest, quàm hominum. Nónne illud est, quod dixit Christus, *Irritum fecistis mandatũ Dei, propter traditionem vestram*. Matth.15.

10. Et cõiuncta sunt multa superstitiosa & impia in hoc delectu: In die resurrectionis consecrant lac, mel, carnes, caseos, oua, panes, pernas, &c. & has res consecratas, venditant tanquã ad salutem animarum vtiles. Sic in die ascensionis Mariæ consecrant herbas, plantas, radices, fructus arboreos, quibus deinceps singularis adsit vis diuina. In die Ioannis benedicunt vino, quasi prius fuerit impurũ & maledictũ. In die Stephani, pascuis benedicunt. In die Marci segetibus, quæ omnia conceptis verbis, magicísque incantamentis peragunt: ac rebus ita consecratis ad magicas artes postea abutuntur, ad fugãdos dęmones, ad cõciliãdos amores, ad veneficia, cõtra grandines, tonitrua & tẽpestates, & incendia: quæ quomodo excusari possint, nõ video.

Superstitiones variæ circa ciborum delectũ.

11. Prætereà omnia eò referuntur, vt conscientiis ingeratur laqueus. Religionis enim persuasione implicant miseros & simpliciores homines, vt illa tanquam Dei mandata exosculentur. Paulus autem totam doctrinam rerum indifferentium eo restringit, ne fiat laqueus sed commoditas potius respiciatur: hoc illi non ferunt.

12. Et quando euadent? Si enim pius est delectus, debuit aut Mosaico respondere, vel Christi & Apostolorum instituto: quærant igitur tertium, quem sequantur in ciborum delectu, quis ille? ratio humana & traditio hominum: sed illa regi debet verbo Dei. hoc proferant.

13. Ecclesia primitiua quoque nihil tale seruauit. De Apostolorum tempore, satis constat ex doctrina Pauli Rom.14. 1.Cor.8.10. 1.Tim.4. Tit.1. ex synodo Apostolorum Act.15 de proximis temporibus post Apostolos idem colligi potest ex Eusebio lib.5. cap.3. in historia Attali & Alcibiadis. lib.1. cap.10 Trip. de Spiridione & similibus.

Contra superstitiosum ciborum delectũ.

14. Orientales Ecclesiæ hunc delectum nunquam receperunt, sed libertatem retinuerunt, *omnia munda mundis*. Hinc odij causa, vt à Rom. Episcopo sint exclusæ.

Causa dissidij inter Orientales Ecclesias & Rom. Põtificem.

15. Acta Apostolica in canonibus eidem etiam repugnant. Vide Canonem 53. Si Episcopus presbyter aut diaconus, diebus festis, noluerit vesci carnibus & vino, fastidiens non propter corporis exercitium, deponatur tanquam propria conscientia iniustus, & causa scandali multis factus. Similia habet Canon 51. Si Episcopus, presbyter, aut in genere aliquis de sacro ordine, à nuptiis, carnibus, & vino abstineat, non propter exercitium, sed fastidium, oblitus quòd omnia admodum sint bona, & quod Deus finxerit hominem masculum & fœminam: sed blasphemans ipse criminatur creaturam, is aut corrigatur aut deponatur, & ab Ecclesia eiiciatur: idem fieri debet de laicis. Hæc audiant & legant, qui carnium delectum tanti faciunt.

16. Possemus eidem etiam opponere acta diuersorum conciliorum, in quibus dogma hoc oppugnatum & explosum est. Gangrense concilium palam refutauit. cap.2. Ancyranum quoque. cap.13. Bracarense concilium in Hispania celebratum circa annum Domini 630. damnauit carnium abstinentiam, nisi sobrietas & non religionis ergo fieret. Similia in aliis quibusdam statuta sunt. Augustinus passim contra Manichæos damnat illam carnium abstinentiam, nisi sobrietatis & dilectionis gratia fiat. vide etiam Augustinum lib.2. ad Ianuarium. cap.19. 20. 21. De Bernardo proditum est, quòd abstinentiæ opinionem meriti & satisfactionis pro peccato tribuerit, quam tamen moritus reuocauit.

17. Origo perpetuæ abstinentiæ à carnibus sanè à malis fluxisse videtur post diluuium. Pythagorici ab omnibus carnibus abstinebant, quòd metuerunt animarum in similes animantes quas edissent, transmigrationem. Sic Apollonius ille Tyaneus, abstinuit à carnibus. Et Sacerdotes Ægyptij non alebantur carnibus. Persarum Magi præstantissimi excepta farina & olere, nihil in cibum admittebant. Euripides ait, in Creta Iouis sacerdotes carnibus abstinuisse, & omni cibo cocto. Inter Triptolemi leges, quæ Athenis adhuc extabãt in templo Eleusinæ, erat etiam hoc, carnibus non esse vescendum. Et Orphæus in carmine suo esum carniũ detestatur.

Pythagorici à carnibus abstinebãt.

Hæc & similia testantur Ethnicum hunc morem esse à carnibus in religionis negotio abstinere in totum. Politico aliquo fine bono, imò pietatis quoque regula delectus ferri poterat, modo ne accederet opinio peccati mortalis si certis de causis obseruatio talis negligeretur.

Vide Hiero. aduers. Iouinianum To. 3.

18. Ethnicum morem superstitiosi homines in Ecclesia Christi imitati sunt, & vt plurimũ Mani-

chæus esum carnium dānauit.

aliqua hæresi notati, Manichæus carnium esum damnauit more Pythagorico, quia putabat animas hominū transire post mortem in illas animantes, quarum carnes edissent: addit etiam falsam opinionem de peccato, post hanc vitam homines puniendos propter esum carnium. Vide Augustinum contra Manichæos. Tatiani & Encratitæ quoque abstinuerunt ab esu carnium. Euseb. Eccles. histor. lib. 4. cap. 28. Irenæus lib. 1. cap. 34. Epiph. 2. Tom. 1.

Ebionitæ hęretici.

Nazaræi etiam nephas putabant carnibus vesci: quod vt liberiùs obtinerent apud discipulos, negabant libros Mosis post diluuium. Ebionitæ quoque vt testatur Epiphanius, carnium esum damnarunt. Epiph. Tom. 2. lib. Floruit is mox tempore. Ioan. Euangelistæ, ac balnei ruina periisse dicitur. Marcion dicebat eos non posse saluari, qui carnibus vescerentur. Montano heretico tribuitur prima ieiuniorum institutio inter Christianos. Per tales artifices ciborū delectum reduxit Satan. Tādem à Gregorio septimo circa annum Domini 1074. Romæ monachis omnibus graui pœna esus carnium prohibitus est. Hinc in omnes nationes deriuatus magno quæstu Romanæ Curiæ.

Gregorius 7. esum carnium monachis prohibuit.

Reiiciendus est hodie ciborū delectus, eo fine quo apud Papistas seruatur.

1. Hæc dū audiunt, opponunt, veteres etiam delectum habuisse in prima Ecclesia, & martyres abstinuisse. Hieronymus, Hilariō & similes singulariter fuerunt abstemij. Respondemus nos nō negare prorsus ieiunia aut ciborum delectum, sed eo fine, quo hodie fiunt: & primitiua Ecclesia non certis temporibus, nec certis legibus delectū hunc in ieiuniis obseruabat. Et Bernardus quoque non certis diebus sed omnibus continens erat. Sic Hilariō & Hieronymus ieiunabant illi seriò & totis diebus, finito ieiunio, nō referebat quo genere cibi aliquis sese refecisset. Idē colligi potest ex historia Spiridionis, quam prius retulimus. Hodie secus fit, non seriò ieiunant, deinde refectio ad certos cibos est alligata, idque sub peccato mortali vt loquūtur & pœna capitali.

2. Deinde aiunt, Ecclesia sic ordinauit tempora & delectum ciborum, ideò sic est seruandus. Primùm negamus veram Ecclesiā hoc ordinasse. Nam canones Apostolici reclamant, Can. 51. & 53. quos suprà retuli: nam ex diametro pugnant cum hac doctrina: deinde certū est ex historiis ieiunij tempora fuisse libera, & refectionis cibus itidem liber, ieiunabāt alij hoc, alij alio tempore, alij diutius, alij parcius, quod testatur etiam Augustinus: Romæ & in Africa ieiunabant, quando Mediolani non ieiunabant. Quæ est ergo Ecclesia, quę hoc ordinauit? nō dico quæ fuerit, saltem hoc dico Ecclesiæ non licuisse aliquid statuere & ordinare contra verbum Dei, contra libertatem Christianam, & laqueus esset potius, quàm certa Ecclesiæ vtilitas. Docuimus autem nunc priùs delectum hodiernum pugnare cum Christi & Apostolorum doctrina. Itaque vel Ecclesia vera non instituit, aut si instituit, fecit hoc suo carnali iudicio, nō quatenus Christi sponsi sui vocem audire solùm debuit.

Tertiò, dicunt, εὐταξία seruanda in Ecclesia etiam in causa religionis. Rectè quidem, sed illa demum est εὐταξία quæ non pugnat cum verbo Dei. Præterea ne nimia sit copia ordinationum, qualis hodie est: de quo onere conqueritur etiam Augustinus, vt suo seculo Iudæorū visa sit leuior conditio quàm Christianorū. Item ne addatur opinio satisfactionis: non sit laqueus cōscientiæ, si necessitate aliqua violetur. Suprà diximus, Magistratui licere politico fine delectū huiusmodi indicere ad tempus, & ordinationibus his erat seriò obtemperandum.

Magistratui licet fine politico indicere ad tempus delectū ciborū.

4. Sed aiunt, solueretur disciplina Ecclesiæ hoc modo. Non video quæ possit solui disciplina, cùm tota euersa sit Christi disciplina. Corrigi autem poterant nostri mores hodie, & redire poterant homines, vnde videmus nos esse digressos. Corrigātur ieiuniorum abusus: ieiunet seriò tota die ab omni cibo, vt fecerūt veteres à mane vsque ad vesperam, quo tempore elapso, reficiant se sobriè piè & parcè. hoc illi non faciunt, carnes solum vitant, & infarciunt se piscibus & vino ad ebrietatem. Iudæis quoque in ordinariis ieiuniis strictior fuit disciplina, & ieiunio absoluto, liberum erat cibis consuetis sese reficere.

Forma ieiunij apud veteres.

5. Addunt delectum hunc facere ad sobrietatem, vt carni subtrahantur incendia. Id quidē speciosè dicitur, sed sine fructu. Primùm enim si hoc fine delectum induxerunt, cur igitur non in omnibus cibis, qui libidinē excitare possunt, seruāt? Sūt qui piscibus magis delectātur, quàm carnibus: hi piscium esu magis pascunt carnē, & libidini inseruiunt. Mihi sanè si imponendum sit ieiunium ad castigādam carnem, erunt pisces prohibendi: quia his suauius delector, quàm carne. In vino cur idem non seruant, in quo præcipuè est crapula, & Veneris incendiū? peccant igitur quia abstinentiam & temperantiam solùm in carnium parsimonia virtutem esse putant, cùm in omni cibo temperantia sit seruanda.

Esus piscium nō minus quam carnis est prohibendus cum vini vsu.

Deinde quia temperantiā ad certum tēpus reducunt, cùm omni tempore, sempérque seruanda sit pio homini. Hoc pacto, Hieronymus & Augustinus laudarūt sobrietatem abstinentiam & temperantiam, tanquam quæ in omni cibo, omnique tempore sit seruāda, non autem dedere leges tam absurdas.

6. Sunt quidā qui affirmant Christi exemplo se abstinere à carnium esu. id quam falsum sit, inde constat, quòd pari κακοζηλίᾳ seruant 40. dierum Christi ieiunium. & Christum vsum carnibus vel ex celebratione agni Paschalis constat, quem more Mosaico, carnibus celebrare solùm poterat.

Ridiculū

7. Aliud adfert argumentum Guilielmus ille Mimatensis in rationali diuinorū officiorum: ait is,

ait is, post lapsum hominis, terram cum animantibus solùm accepisse maledictionem, non autē aquas cū piscibus, ideóque sanctiorem cibum esse ex aquis, in quibus sit etiā baptismi symbolum, quàm ex terræ animantibus, speciosum sane figmētum. Primùm falsa est & minimè ferenda interpretatio maledictionis diuinæ: pertinet enim ad omnia, quæ hominis dominio subiecta erānt, quò pisces aquarum sine dubio etiam pertinebant. Deinde non cauent hîc hæresin Marcionis, qui & ipse, teste Tertulliano, sanctiorem cibum ex piscib. sumi indicabat quàm aliorum animalium carnibus. figmentum Papisticū.

8. Paulus Rom. 14. *scribit melius esse carnes non edere*, & 1. Cor. 8. *in æternum non edam carnes.* Respond. mutilata sunt testimonia. loquitur Apostolus καθ' ὑπόθεσιν, nimirum si id fiat cum offensione infirmorum, non enim debet cibus noster destruere opus Domini, aut illum perdere, pro quo Christus est mortuus.

Præterea in eodem cap. 14. habetur, omnia pura puris. & legant etiam 1. ad Timoth. 4. cibos omnes bonos esse à Deo bono conditos, & consecrari per sermonem & preces. Item quòd dæmoniorum sit doctrina, carnium esum prohibere, & similia, &c.

DE VESTITV.

LOCVS LXXXVI.



VESTIS à vellere dicitur, quòd primus vestitus ex pellibus sit sumptus, vellus autem à vellendo, quòd ante tonsuram velleretur lana: huic respondere videtur ἱμάτιον apud Græcos, nam ἱμὰς lorum & coriū significat, quasi de corio vestitus sit, primò desumptus: quæ sententia congruit cum scriptura, quę testatur Deum pro foliis ficulneis suppeditasse pelliceas vestes primis parentibus. Placet tamen & altera sententia, scil. vestem dici à velādo, hoc est, tegendo, vestis enim reuera nihil aliud est, quàm velamentum pudoris: non enim habuit locum apud hominē, donec peccasset: huic sententiæ suffragatur Græca dictio ἐσθὴς, quæ ἀπὸ τοῦ ἐσθοῦς dicta est. Non enim nobiscum nascitur vestitus, sed arte postea paratur: nudi nascimur, nudi etiam hinc emigramus. Iob. 1. *nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar.* Et primi parentes nudi conditi, nudi vixerunt in conspectu Domini, & Angelorum, sine pudore, donec peccatum apud eos locum reperit, Gen. 2. Magna fuisset illa humani generis maiestas, sine vestitu obambulare. Ratio nominis. Vestis à velando hoc est tegendo etiam dicitur.

II. Definiunt vestitū, quòd sit omne id quo corpus tegitur & ornatur. Alij, omne illud quod induimus, Græci πᾶν τὸ προσειλημμένον ἔνδυμα τῷ σώματι, quicquid corpori circundatur. Non malè quidem, non tamen recurrit oratio quod in definitionibus in primis seruandum esse docent Dialectici, non statim quo tegitur corpus indumentum est, alioquin terra & sepulchrum indumentum est, alioquin Colores, tonsura, mundities, vestis esset, quod nemo hactenus dixit.

Dicamus igitur ad hunc modum. Vestitus est, corporis habitus, quo post peccatum, authore Deo, nuditas corporis velari debet. Definitio vestitus.

Habitum appellamus ex prædicamento τοῦ ἔχειν, quò vestitus, ornamenta corporis, & armatura bellica referri debet. Post peccatum autē inualuisse dicimus, vt intelligas non cum natura hominis cœpisse: satis ornatus erat ipsa per se simplici innocētia, mali ignorantia, in qua si stetisset, nuditas ipsa ornamentum & vestis erat. Veniēte autem peccato, vestitus est quæsitus. Quare Dominus Christus peccatum deleturus vestes posuit etiā, & nudus in Cruce passus est. Tertiò in definitione addimus, authore Deo introductum. Nam Adam quidem consuit folia ficulnea, sed nisi à Deo consilium vestiendi esset approbatum, non habere locum: melior autē à Deo monstrata est vestiendi ratio ex pellibus, quàm Adæ fuerit ex foliis. Quartò additur vestimentorum finis honestus, vt scilicet nuditas quæ iam turpis est, propter peccatum, tegatur. Dicamus igitur de origine vestimentorum, hoc est, de causis impellentibus, efficientibus, de materia, forma, ac fine: sic enim vsum & abusum commodissimè intelligemus.

III. Origo vestimentorum ad causas efficientes pertinet: consideratur enim hîc necessitas impellens, inuentores varij, luxus & modestia in vestitu. Necessitas vestimētorum aperta est: frigore enim aliisque malis, quæ nos circumstant, periret homo, nisi vestiū beneficio sese conseruaret: sed vnde sit profecta ista necessitas non perinde constat ethnicis scriptoribus. Necessitas vestitus. Origo vestitus.

S. literæ docent, nos originem à peccato deriuare, Gen. 3. nuditatem primi homines non sentiunt ante peccatum, post peccatum verò & nudos se animaduertunt, & nuditatis pudet, quæ priùs ornamento erat: hinc cura tegendi pudorem emersit, ac primùm pudoris velamentum præbent folia ficulnea. Cogitemus nobis vestitum semper esse necessarium in hac vita, peccatum enim semper manet & nuditas semper turpis est, hinc pudor semper nos comitatur, cui vestitus quæritur.

Hinc accedunt alia, quæ impellunt ad vestiendum, vt frigus, turpitudo corporis, deformitas

membrorum, vlcera, scabies, aliáque infinita, quæ nolumus conspici aliorum oculis, hinc illas partes studiosè velamus. Salomon prouerb. 27. laudat matré familias, quę curam habet hœdorũ ad vestiendam familiam: & idem Prouerb. 31. *Frugi materfamilias non timet frigus hybernũ familiæ suæ, quia omnes bene duplo vestiti sunt:* ac quod ille dixit de frigore, idem de aliis malis dici potest.

Vestis virum facit.

Accedit honestas, quæ suadet corpora nostra tegere & ornare: hinc illud, vestis virum facit, &c. Author vestium, apud Græcos celebratur, Pallas repertrix vestiariæ artis, cui fusum & colum, ac totum lanificium, cum textoria arte acceptum referunt. Nos certiora habemus ex Mose, qui narrat, Adamum quidem consuisse folia ficulnea, rudimentum quoddam vestiariæ artis: sed Deo authore mox eundem Adamum accepisse pelliceas vestes: in quo vehementer mihi errare videntur Iudæi, qui non pelliceas vestes ibi intelligunt: sed quòd vestes illis Deus dederit super pellem ipsorum, quod illi sic efferunt *levuschim tekar al bischrehon.* hoc est, vestimenta honoris, super carnem illorũ: quasi verò, primus ille vestitus honestus fuerit, & non potius turpitudinis authoramentum. Exciderant recenter ex obedientia, & in castra Satanæ transfugæ abierant, in cuius rei signum additur vestitus pelliceus pudoris velamentum.

Pelliceæ vestes non fuerunt Adamo vestimentum honoris, sed velamentum pudoris.

Diuersi authores vestium.

Hæc prima sunt rei vestiariæ incunabula: quã rem progressu temporum luxus & vana opum ostentatio in infinitum auxit: non enim contenti fuere homines, prima vel materia vestium, vel forma: sed mille modis mutarunt, de quibus suis dicemus locis. Huc tantùm referantur diuersi authores vestium certarũ, quales refert Plinius lib. 8. cap. 48. Phryges acu pingere vestem inuenerunt: hinc phrygia vestis & phrygiones, qui illam faciunt. Attalus rex Attalicam reperit, hoc est, quæ aurum habet intextum, *puldinestuck*, quæ regum & principum est: argentum etiam hodie intexitur. Seres populi Sericam dedêre. Græci pallium repperêre, Romani togam, hinc illi palliati, hi togati. Hetrusci prætextam, Babylonij diuersos intexêre colores: picta vestis antiquissima est, vel eo argumento, quòd Homero cognita & celebrata sit. Hodię nimis ingeniosi sunt homines in excogitandis nouis vestium speciebus & formis.

Nos hîc cogitemus de modestia & de sobrietate in vestitu: qua in re primi homines admodũ sobrij fuere, vsi sunt veste vt dono Dei, vt pudoris symbolo. quod licet postera ætas nõ expenderet, tamen viderunt naturam modica veste contentam esse posse: nisi luxus corrupisset mores hominum. De Spartanis scribit Ælianus li. 14. Varię histor. cap. 7. ephoris eam curã fuisse commissam, vt quotidie inspicerent ciuium vestes, ne quid à decenti ornatu alienum inducerent. Et Iustinus historicus libr. 3. de Lycurgo testatur, quòd vna non ampliùs veste vti toto anno cõcesserit iuuenibus Spartanis. Phocionis vxor mariti solùm est vsa pallio. Ael. lib. 7. cap. 9. & Xantippe Socratis cùm nollet mariti pallio contenta prodire ad spectaculum, audiuit à Socrate, ὥρας ὡς οὐ θεωρήσουσα, θεωρηθησαμένη δὲ μᾶλλον βαδίζεις, vides, vt non spectatura, sed vt spectanda vadis? Ælia. lib. 7. cap. 10.

Spartanorum disciplina, de cura vestium.

Modestia veterum in vestitu.

Nostræ religionis homines modestiam in vestitu semper declararunt, vt videre est in vestitu Adæ, Euæ, Patriarcharum, Ioannis Baptistæ, Christi, Apostolorum, Patrum. *Hieronymi* vestis vna solùm fuit saccea tunica, quam postea in pretio habuit *Eusebius* eius *discipulus*. Augustini nigra vestis erat, & cingulum coriaceum. Hilarionis quoque vestitus & similium asper & abiectus fuit. Posteritas superstitionem huic vestium simplicitati addidit, & ordines instituit habitu discrepantes, quod primi illi patres minimè approbant. Vide epistolam Augustini 73. & Hieronymi T. 1. fol. 77. b. quomodo in vestitu regionis ac patriæ mos sit seruandus.

Luxus quorundam philosophorum in vestitu.

Peccauerunt sic Philosophiæ candidati, singuli enim suum peculiare vestiendi genus excogitarunt. Empedocles purpura vsus est, & calceis æneis, vt differret ab aliis: sic Gorgias & Hippias vsi sunt purpura: sed mollioribus calceis. Pythagoras alba veste, & corona aurea, & femoralibus. Ælianus lib. 12. cap. 32.

Modestia aliorum philosophorum in vestitu.

Aristoteles comptiùs quoq; vestitus est, & digitos ornauit aureo annulo. Heraclides Ponticus Pompicus dictus est à luxu vestiũ. Socrates vilissimè, Plato & alij. Epaminondas vnã tantùm habuit vestem, quam si fulloni poliendã mitteret, ipse domi se continebat, alterius vestis penuria. Hactenus de inuentoribus vestium, quò referimus etiã modestiam & luxum in vestitu.

Patriarchæ vestiti erãt pellibus.

Materia vestium antiquissima est, ex pellibus animalium. Prima quidẽ materia fuit ex foliis arborum: nam Adam ficulnea consuit folia sibi & vxori cinctoria pudoris: sed ficulneum inuentũ mox desiit. Deus enim reiectis illis, pelliceas vestes suppeditauit: sic legimus Prophetas ferè ambulasse. Helias pelle pilosa vestitus est, 2. Reg. 1. Ioan. Baptista etiã ex pilis cameli, Matt. 3. sed epistola ad Hebr. 11. testatur expressè Patriarchas, pellibus vestitos oberrasse.

Herculis vestitus.

Homerus certè suos heroas antiquissimos, & Græcos passim ac barbaros, narrat vestiri ex pellibus ouium, caprarum, luporum, vrsorum, leonum, pardorum & similium. Hercules leonis vsus est exuuio pro veste, sic alij aliis.

Varius vestium luxus.

Hæc prima & antiquissima vestiendi materia fuit: accessit deinde ab arte & ingenio hominis alia multiplex materia, in primis lana, quæ diu natiua mãsit, hoc est, his coloribus contenti erãt, quos natura pecori dedisset: mox solertia tincturam reperit, vnde mille modis lana transformatur, ad vsum vestium. Accessit luxus, & aliunde similia excogitauit: ex arborum canitie detracta est lanugo, hinc sericũ. Massagetæ dicuntur ipsis arborum corticibus ad vestitum vti. Aurum & argentum in fila ductum est, vt splendidiùs vestirentur superbi homines: vermium inuo-

inuolucra & excrementa quoque obseruata, hinc Bombycinum: linum præstantissima est vestiendi materia, sub quo & cannabim & linum propriè dictum intelligimus. Linum Orientalibus magis in vsu, Septentrionalibus & per Germaniam magis in vsu cannabis. Repertum est & ἄσβεστον linum, hoc est, quod igni resistit, quod igni magis purgatur, de quo rixantur Philosophi, piline sint Salamandræ, quod falsò sibi quidam persuadét, an verò metallica quædam materia, quod veriùs dicitur. Alij ex piscium & serpentum coriis sese vestiunt. Geloni dicuntur ex hostium cutibus sese vestire.

S. Pauli Eremitæ vestis palmea fuit, qua vsus est diuus Antonius postea diebus solennibus Paschæ & Pentecostes, Hieron. T.1.109. Ioannes Euangelista linea tegitur veste, Mar.14.

Quod materiam attinet, nihil intactum reliquit vel rerum penuria, vel hominum curiositas vel gentium simplicitas. Pennis enim auium sese quædam gentes ornant.

Quæri hîc solet, cur linea vestis magis sit adhibita sacris, quàm lanea? in Ezech. 44. cap. legimus in noua Ierusalem sacerdotes non lana sed lino vestiendos esse. Ægyptij etiam nec in funere, nec in templis ad res sacras adhibebant, tanquam prophanum, vestitum, vt author est Herodotus lib.2.

Quęstio.

Respondemus linum candore suo commendabilius esse in sacris, quia est symbolum innocentiæ & synceritatis: hinc albis stolis sancti vestiuntur in Apocalypsi. Pythagoræ sententia erat lanam ideò abominandam in vestitu, quòd morte animalium ad vsum transferretur hominis: qua de causa etiam ab esu carnium abstinuit: linum verò, quia ex terra nascitur, sine iniuria vitæ illius, acquiritur.

Responsio.

Pythagoras lanã, non linũ in vestitu abominabatur.

Admonemur igitur candido & lineo vestitu, de innocentia & vitæ integritate, de candore primi status ante peccatum ad quem nobis aspirandum est. Laneo verò vestitu admonemur de præsentis vitæ ærumnis, de peccato, de morte ad quam damnati erant homines per lapsum Adami.

Altera est hîc quæstio, cur Dominus vetuerit lanam & linum commiscere in eodem panno, Leuit.19. *non ascendet super te vestis promiscuè contexta.* Deut.22. *non indues vestimentum quod pariter laneum & lineum est.*

Quęstio.

Respodeo, voluit Dominus suos admonere, vt moribus quàm simplicissimis ambularent: confusa materia in eadem veste, confusi animi & morum corruptelæ est argumentum: sic vetuit ne agrum diuersis leguminibus sererent, ne boue & asino iunctis ararẽt, & similia quæ ad mores spectabant: vt ingenuè & candidè coram Domino ambularent sine fraude & dolo.

Responsio.

Ad formam vestium descendamus. Prima & antiquissima fuit rudis & simplex forma: quæ solùm corporis truncum & crura tegeret, pedibus nudis & brachiis relictis, capite etiam nudo: in his enim membris nulla dum turpitudo erat si maximè pes, manus, caput, brachium, &c. nudum appareret. Talis saccea vestis videri potest, & Exomides, quæ cingulo ad corpus constringi ruditer poterant: hæc simplicissima & rudis erat forma, quam mille modis luxus & opũ ostentatio mutauit. Gentes ferè singulæ suas formas in vestitu conseruant, idque studiosè. non facilè Italus suum habitum mutat: Hispanus suũ morem patrium retinet, Gallus similiter, Anglus, Belga, Pannonius, &c. singuli suæ gentis vestitum amant & seruant, soli Germani simiarũ more, omnes omnium gentium formas assumunt in vestitu: vt recte fecisse videri possit pictor ille, qui dum singulas nationes vellet exprimere suo habitu, probè id in cæteris assecutus videbatur: solùm Germanię habitum nullũ vidit certum dari posse. Itaque Germanum nudum pinxit, appicto simul panno, vt sibi pro arbitrio inde pararet vestem, &c.

De forma vestium.

Vestis saccea.

Industria cuiusdã pictoris.

Nos igitur formas ita colligamus: primùm à forma vestium. Alia manicata est, alia sine manicis: manicatas vocarunt Græci χειριδώτας, sine manicis ἐξωμίδας. Manicatæ vel longas & integras habent manicas, quæ ad manus, & ipsos manuum digitos vsque extenduntur: quæ forma olim Romæ in probro erat, vnde fertur de Africano quòd P. Sulp. Gallo obiecerit, probri loco, quòd tunicis vteretur manus totas operientibus: & Virgilius de Phrygibus loquens ait: & tunicæ manicas & habent ridimicula mitræ.

Vel manicæ breues sunt ad cubitum vsque, quas ob id βραχυχείρας dixeris: tales serui & ancillæ hodie interdum habent, vel ab humero mox resectæ sunt, vt ad opus brachium sit expeditum. In manicis hodie illa est etiam differentia, quòd vel strictæ sint, brachium ipsum & lineamenta exprimentes, vt in hochetis interdum, *vnd an dem vvapen rocken*: vel manicæ laxæ sunt retro cubitum, & circa, ad primam verò manum restringuntur in actum, nos appellamus, *pehuschet ermel.*

Exomides quæ carent manicis hodie in vsu sunt, præsertim inter studiosos, *librock on ermel,* quibus subest thorax manicatus, interdum nudum indusium, præsertim æstate.

Alia differentia est à forma, quòd alia vestis plicis ornatur, alia sine plicis nuda & simplex est: illa dicitur, *ein pfaltzeten rock*: hæc *ein rock onfaltz*: talis veterũ erat tunica. Plicata vestis vel tota talis est, qualis mulierum & virorum exomides: vel raras plicas habet, vt veteres exomides per Heluetiã olim à tergo tres plicas, à dextro & sinistro latere totidem, reliqua facies tota erat plena: *hin den dryfaltz, vnd an ieder syten dry, das andervxas platt.*

NN.j.

Tertiò, alia vestis patagium habet, alia fimbrias, alia his caret. Patagium assui solet ad summam tunicam, ex alia pretiosa materia, *belcit vnd verbrempt, mit sidem oder sammet verbendlet*: qui mos diuitum est & pauperum hodie, non videtur satis ornata tunica nisi patagiũ sit aspersum. Fimbriata vestis dicitur, quæ circa imas extremitates ornatum habet, sed ea vestis hodie muliebris ferè tantùm est, olim virilis etiam Romæ, & apud Iudæos. Fimbria muliebris, assuitur imæ tunicæ ornatus gratia ex diuersis coloribus, vel ternæ aut quaternæ fimbriæ ordine eidem tunicę superimponuntur, vt ad nates vsque fimbriata sit, modico intercedente semper spacio, talis hodie nobilium est: nos nppellamus *plepy* à Græcis qui πλέγμα vocant. Rustica vestis interdum & patagio caret, & fimbriis etiam muliebris rustica vestis, sed vnius panni tota coloris est, solo filo consuta.

Quartò à coloribus plurimæ sumũtur formæ: vt purpura simplex, bis tincta, dibapha, ostrina, tyrianthina: vestis violacea, leucophæa, hyacinthina, chlorea, crocea, fusca, nigra. Vndulata κυματίλος, quæ vndas exprimit: συμβάλλωσα autem lineas & virgas in longum porrigit, virgulta: huc pertinet nostrum *Scamlet vnd schiler*.

Colores in vestitu.

A coloribus etiam est formæ varietas: quòd alia vnius coloris est vestis, alia diuersorum colorum. Vnius coloris vestem parant reliquæ ferè gentes omnes: Hispani & Itali nigro colore, Galli cęruleo, nigro, flauo, interdum albo, aliòve colore. Soli Germani miscent colores, & inter eos Heluetij in caligis Babyloniorum more intexunt diuersos colores. Vna caliga vnius coloris, altera duorum aut trium habet colorũ species: aut ambæ versicolores fiũt, & pro colorum forma aptatur thorax ex similibus coloribus militare vestimentũ, quod scinditur pro arbitrio ornatus gratia, vel in longum, seu latum, aut vtroque modo.

Sextò, à forma quædã nomina imposita sunt vestitus, vt stola quia lõga est: Cyclas quia rotunda, qualis Gallicarum mulierum & Brabanticarũ quæ in ima veste circulum gerunt, in quo ambulant, vt vestis immota maneat, circa crura, nec attingat pedes inter eundum.

Vltimò, ad formam referatur mos singularum gentiũ vestiendi: item diuersitas habituum in religione, monachorum distinctus vestitus, qui vt plurimũ à forma sumitur, cuculla, orbiculata, longa, præcisa, rasa, consuta, texta, &c.

De fine vestimẽtorum. Vsus vestis, de peccato nos admonet.

Finis vestimentorũ proprius est prodesse corpori, qualia sunt arcere frigus, tegere turpitudinem, scabiem, vlcera, deformitatem membrorum, admonere de peccato, quoties enim vestimur, de peccato debemus cogitare, cui debetur illa vestiendi molestia: ornare corpus etiam vestis debet, hinc vestis virum facit.

Præter hos fines, quos natura & necessitas induxerat, alij sunt ab hominibus rectè constituti: vt quòd vestis sexum distinguit, gradus, officia, & dignitates: hoc discrimen necessarium esse sacræ literæ docent. 1. Corinth. 11. *vir nudo capite doceat, oret*: mulier verò tecto illa facere admonetur. 1. Tim. 2. muliebris habitus castus & pudicus præscribitur. Tit. 3. anus in ornatu, qui pietatem decet, &c. Romæ alia vestis senatoris, alia equitis, alia coloni, alia ingenui, alia serui erat. Hoc renouare postea voluit Imp. Alexander Mammeæ, vt ex vestitu dignoscerentur, nec serui cum ingenuis miscerentur: sed ferunt Vlpianum, & Paulum Iurisconsultos principi rem dissuasisse. Plurimarum rixarum fore seminarium, sic scilicet abiecti homines per vestitum proditi iniuriis exponerentur: mansit igitur res vestiaria inexcussa. Moses ingenuos à seruis non distinguit vestitu, solùm hoc diligenter præcipit, ne vir muliebri habitu, aut mulier virili habitu indueretur. vide Deut. 22.

2. Alius vestitus religioni deditos distinguit à prophanis. Et prophanus habitus vel regius est, qualis purpura, diadema, & similia regum indumenta. Apud Iudæos regum ornatus qualis fuerit exẽpla Dauidis, Salomonis, &c. docẽt 2. Reg. 22. Achab regio habitu vestitur, & Iosaphat, 2. Paral. 18. Esther regio more ornatur, Est. 2. Mardochæus, Est. Dan. 5. Daniel. Act. 12. Herodes. Senatoris erat toga, iuuentutis prætexta, &c. Artifici magis quadrat curta & stricta vestis, &c.

Vestium delectus religionis ergo.

Vestis religionis ergò sumpta, idque ad tempus solùm. vt Gen. 35. Iacob suos mutare vestem iubet & idola abiicere 2. Sam. 6. Dauid lineo ephod cingitur & saltat ante arcam. 2. Sam. 23. & 30. explorat Dei voluntatem per Ephod.

Vel symbolum est professi religionem: ita lineum indusium, quo ornatur Samuel, 1. Sam. 2. huc pertinet Aaronicus vestitus ex Mose, Exod. 28. 29. Leu. 8. 16. qui omnis in Christo est completus, ideóque desiit in vsu esse: sic *Totaphot*, illi cincinni, quos Iudæi religionis nomine debebant in frontibus gerere, Num. 15. Deut. 6. Exod. 13. ornamenta frontis.

Huc pertinet habitus monasticus, sacerdotum, Episcoporum, Pontificum: qui bona parte à Gentibus ac Iudæis dimanauit. Pontificius vestitus ex Mose videtur desumptus, similia enim multa sunt. Podirim habent, hoc est, tunicam talarem, albam, mitram hyacinthinam, cidarin, capitis amictum: pro λογίῳ, hoc est, rationali habent casulam, planetam vocant, pro humerali pallium, pro femoralibus caligas.

Significatio vestiũ pontificis.

Habet ille vestitus suam significationem, quam non sit absonum notare, vt videas quàm minimè respondeat operi. Pontificis summa vestis alba est & linea: significans vitam puram, candore castitatis & innocentię. Mitra bicornis, vtriusque erat testamẽti scientia talis enim Pontifex esse debet: fortè meliùs quia Moses visus cornutus, vt cornuti, hoc est, asini sint Põtifices: aureum

aureum diadema triplex. Syluester quidem respuit oblatum à Constantino, sed posteri auidè admisére: charitatem, fidem & spē figurabat ex puro auro, quia syncera fides, spes, & charitas: Illi conuerterunt in triplex regnum, quasi inferorum, terræ, & cœli domini sint: aut quod affectant etiam, Europæ, Asiæ, & Aphricæ. Baculus Aaronis & Mosis virga est, castigans populi vitia, annulus pignus est inter Christum sponsum & Ecclesiam, vel quòd desponsati ipsi sint pietati & curæ docendi Chirothecæ puras manus à corruptela munerum denotant. Calcei pedū, paratos ad docendum, &c. Quid significet aureum diadema triplex pōtificis.

Hodie res ipsa amissa est, mansit vmbra & superstitio: maxima enim cura hodie est, ne ab aliis contingatur consecrata vestis, ne in alios vsus transferatur: addita est impietas, vt qui in sacro habitu, puta monachi alicuius cuculla sepeliatur, saluetur illius meritis.

Pertinet igitur huc etiam vestitus hypocritarū. Matt. 23. *dilatant phylacteria*. Luc. 20. Esa. 58. in cilicio & humicubationibus, &c. Iud. 8 Gedeo facit ephod sacerdoti, in quo delinquit mox Israel. Ad fallendum etiam erat institutus vestitus Gabaonitarum, Iosuæ. 9.

3. Alius vestitus gaudium, alius luctum indicat. In luctu mutabatur vestis, radebatur barba, deponebantur alia etiam ornamenta. Apud Iudæos 30. dierum erat luctus, Deu. 34. Dauid Absalonem deflet in sacco. Iacob etiam Iosephum, Dauid Abnerem. 2. Sam. 3. 1. Reg. 20. Syri mutāt vestem post cladem, & pacem petunt ab Israële, 2. Reg. 21. Achab mutato habitu luget coram Domino, 2. Reg. 19 Ezechias in sacco & cinere, Esa 37. Ester & Mardochæus Est. 4 populus post captiuitatem Babylonicam, Nehem. 9. Iob. 16 Dan. 9. in sacco & cinere Dauid. Psalm. 69. in cilicio. Moabitæ, Esa. 15 Niniuitæ, Ion 3 Thamar in luctu sedet pulla veste, Gen. 38. In luctu veteres vestes mutabāt.

Aliæ gentes nigra veste vtebantur, Græci ἀνθράκινον vocant à carbone. Quibusdam alba vestis in vsu erat lugentibus, quod scripsit Plutarc. de Romanis matronis: Hodie Francorum Regina vidua albo habitu incedit: & passim Alba vocatur illorum lingua.

4. Ornatus vel ignominiæ causa assumitur. Ad ornatū faciebat Iosephi tunica versicolor, Gen. 37. & item Ioseph regio more ornatur Gen. 41. idem fratres ornat vestibus, Gen. 45. sic Ionathas Dauidem ornat propria veste, 1. Sam. 18. Ad ignominiam facit præcisus vestitus seruorū Dauid, 2. Sam. 10. hodie Turcæ fideles sic notant ignominia. Apud Luc. 23. Herodes Christum irridens alba veste induit. Matth. 23. purpura & diadema ex spinis ad ignominiam spectabat.

5. Vsus vestimentorum secundùm partes humani corporis consideretur. Capitis sunt, diadema, thiara, mitra, galerus petasus, pileum, birretum capitium, vitta, reticulum, peplum, &c.

Inuenio tamen veteres nudo capite vt plurimùm obambulasse. Alexander, Iulius etiam in bello nudo capite visi sunt. Iulius Cæsar, caluitij deformitatem tegebat, non pileo, sed capillo à vertice reuocato in frontem, Suet. authore: & statuæ ac picturæ nudo capite proponunt spectandos heroas. Alexander & Iulius in bello, nudo capite visi sunt.

Pedum vestimenta sunt: calceus qui vel ex corio fit, vt hodie, vel papyro, vt Ægyptiis olim, teste Herodoto lib. 2. vel ex arborū corticibus, vt apud Indos, vel ex sparto, vt apud Hispanos: vel auro, vt reges olim, Demetrius, Diocletianus, Heliogabalus & alij. Carinus gemmatis vsus est: Empedocles æneis calceis. Athenienses singulare calceorum genus habuere, elaboratæ artis, quos Iphicratides vocabant: Ex ligno fiunt calopodia & calones, soci ex panno. Cothurnus tragicum est calciamentum, solea nudam plātam fulciebat, sandalium ex ligno inducto corio, pantophylæ hodie. Perones rustici calcei sunt tecti & altiores, *buntschu*, ocreæ *stiffel*, semiperones *halbstiffel* sculponea, *filtzschu*, &c.

Nudis pedibus ambulauit Phocion vir magni nominis. Aristodemus quoque & Socrates mediis etiam frigoribus: & de Romanis mulieribus testatur Ælianus, quod matronæ honestæ iisdem cum maritis vterentur calceis, &c. Phocion nudis pedibus ambulauit.

Manuum sunt chirothecæ & alia ornamenta: vt annulus, gemma, pala, &c. Chirothecas necessitas primùm reperit, vt munita manu spinas & vepres truncare tutiùs possit agricola, mox mollities in vrbes extraxit.

Trunci corporis vestimentum est thorax, ideò dictus quia thoracem munit: scapularis, quæ scapulas tegit.

Huc pertinent vestium nomina, quibus ordine induitur homo. Primùm sumitur indusium, interula, camisia, olim ima tunica carni proximè adiacens, *das hembd*: deinde tunica media, *das vvullhembd*: Tertio exomis *librock on ermeil*, vel torax *vvammist*: vel suprema tunica ὁ χίτον, vnde nos desumpsimus *hocketen*, hoc est, tunicam manicatam mediam: hinc μονοχίτων dicitur tunicatus, *der in blossem librock oder blossem hembd padt*. Est & aliud inde vocabulum deriuatum, *Chytel*, quo vtuntur, egressi balneum & senes in æstate vtuntur à χίτων desumptum est.

Vltima vestis est chlæna, super cætera vestimenta: quo loco nobis est mātelis, *der mantel*. Zona vestimenta ad corpus astringit omnia: in hac erat æs, aurum & argentum in zona: constringitur hæc fibula, *mit dem rappen*, insunt ei bullæ ornatus gratia, *die spangen*. Cingulum nodo solùm constringitur non fibula, *mit einem knopff*, qualia rusticæ puellæ cingula ex lana vel lino gestant.

6. Vestimenta ad militiam faciunt: vt paludamentum, synthesis, ephestris, armis superin-

duitur, sagum, sagulum, &c. thorax ex diuerso metallo, scutum, galea ornatur casside, cui Græci addebant iubas equinas, cornua animalium, &c. nostri plumis & pennis ornant.

Christiani hominis vestitus.

7. Ad finem cogitemus de Christiani hominis vestitu, cuius passim fit mentio in sacris.

Nouus vestitus sanctis tribuitur: reprobis autem vetus. Pertinent huc dona spiritualia quibus ornamur in hac terra, Gal. 5. 1. Cor. 12. idem renouatio spiritus, Eph. 4. Iob. 20. *iustitia vt vestis me tegebat.* In primis verò Christus ipse hic spectari debet, quomodo is nobis fiat vestis, cùm dicatur ad Gal. 3. *qui in Christo baptizati estis Christum induistis*, Rom. 13. Hinc probrosa nuditas 2. Cor. 5 *in hoc enim suspiramus, expetentes domicilio nostro, quod è cœlis est superindui, induti enim non nudi reperiemur*, &c.

DE NVDITATE.

LOCVS LXXXVII.



NVDITATIS sæpe fit mentio in scripturis sacris, de qua est nobis dicendum, cum locus iste non satis explicatus sit, & fortè ne à nobis per omnia, attamen vt honestas, tum eiusdem contraria turpitudo magis perspici possit, dicemus de vsu huius vocis.

I. Principio sciendum est varia esse vocabula quibus Hebræi nuditatem exprimunt, quæ Græci & Latini non eodem modo constanter per nuditatem expressére: sed eadem libertate vsi, aliis atque aliis tradidere vocibus. Est enim apud Heb. *gnara*, nudare, quod Græci reddidere per ἀνακαλύπτειν. Esa. 3. cui vicinũ est, *gnerõ*, quod Gen. cap. 2. reddidere per γυμνόν. Habent & verbum *paschat*, quod Græci ἐκδύειν verterũt. 1. Sam. 19. quo loco scriptura ipsum interpretatur per *gnerom* nudum esse. In eadem significatione est verbum, *gila*, reuelare, Græci ἀποκαλύπτειν vertũt. Eze. 16. ac refertur ad corpus, & ad animi affectum, ac gestus interdum per metaphoram, quo sensu dicunt illorum Rabini *hamaglepi betorah, velo cahelacah*, hoc est, denudans faciem in lege, vt non oportet, hoc est, qui illam corrumpit & malè interpretatur. Est etiam *chaschaph* nudare quod per ἀποκαλύπτειν vertũt. Ier. 13 *patang*, est discooperire. Leuit. 10. Exod. 32. *vidit Moses quod populus esset parũang*, nudus, Græci διεσκέδασται, dẽudatus esset, *quia nudauerat eum Aaron*, διεσκέδασε Leuit. 10. Hæc varietas diligenter est obseruanda: nam & scriptura, voces sæpe mutat: ita in rebus ipsis non modicum est aliquando discrimẽ, & id cum obseruare decet qui scripturæ phrases ordine obseruare & proponere velit.

Nuditas enim Latinis, & Græcis γυμνότης non eodem pacto accipitur semper. Primùm de corpore propriè dicitur, prorsus nulla re tecto aut munito. sic Iob. 1. dicitur, *Nudus egressus sum de vtero matris*, quod Græci ipsi eleganter innuũt: nã γύμνωσις dicitur quasi γυίων μόνωσις & γυμνότης quasi γυίων μονώτης, mẽbrorum solitudo: deinde per abusionẽ dicitur de paupertate. Sic

Nuditas pro paupertate.

dicit scriptura, *nudum vestire.* Hinc nota prouerbia de extrema paupertate, *nudior Paxilo, nudior Leberide*, &c. per metaphoram debilitatem exprimit, vt Ioseph de fratribus suis inquit Gen. 42. *venisse exploraturis nuditatem terræ*, hoc est, qua parte præsidiis careret, & facilè occupari posset, quod faciunt exploratores. Significat etiam patens & retectum cum infirmitate. sic Iob. 16. dicitur. *Infernus etiam coram Deo nudus est.* & Hebr. 4. *Omnia nuda oculis tuis*, hoc est, patentia & infirma illius respectu. destitui omni præsidio & defensione.

Hæc ferè est significatio vocis quæ diuisioni inseruit πολλαχῶς λεγομένου: sed in sequentibus fortè meliùs explicabitur.

Diuisio nuditatis

III. Nuditas omnis in bipartitam cadit diuisionẽ. aut enim est honesta, aut turpis. Vtranque speciem illustremus scripturæ testimoniis, ac primùm de honesta agamus.

Honesta nuditas.

Honesta fuit ante lapsum: sed post lapsum quoque, honesta quædam est.

Naturalis.

Ante lapsum cùm nulla adhuc causa peccati esset, nec aliqua nota turpitudinis extaret, honesta dicebatur naturâ nuditas. Sit igitur illa naturalis, quia in hac conditus erat homo. Gen. 2. *Ambo erant nudi, & non erubescebant*, quia causa ruboris nulla erat, nulla erat mala conscientia, nulla hypocrisis, nullum peccatũ, ne cogitatio illius: ideo in nuditate nullus rubor. Hæc amissa est per lapsum.

Regenerationis.

Post lapsũ honesta est, quæ in regeneratione recipitur, in qua deponitur Adami habitus per peccatum assumptus, est στέρησις cupiditatum & operum carnis: de quibus ad Eph. 4. vbi dicitur deponere veterem hominem, & deinde, induere nouum hominem, qui secundum Deum conditus est. Nuditas est cùm veterem exuimus. Col. 3 5. dicitur, *mortificate membra corrupta*, & quæ sint, per species subiicit. Hinc vers. 10. induere dicitur nouum illum qui renouatur. & vers. 12. ostendit, quæ indumenta recipienda sint. Nuditas igitur istorum scelerum, contrarias inducit virtutes. Diuus Hieronymus inquit, id esse expoliare veterem hominem & pelliceas tunicas peccatorum.

Honesta est etiam nuditas, dolo & fraude carere, quo sensu dicuntur nudæ gratiæ γυμναὶ χάριτες,

εσθῆς, quó significamus candidè & humaniter esse agẽdum in communi vita inter amicos *σέρ̣ν- σις πανουργίας*. calliditate remota Honesta etiam est, si paupertatem honestam significet nomine Christi & pietatis obortam, & Mat.25. Christus de se inquit, *Nudus fui, & vestiuistis me*, significans se in membris suis honestè pauperem esse, quo nomine debeatur illis beneficentia. De hac loquitur Ezec.18. *Nudum operire vestimento*. & ad Cor. 2.11. & Iacob.2. *si frater vel soror nudi fuerint*, & alibi multis locis.

In pœnitentia quoque honesta esse potest nuditas. Nam luctus pœnitentium & dolentium nuditatem requirit, hoc est, deponunt ornatum. Inde nudi pedalia apud Tertull. laudantur. & Hieron. in sacris literis, nudum caput & pedes, nudi interdũ loquuntur: qui mos erat legentiũ: & quia honestę rei signum erat, honesta dicitur nuditas 2. Sam.15 de Dauide. In officio quoque loco & tempore, honesta esse potest. Luc.10. *Apostoli sine calceamentis mittuntur*. Matt.10. & Moses coram Domino *nudis pedibus stare iubetur*. *Esaias nudis pedibus* iubetur ambulare, in typum vastandæ Æthyopiæ, & Ægypti. Dauid sic officiosè ludit coram arca Domini. 2. Sam.5. vbi *nigla* verterunt ἀπεκαλύφθη.

Denique honestissima nuditas fuit Christi Domini nostri in cruce nudi pendẽtis, verè nudus fuit, hoc est, alienus ab omni peccato & in satisfactione non erat tegenda hominis turpitudo, quæ fuit expianda: sed candidè & ingenuè proponenda creatori. Huic debemus similes fieri Rom.6. *veterem hominem cum eo crucifixum esse, vt eneruetur peccatum, ne deinceps seruiamus peccato*, hoc est, cruci affigẽdus est Adam ille vetus cum Christo nudus, vt veteri integritati restituamur. His modis ferè honesta est nuditas: dicamus etiam de turpi nuditate.

Primùm turpis est post lapsum. Gen.5. Vident se nudos esse, & erubescunt, fugiunt ac foliis conantur tegere turpitudinem suam, vt Adam fatetur, quia nudus ego.

Ex hoc fonte, omnia nobis turpia & fœda promanarunt. Deinde turpis accidit etiam nuditas, quia non solum corpus fœditatem contraxit: sed mens virtutibus nudata est. Lapsu enim contraxit στέρησιν imaginis Dei, quod per externum pudorem significatum fuit. Inde Athanasius ait, nudos se cognouerunt, non tantopere quòd animalis carerent vestitu: quàm quòd exuti essent diuinarum rerum contemplatione, ac iam deinde animam suam ad cõtraria trãstulerant. Hos vestit Deus pelle, quia agnus Dei sublaturus erat aliquã do hunc lapsum, quod adũbratum fuit in perdito Filio, Luc.15. *cui pater iubet proferre primam stolam*, & 1. Cor.15. *corruptibile induit incorruptibilitatem*. Duplex nuditas Adami post lapsum.

Turpis est etiam nuditas qua nonnulli conati sunt, primam istam innocentiam repręsentare in hac corrupta vita, quales fuerunt Adamiani, qui nudi in sacros cœtus cõueniebant, paradisi vitam scilicet adumbrantes. De quibus scribit Epiph. D Hieronymus Vigilantio quoque obiicit quòd nudus oret, Adamum & Euam in paradiso referens. Adamiani, cur nudi in sacros cœtus cõueniebant.

Augustinus quoque mẽtionem facit inter hæreses nudipedalium: quia Mosi & Iosuæ dictum fuerat. *Solue calceamentum tuum*, &c. sed præpostera est illa imitatio. Fortè huc commodè referes Gymnosophistas Indorum, qui nudi in syluis philosophabantur. Nam cùm peccatores sint fieri non potest, vt nuditas illa turpitudine careat. Gymnosophistæ Indorum nudi in syluis philosophabantur.

Interim honestam paupertatem ac simplicitatem in vestitu nõ damnamus. Laudatum semper fuit apud bonos viros, simplici vti vestitu, vt Socrates putauit non oportere externas corporis partes, hoc est, caput, & pedes velare: hinc nudus pedibus & capite incedit, sed omnẽ planè deponere vestitum turpe omnino est: quales hodie ex Catabaptistis nonnulli reperti sunt. Huc etiam dicti Adamiani. Vide hist. Anabap. Socratis opinio.

Est nuditas etiam turpis, qua caremus Christi merito. Id quidem omnibus inest natura, vt dixit Apostolus Rom.3. *Destituimur omnes gloria Dei*: sed illam per gratiam consequimur, & eadẽ gratia dona eius in nobis sanctiora efficimus, ne gratiã Dei frustra videamur accepisse, 2. Cor. 6 2. Cor.5. *Si induti & non nudi reperiamur*: significans spem vitæ æternæ, tum demum si nõ nudi reperiamur Domini meritis ac bonis operibus, quæ testimonia sunt fidei apertæ.

Hieronymi dictum est, qui Christi perdidit vestitum: nudus est. Hinc passim iubemur induere Christum Rom 13. *Christum induistis*. Apoc.16. Apoc.3. hoc vestimento carebat, qui vestem nuptialem non habens, è cõuiuio exturbatus est in tenebras. Matth.22.

Paupertas interdum turpis est nuditas, quæ nos à Christo separat, contra quam clamat Ap. Rom.8. *num nuditas separabit nos?* quasi dicat, minimè, turpissima esset illa nuditas quæ nos à Christo separat.

Paupertas certi peccati pœna. Deut.18. *in nuditate seruies*. Sic fuga turpis. Amos.2. in fine. robustus corde inter fortes, nudus fugiet.

Res turpis ex abnegatione boni, vt Ioannes nudus effugit manus militum deserens Christũ, quæ species erat abnegationis.

Impudentiæ argumentũ nuditas: ideo velatur, & Ioan.21. Petrus non vult nudus accedere ad Christum, sed cingit se amiculo. Impudentia enim fuisset ad Christum nudo corpore accedere.

Res aspectu turpis, qualia passim in sacris literis verenda circunscribuntur, & meretricij mores Exo.20. Ierem.13. Ezech.16. Naum.3. Apocalypsis 3. & alibi, vbi Ierusalem & populus Dei meretriciis moribus depingitur, & ob id ignominiosè aliquando denudanda.

Nuditas. Noë turpis.

Turpis nuditas ex ebrietate oborta. Sic Noë turpiter denudauit se post vini potum meraciorem. Gen. 9.

Turpis etiam ornamenti honesti, non in loco & tempore στέρησις, vt Exod. 32. *Aaron nudauit populum ornamentis suis*, in vituli conflatura.

In pœnam peccati spoliari ornatu quem ex officio habeas Num. 20. Aaron nudatur suo habitu moriturus in Hor mõte propter peccatum, *vehaphschet*, ἐξέδυσε exuit eum scil. *Moses* Deo iubente.

Turpe etiam officiũ negligere, vt similes exuat se armis, & nudet. In excubiis turpis nuditas est. Sic Nehemias testatur se non nudasse armis & vestibus noctu, vt custodia vrbis firma esset.

Turpe nudare iuuentutem Gen. 37. *Fratres Iosephum nudant sua veste discolori vaiaphschitu* ἐξέδυσαν exuerũt ipsum. Sic pauperem nudare: militem nudare post victoriam: quamquam differant exempla illa. Militi enim turpis est nudatio, quia signum est se victum esse. Sic 1. Par. 10. *Philistæi nudant Saulem occisum in monte Gilboa.* Pauperi autem & Iosepho non tam turpis erat nuditas, quàm spoliatoribus & grassatori.

Hunc vsum ferè reperio in sacris huius verbi. Cogitemus quanta sit nuditas nostra extra Christum, vt illam seriò contegere conemur, & ad illam primam innocentiæ nuditatem aspiremus, qua ornabimur post resurrectionem in vita æterna, Amen.

DE OBSERVATIONE TEMPORVM quatenus Christiano licita.

LOCVS LXXXVIII.

Duplex error in obseruatione tẽporum.



CIRCA obseruationem temporum duplex est error. Primùm enim quidam tempora sic distinctè obseruant, vt huic obseruationi addant magnam spem meriti, adeóque mortale peccatum in omissione ponant. Qui sanè cum Deo pugnant, ipsisque conscientiis iniuriam inferũt dum libertate Christiana non permittunt liberè vti.

2. Alij contrà sic illam tollunt & confundunt tempora, vt simul confusionem ordinis, & libertatis Christianæ abusum inducant: qui cum ipsa natura & vera pietate pugnant, non minus quàm priores illi, cum Deo & conscientiis. Itaque debemus vtrinque cauere præcipitia: illinc, ne superstitiosè obseruemus tempora: hinc, ne prætextu libertatis Christianæ ἀταξίαν & confusionem rerum inducamus.

Primùm, satis constat, omnia in Christi Ecclesia debere ad ædificationem fieri, id cùm sine certa temporum circunstantia fieri non possit, manifestum est, tempora distributa esse necessaria.

Quomodo sit licita temporum obseruatio.

Deinde præceptum Apost. est 1. Cor. 14. 40. *vt omnia decenter & ordine fiant.* Id si in omnibus valere debet, vtique in docendo & ritibus Ecclesiasticis vtilissimè obseruetur, vt certi sint dies conuentuum Ecclesiæ, orandi, aut audiendi verbum Dei, administrandi Sacramenta, & similia exercitia pietatis obeundi.

3. In Act. cap. 2. quoque legimus Petrum & Ioannem sub horam nonam ascendisse in Templum, quia erat hora precationis. Seruarunt igitur iam tum distincta tempora orandi publicè in cœtu, vel cum Iudæis promiscuè, quod Apostolis non erat vetitum vel cum fidelibus si possent. Cum omnibus autem orabant, vt omnes docere possent, ideo occasionem docendi arripere voluerunt à tempore precibus publicis destinato.

Obseruatio tẽporum ecclesiastica.

II. Obseruatio temporum honesta est triplici modo.

Primùm, Ecclesiasticè, hoc est, quando facit ad εὐταξίαν, vt maiori cum fructu rebus Diuinis homines incumbant, vt quòd Ecclesia retinet festos dies aliquos, in quibus totus populus adsit precibus publicis, lectioni & interpretationi scripturæ, certæ sunt horæ Cathechismi, certi dies quibus celebrantur Sacramenta, certa hora, qua administratur Baptismus quæ εὐταξία necessaria est.

Primùm, propter Deum, qui ordinis est & author & conseruator.

Deinde, propter fidelium commoditatem: quos decet scire temporum obseruationẽ, quid quouis tempore in Ecclesia fiat.

III. Præterea, cùm Decalogus manserit, certum est præceptum de sex diebus operando & septimo feriando, in quo vacent homines audiendo verbo Dei mansisse, idque non tam quia cultus præstetur Deo, quàm quia rebus humanis expedit quies, in laboribus certo tempore. *Nam quod caret alterna requie durabile non est.* Cùm igitur mandatum sit vt septimũ diẽ Domino sanctificemus, rectè Dominicum diem loco Sabbathi obseruamus vt seruetur mandatum Domini, & tamen nos Iudæis non commiscemus.

Copia fe-

Quia autem copia feriarum semper hypocrisin aluit, & rebus humanis magis nocet quàm

prosit

prosit, ideo paucas expedit esse ferias, & eas quarum historias vtiliter audit Ecclesia ex sacris literis. Inde fit vt nos ferias tãtum agamus die Dominico, propter historiam Resurrectionis; die natali, vt repetantur causæ incarnationis & natiuitatis Filij Dei; Paschate, propter historiã Passionis & resurrectionis, quæ historia cardinem habet nostræ salutis, die Pentecostes, propter missionem Spiritus sancti. Vide locum de feriis.

riarum in ecclesia vitãda est.

Secundò, honesta est temporum obseruatio politicè. Nam in Republica bene instituta ciues par est scire quid quouis tempore in Republica agere conueniat, quãdo lites audiantur, quando forum celebretur, quando Senatus habeatur.

Politica obseruatio.

Itaque temporum illa obseruatio, non solum vtilis, sed etiam necessaria est, vt nota sint tempora nundinarum, litium, mercatus, nuptiarum. Sicut obseruare alium virtutis nomine, honestum est: ob beneficium autẽ vel meritũ aliũ colere & obseruare iubet gratitudo & pietas. Obseruare occasiones elabendi, euitandi pericula quod fecit Paulus, ac cæteri Apostoli, in loco & tempore honestum est. Politica est illa obseruatio nec impeditur à pietate Christiana. Sed personarum propriè dicitur obseruantia, quam Augustinus definit ex Cicerone, qua homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam & honore dignamur, lib. quæstionum, quæstione 31.

Cicero de Inuentione.

Tertiò, Physica est obseruatio tẽporum quæ culpa caret, vt cùm Medici dies criticos obseruant, in quibus manifestas recessiones, remissiones aut alterationes morborum animaduertũt, vt in casibus febrium aliorúmque morborum. Huc pertinent obseruationes naturales, vt alio tempore cædantur ligna ad durabilia ædificia, alio ad fundamenta in aquis, quod rustici norũt. Hanc obseruationem commendat nobis Solomon Eccles. cap. 3. *Est tempus plantandi, & tempus euellendi.* Quo loco recẽset politica etiam exempla, *vt tẽpus bellandi, tẽpus pacis, ædificandi, deiiciendi ædificata.* Item Ethica, *vt flendi & ridendi, amandi, & odiendi, amplexandi & recedendi ab amplexu.*

Physica obseruatio.

III. Mala est obseruatio temporum, si accedat spes meriti coram Deo, & dignitas iustitiæ propriæ.

1. Quemadmodum Galatæ obseruabant dies, Iudæorum more, nouilunia, calendas, sabbatha, festa, annos. Gal. 4. Quam obseruationem obtruserant falsi doctores, quasi sine hac nõ possent per Christum salutem consequi.

Sic hodie papistæ dies obseruant.

Deinde damnatur obseruatio si ligat conscientias, hoc est, peccatum faciat, vbi peccatum nõ est: mala persuasione imbuat conscientias. Sic Apost. ad Col. 2. v. 16. ait, Ne quis vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte festi, aut nouilunij, aut sabbathorum, nam hęc libera esse debent ne onerentur conscientiæ.

Tertiò, si Tyrannus in his grassetur, nam tum libertati Euãgelicæ repugnat, vt quòd Victor Rom. Episcopus, Orientis Ecclesias omnes excommunicauit non alia de causa quàm quòd diẽ Paschæ non seruarent cum Romana Ecclesia. quod sanè multis doctis displicebat, & Irenæo in primis, qui Victorem ob id grauiter reprehendit, vt est in historia Ecclesiastica.

Victor Rom. episcopus.

Quartò, si manifesta sit superstitio, qualis est in somniorũ obseruationibus, in diebus Ægyptiacis, quando induenda noua vestis, quando bonum sit peregrinari, & similia multa quibus Astrologia hodie infecta est, non minus quàm olim: vt necessum foret, Iudæos, Chaldæos, Mathematicos, & similes iterum ex vrbe expelli, vt olim Romæ.

5. Denique pessima est obseruatio temporum ad nocendum proximè accommodata, qualia momenta diligenter obseruant vsurarij, auari, caupones, fures, grassatores, latrones vt olim Pharisæi obseruabant Christum, & Iudas vt illum proderet.

DE FERIIS.

LOCVS XCIX.



FERIAS Latini vocarunt à ferendis epulis: quòd in his diebus epulæ ex pecorum frugúmque prouentibus fierent. Ac nomen hoc feriarum generale fuisse apparet: nam feriæ non statum diem festum constituebant: sed à laboribus otium aliquando solùm, vt nundinę feriæ sunt, non tamen festum dabant: aliàs cũ festo celebrabantur, vt Lupercalia, Agonalia, Palilia & similia festa.

Ratio nominis.

Hodie promiscuè sumitur dies festus, feriatus, sacer, sanctus dies pro eo, qui à laboribus liber est. Hebræi *Meod* vocant tempus certum rei agendæ idoneum, ac festum interdum significat: *Chag* solennitas est, celebrata cum epulis & gaudio.

Græci ἑορτὴν dixerunt, vel ab ἐρῶ, quod est ἐπιθυμῶ, quia natura otiũ amamus, aut fortè quia nemo adeò est barbarus quin aliquam numinis habeat rationem: aut certè quia numini dies consecrata curæ sit, eámque violari ab homine nolit, violatores etiam tanquam rei dilectæ prophanatores grauiter puniat. Eustathij tamen sententia est dici ἑορτὴν, ὅτι δι' ἧς τὰ ἑά,

hoc est, τὰ ἀγαθὰ ἄρνυται τοῖς ἀνθρώποις: conciliato enim numine bona impetrari piè credimus.

Apud eosdem τελέτη dicitur festum splendidius, quod magna impensa celebratur. Θυσία μυστηριώδης, ἀπὸ τῶν γινομένων εἰς αὐτὰς δαπανημάτων. Τελεῖν γὰρ φάμεν τὸ δαπανᾶν. Hinc πολυτελὴς sumptuosus, εὐτελὴς parcus, & similia. Augustinus libro 10. de Ciuitate Dei, τελετὴν vertit ceremoniam.

II. Græci dicunt ἑορτή ἐστι χρόνος ἱερὸς κατὰ νόμους. Quo indicant festa legibus decerni, ideóque nullum per se tempus religioni deputatum. Sic dies omnes per se pares sunt: discrimen tandem indictum est per leges, quæ alios fastos, alios nefastos produnt. Cæterùm sacræ literæ discrimen hoc non à legibus ciuilibus pendere ostendunt: sed Deo authore distincta esse tempora laboris & religionis.

Deo authore, distinctæ sunt feriæ, laboris & religionis ergo.

Latini ferè sic definiunt. Festi dies sunt, in quibus forensibus & ciuilibus negotiis omissis, sacrificia, ferias, ludos, epulásque solennes celebrare, inter sacra versari, prophanis abstinere verbis conuenit. Definitio prophanis quadrat feriis, in quibus ludi quoque exhiberi solebant aliquando: Dei feriæ id non admittunt. Definiamus ergo ad hunc modum.

Definitio.

Festus dies est tempus ad Dei cultum religiosè exercendum institutum, vel ab ipso Deo vel ab hominibus, iusta ratione.

In hac definitione complectimur veram causam efficientem Deum ipsum: qui vt in religione primas tenet, ita voluntas illius in primis attendi debet, vt quod ipse instituit, religiosè ad eius institutum seruetur. Hominibus autem non liceat nisi iustissima ratione festa instituere. Deinde addita est causa finalis ad Dei cultum, scilicet religiosè exercendum: quæ ex sequentibus rectiùs intelligemus.

Cur institutæ sint feriæ.

III. Cur institutæ sint feriæ? Causa principalis est, vt Dei cultus religiosè celebretur. Nam reliquis diebus hominis animus curis, rebúsque vitæ huius districtus, à Deo rebúsque diuinis alienus videtur. Festo autē die rebus aliis omnibus relictis, diuina meditari debet, audire verbum Dei, lectioni scripturarum incumbere, interesse precibus fidelium. Accedunt his interdum gestus non absurdi, vt ieiunium, habitus abiectior vel hilarior pro rerum statu. Quæ res vt meliùs peragi possent, vetus Ecclesia habuit Synagogas, in quibus certis diebus conuentus fierent ad audiendum verbum Dei, & fundendas preces ad Dominum.

Altera causa est hominis vtilitas: nam in feriis constituendis Deus non solùm sui nominis curam habuit, vt scilicet à nobis religiosè inuocaretur, nullum enim tempus à religione alienum esse debet: sed nostri imprimis rationem habuit. Vires enim non sufficiunt perpetuis laboribus, vti de arcu dici solet, *nimium intensus erumpit in neruum.* Sic homini vtile est reficere aliquando vires & respirare à sudoribus: sic enim paratior ad intermissos labores redit. Hinc decalogo Exod. 20. Laborum in primis fit mentio in præcepto de sanctificando sabbatho.

Tertia est, quòd iumentorum vtilitas hîc etiam expenditur, quæ Domino curæ sunt in gratiam hominis: ac miranda est hîc Domini prouidentia, curantis etiam & priuilegio defendentis iumentorum vires, vt sint habiliora ad labores: hinc illorum cum ancillis & seruis fit mentio: ac in aliis solennitatibus præter sabbathum, iumenta etiam suas agunt ferias reparandarum virium causa: ideóque falsum est, quòd scholastici dicunt, ferias ideò institutas, vt darent vocationem ab his, quæ fiunt in foro iudiciali.

Causæ speciales institutionis

Quartò, accedunt speciales quidam fines feriarum, vt quòd de beneficiis Dei singularibus nos commonefaciunt. Vt Sabbathum, conditi mundi nos admonet: Pascha, liberationis ex Ægypto: Pentecoste, datæ legis: festum Tabernaculorum, peregrinationis per deserta annis illis 40. quæ in illis festis reuoluere debebant Iudæi. Nostra festa sub Christianismo similia habent: dies dominica admonet nos beneficij Christi, resurrectione sua nobis exhibiti: addunt alij Annuntiationem Mariæ eadem die factam per Angelū. Pesach nostrum de Christi morte nos admonet, & redemptione humani generis ex potestate Satanæ & mortis.

Pentecoste admonet nos dati Spiritus sancti. Natiuitatis festum incarnati verbi. Sic olim festa martyrum exempla constantiæ & virtutum Christianarum reuocabant in memoriam, & auditores ad illorum imitationem excitabantur.

Quintò, in primis huc pertinet, vt iuuentus in vera pietate rectè instituatur. Nam cùm pauperiores suos liberos ad labores enutriant, feriæ illis prosunt quibus adesse concionibus, catechismis, aliisque piis exercitiis possunt, ne obbrutescāt, & barbariem in rebus diuinis induant.

Abusus feriarū.

Hi præcipui sunt feriarum fines, quos abusus obliterauit, & pessimi hominū mores abusum in dies confirmant. Nostræ enim feriæ magis hodie lusibus, ebrietati, superbiæ, otióque damnabili seruiunt, adde spectaculis, salutationibus, aleis, scortationibus, aliisque nefandis sceleribus: vt satius esset arare, quàm diem festum agere.

IIII. Genera feriarum. In feriis Christiani multa habent communia cum Iudæis, multa etiam cum Gentibus: ideóque qui cognoscere velit accuratius Christianas ferias, Iudæorum festa in primis cognoscat oportet, deinde Gentilia quoque. De singulis breuiter dicamus per genera.

I. Apud Iudæos festa fuerunt diu vnius generis, hoc est, omnia à solo Deo instituta. Sic Moses non alia tradidit populo, quàm quæ Deus ipse iussisset: postero verò seculo admiserunt alia quoque

Festa Iu-

quoq; ab hominibus sancita. Vtamur ergo hac distributione. Festa Iudaica vel ab ipso Deo sancita sunt, vel ab hominibus, iisque vel rectè iudicantibus de pietate aut malè. — *Festa Iudaica duplicia à Deo vel ab hominibus instituta.*

Prioris generis sunt festum dierum seu hebdomadarum, vt est sabbathum, quoquo die septimo celebrandum 2. Festa menstrua, vt sunt Neomeniæ, nouilunia, quæ celebrabant vt gêtes suas Calendas. 3. Annua festa, qualia sunt Pesach, Pêtecoste, Tabernaculorum, tubarum festum, expiationis festum, de quibus Leuit. 22 4. Alia singularia erant à priuatis concepta, vt in voto, in sacrificio, in expiatione, purgatione, quæ Deus iusserat piè peragi. Posterioris ordinis sunt, quæ pij homines rectè iudicantes de religione instituerunt, & Iudæi sine vitio receperunt: tale est festum Purim à Mardochæo institutum, Ester 9. & Encænia à Machabæo, lib. 1. cap. 4. Cum his Christianismus multa habet communia. — *Festa inter Iudæos ab hominibus instituta.*

II. Transeamus ad Gentilia festa. Diuiserunt illi dies ita: alij sunt festi, diis côsecrati, alij profesti hominibus, alij denique intercisi communes habiti. Festorum seu feriarum quatuor erant summa genera: nam quædam publicæ habebantur feriæ, aliæ autem feriæ erant priuatæ. — *Dies festi, dies profesti.*

Publicæ feriæ, vt dixi, quadruplices erant 1. Statiuæ, quæ constitutis & certis diebus à toto populo obseruabantur: vt, Lupercalia Februario mense, quo festo populus purgabatur à lupercis, mulieres in primis, loris & pelle caprina. Huc pertinent Idus omnium mensium, quæ apud Romanos omnes erant feriatæ, si non toti populo, certis tamen hominibus, vt equitibus aliæ, aliæ seruis, aliæ sacerdotibus, aliæ matronis, aliæ tibicinibus, aliæ mercatoribus, vt Idus Maij, Idus Martij, Cæsaris morte postea funestæ habitæ. 2. Feriæ conceptiuę, quæ à magistratibus vel sacerdotibus concipiebantur in dies certos vel etiam incertos, vt ferię Latinę, Compitales, Sementinę, &c. 3. Imperatiuę, quas Consules vel prętores pro arbitrio indicebant: atque in his feriis festi erant dies. 4. Nundinæ erant non festi dies, feriati tamen: in his rustici ad mercatû conueniebant, & alia negotia in vrbe exequenda.

Priuatæ feriæ sunt, quas vel familiæ certæ obseruabant, vt Claudiæ feriæ: Æmyliæ feriæ: vel quas priuati homines soli obseruabant. Sic natalitię ferię, quales apud Syracusanos Timoleôtis natalis publicè cultus, quòd insignes victorias semper suo natali reportarit patriæ. Sic Romæ natalis Iulij Cæsaris cultus est: & Xerxes diem qua rex est primitus appellatus, faustam semper habuit: de his consulendi boni authores. — *Priuatæ feriæ.*

Græci liberales in feriis fuére, otio & spectaculis dediti. In primis cuiusque mensis prima dies sacra fuit propter nouilunium: quarta dies etiam sacra: septima propter natalem Apollinis: hinc scholasticis feriæ vt Musas magis haberent propitias. Per septimanam verò pueris feriæ erant diebus Mercurij, quòd eloquentiæ sit antistes. — *Feriæ apud Græcos.* *Mercurius eloquentiæ antistes.*

III. Christianorum feriæ numero ad immensum creuerunt. Cum Iudæis commune habent Sabbathum, quem in diem Dominicum transtulit antiquitas, ne cum Iudæis viderentur Sabbathum agere: deinde vt esset maior resurrectionis Domini memoria. Pesach celebramus non cum Iudæis, licet ab illis manarit: nam sacrificium Christi hìc celebratur & beneficiû redemptionis. Sic Pentecoste non ob datam legem, sed effusum Spiritum sanctum. Encænia ad imitationem Machabæi instituêre, vt ipsi produnt.

Cum Gentibus multa habemus, vt Bacchanalia, in quibus laruati discursitabant, Calendas Iannuarij, quibus missitabant sportulas & strenas boni ominis causa. Equitia, in quibus cursu equorum certabant, vt nostri hodie ad festum Pêtecostes, vnde nostri *pfeinxsten* dicût pro expeditè equitare: coronati hodie de villa in villam Ethnico more effuso cursu equitant. — *Bacchanalia Christianorum.*

Robigalia, ne rubigo segetibus noceat, quod hodie faciunt, *vmb das korn pon*, concepta habent verba, lustrât segetes. Fontanalia, quibus fontes & puteos coronabât, & consecrabât. Nostri etiã adhuc habêt sua fontanea, apud fontes instituût comessationes, saltationes, & similia.

Reliquas ferias posterior Ecclesia instituit priuato iudicio: quas quadripartito ordine celebrant.

Primò, sunt Apostolorum festa, deinde Martyrum, tertiò, Confessorum, quartò, Virginum: non satis iusta partitione. Nam Apostoli alij Martyres sunt, alij Confessores vt Ioannes: sic de virginibus aliæ martyres, aliæ confessores.


Alij in festiuitates distingunt, stationes, rogationes, & ieiunia: de quibus ipsorum consulendi sunt authores.

Hanc molem feriarum reformatæ Ecclesiæ rectè emendarunt. Nam otio & licentiæ debuit modus statui, ac in rebus diuinis non debet homini liberum esse statuere de diebus festis sine certo exemplo. — *Reformata Ecclesia.*

Nostræ Ecclesiæ seruant diem Dominicum in memoriam resurrectionis Dominicæ: diem Natiuitatis Domini, Paschatis diem, diem Palmarum, Pentecosten, Annuntiationis Mariæ: reliquas ferias omnes intermittunt, cùm illæ non tam rebus diuinis quàm otio, ebrietati, aliísque vitiis inseruirent. Et quia feriarum ratio semper libera fuit, hoc est, vt alij alios dies Sabbatho adderent feriandos, nihil in hac re vitij inesse iudicamus.

DE FESTO PALMARVM.

LOCVS XCI.



Tabernaculorum.

FESTVM palmarum, prima origine, à Iudæis defluxit: quemadmodum alia quædam, vt est Pesach & Pentecoste, apud quos ex lege Mosis Leui. 23. festum tabernaculorum celebrari solebat, quod à forma festum palmarum dicebatur. Tabernaculorum sanè dicebatur *chag hasucot*, hoc est, festum tuguriorum, in memoriam peregrinationum per loca deserta filiorum Israel, quod scilicet annis 40. in deserto errassent, ac in tabernaculis mansissent, in quibus diuina clementia eos protexit. huius fit mentio Nehem. 8. Deut. 16. Leuit. 23. Hinc Græci appellarunt festũ hoc σκηνοπηγίαν à figendis tabernaculis. de quo Ioan. 7. & Oseæ. 12. vbi diem festiuitatis Hiero. interpretatur scenopegian, quanquam vbique ferè corruptè scribatur scenophcia.

Scenopegia.

Festum salicum vel palmarum. Significatio festi palmarum. Hoschanna.

Dicebatur etiam *chag garauim*, hoc est, festum palmarum, seu potius salicũ. Iudæi enim *gnerabh* salicem interpretantur. Nam octaua die huius festi magna solennitate sumunt citrea poma, & palmarũ dactylos, salices, myrti ramulos, ex his cōficiunt fasciculos quos gestāt: significantes, Deũ eos ex ærũnis solitudinis & laborũ, deduxisse ad terrā optimis delitiis refertā: ad quod significandũ inseruit eis vox *gnaraua* quæ & solitudinē & salicē denotat, quibus amaritudo ærumnarũ reuocatur in memoriā, adiuncta citria poma & palmarũ folia & dactyli, victoriā & voluptatē terræ promissæ. Posteriores Iudæi etiā vocarunt festũ illud *hoschanna* à cantione scilicet qua in hac solennitate vtebantur. Nā hac octaua die cũ aliis ceremoniis ex Psal. 118. illa verba & legunt & decantāt, *ana Iehoua hoschia-na, ana Iehoua hatz elicha-na quæso Domine salua rogo, obsecto Domine prosperum facito, benedictus qui venit in nomine Domini*: quorum verborum occasione prolixam cantionē scripserunt Iudæi, quam adhuc in festo tabernaculorum hodie in suis synagogis decantant Iudæi: & tam cantationem, quàm ipsum festum Hoschanna appellāt: sed & ipsos fasciculos frondiũ quos manibus gestant & concutiunt, vocant Hoschanna, nominatim salicem cum palmæ foliis. Vnde phrases Iudæorum hodie vsurpatæ, Facere hoschanna, hoc est, fasciculos illos ad festũ parare ex salice, palma, myrto, citro, &c. Item hilarem esse in hoschanna, hoc est, in festo illo, canere, tripudiare, & summam declarare lætitiam.

Hoschanna fasciculus ex salice & palma.

Origo.

Festi huius originem & formā describit Moses Leuit. 23. quòd scilicet in mense Tisri, qui septimus est à mense Nisan, decimaquinta die eiusdem, festum hoc celebrare debebant per dies septem continuos, qui septem dies propriè sunt festum Tabernaculorum, octauus autem dies quo clauditur celebritas, dies salicum vel palmarum.

Finis.

1. Ac vt diximus, institutum fuit ad memoriam, ærumnarum in solitudine perpessarum.

Deinde quòd Dominus reuera eos induxisset in terram lacte & melle fluentem.

Item quòd insigni miraculo & victoria Ierichontem expugnassent, ingressi terram promissionis. Vnde die septima circumeunt cum frondibus palmarum septies altare canentes, in memoriam depopulatæ Ierichontis.

4. Accedit etiam gratiarum actio pro collectis frugibus terræ. hinc offerunt sua incensa & donaria ex frugibus collectis.

Forma.

Forma apud Mosen fermè illa est: in mense Tisri qui nostro Septembri ferè respondet, decima quinta illius die solennitatem hanc ordiuntur.

1. Accipiunt fructum *gnetz hadar*, hoc est, arboris speciosæ seu tortuosæ aut magnificæ, quam citrum interpretantur, Iudæi *ethrogim* appellant. Græci καρπὸν ξύλȣ ὡραίȣ verterunt.

Deinde frondes *temarim*, Græci habent κάλλωϑρα φοινίκων, Latini spatulas palmarum: est autem *cappoth tamarim*, hoc est, ramos palmarũ, Gręci κάλλωϑρα scopas & fasciculos appellāt.

3. His addunt frondes arboris perplexæ seu densæ. sic Græci verterunt κλάδȣς ξύλȣ δασεῖς. Iudæi per *gnetz gnauat* intelligunt arborem *hadas* & Hadasi vulgò appellant, vertũt autem alij myrtum, vt Hieron quoque affirmat in cap. 14. Zachar. alij ex illis oliuæ ramos accipiunt. dicunt autem arborem, esse boni odoris, magna & ampla habere folia apta ad tabernacula tegenda, vnde apparet aliam quandam esse arborem etiam Iudæis incognitam.

4. Demum addunt *gnarbe nachal*, hoc est, salices torrētis. Græci ἰτέας verterunt, & addunt de suo ἄγνȣ κλάδȣς ἐκ χιμάῤῥȣ, i. ramos viticis è torrente, quasi salicem & viticis ramos Moses intellexerit, aut, quod est verisimile, voluerunt explicare quam speciem salicis per ἰτέας intelligerent, nimirum viticem quę ad aquas nascitur: est sanè vitex salicis quædam species. Chaldaicè ita versum est hoc totum *Vetisecun lecun, veiuma kadmaa peri ilana ethrogin veluleuin vehaddasi, vegnareuin denachal*, hoc est, Et accipietis vobis in die primo fructus arboris citri, & spatulas palmæ, & hadasi myrthi, & salices de torrēte. Ex his autem frondibus fasciculos componebant, quos per dies septem, manibus gestabant, die septima altare circumeunt septies in memoriam Ierichontis euersæ. Octaua verò celebrant festum Ramorum ab iisdem fasciculis appellatum, quod propriè *hoschanna* dictum fuit: & quia Christo hîc acclamant hosana, omnino perspicuum est hasce cantiones tempore Christi apud Iudæos fuisse iam in vsu.

Memoria euersæ Ierichontis.

Quomodo translatum in

Hoc festum à Christianis postea translatum est in vernum tempus, quòd turba, singulari Dei instinctu, Christum hac cantione & ritu solenni, Ierosolymam deduxit à monte Oliueti. Et

quanquam

quanquam cantio illa nihil faceret ad pesach, nec etiam ramorum ceremonia: tamẽ cùm frondes oliuarum & palmarũ decerpunt & Christo substernunt, redit illis etiam cantio illa in mentem, hinc illa eruperunt verba, quæ nihil ad præsens faciebant tempus paschale, ex quo constat, Christo cecinisse singulari Dei instinctu. vernum tempus.

1. Nam illa cantio ad 15. diem Septembris Tisri pertinebat: hîc autem Christo canunt 20. Martij, diebus octo ante Passionem: quo tempore primùm duce Iosua, Israelitæ ingressi fuerãt terram promissionis, expletis iam annis illis 40. in deserto. Et quia Iosua typus Christi fuit veri liberatoris, tũ illi debuit institui hoc festum, ideóque ad Septembrem reiectum à Mose, Christo autem veniente ad legitimum tempus reuocari debuit.

Deinde palma signum est victoriæ, vt testantur Plin. ac Dioscor. D. Hieron. quoque in cap. 14. Zachar. & cap. 40. Ezech. explicans picturas palmarum in templo, idem illis tribuit. Vnde Regi, & Imperatoribus attribuitur. *Palmæ in manibus sunt martyrum.* Apoc. 7. quas de victoria interpretatur D. August. Sunt palmæ etiam 70. ad fontes. 12. in Elim quas de 70. discipulis Christi interpretatur, Hieronym. in mansionibus ad Fabiolam. Et ad Oceanum 70. palmas interpretatur de Apostolorum doctrina, quæ legis gurgitibus irrigatur. Palma signum est victoriæ.

Hinc monachi palmis delectati sunt in primis. refert Niceph. lib. 13. cap. 11. circa Scytopolin Palestinæ, copiam earum esse, quarum foliis monachi ad opera sua vterentur, atque eo nomine Dioscorus cum suis eò sese contulit.

Et D. Hieronymus narrat Paulum Eremitam vestitum fuisse tunica contexta ex palmarum foliis, qua tunica posteà vsus est S. Antonius indiebus solennibus Paschæ & Pentecostes, &c. Pauli Eremitæ tunica ex foliis palmarũ cõtexta.

Diximus breuiter de origine & trãslatione festi Ramorum, expendamus etiam nouæ huius solennitatis Christianæ ritum & formam. descripta est illa apud Mar. 11. cap. & Matt. 21. diligenter, quæ omnia nos compendiosè in methodicam formam referemus.

1. Festum palmarum apud Christianos, est celebritas qua in memoriam reuocatur declaratio Christi, qua 20. Martij ante annos 1566. inequitans Ierusalem, comitatu suo regno externo decente, sese regem Iudæis peculiariter promissum, nunc verò exhibitum patefecit. Definitio.

2. Et est hic ingressus vnicus: nam licet sæpius vrbem adierit Christus, tamen hac pompa non est vsus. Iam moriturus sese verum regem & Messiam declarare voluit.

Sunt autem hîc expendenda quæ ad diuisionem rei gestæ huc pertinent, vt sunt illa tria. Ingressuri apparatus, pompa ingredientis, & ingressi gesta. Diuisio.

1. Ad apparatum ingressuri pertinet primùm temporis notatio, quando hæc contigerint? Cùm iam vbi appropinquasset. Deinde locus vnde missi sint? ex monte Oliueti, & ex Bethphage. Tertiò, quos mittat? duos ex discipulis. 4. ad quid? pro adducẽda asina cum pullo. 5. quo modo mittat? 6. quò mittat? 7. quis rerum fuerit euentus? &c.

2. Pompa ingredientis complectitur satellitium & obseruantiam, ac studia erga hunc nouum regem. Satellitium constat ex turba gregaria, & ex pueris. Vnde colligi potest plebẽ fuisse ex pauperioribus collectam, atque hi decentes sunt regis illius comites in hoc aduentu. Ecclesia sæpe ex pauperioribus colligitur.

Studia autem comitum declarantur primùm gestibus, deinde vocibus, gestus exprimunt officia regi exhibita, magna quadam obseruantia & studio: nam vestes substernunt, ac ramos decerpunt ac subiiciunt. Voces etiam accedunt: nam acclamationibus faustis salutãt regem, Hosanna acclamant. 2. filium Dauidis agnoscunt. 3. benedictum. 4. aduentum eius in nomine Domini fieri. 5. pro his Deo in altissimis gratias agũt. Quæ omnia tanquã furore quodã diuino perciti agũt: ac fortè ne ipsi quidem, satis intelligebãt, quid hîc rerũ agerẽt: nã mox sub vesperã ne hospitiũ Christo offerũt, vt cogatur egredi in Bethaniã, & paulò post clamabũt crucifige, &c.

3. Gesta ingressi regis exprimunt singularem authoritatem Domini Christi, qua & tẽplũ repurgat, & Pharisæos obiurgat. In his ille est ordo: primùm indicat, vbi Christus diuerterit in vrbe tam ampla: in templo Domini. Nam hoc scribunt primitùs illum visitasse: quo facto indicant qualis esset rex, deinde quale repererit templum: pollutum omni nugarum genere, erant in eo ementes & vendentes, vt forum publicum potiùs & solennes nũdinas diceres, quàm templum Dei, dominatur igitur in templo Dei quæstus vendentium, deinde peregrinus & nouus cultus ementium. 3. quid ad hæc Christus? repurgat illud, & quidem violenter: nam euertit mensas. 2. flagello expellit. 3. nemo sese illi audet opponere. 4. nemo reprehendere: quo declarata est insignis Christi authoritas. Christus in domo propria versatur: illi in aliena: quare non possunt nec audent ἐλέγχειν. Christus tẽplum repurgat.

4. Grauis adiecta est inuectiua: indicat enim ex scriptura qualis debeat esse domus Domini, quis ordinarius illius sit finis, vt scil. sit domus orationis. deinde in quem horrendũ abusum illi hanc domum conuerterint, in speluncam latronum, &c.

Hæc ad diuisionem pertinent: ex quibus colligi debent etiam causæ, primùm efficiens causa ordinaria, hic est Messiæ persona adornans hunc ingressum.

Ac complectitur primùm ἐξουσίαν, quod impletis temporum spaciis tandem velit sese offerre suo populo propria authoritate & mera φιλανθρωπία. deinde adest etiam δύναμις, quam in tota actione declarat: omnia præscit, prædicit etiam euentura discipulis, morigeros reddit discipulos, & asinæ dominos: quibus omnibus respondet euentus.

Materia. est hîc expressa materia circa quam res tota peragitur: externa scilicet declaratio regis Messiæ, quàm fuerit illa humilis, quàm admirãda, & insperata Iudæis, plena etiam stuporis & gaudij apud pauperiores.

Regnum Christi versatur inter pueros & populares.

Forma. primùm hîc expressa est Messiæ regii habitus & species: mansuetus est & pauper, & est tamen rex, inequitans super pullum asinæ. Deinde regni forma & pompa: versatur regnum hoc inter pueros, inter populares, qui hîc tripudiant, Deum celebrant, & Christum ornãt. Interea docti & nobiles pharisæi illa contemnunt.

Finis. Impletur propheticum oraculum, Zach. 9. & voluit hoc actu extremo specimen dare regni sui, quale & esset & haberetur in hoc mundo. demùm vt constaret Christum venisse & venturum ad repurgandam suam Ecclesiam.

Effecta accedunt etiam insolita, tanquam ex causa admiranda & diuina. commota est tota vrbs: 2. admirantur magno stupore etiam potentes Christi hostes. 3. Turba interim confitetur liberè. 4. Conantur hostes impedire, nec possunt: fatalis hæc est acclamatio, quam vel lapidesædituri sunt, ni pueri id facerent.

Regnum Christi in hoc seculo humile & abiectũ.

Cognata hîc sunt quæ ferè ad διδάγματα pertinent, hoc est, ad obseruationes. Nam hîc Christus videtur omnia instituisse, vt quædam adumbraret, ad quæ nobis sit in tota actione recurrendum, quæ affinia & cognata toti sunt negotio: vt est primùm forma regni Christi in hoc seculo, humile est & neglectum regnum, & habet confessores mendicos propè & pueros, inter quos bona pars erat Ecclesiæ illo tempore, reliqui homines de Ecclesia non erant. 2. obedientia hîc commẽdatur Christi sectatorum, qui ad omnem nutum parati sunt & hilares, nõ metuunt: etiam pompam hostium confitentur coram, & audientibus illis. 3. authoritas Christi capitis hîc sese exeruit, & debet semper illa manere in Ecclesia, vt nullius vox audiatur, quàm huius pastoris. 4. vnitur etiam hic Ecclesia Christi, nam turba illa ex Iudæis & gentibus videtur conflata: nam & Græci finitimi confluebant, ex quibus nonnulli legũtur cupiuisse videre Dominum. 5. Ministri etiam Christi hîc decorum obseruent officij sui. Imponunt illi in subiugale ipsum Christum. Hodie est metuendum, ne multi non tam Christum imponant, quàm ipsimet ascendant. 6. cultus verè Deo gratus est, glorificatio nominis Christi, gratiarum actio, confessio & hilaris sequela. 7. mixtam semper manere Ecclesiam externam. boni hîc sunt qui non tamen iactitant nomen Ecclesiæ: mali contrà cùm non sint, vehementer prætexũt nomen illud. 8. non esse ferendas nundinationes in Ecclesia Dei, & certissimum illud esse corruptelæ argumẽtum, cùm videas passim nũdinationes similes inualuisse in Ecclesia Christi. 9. Offendi multos Christi hac specie humili, vt tum docti & Pharisæi: ita hodie iustitiarij, potentes, & in primis illi, quibus quæstui est religio: hi dolent & offenduntur, non tamen quia cordi est religio, sed quia iacturam emolumenti facere nolunt.

Potentes huius seculi offenduntur humili specie Christi.

Pugnantia. hîc primi sunt Pharisæi, qui contemnunt regnum Christi, & dolis persequuntur non tam Christum, quàm confessores suos. 2. ignorantia etiam supina accedit: quia multi nõ agnoscunt, nec volunt admittere præsentem liberatorem. 3. induratio: nam etiam agnitum nolunt confiteri & admittere. 4 agnitum alij & iterum negant. 5. alij externum solum somniant & sperant Messiam: qui omnes ex diametro pugnant cum hoc præsenti negotio, &c.

Cuius nos admoneat festũ Palmarum.

Addamus etiam ad finem illa, quorum nos in primis festum hoc palmarum admonet. primùm certum est, palmam victoriæ insigne esse, quod vel inde constat, quòd Cæsari prædicta est victoria pharsalica ante pugnam, quòd palma esset enata ad basin statuæ ipsius in Trallibus in templo Victoriæ, vt refert Plutarchus. Ideóque videntur Iudæis in vsum venisse rami palmarum, vt his admonerentur de victoriis contra tot hostes per illos annos 40. de superatis tot ærumnis, de expugnata Ierichunte, & plenè possessa terra.

Christus verus Iehosua.

Nos igitur de vera & perfecta cogitemus victoria, quam Christus verus Iehosua nobis impetrauit contra Satanam, contra mortem & peccatum. Apocal. 5. *Vicit leo de tribu Iuda.* & 1. Corinth. 15. ex Osea citat, *Absorpta est mors in victoriam: vbi tuus ô mors aculeus? vbi tua inferne victoria?* ac addit Apostolus, *Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Et ad Hebræos. 2. *vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum.* Hæc illa victrix est palma.

Palmæ propriũ.

Deinde palma nos admonet de constantia & tolerãtia sub cruce: nam palmæ proprium est cõtra onus assurgere, & reniti: quo monemur officij nostri: exemplo fuit nobis Christus Prophetæ & Apostoli, qui per multas tribulationes intrarunt in regnum Dei, quorum exemplo par est nos confirmari in proposito cursu.

Tertiò non esse contemnenda initia fidei, quæ modica & tenuia primitus apparent. Nam palma ex minuto semine nascitur arbor æterna & inuicta. sic de illa canit Vergil. 2. Georg. *etiam ardua palma nascitur* scil. ex planta tenui, *& casus abies visura marinos.* Talia sunt prima rudimenta spei & fidei nostræ. Est illud semen sinapios minutissimum quod tãdem in vastam sese pandit arborem. sunt illa testacea vasa, in quibus thesauros cœlestes circumferimus. Robur illud est, quod contemnit omnia tormẽta, quod superat omnẽ mundi potentiã & sapientiam.

Quartò, durabilem fore nostram hanc victoriam etiam si hîc non appareat: palmæ æterna est materia, & annosa duratio, viriditas perpetua, non enim folia abijcit.

Hic sta-


Hic status est seriò credentium in Christum: luxuriant illi duratione, viriditate, vt arbor ad riuos aquarum plantata. hinc illud, *Iustus vt palma florebit*. Et in Cant. cap. 7. Ecclesiæ statura similis dicitur esse palmæ.

5. Mirum est quod de ea arbore tradit Plin. lib. 13. cap. 4. emori & renasci eam ex seipsa. Vnde phœnix Græcis dicta sit, ad similitudinem auis, quæ proprio cruore pullos alat. Imago illa est Christi morientis & renascentis ex seipso, nósque viuificantis. Phœnix imago Christi morientis.

De his ac similibus decet nos sæpius meditari, sic piè ac decenter festum illud palmarum celebrabimus, &c.

QVATENVS NOS OPORTEAT INFIRMITATI fratrum accommodare.

LOCVS XCII.



QVATENVS nos fratrum infirmitati submittere debeamus, diu quæsitum est. Et rectè decidi quęstio potest, si ad exemplum Christi & Apostolorum referatur: in quo manifestum illud est, oportere omnia ad gloriam Dei, & Ecclesiæ ædificationem referri, quæ dum promouere contendimus, sæpe nos manifesto exponimus periculo: vt incauti medici, dum volunt alios curare in morbo contagioso, ipsi corripiuntur. Cauenda igitur sunt præcipitia, quæ vtrinque nos vrgere possunt. Rem igitur hoc ordine consideremus. Simile.

Primùm expendi hîc debet nostra persona, qui aliis tanquam infirmis nos accommodare volumus.

Deinde fratrum persona, in quorum gratiam accommodatio est instituta. Partes.

Tertiò, res ipsæ in quibus infirmitas illorum, & nostra versabitur accommodatio.

I. Quod nostram concernit personam in primis id curandum erit, vt bono fine instituatur accommodatio nostra.

1. Finis autem omnium operũ geminus est, gloria scil. Dei, & proximi ædificatio. de priore loquitur Apostolus. 1. Cor. 10. v. 31. *siue igitur editis, siue bibitis, siue aliud aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* de posteriore idem Apostolus loquitur, 1. Cor. 9. v. 19 *Omnibus omnia factus sum, vt plures lucrifaciam.* Et 1. Cor. 10. *Omnibus placeo non quærens meam vtilitatem, sed multorũ vt seruetur.* Sic Dominus sese accommodauit infirmitati hominum, vt in ea homines lucrifaceret Deo Patri, & gloriam illius illustraret. eo fine cum peccatoribus edit & bibit, dixit, *Non veni propter iustos, sed vt peccatores saluos facerem.* & ouem vnam inquisiuit, relictis nonaginta nouem reliquis. Finis. Finis omniũ operum, Dei gloria, & proximi ædificatio.

Deinde fine rectè constituto cauendum, ne illo prætextu præuaricemur. Seriò enim agendũ est & cautè: illud contra hypocritas valet, hoc contra temerarios. Solent enim prætexere multi gloriam Dei & proximi ædificationem, sed se & alios præuaricando perdunt. Sic aulici multi sæuitiam alunt & confirmant in Magistratibus: Sophistæ autem quęrunt mitigationes impias, quibus errores perniciosi confirmentur, alij securitatem eo prætextu quærunt. Contrà, qui temerarij sunt, dum alios lucrari volunt ipsi perduntur, sempérque ad deteriora descendunt. Accidit illis quod incautis & imperitis medicis, qui deploratos morbos dum aggrediuntur, ipsi corripiuntur, & vnà pereunt. Itaque diligenter expendendum est, quantum vires nostræ valeant. Integritas.

3. Præterea accedit hoc etiam, vt dum de fine & viribus nobis videmur certi, omnia quoque ad hunc finem accommodemus recto ordine, ne accommodemus illicita, sed omnibus modis cauenda sunt illa, quæ habere possunt professionem impietatis, & errores receptos videntur confirmare: qualia hodie multa sunt in Papatu, quibus si communices, spectatores in errore confirmabis magis, quàm liberes. hoc consilio Apostolus Titi circuncisionem respuit, cùm alibi Timotheum circunciderit, & omnes ceremonias Mosis damnat, cùm alibi non dubitarit votum suscipere, radere caput, purificare sese, & similia præstare secundùm legem Mosis. Vires. Cur Apostolus Titi circuncisionem respuit non Timothei.

4. Denique his bene constitutis, in accommodando sese infirmioribus facilè concedimus, primitus multa posse silétio præteriri, quæ suo tempore melius & vtiliùs proponat: ratio enim tenenda est, quid pro ætate singuli ferre possint. ac iacto fundamento, vtiliter demum superstruendum est quoduis suo tempore: quæ prudentia in bono dispésatore requiritur. vt Christus Apostolus iussit non solùm esse simplices, quales columbæ sunt: sed voluit simul esse prudẽtes, quales sunt serpentes. Hæc si probè nobiscum expendamus, videbimur quoad nos, rectè ad infirmorum debilitatem nos posse submittere. Dexteritas in tradendo.

II. Quod ipsos infirmos attinet, cum quibus nobis causa suscipitur, illi diligenter sunt explorandi. Est enim illorum duplex genus: quidam infirmitate laborant affectata, alij non affe- Infirmorum duæ species.

Matt.15. Matt.16. ctata. Si affectatum sit malum, sinendi sunt: non enim tenemur illorum infirmitati nos accommodare: sed dicendum illis hoc Christi, *cæci sunt & duces cæcorum, sinite illos.* Et quod Christus discipulis dixit de fermento Pharisæo. Nec enim Dominus Christus rationem habuit obstinatorum Iudæorum, & Apostoli pertinaces non curarunt. Ioan. Epist. 2. prohibet etiam aue illis dicere. Cum his si velis infirmitatem simulare, proderes veritatem, nec nisi denigratus ipse discederes, quod vsu venit his, qui cum carbonario congrediuntur.

Infirmitas non affectata, cui sese accōmodare pro loco & tēpore piū est. Sin vera sit infirmitas, minimeque affectata, huic sese accommodare pro loco & tēpore pium est. Nam spes est lucrifaciendi. Verùm dum his nos accommodamus, de rerum vsu & abusu diligenter monendi sunt. Deinde instituendi quomodo sese in his gerant, mutent locum, si fieri possit, exemplo Abrahæ, & diligenter admoneātur externam professionem etiam requiri à fidelibus. Matt.10 *Si quis negauerit me coram mundo, negabo illum coram Patre meo cœlesti.* 1. Cor.6. Templum Spiritus sancti esse dicit corpora nostra, quare non debent templum hoc Dei idolis exponere & dedicare. Ibidem spiritu & corpore nos iubet Deum colere, ideò sciant non satis esse, vtrunque veritatem cognoscere, nisi eādem profiteantur, cùm res postulat. Cor. 10 *Fugite idololatriam* inquit, fugienda igitur, hoc est, seriò est detestanda, adeò vt etiā corpore quoque abalienemus nos ab idolorum cultu.

Externa veritatis agnitæ professio necessaria.

Varietas in fratribus infirmis probè consideranda. Est etiam illa varietas in fratribus infirmis probè consideranda. Quia alij verbo Dei videntur rectè adhærere, ceremonias interim & ritus Ecclesiæ obseruant, non quòd meritū illis tribuant: sed quia Ecclesiæ consuetudo sic habet, Domino soli cōfidunt. Alij meritum etiam tribuunt, & opinionem consequendæ salutis ritibus Ecclesiæ addunt. Priores facilè instruxeris, quia simplex illos videtur detinere error, dum nō vident abusus rituū in Ecclesia. Posteriores difficilius correxeris, cùm duplici inuoluti sint malo. Christo nihil tribuunt, & ritibus omnia: tales errores erant inter Iudæos tempore Apostolorum. Alij Mosi adhærebant, nec admodum curabant patrū traditiones. horum simplex erat error, quia ignorabant ceremonialia omnia per Christum iam exhibitum esse abolita. Alij cum illis Mosaicis coniungebant seniorum traditiones, quibus etiam addebant boni mariti opinionem, quibus difficilius committi poterat doctrina Christi. Tales igitur sensim admonendi sunt, vt errores discant agnoscere, & infirmitatem. Nam æger nisi morbum agnouerit, frustra curam illius suscipiet etiam peritissimus Medicus. Interim de successu non desperandum, quod enim hodie non possunt, fortè cras poterunt. exemplum habemus in Petro, vt Christus illi dicit. Ioan.13. modò non potes me sequi, sequêris autem postea. Quod si infirmitatem non possint agnoscere sinendi sunt, alia enim ratio est cum ignaris agendi, alia cum infirmis.

Simile.

III. Superest rei ipsius consideratio: nam multum refert in quibus simulant infirmitatem, aut quousque nos velint sibi accommodari.

Primùm igitur ratio officij semper nobis salua & integra retinenda est: ne scilicet simulatione & dissimulatione officium necessarium deponamus. Positum autē illud est in admonendo, increpando, erudiendo, in his quæ pietatem concernunt. Itaque hîc meminerit quiuis, non esse negligenda ista in gratiam infirmorum. Apostolus 2. Tim. 4 iubet instare non solùm opportunè sed importunè quoque. Et Christus officium suum nullibi magis exercuit, quàm apud infirmos, hos admonuit, instituit, increpauit, &c. Contrà, obstinatos magis terrore iudicij Diuini terruit, aliàs cessit, deplorauit, &c.

In solis rebus mediis aliquid concedendum infirmis. Deinde res ipsæ, in quibus sibi concedendum aliquid putant, aut sunt necessariæ ad salutē, aut sunt planè impiæ, aut inter has sunt mediæ. Si in necessariis sit infirmitas: docendi sunt, nec quicquam concedendum. necessaria enim semper præstanda sunt. Talia autem sunt, interior cultus Dei, vera adoratio, Christi cognitio, externa professio. De his igitur nihil remittendum est, sed admonendi de erroris magnitudine, & quàm illa sint necessaria factu.

Sin planè impia sint, nihil infirmitati concedendum: vt qui idola adorant, magicis vtuntur artibus, scortatione sese polluunt in cœlibatu, & similia, in quibus nulla infirmitas prætexi debet, vel potest.

Multa sunt in Papatu solo abusu viciata. Supersunt adiaphora & res mediæ, in quibus multa concedi possunt fratribus infirmis. Et talia in Papatu multa sunt, in quibus solùm abusus notandus erat initio: vt quòd lectionem habent ex S. Bibliis in suis templis, quòd ieiunant, quòd se signant crucis signo. Ita manserūt sacramenta, Baptismus & Cœna Domini, quanquam infinitis modis mutilata sint, præsertim Cœna Domini, ideóque nec liberi vsus manere possunt. Cibo, potu, ieiunio, cœlibatu, matrimonio, vestitu, libero vsu frui possunt ad tempus, quemadmodum vtimur promiscuè communi aëre, fonte, aqua, Sole, &c. quāquam & illa sit opus hîc cautela, si in facto & vsu communi subrepat simul communio cōsensus, & quædam superstitionis confirmatio, par est vt vitemus etiam apud infirmos, ne infirmi in erroribus confirmentur, & nos exemplo nostro alios lædamus, tanquam approbemus illa. Hoc pacto testatur historia Ecclesiastica Ioannem Euangelistam noluisse ingredi etiam Balneum in quo Cerinthus lauabat. noluit enim infirmos offendere, & consensus aliquā speciem impio homini præbere. Summa, respiciēdum est, vt exemplum ædificet, non destruat, aut alios in erroribus confirmet.

Ioannes Euangelista. Cerinth.

Qui pergere volūt in sua 1. Porrò si pergas eos vrgere, pergunt se tueri in infirmitate sua, dicūntque Apostolū Paulum non

lum non ita cum infirmis egisse: sed in æternum quoque maluisse abstinere à carnibus, quàm offendere esucarnium fratrem infirmum. His igitur respondẽdum est: vt sciãt prætextum nihil eos iuuare, at quod attinet exemplum Apostoli Pauli, scire debebant exemplum Pauli, tantùm in his habere accommodationem, quæ diuinitus erant instituta, & iam per Christũ abolita: qualis erat Circuncisio, discrimen ciborum, quæ à Deo fuerant instituta, ideo mordicus tenebantur etiam ab infirmis, quia ignorabant per Christum sublata esse. In his igitur indulsit ad tempus illorum infirmitati, non autem in illis quæ manifestè pugnabant cum doctrina veritatis. hoc nostri hodie non seruant. infirmitate obijciũt exemplum Apostoli.

Deinde Apostolus in his quæ ad prędicationem veritatis pertinebãt, certo est vsus ordine, in quo non erat necessum omnia simul proferre: tacuit igitur de multis, nõ quòd negaret, sed quia illi nundum capaces essent: & quæ docebat non pugnabant cum doctrina Euangelij. Itaque contraria docere non licet, quanquam simul omnia tradi non possint. Denique habebat Apostolus lucri faciendi & vocationem & voluntatem. Quare qui illa non habet, ne putet exemplum Pauli ad se pertinere.

Deinde Naaman Syrus impetrauit, inquiunt, à Propheta Domini, vt liceat illi adorare in tẽplo Remmon impunè: ideo nobis infirmis licebit interesse sacris papisticis. 2. Reg. 5. Item obiiciunt exemplũ Naaman

Respondeo eos falsum hic sumere. Nam Elisæus non concessit Naamano, id quod postulabat, sed simpliciter in pace dimittit, *Vade*, inquit, *in pace*: quæ verba nihil concedunt illicitum, saltem dimittunt, ac oraturum pro ipso concedunt, factum autem non approbãt. Sunt tamen qui dicant, Naamani hunc fuisse sensum, quòd scilicet in templo Remmon velit adorare cum rege suo, sed verum Deum, nõ idolum Remmõ quod rex adorabat, quo sensu declarauit quid deinceps de eo esset sperandum Prophetæ. Attamen verba reliqua habent confessionem culpæ: nam ad quid preces Prophetæ, si hic nihil peccati? Sin hic peccatum est, vt id fatetur Naaman, cur illo vtuntur infirmi nostri, præsertim cùm Elisæus peccatum non excuset? Responsio. Naaman templo Remmõ adorans peccauit.

3. Proferunt etiam Nicodemi exemplum tanquam infirmi, quem Dominus noctu tulerit, cùm interdiu metu Iudæorum illum non sequeretur.

Verùm non rectè sibi hoc applicant: saltem quòd noctu accesserit, legerunt, sed repetãt quæ apud Ioan. cap. 7. de eodem scribuntur, vbi causam Christi periculoso tẽpore defendit: & deinceps Ioan. 19. in ipsa morte cùm omnia trepidarent, accessit Pilatum, postulans corpus Christi ad sepulturam. Has virtutes Nicodemi potius imitentur, defendant causam Christi in concessu Principum & hostium, in persecutione petant corpus illius, hoc est, Ecclesiæ vt ei hospitiũ præbeant & similia: inde tueantur se illius exemplo. Virtutes Nicodemi.

4. Attamen, inquiunt, animus noster rectè instructus est: nouimus istos abusus nihil prodesse, animo dolemus & ingemiscimus etiam cùm illis intersumus.

Verum discrimen est inter animum & factum. fieri potest animum rectè esse, sed hunc non videt tuus proximus, perinde infirmus, vt tu. Is solùm videt factum tuum, quo confirmatur in errore. Cogitat enim, Ecce illi tam docti & instructi, his sacris intersunt, ideo tibi idiotæ nõ crimini dabitur si interfis: ideóque etiam atque etiam cauendum fuerat, ne quid admitteretur, quo alij erroribus confirmarentur. Quãtum noceat malum exemplum.

Excipiunt: Bono etiam fine hoc facio: volo enim ordinem retinere ne seditiosus aut perturbator inueniar, ne innouator habear. Alia obiectio.

Sed memineris non esse facienda mala, vt veniant bona: deinde factum non ideo excusari potest, quia bona intẽtione fiat: imo eo ipso approbari non potest, quia ad optatum abs te finem non peruenit: dum enim hominum offensam vitare cupis, incidis in Dei omnipotentis iram, nec tuum est exemplum Dei ad te pertrahere, eliciat quòd Deus ex malis interdum bona: sed fit hoc per accidens: nec etiam simul mala approbat, quanquam bona interdum inde producat.

6. Moderatè autem & ordine omnia facienda esse libenter concedo. Deus enim ordinis author est, & conseruator: & Apostolus omnia iubet fieri decenter. Sed dicant mihi quis ille sit ordo. non sanè is qui malis conniuet, vt tegat errores: sed illum iudico ab Apostolo intelligi, quo hi qui lacte indigent, lactè nutriantur, alij solidiori cibo, alij obiurgatione, increpatione, castigantur. Ordo qui malis conniuet nõ est seruandus.

Quare non debent sub ordinis prætextu nobis errores stabilire.

7. Dauid, inquiunt, à Saule eiectus, apud infideles coactus est præstare idololatricos cultus, quos Deus lege prohibuerat. Conferant illi historiam Dauidis accuratiùs secum, & videbunt quàm discrepet.

Primùm Dauid in tota terra Israël non habebat locum: necessitas illum eiecit ad idololatras, non sua voluntas. Hodie non ita: vbique enim illis patent Ecclesiæ, quibus profiteri tutò possunt, quod se dicunt credere. Deinde Dauid promissionem habebat regni, & consilio Prophetarum omnia agebat: consuluit de singulis Domini oraculum, quod tum illi concederet emigrationem ad idololatras. Nõ licet tibi id applicare, qui illis omnibus es destitutus. Deniq; dolenter abest Dauid à cœtibus populi Dei, quod in Psal. testatur: & cùm non liceret apud Ethnicos, suis moribus ac religione viuit. Nõ enim historia prodit illum Philistęorum, aut apud Re- Factum Dauidis non fauet superstitioni.

gem Geth gentium sacris sese polluisse: sed simpliciter narrat illic vixisse. Id autem quia dolenter fecit, & Spiritu Dei præditus fuit, non aliud suspicari possumus, quàm sua religione semper illic vixisse. Id nostri non seruant: ideo impertinenter exemplum Dauidis ad se trahunt.

Denique aiunt, non possumus mutare locum, nec permittit id vocatio nostra, subsistendũ est propter vocationem, siue domesticam, siue politicam.

Quomodo se gerere debeát qui inter infideles versantur.

Id quidem non malè, si certi sint de vocatione sua, vt pius maritus familiam non potest transferre vxore infidele & renitente: bonus senator non dimittitur à collegio: sic Ecclesiastica vocatio sæpe alios detinet. Id concedimus certos esse de vocatione diuina, quos non iubemus deserere, vt nec Christus Nicodemum iussit Senatu abire, aut milites stationem suam deserere: sed hoc addimus vt officium conuertant ad gloriam Domini, & defensionem veritatis, quoad fieri potest: tradant se etiam piis precibus, lectioni priuatæ, cœtibus etiam piis sese coniungant cùm possunt, in fiducia Christi: non sinant se falli, superstitiones verò & errores dum corrigere non possunt, exemplo tamen suo non confirment & defendant: mitigent sæuitiam Principum & furorem persequentium pios, non excogitent mitigationes, quibus impietas confirmetur. Hæc si fecerint, videbuntur seriò dicere, officij ratione sese loca non posse mutare & rectè infirmis quoque videbuntur sese accommodare, &c.

DE SCANDALO.

LOCVS ~~LXXXXIII~~. XCIII.

Nomen.



SCANDALVM græca voce Latinè appellamus, nam illi σκάνδαλον vocant ἀπὸ τοῦ σκάζειν. Quod idem esse volunt quod σχάζειν, aut χωλαίνειν. i. claudicare. Apud Hebr. *miceschal* dicitur, & alibi etiam *cangas*, quòd offensus animus facilè indignatione commoueatur. Ex quibus facilè apparet vocem translatam esse à corpore ad animum. Nam corporis est propriè impingere, ad obiecta, seu ligna seu lapides pedem offendere. Et vt illa fit offensio: sic animus sua habet scandala, quibus impingit & offenditur. In præsentia sic definimus scandalum.

Definitio.

Scandalum est dictum aut factum, animum alterius exemplo nocenti offendens, ad confirmandum in eo errorem, vel deterrendum à veritate. Simpliciùs Græci dicunt ἔστι διαστροφὴ σκάζοντος περὶ τὴν ἀλήθειαν. Nam quod Hebr. dicunt *negiphat haregel* nominis in propria significatione est explicatio. Est enim lapsus pedis propriè scandalum. De animi offendiculo loquitur nostra & Græca definitio. Porrò complectitur causas præcipuas definitio, nec est necessum in ea explicanda immorari.

Diuisio.

Triplex hinc nascitur scandali partitio. Nam ex materia, scandalum aliud oritur ex dictis, aliud ex factis. Dicti scandalum est, cùm obscœni sermones boni viri animum perturbant. Huc pertinet, quod Apostolus ait, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Nocens est hoc scandali genus in iuuentute, qua præsente senes interdum minùs pudicè loquuntur de sua vita priori.

Facti scandalũ

Facti scandalum est: quoties moribus & vita religio læditur, aut lædi videtur in spectatoris animo. Verè lædebatur à scortatore Israëlita, qui scortum vidente populo in sua deducit castra, quem insecutus Phinees occidit. Lædi videbatur à Paulo, quòd Græcos in templum duceret.

Alia diuisio scandali.

2. A fine diuiditur scandalum. Quòd aliud à veritate in errores primùm præcipitat: aliud autem iam acceptos errores confirmat. Præcipitabat in errores factum Petri, cùm præsentibus Iudæis abstineret à gentibus, ob quod factum à Paulo est reprehensus. In erroribus autem confirmabantur simplices fideles à doctoribus legis, quòd oporteret legem etiam seruari Mosis à Christianis. Hanc de lege opinionem iam à maioribus hauserant in Iudaismo, quam post conuersionem ad Christum falsi doctores conabantur confirmare apud simpliciores. Contra quæ facit sententia Apostoli Rom. 14. *Illud iudicate magis.* Τὸ μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ, ἢ σκάνδαλον. Cauendum enim est omni studio, ne piis occasionem demus veritatem deserendi, aut confirmandi in animis illorum receptos errores.

3. Alia est diuisio vsitata Theologis, qua diuiditur in scandalum datum & acceptum.

Vsitata diuisio scandali. Scandalum acceptum.

Acceptum est, cùm mali vera doctrina, & bonis moribus offenduntur. Sic boni offendunt malos. Et quia tale genus offensionis frequentissimum fuit apud Pharisæos, proinde Pharisaicum & hypocriticũ appellant scandalũ. Hoc pacto Christus & Apostoli offenduntur Iudæos, in doctrina & moribus. Doctrinæ veræ est offensa, cùm vera docendo, Christus offendit eos, nolunt enim illam proponi. Sic Ioan. 6. offenduntur, quòd se panem cœlestem vocat, & carnẽ suam manducandam proponat. Deinde cùm Christus impiam doctrinam Pharisæorum reprehendit, quam taxari nolunt. Sic Matth. 15. cùm lotiones reprehenderet. Moribus offendit & factis, cùm benefacit. Nam vt bonos mores odio habent: sic etiam beneficia calumniãtur, Matt. 9. offen-

9. offenduntur, quia sanat Paralyticum. Deinde reprehendendo improbos mores, offendit eos: sic quia hypocritas, nationem prauam appellat, qui tollant clauem regni cœlorum, & ingredi non sinant accedentes. Ita Ioan. Baptista offendit Herodiadem, quia reprehendit meretriciam cohabitationem. Sic Ieremias quia reprehendit corruptos populi mores. Ita Esaias, quia regem, &c.

Datum scãdalum est, quo improbi sua doctrina & moribus impediunt pios & infirmos. Hoc vt superius, consistit etiam in doctrina & moribus. Hoc scandalum Christus seueriter vbique prohibet. Vt Luc. 18. *Qui offenderit vnum ex minimis*, &c. Et Matt. 18. Christus ait se tributũ dare cum Petro, ne quem offenderet. Et Matt. 16. Petrus sic offendit Christum, & ob id Satan appellatur, cui paulò antè promisit claues regni cœlorum, &c. Scandalũ datum.

Scandali causa efficiens est Satan, nam hic excitat vtrinque scandala. Accepta in improbis vt omnia in peius rapiãt, quicquid boni vel loquũtur vel agunt. Data verò manifestè suscitat cõtra bonos certo fine. Occupat ille mentes malorum, vt nolint credere. Gal. 5. *Quis vos fascinauit, vt non crederetis veritati*. Idem excitat mille modos, quo boni in cursu impediantur. Causa Efficiẽt. Satan.

Deinde adhibet sua organa homines ad id idoneos, qui aliis vel obicẽ obiiciũt, vel ipsi pietate aliorum offenduntur. In his idoneum habet organum ipsam rationẽ hominis, quæ sibi blãditur in propria sapientia, & irridet quæ Dei sunt. Hinc sermo crucis stultitia habetur. 1. Cor. Organicę causæ. 1. Ratio carnis.

Deinde ad organa pertinet odium priuatum, quo impediuntur homines vt plurimũm vt nõ possint veritati dare locum, in personæ odium, & eandem persequantur eadem impulsi causa. 2. Odium priuatũ.

Sic iudicari debet de quæstu præsenti, quem reprobi habent ex defensione malę doctrinę, & impugnatione sanæ. Hic validissimus est ad scandala aries. 3. Quæstus.

Authoritas inter homines. Existimatio tuenda est, non violandus honor. Pro his tanquam pro aris & focis depugnatur. 4. Authoritas.

Persuasio propriæ iustitiæ, quæ in hypocritis regnat. Sic iudicandum est de dogmatibus hæreticorum, de opinionibus extra scripturam conceptis. Omnia illa aliáque complura tanquam organa adhibet satan in excitandis scandalis. Quare à causis efficientibus planè separamus doctrinam, mores, vitam, facta piorum, cùm illa nudo pacto organa sint satanę. Occasiones quidẽ inde venatur: & vt astutus artifex causam mali reiicit in bonos, sed non ideo causa sunt. 5 Persuasio.

Materia scandali triplex est. Ex qua illa pendet, idest ex causa efficiente, quæ occasionẽ aliquã certo organo suppeditat. In qua, animus hominis, qui scandalum vel concipit, vel dat aliis. Circa quam, materia est doctrina vel vitæ exemplum, factum aut dictum aliquod circa quod mouetur quæstio pietatis vel officij. Materia.

Forma scandali est expressa in exemplorum diuersitate. Pharisæi offenduntur, Matt. 15. quia contra traditiones hominum disseruit Christus. Et Matt. 12. quia discipuli vellũt spicas. Et cap. 9. quia cum peccatoribus Christus sumit cibum. Scandali forma hypocritica est, quę fuco cupit imponere hominibus. Simulant enim pietatem quam nõ habent. Herodias contrà & Herodes offenduntur doctrina Ioan. Baptistæ. Quia palam approbant obscœnam vitam, mores corruptos, concubitum illicitum. Epicureismus iste est. Sic prophani homines & ventri dediti offenduntur in negotio religionis, & vicissim scandala dãt sua dissolutione. Iudæi autem promiscuè offenduntur doctrina Euangelij, quia rigorem Mosaicæ legis iam amant. Non censent æquum esse, vt aboleatur tanta legis maiestas & authoritas. Sic in circuncisione abolenda offensi sunt multi minimè mali. Rigor est vitæ, quem ex consuetudine hominis induerunt, & ægrè dimittunt. Forma.

Finis scandalorum ex definitione potest intelligi. Nam à veritate conantur abducere, & in erroribus animos confirmare. Debet tamen finis considerari etiam ratione Dei agentis in his. Finis scãdali multiplex.

Satanæ excitantis scandala, finis est stabilire errores, opprimere bonos mores ceremoniis & ritibus onerare Ecclesiam, augere suum Imperium, opprimere Dei gloriam.

Dei autem finis est, Suos probatos mũdo proponere spectãdos, manifestos reddere reprobos vt discrimẽ manifestum sit inter veros Dei cultores & hypocritas. Ad hunc modũ inquit Paulus 1. Cor. 11. *oportet sectas in vobis esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant inter vos*, &c.

DE DIVITIIS, QVO MODO OBSINT IN CAVSA SALVTIS. LOCVS XCIIII.



CHristus de diuitibus pronuntiat, δύσκολον *esse vt in regnum Dei ingrediantur*: quã sententiã cùm admirarẽtur discipuli, ἀδύνατον παρ' ἀνθρώποις, appellat. Quærendũ igitur vnde illa nascatur δυσκολία & ἀδυναμία. Etenim cùm hoc illis tribuatur: consequens est vt vel ratione diuitiarũ, vel priuato quodã affectu, aut vtroq; illis insit: præter illa tria nõ video, quid causæ possit esse, cur ita duriter de salute diuitũ pronuntiet Dominus Christus. Ac prima illa sententia probabiles habet rationes ac patronos magni nominis, qui in ipsa natura diuitiarũ hoc malum cõstituunt, quibus ex Philoso-

Zeno Stoicus inter bona diuitiis locũ negat.

phis, accedunt fermè Stoici. Zeno inter bona noluit referre diuitias: sed προηγμένα, hoc est, producta vel proposita maluit dicere. Opinor quòd hominum iudicio haberentur inter bona, non autem natura sua talia essent. Chrysip. & Diog. detracta vtilitate, ne digitum quidem, earum causa, porrigendum esse dicebant. Eadem fermè est Plat. sententia qui è sua Rep. aurum & argentum exulare voluit. Viderunt illi, vim quandam inesse opibus corrumpendi homines: cui accessit vsus & experientia, quæ testatur arduum esse & factu perdifficile integritatē mentis seruare in magnis opibus. Vnde illud ex triuio, *Diuitem aut iniquum, aut iniqui hæredem.*

Diues aut iniquus aut iniqui hæres.

Altera sententia patronos habet ipsos diuites: qui diuitias inter bona præstātissima numerant. Et Peripatetici fermè inter bona ponunt, quamuis media ἀδιάφορα vocent, & Platonici δεύτερα.

Aristoteles tamen in elenchis sophisticis, per se bonas esse videtur sentire, & abusu malas fieri. In Ethicis χρηματικὸν βίον de numero fœlicitatis excludit, χρήματα tamē τελικὰ esse dicit, vt quæ ἄλλου χάριν expetātur. Hodie omnes fermè diuitias excusare solēt, vitia & errores ipsis diuitibus adscribentes, qui bonis non vti norint, quasi nihil mali expectandū sit ex vicino malo.

Tertia sentētia veritati consona est. Nam ad hanc difficultatē non solùm cōferunt diuitiæ: sed & ipse homo possidens: nec solùm in culpa est homo: sed & opes suppetias suas conferunt.

Ac de diuitiis omnium opiniones prosequi non est nostri instituti: singuli enim ab euentu eas vel commendarunt vel damnarunt: quorum sententias studiosè collegit Stobæus, sermone 89 90 91.

Quæ cōtra diuitias Stoici disseruerint, habes explicatum à Laërtio in vita Zenonis Citiæi: & apud Cic. lib. 3. de finibus, & lib. 5. Tusc. quæst. & apud Lud. Cœlium, quædam huius argumenti. lib. 11. cap. 23 24 25. apud Plin. lib. 33. cap. 10.

Nos indicabimus hic ex diuitiarum natura, quomodo ἀδυναμία hæc, & δυσκολία ad ipsas quoque pertineat diuitias, vt constet rectè dixisse Christum δύσκολόν ἐστι imò ἀδύνατόν ἐστι diuitem ingredi in regnum Dei.

Consideremus igitur primùm naturam diuitiarum. Initio nomē ipsum nos admonet istius impotentiæ, καὶ δυσκολίας.

1. Ab etymologia.

Diuitiæ apud Latinos prima origine dicuntur *à Dite*, qui Græcis Pluto est inferni rex: quo indicarunt diuitias huius mundi, omnes ex terra esse, & in eandem redire. Varronis sententia non absimilis est, qui censuit dici diuitias à voce diuus. sed malè affertur ratio: quasi instar Dei nullius egere videatur: imò diues diuus dicitur, vt Auri sacra fames est: quæ non ideò sacra dicitur, quia sacra vel sit vel efficiat: sed quia execrabilis est, & ex sacris prophanos reddit: eadem ratio valeat in voce diues, quasi dicat, minimè diuus, quantò ditior, tantò alienior à diuinitate: sic Parcæ quia minimè parcunt. sic εὐμενίδες quasi δυσμενίδες, bellum quia minimè bellum. Omnino diuitiæ sua natura sunt tales.

Diues vnde dicitur.

Græcis vocibus fermè eadem inest vis, ni homines ad sui excusationem & prætextum his abuterentur & aliò traherent.

Pluto à quo habet originem.

πλοῦτος enim à Plutone re & nomine originem habet. Nam Græca vanitas Plutonē Deum & largitorem diuitiarum constituit. Grammatici verò πλοῦτον ἀπὸ τοῦ πλούτωνος, deriuant.

1. Quòd si pergas inquirere in Plutonis etiam originem, respondent alij dictum à voce πολὺ, hoc est, multum, & τῶ hoc est, λαμβάνω. quasi dicat, πολύτος, inde fit πλοῦτος vox cōtractior: nec malè illi quidem: nam diuitiæ non tam dando, quàm accipiendo & crescunt & cōseruantur. Itaq; regnum Dei dare non potest, cùm ne in terrenis quidē, satis tutus sit Plutus dando.

2. Verùm rectiùs illi naturam diuitiarum nobis proponunt, qui affirmant πλοῦτον dici ἐκ τοῦ πηλοῦ, hoc est, à luto. tale enim sua natura nec aliud sunt. Materiam à terra habent, vt alia: æstimationem & pretium, ab hominum stultitia, qui aurum & argentum propter raritatē admirātur & extulerunt: astipulatur huic sententiæ versiculus ille quem Stobæus Naumachio cuidā tribuit χρυσός τοι, κόνις ἐστι, καὶ ἄργυρος, hoc est aurum certè puluis est & argentum.

3. Eustath. lib. 1. Iliad, πλοῦτον ait dici, quasi πολύετον, ἢ πολλόετον, ὅτι ἐκ πολλῶν ἐτῶν ἐστι σύνηγμένος, longo enim tempore, & vix tandem colligi videtur: quo sane indicatur cura & sollicitudo, quæ angustias regni cœlorum subire non potest. Rectè igitur statuimus, diuitias sua natura æstimatas, δυσκόλως ἔχειν πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ χαλεπὸν, imò ἀδύνατον esse diuitē regnum Dei ingredi.

A definitione. Falsæ definitiones remouentur.

2. Verùm propiùs rē inspice: ex ipsa definitione, non sanè aliud doceri potest, quàm quod modò diximus. Porrò hic non admittenda sunt, illa apud poëtas passim ἐξῃλλυλλητά: quale est Euripidis illud, τὰ χρήματα ἀνθρώποις τιμιώτατα, i. opes hominibus honoratissimæ. Item ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς, i. ô aurum mortalibus excellentissimū ornamentū. Et Antiphanis illud τὸ ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς, hoc est, argentum hominibus sanguis & anima. Item πάντα λῆρος πρὸς τὸ χρυσίον, omnia nugæ respectu auri. Et Hesiodi χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι, i. opes sunt anima miseris mortalibus. Menander etiam χρησίμους θεοὺς vtiles deos dixit τὸ ἀργύριον ἡμῶν καὶ τὸ χρυσίον. i. argentum nostrum & aurum. Sunt hæc & his similia non ad rei naturam dicta: sed ad hominum vota, qui dum nihil non à diuitiis sperant, talia de illis prædicant, qualia obtinere velint: mittenda igitur tāquam κολακευτικά, i. adulatoria. Deinde eius-

de eiusmodi sententiæ naturam diuitiarum propriè non exprimunt: sed abusum potiùs & mortalium stultam spem.

Qui verò limatiori oculo rem inspiciunt, dicunt, diuitias esse donum Domini ad vitæ vsum & proximi subsidium, gratis datum.

Diuitiæ Dei donum, ad vitæ huius vsum.

Exprimit definitio verum authorem diuitiarum, & finalē causam. Ac de authore mox etiam dicemus inter causas: hîc ex definitione colligatur argumentum περὶ τῆς ἀδυναμίας καὶ δυσκολίας ad regnum Dei. diuitiæ solum dantur ad huius vitæ vsum, ergo per se & sua natura diues ingredi regnum Dei non potest: imò impossibile illi est.

Nec solùm id verum est, quòd diuitiæ non sint inter ποιητικά, hoc est, inter causas quæ vel efficiunt, vel adiuuant nos ad regnum Dei: sed quòd ne hoc quidem nomine conditæ sint: non est hic vsus illarum legitimus: non finis ille propositus.

Quemadmodum Apostolus inquit de carne & sanguine, *Caro & sanguis regni Dei hæreditatem consequi non possunt:* cuius reddit rationem ad Rom. 8. *Qui in carne sunt Deo placere non possunt.*

Cur igitur carni & sanguini illud est impossibile? quia displicent Deo ob peccatum: quia non eo fine condita sunt, vt suis viribus tanta bona comparent: non sunt inter ποιητικά, nō est etiā hic vsus legitimus: cum tamen negari non possit, hominem, qui caro & sanguis est, ad vitam æternam pertinere.

Cur non idem iustiùs de diuitiis dicamus? quæ dum nulla ratione ad vitam æternam spectāt, nihil etiam ad hanc consequendam, sua natura possint conferre. Interea manent donum Dei, sed in hac vita illius doni solùm est vsus.

Tertiò. Si non ad ipsam naturam diuitiarum pertinet hęc ἀδυναμία, erunt τὰ χρήματα vera & æterna bona. Ac vera bona non sunt τὰ χρήματα, de quibus hic loquitur Christus.

3 A diuisione.

Nam diuitias seu τὰ χρήματα, statuūt Philosophi etiam quasdam in animo, quas internas appellant diuitias: quales sunt virtutes, inter quas prima est, vera pietas: linguarum notitia, artes liberales & honestæ. Hæ veræ dicuntur diuitiæ, quia in omni fortuna sequuntur hominem, nō possunt nisi cum vita amitti, imò post mortem beant.

Veræ diuitiæ.

Alias ponunt externas diuitias, in quo sensu, sunt illa χρήματα, de quibus nobis est sermo quę non beatum efficiunt post hanc vitam, imò ne in hac quidem vita, omnes suos cultores beant. Has pro copia & amplitudine, gradibus etiam distinxerunt vt nominibus.

Nō veræ diuitiæ.

Græci in hac re curiosi, vt in omnibus ferè, extiterunt, πλούσιον in supremo quasi gradu collocarunt: quia habeat πολλὴν οὐσίαν, multam substantiam, adeóque infinitam. Quod si idem in voluptatibus & sine molestia viuat, ita vt ad animi sententiam illi omnia cadant, εὐτυχὴς illis dicetur, & in admiratione Sardanapalus aliquis erit.

Πλούσιος

Quòd si eadem fœlicitas ad totam extendatur vitam, & ipse suauiter & libenter ea afficiatur, tanquam ὄλβιον commendabunt, quasi διὰ ὅλου τοῦ βίου εὐτυχοῦντα. Sin verò non ita splendida sit & serena fortuna, sed sua habeat ἀτυχήματα, quibus tamen commodè possit mederi & occurrere, non quidē πλούσιος sed εὔπορος erit, quia contra incidentes necessitates est ἀνενδεὴς καὶ εὐπορῶν, non indignus & locuples, *er mag sich der Zufelligen not erweeren.* Demum si larem tueri possit & laboribus suis annuū victum honestum comparare, ne sordidè viuat & miserè, dicitur ἀφνειὸς ὡς ἀπὸ ἐνιαυτοῦ τὴν τροφὴν συλλέγων qui fructibus suis annuis alere se possunt, *Er hat ein erlich vszkumen von iar zu iar* Latini hos imitati, alios locupletes, alios opulentos, alios diuites appellarunt. Et quanquam boni authores opes, diuitias, copias in eadem significatione propè sumant: tamen placuit Grammaticis, diuitias necessitatis dicere, qualia Græcis ferè sunt χρήματα. Opes autem, abundantiæ, vt est Græcis εὐπορία, copias affluentiæ vt illi respondeat πλοῦτος.

Ὄλβιος.
4. εὔπορος.
5. ἀφνειὸς καὶ ἀφνειός.
Discrimē inter has dictiones diuitiæ, opes, copiæ.

His subiiciunt res naturales, vt sunt serui, pecus, fundus: à pecude pecuniosus, à locis & fundis locupletes. Res artificiales, vt æs signatum & rude, thesauri argenti & auri. Sed illa πάρεργα. Repetamus argumentum nostrum. Si ἀδυναμία illa, non ad naturam diuitiarum pertinet, erunt τὰ χρήματα vera bona: Non enim fieri potest, quin vel rarò vel paucos, si non semper & multos beatos efficerent, siquidem per se bonæ essent, mala autem illa per accidens & aliunde accederēt: verùm illud absurdū est, & hoc pietas nulla admittit. ἀδυναμία igitur illis per se inest, quia vera bona non sunt, quia alia præter diuitias bona vera constituuntur, quæ veriùs diuitiarum nomen sibi vendicant.

Quartò. Prima causa & author diuitiarum, naturam hanc illis sic indidit: de efficiente causa sacræ literæ nos rectissimè erudiunt, vt in reliquis omnibus. Deum esse docet Ecclesiast. cap. 6. *Vir cui dedit Deus diuitias & opes & honores nihilque deest animæ suæ.* idem fatetur Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Quod autē hāc ἀδυναμίαν eis per se indiderit manifestum est, quia maledictioni subiicit omnes, qui spem ponunt in diuitiis: diuitiæ igitur à prima origine laborant impotentia & inhabilitate, ad vitam æternam: deinde per se dicuntur rebus inesse quę semper, vbiq; & eodem modo insunt, nec vllius circunstantiæ consideratione adsunt: vt hominē per se dicimus peccatorem, quia id ἁπλῶς ei inest, iustum autem secundū quid. Sic diuitiis ἁπλῶς inest ἀδυναμία, quia semper: quia omni modo: quia vbique δυσκόλως ἔχουσι πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.

Causa diuitiarū.

Gentes de authore obscuriùs loquuntur: nam fingunt poetæ, & Physici quoque, ἐπιχθόνιον

seu καταχθόνιον, i. subterraneum quēdam dæmonem, qui largiatur opes. Plutum illum appellant, cuius splendida est oratio apud Stobæum. Serm. 89. ad finem, ex Telonis lib. de comparatio diuitiarum & virtutis. Alij fortunæ hoc ascribunt, vnde εὐτυχοῦντες & ἀτυχοῦντες, fortunati & infortunati, ac δυστυχοῦντες Græci appellati sunt diuites & miseri.

Hesiodus alibi candidiùs iudicat: nam opes ad Deum authorem refert, χρήματα οὐκ ἁρπακτὰ θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω, diuitiæ quæ diuinitus obueniunt non ex rapto, sunt longe optimæ.

Cæterùm fortunæ nihil loci est in cœlestibus: ἐπιχθόνιος etiam dæmon nihil illic habet iuris: sed est planè impotēs & δύσκολος. Quare ab authoris volūtate satis constat de natura illarū.

Materia etiam nihil habet splendidiùs: in censu enim opum sunt æs signatum vt pecunia, æs rude vt reliquę massæ metallicæ auri & argenti: suppellex domestica in qua sunt bona mobilia inanimata: agri, cum quibus terræ computantur immobilia, denique greges & armenta pecorum. Sed quis tam vecors sit, vt his aliquam tribuat δύναμιν σωστικὴν: imò impedimenta illa potius sunt vel Luciano teste, qui defunctos ridet variis onustos sarcinis descēdentes ad inferos. Charon certè non admittit nisi nudos, & iudices illi infernales, de nudis solùm pronuntiant. Socratis suauis est illa similitudo, Vt vestes talares corpora impediunt ambulantium: ita immensæ opes τὰς ψυχὰς ἐμποδίζουσι mentes præpediunt.

Lucianus ridet defunctos variis onustos sarcinis ad inferos descendentes.

Forma diuitiarum dupliciter consideráda est, Nam expendi hîc debet primùm modus, deinde facies diuitiarum. Modus alius est secundum naturam: quæ cùm sit paucis cōtenta, pauca requirit: quò pertinet elegās illa sententia Galeni, μὴ διψᾶν, μὴ ῥιγᾶν, hoc est, non sitire, non algere. ita Iuuenalis eleganter inquit, *Mensura tamen quæ*

Sufficiat census, si quis me consulat edam,
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

Locuples est non qui multa possidet sed qui pauca desiderat

Sic Val. Max. ait, Locuples est, non qui multa possidet: sed qui modica desiderat, qualis est apud eundem M. Curius rapas edens. Hic sanè modus fœlicissimus esset, si quidem seruaretur constantiùs: sed quos tu mihi dabis? paucos ex veteri seculo, paucos philosophos, & hodie, quosdam raros natantes in gurgite vasto: Dolendum est certè Christianam pietatem non vberiores ferre fructus in contemnēdis opibus, quàm res ipsa declarat. Anacharsis ille Scytha & alij Philosophi, pro nihilo potuere pecuniam ducere, Christiani Theologi facere id non possunt. Socrates potuit contemnere opes: Anacreon oblata auri talenta à Polycrate respuere potuit: Xenocrates ab Alexandro oblata, Crates in profundum submergere: Christiani homines miseri sunt in paupertate? Pastores ecclesiæ infœlices, nisi in opimis stipendiis? Porrò modus hic, secundum naturam etiam seruatus, non tamen δύναμιν illam habet ad vitam æternam: sed est argumentum electi hominis, & fructus certissimus benè constituti animi.

Ethnici contemptores diuitiarū.

Modus alius est secundum desiderium, cui sanè nullus terminus adhuc positus est: nec reperti homines qui id possent. Insatiabilis enim est libido & habendi cupiditas: ipse quoque Plutus insatiabilis est. de quo vide Aristoph. in Pluto. Aristot. in politicis. elegāter dixit Horatius,

Crescunt diuitiæ: tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

Cupiditas enim ad ea respicit, quæ non habet. ideóque magnas inter opes inops est.

Scita est similitudo Horatij lib. 2. car. od. 2.

Auarus hydrops

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Hydropicus enim morbus cum desiderio crescit ex aquæ potione, quo indicatur, modum diuitiarum in cupiditate posse statui.

Ad causam formalem dixi pertinere etiam Pluti faciem: nam Poëtæ personatum fingunt.

Aristophanes affabrè depinxit vetulum senem & cæcum: qualis fermè est etiam fortunæ ὑποζγραφὴ apud Galenum in adhortatoria oratione ad artes.

Ac rectè quidem cæcus dicitur quia cęcos efficit, quemadmodum δείλιος timidus, ὅτι δειλοὺς ποιεῖ τοὺς ἔχοντας. Ideóque malitiosè Plutus cæcitatis causam reiicit in Deum apud Aristophanem, neque debet admitti figmentum illud.

Ὁ ζεύς μὲ ταῦτ᾽ ἔδρασεν ἀνθρώποις φθονῶν.
Ἔγω γὰρ ὢν μειράκιον, ἠπείλητ᾽ ὅτι
Ὡς τοὺς δικαίους καὶ σόφους καὶ κοσμίους
Μόνους βαδιοίμην. ὁ δὲ μὲ ἐποίησε τυφλόν.
Ἵνα μὴ διαγινώσκοιμι τούτων μηδένα.
Οὕτως ἐκεῖνος χρηστοῖσι φθονεῖ.

Iupiter me ita affecit, hominibus inuidens
Ego enim puerulus eram: ille autem interminatus est
Quod iustos, & sapientes & excultos
Solos adirem. Ille autem me occæcauit

Vt

Vt illorum neminem agnoscerem.
Sic ille bonis inuidet.

Malè transfert causam cæcitatis in Deum. Nã Deus boni causa est,& quicquid facit bonum est,quatenus in sua id mansit conditione. Cur verò Plutus cæcus sit, vera causa est,quia tales efficit homines. Deinde quia in malis ordinandis cæcus est. h. e. malis, vt plurimùm, familiarior est & benignior. hinc velocem & cæcum finxerũt alij,quia dũ ad malos mittitur, velocissimus est,& sine modo tanquam cæcus sine iudicio opibus eos perfundit. Contrà tardus est & claudus, adeóque oculatus dum bonis debet bene facere. claudus, quia rarò illos accedit,oculatus, quia semper habet quod causetur,quò minùs illis benefaciat.

Alij oculatum interpretantur propter ipsos bonos,qui diuitiis non apponunt simul animũ. Spartani etiam cæcum & iacentem pinxerunt,&c. sed reuertamur ad nostra. Forma diuitiarũ nihil habet quo tueantur sese opes ad regnum cœlorum. Nam modus in his seruatus secundum naturam, laus hominis est, non diuitiarum: vt laus est boni & integri viri cõflictasse malis, nec fuisse corruptum. Modus autem secundum cupiditatem, malum diuitiarũ asperius reddit. Forma etiam ludicra est, & poëticis fabulis implicita, quæ formidolosum, cæcum, claudum, improbum, depingunt Plutum, ex quibus efficitur ἀδυναμίαν propriè in ipsis residere diuitiis. Forma Pluti apud Poetas.

Finis diuitiarum proprius, quem Deus ordinauit, est vitæ commoditas, conseruatio, cultus etiam corporis, cura amicorum, pauperum, ciuium,&c. Quæ omnia huius vitæ sunt, nam vita illa æterna, mutua opera non indigebit: nullus illic erit locus opum harum, de quibus hic rixantur homines. Effecta diuitiarũ duplicia.

Effecta etiam huc pertinent, quæ duplicia sunt, bona & mala. Bona vt est hospitalitas, cuius exemplũ est in Abrahamo, Lotho, Iobo,&c. Beneficentia in pauperes, eleemosynæ, vrbiũ reparatio, cõstructio, redẽptio captiuorũ,& similia. Aristophanes scitè recenset effecta Pluti, quòd sit repertor artium καὶ σοφισμάτων, causa bonorum & malorum μονώτατος, quòd victoriam præstet, plenissimè tamen recensentur in illa oratione Pluti apud Stobæum ex Teletis oratione Serm. 89. ad finem.

Mala eius effecta plurima sunt, præcipuè verò relucent in hac vita, in vestitu, cibo adeóque moribus totius vitæ. Eurip. inquit ἔμφυτον τοῖς πλουτοῦσι, σκαιοῖσιν εἶναι, hoc est, innatum malum diuitibus improbè viuere. Item ὕβριν τίκτει ὁ πλοῦτος contumeliam parit. τυφλὰς ποιεῖ τὰς φρένας, cæcas reddit mentes. κνίζειν φρένα, angere mentem, δεινὸν ὁ πλοῦτος, καὶ φιλόψυχον κακόν molestum & vitæ cupidum malum. ἄδικον ὁ πλοῦτος, καὶ πολλὰ οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ, impiæ sunt, & multa nõ rectè faciunt. πολλῶν τὰ χρήματα αἴτια ἀνθρώποις κακῶν multorum malorum causa hominibus,&c. ac infinitum esset omnia recensere quæ impiè, quæ nequiter diuitiarum opera fiant inter mortales: his malis omnibus accedit tanquam colophon damnatio extrema, verè δύστηνον θέρος infelix & calamitosa messis. Atque illa propriè efficiunt diuitiæ, quia in hanc partem proniores sunt: propria enim cuiusque actio frequentior & rei familiarior est, vt animantis actio propriè est mouere sese, animi actio est intelligere, corporis sentire, stomachi concoquere, portulacæ stupori dentium mederi: quæ ita rebus propria sunt, vt si non semper, tamen vt plurimùm id efficiant: diuitiarum fructus hic vt plurimùm est, propria igitur illa est earum actio. Diuitiarum fructus vt plurimũ malus.

Similiter dici potest de Cognatis. Nam diuitias comitantur alia ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, quale est omne vitiorum genus: Ouidius, *Effodiuntur opes irritamenta malorum*: has comitatur adulatio res admodum cognata & familiaris, nam ad diuitum mensas alitur: hinc Demosthenes solebat diuites conferre aureis ouibus, quòd eorum bona, & illarum lana, non ipsis, sed adulatoribus prodessent. Insidiæ etiam & venena illas sectantur, hinc illud. *Nulla aconita bibuntur* Cur diuites aureis ouibus conferantur.

Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes

Gemmata. Vnde diuitibus sui pocillatores, prægustatores, gemmæ & cornu monocerotis ad præcauenda venena.

Alia cognata illis sint ἔλαττον rarò: vt est pietas, virtus, cæteráque illius classis. Hesiodus inquit πλούτῳ ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ, fortasse quia vulgus virtutem & gloriam ex diuitiis æstimat, quemadmodum Simonides dicebat τοὺς σοφοὺς ἐπὶ τὰς τῶν πλουσίων θύρας φοιτᾶν, sapientes diuitum limina frequentare. Admirãtur enim homines diuitias, & diuites eff rũt, virtute præditos, fortes, magnificos pronuntiant, quò pertinet illud Erupidis καὶ δοῦλος ὢν τίμιος πλουτῶν ἀνήρ: ἐλεύθερος ὢν, χρεὼς οὐδὲν σθένει, hoc est, seruus etiam si diues sit honoratur: at ingenuus pauper cùm sit, imbellis est: sic εὐγένεια ἐν χρήμασιν ἐστὶ nobilitas in pecuniis est. Nobilitas in pecuniis.

Pugnat cum diuitiarum natura, mentis integritas, quæ difficulter inter opes conseruari potest. Plato scitè dixit ἀγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον excellenter bonum & excellenter diuitẽ simul esse, impossibile. ideóq. diximus suprà aurum & argentum è Repub. Platonis fuisse reiectum. Reliquis diuitiis vix tertius demùm concessus ab eo locus. Plato affirmat impossibile excellenter bonum, & excellenter diuitem simul esse.

Cum diuitiis etiam pugnans inducitur πενία apud Aristoph. quæ scitè suam tuetur causam contra Plutum: ac reuera illa est integritatis regio. tales fuere Prophetæ, Apostoli, pij martyres, Christus ipse Filius Dei non habuit quo reclinaret caput suum.

Porrò obiiciũt hic nobis quidam multos interea diuites iustos & saluatos vt Abrahamum, Iacobum, Iobum, Dauidem, Salomonem, Zacheum in nouo Testamento aliósque complures.

His breuiter respõdemus: diuitiis inesse quiddã per se, aliud autem accidentaliter illis euenire. Sic in diuitibus aliud per se est: aliud aliunde illis accidit: per se in diuitiis est, procliuitas ad malum, occasiones præbere ad interitum, qui effectus in diuitibus hæret tanquam radicale malum. Aliunde accidit, quo malum hoc corrigitur, occasiones amputantur, vis nocendi emẽdatur. Quòd igitur diuites aliqui saluantur, non à diuitiis hoc habent, sed κατὰ συμβεβηκὸς contigit Dei miseratione, vt idem & diues & electus esset.

Manet interim firma illa sentẽtia, diuitiis per se inesse illam ἀδυναμίαν & δυσκολίαν, de qua Christus ait Matth. 19. Mar. 10. *facilius camelum esse transire per foramen acus, quàm diuitem in regnum Dei.*

Ac rectè soluit Christus ἀδυναμίαν apud homines esse, hoc est, per se in hominibus diuitibus hęrere: apud Deum autem, omnia esse possibilia, hoc est, illi esse facilè etiam diuitem saluare: quòd diuitiis est planè impossibile.

Hæc ex natura diuitiarum placuit adhuc vobis proponere. Nã video omnes patrocinari diuitiis, quasi culpa in illis non sit quòd extorres à regno cœlorum diuites pronuntiantur. reuera illi stabiliunt illud Spartiatæ Aristodemi χρήματα χρήματα ἀνήρ: Opes, opes inquàm, sunt ipse vir. Alij verbis damnant, reipsa affectant. Refert Eustath. elegantissimum quoddam carmen, quod Timocreon Lyricus contra diuitias scripsit, quod libet ad finem adhuc vobis referre.

Ὤφελές ὦ τυφλὲ πλοῦτε
Μήτ᾽ ἐν γῇ μήτ᾽ ἐν θαλάττῃ
Μήτ᾽ ἐν ἠπείρῳ φανῆμεναι,
Ἀλλὰ τάρταρόν τε ναίειν καὶ ἀχέροντα.
Διὰ σὲ γὰρ πάντ᾽ ἐν ἀνθρώποις κακά, hoc est, Debebas ô cæce Plute, neque in terra, neque mari, nec in continẽte videri: sed tartarum inhabitare & acherusiam. per te enim omnia inter homines contingunt mala, &c.

DE VSVRIS.

LOCVS XCV.



GRAVIS est Christi seruatoris sententia contra vsurarios, Luc. 6. Mutuum date nihil inde sperantes: quã cùm explicaremus, promisimus de vsura φιλολογίαν. Videtur enim hæc ex diametro pugnare cum Christi censura: quare non fuerit abs re aliquid in medium proferre: vt norint studiosi, quo loco habenda sit. Nolumus autem altiùs repetere hanc de vsura disputationem.

Artes vsurarum solis suis authoribus notę.

Etenim res ipsa nobis satis est ignota: non puto enim quenquam scire artes vsurarum, nisi solos eos, qui in illius πράξει in dies versantur. Indicabimus igitur in præsentia solùm ista capita: Quid sit vsura, & vnde nominata. Deinde species generales vobis proponemus. Tertiò, demùm vsuras in se malas esse, ac diuino, ciuilíque iure meritò prohibitas: de his paucis igitur rem sic accipite.

Quid vsura.

Vsuram dixerunt ab vsu æris, hoc est, pecunię: quòd elocata, vsum præbeat non tam sumenti quàm eroganti, non tamen eo pacto, quo ager vel hortus elocatus vsuram facit.

Cur vsura partui assimiletur.

Græci τόκον appellarunt, hoc est, partum quendam: non quòd pecunia elocata pariat, vnde vsura illius respectu partus quidam, hoc est, soboles dici debeat: sed quia cum dolore & sudore soluitur: ac metaphora subest, quæ ducta est à parturientium doloribus. Vocant etiam δάνειον, quæ tamen vox propriè dicitur de ipsa sorte quæ elocatur: hinc damnum Latinis ortum videri potest, quia sors amissa damnum facit. Significat autem δανείζειν mutuò dare, siue cum vsura id fiat, siue gratuitò, sine omni vsura: hinc Christus dixit δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, nihil inde sperantes loquens de gratuita mutuatione.

Hebręi elegãter naturam vsuræ exprimunt morsus nomine.

Hæbræi *neschec* nominant (significat autem hæc vox morsum) eleganter naturam vsuræ exprimentes: affligit enim & pungit soluentem: quod videre est in Strepsiade apud Aristoph. Et hodie id nôrunt, qui eo nexu irretiti tenentur: eleganter autem distinguunt vsurarium & creditorem, ipsámque pecuniam eadem fermè voce: qui enim vsuram exercet *naschic* dicitur, quia morsum infligit, aut vt illi loquũtur facit mordere, alioquin *malue* dictus. Qui autem soluit vsuram *naschic* dicitur, hoc est, morsus: ipsa autem pecunia quæ vsuræ nomine datur *neschec* mordens: ita miser mordetur à pecunia, authore vsurario. Hæc ideò afferuntur, vt videatis vsuram, ipso nomine, infaustam esse.

Duplex vsura.

II. Distinguitur vsura à doctoribus iuris, in duas primarias classes: prior est simplex vsura, quæ sorti non solet adiici, sed vsu solet absumi: vt cùm quinque de 100. soluuntur: illi quinque simplex vsura sunt, si ad sortem exacto anno non computentur.

Posterior

Posterior coniuncta est, quam illi vocant vsuram vsurarum: cùm scilicet vsura non soluitur: sed sorti accedens incipit nouam parturire vsuram. Græci ἀνατοκισμὸν vocant, quasi dicat repetitam vsuram: de quo habes elegantem locum in epistolis ad Atticum ad finem libri quinti. Sed intermissa hac specie, ad priorem redeamus. Vsura vsurarum.

Simplex vsura gemina est, alia terrestris: alia nautica. Terrestris dicitur, quòd pecunia elocaretur in negotiationem terræ in continente, erátque hæc menstrua, hoc est, singulis mensium calendis seu nouiluniis exigebatur. Alia vsuræ diuisio.

Nautica verò, quæ mercatoribus & negotiatoribus marinis concedebatur: idque vel ad enauigationem solum. vnde ἑτερόπλους dicebatur: aut etiam in reditum, hinc ἀμφοτερόπλους nominabatur: exempla qui volet repetat ex Budæo, & Demosthene.

Prior illa terrestris, postea in multas secatur species à Iurisconsultis: quæ omnes ferè sumuntur à magnitudine vsuræ: vt est vsura centesima, quæ centesimo mense sortem æquabat: deinde quòd centesimum nummum pendebat, vt qui centum dabat in singulos menses vnū exigebat. Ita fit vt centesimo mense vsura sortem adæquet: hi in annum pendebant de 100. duodecim: sic annis octo & mensibus sex, centum floreni alios centum, vsuræ nomine contrahunt. Centesima.

Semissalis autem, quæ ex semisse pendebatur: hi annuatim de 100. soluebant sex florenos.

Trientaria ex triente, hoc est, per annum pendebant de 100. florenis 4. vsuræ nomine.

Alij ex Besse, hoc est, de 100. florenis octo pendebant, &c. Hæc fermè hodie doctrina est Iurisconsultorum de vsura, & sanè probabilior.

Has species omnes iudicamus improbas, iure diuino & humano dānatas: vt mox apparebit. Nulla vsuræ species licita.

Vsuram licitam vnam habemus, qua negotiantur homines cum ipsa terra matre: solet enim hæc plerunque maiori cum fœnore reddere quæ accepit: hinc non malè dicitur Germanis *Erduucher*. Hoc genere vsi sunt Abraham, Isaac & Iacob, aliique pij: hodie ad miseros colonos retrusa est, olim regibus & principibus in deliciis.

III. Sed persequamur ordinem à nobis propositum. Monstrandum est nobis iam tertio loco, vsuras in se malas esse: diuino ciuilique iure merito damnatas.

Et quid vsuram hic vocemus iam satis (opinor) notum est, ex commemoratis speciebus: solā enim agricolarum hortensisque rei vsuram, hinc excepimus: reliquos pecuniarios partus, seu potiùs abortus omnes damnamus. Vsura agricolarum & hortēsis rei licita.

Sit igitur vsura, quicquid vltra sortem accipitur. Sors est elocata pecunia vtpote 100. coronati, quicquid hîc exigitur vltra sortem, id qualecunque tandem sit, damnabile esse censemus: adeò vt si haustum etiam frigidæ aquæ ex conuentione solum creditor exigat.

Diuino iure prohibitas esse, hinc constat quòd Moses ore Dei has ipsas grauissimè in populo Iudaico prohibeat, Exod. 22. *Si mutuum dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non eris illi beneschec*, hoc est, *in morsum: non pones super illum neschech* morsum. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.* Iure Diuino prohibentur vsuræ.

Leuit. 25. *si attenuatus fuerit frater tuus, & nutarit manus eius apud te, sustentabis illum: non accipies, ab eo vsuram.*

Deut. 23. *non mordebis fratrem tuum, morsu pecuniæ, neschec cibi, morsu cuiuscunque rei, qua morderi potest*, hoc est, nullo pacto vsuram, nec vlla specie ab eo accipies.

Nehem. 5. lex illa repetitur. *Vsuras non exigatis à fratribus vestris*, Prouerb. 18. *Qui congregat diuitias ex vsuris & fœnore, in malum suum congregat eas* Psal. 15. *Quis habitabit in tabernaculo tuo Domine? qui pecuniam suam nō dedit ad vsuram.* Ex quo efficitur, qui pecuniam suam det ad vsuram, is non habitabit in tabernaculo tuo Domine. vide & Psal. 54. & 71.

Ezech. 18. *Vir si fuerit iustus, & pignus debitori reddiderit, ad vsuram nō commodauerit, & ampliùs non acceperit, vita viuet ait Dominus.*

In nouo Testamento apertissima sunt testimonia, Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes*, quam tamen sententiam non omnes perinde rectè accipiunt: sunt enim qui ne sortem repetēdam imò ne sperandam iudicent: quorum sententiam non probo.

Nam de gratuita beneficentia iam dixerat Christus ἀγαθοποιεῖτε, hoc est, benefacite liberaliter: sed quod mox addit δανείζετε, hoc est, mutuum date, non de eadem specie iam loquitur: sed expressè de mutuo. si sors non sit repetenda aut ne speranda quidem, iam non mutuū est, & nō rectè diceret Christus δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, sed hoc vult hilariter mutuū esse fratri concedendum, sine omni spe lucri. satis esse debet, vt sortem recipias suo tempore & loco, &c. Veniamus ad ciuilia. Doctores iuris canonici & ciuilis adhuc disceptant, an licitæ sint, & qui eas impugnant, firmissimo vtuntur argumēto, quia inferior non potest tollere legem superioris, nec seruus legem Domini sui. L. seruus. C. de pact. Ratio doctorū iuris canonici & ciuilis qua improbant vsuras.

Ideóque leges humanæ non possunt hîc quicquam statuere, nec possunt concedere, quod diuina lex prohibet. Dei autem lex non vult accipi vsuras: ideóque rectè statuerit Ecclesia, ne acciperentur.

Sed nolo istud chaos disceptationum ingredi, satis sit ostendisse canonico iure non esse concessas absolutè. qui plura huius rei desiderat argumenta, consulat practicam Ferrariēsis de vsuris: vbi multa, nec minùs firma licebit videre argumenta. Ferrariēsis. lib. 178.

Cæterùm de iure ciuili hic quæstionem nobis mouebunt LL. doctores: proferunt enim titulum 32. lib. 4. ex codice, vbi vsuræ conceduntur.

Imperatores vsuras permiserūt ad duritiem cordis.

Respondemus breuiter, Imperatorem non iubere vsuras, nec easdem imponere: sed improbitati fœnerator commodum ponere. Maluisset pius princeps Christianos populos simpliciter fidem Petri (vt loquitur) sequi: quòd si fieret, non erat opus illo titulo in totum: quemadmodū Moses inuitus legem de repudio tulit, Christo teste: sed vt illa propter duritiem Iudæorum extorta est & lata, vt meta improbis maritis poneretur, & piæ matronæ spem haberent salutis: ita de vsuris dici potest, Imperatorem victum improbitate vsurariorum & querelis subditorum: in quorum gratiam illas limitationes posuit.

Quod vt meliùs intelligi possit: verba limitationum adducamus. ita loquitur Imperator, Super vsurarum quātitate, etiam generalē sanctionem facere necessarium duximus: veterem duram & grauissimam earum molem ad mediocritatem deducētes: ideóque illustribus iubemus quidem personis, siue eas præcedentibus, minimè licere vltra tertiam partem centesimę, vsurarum nomine, in quocunque contractu vili vel maximo stipulari: illos verò qui ergasteriis præsunt vel aliquam licitam negotiationem gerunt, vsque ad Bessem cētesimæ, vsurarum nomine, in quocunque contractu suam stipulationem moderari. In traiectitiis autem contractibus vel specierum fœnori dationibus vsque ad centesimam tantummodo licere stipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus fuerit concessum. Cæteros autem omnes homines, dimidam tātummodo cētesimæ vsurarum nomine posse stipulari. Quem locum vniuersum si quis legat omnibus etiā inspectis legibus illius tituli, nihil aliud reperiet, quàm Imperatorē necessario remedio obuiam voluisse ire auaritiæ, & insatiabili libidini vsuram exercentium.

Diximus iure diuino & humano illicitas: videamus quomodo etiā natura impugnentur bonis moribus & vtilitati Rerump. aduersantes.

Vsuræ sunt contra naturam.

Contra naturam illas esse expressè docet Cicero, & ante illum Aristoteles.

1. Ciceronis verba sunt in 3. Off. detrahere alteri, & hominē hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, &c.

2. Aristoteles lib. 1. Pol. cap. 7. Vsuraria acquisitio est maximè contra naturam: ratio est quòd res per se sit sterilis pecunia, & minimè apta πρὸς τὸ τοκεῖν, ad pariendum.

3. Pugnat etiam cum æqualitate, Plus recipit quàm dederit, & suum commodum quærit, cum alterius detrimento.

Laus Catonis.

4. Refert Cicero de Catone, illi fœnerari idem fuisse quod hominem occidere.

5. Beatissimæ fuere gentes priusquā has noscerēt artes. Germanos olim ignorasse vsuras ferunt: fœlicissimi tùm fuere, qui soli Romanis sese auderent opponere, hodie in deliciis & ære alieno & gloriam bellicam & Germanicam integritatem amisisse videntur. Indi etiam eo nomine fœlices censentur, quòd ignorent vsuram, teste Ælian. lib. 4. cap. 1. Nec id immeritò. Nam vsura exhaurit familias priuatas, agros & prædia onerat intolerabili exactione: homines ipsiā laboribus auocantur, mutuata pecunia abutuntur compotādo aliisque artibus otij. Hinc noua consilia petuntur, vt vsuris occurrant, fiunt vsurarum vsuræ. hinc tādem odia, obtrectationes, seditiones cōtra magistratum ordinarium: quod Germania in Rusticano tumultu didicit: & nisi omina fallant nos, aliquando res edocebit.

*Indi vsuras ignorant.

Lepidū Agesilai dicteriū.

Has calamitates præuidentes viri boni, olim sæpe eas coërcuere. Agis Athenis dicitur, omnes tabulas vsurarias concremasse, igni in medio foro extructo. Vnde lepidum illud Agesilai dicterium, se nunquam aliud clarius lumen in vita vidisse, quàm hunc ipsum ignem.

Lycurgus Spartæ optimè consulturus, è tota Sparta vsurarios expulit. Cato totam Siciliam ære alieno oppressam liberauit magna cum laude, ex tota insula, eiectis fœneratoribus.

Apud alios vsura in eo fuit odio, vt furem apertum duplo punirent, vsurarium autem quadruplo damnarent. Alij si non in totum tollere possent: tamen sæpe emendarunt. Inde centesimæ sæpe reuocatæ sunt, cùm eas excederent fœneratores, quò locus Imp. priùs citatus.

A Lucullo in Asia, magna cum laude est repetita centesima, vt testatur Plut. in vita illius.

Cicero de se refert ad Atticum ad finem lib. 5. in Sicilia se omnia reperisse exposita fœneratorum fraudibus: quos coërcuit, repetitis centesimis, ac citat S. C. de centesimis ducendis perpetuo fœnore, in creditorum causa.

Alexander Seuerus trientariam constituit, cùm nonnullos fœnoris causa agro paterno exutos intellexisset. Antonius Pius Imp. ipse trientariam exercuit, vt plurimos iuuaret.

Et quid moror in hac cōmemoratione? Res ipsa & vsus quotidianus clamat, quàm sit detestabile malum hoc. Sæpius audiuntur voces illæ à viris cordatis, instrumenta vsuraria aliquādo corrigenda, quemadmodum patrum memoria sunt correcta Pontificum diplomata indulgentiarū. Non careret causa ista fautoribus, modò dexter aliquis prodiret Agis, Lycurgus, aut Cato, sed desino de his frustrà conqueri ad finem licet annectere illis theses olim Vvitebergæ de eadem re publicè excusas.

Theses

Theses.

1. Cùm vsuræ nedum iure positiuo: sed etiam vtroq. tùm veteri tùm nouo Testamēto tanquam in se malæ prohibitæ sint à Deo, quòd nulla potestate etiam suprema dispensari possit, vt licitæ recipiantur: sequitur quòd stipulatio vsurarum est nullius momenti.

2. Sunt autem vsurarij seu fœneratores quicunque ex pecunia mutuo data, vel minimum etiam obolum, vel haustum frigidæ aquæ, ex conuentione vltra sortem recipiunt.

3. Ex quo infertur, quòd recipientes ex conuentione quinque florenos de 100. mutuò datis, & pertinaciter adhærentes opinioni huiusmodi de 100. licitè & sine peccato recipi posse quinque, vltra pœnas quas de iure positiuo incurrunt, peccant, & Deum maximè offendunt: & tanquam raptores, & hæretici sunt censendi: quæ multò magis procedunt in vsurariis nostri temporis, recipientibus de 100. 15. vel plures florenos.

4. Nec tales vsurarios vsus seu consuetudo, quæ ab ipsis ex insatiabili eorum auaritia prætenditur, excusat, cùm non consuetudo, sed propriè & verè corruptela censenda sit, &c.

In disputationibus publicis Vuitebergæ, damnatę fuerunt, vsuræ.

DE SVFFICIENTIA.
LOCVS XCVI.



Quid sit sufficiētia.

AYτάρκεια dicitur sufficientia, hoc est, virtus, qua quis sibi satis est ad omnia aduersa propulsanda, & sui ac suorū conseruationē. Græcis enim ἀρκῶ est opem fero, & sufficio. hinc αὐτάρκεια, αὐτοβοήθεια: & αὐτάρκης ὁ ἑαυτῷ ἐπαρκῶν καὶ βοηθῶν αὐτοβοηθός, qui in se præsidium habet ad sui tuitionem. Videtur in hac significatione Cicero Securitatem dixisse animi & tranquillitatem. posteriores sufficientiam, & satishabentiam non satis Latinè dixerunt. Apud Hebræos vox *dei & dai* sufficientiam significant, & quasi omnium bonorum copiæ cornu: hinc Dei epitheta, *Elschadai* Deus omnipotens vel sufficiens: exponunt per vocem *ascherdai*, hoc est, cui satis sit. Est etiam vox *misþak* quæ sufficientiam significat, quæ Rabinis in vsu magis est. vnde illi dicunt *en masþekun*, non suppeditāt sufficientiam. Græcis idem ferè est ἱκανότης quod αὐτάρκεια.

Sufficiētia quasi satis habētia dici potest.

Definitio vix potest commodè constitui, quia humanas virtutes superat: tamen delineanda est. Arist. inquit αὔταρκες τέλειον ἀγαθὸν perfectum bonum. item μονούμενον, ὃ αἱρετὸν ποιεῖ τὸν βίον μηδενὸς ἐνδεῆ, quod eligibilem efficit vitam, quæ nullius sit indiga. Ex quibus intelligimus αὐτάρκειαν esse perfectum quoddam bonum, vt sit ferè αὐτοτέλεια. Non enim aliunde habet hanc sufficientiam, deinde quod sit firmum & durabile bonum. Denique in vsu & fruitione vitæ positum: Facit enim, inquit, per se solum expetendam vitam, & nullius indigam: cum alio verò etiam minimo bono, efficit magis expetendam: quod enim additur, accessio est bonorum. Definiamus igitur sic:

Sufficientia est perfecta bonorum firmorum fruitio, cùm in vsu vitæ, tum in defensione cōsistens. Fruitionem dicimus, quia in vsu tota consistit. Perfecta autem debet esse, ne quid desit ex rebus necessariis, vt sit sufficiēs vsus, non deficiens. Firma autē, quia μόνιμον hoc est, αὐτάρκεια. Et vt vna hirūdo non facit ver: sic vna boni fruitio non efficit sufficientiā. Cōsistit verò illa fruitio in vsu rerū vitæ, & defensione sui, cōtra vitæ hostilia, vt vita tuta habeat omnia necessaria. Græcè sic definiamus, αὐτάρκεια est αὐτοτέλεια ἀγαθῶν μονίμων λῆψις εἰς χρῆσιν καὶ βοήθειαν τοῦ βίου. est sufficientia bonorum constantium ad vsum & auxilium vitæ.

Definitio.

Ista sufficientia duplex est: vna enim est Dei, altera hominis & Angelorum. Dei propriè & per se dicitur αὐτάρκεια. Is enim solus sibi & aliis sufficit vt non solùm sit αὐτάρκης, sed μονάρκης solus sufficiens, πρωτάρκης, primus sufficiens. Solius conditoris est perfectissimè sibi & suis satis esse, habere & sufficere. Sic scriptura loquitur etiam, 2. Corinth. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est*, & 2. Chorint. 9. *Deus potest efficere, vt in omnibus omnem sufficientiam habentes redundetis in omne opus bonum.* Qualis hæc Dei sufficientia sit, dici non potest. Ex posterioribus autem colligitur. Ad defensionem suæ creaturæ sibi sufficit sua sapientia, sua potentia, suæ opes, sui thesauri, cùm largitur omnibus omnia, non habet tamen ipse minùs. Sunt hæc abscondita illa bona. quæ in cor hominis non descenderunt, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit: soli electi eius hîc capiunt gustum. In vita æterna pleniùs illius amplitudinem & maiestatem contemplaturi.

Sufficiētia duplex.

Humana αὐτάρκεια quæ ab homine possideri & parari potest ad præsidium huius vitæ. De hac disputant multum Philosophi, inter quos Aristot. primo Ethicorum & 10. Et 2. lib. mag. moral. cap. 15. copiosè disserit. Anxiè autem disputat in quo sit collocanda. Repertus est tandē duplex respectus. Nam sufficientia, vel ad rem ipsam refertur, hoc est vt statui hominis nil desit bonorum, quo modo necessaria sunt animi, corporis & fortunæ bona. Oportet enim sapientē vt sibi consulere possit, esse fortem, sanum, vt exequi sua consilia valeat, opes etiam habeat & amicos quorum vtatur opera. hæc quàm latè pateant facile est videre, efficiūtq. magis desiderium & cruciatū sufficiētiæ, quàm possessionē. Ideò alij metas posuere, vt Aristoteles, vt *solùm sibi & amicis sufficiat, non perinde necessum sit illam ad posteros extendere.* quasi dicat, in sua cuiq. vita satis esse, si his abūdat. Clemens Alexandrinus & alij magis limitāt, vt his vt oportet

Sufficiētia respectu rei.

sit contentus. Definit ille sufficientiam ita: Est habitus, his, quæ oportet cõtentus, vt cùm quis per se ea acquirit, quæ ad beatã vitam conferunt. Limitatio non mala est, manet tamẽ dubitatio apud curiosos, quæ sint illa bona quibus oportet contentum esse. Item, quatenus extendi debeant facultates. Et hîc facilè singuli sibi indulgent, vt non ad rem, sed ad desiderium suum extendant. Sed ita hominis animo nunquam satisfiet. Itaque alius respectus est inductus: scilicet, quo non ad res obiectas, sed ad personam ac animum possidentis referatur. Qui modus optimus est. Nam in eo etiam paucis contenti esse possumus, adeò vt in modicis nihil desideretur. Ita Sirach loquitur, σοφὸς ἀνὴρ ἀρκεῖται τοῖς ὀλίγοις. i. sapiens paucis est contentus. Chrysost. εὔπλουσιός ἐστι ἐκεῖνος, ὁ πολλὰ κεκτημένος ἀλλ᾽ ὁ μὴ πολλῶν δεόμενος. i. diues est, nõ qui multa possidet, sed qui multis non indiget. hæc Sanctorum est in hac vita αὐτάρκεια. 1. Tim. 6. *habẽtes victũ & amictum, his contenti simus.* Et Heb. 11. ver. 5, ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν. Eo sensu dicit Apostolus Act. 20 33. *se nil concupiuisse, sed manibus propriis victum sibi subministrasse.* Et Philipp. 4. *didicisse abundare*, hoc est, modica sorte contentum esse, proprium sanctorum est. Hinc 1. Timoth. 6. pietati tribuit quod magnus sit quæstus cum sufficientia coniunctus. Laudarunt Ethnici in hunc sensum parsimoniam, & animum sua sorte contentum. Sic Alpheus ille Mytileneus inquit, αὐτάρκους ἔραμαι βίου, τὸ μηδὲν ἄγαν με τέρπει Vitam seipsa contẽtam amo quod nimis est nimis delectat. Sed ignorarunt illi præceptum hoc Domini esse, & spẽ habere vitæ melioris.

Animus sua sorte contentus.

Altera est αὐτάρκεια, hominis post hanc vitam, de qua dixit Christus *Quærite primum regnum cœlorum & reliqua omnia adiicientur vobis.* beati, ac nimium beati, si hunc sequeremur ordinem: nunc cùm inuertamus ordinem, & terram, ciúsque bona quæramus, inde fit, vt nec illa nec hæc habeamus αὐτάρκεια illa coniuncta est, cum æterna illa felicitate Sanctorum. Nam hæc propriè αὐτάρκης est. Ideò bonum perfectissimum illud est, quod sibi satis est. Ad hanc nobis aspirandum est, vt prior illa nobis semper optanda: vt Dominus animos det sua sorte contentos, ne curis & occupationibus implicemus animos nostros: ne semen illud bonum verbi Dei in nobis suffocetur.

Efficiens illius causa est Deus, qui vt vitam æternam dat suis, sua mera liberalitate, sic sufficientiam hanc idem largitur. Forma eius est perfectus animi & corporis habitus, pristinę integritati restitutus, in quo Deo plenè & perfectè obediamus, vt hinc omnia necessaria bona animo & corpori suppeditet ista αὐτάρκεια. Nullus hîc locus fortunæ bonis: veras opes in Deo habituris. Finis eius est, gloria Domini, conseruatio nostri, status perfectus, & vita perennis.

Cõtrarium illius est, maxima penuria, quâ nulla res satis esse potest hominibus, quales omnes sunt qui in Dei versantur ignorantia. Si enim maximum bonũ est Dei cognitio: sequitur contrà maximum malum esse ignorantiam Dei. illud αὐταρκείας subiectum est, igitur & hoc insufficientiæ est subiectum: hinc fit vt in hac vita curiosis, extra Deum, nulla philosophia, etiam accuratissima, possit satisfacere: quia animus hominis extra Deum peregrinatur, nec habet vbi possit consistere. Maxima igitur penuria est. vide Iustinum 215. 216. ideo in hac etiam vita qui modicis indigent, videntur Deo proximi, quales vt plurimum sunt priuati homines sua contenti sorte. Inde Græci dixerunt, ὁ τῶν ἰδιωτῶν βίος ἄριστος, optima est vita priuatorum, vident enim in hac minimas esse molestias & maxima oblectamenta. Contrà qui plurimis egent aut egere videntur miseri habentur, quia à Dei conditione plurimùm absunt. Inde fluxit illud ὀλίγων δεῖσθαι ἐγγυτάτω θεοῦ, πολλῶν δὲ δεῖσθαι μακροτάτω θεοῦ. Modicis egere, hominis est proximi Deo: plurimis autem egere, illius qui remotissimus est à Deo. Hinc miserum statum sequitur desperatio, infelicitas, demum extrema damnatio, quam Satan, cum suis tandem, vt à Deo remotissimus, experietur in extremo iudicio.

Animus hominis extra Deũ sufficientia caret.

DE LIBERALITATE.

LOCVS XCVII.



MAGNIFICA est virtus liberalitas, & verè liberi hominis propria: hinc à libertate denominata est.

Liberalitas à libertate denominatur.

Apud Græcos ἐλευθεριότης ἐκ τῆς ἐλευθερίας, quo significant inesse liberali ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, quod libeat in re honesta, liceat etiam sine impedimento facere: & quemadmodum liberi hominis est, seipsum regere, ire quò velit, sic liberalis sibi regula est. dat vbi, quando & quantùm vult: vult autem honesta solùm: honesti igitur causa solùm dat liberalitas, & quæ à crimine libera est, & ingenuos solùm decet, hinc liberales artes & studia dicimus liberalia, quia liberis hominibus, hoc est, ingenuis solùm concessa sint, & quia tales suos efficiunt possessores.

Qua ratione artes & scientiæ, dicuntur Liberales.

Germani etiam hanc virtutem à liberalitate *frygabikeitt* appellant, quia in dando liberè agant. Admonent ista liberalem nullo affectu in dando impediri, sed liberè & hilariter sua conferre beneficia.

Liberalitas est, vt ait Aristoteles, μεσότης περὶ χρήματα, hoc est, virtus quæ medium seruat in

vsu pe-

vsu pecuniarum, quæ definitio ex causis desumpta est: μεσότης enim formalem causam indicat, & complectitur reliquas circunstantias omnes, vt quando, quibus, quantum, vbi, quo fine dare oporteat. In his enim omnibus modum seruat. Χρήματα autem continent causam materialem: de quo mox in magnis moralibus definit, quod sit μεσότης ἀσωτίας καὶ ἀνελευθερίας, hoc est, mediocritas inter prodigalitatem & auaritiam, quæ est illiberalitas, definitione hac expressit extrema cum quibus virtus ista pugnat, defectus enim est illiberalem & auarum esse. Excessus autem prodigum sese præbere.

Liberalitas est mediocritas inter prodigalitatem, & auaritiã.

Tribuitur illi & ista definitio, quod sit ἀρετὴ τῆς ψυχῆς εὐδάπανος εἰς τὰ καλά: qua finem expressit τὸ καλὸν & formam εὐδάπανον εἶναι. non enim difficilis est in sumptibus.

Diuisio.

1. Non est vnius generis hæc virtus. alia enim priuata est qua singuli pro suo modulo priuatim aliis benefaciunt, vt interim opes non dilapident, debet enim releuatio fieri ex nostra abundantia, non vt nos ad paupertatem redigamur, vt docet Apost. 1. Cor. 9.

2. Alia est publica, qua magistratus & principes vti debent, sic Alexander in amicos sua confert liberaliter: Hieron in Pindarum, Simonidem, alióſque doctos liberalis est. Hac virtute noster magistratus hactenus laudem promeruit, vt non solùm indigenis pauperibus: sed peregrinis & aduenis largiatur liberaliter.

Sed est etiã alia differentia in rebus ipsis, quas liberales conferunt. Alij enim externa bona conferunt, vt frumentũ in fame, vestes in hyeme, panẽ esurienti, egenti nummos. Alij consilia conferũt & auxiliũ: sic Ioseph Pharaonẽ iuuat consilio liberaliter: Daniel Regẽ Nebuchadnezar. sic hodie pij doctores iuuant Ecclesiã docendo: præceptores fideliter docendo iuuentutẽ. 2. Diuisio.

Ac in vita communi, vtilis est illa ingenua collatio. Singuli enim pro modulo iuuare possunt communem statum. alij docendo, alij regendo, alij consilio, alij ope: quò facit apologus de cæco & claudo, qui in via congressi, suas vtrinque exponunt ærumnas: tandem rebus suis in commune consulunt vt mutuas conferant operas. Claudus, quia oculos integros habet, regit cæcum: cæcus quia validus est corpore & cruribus, in humeros tollat claudum, & ferat. Admonet ille apologus necessariam esse liberalitatem hanc in conferenda mutua opera. Hinc ait Arist. in Polit. rectè Herculem ab Argonautis esse relictum, quòd nollet communes subire in remigando labores.

Apologus de cæco & claudo.

Est & illa distinctio vtilis. Liberalitas alia est philosophica, qualis est consueta vsu quodã in habitũ contracta: sic liberales sunt benefactores, qui de suo conferunt res nõ debitas iure politico, vt Alexander dat amico ciuitatem, aliis equos, aliis vestes, aliis alia. Aut conferunt etiam res iure præceptas: vt Israëlitæ ad mandatum Domini, liberaliter offerunt ad tabernaculi structuram: sic in nouo Testamento Christus aduertit Iudæos liberaliter offerre munera sua ad Gazophylacium: quanquam enim liberales essent, faciebant tamen hoc ex præcepto publico. 3. Diuisio.

Alia est liberalitas extraordinaria, quæ casum habet insolitum, & exemplum rarũ, nec cuiuis imitabile quia in speciem res absona videtur rationi & perabsurda, nisi Spiritum Dei hîc agentem attendas: vt quod vidua omnem substantiam suam offert ad gazophylacium, Luc. 21. Christus enim inquit, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς obtulisse. hoc non probaret Aristoteles. Ita Sarreptana vidua in fame priùs cibat Eliam, cùm ipsa & filius eius his opus habuisset. 1. Reg. 17.

Hæc rara & verè Christiana liberalitas. dare petenti etiam cum sui detrimẽto, teipsum nudare vt vestias alium. Ita insolitum est factum Mariæ & profusionis speciem habet, quòd non solùm effundit vnguentum, sed simul frangit alabastrum, Mar. 14. Hæc & similia, quia rara sunt exempla, extraordinaria voco. Optandum quidem fuerat communiora esse exempla, & nos ad imitandum faciliores, præstari poterat etiam à nobis quod præstitit vidua in duobus λεπτοῖς, & quod Sarreptana erga Heliam: verùm admiramur illa, non autem ita promptè imitamur: quod vnde fiat, in causarum explicatione iam intelligemus. Christiana liberalitas.

Denique huc pertinet species illæ liberalitatis. Primùm pietas quæ parentibus, liberis, coniugibus necessaria suppeditat. 2. Hospitalitas quæ peregrinis & aduenis prospicit. 3. Beneficentia familiaribus & notis adest. 4. Eleemosyna mendicis & egentibus consulit. 5. Munificentia quæ est liberalis in publicis operibus, hanc Aristoteles magnificentiam dixit, quia est occupata in magnis & splendidis beneficiis, & exornanda patria, templis cõdendis, xenodochiis fundandis & similibus, &c. 4. Diuisio.

Porrò causæ liberalitatis iam nobis explicandæ sunt: in quo sequemur ordinem receptum, vt primùm de efficiente dicamus. Philosophi, vt reliquarum virtutum, ita liberalitatis efficientem causam assignant assuefactionem. Nam recta quidem ratio dictat, virtutes esse amplectendas, & assentitur facilè etiam voluntas: tamen vt has statim habeamus & his possimus vti, non potest fieri, nisi assuetudine in his simus diu exercitati: hinc ἐκ τοῦ ἔθους. i. à consuetudine nomen habet ethica virtus: sed vt assuetudo confirmetur, & in habitum abeat, διδασκαλία, ἐμπειρία καὶ χρόνος, i. doctrina, vsus & tẽpus requiritur. Ita fermè Aristotelici de his disserunt. Platonis erat sententia virtutes has nobis inesse φύσει: quod quidem seminaria in natura habeat concedi potest: sed vsu & bona institutione excitari & confirmari, in multis etiam corrigi debet natura. Causæ. Efficiẽs.

Sed sacræ literæ aliter nos erudiunt: monstrant veros fontes, ac Spiritum sanctum largitorem omnis boni proponunt nobis: quòd enim fideles adeò liberales fiũt in prima Ecclesia, vt 1. Spiritus sanctus.

bona omnia communia habeant: nullúsque sit, qui vel dicat, hoc meum est, Act. 4. singulare Spiritus sancti donum erat, non ortum ex natura, aut assuetudine: sic Act. 11. Antiocheni fratres, piis in Iudæa conferunt pro facultatibus suis diuino spiritu edocti. Quare hic magister est verarum virtutum & sine hoc nulla potest esse laudabilis liberalitas.

2. Verbũ Dei. Accedit verbum Dei monstrans facienda, & prohibens contraria. ideóque pij, liberales sunt, quia Deus hoc mandauit. hinc Apostolus Paulus Act. 20. de se testatur, quòd manus suæ, sibi & suis necessaria suppeditarint, exemplo Domini Christi, qui dixerit, *beatius esse dare quàm accipere.*

Mandatum manifestum habemus à Christo, Luc. 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia mũda vobis.* Matt. 5. *Date & dabitur vobis.* Luc. 6. *omni petenti abs te dato.*

3. Ratio rectè iudicans. Hoc mandatum confirmat iudicium rationis, *Quemadmodum tibi vis fieri, alteri feceris.* hinc illud Christi, *Vt vultis homines vobis facere, vobis vicißim facite illis.*

4. Voluntas obtẽperans. Tandem accedit voluntas obtemperans verbo Dei & rectę rationi, quę assensum Spiritus sanctus promouet & dirigit ad certum finem. Act. 18. Priscilla & Aquila vident Apollum disertum in scriptura: mouentur igitur vt in domum eum recipiant, & erudiãt solidius. Et regnant hi motus Spiritus sancti, in multis etiam, quibus verbum Dei nondum est patefactum: vt Publius primas ille in insula Melite, Paulũ cũ suis benignè suscepit hospitio, Act. 28 & Cornelius fecisse eleemosynas multas toti populo dicitur, antequam conuerteretur, Act. 10. Ita Spiritus sanctus conuertendos sibi præparat, vt fiant idonea organa. Alij cõuersi demũ hæc ingrediũtur exercitia. vt Zachæus iam conuersus dimidiam bonorum partem spondet pauperibus.

Helisæus vocatus ad munus propheticũ mactat boues & offert populo. Ac vt videamus regi hos motus à Spiritu sancto, ideò motus insoliti interdũ in his fiunt, quos ratio hominis stupet potiùs & admiratur, quàm imitetur: vt Maria tã auidè in Christũ liberalis est, vt & alabastrũ frangat & vnguentũ totum effundat, Math. 26. paupercula apud Lucã 21, ὅλον τ̀ βίον quicquid ad victum habebat offert, quod sanè nemo facilè imitabitur. Sareptana in ipsa fame cibat priùs Eliam Prophetam, nõ ampliùs memor filij & suiipsius mortis. Tales motus singulariter à Spiritu sancto reguntur, ac verè sunt ἀρεταὶ ὑπὲρ ἡμᾶς naturam nostram excedentes virtutes.

Materialis causa sunt χρήματα, vt ait Aristoteles. Significat autem hac voce, quicquid nummo æstimatur: sic enim interpretatur per νομίσματα.

Dicitur autem νόμισμα, quod non natura, sed lege sit ita constitutum: vt est 5. Eth. 5. vbi ait νόμισμα διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστι, quòd non natura sed lege constet, idem facit 1. Polit. 6.

Pecunia à pecude dicta. Latini pecuniam à pecude dixerũt: quòd primitùs nummus pecude esset insignitus, vel quòd commutationes rerum pecude fierent.

Sacræ literæ expressiùs materiam liberalitatis cõstituunt: omne scilicet illud, quo proximus iuuari potest. si nudus est, vestias: si esurit, ciba: si sitit, pota: si errat, conuerte. Nec enim in magnis solum habet locum, vt quòd Tyrij honorificè sepeliunt innocenter occisos. 2. Machab. 4. sed in paupere domo etiam magnificè administrari potest. vidua in duobus λεπτοῖς liberalissima fuit. Christus etiam haustum frigidæ aquæ gratum habebit. ideóque cogitandum est nobis quemuis eo fore liberaliorem, quo plus ardoris, plus animi & promptitudinis attulerit in exercendis operibus charitatis. Gratam habet Dominus voluntatem Dauidis ædificare cupientis domum Domini, quamuis non sinat Dominus per Dauidem id fieri. sic vbique Dominus in operibus nostris non magnitudinem operis, sed animi synceritatem respicit.

In operibus nostris Deus non magnitudinẽ operis: sed animi sinceritatem respicit.

Formalis causa est μεσότης, mediocritas debet. n. in omnibus modũ seruare, vt det, quantũ debet, quibus oportet, quomodo oportet, & honesti gratia. Ita quidẽ philosophi de forma illius loquuntur: sed habet medium hoc suam etiam latitudinem, pro rerum & personarum proportione. Plura enim debet dare Salomon quàm Nathan: plura Cornelius, quàm Dorcas: plura Publius, quàm Aquilia: quia hi plura habent, & pluribus prodesse possunt. Tamẽ Dorcadis & Aquilæ liberalitas tam placet Domino, quàm Publij & Cornelij, quia pares afferunt animos & ab eodem spiritu regitur illorum liberalitas. Viduæ liberalitas pręfertur diuitum amplissimis donis, quia hæc plus attulit animi quàm isti. Ideóque hic interdum pij videntur modum excedere, cùm spiritu Dei rapiuntur ad insolita facta: vt quod Sareptana Eliæ, dat quibus ipsa cum filio indigebat, 1. Reg. 17. non videtur modũ seruasse. 1. Reg. 19. Elisæus par boũ mactat & distribuit populo, inde relictis omnibus sequitur Eliam: nullus hic modus apparet. 1. Reg. 18. Abdias, Prophetas Dei centum alit, magno periculo in speluncis: Maria alabastrum frangit. vidua totam expendit substantiam.

Extraordinaria liberalitas.

Ideoq; rectè videtur dixisse Aristot. quod virtus sit μεσότης κατὰ τὸν λόγον τὸ τί ἦν εἶναι εἰπόντα· κατὰ δὲ τὸ ἄριστον καὶ τὸ εὖ eadem sit ἀκρότης, i. mediocritas si definitio consideretur, sed si spectetur id quod optimum est, eadem est, extremum eadem. Fatendum interea nobis est insolito modo spiritum Dei, suos regere & impellere ad opera extraordinaria, etiam cum incommodo & iactura bonorum externorum, quam tamen pij non morantur.

Sed dum loquimur de ordinaria liberalitate, debemus circunstantias quoque expendere, vt cum fructu fiat liberalitas nostra. Ac primùm quæri solet, quibus dãdum sit. Respondẽt Philosophi

losophi bonis & dignis. Christus autem dicit *omni petenti*, Luc. 6. ideóque non vult inquiri in bonitatem accipientis: sed respicere nos debere in necessitatem & inopiam. Iusti ac boni digni sunt qui accipiant: mali autem & ingrati opus habẽt vt accipiant. Qua in re etiam Seneca iussit post Christum, Deum nos imitari, qui sinit *solem suum oriri super bonos & malos*. Christus, Luc. 14 pauperes vocandos esse dicit ad cœnam, significans inopiæ habendam rationem, non dignitatis.

Quibus dandum est.

1. Interea non tollit ordinariam charitatis regulam: vt primùm his prospiciamus quos natura nobis coniunxit, vt sunt parentes, vxor, liberi, qui sanè primitùs curandi sunt secundum Apostolum. 1. Timothæi 5 nam qui hos non curat, fidem abnegasse ait, & infideli esse deteriorem.

In exercenda liberalitate inopię habenda est ratio, nõ dignitatis.

2. Et Christus in cruce matris habuit in primis curam: hinc indigenis, pauperibus quoque exposita esse debet tam ingratis quàm gratis: his vt boni permaneant, aliis deteriores fiant.

Tertiò, extenditur ad peregrinos, hospites, ignotos. In summa, quisquis opus nostra habeat opera, proximus censendus est, & hoc nomine beneficio dignus habendus.

Secundò, quantum dandum sit. Non hîc desunt authores, qui suaderent omnia esse profundenda: sed vt illi colligerent, & de alienis bonis ditescerent, vel in otio securè lasciuirent.

Et quanquam primitiua Ecclesia bona communia habuerit: tamen speciale hoc fuit illi tempori accommodatum: quod tamen mox in aliis Ecclesiis extra Iudæam seruatum non fuit, non enim idem requirit à Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Romanis, &c. sed de suo liberales esse præcepit. Quare pro facultatum modulo dandum est: nec est necessum dilapidari rem familiarem. Cicero inquit, flagitium esse, sinere rem familiarem dilapidari: sed & Salomõ prouer. 5. fontes deriuari iubet foras: attamen tu dominus illius esto: ideóque curãdum vt diu possis facere, quod & libenter & honestè facis, quod approbat Apostolus 2. Cor. 8. vbi Corinthiis liberalitatis formulã prescribit κατ' ἰσότητα, secundũ æqualitatẽ, nõ vt sit aliis ἄνεσις, relaxatio ipsis autẽ Corinthiis θλῖψις oppressio: esset enim summa inæqualitas si alios subleuarent, vt ipsi ad inopiã redigerentur: & repugnat regulæ Charitatis, non enim debeo hoc postulare à proximo: ideóque Corinthiorum περίσσευμα solùm facere debet ad fratrum ὑστέρημα: quemadmodum illorum περίσσευμα facere debet ad Corinthiorum ὑστέρημα. Itaque ἰσότητα quærit & vrget quæ μέσον habet, & 2. Corint. 9. κατὰ προαίρεσιν τῆς καρδίας, cum dolore & necessitate, hoc est, quod singuli spõte volunt, ne sit extortum beneficium μετὰ λύπης aut ἀνάγκης quibus modus non poterat meliùs describi.

Pro modulo facultatũ dandum.

Scribit Hieronymus ad Eustochium de Paula matre, quòd hoc vnicum in votis habuerit, vt nihil filiæ relinqueret: atque id impetrasse, vsurã soluisse & versuram aliquoties fecisse, vt nulli stipem rogantium negaret, quæ sanè nõ seruauit præceptum Pauli, vt sit ἰσότης: debemus enim de nostris dare, non de alienis: & domesticis quoque non debemus obesse, fraude carere debet nostra liberalitas, non debuerat igitur pia mater filiam ære alieno eóque graui onustam relinquere: peccauit igitur hac in parte Paula.

Sed cauenda est hîc etiam cauillatio, quo sese, vt nõ dẽt multi tergiuersando excusant: quale de Antigono refert Seneca, à quo cùm Cynicus peteret talentum, respondit plus esse, quàm deceret Cynicum: mox idem petiit denarium respondit minùs esse, quàm deceret Regẽ. Ita neutrum dedit, cum potuisset denarium vt Cynico, talentũ verò vt Rex dare. Sed illud eludere potius est, quàm occasionibus benefaciendi rectè vti.

Antigoni cauillatio nolentis in cynicum liberalitatẽ exercere.

Tertiò, quomodo dandum sit hilariter & própte: est enim liberalis φιλάνθρωπος καὶ ἐλεητικός, humanus & misericors. ideóque afficitur proximi miseriis, vt própte succurrat: & Apostolus 2. Cor. 9. citat ex Ecclesiaste cap. 35 hilarem datorem diligit Dominus: & ibidem non vult coactũ esse, aut cum tristitia coniunctam liberalitatem. qui enim ita conferunt, ἀκριβολογίᾳ vtuntur non laudabili, quasi velint æqualia pro æqualibus commutare, solum non gratificari, quod in liberalitate procul abesse debet. Seneca solebat dicere panem lapideum ab inuito extortũ, quẽ accipere quidem egenti esset necessarium, sed tamen molestum. Christus rectè modum definit, Nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua, Matt. 6.

Quartò, quando sit dandum. Cùm postulat id proximi necessitas: sic Macedones & Corinthij collectam faciunt, cùm Ecclesia in Iudæa laboraret. Idem faciunt Antiocheni. Faciet autem talia liberalis etiam antequam rogetur, aut leuiter admonitus ne extortum videatur beneficiũ. Tempore famis, persecutionis, pestis, sese in primis declarat liberalis.

Quando sit dandũ.

Quintò, quo fine sit dandum: honesti gratia dicunt Philosophi, sed scriptura docet dandum vt placeamus Deo, ne spectemur ab hominibus: & quãquam sit φιλόκαλος honesti studiosus tamen ambitionem vitat & pompam externam, quam aucupantur hypocritæ: sed ad causas finales ista pertinent. Diximus hactenus de formali causa, ad quam spectat in primis ipsa μεσότης. Excessus est ἀσωτία, luxuries, quæ nihil seruat ex bonis, hominem etiam perdit in quo regnat: imò quòd seruari non possit, non immerito sic est dicta.

Quo fine sit dandũ.

Peccat in dando, plus dat quàm oportet, minùs accipit quàm oporteat. Est tamen asotus etiam, qui accipiendo etiam peccat. accipit vnde & quantum non oportebat: vt tyranni rapiũt à pauperibus subditis vt liberales esse possint in lenones, venatores, adulatores, & similes vo-

luptatũ artifices. Defectus est auaritia ἀνελευθερία illiberalitas, plus accipit & minùs dat, quàm oportet, de qua etiam suo dicemus loco.

Finalis causa: quòd pios attinet, pręcipuus ipsorum finis est placere Domino, quem cùm sciāt opera dilectionis requirere, eidem se in primis approbare in his exercitiis volunt: cùm alij ista faciant vt spectentur ab hominibus.

Alter finis est, vt prosint proximo egenti, cuius commodum hîc planè respiciunt, sui nihil hîc quærentes. Porrò quòd Deum attinet, liberali & ampla mercede illam compensat: ideóque longè suauissimus finis est, in his exercitiis: norunt se non incassum laborare, non frustra currere, sed penetrant tandem ad conspectum Domini, sic in Actis 10. Cornelio dicit Angelus, *Preces & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad Dominum.* Et Christus inquit, *date & dabitur vobis.* & Luc. 6. *eritis filij altißimi.* & Matt. 5. hortatur ad liberalitatē eodem argumēto à fine, sitis filij Patris vestri, *qui Solem suum oriri facit, super bonos & malos.* Luc. 12. Thesaurus promittitur, non deficiens, quò fur non accedit, & tinea non corrupit. & Luc. 18. *Habebis thesaurum in cœlo.* Luc. 11. *date eleemosynam & ecce omnia munda vobis.* Mat. 26. Mariæ liberalitas debet prædicari cum Euangelio in toto mūdo. Itaque fama & nominis celebritas etiam in hac terra pios comitatur, & post hanc, vita æterna. Amen.

DE PRODIGALITATE.

LOCVS XCVIII.



APud Lucam filius ille perditus, bona sua dissipauit ζῶν ἀσώτως, quæ vt faciliùs intelligamus ad hanc horam cōseruaui, vt de asotia, hoc est, luxuria, pauca in medium proferamus: fiet autem breuiter & perspicuè, vt opinor, si originem nominis mōstremus, 2. quid sit. 3. species eius si quas habet. 4. propriam affectionē. 5. consequentia incommoda, quomodo item curari possit hoc malum.

I. Ἀσωτία luxuria est seu prodigalitas. Ortum nomen est, vt quibusdam placet ab Asotis populis, qui comessationibus & luxu perditi fuisse dicuntur: quod de Lucanis quoque scribitur, apud quos luxuriæ actiones erant: vt qui luxurioso dedisset mutuò pecuniam non posset eam repetere.

Hoc loco luxuria pro prodigalitate sumitur.

2. Sed vox ipsa, rectè sumitur à σώζειν, quòd sibi nihil seruent Ἀστερητικὸν est: proprium sanè illis est, sibi nihil reliquum facere ad vitæ conseruationem.

3. Admonet autem Eustath. Iliad. γ. dici ἄσωτον quasi ἄσωστον, quemadmodum γνωτὰ & ἄγνωτα dicimus pro γνωστὰ & ἄγνωστα, vt deductū sit à præterito pass. σέσωσμαι, hinc ἄσωτος ὁ μὴ δυνάμενος σώζεσθαι, quem salus ipsa seruare non possit.

II. Asotia est ὑπερβολὴ περὶ τὰ χρήματα, docente Arist. 4. eth. cap. 1. quod alij expressiùs dicunt ὑπερβολὴ τοῦ δέοντος ἐν δαπάνῃ χρημάτων. Vitium enim hoc in excessu versatur, & liberalitas medium obtinet. Materia illius est pecunia, hoc est, χρήματα. Ac dum substantiam suam dilapidat, seipsum perdit. Nam τῆς οὐσίας φθορὰ, possessoris quoque est ἀπώλεια, cum vita ex illis sit, vt sine qua viuere non possit commodè: quo sanè efficitur ἄσωτον dici non tam quòd sibi nihil reliquum faciat: quàm quòd seipsum perdat.

Prodigalitas in excessu versatur sicut auaritia in defectu.

Species.

III. Huius mali species multæ sunt, vt malum semper est πολυκέφαλον, qualem depinxit amorem etiā Plato, sed ita distinguamus. Asotia propriè οἰκείως dicitur: aut impropriè οὐκ οἰκείως sed κοινῶς: communiter.

Asotus est qui opes suas dissipat.

Propriè dicta asotia φθείρει τὴν οὐσίαν, hoc est, opes suas dissipat: & quatenus in dissipandis pecuniis consistit, vnicum quoddam malum est. & ipse asotus ἕν τι κακὸν ἔχει δι᾽ αὑτὸν ἀπολλύμενος. perditio enim sua ex seipso est, sed quia idem asotus vt plurimum est ἀπαιδαγώγητος, hoc est, suo ductu & libidine viuit. hinc fit vt alia mala simul regnent. Communiter igitur dicimus asotum etiam intemperantem, helluonem, scortatorem, superbum in vestitu, profusum in ædificia non necessaria, in suppellectilem & similia, hinc rectè inquit Aristoteles, Τὴν ἀσωτίαν ἐπιφέρομεν ἐνίοτε συμπλέκοντες τοὺς ἀκολάστους. Τοὺς γὰρ ἀκρατεῖς, καὶ εἰς ἀκολασίαν δαπανηροὺς ἀσώτους καλοῦμεν. Luxuriā aliquando dicimus esse intemperantiā. Complectitur enim intemperantes. Vocamus enim intemperantes incontinentes & eos qui sumptus faciunt ad luxum. sic vicina vitia sunt ἀσωτία, ἀκολασία, ἀπειροκαλία, χαυνότης, Luxuria, prodigalitas, rusticitas, insolentia, &c. quæ tamen in diuersis virtutibus sunt ὑπερβολαί.

IIII. Proprietas huius vitij est multiplex. Nam cùm in sumptibus faciendis peccet, multis modis errare potest.

Primùm illi proprium est in ipso fine errare: asotus enim non honestatis causa dat, non dat καλοῦ ἕνεκα, quod dicunt οὐ ἕνεκα: hinc vt boni viri non admittuntur, cùm honestatis nulla sit ratio.

Deinde aliis circūstantiis peccat. dat τοῖς τυχοῦσι, quibuslibet & illis quibus oportuit non dat,

ἐφ' ὧ μὴ δεῖ δαπανώμενος, sumptus facit propter quod non decet vt in ludiones, scorta, assentatores, combibones sua profundit. Crates scitè dicebat, prodigi opes similes esse ficubus in præcipitio natis, quibus non homines, sed corui fruerentur: sic illorum opibus scorta, parasiti & adulatores. Lepidū Cratetis dictū in prodigos.

3. In tempore etiam peccat, dat ὅτε μὴ δεῖ quando non oportet. Post cœnam nouas instituit epulas *schlaffdrunck*, quas in mediam producunt noctem: his sumptibus parcere poterat, sub concionibus ille versatur in popina, in publico luctu etiam ἀσώτιον ingreditur.

4. Item plura quàm oportet insumit, ὅσα μὴ δεῖ. putat enim se semper abundaturum. Zeno comparabat eos coquis, qui epulis nimiùm salis aspergebant: quibus eo minus esset danda venia, quia condimentum conuerterent in venenum. non enim excusatur coquus ob id quia sale abundat, vt ob id obsoniis nimium aspergat salis: sic quidem in dando cognoscuntur. In quibus omnibus versatur ἡδέως καὶ ἀλύπως, eóque minùs sunt sanabiles. In accipiendo quoque cognosci possunt: nam vnde oportuit non accipiunt, remittunt bibonibus sua debita, non repetunt quæ dederet: sed cùm dare etiam velint, aliunde accipiant interdum necessum est. hinc λῃστικοὶ etiam fiunt, sed rapiunt, aut aliis artibus, quas docet luxuria, vtũtur. Sic Ctesippus asotus, postquã omnia abliguriisset, lapides de sepulchro paterno vendidit, quod sepulchrum publicis sumptibus erat Athenis constructum. Athen. lib. 4 cap. 20 Hodie prædones, fures, latrones hinc effici videmus. rapiunt enim vndiquáque, vt asoti manere possint. Exēplū nefandæ prodigalitatis.

V. Malos fructus parit ista arbor. Primùm multis sceleribus materiam præbet, vt scortationi, ebrietati, blasphemiis, superbiæ, aleæ, periurio, cædib. aliisq. cōpluribus: sed sibiipsi quoque vehemēter nocent. Primùm paupertatis est mater, dum enim sua dissipant, necessum est eos tandem egere, διασκορπίζοντες ἅπαντα δεῖ ὑστερεῖσθαι, postquam omnia dilapidarunt, eos carere necesse est. De Diogene scribunt, ciuiliter id prodigo subindicante: nam aliquando petiit à prodigo quodam κατα βεβρωκότι τὰ πατρῷα, qui patrimonium absumpserat decem drachmas, qui interrogabat, cur ab aliis obolum solum peteret: à se verò tot drachmas? respondit, quia ab aliis spero me sæpius accepturum, à te verò deinceps nunquam. Significans mox affore extremam paupertatem, vt nec sibi, nec aliis prodesse posset. Et Plato aliquando vidit iuuenem ad Pandochij fores panem esitantem & aquam bibentem, cui dixit, Si ita prandisses, non certè ita tibi esset cœnandum. De Diodoro quodam refert Athen. qui in biennio σφαῖραν ἐποίησεν τὴν πατρῴαν οὐσίαν patrimonium in globum strinxerat *id est* decoxerat. Idem præstitit Epicarides quidam diebus quinque. Et hodie multa paupertatis istius extant exempla. Fructus prodigalitatis. Diogenes. Prodigalitatis lepidus cēsor Plato.

Deinde ex paupertate alia nascuntur consilia, rarò enim integri manent asoti: sed animum vel ad furta, vel rapinam, vel latrocinia, vel iniqua bella applicant. In summa artes quærunt emergendi: aut saltem vt statum hunc tueri aliquo titulo possint. Malę artes.

3. Ex paupertate aliquãdo nascitur desperatio, quod de Pericle, Callia, & Nicia refert Ælianus, qui ex summis opibus ad paupertatem extremam redacti, tandem communi consilio desperandi sibi mutuò cicutam propinarunt, luxu omnibus concoctis: sic ex conuiuio simul ad inferos demigrarunt. Æl. 4. cap. 23. v. Desperatio.

4. Sed & corporis damna plurima contrahunt, lippiētes oculos, debilem stomachū, pallorem, tremulas manus, laceras vestes, immaturam mortem. Inde dici solet vulgò, plures à vino quàm gladio perire: & Socrates dicere solebat, ὁ τῶν ἀσώτων βίος ὥσπερ καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκων ἐκφέρεται, i. vita dissolutorum perinde ac si singulis diebus moribunda esset, effertur.

Et exēpla refert illius rei Ælianus de Tacho Ægypto, qui in patria sanissimus vixit: sed postquàm Persico luxui sese dedisset, immatura morte statim periit. Idem contingit Stratoni Sidonio, & Nicocli Cyprio, de quibus Æl. 7. cap. 2. v.

Ideóque hodie nostri dicunt, *es mussen starch bein sin, die gutt leben tragen mægen.*

Et filius ille noster Asotus hos fructus perspicuè docet. primùm rapit vnde & quando non oportebat: nam patre viuo repetit, τὸ ἐπιβαλλόμενον μέρος τῆς οὐσίας, i. partem quæ ipsi obueniebat ex patrimonio, quod sanè iniustitiæ erat portio. Deinde trãsfert aliò, in regionē lōginquã, quod erat temeritas: voluit enim sine metu paterno securè luxuriosè viuere. Tertiò tanti consilij specimen habes, διασκορπίζει ἅπαντα: deest enim ratio administrandi: & cumulus ægrè colligitur, facilè autem dissipatur. Quartò, ὑστερεῖται. nihil enim reliquum erat quàm ὑστερεῖσθαι. Quintò inops consilij aliis adhæret: talis enim iuuentus esse solet, vt rebus afflictis alieno habeat opus consilio. Sextò ad sordida detruditur, & labores turpes subit, Pascit sues, qui domi inter suos splendidè, & in ocio viuere poterat. Septimò esurie premitur, vt ne quisquiliis saturare ventrem possit. habes coquum idoneum, famem. Octauò sortis quædam est tamē agnitio, mercenariis enim paternis sese infeliciorem, vt reuera erat, agnoscit. Nonò & illud laudabile est, quod filij ius se per luxum amisisse agnoscit: indignum filij titulo facit luxuria.

VI. Malum istud emendabile esse docet idem hoc exemplum, & ipsa res. Etsi enim sit ὁ ἄσωτος ἀπαιδαγώγητος, viuat suo modo, tamen si non sit malitiosa natura iuuenilis, emendatur: vt iuuenis ille prodigus ad patrem redit emendatior: hanc rem adiuuit ætas ipsa & paupertas. Nam cùm nihil habet, desinit luxuriari. & errat apud peregrinos, qui nisi det, nihil illi credunt: & ætas maturior indicat facienda, efferbuit iuuenilis illa petulantia. Quare Aristoteles tradit,

& quidem rectè asotum ἐυίατον prodigum esse medicabilem, nominatim autē his duobus modis διὰ τὴν ἡλικίαν, ætate tandem maturiore, & διὰ ἀπορίαν. Paupertas tandem iubet esse parcos. Et ratio id dictat, sunt viciniores liberalitati, hoc est virtuti & medio quàm parcus: dant libentius quàm accipiant, quod illis cum liberali est commune: deinde prosunt multis, quod & ipsum liberale est, tantùm in circumstantiis impingunt, & ardore iuuenili, quo sibi multa & tribuunt, & pollicentur, rerum vsu nondum edocti, &c.

Paupertas iubet esse parcos.

DE COMMVNIONE BONORVM.

LOCVS XCIX.



KOINΩNIA varia significat: de quibus omnibus nō hic agemus: sed de ea significatione, qua facultatum & bonorum denotat cōmunionem, quam olim & hodie nonnulli vehementer sunt conati defendere.

I. Initio igitur dicamus de eius origine. Res non noua est, sed iam olim agitata à philosophis. Ac testatur Gellius Pytagoreos sic victitasse: quos enim recepisset in disciplinam, eos in primis oportuit, si quæ haberent bona, in communem vsum conferre. Hinc prouerbium illud à Pythagora ortum esse multis videtur: Amicorum omnia communia, scilicet quæ salua honestate communia esse possunt: non enim latiùs quàm ad facultatum communionem spectabat illa disciplina.

Plato dogma cōmunionis retinuit.

Pythagoram subsecutus Plato, dogma hoc retinuit. Vtile enim professioni videbatur, & amicitiæ admodum affine: sed rem latiùs deduxit: non solùm bona amicorum communia esse voluit: sed ipsos amicorum amicos, vt bona & amici amicorum communes essent: sed & τὰ πάντα, quæ intelligeret, explicuit. Non tantùm bona externa, qualia sunt, aurum, argentum, supellex, prædium, hortus, domus, &c. sed vxor, liberi, seruus, ancilla, & similia.

Hanc communionem conatus est inducere in sua illa, alioquin non pessimè instituta Republ. si quis inquirat loca apud Platonem, inspiciat quintum librum de legibus, vbi inter alia sic scribit, κοινὰς μὲν γυναῖκας, κοινοὺς δὲ εἶναι παῖδας, κοινὰ δὲ χρήματα ξύμπαντα καὶ πάσῃ μηχανῇ τὸ λεγόμενον ἴδιον πανταχόθεν ἐκ τοῦ βίου ἅπαν ἐξῄρηται. i. communes vxores, cōmunes liberos, communes facultates omnes: & omni ratione quod appellatur priuatum tollitur. Et De legibus 9, Πολιτικῇ καὶ ἀληθεῖ τέχνῃ, οὐ τὸ ἴδιον, ἀλλὰ τὸ κοινὸν ἀνάγκη μέλειν, τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις. καὶ ὅτι ξυμφέρει τῷ κοινῷ καὶ ἰδίῳ τοῖν ἀμφοῖν, ἢν τὸ κοινὸν τίθηται καλῶς, μᾶλλον ἢ τὸ ἴδιον. Arte ciuili & vera curare necesse est non rem priuatā, sed communē: nā quod cōmune est, colligat ciuitates: priuatum easdē dissoluit. In principio Timæi idē reperit, πάντα κοινὰ κατὰ τὸ πόλεμον, καὶ κατὰ τὴν ἄλλην δίαιταν δοτέον πάσαις. In politicis idem tractat argumentū, præsertim quinto libro vbi illa reperiuntur verba: ἔχομεν ἔντι μεῖζον κακὸν πόλει ἢ ἐκεῖνον, ὃ ἂν αὐτὴν διασπᾷ, καὶ ποιεῖ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς: ἢ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ ὃ ἂν ξυνδῇ τε, καὶ ποιεῖ μίαν. Hæc & similia sentētiam eius satis illustrant: quod scilicet rerum proprietatem tanquam pestem explodat: deinde communionem ad liberos, vxores, &c. extendat.

Verùm hæc Respub. nullibi potuit locum habere, & hæc ipsa sine dubio ratio est, cur Dominus eam noluerit admitti etiam à Dionysio in Sicilia, à quo ter fuit ad Reip. emendationem vocatus. Viderunt cordati viri rem spectare ad absurdam confusionem matrimonij, liberorum, hæreditatum, &c. quæ hactenus Siculi more Italico distincta retinuerant. Sed & ipse Plato animaduertit ineptam esse qualemcunque communionem vxorum. Ideò, vt consuleret Reipu. cōmodis disertè scripsit, τοὺς ἀρίστους ταῖς ἀρίσταις συγγίνεσθαι ὡς πλειστάκις: τοὺς δὲ φαυλοτάτους ταῖς φαυλοτάταις. sed ita non manebunt communes. Itaq; & natura ipsa dictat, & commune bonum hortatur, ne promiscuè communes sint. Modestiùs sensēre de hac re Pythagorei & Peripatetici. Sed nostræ religionis audiamus homines.

Monachi Pythagoreorū imitatores.

Pythagoreos videntur imitari monachi nostri, qui dum recipiūt nouos clientes & sectatores ordinis sui, hoc in primis requirunt vt bona secum, si quę habent, vel patrimonio vel laboribus comparata, ad collegium deferant: de quo consule singulos monachorum ordines. Olim quidem laborabant monachi in communi, vt constat ex Hieronymo, vt Augustinus idem testatur: sed postea otio assueti cœperunt opus augere, vt de communi viuerent in otio, nec latiùs extenditur apud eos communio. Sed hoc vitij habet, quod inter otiosos & vt plurimùm otij gratia seruatur: alit illa communio ventres pigros & telluris inutila pondera: habuerunt olim cœnobia, scholas & honesta exercitia, quæ hodie exulant apud eos.

Post monachos exorti sunt Anabaptistæ, qui quæsiuerunt communionem rerum: sed omnibus superioribus eo deteriores: quòd cùm Euangelij nomine sese tegerent Platone fœdiores & Epicuro petulantiores reperti sunt: nam & vxores prostituerunt, alias aliis superinduxerunt, commutarunt, repudiarūt, è medio sustulerunt ferro, & aliis modis, vt libido illis dictabat. Huius rei testimonium est historia Monasteriensis. Et verū quidem est, multos quādam simplici-

ſimplicitate his coniunctos fuiſſe:attamen is ordo hæc monſtra peperit.

His coniungo ab origine omnes hæreticos, qui poſt Christum natum κοινωνίαν vxorum & promiſcuam conſuetudinem docuerunt:qualis Simō Magus:de quo ſcribit Epiphanius,quod in gratiam Helenæ ſcorti ſui admiſerit communionē vxorum. Saturniliani quoque hoc nomine dixerūt nuptias ex Satana eſſe.Nicolaitæ eo vitio laborarunt.Gnoſtici hinc Borboriani dicti ſunt, quòd ne ab eſu quidem menſtrui abſtinerent. Vxores etiam communes habuere Secundiani dicti, & Valentiniani,aliíque multi. His igitur coniungo eos Catabaptiſtas, qui communionem ad vxores quoque extendunt.A qua fœditate noſtri hodie Anabaptiſtæ in his regionibus vehementer abhorrent:ideóque hæc noſtra nihil ad eos ſpectant.

Dixi de his qui cōmunione abutūtur, & hactenus abuſi ſunt. Supereſt verus vſus κοινωνίας. Huius ideam habes 2.& 4.cap. Act. de Apoſtolis & primitiua Eccleſia, quam poſtea ſeruarūt aliquando Christiani ſub impiis principibus, vt videre eſt apud Iuſtinum in 2. Apolog. pro Chriſtianis, ἃ ἔχομεν εἰς κοινὸν φέροντες, καὶ παντὶ δεομένῳ κοινωνοῦντες quę habemus in cōmune proferimus:& cuiuis egenti communicamus.& apud Tertul.cap.39.in Apolog.quę quantùm differunt à ſuperioribus,iam dicemus.

II. Vera rerum communio diligēter diſtingui debet ab impiorum & prophanorum hominum ſodalitiis. Primùm igitur Eccleſiæ primitiuæ communio differt ab alia aliorum communi viuendi conſuetudine:quod illa inſtituta & dictata eſt à Spiritu ſancto. Nec enim priùs habuerunt bona communia,quàm daretur Spiritus ſanctus:vixit quidem D. Chriſtus & Apoſtoli de collata illis pecunia:tamen Chriſtus non iuſſit omnia publicare ſuos ſectatores. Hinc Martha & Maria cum fratre Lazaro domum & bona non vendunt, nec publicant, quamuis Chriſtum hoſpitio ſuſcipiant,& Chriſtus aſino & pullo vſus eſt tanquam re aliena. Poſt datum Spiritum ſanctum & Chriſto iam corpore ab illis ſeiuncto, illa facultatum inſtituta eſt communio.Hoc teſtimonium Spiritus ſancti,nec Pythagoras,nec monachi,minùs Plato aut Anabaptiſtæ habent. *Vera rerum cōmunio.*

Deinde hac inſtituta facultatum communione,non legimus tamen,quenquam compulſum ad publicationem bonorum: ſed quantum quiſque volebat (volebant autem tum multum, pro efficacia Spiritus ſancti) tantum conferebant:vt laudatur quidam Ioſes, quod agrū vendiderit,& precium ad pedes Apoſtolorum attulerit:ſed Ananiæ Petrus concedit: *nónne ſi retinuiſſes tuum erat:& venditum quoque in tua erat poteſtate illud retinere?* ſignificans Ananiam non fuiſſe ab Apoſtolis,nec à reliquis fratribus compulſum,nec hoc vnquam facturos:ſed hoc impium eſſe,quòd diceret omnia ſe afferre,cùm partē retineret. Ab hac regula plurimùm hodie receſſere Catabaptiſtæ,qui opulentos poſſeſſores & fundis & ædibus eiecēre,reluctātes armis & vi oppreſsēre.Hinc factum eſt, vt aliæ Eccleſiæ mox enatæ & conſtitutæ apud gentes hunc morem non ſint ſecutæ,vt Epheſina,Corinthiaca,Philippenſis,Galatarum,&c. in quibus nulla eſt ſeruata facultatum communio,ſed ſola beneficentia liberalis,& collectiones pro pauperibus ſpontaneæ non moroſè exactæ.Hilarem enim datorem diligit Dominus: nec valet hîc quicquam illa ſeueritas legum,ſpiritu ducamur oportet,qui ſuadet dilectionem fraternam nomine Chriſti. *Nemo compellebatur ad bonorū communionem.*

Tertiò,honeſtiſſima eorum fuit conuerſatio:non ſolùm communis fuit victus: ſed communes preces, communis inuocatio,communis doctrina,aliáque pietatis honeſtiſſima exercitia. Cum quibus nihil hodie commune habent alia ſodalitia,qui hanc vrgent, monachorum otiū & impia exercitia nota ſunt. Anabaptiſtarum,qui in hoc dogmate perdurant, prophana libido,ἀταξία aliáque vitia nota redduntur. *Communio monachorū eſt impia*

Quartò,fructu quoque & euentu approbata eſt: alios enim honeſtiſſima conuerſatione in ſui admirationem rapuerunt,adeò vt dixerit Lucas Act. 4. Magna gratia erat ſuper omnes: quod diximus de fauore publico intelligi quoque poſſe: & certè nulla re magis admirabiles erant Chriſtiani primi, quàm honeſtiſſimo vitæ exemplo:multos mouet exemplum, qui doctrinam non planè intelligunt: & teſtatur Iuſtinus exemplo fidelium ſe permotum,vt deſerta Platonica philoſophia,mallet Chriſtianus eſſe,quàm philoſophus,&c.

III. Videamus ergo iam tertio loco, an non honeſtiſſimum hoc exemplū imitari debeamus,pręſertim cùm tāto cū fructu illā exercuerint?Et Chriſtus ipſe dicat Luc.14. *Niſi quis omnibus renuntiarit,non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Adde quod proximus ſit diligēdus, vt nos ipſi diligimur à nobis: & perfectionis quædam ſpecies hæc ſit,& Chriſtus cum Apoſtolis ita vixerit de communibus bonis.His igitur reſpondeamus eodem quo propoſita ſunt ordine.

I. Quòd primitiuæ Eccleſiæ exemplum attinet, non rectè ad imitationem à noſtris tractum eſt, cùm euentus docuerit non eodem ſpiritu ductos eſſe.Sub prætextu communionis, rapinæ,furta,cædes aliáque fœda commiſſa ſunt ſcelera:quare hactenus abuſi ſunt illo exemplo. Deinde quòd rem ipſam attinet,laudatiſſimum eſt factum primæ Eccleſiæ: attamen non pręſcripſit aliis Eccleſiis vllam neceſſitatem. Inſtituerūt D.Apoſtoli in primis Apoſtolus Paulus mox alias innumeras Eccleſias:nullam tamen ad hanc formulam, vt bona eſſent communia,vt in Corinthiaca Eccleſia, Epheſina, Philippenſi, &c. ſic de priuatis familiis & perſonis, non mox omnia conferunt in commune,vt Cornelius Act.10.Itaque res non eſt neceſſaria vt

bona omnia sint communia: cùm à fidelibus non sit obseruata: illæsa etiam pietate.

Commu nio rerū à multis ecclesiis etiam Apostolorum ætate, nō fuit obseruata.

Sed illud est in eo exemplo necessarium, quod salua pietate omitti non potest. Cura nimirum pauperum, quos cum possimus de nostris iuuare, salua possessione, ex vsu communi, frustrà disputamus de possessionibus publicandis, cùm infinitis aliis mediis eos iuuare possimus. Quibus verò de causis adducta Hierosolymitana Ecclesia, bona publicarit, diximus in illius loci explicatione, capite 2. & 4.

2. Post tempora Apostolorum, durasse hoc idem, aiunt. Respondeo successores Apostolorum seruasse exemplum Apostolorum ea prudentia, qua viderant ipsos Apostolos egisse. Vbi metuendę erãt persecutiones, irruptiones hostiles, transportationes fidelium: vtique magis expediebat diuendi bona: quod à multis sanctorum factum esse non diffido: sed extra hos casus, vtrum oporteat bona omnia communia esse, quæritur: quod hinc probari non potest. Et quòd attinet Tertullianum, satis ex cap. 39. Apologetici constat, bona promiscuè non fuisse communia, quemadmodum rem hanc sibi hodie imaginantur.

Communes epulæ fiebāt ditiorum sumptibus.

Conueniebant fideles ad communes epulas, quæ fiebant ditiorum sumptibus, in his accumbebant etiam pauperes, ac absentibus pauperibus mittebatur etiam aliqua portio. In his cœnis Eucharistia celebrari solebat, quod tempore Pauli Corinthij quoque fecere, 1. Corinth. 11. & Hierosolymitani fideles, Act. 2. & 4. nec aliud de facultatibus publicatis ibi scribitur: sic de Iustino martyre respondemus: in 2. Apolog. pro Christianis Collectas fuisse factas scribit, & pauperibus datas portiones, absentibus etiam transmissas. Hoc fecerunt ditiores, non autem licuit pauperibus inuolare diuitum opes.

2. *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14.

Loquitur Dominus Christus, de certo casu, hoc est, quando vel neganda est pietas, vel abiicienda sunt bona: vtique tum renuntiandum est omnibus quæ possidemus: siue bona nostra rapiat hostis, siue in bonorum vsum cõuerti possint, parum interest. Cùm verò nemo nos persequitur, & iuuari possint de facultatibus nostris inopes fideles, vtique nulla ratio est, cur abiiciamus opes. Nam opes & pietas non sunt immediatè contraria: & quanquam rara sint diuitum piorum exempla: attamen constat opes sæpe cum pietate laudabiliter coniũgi. Abraham ditissimus etiam est pientissimus: sic Isaac, Iacob, Dauid, in summis honoribus & diuitiis pietatem retinuit, sic filius eius Salomon, Iosias, aliique: quanquam in his etiam fœda extiterint vitia. Post Christum natum, crescente Ecclesia diuites etiam accessêre, tandem etiam Imperatores, qui illæsa pietate, cum diuitiis honores quoque retinuêre.

4. Obiiciunt de dilectione proximi, cuius vi dicunt, nos oportere bona cum illo communi iure possidere. Respondemus charitatis illud præceptum sic accipiendum esse, ne euertat Dei ordinem, aut fenestram aperiat turpitudini. Cùm illi dicunt: diliges proximum tuum sicut teipsum, ergo debes bona tua cum illo publica facere, non magis concludit, ac si inferas, ergo debes cum illo vxorem tuam communicare. Hoc posterius turpe est, & matrimonij legē confundit. Prius illud ordinem Dei euertit, & patrocinatur otiosis ac pigris ventribus. Itaque negamus vtrumque rectè inde concludi: eadem charitas quæ iubet proximum diligere, iubet quoque ne simus oneri aliis: sed laboremus, vt de labore manuum viuamus. Eadem charitas iubet seruare æqualitatem, vt loquitur Paulus: ne nobis sit angustia aliis verò relaxatio.

5. Hanc viam dicunt esse ad perfectionem Christianam. Primùm respondemus, obedientiam mandatorum Dei certissimam viam esse ad perfectionem: hinc Christus ait. Luc. 18. *mandata nosti*. & Mat. 19. *si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Iam illi mōstrent nobis mandatū de publicandis bonis, vel apud Mosen, vel à Domino Christo aut Apostolis pręceptum esse, priusquam illi obseruantiam eius à nobis requirant.

6. Adducunt exemplum Christi & Apostolorum: qui communi victu sunt vsi & bona videntur habuisse communia. Primùm plus sumunt, quàm scriptura illis largiatur: si quæras vnde Christus cum Apostolis vixerit, scriptura respondet, ex facultatibus quas subministrarunt partim mulieres honestæ à Christo curatæ, vt est Luc. 8. *Maria Magdalena, Ioanna vxor procuratoris Herodis, Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant ei ex facultatibus suis*, sic Marc. 15. procul spectant morientem Christum in cruce mulieres quædam, *quæ, cùm esset in Galilæa, secutæ fuerant ipsum, & ministrauerant ei*, &c. Ex quibus hoc constat, pias has matronas, gratitudinis ergò, secutas fuisse Christum, & de facultatibus illi subministrasse. Sed aliud hîc quærebatur, an bona publicarint? quę bona habuerit Christus in his terris nil attinet dicere, cùm in summa paupertate sit natus & educatus. Postea idoneus laboribus, sine dubio nemini otiosus fuit molestus: sed labore manuum sese aluit cum Iosepho putatitio patre. Hinc Iustinus affirmat Christum aratra & iuga boum confecisse, significans fabri lignarij labores exercuisse. De Apostolorum bonis pauca habemus, retia Apostolorum legimus, & Petri domum: sed ne ista publicata sunt, relicta quidem fuerunt: sed ad eadem eos fuisse reuersos legimus: Itaque nihil hinc probant.

Iustinus affirmat Christū aratra & iuga boū confecisse labore manuum victum sibi parans.

IIII De communione diximus, à quibus sit introducta & quomodo defensa. Deinde quid sanctorum communio in bonis differat ab aliorum κοινωνία. Tertiò quibus rationibus potissimū hodie nitantur, qui eam conati sunt Christianismo inuehere. Addamus iam quarto loco de pro-

de proprietate bonorum & possessionum, an illa piis concessa sit salua pietate. Quò referimus ordine ista.

1. Primùm, certum est emptionem piis concedi, secundùm illud, 1. Cor. 7. *qui emunt, sint quasi non possidentes*, quo loco concedit piis vt emant: sed hoc præcipit ne apponant cor, quod & Christus iussit, & Dauid Psal. 61. *Si affluxerint opes, nolite cor apponere.* & Christus Luc. 12. venditionem concedit, *vendite bona vestra, & date eleemosynam* Hinc illud efficitur, vendere & emere piis licet, ergo bona propria possidere: adde illius emptionem hanc & venditionem bono fine à piis debere institui, hoc est, ad fidelium ac pauperum vsum: ne demus hîc calumniæ locum.

2. Liberalitas passim mandatur & beneficentia in pauperes, non autem publicatio bonorum: liberalis autem quomodo eris, nisi ex proprio des? 1. Tim. 7. diuitibus præcipit ne spem ponāt in diuitiis, sed in Deo. Christus Matt. 5. omni petenti iubet dare. ad Heb. 13. beneficentiæ ne obliuiscantur: quid ergo? benefici debemus priuatim omnes esse, idque de nostro, ne aliena inuadamus.

3. Collatio præcipitur, imò ad eam modestè hortatur Apostolus. 2. Cor. 9. id non rectè fieret si publicatio bonorum esset de necessariis præceptis. Cur non iussit omnia publicare, sed modestè suadet vt fiat collecta pro fidelibus in Iudæa?

4. Christus suas conciones exorsus est à pœnitentia. Io. Baptista similiter pœnitentiam docuit diuites, milites, Pharisæos etiam ad se venientes, nō iubet stationem deserere, bona publicare, militiā detestari: sed militibus dixit vt suis stipendiis essent cōtenti, Pharisæis vt venturā iram rectè effugerent, omnibus vt seriò pœnitentiam factorum agerent: quod si bona communia habere esset necessarium, Christus hoc docuisset & Ioann. Baptista, quibus mox insisterent reliqui Apostoli docendo & scribendo, sed nihil horum factum esse videmus. Imò Petrus domum retinuit ad quam sæpe est reuersus, Apostoli etiam ad retia redeunt, Ioannes dicitur domum possedisse Hierosolymis ad montem Zion, de qua Niceph. Petrus domum propriā habuit.

5. Liberales esse oportere Christianos, plus etiam quàm sint Ethnici, certum est: sed ne illa vrgeatur ab impiis, aut etiam ab hypocritis, sine modo. D. Apostolus definiuit certum modum. 2. Cor. 8. *ne sit illa aliis relaxatio, vobis autem afflictio, etiam in hac vita*: sed quadam æqualitate, ne des, vt tu paupertatem patiaris: sed addit, *vt vestra copia illorum succurrat inopiæ*: satis declarās non esse hoc morosè exigendum sed vt Deus hilarem datorem diligit, ita à spontaneis tantùm, vtiliter expetit. Non refert quantùm singuli dent: sed quo fine & quo dēt animo: id etiam in rerum communione spectari debet: nihil attinet ad pietatem communiáne sint bona, necne: sed illud, vt pauperibus rectè prospiciatur. Hāc rem in Mose publicis legibus videmus à Domino constitutam, non publicatione bonorum, sed decimarum pensione, aliísque legibus salubribus: in nouo Testamento Christus nullis legibus astringit: sed charitatem fraternam Dei amore, & spe vitæ æternæ inculcat.

Bona igitur quædam communia debent esse necessariò: vt fides communis, spes, adoratio, inuocatio preces, Sacramenta & similia, quæ salua pietate non possunt non esse communia. Alia sunt bona externa, quæ partim vsu communia esse debent, eadem possessione, nihil vetat fieri à piis communia: alia nec vsu nec possessione publica fieri possunt, Vsu communes debent esse opes: vsu commune dico, non rapacitati obnoxium, sed liberali in pauperes eleemosyna, quæ si tamen ab aliquibus piis communiter possideantur, nihil sit absurdum, quemadmodum fecit prima Ecclesia, & fratres interdum facere videmus in politica hæreditatis possessione. Posterioris generis sunt, hoc est, quæ nec vsu nec possessione debent fieri communia: vt vxor, liberi & similia, quæ pietatem & bonos mores lædunt. Lex enim est æterna de matrimonij castitate, de liberorum certitudine, & successione, quam nulla debet lædere species charitatis. Hæc dum non perpendunt homines isti communionis patroni, suadent aliis partim absurda, partim, vt alij dilapident, vnde ipsi habeant colligendi occasionem, & abusi aliorum simplicitate rem suam faciant.

Dominus Iesus Christus dare velit suum spiritum, qui Apostolis & primitiuæ Ecclesiæ facienda dictauit, vt illius ductu verè simus liberales, pauperum certa consolatione, & nostra firma salutis ob signatione. Amen.

DE STIPENDIIS MINISTRORVM. *LOCVS C.*



DOCENDI munus à Christo esse institutum, & rem esse summè necessariam Ecclesiæ Christi, ab omnibus ferè est receptum. Cæterùm vnde ministri viuere debeant, & quomodo alendi sint sub Euangelio à multis in dubium trahitur. Sunt quidam reperti, qui contendunt labore manuum decere ministros sibi ipsis prospicere. Alij paulò mitiùs iudicant concedi Ministri vnde viuere debeant.

illis victum ex doctrina:sed vt ex eo viuant,quod indies à spontaneis auditoribus ipsis conferatur,quantulumcunque tandem sit. Ac quanquam sententiis discrepare videantur: tamen rationibus vtrique vtuntur iisdem.

Expendamus ergo rem hoc ordine. Primùm audiamus eorum rationes, quibus illi victum & stipendia negant ministris.

Deinde rectè & secundum doctrinam Christiatque Apostolorum eos ex Euangelij doctrina esse alendos.

Tertiò rectissimè etiam constitutum esse ab Ecclesia, vt non ex collatione quotidiana auditorum viuant,sed certa & designata habeant stipendia.

Argum. corū qui negant dāda stipēdia ministris.

Argumenta,quibus ad hanc rem destruendam vtuntur:sunt fermè ista.

Primùm,aiunt,Quicquid gratis accipimus, id etiam gratis(sic iubente Domino)est expendendum. Sed veritatis cognitionem, facultatem docendi,vt etiam totum Euangelium, gratis accepimus. Ergo idem gratis auditoribus est impendendum. Argumentum totum nititur loco Mat.10. *Gratis accepistis,gratis date.* Nam Christus illic mittit discipulos ad docendum Euangelium apud Iudæos. Ac ita concludit,,ne sperent mercedem aliquam ab hominibus,quia gratis accepistis.Ergo gratis dare debetis.

Primùm considerent ad quos & quando hoc præceptum Christus protulerit.Rectè illi quidem concedunt ad discipulos illa fuisse dicta,& quidem in prima missione, quod non satis attendunt.In illa missione omnia fermè tempori accommodata fuere, qualia sunt non ingredi viam gentium,non intrare vrbem Samaritanorum:quæ omnia postea sublata sunt. Nam missi vltimò,ad vniuersum orbem terrarum mittuntur. Deinde δωρεὰν illud sic intelligi hic debet ne pugnet cum reliquo Christi sermone in eadem missione habito. Subiungit autem superioribus mox, *Nam dignus est operarius cibo suo.* Ex quo manifestū est noluisse sic intelligi hanc sententiam gratis date, vt voluerit etiam cibum excludere, vt ne quidem cibum necessarium sumerent. Ad quid enim hæc sententia, *dignus est operarius cibo suo?* Poterant ergo Apostoli tanquam operarij cibum suum, quo digni pronuntiātur, accipere, & interea seruare præceptum Christi, *gratis date.* Statuamus ergo Christum sibi non pugnare,& non esse contradictoria illa duo, Gratis dare,& sumere cibum suum. Et cùm vox *gratis* non excludat cibum necessarium, superest vt ad aliud referatur, hoc est,quæstum & cauponationem. Noluit Christus discipulos suos ex doctrina Euangelij quæstum facere:quòd mox à pseudodoctoribus est factitatum, & à Simone quoque sed frustra, tentatum. Præterea cùm ad duo mittantur in illo loco discipuli, ad docendum scilicet,& edenda miracula,non malè quidam illud δωρεὰν referunt ad posterius: & cibum ad prius. Quasi Christus voluerit dicere,Quia docebitis Euangelium,meritò ab auditoribus fidelibus sumetis cibum vestrum,ne sit opus solicitos esse pro cibo: quòd verò eandem doctrinam confirmabitis & propagabitis,cauete ne quid patiamini vobis mercedis loco obtrudi,quasi medicorum more ex hac facultate velitis ditescere,& cum gloria diuitias cauponari. Quæ sententia elegans quidem est,malim tamen δωρεὰν ad totum munus Apostolorū referre,nec est ob id metuenda vlla contradictio. Nam Apostoli non solùm facultatem edendi miracula non debuere ad quæstum conuertere:sed ne quidem docendi munus.

Quid velit Christus cùm ait gratis accepistis, gratis date.

Quare argumentum hoc non concludit tantùm, quantùm aduersarij volunt. Sed illa rectè colligit. Apostoli debuere gratis docere,hoc est sine quæstu,sine cauponatione, interea cibum eis licuerit sumere. Ergo eodem pacto nostri ministri gratis, hoc est, citra quæstum & cauponationem docere debent veritatem. Digni interim cibo suo. Quis cibus ille sit,suo dicemus loco.

Aliud argu. contra stip. ministr.

Secundò,sic argumentantur: ministri nostri ad exemplum Apostolorum mittuntur: & ideò rectissimè habebunt,si illis quàm simillimi fuerint. Sed Apostolis aurum, argentum, æs in zona &c. aliàque prohibita sunt. Ergo etiam nostris prohibita esse intelligi debet. Locus est apud Matth.10. Luc.9. in quo specialis est rerum prohibitarum enumeratio: in qua non solùm vsus,sed possessio à Christo prohibetur. Primùm in hoc argumēto fallūt se & nos, quòd inter Apostolorum missionem,& ministrorum piorum hodie nullum faciunt discrimē. Non enim eadem est ratio missionis,quanquam finis idem sit. Sed illa ruditati concedamus: argumentum ipsum expendamus. Statuamus igitur denuo Christum sibi ipsi non pugnare. Sed quod docuit, vita expressit, idem Apostoli fecisse debent intelligi, hoc est, quòd Christi mandata studiosè obseruarint. Quare si τὸ ῥητὸν pugnare videatur cum vita Christi & Apostolorum, manifestum est, mentē Christi non ad literam crassè esse trahendam. Quòd autem possessio & vsus rerum vel etiam proprietas Christo & Apostolis in vsu fuerit, manifestum est. Christus pecuniam habuit & eius proprium quæstorem Iudam. Vestes etiam deponit loturus discipulis pedes, ex quo est colligere non sic lacerum ambulasse, habuit præter alias incōsutilem tunicam. De Apostolis verò constat. Petrus domum habet Matth. 8. quam ingreditur Christus & sanat eius socrum: sic Matth. post conuersionem Christum excepit in propriis ædibus. Matth. 6. Paulus penulam in Troade reliquit,quam repetit 2. Timoth. 4. Et Petrus in carcere suas soleas iubetur subligare, act. 12. Et alia multa produci possent, ex quibus ostendi posset eos propria possedisse, nominatim quæ in dictis locis Christus prohibet, vt pecuniam, calceamenta, virgam,

virgam,&c.Et tamen obseruarunt Christi præceptum.Quare aliud est, quod prohibitum voluit. Spem scilicet & fiduciam voluit sublatam, ne rebus suis adhærentes vocationem negligerent, aut oscitanter tractarẽt.In primis verò prima illa missio Apostolorum ad suos Iudæos debuit esse illustris & carere omnibus impedimentis.Itaque instruit eos quales tum esse debebant.Præterea singulare voluit exemplum exhibere in illa missione,quàm tuti sint boni ministri,quámque illis nihil sit defuturum,qui gnauiter vocationibus suis inuigilant.Apostolos voluit rebus omnibus ad iter necessariis carere,vt sua gratia eos aleret & tueretur. Non sic eosdẽ postea misit in vniuersum orbem.

Tertiò, Apostolus Paulus testatur se laborasse manibus propriis,Act.20. 1.Corinth.4.& 2. Thess.3.ostendit se laborando præbuisse exemplum imitationis.Ergo & hodie boni ministri laborare debent ad Pauli imitationem.Exemplum Pauli illustre est.Habuit is parabilem viuendi modum.Nam cùm esset tentoriorum artifex,facilè potuit sibi parare interdum cibum. Caussas huius consilij hinc inde ipse aperit.Inter alias est etiam illa,vt bonis exemplum imitationis relinqueret:sed non hæc sola.Nam 2.Thess.3.exprimitur alia etiam, *ne scilicet eis oneri esset.* Et 2.Cor.11.plures habet alias:vt scilicet *malis præscinderet ansam calumniandi ministerium suum.* Itẽ, vt declararet *se non sua quærere,* sed auditorum salutem:& ob id illorum sese habuisse rationem. Præterea vt malos doctores confunderet,qui mercede conducti docebant.Hęc & similia Paulum commouerunt,vt mallet interdum gratis docere,quàm quicquam accipere.Et 1. Corin.9. Testatur se malle mori, *quàm irritam sibi reddi hanc gloriationem.* Tamen idem Paulus fatetur se aliquoties accepisse necessaria ab Ecclesiis. Vt Phil. 4. Testatur Philippenses sibi misisse semel & iterum necessaria,cùm esset in Thessalonica.Cùm igitur acceperit ab Ecclesia, in qua tum non laborabat,quantò iustiùs poterat ab eadem accipere,docens in illa? Præterea exemplum Pauli non potest regulam communem constituere, cùm non omnes eadem facilitate victum sibi acquirere possint.Hoc tamen fatemur,posse nos in multis cautiùs agere,quàm fiat.Reperti sunt pij viri etiam superioribus seculis,& nostro,qui de suo vixerint & docuerint:alij,qui licet acceperint stipendia,illa tamen erogarint pauperibus,& suis sint vsi facultatibus,quas habebant ex patrimoniis liberalioribus.Et certè hoc debemus religioni,vt si quis sit in tali statu, vt gratis possit docere, & ampliori cum fructu, id omnino debeat præstare,ex vi illius legis, *Diliges dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis,*&c.Verùm vt ad scopum reuertamur,nihil probat adhuc exemplum Pauli,quod ad generalem pertineat regulam, cùm & ipse acceperit, & alios inde alendos non solùm concedat,sed etiam præcipiat. 3.Arg. quòd Paulus manibus laborarit.

Quartò,Citant ex Thess.3.cap. sententiam Apost. *Qui non laborat non manducet.* Cui faciliùs responderi potest.Laborem illi iudicant hunc solùm,qui manibus fit.Ita sutor,faber,agricola, fossor,vinitor,solùm laborabit.Verùm labores sunt alij grauiores etiam illis externis, Ingenij, diligentiæ,lectionis,doctrinæ vigilantiæ,ieiunij,orationis. Quos non honestè excludunt à laboris appellatione 1.Tim.5. Apostolus expressè docendi munus laboribus connumerat: *Qui bene præsunt presbyteri,duplici honore digni sunt,maximè ij,qui laborant in sermone & doctrina,* Sic 1. Thess.5. 4.arg & eius refutatio.

Quintò, Idem responderi debet ad locum 1. Cor. 10. *Nemo quærat quod suum est:sed quisque quod alterius.* Commendat enim illis proximi charitatem,& omnia vult ad ædificationem fieri. Quòd si illi excipiant teneri ministros ex regula charitatis gratis docere, ac sic implere Pauli præceptum,nemo quærat quod suum est,sed quisque quod alterius, Respondebimus vniuersalem esse Pauli particulam Nemo,quæ non ad speciem possit trahi, vt de solis ministris intelligatur,sed teneri eadem auditores.Quare meminerint,quo prætextu velint auditores ab ingratitudinis crimine liberare.Si audeant à ministris hoc postulare,vtique auditores sua quæsiuisse non erit obscurum,si minister sine præmio debeat docere.Manet ergo vera sententia, vtrosque,cùm auditores,tum ministrum,oportere ad Apostoli præscriptum operã dare,ne sua priuata quæsiuisse videantur: id euitabunt si minister bona fide doceat, & si ita res postulet sine mercede.Contra si auditores liberaliter & sine mora necessaria subministrent. 5.argum.

Sextò,Obiici solet Christi exemplum:qui apud Ioann.17.& 20.ait, *Sicut me misit pater,sic mitto vos.* Sed Christus,ne quò reclinaret caput,habuit.Ergo etiam ministri sic emitti debent, vt nihil habeant.

Respondemus ad locum Ioannis,non rectè de stipendiis intelligi,cùm ibi de missione ad docendum loquatur.Vt ergo missus est Christus authoritate summa docendi & edendi miracula: sic ait Christus se etiam mittere pari authoritate suos Apostolos. Quòd autem subsumunt ex cap.8.Matth. *filius hominis non habet vbi reclinet caput,* non rectè accommodant quęstioni.Nam hic quæstio est de victu necessario,non de securitate aut tutela,quam ille sperare poterat, cui dicebat hæc Christus.Et quod illam concernit fortunam Christi,'quòd nullibi tutus fuit, nec quicquam habuit in his terris certi & firmi, facilè agnoscimus hanc fortunam bonis ministris etiam superesse,doceant veritatem,& licet sumant cibum suum, quo eos dignos pronuntiat Christus,nihilominus illa sors eos consequitur,vt vix habeant quò reclinent caput: tamen ne in hoc quidem debẽt gloriari. Christi passiones & ærumnæ omniũ mortalium superant passiones cùm hostia pro peccato debuerit esse. Vt vt igitur affligãtur boni ministri,nihil tamen

adhuc Christo simile passi videntur. Quòd verò victus necessarius hîc non excludatur, constat inde, quòd Christus necessaria habuerit, quæ suppeditabāt mulierculæ quædam, & alij viri boni. Ex quibus & se & suos discipulos humano more aluit, cùm potuisset miraculosè in singulas horas cum eis victitare.

Iuris canonici argum. cōtra stip. ministrorum.

Hæc fermè sunt quæ fanatici quidam homines solent vrgere, quoties de ministrorum victu quæstio mouetur. In iure canonico eadem quæstio ferè tractatur. Nam quæritur illic, an liceat ministris propria possidere. Afferuntur argumenta, quibus ostenditur non licere propria habere. Mox tamen soluuntur licet satis ineptè. Declaratur autem res ex Canonibus veteribus Apostolorum, licere illis possidere propria, vt domum, familiam, opes tolerabiles, & alia bona, &c. Citatur locus elegans ex D. Hieronymo, qui habetur in 2. epist. ad Nepotianum, de vita clericorum & sacerdotum, quem, vtile foret, si omnes tenerent. Agit Hieronymus non contra victum necessarium, sed contra luxum clericorum, qui tum temporis iam inualuerat, & qualis hodie etiam extat. Id facilè colliges ex consequentibus verbis, quę mox subiicit. Nonnulli sunt ditiores monachi quàm fuerant seculares & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos. Idem paulo pòst, de eodem luxu: Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare: iudicémque prouinciæ meliùs apud te prandere, quàm in palatio. Quibus satis se explicat Hieronymus, sibi displicere auaritiam in sacerdotibus Christi, & luxum in clericis, qui ne in principibus tolerari posset. Quæ fatemur rectè ab ipso reprehendi, nec est quod ista ad consilia magis, quàm ad præcepta referamus.

Eodem pacto Cyprianus contendit presbyteros non decere causas politicas suscipere, aut tutores agere. Vtitur exemplo Leuitarum, qui diuinis tantùm vacare debuerunt: & sacerdotes ab altari non debebant recedere. Rectè quidem in causa præsenti. Nam Geminius Victor moriens tutorem constituerat testamento suo Geminium Faustum presbyterum. Id ostendit sacris literis repugnare & cōciliis Episcoporum. Verùm idem Cyprianus victum necessarium ex decimis assignat ministris more Leuitarum. Vocat autem fratres sportulantes, quòd collegia bona haberēt communia, & illa quidem sic exigua, vt ex bonorum virorum collatione in dies viuerēt, cuius argumentū erat sportula. Sed ad rem. Superest vt ostendamus rectè ministros ex doctrina Euangelij viuere, idque secundum ordinationem Christi & Apostolorum.

Ministros rectè viuere ex Euangelio probatur.

Primùm Christus Matth. 10. τροφὴν appellat. Et Luc. 10. μισθόν: & ministros ἐργάτας facit ἀξίους. Porrò quæ ἄξια sunt, hoc est, digna, illa honestè & petuntur & soluuntur. Τροφὴ & μισθὸς sunt ἄξια. Igitur & honestè petuntur à ministris & iure soluuntur ab Ecclesia.

2. Ista doctrina Christi est, cui consentit doctrina Apostolorum. 1. Tim. 5. Apostolus τιμὴν vocat. *Et duplici honore dignos iudicat eos, qui bene præsunt, maximè, qui laborant in sermone & doctrina.* Duplicem intelligo honorem, liberalem, honestum, qui nō sit nimis accisus. Iam stipendium ministri vult esse liberale, quòd non solùm ad necessitatem, sed ad honorem faciat. Est enim honor virtutis præmium, quale debet in alendo ministro relucere. Honestè igitur non solùm petitur: sed iure etiam vt honestum solui debet. Vt non solùm sit alimentum sed ornamentum.

Tertiò Apostolus 1. Cor. 9. ordinationem Domini esse affirmat, *vt qui Euangelium annuntiāt, ex Euangelio viuant.* Quæ autem ea sit ordinatio, an παράδοσις Apostolis tradita & non scripta: an verò illa sit Matt. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, nihil interest in præsentia. Ad præsentem quæstionem nobis est satis, ordinatum sic esse à Domino, vt qui docent Euangelium, ex eodem viuant.

4. Huc faciunt iam, quæ Apostolus ad huius argumenti confirmationem adducit. Primùm ex iure positiuo. *Quis vnquam militat suis stipendiis?* Item *quis plantat vineā, & de fructu non edit?* Denique *quis pascit gregem, & de lacte nō gustat?* Vtique ista nemo facit. Quę ergo est insania ministro negare victum & amictum ex laboribus docendi?

5. In veteri Testamento Leuitæ & sacerdotes etiamsi propriam possessionem non haberent: tamen decimas habuere ex quibus viuerent, & vrbes refugij illis erant attributæ. Rectè ergo in nouo Testamento, cùm ministri sacerdotibus successerint, simili aliqua ratione aluntur. Quò respexit Apostolus, *An nescitis quòd ij, qui in sacris operantur, ex sacrificio viuunt? qui sacrario assistunt, vnà cum sacrario partem accipiunt?*

6. Et, si iumēto laboranti debes benefacere, Deo sic iubente, quantò magis homini laborāti tibi in spiritualibus? Id argumentum sumpsit Apostolus ex Deuter. 25. & causæ huic accommodauit. *Num boues curæ sunt Deo? an verò propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is, qui arat, arare: & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat.*

Argu. à gratitudine quę commēdat ministros.

7. Præterea, Gratitudo id postulat, vt qui de nobis bene sint meriti, eos officiis humanitatis prosequamur: nulla autem maiora sunt beneficia spiritualibus illis, quæ à docentibus conferuntur. Debemus igitur, ne ingrati reperiamur, illis certa stipendia. Hinc ait Apostolus. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos vestra carnalia metamus?* Antithesi rei absurditatem ostendit. Si qui maxima accipiunt, minima etiam negent. Absurdum sanè est, vt

qui ma-

qui maxima dant, minima requirant: nihil iniqui postulāt Ministri, dant πνευματικά, & reposcunt σαρκικά, dasz soll et vvas groß sein, q.d. minime illud magnum est, nihil absurdi, nihil iniqui, vt vos iudicatis.

8. Denique ius Canonicum citat ex patribus testimonia. Item ex Canonibus Apostolorū & concilio Agathensi, ministris licere sua quædam possidere, quæ si non sufficiant, ex bonis Ecclesiæ alendos, ob id autem distincta debere esse bona Episcopi propria, à bonis ecclesiæ, quæ sub eiusdem Episcopi sint manu, ne confundantur, & ab hæredibus possint interuerti. Arg. à iure Canonico.

Diximus alendos esse ex professione sua ministros. Reliquum est tertium instituti nostri membrum, quo ostendendum est bene constitutum esse à Principibus piis & ab ipsa Ecclesia, vt ministri non ampliùs ex quotidiana auditorum collatione, sed certis alantur stipendiis. Primitiua Ecclesia suos ministros aluit priuatis sumptibus. Piæ familiæ dabant victum: alij boni viri suppeditabant viaticum, amictum & alia necessaria. Eò faciebat, quòd bona in commune conferebant, & per fidos homines dispensabant in vsus necessarios pauperibus. Sed facilis est ratio. Non habebat Ecclesia magistratus publicos, non fideles adhuc principes: sed agebat quasi inter parietes. Itaque debuit de priuatis prospicere suis. Verùm cùm postea accesserint ad fidem principes & politiæ integræ, non immeritò hanc curam ad se transtulit magistratus, tanquam præcipuum Ecclesiæ membrum, sub cuius manu bona essent communia, vt sunt vectigalia, census, decimæ, ærarium publicum. Pij imperatores bona quædam ad scholarum conseruationem & ministerij Ecclesiastici vsum cōtulere, vt ex Codice iuris ciuilis constat. Ea deinceps *Bona Ecclesiastica* arroganti etiam titulo dici cœperunt. Rectè statutum vt ministri certis alantur stipend.

Primitus non malè hæc ratio inita fuit, si intra suas metas mansisset. In iure Canonico causa 12. quæst. 2. citatur ex Gregorio fragmentum epistolæ, in quo horum bonorum vsus describitur. Vocat stipendium Ecclesiæ. Idque in quatuor portiones distribuebatur. Vna portio dabatur Episcopo, hoc est, ministro & familiæ eius in vsus suos & aduenarum, hospitales enim debebant esse, & aduenas suscipere. Altera Clero, hoc est, scholasticis impendebatur, ex quibus alerentur futuri ministri. Tertia pauperibus cedebat. Quarta Ecclesiis reparandis, scholis & ædificiis ministrorum. Hunc vsum bonorum Ecclesiasticorum etiam in patribus videmus, D. Cyprianus Eucrotio scribens Histrionem conuersum ad fidem, non vult artem suam ampliùs profiteri. Ac si paupertate prematur, iubet ex Ecclesiæ bonis ali: quòd si, (inquit) illic Ecclesia non sufficit, vt laborantibus præstentur alimenta, poterit se ad nos transferre, & hic quod sibi ad victum, atque vestitum necessarium fuerit, accipere, &c.

Ad hunc modum ali ministros ex bonis Ecclesiasticis certis constitutis stipendiis, multis rationibus vtile, imò necessarium est. Nam sic tollitur occasio cauponandi verbum. Quæ aliàs facillima esset subdolis & hypocritis ministris. Cur certa sint cōstituta stipendia.

Ad quæstum & vsuram conferri facilè poterat vniuersum ministerium, vt à quibus plurimùm sperarent, illis sese accommodarent.

Deinde παρρησία Euangelica seruatur sic meliùs. Nam à quibus indies acciperent, eorum vitia aut non possent taxare, aut fraudi illis esse liberiùs contra mores & vitia recepta agere. Nūc cum nemo de suo quicquam numeret, sine metu liberiùs omnium ordinum homines officij admonentur.

Tertiò, Suspicio adulationis sublata est, quæ alioquin vitari non poterat. Hic multa dat, & liberali manu. Ergo illi ad gratiam loquitur, moribus illius parcit. Aut ab illis cupit extorquere: prædiuites sunt, possent dare: ergo faciliùs illis sese insinuaret. Aut si illa non faceret: certè apud maleuolos in eam suspicionem poterat peruenire minister.

Quartò. Per certa stipendia cauetur verecundiæ ministrorum, & pudori familiæ. Quis enim ingenuus libēter singulis suam fateatur egestatem, & quo pudore saluo familia per domos errabit colligendo hostiatim necessaria? Certè pudor periclitabitur, & verecundia.

Quintò. Non possunt etiam fraudare in stipendiis certis, cùm satis constet, quantùm accipiant. Alioquin prętexere poterant auari ministri se etiam minùs accipere quàm vel accipiant, vel sufficiat.

Sextò. Maleuoli minùs criminari possunt ministros, quasi etiam plus accipiant, quàm fateantur, cùm id boni nunquam sint facturi. Tamen odio malorum tali suspicione onerarētur.

Septimò. Consultum etiam est hac ratione subditis, qui plerumque pauperes sunt in pagis. Quomodo illi alerent ministrum, qui ipsi alendi sint? Aut certè cum rubore illi nihil viderentur conferre, aliis tribuentibus.

Octauò. Plures occasiones quærerent dimittendi ministrum, cùm vel sæpius conferendum solis, vel acerbiùs inuehi in nostra videretur vitia. Mutare maiori cum authoritate & contentione niterentur etiam immeritos.

Adde. Mali & scelerati reprehensi quid darent? Vtique perire fame paterentur ministrum. Cùm ne iam certis stipendiis patiantur eos quietè & tranquillè viuere.

Præterea. Vtile est certa stipendia esse, ne videantur ab illis accipere, à quibus non oportet, vt sunt planè impij, idololatræ, hæretici, cum quibus nullam oportet esse communionem. Aut etiam pij boni sed pauperes, quibus potiùs conferendum erat. Tales sunt viduæ, pupilli,

orphani, ægroti, egentes, quos depilare sit nefas.

Item non pium est ostentationem in huiusmodi beneficiis quærere ad quod vitium sit admodum facile relabi in eiusmodi contributionibus. Latere non possent liberaliores, & arrogantiores in eo genere reliquos excellerent.

Denique non extat præceptum de illo modo alendi ministrum, vt necessum fuerit eundem omni tempore & loco retinere: omnia debent spectare ad εὐταξίαν, vt ad ædificationem fiant. Ad hanc præcipuè spectant certa stipendia. Iure igitur hodie ita aluntur ministri.

DE ELEEMOSYNA QVOD NON SIT opus satisfactorium pro peccatis. Luc. 11.

Πλὴν τὰ ἐνόντα, δότε ἐλεημοσύνην καὶ ἰδοὺ, πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν.

LOCVS CI.

Eleemosyna nõ est opus satisfactorium.



REFERT Augustinus lib. 21. cap. 22. & 27. de ciuit. Dei, fuisse quosdam qui iudicarint, non obfutura sibi peccata, si in his perstiterint, modò eleemosynam fecerint. Non aliena est ab his, illorum hodie sententia, qui eleemosynam, opus satisfactorium pro peccatis faciũt. Nota enim est Scholastica doctrina, quæ tria statuit satisfactionis opera, orationem, ieiunium & eleemosynam: & quòd illa valeãt ad peccatorum redemptionem, in primis verò eleemosyna. Quod dogma ex præsentibus verbis Christi astruere conantur, vbi Christus inquit, Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην καὶ ἰδοὺ, πάντα ὑμῖν καθαρὰ ἐστιν. Imò, ea quæ adsunt date in eleemosynam, & ecce, omnia erunt vobis pura.

Expositio loci Lucæ.

1. Verùm nihil tale hinc doceri posse facilè ostendemus. Primùm enim verba perse nihil tale sonãt. Iubet simpliciter dare eleemosynam, & promittit puritatem omnium, nihil autem de redemptione aut satisfactione peccatorum. Porrò cùm hinc, ex consequẽti sententiã suam illi stabilire vellent, ideò diuersæ interpretationes repertæ sunt, vt hæc confidentia de satisfactione retunderetur. August. sanè Sermone 30. vbi hæc verba tractat, locum totum ita exponit: vt priùs fidem in Christum requirat, & vitæ emendationem, sine quibus nihil est, quicquid dederimus. Ac illam facit primam eleemosynam, qua animæ tuæ des panem vitæ Christum. Hanc eleemosynam si prætermittis, da quantùm vis: dona quantùm vis: retrahe de fructibus, non decimas, sed dimidias: nouem partes da, & vnam tibi dimitte: nihil facis, quando tecum non facis, & tecum pauper es. Anima tua vescatur, ne fame pereat: da illi panem: quem panem? ipse tecum loquitur, Crede in Christum, & mundabuntur quæ intus sunt, & quæ foris sunt munda erunt. Non dissimilis est illius expositio, quam adfert in Enchiridio ad Laurentium, cap. 75. Ita quidem Augustinus τὰ ἐνόντα retulit ad interiora hominis, hoc est, ad fidem, Christum, & vitæ emendationem, atque ita demùm fore munda externa. Quæ sententia à doctrina Christi non est aliena: pugnat autem cum sententia de satisfactione & opere meritorio.

1. Augustini interpretatio.

2. Interpretatio.

Alij sententiam hanc Christi εἰρονικῶς maluere accipere: quasi dicat Christus, Vos ita quidem censetis si eleemosynas detis, de opibus etiam malis artibus & rapina acquisitis, munda fore reliqua omnia, sed fallimini: ideóque mox repetit, *Sed væ vobis Pharisæi*, &c. Sed non extat simile ironiæ exemplum in verbis Christi.

Alij ἀποφαντικὴν ἔννοιαν hinc eliciunt, & verba Christi legunt in præsenti, δότε pro δίδοτε, hoc est, datis eleemosynam, q. d. hoc in more habetis: aliunde rapitis, etiam domos viduarũ deuorantes, & paucula inde datis in eleemosynam: quasi reliquæ opes iniustæ sic possint expiari, quod falsum est. Hæ sententiæ quanuis à Christi proposito videantur esse alienæ, tamen manifestè indicant, nihil hîc de satisfactione pro peccatis haberi.

Alij aliis modis hanc absurdam sententiam conati sunt effugere: vt si τὰ ἐνόντα intelligamus τὰ ὑπάρχοντα, vel τὰ καθ' ὑμᾶς, vel τὰ παρόντα, vel τὰ περιόντα: quæ in nostra sunt potestate, quæ nobis præstò sunt, & facilè possumus dare, honesto autem possideamus titulo, iustáque ratione: de his inquam demus, fore nobis munda omnia, hoc est, fœlicia & auspicata.

Sed manifestiùs hæc sententia repudiari potest, si consideremus quid hîc Christus sibi proposuerit reprehendendum: nimirum lotionem illã superstitiosam poculentorum & esculentorum omniúmque vtensilium mensæ. Ac quia in mensa res agitur, oportunè de mensa petiit exempla, poculi scilicet & patinę mentione: in his inquit lauatis τὸ ἔξωθεν, τὸ ἔσωθεν autem scilicet in poculo & patina scatet rapina & scelere.

Geminus sensus sententiæ Christi apud Luc. 11.

Nunc daturus consiliũ salubre, manet in eodem exemplo, verumtamen vel quinimò πλὴν Nam ἀντιστρέφον vult inducere, quasi dicat, vos exteriora studiosè mundatis, interiora negligitis, cõtrà autem oportebat fieri. τὰ ἐνόντα sunt quæ priùs dixit τὸ ἔσωθεν, hoc est, quæ intra poculum & patinam sunt, hæc ipsa date in eleemosynam, hoc est, de vestris & iustis facultatibus estote liberales & omnia vobis munda erunt: πάντα scilicet hæc ipsa de quibus sermo fuit, exteriora

teriora poculi & patinæ vt interiora, hoc est, cibus & potus: nec est necessum, vt superstitiosè lauetis manus, pedes, pocula & alia vtensilia.

Sic manet sentētia προςακτική, & instituto præsenti sermo inseruit κατ' ἀντίςροφον: ac constat quomodo piè cibus possit sumi, vt mundus sit. Atque hanc sententiam hic vidit etiam Cyrillus qui sic scribit, Poterat autem Dominus, & aliis vti verbis, commonens Pharisæum insanum: captat tamen tempus, & ex his quæ erant præ manibus contexit documentum: hora nanque mensę & pabuli, sumit pro exemplo calicem & catinum, ostendens quod mundos & lotos decet esse syncerè ministrantes Deo: non solùm à spurcitia corporali, imò & ab ea quæ latet intrinsecus penes mentem: sicut aliquod vasorum quibus seruitur in mensa, bonum est, & intrinsecis & extrinsecis carere contagiis. Cùm igitur hìc nulla sit mentio satisfactionis: deinde causa solum hìc explicetur de purificatione & legitima sumptione ciborum, coacta est omnino illorum doctrina, qui hinc intelligunt per πάντα καθαρά, omniū peccatorum satisfactionem.

Tertiò absurdissima est illa sententia: (nam cum Pharisæis agit, qui scelere & rapina scatebant, fide autem & iudicio Dei ac dilectione proximi, planè carebant:) hos iam mundos dicere, sola eleemosynarum largitione: cùm immundus sit, quem non mundat fides in Christum. Rom. 14. *quod non est ex fide, peccatum est.* & Hebr. 11. *Impossibile est sine fide Deo placere.* Non est ergo opus satisfactorium eleemosyna per se.

Quartò interior καθαρισμὸς non est eleemosynarum, sed est fidei: non debet igitur fides spoliari eo effectu, & adscribi eleemosynis. Id verum esse constat ex verbis Petri, Act. 15. de gentibus loquens, quibus non sit obtrudenda circuncisio, ait *fide purgans corda ipsorum.* Non inquit eleemosynis mundans sed fide.

Quintò: πάντα καθαρὰ sunt tantùm τοῖς καθαροῖς, vt est Tit. 1. *pollutis contrà & infidelibus omnia sunt immunda*, purum verò nihil. Non igitur Pharisæis poterant eleemosynæ delere peccata, minùs satisfacere, cùm essent scelere & rapina polluti.

Sexto, eleemosynæ ab impiis fiunt & hypocritis: quos in ipsa danda eleemosyna Christus damnat, Matth. 6. Oportebat autem satisfactionem talem esse, quæ fine suo non aberraret, sed in suo genere valeret ad consequendum finem propositū: quòd cùm eleemosyna non præstet, facilè intelligi potest imprudenter ei tribui, quod præstare non potest. Quare laudanda est potiùs Augustini sententia, dicentis, Multi in fructibus deputant, quæ ad vestitum ouium pertinent, & hoc modo decipiuntur à lupis, vt sunt ieiunia, orationes & eleemosynæ.

Septimò, manifestum est eleemosynas impœnitentibus non prodesse. Nam Io. Baptista & Christus & Apostoli initio doctrinæ suæ pœnitentiam in primis requirunt, tanquam fundamentum, sine quo tota doctrina sit inutilis & omnes actiones prophanæ: quod & D. August. copiosè multis in locis persequitur, vt lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 27. & in homiliis, eleemosynæ possunt tibi prodesse ad delenda peccata præterita, si mores mutaueris: sin autem in iisdem malis perseueraueris, eleemosynis tuis corrumpes iudicium Dei. Et in Enchiridio ad Laur. ca. 77, Non fallant se, inquit, qui se per eleemosynas impuritatem emere existimant in facinorum suorum immunitate & flagitiorum nequitia permanendo, &c.

Eleemosyna nullo pacto opus satisfactorium.

Constat igitur simpliciter eleemosynam non posse opus satisfactoriū esse, respectu impœnitentium. Sed nec pœnitentibus est opus satisfactorium. Nam satisfactio pro peccatis si pro pœna sumatur, quia pœna Deo satisfit pro peccato commisso: nulla certè talis est eleemosyna, quæ irato Deo satisfaciat, & eleemosyna per se non est pœna. Sin pro redemptione sumatur & pretio condigno, eleemosyna talis statui nō potest. Etenim tolleretur meritum Christi: si possibile fuisset per eleemosynas redimi peccata, frustra Christus mortuus esset. Et quanta hæc sit iniuria & cōtumelia gloriæ Christi: hic enim vnicus est λύτρον pro peccatis nostris, Hebr. 1. δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, per seipsum peccatorū nostrorū mūdationē faciens. & 1. Corinth. 1, *Factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.* Col. 1. *in quo habemus* ἀπολύτρωσιν *per sanguinem illius.* 1. Tim. 2. *Seipsum dedit* ἀντίλυτρον.

Hæc ascribere eleemosynę, & opus satisfactorium inde construere, magna impietas est.

Verùm obiiciunt locum Danielis 4, *Peccata tua redime eleemosyna.* Item Prouerb. 10, *Eleemosyna liberat à morte.* & Tobiæ. 4, *Eleemosyna à morte liberat,* & *non sinit intrare in tenebras.* & Tob. 12, *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa emundat omne peccatum.*

Loci alij pro eleemosynæ satisfactione, & eorum refutatio.

Ad locum Danielis. 4. dicimus, non simpliciter eleemosynis tribui, sed iustitiæ. Nam ad verbum ita habet, Peccata tua in iustitia redimantur, & iniquitates tuæ, miseratione pauperum: forsan erit prolongatio errori tuo. Dat enim Daniel regi consilium vt vera pœnitentia cōuertatur ad Deum verum, quæ sanè primitus requirit cordis renouationem. Hinc bonorum operum fructus sequitur: & quia oppresserat multos & rapuerat, vult liberalem esse in benefaciendo: non autem sententia illius est deleri peccata illius per eleemosynas: sed testimonium sint fidei. Nam pœnas diuinitùs constitutas pertulit & post Prophetæ consilium.

Sic etiam locus prouerb. 19. solui potest, nam ita habetur. *tsedaka tatsil mimauet*, iustitia liberat à morte, quod sanè verum est: iusti enim videbunt faciem Domini. Significat autem Hebræis iustus, non solùm liberalem, sed innocētem & simplicem, qui dolo non vtitur, qui candidè afficitur, & commiseretur egenti: cuius cùm sit proprium eleemosynas dare, iustitiam, hoc

est, *tsedaka*, accipiunt Hebræi sæpè specialiter pro eleemosyna, hoc est, *miteno gnanim*, id est, donis pauperum. sic Prouer. 10 *tsedaka tatsil mimauet*, iustitia liberat à morte, ipsi specialiùs di cũt, eleemosyna liberat à morte. Sic Tobiæ 4. legitur *vt sedaka tatsil mimauet*, & iustitia liberat à morte, & qui facit iustitiam videbit faciem Domini: quemadmodum scriptum est, Ego in iustitia videbo faciem tuam, & Tobiæ 12. iterum repetitur *ci tsedaka tatsil mimauet*, commẽdatur beneficentia iustorum, tanquam gratissimum Deo sacrificium. Ac liberat à morte, hoc est, longæuos hîc facit eos Deus, vt possint multis prodesse. Ac satis constat cõmendari hoc elogio piorum eleemosynas non hypocritarum, qui dum iusti iam sint, meritò ipsorum eleemosyna ab ipsis dicitur *tsedaka*, & non contrà, ipsi hoc nominis ab eleemosyna habent. At quomodo liberet à morte, facilè est videre, longæuos à Domino tales fieri.

Quom. eleemosyna liberare à morte dicatur Prou. 10.

Nam eleemosyna per se à morte non liberat. Primùm temporali hac morte nemo vnquam ereptus est per eleemosynas: non Iob, non Tobias non alius quisquam sanctorum. De Elia qui mortem hanc temporalem euasit & Enoch, nulla est mentio eleemosynarum, sed quòd Dominus eos simpliciter tulerit. Non igitur à temporali morte liberat. Non etiam ab æterna morte liberat: cùm hoc beneficium sit Christi: & sancti omnes in agone non ad suas eleemosynas, sed ad Dei prouocant gratiam.

Quare necessum est, elogia ista commodè interpretari, & cum scriptura & merito Christi non pugnare. Liberant igitur à morte æterna, hoc est, sunt indicia & firmissima argumenta in piis, quòd ab ea morte liberati sint, & quòd eam non metuant: quòd Deum verè & seriò inuocent proximum verè ament: & illa præstent opera, non qui ciuilia sunt: sed quia Deus præceperit, quibus sese illi cupiunt approbare, vt testentur se de numero electorum esse. Ad quæ vt excitet nos Deus, magnis elogiis commendat beneficentiam illam, & coronat sua in nobis dona, nostrisque tribuit operibus quæ suæ sunt gratiæ. Impudens autem sit temeritas, hinc statuere opus meritorium & satisfactorium, ac nudæ eleemosynæ tribuere indiscriminatim quod solius est gratiæ diuinæ: impudentius commune facere impiorum etiam eleemosynis, quod ad solos pios spectat. Impudentissimum, ex quacunque tandem eleemosyna ambire merita.

Responsio ad obiectionẽ ex loco Luc. 16. de faciẽdis amicis mammonæ.

Obiicitur etiam locus, Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Locus hic duob⁹ seruit argumẽtis. Primùm iis qui iniquas opes modica eleemosyna expiare & iustificare volũt, habent enim hic mãmona iniquitatis, ex quo amici possint comparari.

Deinde inseruit iis, qui eleemosynas satisfactionem interpretantur. Verùm vtrisque facilè potest responderi. Primùm enim iniustas opes hîc non expiari, vel inde cõstat, quòd Christus impium dispensatorem hîc reum peragit, vt qui propter iniustitiam meritò à Domino suo remouetur ab officio dispensationis: sed quia idem astutus fuit in postrema hac rationũ collatione, qua de bonis non suis comparauit sibi amicos, apud quos viueret eiectus ab œconomia sua: ideò Christus similem prudentiam & sollicitam curam in suis postulat, nõ autem similem iniustitiam: ideóque dixit, *Filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis, in sua generatione.*

Quòd autem iubet amicos facere de mammona iniquitatis, nõ eò facit, vt iniustas opes, & malis paratas artibus excusare velit, aut hoc modo expiare doceat: sed manet Christus in proposito exẽplo, de iniusto dispensatore, cuius diligẽtiã imitari debẽt pij in quærẽda vita æterna.

Opes mammona iniquitatis.

1. Opes autem in genere appellat mammona iniquitatis, quòd Plutus benignior sit malis quàm bonis. hinc poëtæ cæcum finxere Deum: quia iniquissimè videtur opes distribui: mali vt plurimùm abundant: contrà, egent boni.

Deinde quia iniquè comparantur vt plurimum: hinc dici solet, *diues aut iniquus, aut iniqui hæres.*

Iniquus etiam est Mammon, quia mendax & pomposè promittit, præstare non potest: admirantur enim homines diuitias, quasi extremam εὐτυχίαν, & illarũ admiratione cœlestia bona solent negligere.


4. Iniquus etiam est Mammon: quia occasiones suppeditat ad iniquitatẽ: hinc Paulus ait, *Qui ditescere volunt, incidunt in tentationẽ & laqueum diaboli.* Hinc Christus loquitur de Mammone qualis vt plurimùm homines facit. Non interea negat pios honestis artibus possidere opes: & ex honestè partis oportet offerre Deo, cùm apertè dicatur, *Qui adducit sacrificium ex substantia pauperum, est quasi sacrificans filium coram patre suo.*

Demùm quod attinet ad promissiones de præmiis eleemosynarum, vt est Luc. 6. *Date & dabitur vobis.* Luc. 14. *Retribuetur tibi in resurrectionem iustorum.* Mat. 6, *Reddet tibi in manifesto*, & similia.

3. Honora Deum de tua substantia.

Promissiones sunt de præmiis, non de meritis aut satisfactione pro peccatis. Et aliud est præmia distribuere, aliud merita reddere. Præmia dantur liberalitate & gratia, merita ex debito. Sic pater filio promittit vestem, eámque dat, non vt meritum: sed gratuita liberalitate, quia filius est. Ita vita æterna confertur ex gratia piis: interea dicitur merces, quia pro pietate tantùm soluitur: & quia inuitat ad virtutes veras, quas compensat illo pr̃mio Deus.

DE COLLECTA
pro pauperibus.
LOCVS CII.



OLLECTÆ vocabulum vetustum est, sed res non perinde est cognita, vt fit dum voces ad aliud significandum trásferuntur, vel à toto ad partem solùm rediguntur: qualia multa ex vetustate sunt relicta vocabula, quorum res hodie non perinde amplius notæ sunt.

Collectã enim hodie in Papatu vocãt orationem, qua populus cum sacerdote communes fundit preces, pro imperatoribus, pro potestatibus, pro pace publica, pro mora seculi, & similibus rebus quæ in orationem fidelium cadunt. Hoc orandi institutum antiquissimum fuit in Ecclesia Christi, vt patet ex Tertull. Apolog. cap. 39. Iustino martyre, aliísque vetustioribus, sed non fiebat hoc conceptis verbis semper eodem modo. Ita cùm variis precibus singuli vterentur, posteri illas in vnam quandam formulam communem collegerunt, qua Ecclesia semper vteretur. Hinc illi inhæsit collectæ nomen, & consultum erat hîc sacerdotũ ignauiæ qui preces cœperunt ex præscripto & charta, non ex inspiratione Spiritus sancti recitare populo. Mox accessit crassius peccatum, vt easdem recitarẽt ignota lingua, vt nec populus nec sacerdos satis intelligeret, quid precarentur, atque eo modo hodie collectas suas adhuc recitant.

Diuisio vocis collectæ in significata sua.

Tertulliani seculum vocauit Collectas ipsas cõgregationes Ecclesiasticas, nec malè, cùm colligere propriè sit congregare aliquid. Fideles igitur dicebantur colligi, hoc est, congregari in certum aliquem locum ad audiendum verbum Dei, ad fundendas preces, ad conferendas eleemosynas, & similia pietatis exercitia. Sic loquitur Tertull. in lib. de fuga. *Sed quomodo colligemus* inquit, *quomodo Dominica solennia celebrabimus?* Et postea, *Si colligere interdiu non potes habes noctem.* Ex quibus manifestum est colligere, & collectam facere non esse aliud, quàm populum congregare, religionis ergò: & in huiusmodi collectis præcipuum erat audire consolationes ex verbo Dei, simul orare ad Deum, præeunte Ministro preside, conferre in commune aliquid pro pauperibus. In huiusmodi cœtibus cura semper habebatur pauperum, nõ solùm præsentium, sed absentium: ideo studiosè singuli conferebant de suis facultatibus, vt absentibus etiam prouideretur. Atque in hac significatione hîc agimus de collecta, definiamus igitur ita:

2 Cœtus Ecclesiastici.

Collecta est species liberalitatis, qua ratio habetur pauperum, nõ tam præsentium quàm absentium, quorum penuria subleuetur nostra copia, spontanea quidem collatione, non tamen vt nos ad egestatem redigamur ex præcepto Domini.

Qui hanc stipem colligebat, collectarius dicebatur: pecunia ipsa collecta, quia ex diuersis locis & personis esset lecta. Idẽ ferè quod Ethnicis scriptoribus coactio, & coactor, nisi coactio publicæ sit pecuniæ principis aut Reipublicæ nomine collecta, & coactor, qui eas viritim colligit. Collecta verò Ecclesiæ, nominatim ad pauperum vsum: illa ad vsum Reipublicæ.

Collectæ varia appellatio apud Gr.

Dicitur hæc ab Apostolo λογία quasi συλλογία collectio, 1. Cor. 16 ibidẽ v. 3 χάρις gratia: quia gratuita nomine Christi à nobis fieri debet, nil inde sperantibus apud homines. Deinde quia gratiosos efficit, hoc est amabiles, & quia gratos habet pauperes qui nostris facultatibus benedicũtur, & gratiã verbis habẽt, beneuolos sese declarãt vt dici solet χάρις χάριν τίκτει, gratia gratiã parit. διακονία dicitur, quia ditiores hoc genere officij pauperib. inseruiũt. Act. 11. v. 29 2. Cor. 9. v. 1. & 12. εὐλογία dicitur 2. Cor. 9. benedictio, quia benedictionis diuinę symbolum de nostris facultatibus pendimus. Fatemur enim hoc tanquam tributo, nos omnia à diuina benedictione possidere.

Deinde quia pauperes nobis benedicunt, & Dominus ipse reliquis facultatibus nostris benedicit, vt semper sit vnde dare possimus.

Λειτουργία, 2. Cor. 9. Rom. 15. quia hoc genus sacrificij est Deo gratissimum, de quo diximus in loco de sacrificiis.

Κοινωνία, quia participatio est facultatum quæ alioquin priuatæ erant: hîc communes fiunt, & est testificatio communionis Sanctorum: vt enim in Christo omnia illius beneficia communia habent sancti: ita non recusant de facultatibus quoque aliquid in communem vsum conferre. Denique charitatis communio non potest alio modo declarari, quàm beneficentia in pauperes 2. Cor. 8.

Σπόρος dicitur 2. Cor. 9. Sementis scil. dilectionis & veræ professionis Christianæ. Nam qui hypocritæ sunt, facilè talia recusant officia. Inde Cor. vrget eo argumento Apost. 1. Cor. 8 *vt dilectionis vestræ germanitas probetur.* Eadem ratione dicitur καρπός, Rom 15. nisi quod sementis à nobis fiat: καρπός autem non à nobis solis colligatur.

Primùm enim fructus redit ad pauperes, inde etiam ad nos.

Macedonum liberalissima collatio ab Apostolo dicitur πλοῦτος ἁπλότητος, significans eos liberalissimè cõtulisse in summa paupertate, & difficillimis temporibus q. d. non tenuem collectam, sed ipsum plutum, hoc est, deum diuitiarum, ex illorum paupertate fuisse natum.

Collectarũ origo. His ferè nominibus ornatur collecta ab Apostolo. Tertul. vocat deposita pietatis, alij aliis exornant titulis, ex quibus nolumus esse curiosiores. De origine illius dicamus.

III Collectarum origo peruetusta est. Nam & Deus pauperum, orphanorum, exulum, peregrinorum, pręcipuè Deus dicitur. Ita horum curam semper habuit, & vt sui hoc facerẽt semper præcipit. In primis verò vt in sacris cœtibus, pauperum haberent rationem. Apud Iudæos in solennitate Paschatis dies octauus huic negotio erat destinatus. Sic in festo tabernaculorũ, octauus, hoc est, vltimus festi dies collectæ erat. Hinc festum dicitur *gnezerach*, hoc est, retentionis, quòd populus adhuc retineretur per diem illam ad faciendas collectas pro pauperibus, & aliis rebus necessariis. ac Paschatis collecta dicebatur Domini collecta, quia ad sacros vsus destinata erat. Tabernaculorum autem collecta, populi erat, hoc est, pauperum: hic in primis habebatur cura.

In nouo Testa. quando cœpit collecta. In nouo Testamento cœpit à primis fidelibus qui bona sua omnia in commune contulerunt ad pedes Apostolorum: mox tamen is mos desiit, ne exhaurirentur omnes omnium facultates: & contulerunt deinceps singuli certam pecuniam. Sic in Act. 11. *prout singuli abundant, conferũt*, de quo infra in modo dicetur.

His solùm indicamus antiquitatem rei, ex Domini mandato. Christus Matt. 5. *beatos prædicat* ἐλεήμονας hoc est, misericordes, quos non alios intelligimus, quàm hos qui in pauperes non solùm domesticos, sed peregrinos commiserationem declarant. Apost. ad Rom. 12. iubet sanctorũ necessitatibus communicare. h. e. illorum paupertati subuenire. Rom. 15. exemplum Macedonũ & Achaiæ proponit, & mox debili nomine vrget vt sciamus nõ esse liberum vt intermitti possit, sed rem necessariam loco & tempore. Eph. 2. Apost. Hierosolymis hoc in primis Paulo & Barnabæ iniungunt, ne inter Gentes pauperum in Iudæa obliuiscãtur, cuius rei testatur se fuisse in primis studiosum. Eph. 4. iubet inter nos esse χρηστούς hoc est, beneficos. idem copiosissimè multísque verbis tractat 1. Cor. 16. & 2. Cor. 8. & 9. cap.

Tertul. c. 39. testatur suo seculo Christianos in cœtibus hoc semper obseruasse, vt pro pauperibus aliquid conferrent. Et Iustinus Martyr in cœnis publicis Christianorum, quas agapas vocabant, pauperum in primis fuisse habitam rationem, adeò vt ad absentes mitterent quasdam portiones per diaconos. Verba Iustini sũt οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἕκαστος προαίρεσιν βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ διὰ ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται, hoc est, diuites verò & hi qui volunt, singuli pro animi arbitrio quod volunt, dant, & collectum apud prȩsidem, hoc est, ministrum deponitur, qui subuenit his, orphanis, viduis, ægris, aliáve de causa egentibus, his etiam qui in vinculis detinentur, peregrinis, aduenis, & simpliciter omnibus qui indigent, subsidium inde fit.

August. in quadam epist. pro Fastio quodã oberato, qui ad Ecclesiam confugerat, apud populum iubet collectam fieri, vt hinc creditoribus Fastij satisfiat.

Hieron. sentẽtia. Hieron. etiam suo tempore ostendit adhuc fuisse in vsu, vt ex toto orbe Hierosolymam mitterentur eleemosynæ ad sustentationem pauperum, quem morem reprehenderat Vigilianus, ideo grauiter à Hieronymo confutatur. Et fortè non sine causa à Vigiliano fuerit reprehensus abusus, quòd iam tam multos otiosos aleret Iudæa & Ierosolyma ac Bethlehẽ sub titulo religionis. Ac fieri potest, vt singuli melius domi suæ dent pauperibus eleemosynas, tamen loco & tempore alienis quoque subueniendum est. Hodie non perinde vsitatum est ad alia loca mittere eleemosynam collectam, quãquam interdum fiat, vt illustria produci possint exempla domestica. Pro pauperibus Gallis aliquoties collecta est instituta & pro aduenis scholasticis. & pro redimendis captiuis à Moschi tyrannide multi boni viri, ac Resp. liberalẽ contulerunt collectam. In hist. tripartita Christiani hoc nomine commendantur ab ethnicis, adeo vt Iulianus Apostata paganus, mandet fieri collectas, exemplo Christianorum, ne illis deteriores viderentur. Itaq; rem laudatissimam & honestissimam debemus omnibus modis in Eccles. retinere, vt priuatim ditiores, & Respub. per se adeóque singuli conferant in collectas tales, quas impendamus vel domesticis pauperibus, quibus fidei ratione plurimum debemus, vel aliò mittamus ad subsidiũ fidelium, vel captiuorum redemptionem, quibus charitatis vinculo coniuncti sumus.

Modus legitimus collectarũ faciendarum. IIII Reliquũ est vt de modo dicamus collectarũ. Requirit Dominus collectã secundũ animi prõptitudinẽ, h. e. vt animo hilari & facili demus, Ro. 15. cum de Macedonum & Achaiæ collecta loquitur, ait, εὐδόκησαν. i. sic illis bene placuisse, h. e. animo prompto & hilari contulisse. 1. Cor. 6. de iisdẽ Macedonibus agens, inquit, eos fuisse αὐθαίρετους, in v. 4. quod præuenerint sua diligentia preces Apost. & priusquã rogarẽtur iã eleemosynã collegerint, & c. 9. v. 5. iubet vt εὐλογία sit ἑτοίμη, non vt πλεονεξία, h. e. munus auarè extortum. v. 7. ἐκ λύπης μὴ ἐκ ἀνάγκης, quibus omnibus ostendit in dando faciles oportere esse, atque hic prior modus est respectu animi nostri. Alter est respectu facultatum nostrarũ. Quærunt enim an omnia danda sint, aut quantum. Hieronymus ait perfectius esse illud, si omnia dentur: sed respondendum est illi, scripturam & ipsum Deũ mitiùs de nobis decernere: non requirit, vt omnia profundamus in pauperes, nisi à paucis, quos diuino instinctu ad hoc cõpellit. De reliquis contentus est liberali portione. Hoc opponi debet phanaticis hominibus qui hodie authores sunt aliis, vt dispergãt sua, quæ illi colligant

ligant. Itaque meminerimus nouum Testamentum modum istum approbare, quem constituit Solomon in Prouerb 5, *Deriuentur riuuli tui foras, tu autem sis dominus fontis.* Sic Apostolus ad Rom. 12. v. 8, iubet dare ἐν ἁπλότητι: sed addit in Corinthiis, sed secundum id quod habet, non secundum id quod non habet. hoc est pro ratione facultatum. & 1. Cor. 16. v. 1, quod εὐοδῶται, h. e. commodè licuerit. h. e. ne tibi sit molestia: quod cōmodissimè explicat 2. Cor. 8, ne sit θλῖψις dantibus, & accipientibus ἄνεσις.

θλῖψις est si inuiti demus, tum pugnat cum priori regula, qua diximus optimè cum animi promptitudine fieri. Collecta ne cui sit afflictio.

Deinde θλῖψις etiam est, si nos ad paupertatem redigat. nam tum ἰσότης illa tollitur quam cōstituit Apostolus: dabunt ergo singuli pro facultatum ratione, ditiores maiora, pauperiores inferiora, hunc modum ἰσότητος tenuerūt fratres in Act. 11. quia mittūt singuli καθὼς ηὐπορεῖτό τις: hoc est, vt singuli locupletes erant: *nach eins iedes vermogenn.* Sic Tertullianus inquit, Eleemosyna sine tormento præstetur: sed in Apolog. sese explicat: modicum inquiens vnusquisq. stipem menstrua die vel cum velit & si modò possit, apponit, nam nemo compellitur, sed sponte confert. Seruemus igitur hunc modum ne conscientiæ angantur: si non statim omnia effundamus in pauperes. ordinaria enim delectio orditur à seipsa: sed de eo argumento dicimus quoque in loco liberalitatis quem hîc consule.

DE HOSPITALITATE.

LOCVS CIII.



SCRIPTVRA passim nobis proponit exempla hospitalitatis & item inhospitalitatis: nominatim verò Euangelicæ literæ Christo seruatori exhibitam aut denegatam. Vt Luc. 10. Marthæ & Mariæ celebratur hospitalitas, quæ & Ioan. 11. descripta est. Contrà Samaritani inhospitales sese illi præbēr, Luc 9. die palmarum inhospitalis est Ierosolyma, vt Christus sub vesperam cogatur Bethaniam petere. Bethlehem quoque nascituro Christo, vix angulum concessit apud iumenta: quem locum posteà, publico hospitali exornauit Paula, testante D. Hier. Quibus commoti, pauca hîc de ea referemus virtute, quæ in explicatione Lucæ dici non potuere. Hospitalitatis exempla.

Vtemur autem hoc ordine. Primùm quod sit officium suscipientis hospitio. Deinde quæ eiusdem vitia. Tertiò, quid ab eo requiratur, qui suscipitur. Quartò, cur illa virtus sit in primis piis exercenda.

I Officium τοῦ ξενίζοντος non meliùs perspici potest, quàm in exemplo eorum, qui laudabiliter hospitalitate sūt vsi: qualis est in primis Abrahamus, qui & hilariter excipit peregrinos, & affabilem se illis præbet, maturè dimittit, aliáque præstat officia ciuilitatis. Historia illius extat Gen. 28 in qua hæc illi tribuuntur, quæ huc spectant. Primùm occurrit illis, quos aduenas iudicabat, cùm essent Angeli 2. honorificè salutat. 3. offert operam suam cum obtestatione. 4. aquam & panem. 5. sub arbore tanquam loco & idoneo & amœno. 6. conuiuium ornat lacte & butyro & carnibus. 7. stans illis edentibus ministrat. 8. abeuntes modestè deducit, discitque ab illis sibi & posteritati suæ salutaria. Officiū excipientis hospitio.

Simile est exemplum in Lotho, Gen. 19. Primùm expectat peregrinos quasi data opera conquisiturus 2. oblatis occurrit. 3. amicè salutat. 4. seruum sese illorum nominat. 5. operam suam offert. 6. commoda hospitij refert, vt vegetiores sint ad crastinum iter. 7. nolentes etiam cogit. 8. parat azymos panes: demū salutem illorum pudori filiarum præfert. Eodem pacto Rebecca, Gen. 24. paleam & pabulum multum domi esse peregrinis promittit. Non minus ipse Laban hospitalem sese præbet, egreditur obuiam, amicè tandem dimittuntur. Lothi hospitalitas.

Ex quibus colligi potest tres esse primarias virtutes τοῦ ξενίζοντος. Primùm hilariter excipere: deinde affabiliter & liberaliter tractare, demum amicè etiam dimittere. cuius rei testis nobis est Homerus etiam, χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν: volens significare præsentem hospitem liberaliter & excipiendum & tractandum: suo verò tempore amicè etiam dimittendum, quod sanè & ipsa ratio dictat, & natura quoque iubet.

Hirundinis enim quandam formam gerit peregrinus, qui dum vagatur incertis sedibus, casu ad nos eum defert aliqua tempestas: commorandi igitur, non habitandi locum apud nos habere debet. Ac vt hirundinis aduentum hilari voce excipimus, prænuncia enim veris est, suóque garritu totam æstatem suauiorem reddit: discessum verò illius non molestè etiam ferimus: eodem pacto se habet ratio hospitis.

II Vitia hospites suscipientis, hoc est, τοῦ ξενίζοντος, colligi possunt ex Marthæ exemplo, Luc. 10, in qua reprehendūtur illa ordine. Primùm περισπᾶν περὶ πολλὴν διακονίαν: deinde μεριμνᾶν nimis curiosam esse: demum τυρβάζειν. Ac priùs quidem illud damnat, nimiam ciuilitatem, Vitia hospites suscipientis.

quæ parum distat ab ineptiis & curiositate. Alterum animi distractioné circa varias deliberationes inanes. Vnde etiam μεριμνοφροντισταὶ dicuntur homines, anxij, μεριμνοσοφισταὶ homines nimium curiosi, anxij contemplatores. Tertium verò actionum perturbationes vnde τύρβη turba res confusanea, miscellanea. quę vitia in mulieribus solent cócurrere, nimiùm operosis.

Verùm sunt illa vitia in hominibus piis, quibus testantur amoris vim, & animi candorem. In Martha grati animi etiam testimonium erat, quòd Christus fratrem Lazarum primùm excitasset à mortuis. Nec est quòd ab hisce nobis hodie metuendum putemus: vt vnica est Martha nobis expressa: ita rara sunt exempla curiosæ hospitalitatis.

Alia sunt grauiora vitia in impiis: qualia sunt susceptos neglectim tractare, violare ius hospitij: quale quiddam conatur Laban erga Iacobum, nisi diuinitùs esset præpeditus, & Sodomitæ conātur erga Angelos. De Helice refert Ælianus, quod ob ius hospitij violatum terræmotu funditus perierit.

Hospitio excepti partes. III Veniamus ad partes τοῦ ξενισθέντος. Huius primaria virtus est modestiæ esse memoré, boni consulere præsentem fortunam: prodesse etiā familiæ. In Christo illius habemus exéplū. Apud Martham tenuiùs poterat excipi & boni consuluisset: prodest familiæ grati hospitis more, docet familiam de rebus vtilibus, & inter auditores etiam habet Mariam desidétem ad pedes: reprehendit etiam vitiosa, vt in Martha, curiositatem variam: in Pharisæo superstitionem lauandi, Luc. 11, in alio Pharisæo ambitionem in primo accubitu capiendo, Luc. 13. docet etiam qui inuitandi sint & similia: per cætera modestum & gratum benefactoribus sese præbuit: maiora semper contulit & reliquit, quàm acceperit: vt est videre in Zachæo, Petro, Matthæo, Lazaro à quibus hospitio susceptus fuit magno cum fructu.

Ac modestum oportere esse aduenam, monet etiam Menandri ille versiculus: ξένῳ μάλιστα συμφέρει τὸ σωφρονεῖν, modestum esse peregrino maximè cófert. item is, ξένος ὤν, ἀπράγμων ἴσθι, καὶ πράξεις καλῶς, peregrinus cùm sis ne esto curiosus, & bene facies.

Ideóque Christus etiam suos Apostolos noluit de domo in domum cursitare, cùm eos misisset: sed mandauit, vt in quam domum essent ingressi, in eadem manerent, edentes quæ apponerētur, hoc est, contenti essent tenui etiam victu & modestè sese gererēt. Quod etiā ipse Christus constantissimè seruauit, nullibi enim lautas epulas requirit, non arte paratas mensas: sæpe panes, pisces commemorantur, ex quibus de victus ratione iudicari vtcunque potest.

Et quemadmodum hospitem decet præsentem familię fortunam boni consulere: ita mores & συγξενισθέντας & eos qui simul excipiuntur ferre modestè oportet: non mordacem esse censorem, non superstitiosè alios vitare. Christus enim non solum hospitium Marthæ admittit, Petri, Matthæi, Zachæi, qui de numero fidelium erant iam facti: sed ingreditur etiam inuitatus ad Pharisæos, vt infrà cap. 11. & 13.

Similiter decet etiam conditionem conuiuarum commodè ferre. De Stratonico quodam citharœdo refert Ælianus, quòd cùm esset hospitio susceptus à quodam, liberaliterque tractatus: cùm mox videret alios etiam admitti in eandem domum sibi ignotos, mox recessit, inquiēs suo famulo, Videmur ἀντὶ περιστερᾶς ἔχειν φάτταν, & ὑπὲρ οἰκείας πανδοχεῖον i. loco columbę habere palumbē, & pro domo publicum diuersorium reperisse. Volebat is solus excipi & frui liberalitate aliena. Morositas est, non alios posse simul ferre. Christus fert peccatores publicanos in eadem mensa & hospitio, &c.

AElianus Var. hist. 14. c. 14.

Hospitalitas ornamento est piis. IIII Porrò hospitalitas, vt est elegantissimum ornamentum vitæ Christianæ: ita ad pios singulariter spectat: & est his singulari studio amplectenda.

1. A persona nostra. Est enim primùm humanitatis pars. Ac licet ab humanitate simus omnes dicti homines: tamen pauci agnoscunt humanitatem hinc à nobis requiri. Pij verò propriè affectum humanitatis ex se colligunt. Quò pertinet illa Augustini sententia, *Ille homo dicitur humanus, qui se hominem exhibet, & suscipit hospitio hominem.* Terentianus ille dicebat, Homo sum, humani nihil à me alienum puto: sed abutitur illa personæ conditione in filij indulgentia. Melius dicet, Pius homo sum, hominem ergo miserum libenter vt fratrem amplectar.

2. Vitæ cōditio. Deinde admonet eius nos etiam vitæ nostræ conditio. Sumus enim peregrini & aduenæ, cuius in peregrinorum susceptione suauiter admonemur. Abraham Genes. 23. ait, *Peregrinus sum & aduena.* & Iacob. 47, *Dies peregrinationis meæ 130. anni.* & Dauid Psal. 39. *Aduena sum ego, & peregrinus*: non aliter de vita hac loquuntur sinceriores philosophi. Cicero eleganter ait, Ex hac vita discedo tanquam ex hospitio: natura enim commorandi locum, non habitandi dedit. Dicamus ergo ξένους ξένιζε, καὶ γὰρ σὺ ξένος εἶ: hospites liberaliter suscipe, nam & tu hospes es.

Et sanè arbitror hinc promiscuè Græcis ξένον dici tum excipienté, tum exceptum, vt discrimen sublatum appareat: & Latini hospitem ambiguè appellarunt. Sumus igitur reuera hospites, hoc est, peregrini, hîc: decet ergo quod nomine exprimimus & reuera sumus, officio etiam liberalitate declarare.

Quæsiuere in hac re magnam laudem homines Ethnici: vnde illa ambitiosa vocabula πρόξενος, ἐθελοπρόξενος, δορύξενος, ἀστύξενος, ξεναγός, ἰδιόξενος. Fideles maiori spe & laude illa officia præstare & debent & possunt: & sanè turpe sit vana laude ductos homines plura præstitisse, quàm faciant fideles vera laude & præmiis certissimis excitati.

Præmia

Præmia autem sunt: non hospitium pro hospitio: non sedere in theatro: sed pro hospitio regnum cœlorum, pro honore in theatro, honor inter Angelos & electos Dei, quæ ita liberaliter promittit Dominus Christus, vt haustum etiam frigidæ aquæ ornaturus sit & remuneraturus ampliter. Præmia amplissima, piis hospitalibus.

Sed est alterius etiam boni hîc reposita spes magna. Recipis hominem: quid si maior hîc lateat natura? Recipit Loth homines vt apparebat: sed re perpensa Angeli erant. Abraham itidem videbatur homines recipere peregrinos tres: sed vide rem admirandam, Deus est, qui recipitur, quanta hęc est dignitas? quanta maiestas, Deum habere conuiuam, Angelorum habere congressum & familiaritatem? non sanè Crœsi diuitiis, Sardanapali voluptatibus, Alexandri imperio permutarem tale hospitium. Hoc argumento etiam vtitur Apost. epistola ad Hebr. c. 13. *Hospitalitatis ne sitis immemores: per hanc enim quidam inscientes excepere Angelos hospitio.* Sed & Christus filius Dei sic excipitur. Quicquid vni ex minimis suis fecerimus, id sibi factum interpretatur filius Dei. *Qui receperit vos, me recipit*, Matth. 10. & Luc. 9. *Quicunque me recipit, recipit eum qui misit me.* In paupere igitur Christus recipitur: in Christo ipse Pater cœlestis & creator rerum omnium recipitur.

Hinc nobis relinquitur etiam metus mali expendendus. nam si in paupere suscipitur Christus, quid fiet? ergo in paupere facilè excluditur Christus. Et quid iniustius, quid acerbius continget nobis, si tandem patefiat nos Christum sub pauperis specie aduenam exclusisse? de qua re sanctè admonet Augustinus, Disce Christiane sine discrimine exhibere hospitalitatē, ne forte cui tu domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Christus. meliùs igitur est malum sub specie boni etiam recipere, quàm bonum excludere: meliùs fertur malus, quàm excludatur bonus: tolerabilius est ingratum recipere, quàm Christum excludere. 6. Metus ne Christus excludatur.

Et quod suprà diximus: pij semper huius fuere studiosissimi. Recensui priùs Abrahæ, Lothi, Bethuelis, Labani exempla: quibus addi possunt Rahab illa, Iosuæ 2. quæ exploratores magno commodo suscepit. In Act. cap. 8. Publius Paulum recipit cum suis magna vtilitate. Zachæus itidem, Petrus, Matthæus, Lazarus cum sororibus idem officium Christo præstitere priuata cum salute. Imitati sunt illos postea pij viri, & honestæ matronæ in primitiua Ecclesia. Paula in Bethlehem publicum construxit hospitale, vt testatur Hieronymus. Idem refert de Fabiola quæ in Mytilene hospitale construxit in portu Romano, vbi olim eiectus fuerat Paulus è mari. Fecere idem alij aliis locis, hinc monasteria tandem enata, hinc Xenodochia adhuc nostra habet ætas, maiorum extructa liberalitate. 7. Exempla vtriusque testamēti.

Verùm lex eius studium nobis debet in primis commendare. Iudæi de peregrinis alendis peculiarem habebant legem, vt est videre Leuit. 23. Deut. 1. Christiani à Christo eandem repetitam habent, Date & dabitur vobis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Et illis ad sinistram dicet, hospes eram, & non collegistis me. Quare legem Christi esse scire debemus, vt simus hospitales. 9. Lex scripta.

Eam confirmat lex etiam naturæ, & ius gentium. nam naturæ est regula, *Quæ tibi fieri vis, alteri feceris.* Item, *Quæ tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Inde etiam Respub. bene institutæ illius aliquam habuere rationem: vt de Lucanis legitur, publica pœna cautum apud eos fuisse, ne quis post occasum solis aduenam arceret à domo sua. Hinc negotio huic præfecere poëtæ Iouem hospitalem, qui violati huius iuris pœnas exigeret ab improbis. Homeri versus est, ζεὺς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάωντε, ξένωντε. & Vergil. ait Iupiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur) quæ sanè rectè dicuntur. Pij tamen homines Deum ipsum & Filium Dei Christum harum rerum esse vindicem norunt: ideóque sese ad hoc tam pium & necessarium officium accommodabunt non coactim, aut neglectim. 10. Ius gētium.

DE CONVIVIIS.

LOCVS CIIII.



CHRISTVS Saluator ingressus est ad quendam Pharisæum sumpturus cibum, Luc. 14. Vtili sanè exemplo nos admonens de conuiuiorum ratione.

1. Nam bonos viros interesse epulis lautioribus docuit: sed & malos palámque impios in conuiuiis non fugiendos à bonis.

2. Nam apud Pharisæum diuertit, & inter Pharisæos obseruantes eum, discumbit.

3. Adde quòd hoc loco ipse mox differit de ipsis conuiuiis, qui inuitandi sint, quæ sint inuitatorum partes: non morosè recusare, non ambitiosè etiam in iis versari. Conuiuiorum ratio quā docuit Christus.

Dicamus igitur breuiter de conuiuiorum ratione, ac primùm de tempore sumendi cibum, uod veteres obseruarunt. II. de loco conuiuiorum. III. de ipsis conuiuiis. IIII. de apparatu, uò spectabunt mensæ primæ & secundæ.

Origo conuiuiorum ab ipsa humanitate profecta est. Nam quos natura voluit simul viuere,

Conuiuiorum origo.

eosdem vna frui mensa, docuit, vt simul & ederent & biberent. Hinc conuiuium Latini dixerunt à conuiuendo, quòd vna viuerent qui simul ederent & biberent.

Hinc rectè Cic. inquit, Bene maiores accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt: meliùs quàm Græci, qui hoc idem, tum compotationem, tum concœnationem vocant: vt quod in eo genere minimum est, id maximè probare videatur, &c. Ciceronis est sententia, conuiuia à conuiuendo dici, quia vitæ habeant coniunctionem & quasi conuictum.

Conuiuiorum variæ formæ apud Græcos.

Græci συμπόσια dixerunt, à συμπίνειν à combibendo, vel, vt Cic. inquit, compotationem à compotando: hinc συμπότης combibo, συμποσιάρχης rex conuiuij vel Dominus: συμπόσια Σωκρατικὰ, συμποτίκοι λόγοι, & similia.

Σύνδειπνα vocarunt, vt Cic. inquit, concœnationes, ita quidem Latini elegātiùs à vitæ coniunctione, conuiuia, quàm Græci συμπόσια. vel, σύνδειπνα à compotando vel concœnando appellarunt. Non tamen desunt qui conuiuia dicant quasi combibia dicta fuisse antiquitus.

Εἰλαπίνη Græcis dicuntur solennia & splendidiora conuiuia, qualia in sacris publicis exhibebantur, anniuersariis, die natali, nuptiis, vbi conuiuæ alterius sumptu viuunt, hinc dictum παρὰ τὸ λαπίζειν, quia abliguriunt alterius bona.

Ἔρανος autem conuiuium dicitur, ad quod singuli sua conferunt quòd si singuli edulia secū afferant & missus, dicitur ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, quasi dicat à sportula qui mos maioribus nostris in vsu fuit, vt vicini & amici crebrò conuenirent sportula secum allata, *turg ieder sin essen mit im.* Hodie conueniunt sed κατὰ σύμβολα, hinc συμβολικοὶ ἔρανοι, *da ieder sin vrti gibt.* idem genus conuiuandi dicitur τὸ δεῖπνον ἐκ συμβολῆς.

Δαὶς etiam conuiuium est, sed sumptuosè & solerter instructum. Nomen habet à diuisione & distributione, hinc δαιτρὸς ὁ τραπεζοκόμος, hoc est, qui in mēsa singulis distribuit carnes & similia, quod officium apud nos hodie honoratiores interdum obeunt: aliàs iuniori iniungitur, *hoffieren* appellamus.

Ευωχία dicitur publica comessatio παρὰ τὸ εὖ ἔχειν αὐτῇ, *ein frœlich gmein mall.*

Συσσίτια conuiuia sunt contribulium, quales apud Lacedæm. Lycurgus instituit: hodie sunt in tribubus adhuc in vsu apud nos Calēdis Ianuarij, ad initia noui anni, & ad festū resurrectionis, quando renouantur Reipub. proceres: ad diem D. Iacobi, cùm præfecturæ reficiuntur.

Verùm ista nomina, vt & alia, luxus hominum reperit, postquam à maiorum sobrietate & parsimonia deflexerunt homines. Primùm enim homines raros habebant festos dies, rariora conuiuia, rarissimas comessationes: solùm ad necessitatem, non ad gulam subministrantes victui necessaria.

Momenta vel horas sumendi cibi non semper obseruarunt: alij manè solùm, alij circa meridiem, alij vesperi mensam adornarunt. Mercenariis ter adornatur etiam hodie: diuites quater vt plurimùm saturantur, alij quinquies, nonnulli semper pleni, ieiuni nunquam aspiciunt solē.

Ἀκράτισμα nobis est ientaculum, quod manè sumitur ante labores, silatum quibusdam dicere placet *Ein morgen suppen.* Dicitur autem ἀκράτισμα διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν ψωμὸς, quia bucellam panis vino intinxerunt summo manè, hinc Athen. πρωΐνιον ἔμβρωμα dicit. i. matutinum pastum.

Deinde subsequebatur ἄριστον vel δόρπον, post ortū solis & labores susceptos, & ἄριστον quidē dixere quasi ἀόριστον, quia non erat ei certa præfinita hora: sed alij alia hora se eo saturabant: hinc fieri potest, quod olim nihil distulerit ἀπὸ τοῦ δείπνου, tamen posteri & tempore & apparatu effecere vt differret. aliis placet ἀπὸ τῶν ἀρῶν dici, hoc est à precibus: ἀραὶ enim preces sunt, sine quibus non accedebant ad capiendum cibum. δόρπον verò iam cœnam iam prandium appellant: quod & ipsum argumentum est, horas non fuisse obseruatas: hinc ἄριστον quia incerto tēpore & δόρπον quia post labores peractos sumebatur, quasi dicat, ἐν ᾧ δόρυ παύει, hoc est, hasta quiescit: amicitiæ. n. & humanitatis admonet: nihil hostile hîc admittens: *das morgenbrott.*

Tertiò est merenda, antecenium ἑσπέρασμα circa meridiem sumebatur, alij circa vesperam, inde nomē sumpsit, *zu abenessen, zummiß, abenbrott,* quæ & ipsa nomina hodie à vespera sumpta sunt, cùm tamen circa meridiem exhibeatur etiamnum apud nos.

Quartò, iusta sequitur cœna, post occasum solis, aliis vespernam dicere placet, Græcis δεῖπνον. sed & in hac voce horas non fuisse obseruatas constat, nam pro ientaculo sumitur: quò facit origo vocis. δεῖπνον enim dicitur, μεθ' ὃ δεῖ πονεῖν: quia à prandio est ad labores redeundum: sed tum δόρπον pro ἑσπερινῇ τροφῇ accipies.

Quintò addunt gulæ dediti post-cœniū, hoc est, μετὰ δόρπιον ἐπιδείπνιον & μετὰ δορπίσματα, *schlafein ftrunck*, qui ad secundas pertinet mensas, de quo in apparatu dicemus.

Ista consueta sunt edendi momenta. Tempora autem publicorum conuiuiorum non eadem sunt, quemadmodum non vbique iidem sunt festi dies, non eadem nuptiarum tempora, feriarum, mercatuū, natalitiorum, magistratuū electiones. Quare ad alterum veniamus membrum,

Cōuiuiorū loca.

II. Locus conuiuiorum, priuatorum priuatus est: & in quotidianis cum domesticis epulis, mensa simplex. Olim cespes pro mensa fuit: postea mensa est reperta, ac sensim crescente gula, mēsis accessit pretium ex assere, fraxino, robore: quadratas & rotundas confecere olim,

vt etiam

vt etiam hodie. Luxuria mox citrias, eburneas: Heliogabalus argenteas habuit. Accessere biclinia, triclinia, hexaclinia, heptaclinia in quibus totidem discumberent conuiuæ.

Priuatorum conuiuia lautiora cum amicis & aduenis, loco lecto ad id celebrari solita sunt: vt conuiuium Periandri in Lechæo extra vrbem celebratur. L. Crassi in Tusculano, Xerxis sub platano in Lydia, Luculli in Tusculani Apolline, vbi Pompeium & Ciceronem excipit conuiuio coronatorum 1250.

Publica ciuium conuiuia in tribubus, in Sparta factum est: & in Rep. publ. Platonis sub dio: hodie contribulium conuiuia in tribubus fiunt. Christus etiam cum discipulis suis in aula strata cœnam instituit: & apud Pharisæos sæpiùs diuertit.

III. De conuiuiis agendum est. Veteres de conuiuarum numero studiosè egerunt. Varronis sententia fuit, referēre A. Gellio, tres ad minimum oportere esse: ne gratiis pauciores sint: nouenarium autem non excedant, ne musas superent; ideóque septem conuiuium manere, nouem autem conuitium esse: tamen hic numerus non est obseruatus. Homerus admittit decem, Plato adhuc plures. L. Verus imp. cum duodecim accubuit Romæ, nouo exemplo, vt refert Capitolinus. alij alio delectati sunt numero. Cōuiuarum numerus varius apud veteres.

Callias apud Xenophontem octo habet conuiuas. Autolycum iuuenem, Lycum patrē Autolyci. 3. Socratem. 4. Antisthenem. 5. Charmidem. 6. Niceratum. 7. Critobulum. 8. Hermogenem. sed accedunt insuper alij sua sponte: vt Philippus γελωτοποιός, & Syracusius quidam adducens secum αὐλητρίδα & puerum κιθαρίζοντα.

Apud Platonem Agathon habet. 4. conuiuas, Phædrum. 2. Pausaniam. 3. Eriximachum. 4. Socratem, sed adducitur Aristophanes vt vmbra. Alcibiades irruit etiam ebrius, adducit secum ipse coronatus tibicinem: coronat Socratem quoque, ac magnis poculis propinant ἐπιδέξια.

Periandri conuiuium sumptuosius est: habet enim septem sapientes conuiuas, qui sunt Solon. 2. Bias. 3. Thales. 4. Anacharsis. 5. Cleobulus. 6. Pittacus. 7. Chilon. ac præter hos adsunt alij conuiuæ octo, Æsopus, Cleodorus, Niloxenus, Cleodemus, Mnesiphilus, Diocles, Ardalus, Chersias: his interest ipse Periander.

Et ante conuiuium disserunt de multis, de monstro quoque quod contemplantur. In ipso conuiuio pauca conferunt, post conuiuium libationes fiunt, coronati incipiunt disserere de variis quæstionibus: cedit tamen priùs musica, tandem è conuiuio quoque discedunt mulieres, Melissa cum Eumete, & quod mirabile est Nisoxenus hospes ex scripto recitat ænigmata, quæ sapientibus proponunt soluenda.

Hodie numerus conuiuarum liber est, & ad arbitrium amicorum ferè instituitur, præsertim si ex sportula fiant, aut ἐκ τῆς συμβολῆς.

Sed hîc dignum est obseruare pietatem accedentium conuiuia & epulas. non indignum est, quòd ἄεισον ἀπὸ τῶν ἱρῶν, hoc est, precibus dici quidam volunt, quod cum gratiarum actione oporteat accedere. Preces in mēsa.

Proinde in conuiuiis sint libationes solennes: in primis verò à libationibus principium ducitur, libatur autem diis & benè precatur conuiuis. Persæ ante cibū de modestia differebant, & antè sacrificia de iustitia. Gymnosophistæ Indorum, ante cibū iuuenes interrogabant, quid sapienter dictū aut factum esset ab illis eo die: qui nihil in medium afferre poterat, impransus excludebatur tanquā iners & piger. Sacræ literæ vbique preces inculcant, quem morem sancti obseruarunt, vt cum precibus auspicarentur, ac cum gratiarum actione à mensa discederent

Ornatus in conuiuiis modestus esse debet. Antiquitus nullus erat nisi simplex mundicies: postea coronæ adhibitæ sunt, hinc coronatus Socrates & Agathon aliíque apud Platonem. Ministri mensarum coronati cibos inferebant, interdum etiam cum cantu & tibicine Christus noster requirit vestem nuptialem: ex quo colligi potest in nuptialibus conuiuiis apud Iudæos inuitatos ad epulas, suas habuisse vestes nuptiales. Vestis nuptialis Christianorum est ipsa fides ac pietas.

Bibendi mos & hilaritas in primis obseruatur in conuiuiis. nam hilares decet esse συμπότας, vnde & εὐωχίας nomen descendit. Bibendi verò & propinandi consuetudo antiquissima est. Nam apud Platonem conuiuæ se inuitant præbibendo, in principio conuiuij minoribus poculis, in fine demum maioribus, quòd Græci semper ferè obseruasse videntur, & Romani idē sunt imitati: hinc illud Græco more bibere: & solenne erat in conuiuiis illud, aut bibe, aut abi. In Xenoph. symposio minoribus & rorantibus initio poculis vtuntur, quod Cicero quoque in Senectute obseruauit. Fuit is mos etiam Scytharum, inde Scythissare prouerbium: & Germanis inciuile videtur, sine inuitatione bibere, nisi vbi id leges publicæ prohibent. Hilaritas & mos bibendi.

Pertinent huc sermones conuiuales, de honestis & eruditis rebus, quibus non solùm reficiatur animus hilaritate quadam, sed melior efficiatur. Apud Plutarchum vtiles inducuntur quæstiones ænigmaticæ, plures in symposiacis λόγοις. Platonis de Amore nō satis pudici sunt. Christi sermones conuiuales pietatem spirant: docet enim vitare ambitionem in conuiuiis, ne πρωτοκλισίας affectemus: quales oporteat inuitare conuiuas, pauperes & egentes, qui nihil tale nobis rependant: non esse ad gratiam instituenda symposia: sed vt placeamus Deo nostro Sermones conuiuales.

creatori. In vltima cœna plures habuit sermones de diuersis rebus, quibus erãt admonendi discipuli ante suam mortem: de quibus vide Ioan. à cap. 13. per sequentia aliquot.

In primis sobrietas obseruanda est, nam cùm saturitas quæratur, & quantùm naturæ sit satis, cauendum est, ne naturam molestemus copia: in qua re veterum laudanda est virtus, qui sobrietatem ita coluere, vt, ebrium deprehendi suprema habita sit turpitudo. in qua re historiæ Romanæ multa suppeditant exempla. Nostræ historiæ non ignobiliora.

In Plutarchi symposio seruatur decorum. Sapientes enim sobrij manent: non perinde apud Platonem: qui omnes propè temulentos dimittit, & Socratem ipsum bibacissimum facit: quod sanè non laudo. Hodie nostra conuiuia rarò carent temulentia, nisi adsint graues aliqui moribus viri, quorum authoritate reliqui retineantur. Admonent nos sobrietatis miserandi casus & luctuosi euentus, qualis est Lapitharum pugna, Alexandri furor, qui ebrius transuerberat Clitum amicissimum hominem: notus est Luculli luxus ex Plutarcho, qui Ciceronem & Pompeium solum excipit in Apolline, subitaneo conuiuio indicibili sumptu: sic Cleopatra cum Antonio certat de luxu, Verùm de luxu iam plura in apparatu dicemus.

Cõuiuiorum apparatus.

IIII. Vltimum nostri instituti erat apparatus. Fuit introductus crescente gula. Nam antiquitus sine omni apparatu, simplici more adornabatur symposium pro necessitate, non pro ostentatione & luxu.

Luxuria mox reperit varium apparatum: ita vt certatum sit de pompa & sumptibus. Inde Sybariticæ mẽsæ, Syracusiæ, Chiæ, Græcæ, Italicæ. Afoti populi & Selgæ nobilitati sunt probro magis & flagitio, quàm virtute aliqua.

Romæ olim magnificus apparatus erat, vt epulæ trinis ferculis distinguerentur. is mos hodie durat in plebe, vbi tres adhibent missus, *dry trach tenn.* hinc ad sena & plura itum est fercula: vt & hodie apud nobiles. S. Rullus Romæ primus integrum aprum vna mensa apposuit. Heliogabalus, 22. fercula vna cœna admisit. Caligula ex auro etiam patinas & obsonia apposuit.

In piscibus summam luxuriam tripartitò distinguebant, vt vna esset murenarum, altera luporum, tertia mixtionis piscis, & ne frigescerent, focos quoque cum obsoniis transferri institutũ est. quod hodie videas quoque, foculos enim patinis subiiciunt ignitis carbonibus.

Sed distinguamus apparatum, vt alius sit laudabilis, alius illaudabilis, de quo modo diximus qui luxum complectitur varium, pro hominum gula inductum.

Laudabilis autem apparatus est, qui seruit personis moderatione honesta obseruata, atq. hic conspicitur tum in prima mensa, tum etiam in secundis. Primæ mensæ cibus consuetus olim erat, ouum, mel, nuces, hinc carnium lances vel piscium. Sal omni mensa adhiberi solebat tanquam amicitiæ symbolum. Romani lactucas addebant, ad coërcendam ebrietatem. Pisces autẽ & carnes, simul eadem coniungere mensa veteres non solebant, & medici dissuadent. hodie tamen non satis instructa videtur mensa, nisi coniungantur.

Secundæ mensæ.

Secundæ mensæ, δευτέραι τράπεζαι primis subnecti solebant, vt epilogus in oratione: & catastrophe in comœdiis, honesta ratione & physica introductæ sunt ad concoctionẽ & digestionẽ ciborum. Alij poma & mel secundis mensis dedicarunt, alij semen papaueris quoque albi cum melle & lactuca ad conciliandum somnum. Pertinent huc vuæ, ficus, pira, arboreiq. fructus alij. Iberi glandem quoque huc referebant. Græci oua cum turdis, leporinas carnes, mellitas placentas, linguas tostas, tanquam sermonis symbola. alij vina dulcia huc inferebant, quæ Liberi bellaria dicebant. Plato ficus, ciceres, fabas, myrthi baccas, glandes de fago prunis tostas approbat. Has secundas mensas, Atticæ deliciæ in primis extulere, vt in his exquisitiores. Hodie arborei fructus in vsu sunt, ficus, pira, poma, amygdala, caseus multiplex, &c.

Bellaria.

Hęc communi nomine Bellaria sunt Latinis dicta. Gręci τραγήματα dicunt πέμματα, μεταδόρπια, ἐπιδορπίσματα, ἐπίκλεια etiam apud Athenæum dicuntur. Nos simpliciter *Schlafftruck Nachtisch* vocamus.

Missus verò illationes, *trachten*, Græcis sunt ἐπιφορήματα. vocatores verò qui inuitatos conuocabant δειπνοκλήτορες sunt. Rex conuiuij etiam βασιλεὺς, qui singulis imperabat facienda, dicendi locum dabat, distribuebat conuiuis carnes & ferculorum partes. Nos sobrietatem discamus, & luxum tanquam pestem fugiamus: qui enim ad gulam sese totos conferunt, multis sese implicant malis, vt plurimum pietatem exuunt, lasciui & maledici redduntur: quale de Timocreonte Rhodio citatur epigramma,

Πολλὰ πίων καὶ πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ κακ᾽ εἰπὼν
Ἀνθρώποις, κεῖμαι τιμοκρέων ῥόδιος.

Qui multum bibi & multum voraui & multum maledixi
Hominibus, iaceo Timocreon Rhodius.


Molles etiam redduntur & timidi. Athenienses tandem cicadas aureas in capillo gerebant: & pueri eos cum sellis complicatis sequebantur, vt sedere & in publico commodè possent. Sed quid? imperium amisere istis moribus, & ad bellum minimè amplius idonei fuerunt.

Sed & paupertas tandem extrema, & comes inopia cum desperatione multos oppressit, vt Periclem, Calliam & Niciam, qui omnes ad paupertatem redacti, sibi mutuò cicutam propinarũt: & meritò quidẽ. nam cùm vasa sint epularum, & quasi tartarus esculentorum ac poculentorum,

rū, vbi hæc defecerint, desperatio meritò eos suffocat. De Sybaritis referūt quòd eo ipso anno perierint, quo excogitarunt ferculum ex oleo & gato: quòd quale sit, ignoralle præstat. Verùm non est instituti nostri de luxu hic disserere: de conuiuiis igitur hactenus dictum esto.

DE LABORE MANVVM.

LOCVS CVI.



LABOREM manuum accipimus pro omnibus honestis occupationibus externis, quæ non tam ingenium quàm manum requirunt, hoc est, actiones hominis, quas Græci vocarunt πράγματα, vnde πρακτικὸν genus deriuatum est, quod theoriæ opponitur. Vocarunt & πόνον à πένεσθαι verbo, quod significat σπουδαίως ἐνεργεῖν, studiosè in re quapiam operari, quod proprium videtur rusticæ vitæ, & mechanicis artibus. Quanquam ἐνέργεια latiùs pateat quàm πόνος ac κόπος, vox μόχθος ærumnosos significat labores, quibus adsunt infelices casus, siue ἀτυχήματα. Quid sit labor manuū.

2. Duplex igitur labor est, alius ingeniorum, quales sunt studiosorum hominum occupationes, de quibus dictum est in loco diligentiæ. Alius corporis, qui manuum vtitur instrumento, & is vel mechanicus est, vel rusticus, vel mercenarius, & his similes: qui omnes vitam πραγματικὴν degunt, de his igitur agemus. Diuisio.

3. Porrò, necessariam esse admonitionem, vt singuli honestis occupationibus vitam suam degant, hinc constat, quòd Scriptura crebrò laborem manuum commendat, & inculcat, vt 1. Thes. 4. & 1. Cor. 4. 2. Thes. 3. Deinde quia passim otiū damnat, & fructibus carnis connumerat. Accedit experientia, quæ clamat maiorem hominum partem, occupationes pias & honestas fugere, otióque magis qualicunque delectari: contra quam inertiam diligēter clamandum est.

Ac res quæstione digna est, cùm Diuinitus ad labores conditi simus, nec sine his vita possit cōseruari, quî tandē fiat, quod adeo pauci laboribus delectētur, otium omnes auidè quærant?

1. Responsum est variè ad hanc rem. Quidam causam referunt in sensu neruorum, qui labore offensi dolorem accipiunt, ex dolore molestiam, hinc consilium de vitādis laboribus. Verùm non esse hanc veram causam, inde paret, quòd hic sensus laborum in reliquis animātibus, neruos non minus afficiat sensu doloris, quàm in homine. Quæ tamen ob id labores non refugiunt, vt gallina pro pullis cum miluo congreditur, laborat pro eis ad mortem vsque, sic feræ omnes hunc laborem alendi & defendendi sobolē multò auidius suscipiunt quàm homines, & extra hunc naturalem amorem omnes animantes laborant auidius naturæ ductu, nullis legibus adactæ, vt formica sine monitore laborat. Apes non nisi cum vita studium laborādi deponunt. Cur homo non pari inclinatione ad labores fertur? Si sensus molestiarum in causa est, cur animantes non perinde impedit ac hominem? Cur magis otio quàm laboribus mundus delectetur. Ad studium laboris nos sollicitāt animantia.

2. Alij respondent, quietem magis esse secundum naturam, contrà laborem vim naturæ facere, eámque euertere. Sed ne isti quidem audiendi sunt. Nam vita ipsa est ἐνέργεια non est ῥαθυμία, hoc est, est actio, non quies: & vita beata, actio est: ipse Deus in actione est, non in otio. Quo argumento confutatus est Epicuri Deus, Si enim otiosus est, & nil curat, vtique Deus non est. Deus semper est in actione.

Alia igitur causa subest, nimirum corruptio naturæ hominis, cui debemus odium laboris honesti, desiderium otij. Quæ si non esset, homo perinde, imo felicius pareret Dei mandato, quàm bestiæ. Nunc verò homo sensum istum amisit: aut certè corruptum habet, ideo legi Dei de honestis laboribus non paret, bestiæ verò parent, & naturali ductu ferūtur ad suos labores, quos dictat ipse sensus quem à Deo habent, nec repelluntur oppositis molestiis, etiam vitę periculo. Hinc est quòd Solomon Prou. 6. nos remittit ad formicas vt inde naturæ ordinationem discamus: Vade piger ad formicam, quasi dicat, bestiæ vltro legi Dei parent, homo non paret, quia corruptus est. Hanc veram puto esse causam, confirmatur autem in dies magis senio mundi, & Magistratuum negligentia, qui disciplinam publicam de honestis occupationibus, quam seuerissimè debebant retinere. Odium laboris procedit à naturæ corruptione.

Omnes historię laudant Saturni Regnum vetustissimum, quod Poëtæ quoque celebrarunt, quia sub eo vita rustica erat in vsu, & simplex iustitiæ erat regula. Sic de vetustate loquitur etiā Chrysostomus Homilia. 2. ad Titum cap. 1. Antiquis viris vita omnis erat operosa, totáque in labore & certamine, nobis autem non sic, sed tempus omne per negligentiam ducimus. Nouerant illi profectò se ideo in hunc mundum esse deductos, vt placita illius qui ipsos considerat, facerent: nos verò quasi ideo simus conditi vt edamus & bibamus, ac deliciis operam demus: magna ex parte otiamur. Hanc corruptelam debemus negligentiæ Rerumpublicarum, quæ non satis seueriter in otiosos inquirit. Saturni regnum.

II. Videndum igitur deinceps quibus rationibus nitātur honestæ occupationes, labórque manuum vt meritò otio præferri debeant. Qui rem accuratius considerauerit, facilè perspiciet

ad fontes Iuris referri posse, necessitatis, honestatis, ac vtilitatis: tamẽ iuris ratio reliquos peperit, quia enim iuris Diuini est labor, ideo necessarius & honestus & vtilis esse rebus mortalium conuincitur. Id paucis declarandum est.

Labor manuũ à Deo ante peccatũ præceptus.

1. Iuris Diuini est, quia labor manuum à Deo est homini præceptus, & quidem ante peccatum vt homo coleret hortum sibi à Domino traditum: post peccatum verò, vt in sudore vultus sui, suo vesceretur pane. Ideo Patriarchæ omnes laboriosæ vitæ sese tradiderunt. Sic in nouo Testamento præceptum Domini est vt singuli suas agant res, & laborẽt propriis manibus, 1. Thes. 4. 2. Thes. 3. Idem voluit Christus in Parabola diuitis hominis, qui seruis suis talenta sua distribuit & negotiari iussit, hoc est, Deus Pater singulis honestas dedit occupationes in quibus vtiliter versari debent: quam stationem, qui deserunt, cum pigro illo seruo defodiente suũ talentum grauiter punientur. Ad hunc locum pertinent omnia præcepta in Diuinis literis quibus labor commendatur.

Ius naturæ.

Iuris rationem habet etiam natura, quæ labores quadam necessitate dictat & imponit. Natura laboribus omnes subiicit: Ergo omnibus sedulò in sua statione est laborandum, & fugiendum otium. Quomodo autem omnes subiiciat laboribus, hinc disce, quia laboribus nascimur, educamur, alimur, & tãdem morimur, ideo tota vita honestis debet occupationibus consumi. Huc mihi videtur Iob respexisse cap. 15. homo nascitur ad labores, vt auis ad volãdum. Vt igitur aues non sunt integræ, si organis volandi priuentur: sic semihomines sunt & bestiæ, qui labores, ad quos nati sunt, non exercẽt. Huc spectat suauis illa Pindari sententia, πόνων ὅτις ἀπέκλαρος ἐστιν, οὔτ᾽ ἔσεται, laborum nemo expers est, nec erit.

Pyth. 5. Epod 2.

Ius politiuum.

3. Ad iuris regulam pertinet, quod bene institutæ Respub. imprimis semper cauerunt otium illud iners, ac sedulò inquisierunt quid quisq; ageret, & vnde viueret & eos qui honestas otij causas non proferrent, grauiter punirent. Romæ in veteri illa simplicitate rustica, Censores hoc agebant, ne quis otiosus oberraret. Apud Græcos Lycurgi legibus iuuentus exercebatur laboribus, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. Draconis leges seueriores erant tanquam sanguine scriptæ: otiosos vita plectebat. Mitiùs Solon qui ignominia notabat eum, qui honestas occupationes vitæ suæ non posset proferre. Imperatores otiosos errones ad naues & metalla sæpe damnarũt. Qua in re nostræ Respub. admodum negligẽtes sunt, quæ in homines otiosos non inquirunt, nec quæ eorum sint occupationes curant.

Cicer. 2. Tuscul.

Necessitas.

Ex iuris fontibus fluit necessitatis ratio. Quia enim Dei est ordinatio: ideo necessariò laborandũ est, quia ordinaria via Deus non aliunde nos alere vult, quàm manuum laboribus. Hinc Græcis dictum fuit, τῶν πόνων πωλοῦσιν πάντα τὰ ἀγαθὰ θεοί. Dij omnia vendũt laboribus, & Horatius, *Nil sine magno, vita labore dedit mortalibus*: & illud Græci: μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν. i. qui beati esse cupiunt, necesse est vt ærumnas sustineant.

Honestas.

Sic honestatis ratio ex eodem manat fonte, quod enim Deus mandat, & natura iubet, & leges ciuiles imperant, honestum esse oportet: sed inde quoque honestas demonstrari potest, quia virtutis comes est labor. Nam virtus est habitus actiuus ἕξις πρακτικὴ, ex quo efficitur, laborem manuum, per se rem esse honestam, quemadmodum propria virtutis actio: quo fundamento dixit Hesiodus ἔργον οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δ᾽ ὄνειδος, hoc est, labor non est res turpis: sed otium res est fœda.

Deinde hinc efficitur, laboris studium esse generosi animi argumentum. Generosus enim animus in primis, ad Dei voluntatem respicit, & in rebus arduis honestatem sequitur, vnde Seneca dicit: Generosos animos labor nutrit: laborem si recuses, parum esse pntes. Eiusdem est, Non esse viri timere sudorem, & Sallustij sententia, Sæpenumero à viris sanctis audiui, munditiem mulieribus, laborem viris conuenire.

In Iugurtha.

Vtilitas latè patet, quæ & ipsa munita est iure diuino & honestatis ratione. Non possunt enim non vtilia esse honesta, & diuinitus imperata nobis, & quod attinet experientiam, vsus ipse docet rebus humanis plus prodesse laborem, quàm otium, quod eleganter dixit Appius Claudius de populo Romano, cui multò rectiùs negotium quàm otium cõmitti dicebat: id de hominibus in genere verissimum est: omnibus rectiùs negotium quàm otium committeretur.

Plus prodest labor quã otium.

Deinde labor in eo vtilis est, quia nihil illi est inuium: vt virtuti via nulla est inuia: labor improbus omnia vincit: quò & illud prouerbium. Quid tandem non efficiet manus? & græcum illud, τὸ συνεχὲς ἔργον παντὸς εὑρίσκει τέλος, continuatus labor in quauis re finem reperit. Hæc Domini est benedictio laboribus nostris sic benedicentis.

Multiplex laboris vtilitas.

Magnarũ sanè rerum effector est labor, & artium omnium, quod argumentum diligentiùs tractauit Aristoph. in Pluto suo, sub paupertatis persona, quæ recẽset quas artes suis laboribus repererit. vide locum.

Nobilitatis certè olim author fuit, & Græci dicunt. πόνος ὥς λέγουσι, εὐκλείας πατήρ, labor vt aiunt, nobilitatis Pater est. Vnde enim Herculi, Theseo, aliisque sua nobilitas? Non certè aliunde, quàm ex laboribus. Deus præmia vitæ æternæ promittit pauperibus ac laborantibus, qui etiam dixit, Dignus est operarius mercede sua, Luc. 10.

Et pœnas decernit otiosis. 2. Thess. 3. qui non laborat non manducet. 1. Cor. 3. quisque secundum opera sua mercedem accipiet, quid ergo otiosi accipient?

Opti

Opes etiam auget: rarò pereunt familiæ dum laboribus intenti sunt honestis: sed tum demum vbi otiari inceperint, epulari & superbire, πόνον πλοῦτος καὶ κῦδος ὀπηδεῖ, laborem sequitur Plutus & gloria.

Sed & valetudinis bonę custos est & morborum remedium, dum enim honestis laboribus & exercitiis exercentur corpora, bene digeritur stomachus, excitatur naturalis appetitus, feruet concoctio, corrupti humores excidūt per poros. Hinc morborum occasiones tolluntur, quasi præcisa materia.

Hinc otiosorum hominum fermenta sunt stomachi imbecillitas, perpetuæ purgationes, clysteres, balnea, sacrificationes, & alia mille, malè excogitata ad corporis carnificinā: nec tutum est corpus, quin podagra, disenteria, paralysi aliísque modis conficiatur: quibus omnibus malis labor vel solus & moderata dieta posset mederi.

Et in cibo quanta est gratia homini laboribus assueto? Condimentum certè est, quo carent veteres isti, & Vlyssea pecora. Optimū cōdimētum fames.

Quis, malùm, hic reperit tot bellaria, tot condimenta, pulueres, succos, electuaria, & mille alia, vt cibus sapiat palatui? Sunt illa hominum otiosorum inuenta, & eorum qui gulæ inseruiūt. Labor olim erat condimentum & quidem saluberrimum, & honestissimum, quod Laconius ille coquus rectè dicebat apud Dionysium non reperiri quod suaue redderet Laconicum iusculum: ne apud nos hodie bona parte reperias.

Et quoque memoria laborum actorum suauis, cùm otij ne honesta possit esse recordatio. Hinc illud quod ex Menādro citari solet ὡς ἡδὺ τοῖς σωθεῖσι μεμνῆσθαι πόνων, quod non malè Cicero 2. de finibus expressit, suauis est præteritorum laborum memoria, & illud ex triuio, Iucundi acti labores. Memoria laborū actorum suauis.

Hoc vitæ genus vt nobis cōmēdaret Spiritus sanctus in Scriptura, ipsum Deum laboribus ornat. Hinc opus creationis cœli, terræ, &c. dicitur opus manuum eius. Hinc opera Domini etiam dicuntur. Et Christus de Patre dixit Pater meus adhuc operatur, & ego operor. Et Filius Dei Christus opus habet quod operetur: salutem scilicet nostram. Ioan. 9. me oportet operari opus redemptionis. Filio Dei admodum laboriosum fuit, vt testatur historia Passionis. Operatur adhuc in cœlis ad dextram Patris, intercedendo pro nobis, regendo Ecclesiam, defendendo suos, mittendo Spiritum sanctum consolatorem in cruce, &c. Exēpla.

Patriarcharum vita tota pastoritia fuit, Abrahæ, Isaaci, Iacobi, &c. Apostoli laborarunt, in primis Paulus sæpe suos profert manuarios labores. 1. Thess. 3. Act. 20.

Romana Respublica florentissima fuit & firmissima dum dictatores, imperatores belli, senatores, consules ab aratro vocaret. Dum ad forū imperatores rapas esitarent, & imperarent diuitibus, quibus nummi in otio abundabant. Quando fuit Romana Respublica florētissima.

Græcorum historiæ suos imperatores laboribus quoque ornant, vt Themistoclem, Periclē, Cyrum, qui nec prandium nec cœnam capere solebat, quin prius sudasset.

In Romana historia illustre est Caij Furij exemplum, qui veneficij accusatus à vicinis, quia ager suus semper esset fertilior: in forum produxit bouem, aratrum, filiam addens. Ecce, Quirites, Mea veneficia hæc sunt: labores, vigilias, sudore proferre in conspectum non possum.

Sed quid opus est exemplis: tempus me deficiat, si in hunc locum sit incumbendum. Rei honestas, vtilitas, necessitas, hæc nos docere debebant. Sed omnium validissimum erat ad labores remedium, si pœnæ otiosis essent constitutæ, ac singulis suæ vitæ, hoc est, vnde & quibus facultatibus, quomodo vixerit esset seriò reddēda ratio. Quæ cura Magistratuū est diuino iure.

DE DILIGENTIA.

LOCVS CVII.



SÆPE de officio nostro in scholis disseritur, idque fit vtiliter, & necessariò. Sunt enim in scholis sua errata παραπτώματα, καὶ σφάλματα, quibus iuuentus decorum suum & officium negligit. Ideo in præsentia quoque fortè prętabit pauca quędam attingere, quæ diligentiam scholasticam concernunt. Sed vt dici solet, τὰ κοινὰ tractabimus κοινῶς. Finis scholarum.

Primùm igitur considerēt iuuenes, qui iam ex feriis ad studia redimus, quis sit scholasticorū cœtuum finis, vt enim omnium deliberationum & actionū certus est finis: sic istæ congregationes non frustra institutæ sunt. Prudenter dixit Aristoteles initio Ethicorum, quod omnis ars & methodus, pariter omnis πρᾶξις & προαίρεσις bonum aliquod appetat: quasi dicat, finem habent ad quem referantur consilia & actiones. Ideo cum scholastica vita sit προαίρεσις, hoc est, parentum consilio, magistratus instituto, amicorum consensu & præceptorum iudicio regatur, rectè in hoc constituto fines expenduntur. Hi fines non alij sunt quàm conseruatio sanæ doctrinæ in Ecclesia & vitæ innocentia. Ideo ad hasce tanquam metas referre debemus studia

nostra.Id quanti laboris sit euentus docet.

Cur certus elegit Deus in quibus coleretur.

Dominus Deus,initio generis humani,hæc duo,pietatem inquam,& virtutis studiū in medio omnibus proposuerat,sed reprobi ista mox corruperūt,ideo singulares cœtus elegit,à quibus coli rectè vellet,hi cœtus in familiis Patriarcharum primitus fuerūt. Sub Mose cœtum hūc auctiorem fecit in populo Iudaico,& congregationes instituit ad tabernaculum Domini. Ex eo Iudices,Rectores & Magistratus totius populi prodibant,vsque ad Templum Solomonis, tum enim cultus Dei & virtutis studium,Templo imprimis attributum fuit.Interim cùm multa illic,vt prius fierent simulanter ab hypocritis,Prophetæ suos etiam habebant cœtus vt videre est in Samuelis,Heliæ & Elisæi historiis.

Hoc nomine Christus quoque seorsim à Synagogis, quæ scholæ erant Iudaicæ, suas habuit cōgregationes:idem discipuli postea fecerunt,quæ Ecclesiæ primitus dictæ sint,quibus auctis fideles cœtus distinxerūt,vt alij essent discentium initia religionis:alij firmorum & tenentium veram doctrinam.Hi Ecclesiastici:priores Scholastici dicti sunt.

Scholastici cœtus.

In Scholasticis cœtibus præerant Catechistæ doctores pietatis,qui viua voce initia traderēt, & per interualla repeterent.Talis Origenes , & Clemens Dydimus & alij celebres fuerunt in Alexandrina schola.Nec alio fine instituta erat hęc ratio quàm vt puritas doctrinæ,& virtutis vera exercitia retinerentur.

In Europa eodem consilio primitus institutæ sunt scholæ ab Imp.Carolo Magno, Otthone Henrico & aliis.De Carolo Magno narrant historiæ,quòd opera Albini qui postea dictus est Alcuinus Parisiensem instituerit scholam.Scoti narrant duos ad illum Lutetiæ agentem, venisse ex Scotia salutatum nouum Regem,quos quid vellent cùm interrogasset,respondisse,se nouo & potentissimo Regi adferre sapientiam.Admiratus Rex nouitatem responsi, dixit hoc illi gratissimum esse munus,quæ autem esset illa sapientia,dixisse quod scholis audirent illum destitui,se ergo venisse,vt in scholis constituendis consilium darent.Itaque illorum opera Parisinam primum constitutam,ex qua aliæ deinceps prodierunt.Viderunt homines prudētes Imperium Caroli non posse consistere sine literis,& virtute:has autem in scholis optimè plantari in iuuenibus.ideo vtilissimum munus Carolo per eos exhibitum existimandum est.

Clem. & Ioan. in Cata. scriptorum. Britāniç. Cent I.

Scholæ igitur vt constitutæ sunt à Deo per pios Principes ad propagandam veram religionem,& ad retinendos bonos mores,hoc à nobis requirunt,vt diligentia nostra quemadmodū ad nos sana illa peruenerunt,ad posteritatē transmittamus,pietatem inquam,& bonos mores ne vitio & inertia nostra corrumpantur.

Pœnæ causæ vastantes scholas. Bellum.

Nam vt bono fine institutæ sunt,si ab eo recedamus,Deus variis modis easdem scholas vastare solet.Olim bellis per totam Europam vastarunt Hunni,Gotthi, aliæque barbaræ Gentes vt in transmarinis Insulis,Scotia & Britannia solum florerēt bonæ literę. Nostra tempora viderunt per Germaniam & Galliam multos Scholasticos cœtus dissipatos fuisse.

Pestis.

Mox accessit pestis domesticū ciens bellum,illa hic scholæ grauius dissipatæ sunt, præsertim apud eos qui intempestiuo metu pestem fugiunt,stationem suam & vocationem deserūt , aliis quoque authores & suasores sunt fugæ.Spiritus ille vertiginis est metū incutiens,vbi metuendum non erat,aut certè ob metum non erat deserenda statio.

Cur ob pestē nō sit deserēda statio.

Cum enim pestis flagellum Domini sit,non grassabitur sine certa Domini prouidentia nec in alios,quàm qui pœnis destinati sunt Diuinitus. Ideo dolendum est eruditos homines hoc prætextu scholas miserè dissipare,quas regendas & conseruandas acceperant.

Fames.

3.Accedit tertia pœna fames,nam vt pertinaciter pergimus peccando: ita Deus constanter pergit puniendo.Superioribus annis pestem experti,quæ tamen Dei beneficio in tanta funerum frequentia scholę vtcūq; apud nos pepercit,vt pauci ex auditoribus,(vt Doctorib.Dei beneficio nulli vno & altero excepto)absūpti sint. At metuendū est,ne fames magis cœtus istos dissipatura sit.In angustiā redigitur res frumētaria,vt multi agitēt cōsilia de sumptu scholastico minuendo,de stipendiis contrahendis,quæ si fiāt , manifesta erit cōtuberniorum dissipatio.

Quæ si fiant,pœnas Diuinitus immissas esse interpretemur. Non enim est quod putemus in his tot rebus malis nos peccando nil contulisse,non soli peccarunt idiotæ:sunt in magistratibus sua scelera.Idiotæ quoque sua habent errata,ordines omnes corrupti sunt.Nos etiā scholastica habemus peccata,regnat in scholis portētosa negligentia,petulātia,inobedientia,lasciuia:sūt ebrij,alij scortatione corpora sua pollūt,alij aliis malis laborāt, ne loquar de Academicis vitiis,vbi priuilegiorum prætextu peccandi quæruntur occasiones. Sed de nostris Scholis loquor.Pauci student quantū possent,plures non quæ debebant,maxima pars iners est,ac fruges consumere nati.Hæc mala Domini iram prouocāt in scholas, vt iusto odio & dignis pœnis prosequatur,bello,peste,fame.Nec putemus negligētiam esse leue crimen.ῥᾳθυμία est quæ passim damnatur in Scriptura:Vltimi mundi affectio est,vt dixerūt,Pax & securitas:aderit interitus.Docet Apostolus 1.Thess.5 Et Ezechiel cap.16.v.49.inter vitia Sodomæ reponit otium: & cùm otium turpe palàm dominetur in Scholis,non potest negari , quin Domini maledictio scholas premat,vt impleatur illud Ierem.48.v.10 *Maledictus qui facit opus suum negligenter.* Dominus enim vult singulos quàm studiosissimè in officio ac statione sua versari.

Negligētia nō leue crimen.

Nec his malis nos affligi satis est.Dissipantur etiam aliis modis scholastici cœtus vt dissidiis

ac con-

ac cõtentionibus docentium, cum mali bonis nequiter insidiantur, occasiones pellendi quærunt. Item cum rudes & imperiti asini contuberniis præficiuntur, vt fit: bonis prębendis inhiant Asini, & insinuãt sese officiis scholasticis in quibus inutiliter præsunt, sed suam rem magis faciunt, quàm prosint iuuẽtuti commissæ. Item auditorum petulantia recusantium honestam & necessariam disciplinam. hæc mala cùm regnent apud nos, non est quod conqueramur de malis præsentibus, nec enim effugere illa licet, nisi matura emendatione morum per singulos ordines, quod nisi fiat, repentinus nos obruet interitus. Corruptio scholarũ.

3. Nos in his expendamus nominis nostri originem. Studiosi dicimur à studio, hoc est, diligentia. Scholastici ab occupationibus scholæ. Græci σπουδαίους vocarũt Philosophiæ deditos, & φροντιστάς, qui in literis diligentiam præstarent. Ipsam diligentiam ἀκρίβειαν, hoc est, ingenij acumen & curam limatam & exactam: quæ nominis ratio nos officij admonet. Studiosi à studio dicti sunt.

Falsa enim est illorũ impudentia, qui ad patrociniũ inertiæ suæ dicunt scholã ab otio dici, vt in otio viuant turpiter. Nam Σχολὴ dicitur vacatio manuarij operis, vt ingeniũ intendi & exerceri possit, quæ sunt occupationes negotiosissimæ. Sic Scipio dicere solebat, se nunquã minus esse otiosum, quàm cum esset in otio. Itaque sciant antiphrasticè potius dici scholam, quasi minimè otiosam, quia multa sunt apud Grammaticos, vt bellum, lucus, parcæ, Eumenides.

4. Præterea turpis est in omni vitæ genere negligẽtia, ideo in honestissimo & negotiosissimo statu ferri nõ debet, imprimis in ipsis adolescẽtibus. Ideo laudatur sententia illa αἰσχρόν τε μοχθεῖν μὴ θέλειν νεανίαν. Turpe est adolescẽtem laborare nolle. Et rectissimè Imper. censuit, otiosos Scholasticos patriæ reddẽdos: hoc est, remittendos ad suos quasi inutiles ad literas, ad stiuam autem idoneos. Otium literarum dicitur antiphrastice.

5. Cõtrà diligentię apud omnes magna est laus. In bello & pace, industria admirabilis est: adeo vt aliorum in se conuertat oculos. Ideo à Græcis dictum est, Nobilitatis esse parentem, ὁ πόνος εὐκλείας πατὴρ, quia ex humili loco natos extollit, obscuro genere illustres facit. Quis enim nobilitauit Demosthenem? quis Ciceronem? Quis alios infinitos? nõnne industria & pertinax diligentia? Vis igitur emergere? vis laudari? laudanda facito. Diligentiæ magna laus.

Multa tulit fecitque puer sudauit & alsit,
Abstinuit vino venere & qui Pythia cantat.

Et sanè res si æqua lãce sit perpẽdẽda certiss. est apud me, plures nobilitatos industria literarum, quàm natalibus maiorum. Verum enim puto quod Græci dicunt ἐκ μελέτης πλέους, ἢ φύσεως ἀγαθοί, Studio plures, quàm natura nobiles sunt.

6. Accedit enim Domini benedictio, quæ labores reddit fortunatos, qua spe sese bona cõscientia erigere possint scholastici, bonis sci. artibus velle emergere, Deum etiam habere propitium. Hinc efficitur vt Deo aspirante humiles extollantur, splendorem generi suo afferant: Contrà nobiles degenerẽt, familias dedecorẽt, nobilitatẽ finiant. Deus enim superbis resistit, humilib. dat gratiã, Græci dicũt, τῷ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει. Gnauo Deus adest coadiutor. Grauis sentẽtia.

7. Sed quid dices? Diligentia illa est, sine qua maiora sperare non possis, causa est vt dicũt, sine qua ampliora non sis habiturus. Quod Dominus Christus dixit fidum in paucis, maiora accepturum, negligentem autem in modico, etiam id amissurum: & rectè. Nam animi opes crescunt & conseruãtur vsu, otio autem amittuntur. Ita sic vobis persuadete. Vis meliori vti fortuna? faber ipsi tibi sis fortunæ, qualem ingenio finges, talem habebis: faber quisque fortunę est, & presentibus vtere horis, ἐὰν μὴ φυλάττεις μικρὰ ταῦτα, ἀπολεῖ, καὶ τὰ μείζονα, nisi magni feceris bona præsentia qualiacunque, amittes etiam maiora. Quisque est sibi faber fortunæ.

8. Necessitatis etiam hic subest lex. Nam homo ad labores natus dicitur, vt auis ad volandum. Quæ est igitur impietas, collum huic Diuinæ regulæ subducere? indignus est hac cõmuni luce, qui communi mortalium regula viuere non vult. In sudore vultus nostri edendus nobis est panis noster. Quid ergo otiaris? quid stertis? quid bonas horas malè locas, quas melius locare poteras? Refert Aristoteles in Polit. Argonautas Herculem in naui inertem tolerare noluisse, cũ singuli sese ad remos exercerent: vt sciamus in Repu. bene instituta otiosos minimè ferendos esse. Itaque è scholis tanquam fuci à præsepibus arcendi erant isti ventres, & rudia pecora, qui scholas ob otium & victum sequuntur. Negligentia Herculis.

9. Qui honestam vtilitatem in literis respiciunt, illos non reprehendo. Nam Deus commodi spe nos in omni vitę genere inuitat, ad vigilantiam. Sic rustica vita certè habet commoda, quæ consequitur sedulus agricola, Oeconomia quoque sua habet solatia. Itaque in scholastica conditione præmiis excitantur ingenia, & conceduntur contentiones ingeniis liberalibus sine rixis & odiis. Et quemadmodum in aliis ordinibus sola diligentia fruitur commodis optatis bonę conscientiæ: ac si literis sola dominatur diligẽtia τῇ ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται, hoc est diligentiæ omnia serua redduntur, ac si dicas, Inuictum ei nihil est.

10. Sunt etiã grati illi acti labores. Solent iuuenes magno stupore aliquando audire senes recitantes sua pericula & vitæ discrimina quibus ad virtutem contenderunt, nec solum ipsis senibus suaues sunt tales narrationes, sed iuuentuti, quæ ad illa attonita sæpe stupet. Colligãt ergo sibi etiam maturè talium narrationum materiam, vt ipsi quoque senes facti, suis posteris recitare talia possint.

Scripta Demosthenis lucernam olebant. Plus olei quàm vini. Socratis lepidum responsum.

II. Addant etiam his suauissima exempla industriæ & studij, qualia plurima sunt apud Classicos authores. De Demosthene duo illustria referuntur. Prius quod scripta illius lucernã olêre dicta sint, hoc est, expolitam diligentiam, quia ad lucernam sit lucubrare solitus. Hinc dictum ἐνθυμήματα illius ὄζειν ἐλλυχνίων. Alterum quod interrogatus aliquando, quomodo ad cã dicendi gloriam peruenisset, respondit: Plus olei, quàm vini consumendo. Vtinam hodie non plus vini quàm candelarum insumeretur à studiosis.

De Socrate scribunt, cuius tamen passim nota est diligentia, quòd in senio didicerit fidibus ludere. Id quidam reprehendebant, quasi in sene iam & breui morituro superfluum, scitè respondit, Præstat serò didicisse, quàm nunquam. Κρεῖττον ὀψιμαθῆ, ἢ ἀμαθῆ.

Hoc cogitent adolescentes qui tardius ad studia accedunt, ne pigeat adultos discere linguas Græcam & Hebræam. Idem iudicium faciãt de Dialectica, Rethorica, ac similibus studiis, sine quibus infeliciter versabuntur in quæstionibus multis Theologicis: Ingeminent sibiipsis, satius est ὀψιμαθῆ εἶναι quàm ἀμαθῆ. Multi certè in hac re Epimethei sunt, hoc est, qui præsentes occasiones non amplectuntur, amissas deplorant, vt stolidus pastor amisso armento, stabulũ claudit. Captent igitur studiosi quasuis dicendi occasiones, excitentur aliorum exemplis, vt ait Hesiodus, ζηλοῖ γείτονα γείτων, Addant sibi animum, & facilitatem respiciant, vt ait Isocrates, ἐὰν ἔσῃ φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής. Certum enim est vsu omnia fieri leuiora & amorem conciliare in discendo gratiam, vt placeat consuetum, iam quod alioqui durum videbatur.

Simile.

Hęc de multis pauca repetere placuit, vt expédatur officij Scholastici grauitas, in quo quàm sit necessaria diligentia æstimari hinc facilè potest. Certè si libris nostris daretur patronus, & actio, ac idoneus Iudex concederetur, longè grauiora in corruptos mores, & intolerabilem negligentiam cum discipulorum, tum præceptorum quorundam dicturi essent. Spectaculo à multis seruantur libri, apud alios puluere & squalore complentur cum tineis & blattis illis certamen indicitur, cum terendi essent diurna, nocturnáque manu.

Hanc viam qui ingrediuntur de successu non desperent, durum patientia frangant, & gutta cauat lapidem, non vi sed sæpe cadendo quod Græci dixerunt ἐκ θαμινῆς ῥαθάμιγγος, ὅπως λόγος, αἰὲν ἰούσης χ᾽ ὁ λίθος ἐς ῥωχμὴν κοιλαίνεται, hoc est, ex diuturna stillatione, vt prouerbium habet semper cadente etiam lapis in hiatum funditur.

Gutta cauat lapidem.

Addant preces ardentes ad Dominum, qui sedulo inuocantibus promisit exauditionem in causa tam pia, præsertim à iuuenibus si inuocatur, à quibus laudari vult, vt dicit Psal. Ex ore infantium & lactentium præparasti laudem, Amen.

DE OTIO.

LOCVS CIIX.



POSTOLVS in 2. Thessal. 3. speciali loco contra otiosos agit, quos non solùm vitandos in conuictu priuato docet: sed ne cibo quidem dignandos. Qua occasio ne plura hic nobis dicenda sunt de hoc malo, ac duo quidem ex verbis Apostoli proferemus, cur damnandum sit otium. Deinde quę sit illius iusta pœna. Quibus addemus vestibulum illud de quo otio hic agatur, & quid illud sit.

Quid sit otium.

I. Otium illud damnat Apostolus quod re, & nomine otium est, hoc est, quod caret honesta occupatione. Porrò occupationes literarias, quales sunt Philosophiæ & Theologiæ honestas esse hic sumimus tanquam confessum & concessum. In schola enim versamur, & inter homines literatos. Itaque hoc otium literarium hic excipimus, quia otium pro negotio habet, & nunquam minus isti homines otiosi, solíque sunt, quàm cùm otiosi & soli esse aliis videntur.

Soli otiosi sunt, qui sapientiæ vacant.

De hoc genere otij accipiendæ sunt otij commendationes quæ passim occurrunt, vt quod Thales dicit apud Plutarchum in Symp. optimam esse domum in qua hero pingui otio frui liceat. Itẽ Socratis qui ἀργίαν ἀδελφὴν vocat ἐλευθερίας, otiũ libertatis fratrẽ, & Senecæ, soli otiosi sunt qui sapientiæ vacant, ac huic otij iustæ rationes possunt reddi: & Cato dicebat, non minus otij quàm negotij clarorum rationem existere oportet. Vacat hoc otium à laboribus manuum, sed habet ingenij occupationes, quarum finis est veri inuentio. Hanc quæsiuit Philosophia, reperit Theologia, docet autem veram Christiana pietas. Ac requirunt istæ occupationes etiam suam remissionẽ, quæ tamen non recedat ab honesti regula. Sic dicit Pericles apud Thucydidem: τὸ ἄπραγμον οὐ σώζεται, μὴ μετὰ τοῦ δραστηρίου τεταγμένον, hoc est, otium honestum conseruari non potest nisi agendi alacritate adhibita. Huius proprium est vacare à malis, & cauere omnes peccandi occasiones. Ideo rectè dicitur quod sit τῶν κακῶν ἀπραξία vacatio à malis.

Altera otij species.

Transeamus ad alteram otij speciem de qua hic propriè loquitur Apostolus, hanc dicunt Græci esse τερπνὸν κακὸν, id est, suaue malũ, quia natura inertiam videmur appetere. Chrysost. in homil. 36. Matth. vocat omnium vitiorum magistram & originem. Et in Sermone 16. ad Eph.

causam

causam & radicem malorum, vtróque loco ab effectis designauit hoc malum.

Nos ex Apostolo sic definiamus: Otium est ἀταξία introducta contra Dei legem, de victu comparando honestis occupationibus. Definitio.

Quòd sit ἀταξία hinc probamus, quia Apostolus otiosos ait ἀτάκτως περιπατεῖν, inordinatè incedere. Quòd si ita est, igitur otium est ἀταξία: valet collectio à Coniugatis, Otiosus inordinatè viuit: igitur otium est inordinatio.

II. Iam quod attinet quæstionem de otio, facilè patebit qua de causa damnandum sit.

Primùm natura generis hoc declarat. ἀταξία enim in omni re est vitiosa: contrà εὐταξία laudata & honesta, quia à Deo est instituta. Quod eleganter diuus Gregorius in Iulianum dixit, οὐκ ἐστι θεὸς ἀκαταστασίας, καὶ ἀταξίας, ἀλλ' εἰρήνης, καὶ τάξεως, Deus non est Deus turbarum & confusionis, sed pacis & ordinis. Ab hoc ordine Diuinitus instituto otiosi sese subducunt, ideo meritò reprehenduntur & damnantur. huc pertinent aliæ voces, per quas genus explicari potest, quales sunt ῥαστώνη, ἀπραγμοσύνη, ἀμέλεια, ἀργία, pigritia, inertia, non curatio, segnities, vt quod ad Titum. 1. Cretenses pigri ventres dicuntur, & ὀκνότης, & quo ὀκνηρός ille seruus Matth. 25. ver. 26. Serue male & ὀκνηρὲ piger.

Et sanè vis nominis huc spectare etiam videtur. Otium enim Latinis ab ὄκνῳ dici videtur: sonat autem pigrum, tardum instar Asini. Aliis placet dici ab ὠκέα, quod sonat velocem: tum sensus est, otiosos à velocitate dici, qua subitò ab honestis occupationibus deficiūt, labores enim ferre nolunt, pigri cùm sint. Otium vnde dicatur.

Deinde otium euertit legem veterem de laboribus manuum, quæ lex instituta est Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. hæc ordinatio vniuersalis est, à qua nulli mortalium sese licet subducere, nisi quem Deus ipse eximit, quales sunt ęgri, morbidi, moriones, stulti, in quibus non est tantum ingenij vt honestas occupationes expedire possint. hos & similes Deus exemit non dando ingenia, vel morbida corpora addendo. Quod Sacerdotes attinet, Deus illos à labore manuum exemerat, sed occupationes varias dederat in templo, in ritibus ac ceremoniis Diuini cultus expediundis vt inter otiosos censeri non possint.

Nostri religiosi & Clerici omnes, an otiosi sint contra legem hanc Dei, multis obscurum videtur, sed res facilis est, si ad viuum examinetur. Nam qui sacris literis sese exercent, aliísve honestis literarum studiis, in quibus vel ipsi docent alios, vel vt aliquando doceant se aliósque præparant, libenter hos eximimus de otiosorum numero. Qui verò nec ipsi discunt nec docēt alios, interim bonis Ecclesiasticis fruentur, quomodo tales otiosi non sint, non video. Quod si proferant ieiunia sua, preces, cantum, vigilias & similia, Respondemus, hunc totū cultum non ęsse institutum ex Dei verbo, vt hodie dominatur: ideo non magis eos excusare hæc exercitia quàm olim Sacerdotes Baal suæ excusabant occupationes. Si excipiant preces pias, ieiunia, vigilias, &c. Respondemus, precibus & orandi studio non illos eximi posse, nam ieiunare suo loco & tempore, orare, vigilare, communia esse omnium sanctorum exercitia. Ideo Augustinus & Chrysostomus in Monachis otiosis ne ista quidem approbant. Ecclesiastici otiosi.

Tertiò, otium hoc repugnat non solùm veteri legi, sed doctrinæ quoque Apostolicæ. Nam Apostolus. 2. Thess. 3. vers. 6. manifestò ostendit ex sua ordinatione, omnes iussos esse laborare, & qui otiosè viuunt, eos viuere non secundum ordinationem.

Porrò quemadmodum in doctrina alligantur ad formulam Apostolicam, sic quoque in moribus ad disciplinam Apostolorum. Vocat autem illic traditionem suam secundū quam otiosi iubebantur laborare. Igitur otium pugnat cum Apostolorum institutis. Sic Christus loquitur de otiosis. *Quid statis hic tota die otiosi?* Congruit igitur Apostolorum doctrina cum Mosis, adeóque ipsius Dei doctrina de otiosis cohibendis.

Quartò Apostolus otium prohibiturus, fecit hoc grauissima obtestatione, nec contentus sua authoritate Apostolica id prohibere, Christi nomine & authoritate id damnat. Ex quo efficitur rem non esse mediam, nam Apostolus in dubiis nō profert Christi authoritatem, vt 1. Cor. 7. de virginibus dicturus, manifestè ait se præceptum non habere, significans cuiusque cōscientiam in his causis sibi pia debere consilia quærere & formare. Sed hic secus loquitur Christi nomine, obtestatur & mandat vt otiosos vitent.

Quintò Apostoli exemplum nos monere debet, qui cùm posset esse exlex, noluit tamen eō priuilegio frui, vtili ratione & fine. Igitur hi qui nullo priuilegio eximuntur à lege generali, minùs se debent subducere. Porrò Apostoli priuilegium erat quòd esset Apostolus, & ex Euāgelio illi licebat viuere, vt aliis Apost. quod abundè probat. 1. Cor. 9. Sic viuebat ex Euangelio Petrus, Iacobus & alij Apost. Paulus autem docebat quidem Euangelium inter Gentes, sed ex eodem non viuebat: verùm labore manuum, vt est 2. Cor. 11. Philipp. 4 1. Cor. 9. 2. Thess. 3. Quare homines otiosi grauissimè peccant qui dum nulla ratione honesta ab antiqua lege exempti sint sponte sese subducunt Diuinæ ordinationi.

Sextò & illud argumenti habet quod Apostolus otiosis verè & rectè tribuit, scil. quia sint περίεργοι, curiosi, quod à cōiunctis efficit argumentū. περιεργία curiositas vt plurimum semper comitatur otium. Ergo vt res turpis est fugiēdum. Illud probamus ex Apostolo, 1. Thess. 3. vers. 11. Nulla re honesta negotiosi, sed curiosi. Sic. 1. Tim. 5. ver. 13. de viduis iunioribus inquit, quod

Otia dãt vitia. curiosæ sint. Itaque comes otij est curiositas. Hinc illud ex triuio, *Otia dant vitia*. Et quod Q. Curtius habet, Otia rumoribus serendis aptissima. Et quod Syrach habet cap. 33. multam malitiam docuit otium, quæ omnia commodè vitemus consultissimum est animum honestis occupationibus intendere, sic fiet vt otium non sit serendi nouos rumores, aut noua occupandi.

Et qui otiosi sunt non suum edunt panem, quia suus cuique panis honestis laboribus est alligatus. Ideo Apostolus 2. Thessal. 3. laborantes, ait, in quiete edunt panem, quasi otiosi non suo sed alieno fruantur pane. nam sudore pauperum viuunt, quemadmodũ inter apes, fuci depascunt mella non sua, sed apum. ideo tales Hesiodus quoque Diis & hominibus odiosos vocat.

Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἄνδρες, ὅστις ἄεργος
Ζώει κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὁρμὴν
Οἵτε μελισσάων κάματον νήπινον ἔδουσι.
Huic dij & homines infesti sunt, qui otiosus
Viuit fucis similis non exerentibus aculeum
Qui laborem suauem apum vorant.

Itaque otiosi homines, vt fuci & telluris inutilia pondera Deo atque hominibus inuisi, arcendi erant.

Adamus ante peccatum non fuit otiosus. Deus optimus rerum conditor & dispensator otij atque laboris, ante peccatum quoque otij occasionem homini vitandam esse docuit, cùm primis parentibus paradisum, non solùm custodiendum, sed colendum tradidit. Colere autem laboris honesti significationem habet.

Simile. Natura quoque illud non fert, nam vis illius naturam habet corrũpendi subiecta, vt videre est in ferro, quod otio facilius arroditur, quàm vsu. Vsu enim nitet & splendidius redditur, otio & rubigine deperditur. Sic aqua nisi moueatur putrescit. quod eleganter Ouidius dixit:

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant ni moueantur aquæ?

Sic aër si negetur illi motus, corrumpitur, & omnia inficit peste: ignis nisi moueatur perit. in humano corpore, cor, pulmo, venæ, arteriæ, nisi actionem & motum suũ peragant, emoriuntur, simúlque vitam adimunt animantibus. Sic stomachus otio perditur: sic alia omnia, vt videas naturæ hostem esse ipsum otium. Ac de animo hominis certissimũ est, otio perdi, negotio autẽ & honestis occupationibus, ali & reddi vegetiorẽ. Vnde rectè Boëtius pronũtiauit. lib. 3.

Otium naturæ hostis.

Eneruare solent securas otia mentes.

Vnde & aliud efficitur, effecta otij non posse non esse perniciosa. Causa enim mala existente, non dissimiles sperabis effectus, vnde & corpori & animo Philosophi dixerũt nihil esse perniciosius. Color enim hebetatur, membra torpẽt, impeditur digestio, stomachus malis humoribus repletur, languet ingenium, cerebrum vaporibus malis exhalantibus corrumpitur. Summa, nulla membra ritè suo funguntur officio.

Hæc & similia dici possunt cõtra otium, reliqua libens hic intermitto, quæ Seneca, Bocacius, aliíque contra hoc protulerunt, de pœnis deinceps agamus.

Pœnæ otij. III. Pœnas contra otiosos, natura dictante, omnes fere bene institutæ Respub. constituerunt. Romani ad hanc rem Censores habebant, per quos scirent quid singuli agerẽt: poterãnt que illi pro imperio illis à Senatu concesso in otiosos animaduertere. Idem fecerunt Athenis Areopagitæ qui rationem vitæ à quouis poterãt exigere, quid operis faceret, aut vnde se suósque aleret. Solonis decreto, si cui dies otio perisset, mulctabatur. Argiui quoq. ab otiosis rationem vitæ petebant. Lacones in otiosas deambulationes mulctam statuisse dicuntur. Draco certè legislator, vt alia peccata, sic otium quoque capitaliter puniendum censuit, vnde sanguine leges illius scriptæ dicebantur, & fortè nõ immeritò reprehensus est, cum omnia peccata æqualia, ideóque æquali pœna punienda statueret. Sed in hac re variatum est pro hominũ arbitrio.

Areopagitæ. Solonis decretũ.

Sacra Scriptura damnat otiosos vt pane quotidiano indignos. Ac Apostolus in 2. Thess. 3. satis illustrat nobis pœnas ordinarias. Tria verò dicit illic quæ ad pœnarum ordinẽ pertinent: Primò iubet vt se subducãt ab omni fratre inordinatè agente. Deinde paulò post addit, *Qui non laborat non manducet*, significans otiosos esse indignos pane quotidiano: & iterum mox addit, *Notate talem*, quasi dicat, publica ignominia dignos esse, adeo vt talibus non oporteat commisceri. Itaque ista tria hic expressa sunt, publicè ignominiosos oportere tales censeri. Deinde honestorum commercio indignos esse: tertiò ne pane alendos.

Contra otiosos.

Quæ omnia nonnulli retulerunt ad exclusionem à sacris, quæ tamen sententia huic loco nõ quadrat: cùm Apostolus hîc nullam planè faciat mentionem Cœnæ, aut ab illa separationis. Deinde hæc omnia consistere possunt fine illa exclusione. Ideo alij rectius videntur retulisse ad conuictum priuati commercij, quasi dicat otiosos à piis singulis vitandos in conuictu, in congressibus, aliísque commerciis quæ pij habent communia in vita communi extra Cœnæ vsum.

Ac quod attinet vim argumenti, nõ eadem est ratio sacrorum & prophanorũ commerciorum. Cur Apostolus velit tales caueri in priuato conuictu, ratio firma est, quia subest corruptio ptionis periculum, hoc est, ne otiosus & simul curiosus te quoque corrumpat, quemadmodum vino deditum caues in cœna publica, ne te inebriet, aut saltem ne molestus sit compotator: sic modesti cauent garrulos, ne prophanis illorum sermonibus offendantur, & corrũpantur. Cauendi

uendi igitur sunt, quia subest corruptionis periculum. In Cœna autem Domini, hoc periculũ, locum non habet, ideo illic minus cauendos censent: de qua re alibi à nobis est dictum. Ad hũc locum satis est scire in Repub. bene instituta publicis legibus oportere otiosos esse infames, & quocunque tandem modo puniendos.

Et hoc accipi debet nõ solum de otiosis mendicis, alijsque erronibus, sed qui religionis prætextu quoque oberrant. Olim infames erant monachi, si non laborassent manibus, vt Socrates refert in histo. trip. lib. 8. cap. 1. otiosum monachum non laborantem, raptori similem esse habitum. Ac suprà dixi ex August. & Chrysost. monachos non excusare à labore manuum, preces, ieiunia, & similia exercitia, quia communia sunt omnium fidelium. Infames olim erant otiosi monachi.

Dignum scitu est quod de Massiliensibus refert Valerius Maxim. eos scilicet sacrificulos quoque eiecisse sua regione, ne religionis prætextu, otium & luxum sectarentur. Id si in Christiano orbe seruaretur bona pars otiosorum hominum ad honestas tãdem rediret occupationes, aut sponte exularet, nisi fame confici mallent.

DE SOMNO, ET QVATENVS BONÆ VALEtudinis sit causa.

LOCVS CIII.



IN historia Lazari restituti, multi sunt insignes loci, vt de miraculis, de morte, de luctu pro mortuis, de sepultura, resurrectione, fuga, &c. De quibus tamen à nobis iam dictum est: de somno igitur in præsentia disseramus: cuius occasionem nobis præbet illa Apostolorum sententia. Ioan. 11. vers. 12.

Ε᾿ι κεκοίμηται σωθήσεται. *Si dormit, seruabitur.*

I. Κοιμάομαι rectè sumi pro ὑπνῶσθαι, hoc est, dormire, probati etiam authores concedunt, qui Græcè scripsêre. Nam Homerus Iliad. 7. ad finem hoc verbo ita vtitur. Κοιμήσαντο ἔπειτα, καὶ ὕπνου δῶρον ἕλοντο, dormiebant sanè deinceps, & somni donum acceperunt: Iuno apud eundem, ad Somnum loquens ait, κοίμησόν μοι Ζηνὸς ὄσσε obsopora mihi Iouis oculos: & Vlysses ad Cyclopum insulam cùm appulisset, inquit, δὴ τότε κοιμήθημεν ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης, tunc dormiuimus ad littus maris. Aristoteles eadem voce sic vtitur: ἔντομα κοιμώμενα vocat, hoc est, insecta obsoporata, vt muscæ, vespæ, &c. Sunt tamen ita breuis somni, vt à multis non dormire putentur. Ita loquuntur Apostoli de Lazaro mortuo, quem Dominus Christus dixerat figuratè, dormire, hoc est, mortuum esse. Muscæ & vespæ sunt breuis somni.

Hinc κοίμησις pro ὕπνῳ sumitur: tamen si grammaticis credimus est aliqua in his differentia.

Nam κοιμᾶσθαι propriè est sese ad quietem componere, authore Eustathio, huius est, quasi παρακολούθημα, τὸ ὑπνοῦν καὶ εὕδειν, quæ significant, actum dormientis & somni fructum. Ita quidem non malè κοιμᾶσθαι prima origine à κίω & κίομαι descendit, quod significat vado, compono me ad rem: ὑπνοῦν à dormientium respiratione vehementiore effectum est verbum: εὕδειν verò à penetrando: sopor enim omnes occupat sensim artus, totósque sensus.

Nos κοιμᾶσθαι diceremus *schlaffengan*, ὑπνοῦν *schnarchlen*, εὕδειν *schlaffen*: tamẽ hoc discrimen nec in nostra lingua seruamus, nec Græci in suis verbis seruant, sed promiscuè synonyma faciunt: sic κοίμησιν per ὕπνον Ioannes explicuit: dixerat autem Iesus de morte illius, at illi putabãt, quòd diceret περὶ κοιμήσεως τοῦ ὕπνου quare, κοίμησις καὶ ὕπνος idem sunt.

II. Υ῞πνος vt apparet, dicitur παρὰ τὸ ὑποπνέειν, quod est suspirare, quòd in dormientibus pulmo quidem non desit officio suo: tamen in bene sanis, molliùs & submissiùs ducatur spiritus, vt in multis vix deprehendas πνεύματα, ac certum est ὑπὸ præpositionem in compositionibusquandóque significare remissiorem actionem. Qui aliquo vitio tracheæ arteriæ laborant, quales sunt strumosi, hi per interualla spiritum ducunt, vt emori videantur, diu retentus, tandem erumpit magno fragore. Nam per multos anfractus ducitur, in quibus musculi per quietem collabascunt, ac meatus includuntur: hinc ad istas angustias collectus, tandẽ spiritus eluctando arteriam aperit, hinc allisio tanquam ad scopulos, facit vt cum murmure erũpat. Nos dormientem dicimus *atmen, er atmet*, hoc est, molliùs spirat, ducit anhelitũ: voce à Græcis petita, qui ἀτμεῖν καὶ ἀτμίζειν dicunt euaporare halitum, qualis de terra interdũ insensibiliter surgit in aërem, & tenuis aura leniter aspirãs in æstate ἀτμὶς dicitur, talis est dormientium lenis anhelitus, *ein senffter atmen.* In sanis dulcior somnus.

Eustathio tamen placet ὕπνον dici quasi λύπονον, ὅτι λύει τὸν πόνον: laborem soluit quod respexit Homerus in illo, ἦ ὕπνος ἔμαρπτε, λύων μελεδήματα θυμοῦ: curæ enim languidos faciunt, vnde μελεδήματα, quasi τὰ μέλη ἔδουσαι καὶ τηκοῦσαι: has curas somnus tollit vt dormiens illis non afficiatur: & Minerua Vlyssi ὕπνον ἐπ' ὄμμασι χεῦε, rationem annectit, ἵνα μιν παύσειε τάχιστα δυσπονέος καμάτοιο. Tollit ergo labores, & curas, hinc ingenium & vires redire in suum statum

VV.ij.

possunt: vnde non malè ὕπνος λύπονος, λυσίπονος, λυσιμελὴς dicitur: inde ἀφαιρέσει καὶ συγκοπῇ vt ait Eustathius fit, ὕπνος. Somnus apud Latinos Græca vox est, vt multis placet, quasi sopnus: nam ὕπνος, primam cū aspiratione mutat in so, π verò, in m, mutat, euphoniæ causa: inde Somnus ex ὕπνῳ, vt ex ὑπὲρ fit apud Latinos super, ex ὗς sus & similia, tamen Latinam puto origine vocem

Origo nominis.

esse: quemadmodum in nostra lingua *schlaff* vox nostri sermonis propria est, & primitiua, cuius non sit facilè assignare etymon: quid enim opus est ad Hebræos confugere? apud quos *Schalaph* est euacuare, quasi somnus sensim euacuet laboribus corpus.

Definitio somni.

III. Variè definitur somnus: apud Aristotelē istæ fermè extāt definitiones στέρησις τῆς ἐγρηγορήσεως: vigilantiæ priuatio, sumpta est à contrario per priuationem: sed quia non potest conuerti, id eò aliam mox quærit: nam in λειποψυχίᾳ quoq; est priuatio vigilātiæ: tamen non dormiunt deliquium animi patientes. Mox illam profert ὕπνος ἐστι ἀδυναμία, δι᾽ ὑπερβολὴν τοῦ ἐγρηγορέναι, quæ & ipsa est imperfecta. Sic illa ὕπνος ἐστι πάθος τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου, οἷον δεσμός τις, καὶ ἀκινησία: ligantur enim sensus exteriores & à motu suo quiescunt: contrà vigilia est quædam λύσις καὶ ἄνεσις, hoc est, solutio & remissio sensuum, vt liberè agant secundùm suam naturam: nō malè describit rem, tamen nondum sibi satisfacit. Huc etiam illa pertinet: ὕπνος ἐστι ἀδυναμία ἐκ τῆς ἀναθυμιάσεως περὶ τροφήν. Tandem pleniùs ita definit: ὕπνος ἐστι σύνοδος τῆς τοῦ θερμοῦ εἴσω, καὶ ἀντιπερίστασις φυσικὴ διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν, hoc est, διὰ τὴν ἀναθυμίασιν περὶ τροφήν, σωτηρίας ἕνεκεν τοῦ ζώου, hoc est, somnus est concursus caloris ad interiora, hoc est, ad cor, & confluxio naturalis exhalationis, quæ ex cibo oritur, compresso primo sensitorio, hoc est, corde, faciens ad salutem animantis.

In definitionibus Galeni extat illa quoque ὕπνος ἐστι ψυχῆς καταφορὰ κατὰ φύσιν ἀπὸ τῶν περάτων ἐπὶ τὴν ἀρχήν, hoc est, remissio animæ secundùm naturam ab extremis, ad principium: καταφορὰ impetus est, quo animus vincitur, & à motu sensitiuo remittit. Itaq. καταφορὰν intelligo ἀνάπαυσιν & ψυχὴ est αἰσθητική, quę nihil sentit: hinc πέρατα sunt extrema sēsitoria, quę ligātur in sōno, visus, auditus, tactus, olfactus, gustus quiescunt, & calor qui in horum organis vigere debet, reuocatur intro ἐπὶ τὴν ἀρχήν, hoc est, ad cor & pulmonem, hinc exteriora languēt. Definiamus ergo somnum ita.

Quid somnus.

Somnus est quies virtutum animalium cum intentione facultatum naturalium ab vtili humore cerebrum aggrauante excitata, in qua anima ab exterioribus ad interiora conuertitur salutis causa.

IIII. Causas somni hinc facilè est colligere.

Efficiens est, exhalatio ex cibo & aliunde excitata: hunc vaporem excitat calor naturalis recipiens sese ab exterioribus ad interiora: item frigus cerebri calidum vaporem & crassum repercutiens.

Materialis est, ex qua exhalatio calida & humida ex cibo, labore, defatigatione, mœrore, luctu effecta.

Materia circa quam sunt vtilia membra, quæ iste vapor aggrauat, vt cor in his quæ eo prædita sunt, in aliis quiddam est cordi analogum, vt docet Aristoteles: cerebrum etiam, quod fumis istis obnubilatur, nerui qui hebetantur, venæ obstruuntur, vt officio suo fungi non possint.

Quom. formetur somnus.

Formam expressit Aristoteles vna dictione, cùm appellaret antiperistasin. Nam reciproco motu tandem fieri somnum dicere voluit: ascendunt fumi in caput, vnde frigiditate cerebri repercutiuntur, hinc redeuntes ad cor obstruunt sensuum organa. Simile non ineptum adhibet, Euripus, inquit, it & redit, fluctibus sese impellentibus: ita ex inferioribus fumi ascendunt in caput tanquam ex olla feruente: sed quia in cerebro à frigore repercutiūtur, hinc necessarium est illos fumos impelli, conuerti deorsum, & μεταβάλλειν, mutari, hoc est, refrigerari, vnde efficitur ἀντιπεριστατικὴ κίνησις motus reciprocus: tandem ἰσάμενον θερμὸν facit grauedinem oppilando, inde incipiunt animalia νυστάζειν, hinc somnus & membrorum quies.

Finis eruditè ab Aristotele collectus est: σωτηρίας ἕνεκεν τῶν ζώων. Respicit enim Deus in hoc munere salutem animantis, perpetuus enim motus naturæ inferiori repugnat, hinc illud,

Quod caret alterna requie durabile non est.

Verùm cùm hic finis communior sit, cibi enim & potus quoque finis est σωτηρία ζώου, ideóque proprium somni finem dicit esse ἐγρηγόρησιν, hoc est, vt tandē animal vigilet alacriùs & τὸ αἰσθάνεσθαι, vt viuidiùs vtatur sensibus, post ἀνάπαυσιν debet enim finis esse βέλτιστος, & in his cùm βέλτιστον sit αἴσθησις, rectè hic finis cōstituitur. Hinc somni in homine finis est βέλτιστον, hoc est, τὸ φρονεῖν sapere & prudenter obire munia sua.

Diuisio somni.

V. Somnus alius naturalis est, alius non naturalis. Naturalis, qui concoctioni sufficit, & viribus naturæ reparandis: qualis à medicis constituitur sex horarum, vel octo ad summum: hoc enim interuallo stomachi concoctio absolui potest. Non naturalis est qui corpus magis aggrauat & naturæ magis nocet: qualis tum diurnus tum nocturnus modum excedens, de quo dixit Plato: ὕπνος πολὺς οὔτε σώμασι, οὔτε ψυχαῖς ἡμῶν, οὔτ᾽ αὐταῖς πράξεσι ἁρμόττων ἐστιν, i. somnus immoderatus neque corporibus, neque animis nostris, neque actionibus ipsis est accommodatus. Talis est κάρος dictus, hoc est, quædam dormiendi necessitas, & καταφορὰ grauis somnus, torpor, λήθαργος inexpugnabilis dormiendi appetitus, veternus. Latini ferè distinguunt in somnum,

soporem,

soporem, & veternum: quæ vocabula gradibus differunt, de quibus consulendi sunt medici.

Apud Hebræos tria sunt vocabula eodem ferè modo distincta. Tenuma, Schena, & Tardema, quas voces Abē Ezra ita distinguit. Tardema plus est quàm schena. Schena maior est quàm tenuma. Tenuma igitur significat capitis nutationem, prima quasi rudimenta somni. Cui ferè respondet κοίμησις, *ein nückli*. Schena autem somnum plenum, qualis est ὕπνος *der recht natürlich schlaff*. Tardema profundus est somnus, qualis est sopor: huic respōdet καταφορά, aliàs κάρος, aliàs ἔκστασις. Hinc Gen. 2. de Adamo, Aquila καταφορὰν vertit, hāc vocem, Symmachus κάρον, Septuaginta ἔκστασιν & Gen. 15. 12. *& factum est cùm occūberet Sol & Tardema irruit super Abrahamum*, vbi Græcè habetur ἔκστασις ἔπεσε: *die diefschlaff, ein marffel, der hert schlaff*.

Capitis nutatio est primū rudimentum somni.

Apud Homeri interpretem hanc lego somni diuisionem.

Somnus alius est corporeus & fabulosus, alius naturalis: corporeum vocat Deū illum Somnum, qui etiam Ioui oculos claudit, ipse insomnis. Hic suauis est, quia illabitur animantibus amica dulcedine.

Posterior illius est effectus & fructus somni.

Prior ille fabulosus passim à Poëtis decantatus est. Vt apud Ouidium,

Somne quies rerum, placidißime somne deorum: apud Virgilium lib. 5. Æneidos, Palinurum obsoporat & in mare præcipitat: frater mortis ille est, & Pasitheam amat: quæ à rerum veritate ad fabulas, Græca leuitas, & poëtica vanitas transtulit.

Pasitheam amat, quia omnibus animantibus communis est, beneficium Dei vitę animali additum, ad illius conseruationem.

Frater verò mortis quia parum à mortuo differt dormiens: vterque sensus expers iacet, trunco similis, nisi quod somnus ad tempus priuat sensu: mors verò priuatio est longior & perfectior: deinde vterq; sedat dolores, finit labores. Ac vt ad somnū magna spe & alacritate accedimus: scimus enim paulò poòst nos alacriores inde redituros ad vitæ munia: sic de morte iudicandum est, nihil in illa viro bono timendum, magna spe accedendum, ex qua olim perfectiore corpore, integris sensibus, æterna mente, & vita peruigili simus redituri. Christus de Lazaro mortuo loquens ait, Lazarus amicus noster dormit: sentiamus ergo quod res est, mortem esse somnum, ex quo aliquando corpora nostra sint euigilatura. Ethnici quidem hoc dixêre, sed resurrectionem ex illo somno ignorabant. Sic Ouidius inquit,

Somnus cur frater mortis dictus sit.

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? & Vergil. 6. Æneid. consanguineus lethi sopor: & apud eundem,

Ouidij insignis versus.

Dulcis & alma quies placidaque simillima morti, Quæ ab Homero sumpsisse apparet: qui Odyss. N. habet: ὕπνος ἥδιστος θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. somnus suauissimus morti proximè similis. Qua in re philosophati sunt Plato & Socrates in primis, vt haberent consolationes contra mortem. Arist. medium inter viuere & mori, dormire statuit: sed nostra religio veras indicat consolationes.

Dormire est mediū inter viuere & mori.

VI. Vtilitas somni magna est. In sanis corporibus vires reficit: hinc σώματος σωτηρία corporis salus dicitur à Menandro. & ὕπνος βίου ὑγίεια: somnus vitæ sanitas, coctionē iuuat, nam vt Aristoteles ait, *dormiendo magis nutrimur*, mentem reficit, & ægritudines animi delet.

Beneficia & effectus sōni.

In ægris verò, morbos multos cōcoquit, malos humores absumit, dolores multos sine sensu hominis, quadam indolentia aufert: quæ omnia paucis complexus est Cicero 5. de Finibus: somnus quies corporis, medicina laboris, actiones tollit, sensus aufert, &c. Effectus somni habes etiam apud Senecam in Hercule furente. Domitor somne malorum, requies animi, pars humanæ melior vitæ, frater duræ languide mortis, veris miscens falsa, futuri certus, & idem pessimus author, portus vitæ, lucis requies, noctisque comes, qui par regi famuloq; venis, &c. Huc pertinent somni epitheta. Pind. Pyth. 1. antistr. κελαινώπιν νεφέλαν vocat: ἡδὺ κλαῖθρον βλεφάρων. Apud Hom. γλυκὺς, μελίφρων ἀμβρόσιος, πανδαμάτωρ, λυσίπονος, λυσιμελής. Alexis dixit, βροτείων πόνων παυστήρα. Eurip. φίλον θέλγητρον καὶ ἡδὺ ἐνδέοντι, &c. Hæc & similia beneficiū & effectus somni eleganter expediunt.

Alterum est instituti nostri. An somnus semper sit signum melioris valetudinis: sic enim colligunt Apostoli. *Si dormit, meliùs habebit*. Refert Galenus lib. 2. aph. 3. fuisse medicos etiam qui dicerent somnum semper & causam & signum bonū esse: quod si absolutè id tueri possent, rectè dicerent discipuli, si dormit seruabitur. At illi somnum intelligebant quietem naturæ conuenientem, separantes illum à κάρῳ & καταφορᾷ. Rectè tamen Galenus ostendit etiam somnum in vitio esse, cùm naturæ modum excedit. Deinde experientia palàm reclamat: nam in acutis morbis somnus mortē inducit, & in apoplexia post cōuulsiones grauis sopor mēbra occupat, qui interdum cum morte finitur. Verū tamē est vt plurimùm: vt qui tranquillè dormiant, meliùs habeant: quemadmodum in hominibus sanis, quietus somnus, innocentiæ habetur index: irrequietus verò somnus malæ conscientiæ nota. Cuius rei exemplum habes apud Val. Max. lib. 8 cap. 1. de Cœliis fratribus, quorum pater Titus Cœlius in cubiculo quiescēs interemptus est, filiis in eodem cubiculo dormientibus: qui hoc vno nomine absoluti sunt, quia iudicibus planum est factum, illos aperto ostio inuentos dormientes. Somnus innoxiæ securitatis cer-

Somnus non est semper signum melioris valetudinis.

tissimus index, miseris opem tulit: iudicatum est enim rerum naturam non recipere, vt occiso patre, supra vulnera & cruorem eius quietem capere potuerint.

In ægrotantibus igitur somnus quoque placidus, vt plurimùm signum bonum est, non tamen necessariò concludit, quod volunt Apostoli.

Videndum igitur in quibus morbis bonum sit signum, & in quibus malum signum: hác rem breuiter & eruditè nobis explicat Hippocrates aphor. 1. lib. 2. his verbis. Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον, ἢν ὕπνος ὠφέλῃ, οὐ θανάσιμον, hoc est, in quo morbo somnus laborem facit, lethale est: Sin verò somnus iuuet, non lethale.

In multis morbis somnus lethalis.

Somnus sæpè signum est euictæ naturæ.

Somnus igitur lethalis est in inflammationibus viscerum, in accessionibus febrilibus, in acutis morbis: nam sanguis per somnum interiora subit, ac magis inflammatur accessionibus morbi: horrores etiam febriles magis inualescunt languido calore naturali in extremis membris. Accedit quòd somnus sæpe indicium est euictæ naturæ, quæ cùm morbo resistere non possit, tota in quietem soluitur, vt ἀναισθησία superet dolores, quos repellere nō potest. Proinde tales somni irrequieti sunt, vel deliria habent, timores, horrores, conuulsiones, &c. quod alio aphorismo explicuit idem author. In Febribus ex somnis, timores vel conuulsiones malum.

Si ergo post somnum meliùs habeat æger, causa bona est, & signum bonum: quod Hippocra. dixit, si somnus iuuet, non lethale. Prodest autem in declinationibus morborum, vel morbo consistente, vt medici docent, quos consule.

DE VSV MEDICINÆ.

LOCVS CIX.

Colos. 4.

Vsus concessus.



INTER bona Dei quoque semper medicina reposita est à viris prudentibus, quæ quanquam satis defensa sit à suæ professionis propriis cultoribus, tamen non ineptum videbitur, si nostram quoque hoc loco declaremus sententiam: id quod breuiter faciemus. Medicinæ igitur vsum piis concessum esse hinc probamus.

Primi medici.

Primùm Deus medicinæ author est vt aliorum donorum, quæ ad hominum vsum maiestas diuina nobis concessit, quæ dona omnia, cùm non possint non honestissima esse & saluberrima mortalibus: efficiunt hanc speciem quoque de numero laudabilium. Ita de medicina loquitur Syrach, ***Medicum creauit Dominus, & medicina est ab Altissimo***, & mox, ***Dominus creauit medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit ab illa.*** Quibus verbis indicat Deū authorem facultatis illius esse, & materiam vel subiectum à Domino in prima creatione constitutum, hoc est herbas, radices, cortices, aliáque simplicia, simpliciúmque partes, terras, liquores, metallica, &c. quę omnia in prima creatione producta sunt in hunc finem, vt sanitati hominis inseruirēt. Hanc diuinam originem veteres medici diligēter tutati sunt, cum primos medicos, qualis fuit Chiron, Æsculapius, &c. à diis ipsis edoctos fuisse dicerent. Sic Pindarus refert Apollinem Chironi tradidisse in hac facultate erudiendum Æsculapium, causam addit, διδάξαι πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσων, docet curare ærumnosos hominibus morbos, quos morbos autē, & quomodo curarit ibidem prolixè persequitur, quò pertinet locus eiusdē Pind. Nem. 3. Antistroph. 3. vbi ostendit quod Chiron Æsculapio præstiterit, δίδαξεν νόμον μαλακόχειρα φαρμάκων, id est, docuit eum rationem pharmacorum, quæ molli vtitur manu. Huc pertinet speciosum istud elogium Apollinis apud Ouidium:

Inuentum medicina meum est, opiféxque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Quæ quanuis non concedamus ad idola pertinere, tamen ratio in genere instituti nostri est, quia diuinam facultati huic originem adscribit, quam nos ex S. literis rectius declaramus.

Deus ornatur actione medica.

Vsus medicinę licitus.

2. Deinde Deus passim ornatur propria actione medica, tanquam illustri elogio, quæ est sanare. Ex qua propria facultate dicitur medicus sanare nos, curare corpora & mentes, mederi nostris vulneribus. Iobi quinto, *Ipse vulnerat & medetur.* Genes. 20. *Deus sanauit Abimelech regē in Gerar ad preces Abrahami.* Psalm. 5. *Sana me*, &c. Psalm. 29. & 40. Esa. 6. Ierem. 17. *Sana me domine & sanabor*, aliísque infinitis locis: ex quibus duo efficiuntur. Primùm honestam esse professionem, cum illa Deus ornetur vt re honesta. Deinde licitum nobis esse illius vsum, quomodo enim non liceret vti re, quam Deus nobis offert, & applicat ad commodum nostrum. Deus nobis adhibet medicinam, ergo hac nobis vti licet. Quomodo autem hanc nobis applicet, non difficile est explicare, interdum rebus naturalibus, cibo, potu, exercitiis idoneis, &c. aliâs miraculosè, aliâs hominum opera, qui idoneis medicamentis curant affecta opera: quæ medicamenta non efficacia sunt, nisi Domino benedicente, & vim suppeditante. Hinc sæpe accidit vt medicamenta idonea non sint efficacia præter expectationem, quòd Dominus illa prodesse

prodesse nolit. Hinc dicitur in Ieremia, 46. de Ægyptiis, *frustra multiplicas medicamenta.*

3. Præterea sumptus in medicos factus præcipitur in lege, quod non consisteret nisi vsus medicus honestus & licitus concedatur. Exo. 21. v. 29. expressè scribit Moses, vt is qui læsit alterum, hoc est, qui percussit, eum quem percussit liberet à sumptibus: *sanando sanabit eum*, quod est pretium medico persoluet. Sumptus in medicos factus præcipitur in lege.

4. Sed & natura hoc dictat, quæ etiã nõ corrupta à peccato, & demum sanata Christi beneficio, semper sui conseruationem quærit. Cuius rationem cùm monstrat medicina in natura corrupta, curando corpora, honestam esse oportet. Sic bonam medicinæ partem natura, per animalia homini monstrauit, Deo sic disponente, vt homini omnia inseruirẽt ad sui aliquã conseruationem. Ita obseruatum est cãcros fluuiatiles tollere venenum hyosciami, quia sues si per imprudentiam hyosciamum gustarint illos quæritant, quibus sanantur. Accipiter oculos suos curat hieratio herba, serpentes feniculo, Damæ in Creta vulnera curant dictamo. Cerui morsi à phalangio, hederam gustant, leo ægrotans simias petit, alia animalia, alias medicinas monstrarunt homini, sed ad sacra nos referamus. Bonam medicinæ partẽ animalia docent.

Christus medicus passim introducitur, deinde facilè Medicorum princeps dici & haberi debet, quò pertinet historia Euangelica, quæ passim medici officio functum declarat, adeóque in morbis deploratissimis. Matt. 4. 21. Marc. 3. Luc. 6. 14. 22. 5. &c. alijsque infinitis locis: quæ prudens hic omitto, &c. Nec valet illorum suffragium quòd Christus miraculosa vsus sit ratione. Nam si illa dignatus est hominem, quæ illustrior & diuinior est, quantò magis concedet inferiorem, qui maiora concedit, cur minora negaret? Christus medicus.

Huc facit quod eandem medendi facultatem dederit Christus Apost. Luc. 9. sed & illa fœliciter vsi sunt, vt Petrus in Act. 9. Paulus ibidem cap. 28. Verum quia & illa miraculosa fuit qua Apostoli sunt vsi, de inferioris vsu illa manifesta sunt & illustria exempla. Gen. 50 Ioseph medicorum vtitur opera in condiendo paterno corpore. Esaias emplastro curat Ezechiam, & de Solomone scribitur quod de rerum natura disseruerit ab hyssopo vsque ad cedrum, quod sine medicinæ cognitione & vsu fieri non poterat. Et Lucas Euangelista medicus fuit, quam professionem post conuersionem, non videtur deseruisse, cùm scribatur ad Coloss. 4. *Salutat vos Lucas medicus*, quasi adhuc talis fuerit iam factus Christianus & libenter hic agnoscimus distinctionẽ illam Iustini Martyris, quòd impiis data sit agnitio medicinæ alia ratione, quàm piis, ideo longè alia est κατάληψις ἰατρικὴ in homine pio ac renato, quàm apud prophanos, & à Christo alienos homines. Apostoli medici. Esaias medicus. Lucas medicus

Porrò Diuus Iacobus cap. 5 precibus fidelium coniungit vnctionem olei, quę pars est medicinæ: & vnctione, præsertim oleo, frequentissimè olim vsi sunt medici veteres, & adhuc in vsu perdurat.

Hippocrates ille medicorum princeps, medicum virum pium simul esse vult, & rerum diuinarum peritum, quò facit iuramẽtum eius longè religiosissimè conscriptum, & piè ab ipso semper conseruatum, & in libello de ornatu medico addit etiam hoc, μάλιστα ἡ περὶ θεῶν εἴδησις ἐν νόῳ αὐτῇ ἐμπλέκεται, hoc est, cognitio de Deo maximè debet animo medici implicata esse. Similia in medico requirit Galenus quoque, quamuis longè prophanior fuerit, & post lectionem Mosis, ac historiæ de Christo, ausus est homo impius demõstrationem Ethnicam in vtriusque schola requirere. Hippocrates medicorum princeps medicum vult esse virum pium.

Addamus etiam hoc necessariam esse medicinæ cognitionem homini pio versaturo in sacris literis, saltem hoc nomine, ne ignoret quid scriptura velit, quoties similitudines ex medica arte profert, quod agnouit D. Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. 30. Necessaria inquit est, ad iudicandum, ne omnino nesciamus quid scriptura velit insinuare, cum de his artibus, aliquas figuratas loquutiones inserit, &c. Theologis medicinæ cognitio necessaria.

II. Diximus præcipuas rationes, quibus medicinæ vsum concessum esse putemus: in qua disputatione, intermitto omnia quæ hactenus pro medicina ab aliis adducta fuerunt. Iam quorundam rationibus breuiter quoque respondendum est.

Qui totum eius vsum damnant, afferunt exemplum Azæ Regis, de quo scribitur, 2. Parali. 16. quod medicos consuluerit, quod inter alia sua peccata recensetur.

Hoc non concedimus, eo addito quod scriptura ibidem expressè habet: *Consuluit*, inquit scriptura, *Aza medicos, & non Dominum*, significans impium regem in morbo suo, ne, moriturum quidem conuersum fuisse ad Deum. Iaque non simpliciter peccatum erat consulere medicos, cum idem Ezechias laudabiliter fecerit. Sed hoc demũ peccatum fuit, negligere Deum, præterire conditorem, & ad homines medicos, qui sine Deo nihil possunt, confugere. Qua in re affirmamus omnes peccare, qui plus præsidij in medicis, quàm in Deo ponunt. Possunt interim ista simul stare vt æger Deum primitus consulat, simúlque medicorum opera piè vtatur in morbo. Deinde Ieremias contra Ægyptios scribens, ait, *Frustra multiplicas medicamenta*, quasi illis vsum medicorum frustraneum comminando? sed hoc testimonium honestum vsum non tollit. Loquitur enim contra impiam Ægyptiorum gentem quæ Domini pœnis destinata erat, nominatim bellicis cladibus, & quia isti populi in primis celebres erant in medica facultate, quod Homerus quoque de Ægyptiis testatur: ideo insultando eis, propheta prædicit omnia Qua ratione vsus medicinæ in aliquibus dãnatur.

illorum consilia irrita fore, quanuis resinam comportent, & medicamenta augeant, nihil tamē omnia profutura. Desinit enim sapientia humana vbi Domini ira incipit sese effundere in hominum peccata. Vnde non solùm inanis est medicorum conatus in deploratis morbis, vt podagra, paralysi, lepra, similibúsque malis, sed in morbis curabilibus quoque omnia frustra adhiberi videmus. Non aliunde pendet ratio, quàm quòd Domini sint, quæ facilè respuunt omnē medicorum operam, quandiu Dominus nō benedixerit pharmacis. His rectè hoc dixerit propheta, *Frustra multiplicatis medicamenta.* Quare Syrach rectè consulit filio suo, dicens, *Fili in infirmitate tua ne despicias medicum, interim ora Dominum, & ipse sanabit te, auerte te ab errore, & dirige manum & ab omni peccato munda cor.* Quo ostendit veram rationem ægris adhibendam, vt scilicet in morbo, Domini manum agnoscant, ad quem in primis sese conuertant, hinc ordinaria media non negligant.

Quando inanis redditur medicorum conatus.

Ex eodem cap. 38. Syrach, hoc etiā producitur, qui peccat in conspectu eius incidat in manus medici quod superioribus in eodem cap. scriptis conformiter accipi debet. Et quia medicinam ad authorem Deum retulit, huius vsum honestū & necessarium fecit, gloriosam quoque professionem, & Principum fauore dignam. Fieri non potest vt hic illam simpliciter damnet: sed hoc dicit, impios hominesqui in peccatis suis impœnitenter semper pergunt, diuina voluntate morbis opprimi sæpe, vt sub medici manu discant sese humiliare: sunt enim omnes morbi pœnæ quædam peccatorum, tamē impiorum ægritudines in primis iræ Dei testimonia sunt. Hinc cum morbis diris conflictari eos videmus: vt Herodē vermes consumunt, alius lepra, alius mania, alius alio genere morbi conficitur, &c. Addunt, ab impiis esse repertā, vt à Chirone, Æsculapio, & his antiquiore Appolline, ab impiis quoque auctā, vt ab Hippocrate, & tandem ad eā perductam dignitatem à Galen. vt vix admittat incrementa, &c. Quibus respondemus falsum esse id quod sumunt. Quòd enim ab impiis repertam dicunt pernegamus, Scriptura originem eius ad scripturam refert, igitur bono principio, & authore inducta est. Quod verò Chironem & similes attinet, dicimus hos non primos fuisse inuentores: sed lōgè antiquiores Patriarchas, qui à patribus per manus acceperunt, qui ab ipso Deo primū illius initia habuerunt: sed quod de excultoribus addunt, non concludit. Galenus, Hippocrates, Chiron, Æsculapius excoluerūt hanc artem, & fuerunt impij, ergo res ipsa impia est. Nego. Cur enim idem non colligunt de aliis artibus ab Ethnicis excultis, imò de vita agresti, cuius laus ob simplicitatē rusticam in scripturis magna est? cur, inquam hanc non damnant, cum primus illius cultor homicida fuerit Cain? Verùm, vt vita rustica in se honesta est, quanuis Cain rusticus, fratricida fuerit: sic medicina bona esse potest, quanuis Galenus Ethnicus & homo impius fuerit, &c.

Morbi pœnæ peccatorum.

Patriarchæ primi inuētores medicinæ.

III. Superest vt paucis etiam explicem, quid in medica facultate damnemus. Distinguo hic primùm inter errores à professionibus ortos, & istam professionem, hos enim nullo pacto cēseo arti adscribendos: quemadmodum nec philosophorum corruptos mores debemus isti philosophiæ tribuere, & hominum Christianorum perditam corruptelā, nemo pius Christianismo potest tribuere. Ita hoc posito quicquid in arte hac damnamus, totum ferè irrepsit ab ignaris aut superciliosis medicis: quod tamen sic coaluit professioni, vt quædam vix dum ab arte separentur. Vt quod Galenus in morbis solùm ad naturæ vires respicit, cuiuscorruptione & ἀταξίᾳ morbossolum oriri, nec in his aliquod Dei agnoscit flagellum. Nos secus iudicamus, nullū morbum adeo facilem esse, quin sit Domini quædam castigatio, in quibus manifestum est Domini quoque flagellum: ad quod vtitur Dominus naturæ corruptione & humorum corruptela, sed his sepositis, sæpe experiuntur medici, optimas complexiones mirabili ratione, & subitò corrumpi, in quo prudens ac pius medicus, Domini iudicium facilè agnoscet.

Deinde artis suæ effecta separant à Domini misericordia, quod ipsum quoque ab Ethnicis medicis habent, qui in resolutione causarum & effectorum nō egressi sunt hominis naturam, serò & rarò ad cœlestes causas progressi: sed in his quoque fœdè lapsi sunt, dum in stellarū viribus, luminarium coniunctionibus, planetarum aspectibus & posituris, toti fuerunt occupati, iure aliquid somniantesde Deo conditore & actore in causis secūdis, ordinariis & extraordinariis. De eo rectè nos admonet Dauid, Psal. 102. *Benedic anima Dominum, qui sanat omnes languores meos:* nisi enim Dominus addiderit vim pharmacis, frustra medicabitur medicus, vt dicitur. Psal. 126. de custodibus vrbis, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant vigiles.* De hac re eleganter scribit Aug. lib. 4. de doct. Christ. corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non nisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine ipso, illa nō possint. Damnamus etiam in his superstitiosas medicationes, quales sunt ligaturæ, characterum impressiones, obsignationes, suspensiones, incantationes, precum admurmurationes, obligationes rerum quæ vulnus dederunt, vt securis, cultri, stipitis pali, gladij, claui, lapidis, &c. quæ omnia magicam speciem habēt, & à Domino prohibita sunt, quemadmodum prohibitum est consulere incantatores magos, pythones, &c. de hac re habes illustrem locum apud Aug. lib. 2. de doct. Christ. cap. 20. Ad hoc genus inquit pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina damnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis quas characteres vocant: siue in quibusdam rebus suspendēdis, atque illigandis, vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quas-

Optimæ complexiones contra sententiā Galeni, mirabili ratione subitò corrumpuntur.

Superstitiosæ medicationes damnādæ: magicam enim speciem habent.

dam significationes, aut occultas aut etiam manifestas, quæ minore nomine physicam vocant, vt non quasi superstitiosè implicare, sed natura prodesse videantur, sicut sunt inaures in somno aurium singularum, aut de Struthiorum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti vt dextra manu sinistrum pollicem teneas, &c. vide plura ibidem.

Addimus etiam his impia medicamina, quæ societate dæmonis conficiuntur, qui vt lædendi infinitos tenet modos, sic sanandi rationes plurimas tenet, quas Deo permittente salubriter exercere potest ad fallendos & irretiendos miseros & credulos homines, ex quo genere apud Theophrasteos illos nouos, quædam splendidè venditantur.

Dæmon plurimas sanandi rationes tenet.

Addunt etiam incerta & fallacia experimenta quæ audaculi homines per mortes nostras agunt, vt Plinius pronuntiauit: & ipsimet dicunt medici, medicorum errata tegũtur terra: hinc illud nocens, & nimis verum dicterium, Nouo medico opus esse nouo cœmiterio. Sic hominũ stultitia ludit in propriis periculis. Plus sanè est periculi ab imperito medico, quàm ab ipso morbo metuendum. Rectè ille pronuntiauit, Multitudo medicorum me perdidit, & Adrianus moriturus, Medicorum turba principem perdidit, fortassè vterque rectius imperitia medicorum nos perdidit.

Verissimum dicterium.

Horum exempla nolo hic commemorare, ne in odiũ professionis honestissimæ quicquam dici videatur. Saltem hoc considerent, hanc temeritatem semper fuisse suspectam rectius iudicantibus, quod vel hinc constat, quod cum Mathematicis vt plurimum malè audierint, adeo vt aliquoties Romæ tota vrbe pulsi sint, vt sub Catone Censorio, aliisque principibus.

Nihilo tolerabilior est ille quoque error, quòd medicamenta per se salubria, non tempori & personis applicant: sed ad hominum indulgentiam, vt gulæ & stomacho inseruiant. Antiquitas in ieiunio, exercitio, moderata dieta bonam partem medicinæ posuit, quæ hodie cum contemnũtur, non mirum videri debet, si morbida sint maturè corpora, nec vlla pharmacopolia satis exquisitè sint instructa, nec medici vlla industria, vt perniciosos fumos, corruptos humores ex crapula, & ciborum copia ac varietate possit corrigere.

Verè dixit ille, plus quàm semel in die fieri saturum, perniciosum esse. quid de nostris diceret, qui nunquam ieiuni sunt? Hos quis medicus curabit? quæ purgatio? quæ pharmaca? ieiunium & moderata dieta his imperanda erant, sed ne monachi sint, & gracilè ventris onus ferant, saturato ventre, diebus noctes continuant. Interim medici imperant purgationes, balnea, vomitum, & mille alia mala.

Contra cos qui toto ferè die ventri indulgent.

Difficilis est experimentorum ratio, etiam Hippocrate teste: ideo semper noua experimenta suspecta habeo, imò vetera quoque, non alia ratione quàm quod à ministris variis modis corrumpi posse sciam. Ideo pactum iniui cum corpusculo meo satis debili, non vsurum opera medici, nisi extremo periculo, sed ipse mihi sum medicus, moderata dieta, sæpiuscule tentato ieiunio, vt stomachi cruditates corrigam, languentem verò excito, ambulatione & moderatis exercitiis: venæ sectionem, cucurbitulas, balnea, scarificationem, purgationes, & similia tormẽta nunquam in vsum admisi: relinquo illa libens saginatis istis ventribus, qui beneficia ieiunij ignorent, & sectatoribus condimentorum. Hæc mea ratio est & longè expeditissima & cõpendiosissima, &c.

Hoc pactũ congruit cũ dicto vulgari optima medicina non vti medicina.

Hinc nascitur alius error perinde perniciosus: cùm enim natura sanitatem appetant homines: simul autem moderatam dietam ferre non possint nostri homines, medici varia tentant experimenta, quæ alij apud alios periculosè examinarunt. Vnde successit rhapsodiæ studium, vt tota hodie ratio commentandi experimẽtaria sit, adeóque varia & multiplex, vt nullis sumptibus ferri possit etiam à ditissimis, de quo describam ad finem iudicium magni & grauis viri: qui cum vidisset & legisset quosdam hodie editos recenter medicos libros, & perpensa illorum varietate, sic de illis & tota praxi medica & hodierno tempore vsurpata pronuntiauit, O verè vatem Censorium Catonem, & qui hoc commemorat Plinium, Græcam medicinam perniciosam Barbaris fore præsagientes. Ex tota enim ista farragine, pauca: eáque simplicissima, prudentiores eligant, cætera otiosis relinquant: nam his exactè vti volentibus, vix decem ægris vnus pharmacopæus sufficeret, nec singulis ciuitatibus triginta pharmacopolia, nec triginta oppidis vniuersa pigmenta Arabiæ, toties dulcia & naturali ventriculi habitui cõtraria damnãtibus, cum interim ad illius curationem, totas sachari libras præscribant, id quod ipse sum expertus, scilicet sua dulcedine medicamentum valde incommodare ægrotis.

Consiliũ notandũ.

Et mox liber est operissima medicina turgidus, cui seriam operam dare vix ditissimi ac otiosissimi possunt, præstarétque morbo quemque suo perire, quàm omnia superbę artis tormenta pati. Quis enim robustissimus non elanguesceret, imò deficeret, clysteriis, ventriculo pilularum multitudine & varietate, non exacto tantùm, sed execto, dissoluto, perdito omni naturali habitu, vitæ officina, euerso, syruporum, offarum, decoctionum, fumorum, & totius Arabiæ adulteratorum mercium, tanta est insuper cõgeries misello ægroto præscripta, quam robustissima belua vix conficeret in ventriculo, vt taceam arsenicum, hydrargum, & alia venena pro medecina imperata.

Restat quemq. suo morbo perire quam omnia artis medicæ tormenta pati.

FINIS.

DE MAGIA.

LOCVS CX.



OCTAVO capite Actorum præcipui loci sunt: de persecutione, de fuga in persecutionibus, de sepultura, de luctu pro mortuis, de Euãgelij incremento & fructu, de Baptismo adultorum, de Magia & Magis: horum locorum bonam partem explicuimus, superest locus de Magia, quem nunc attingemus.

Ad hunc seruabimus ordinem. Primùm quales fuerint magi olim, & quales nunc sint. Deinde genera quædam, seu species Magiæ indicabimus. Tertiò, an in genere aliquid possint. Demum quanta sit illorum potentia.

Origo nominis I. Olim vocem honestam fuisse, & honestam eius professionem certum est. Veteres enim viros bonos ac eruditos magos nominarunt: qui nouissent naturæ recondita, ex quibus interdum visi sunt mira efficere: quia rectè poterant applicare agentia ad patientia, causas veras suis effectis: quod cùm lateret reliquos imperitos, sapientes hos vocabant, hoc est, magos. Ac pertinebat ad horum professionem omne id, quod Græci Philosophis & σοφοῖς attribuũt, hoc est, rerum diuinarum peritia: vel, vt crassiùs dicamus, sacrorum ritus: vnde Prophetæ habiti sunt. Deinde Physices cognitio, hinc Physici ac medici dicti: tertiò mathesis, ac præcipuè Astronomia: ex syderibus enim & constellationibus plurima poterant prædicere, hinc vates: denique politice, hoc est, ratio administrandi imperia, regendi populos. Hinc illud Platonis in Alcib. primo, Persarum inquit, σοφώτατος μαγείαν διδάσκει· ἔστι δὲ τοῦτο θεῶν θεραπεία, διδάσκει δὲ καὶ τὰ βασιλικά. i. sapientissimus magiam docet, hoc autem est Deorum cultus, docet etiam ea quæ ad regum munus pertinent.

Ac vocem peregrinam esse certum est: nam ad Iudæos & Græcos aliunde hæc professio manauit. Persicam esse credibile est, quòd omnes authores testentur, apud Persas, familias magorum rebus maximis præfuisse, vt ex Xenophonte, Herodoto, Philostrato, Platone, aliísque ostendimus in 2. cap. Matth. Magia vox Persica.

Moses sanè hac voce nullibi vtitur, vbi tamen ex professo de magis & magia loquitur, vt Exod. 7. Deut. 18. Leuit. 19. & alibi multis in locis: nec Matthæus vtriusq; linguæ peritus hac vtitur: sed à Mose mutuatur Iudæis notam vocẽ, *mecaschephim*, non *mahagim*, quod indubiè fecisset, si posterior perinde fuisset Hebræa at prior: sunt autem *mecaschephim*, incãtatores, qui miranda videntur efficere: *schehem maschenim dauar hattoledot lemareeh haain*, h. e. quia mutãt rei naturam ad conspectum oculi. Denique euidẽs est argumẽtũ peregrinam esse vocem Græcis quoque, quia hac solùm vtuntur, cùm externos sapientes ac Philosophos celebrant, vt Ægyptiorum, Persarum, Indorum, Æthiopũ ac similium: de Græcis loquentes, Philosophos nominant: sic Latini quoque: Hebræis autem peregrinã esse iam diximus, quia illis in vsu non est in hac significatione. Hactenus quales veteres fuerint magi, scilicet viri docti, sapientes, Philosophi, Physici, Medici, Mathematici, Astronomi, Sacerdotes sacrorũ, regibus proximi, ex quibus aliqui interdũ ad regiam administrationem adhibiti sunt. Hodie Christiani, & olim Iudæi aliud genus magorum indicarũt, scil. quod malis spiritibus fœdere aliquo, societate, vel commercio esset coniunctum, vel illis inseruiendo, vel eosdem cogendo carminibus ad sua vota.

Duo genera magiæ. II. Ex his quæ diximus duo genera magiæ constitui possunt. Vnum naturale & antiquum, alterum nouum & infame.

Antiqua & naturalis magia est, naturæ rerum solida quædam cognitio, ex qua idonea causarum applicatione, interdum mirandos effectus constituunt. Natura enim rerum multa habet possibilia, si idoneus accesserit artifex, qui causas sciat conciliare. Deinde inest multis rebus singularis quædã Sympathia: quam qui obseruant, mirabilia efficere putãtur: qualis est in magnete attrahendi ferrum, in succino attrahendi paleas. Similiter inest rebus quoddam naturale odium, vt magneti cum allio, adamanti cum hircino sanguine, succino cum oleo. In his si quis solertissimus fuerit, non immeritò aliis magus videbitur, cùm solùm naturas eorum proferat. Talis quidem Daniel visus est Ethnicis & profanis hominibus, talis Ioseph, Salomon naturæ peritissimus, Moses in primis, qui miraculis claruit, verùm supernaturalibus: talis fuit Plato, aliíque. Pertinent huc industrii artifices, qui opera insolita confecere ad miraculum vsque, qualis fuit Archimedis machina, qua solus nauem onerariã in mare exposuit, talis columba lignea Architæ volitans, &c. Tales magi fuere qui Christum inuiserunt, Matt. 2. hoc est, boni astronomi.

Infamis magia. Noua & infamis magia est, quæ malorum spirituum consortio vtitur: hanc ortam dicunt à Simone mago: cùm tamẽ longè fuerit antiquior. Ægyptiorum magia ex hac multa habuit. Præterea à Mose est prohibita, extitisse igitur illius cultores necessum est. Illustrem igitur reddidit Simon ille, quemadmodum Carpocrates postea, qui non dubitauit illam publicè docere. Hodie qui illo malo occupantur communi nomine dicuntur Nigromantici corrupta voce, quasi Nigro-

diceres

diceres Necromanticos diuinatores ex mortuis. Olim rarum hoc studium, sub Christianismo verò tandem adeò inualuit, vt sacerdotes & clerici non satis exculti literis viderentur, nisi in hac damnata professione laudem haberent: sed & Pontifices hac arte sedem fœdarunt. Si enim Platinæ & aliis credimus, bona pars magicis artibus pontificatum assecuta est: legantur illorum vitæ, Syluestri secundi, qui caput æneum habuit quod consuluit, Benedicti octaui, Gregorij septimi, Ioannis 20. & 21. Alexandri sexti, & aliorum. mantia. Bona pars Pontifi um Romanorum magicis artibus vsa est.

Ad hanc prohibitam & infamem magiam pertinent hæ species: Γοητεία, quæ circa sepulchra defunctorum malos spiritus docet inuocare, hinc ἀπὸ τῶν γόων, hoc est, à luctu nomen habet, quia tales lugubri voce vtuntur.

Necromantia, per quam manes seu vmbræ defunctorum excitantur, vt consulant, aut ad interrogata respondeant. Talis fuit anus fatidica in Endor, quam Saul consuluit. 1 Sam. Referunt de Appione grammatico, quòd Homeri manes euocarit, vt de patria illius & operibus certior redderetur. Nicromantia.

Vlysses apud Hom. Odyss. Γ. euocat Achillis vmbram. Apollonius Thianæus eiusdem Achillis manes consulit de rebus ad Troiam gestis.

Ἐπῳδὴ, carminibus vtitur & verbis: olim barbara adhibita vt plurimum sunt, vt & hodie, quanquam sancta verba ad velandam impietatem cœperunt vsurpare, vt ex Euangelio Ioannis, ex Psalmis, nomina trium personarum Trinitatis.

Pharmacia medicamentis vtitur, quæ potu seu esu porrigit, ac in furorem vel amorem rapit, morbũ inducit, aut alia ratione nocet. Hac in primis excelluit Medea, de qua Pindar. Pyth. 4. stroph. 10. & mox stroph. 11. ab hac facultate παμφάρμακος appellatur.

Has ferè species reperio magiæ infamis, ex quibus suppullularunt malefici illusores, delusæ lamiæ, sagæ, striges, & alia horrenda nomina: miserandæ empusæ, diræ mormolyciæ, & quicquid tale est.

Addamus & hanc alteram distinctionem, quam nostra Germania fermè habet. Magi isti infames dicuntur nobis generali vocabulo *schvvartzkünstler*, quia opera noctis plurima conficiunt, tenebras enim amat Satan: deinde quòd pullato, hoc est, nigro habitu libenter vtantur. Et ipse Satan doctor harum artium, apparet illis vt plurimum nigra imagine, vt nigri hominis, canis nigri, felis, vrsi, &c. hinc discipuli eius nigros alunt canes. Cùm igitur in tenebris discantur hæ artes, & nigrum habeant præceptorem, nigras imagines, symbola, rectissimè videntur dici nigri ipsi artifices, in quos optimè etiam quadrat illud: Satan sæpe apparet nigro habitu.

Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Hi artifices nobis sic distincti sunt, vt alij sint diuinatores, *vvarsager*, hoc est, veridici, tales enim haberi volũt, & Satan omnibus modis veritatis colorem ambit, hinc fingit se Angelum lucis. Sint isti prognostici, nam veridici non sunt: de futuris euentis aut errant, aut lubricè respondent.

Huc tota diuinandi disciplina gentilium pertinet.

Vates qui ex Sibillynis libris respondebant, Augures ex auium garritu, Aruspices & auspices ex auium aspectu vel occursu, vt sinistra cornix: hodie iter faciẽtes occursus leporis inauspicatum iudicat. Ex elemẽtis multa prognostica sunt nata naturalia, de quibus hic non est sermo: loquor de superstitionibus harum obseruationum. Varro digessit in 4. genera secundùm numerum elementorum, ex quo eadem repetiit August. ex quo in ius quoque canonicum sunt translata, scil. geomantia, quæ ex terra futura prædicit, aëromantia ex aëre: hydromantia ex aqua: pyromantia verò ex igni. Quibus hodie affines sunt, crystallomantia, catoptromantia, hydromantia, onychomantia. Vates, Augures, Aruspices. Geomantia, aëromantia, hydromantia, pyromantia.

Cristallomantici, in crystallo polito dæmonem consulunt, qui respondet de rebus amissis & ad quæstiones propositas, interdum personas exprimit, locum & circunstantias vt agnosci possit persona suspecta.

Catoptromantici sunt, qui in speculo, vel vitro polito idem præstant quod superiores in crystallo.

Hydromantici hodie alij sunt quàm olim: nam nostri Hydromantici, aquam arte paratam habent, in quam puluerem quendam suæ artis immittunt, ac consulti respondent hinc: nam coniecto puluere illo in aquam, consurgit in aqua imago dæmonis opera, ex qua respondere possunt: nam de furto roganti repræsentat furis speciem, de morbo interroganti, locum affectum indicat, vt tumorem circa inguina, rupturam & similia.

Onychomantici in vngue spiritum consulunt, quò pertinent Dactylomantici, qui in annulo idem præstant.

Alij ex astris futura prædicunt, vt astrologi & hodie nostri *pratikmacher*, qui libri à vanitate publicè *luxibucher* dicũtur: multa enim vana naturalibus admiscent. Genethliaci propriè sunt, qui natiuitates erigunt ex 12. cœli signis, & hinc natis fortunam omnem conantur prædicere. Non his dissimiles sunt horoscopi, qui horam natiuitatis certam speculantur: omnes hi olim Mathematici dicti sunt, & libri illorum damnatæ lectionis, quique mox corrumpendi essent ex vi legum ciuilium. Astrologi. Genethliaci. Horoscopi. Mathematici.

Alij sortibus futura eliciunt:hinc sortilegi:hodie sortes variis modis cōsuluntur. Sunt philosophicæ sortes,quæ ex proiectu punctorum emergunt:alij Apostolicis vtuntur,hoc est, honesto vocabulo velant impietatem,quasi ad exemplum Apostolorum & præceptum lites dirimant,& quæstiones soluant:huc pertinent nostri *losbucher*, &c.

Alij ex lineamentis personæ & membrorum diuinant, vt chiromantici. Qua fraude hodie vtuntur Agyrtæ & impostores vagabundi,quales sunt, *die chei* , *den farenden schuler* & similes vagantes.

Alij ex affectione corporis,qualia sunt Palmica auguria : hinc Salitores qui illa obseruant, Græcè Palmiscopi,quale,si oculus dexter saliat.

Hos omnes vocamus *vvorsager* prognosticos,vel potius *versager*,quia prædicunt, antequam eueniat : & palliant isti omnes honesto titulo fraudem,nec videri volunt consortio malorum spirituum vti,naturæ enim cognitionem habere videntur,vt sint gnostici priùs,hinc facti tādem prognostici.

Alterum genus prognosticorū. Est alterum genus prognosticorum,qui spiritum familiarem negare non possunt : nam spiritu capiuntur & illius inspiratione arcana promunt:quales sunt obsessi,furiosi, consecrati certis spiritibus,vt gastromantici,pythonici,& similes.

Alterum genus magorū. Alterum genus magorum,hoc est,*scavvartzkünstleren* est,quod appellamus *die sagner*, qui precibus aliisque verbis curant,adhibitis interdum rebus à natura petitis. Duplices hodie isti sunt, alij morbos & affectiones corporis curant,alij vulnera,vtrique medicatores sunt.

Priores certa habent & concepta verba,quę vel clàm,vel interdum apertè pronuntiant:mēbrū affectū tangunt,ventilant, hinc amuletum appendunt in quo sint certæ herbæ, interdū characteres & verba pauca exarata. Sic alij strumas curant,alij febres,alij phthysin in pueris,alij alios morbos.Commune tamen omnibus est,exigere fidem à curādo, vt his credat & fidem habeat,sine fide frustranea est illorum professio,adeò Satan ambitiosus est.

Qui vulnera curant magis sunt admirabiles mundo:nō enim vulnus curāt certa ratione:sed obligant instrumentum quod læsit:vt palum quo se læsit equus,spinam,quæ extrahitur ex plāta pedis,gladium,securim,& quicquid similium est instrumentorum,hoc obligant,& reponūt in certum angulum,ad dies certos,hinc curatur vulnus. Hos appellamus *vvundt segners*:horum omnium non deessent exempla nisi odiosa forent.

Tertium genus Nigromanticorum est (sic enim liceat vocare *die svvarzkunstle*) fascinatorum,qui res videntur mutare,& stupenda facere,fascinatis spectantium oculis:hi propriè sunt *zouberer*.

Nam opera Satanæ fascinant spectatores,vt aliud ipsis videatur,quàm reuera fiat.

Mira fascinatio. Qua fraude mirificè celebris fuit Faustus superiori seculo,is rustico nolenti de via cedere, equos cum curru deuorare visus:& alius qui cuidam vendidit bene pingues & obesos porcos, quos cum emptor domum abacturus in via per obiectum torrentem pelleret,sola stramina vidit defluere in aquis, amissis porcis,mox aliud insolentius inde nascitur.Nam redit ad hospitiū quæsiturus venditorem nebulonem.Is in hospitio re cum hospita composita, retro fornacem dormienti similis stertit,accedit iracundè emptor,heus tu Impostor, ac pede trahit, pes totus sequitur,vt eximi videatur ab ipso corpore,miser hic attonitus stat:alter vnipes vociferatur de accepta iniuria,tandem res amicè componitur,& crure admoto iterum suo loco refigitur,&c. Huc pertinent Ioculatores isti *geugler,myster hemmerlis kunst*.&c.

Malefici venefici. Quarto loco sequuntur, Malefici,venefici,*die strudell,hexen* & similia infausta nomina: mancipia sunt Satanæ,solùm ad nocendum instructa,lædunt autem variis modis. Alij visu solùm, vt quædam mulieres veneficæ,quos fixis oculis intuentur iracundè, eos inficiunt morbo, in primis infantes,prægnantes,&c. Aliquando cōtractu nocent, nostri vocant *ein griff,gen, oder berruren*, vestigia manent infixa corpori. Aliàs vnguentis,quæ vel foribus illinunt, aut annulo ianuæ,vel ansæ,aut locis secretis,scamnis & aliis,quę si tangant homines inficiuntur. Aliàs parato veneno quod offerant,vel in pomo,placentis,pane,aliòve cibo,ac potu. Aliàs nudis imprecationibus & diris carminibus, &c. Ista fermè hodie video genera esse huius impiæ artis.

An aliquid possint suis artibus efficere malefici. III. Quæri iam solet nec immeritò,an aliquid possint damnatæ artis sectatores: duplex hic sententia sese offert.Sunt enim qui iudicent planè nihil hosce omnes posse.In qua sentētia boni quoque viri sunt nonnulli ex Theologis: & in eadem sentētia est Plinius libro 30.cap.1.& 2. qui Neronis exemplo ostendit vana omnia esse,quæ magia profitetur : Verùm illius ratio non aliud probat , quàm vana esse magorum promissa & impia. Placet igitur altera sententia asserentium illos aliquid posse.

Experiētia probat eos aliquid efficere. Primùm enim manifesta experientia testatur,lamias & veneficos posse lædere homines & iumenta:vt quos oculis contuentur,pecori malas porrigunt herbas, segetibus inducunt perniciem.Hinc lex in 12.tabulis ne quis fructus alterius excantasset , quod refert Seneca in quæstionibus naturalibus.Refert Plinius Vectij Marcelli olinetum loco motum esse. Refert Olaus magnus septentrionales populos mirificè valere veneficiis & magicis incantamentis, cuius rei insignia sunt exempla Hollerus & Oddo,quorum prior pro Deo habitus , tandem discerptus est:posterior hostium naues diro carmine aliquoties subuertit tandem & ipse in mari periit. Vi-

riit. Vide libr. 3. Epitomes. Refert idem Lapones tres nodos in barba nectere, primò soluto côcitant tempestates: altero soluto inualescunt mala, tertio demum soluto subuerti nauigia & quicquid hostile est in mari.

Deinde materia vtūtur efficaci, vt herbis venenatis, veneno arte confecto, metallicis rebus, in quibus omnibus inest vis naturalis ad nocendum.

Item illis accedunt arte parata, quæ dictat Satan, quæ ex pilis, sanguine aliisque fœdis rebus præparant. Olla verò commune est ferè omnium maleficarum instrumentum, quia succos, herbas, vermes, cruorem, exta etiam, aliáque decoquunt: quibus epulis vnguentis ac pharmacis efficaciter vtuntur. Olaus magnus testatur apud Septentrionales talibus dapibus, nauiũ quoque in mari, equitum in continente cursorum excitari celeritatem.

Tertiò, accedit causa primaria mouens ac regens talium hominum conatus, Satan scil. qui non solùm mille artifex est: sed plurima nouit, multa etiã potest: vnde princeps aëris & rector tenebrarum dicitur: is nouit optimè applicare causas certas ad effectus edendos, agentia ad sua patientia. Itaque plurimum eos etiam posse præsertim ad malum: nam perniciem hominum quærit Satan, & ad hanc procurat diuersa organa, aptissima tamen sunt, ad hominum perniciem, ipsi homines: hinc illud, homo homini lupus. Satan princeps aëris multa potest Deo permittẽte.

Quartò organa Satanę, hoc est, ipsi malefici magi ratione ac consilio agunt. Consilium hominis autem in multis deliberationibus efficaciter agere notum est. In primis verò in malo, & ad malum: nam istic liberior est non solùm voluntas, sed ratio deliberans, & conatus ad effectus optatos producens. Nec enim credendum est, in omnibus deludi, vt agere videantur, quæ non agant, quod tamen in multis concedo verũ esse: sed interea infinita peragit Satan, per maleficos, per vetulas, in quibus dementes vt truncus iacent, sed præsenti agunt ratione. Vt cùm lædunt veneno, cùm inungunt sed ilia, dum fascinant spectantium oculos, dum rapiuntur ad alia loca, dum carmina dira recitant, dum materialia in olla concoquunt, &c.

Demum cùm tanta seueritate prohibita sit magia, firmum est argumentum magos aliquid posse, quæ enim nec commoda, nec incommoda mortalium possunt promouere, nihil opus est prohibere. Idem iudicium est in his quæ Deum côcernunt, cuius gloria hic obscuratur, hominum mentes ad alia auocantur quæ colant & adorent: in his quia efficaciter agunt, pœnæ à Deo constitutæ sunt. Exod.22. *Maleficam non sines viuere.* Leuit. 20. *Anima quæ respexerit post pythones, & post hariolos, & fornicetur post eos, ponam faciem meam contra animam illam, & exterminabo illum hominem de populis suis.* Leuit.12. *non augurabimini neque tempora obseruabitis.* Deut.18. *non inuenietur in te exercens sortilegia, obseruans dies, augur & magus, aut exercens incantationem, consulens Pythonem, diuinus, aut qui sciscitatur mortuos.* Prohibitio magiæ argumentum magos aliquid posse.

Deus etiam facto ipso docuit sibi displicere cùm cultores illius grauiter passim legatur puniuisse. vt Esa.2. de domo Iacob legitur, quòd plus impleta fuerit magia, quàm Oriẽs, hinc grauiter eos puniuit: sic de Manasse scribitur. 2.Reg. 21. quòd exercuit artem hariolandi, auguria, pythones & diuinos instituerit: vnde illi grauiter irascitur Dominus. Esa 8. sub persona populi dicitur, sciscitemini pythones, diuinos qui mussitant & dictant. Respondet Propheta, *num pro viuis ad mortuos recurrendum est?* Esa. 47. Babyloni obiicitur, sta nunc cum multitudine magorum tuorum, saluent te scrutatores cœli, & contemplatores stellarum, & qui ex lunationibus futura iudicant. Mich.5, restituto populo inquit, augures non erunt in te. Ad Gal.5. inter opera carnis φαρμακεία recensetur, & à regno cœlorum excludit. Sic quidem sacræ literæ de illa iudicant, hoc est, opus carnis efficax constituunt, cui Dominus certissimas pœnas non solùm in hac vita constituit: sed nisi corrigatur, etiam in futuro seculo æternam iram declarauit: vide etiam Apoc.21. Act.16 19.

Non fuerit inutile hic conferre pœnas quas iura ciuilia constituerunt: de quibus vide librum. 9. Codicis. Tit. 18. de maleficiis & mathematicis: vbi inter alias constitutiones habes: Multi magicis artibus vsi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant: & manibus accitis audent ventilare: vt quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos (quoniam naturæ peregrini sunt) feralis pestis absumat. In iure Canonico similes pœnæ habentur, de quibus vid. decretum Gratiani 26. quæst. 1.2.3.4.& 5. vbi illa etiã leguntur. Si quis ariolos, aruspices vel incantatores obseruauerit: aut phylacteriis eorum vsus fuerit, anathema sit. De pœnis in magiæ sectatores.

Et ex Laodicensi concilio. Non oportet sacris officiis deditos, vel clericos, magos aut incantatores existere: aut facere phylacteria, quæ animarum suarum vincula probantur: hos, aut qui talibus rebus vtuntur, proiici ab Ecclesia iussimus. Legant ista monachi & sacrificuli, qui hodie adeò fauent his damnatis artibus.

IIII. Superest vltima portio instituti nostri, scil. quantùm valeant magicæ artes. Respondemus Satanę potentiam finitam esse, multò magis igitur finita est maleficorum hominũ vis. Deinde non absolutè quicquam tales posse, imò ne Satanam, nisi bona cum venia superior potestas Dei hoc concesserit: hoc satis declarat historia Iobi: possunt igitur tantùm, quantùm Deus opt. max. concedit. Concedit autem quantum mundi ingratitudo, hominum diffidentia, crudelitas interdum meretur. Nullibi enim efficaciùs hic spiritus erroris dominatur, quàm vbi fidem non reperit, vbi carent homines Christi vera cognitione, vt apud Septentrionales Magi tantum possunt quantum Deus cõcedit.

populos: quod certissimum est argumentum Christianismum vehementer corruptum esse passim in Papatu, cum tot magi & incantatores reperiantur. Apud nos similiter licet ex doctis nemo reperiatur: tamen in plebe & inter medicos non rara sunt, quæ arguunt non satis firmiter eos Christo credere: idem dici poterat de his, qui tales consulunt, &c. Rogandus est sedulò Dominus, vt talia scandala aliquando extirpet ab Ecclesia sua.

FASCINATIO.

LOCVS CXII.



AN sit aliqua vis in fascino dubitatum est semper, & hodie multis absurdũ videtur. Hieronymus certè in hac est sententia, dum ad Gal. 3. cap. fascinandi verbo inuidiam significasse Apostolum explicat, & in prioribus annotationibus inquit, Hoc verbum dignè Paulo debemus exponere, non quòd scierit esse fascinum, quod vulgo putatur nocere, sed vsus sermone sit triuij, vt & in cæteris, ita & in hoc quoque loco verbum quotidianæ sermocinationis assumpserit. Chrysostomus etiam & Theophylactus eius sectator de inuidia locum explicát, non quod liuor per se eiusmodi vim habeat. Doceamus igitur primò fascinum esse, & quidem in multis efficax, Deo sic permittente ad puniendos incredulos.

Fascinũ species magiæ.

Primùm, certum est fascinum esse speciem Magiæ, illius inquam quæ non à natura, sed diabolo profecta est. Hoc autem vtitur efficaciter Satã vt videre est in Magis Pharaonis qui Mosem imitantur in multis. Moses autem per Dei digitum edebat miracula varia, cum illi Satanicis vterentur fascinationibus. Deinde cum sit opus Satanæ, qui reuera viuit, & in rerum natura existit, vtique sua propria actione spoliari non debet. Est autem propria illius actio illudere homines, fallere, perstringere omnes sensus, nedum oculos: Itaque Deo sic permittente fascino efficaciter vti potest tum per se, tum per sua organa.

Propria fascini actio.

Preterea, Scriptura non prohiberet si nullum esset fascinum, sed prohibet & de eo loquitur tanquam de re nocente hominibus. Prohiberi dicimus, quoties magia & incãtatio prohibetur tanquam species in suo genere. De eo autem loqui, vt de re efficaci, constare potest ex Nehem. 3. vers. 11. cap. 10. vers. 25 Esa. 3. vers 3. Esa. 20. vers. 16. Ierem. 8. vers. 17. & aliis locis pluribus. Et liber Sapientiæ qui est inter Apocryphos de eo loquitur cap. 4. vt efficaciter agente, βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλὰ καὶ ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας μεταλλεύει νοῦν ἄκακον. hoc est, fascinũ improbum debilitat bona & inconstans appetitus explorat mentem simplicem.

Experiẽtia fascini. Exemplum fascini de puella quadam.

4. Accedit experientia manifestior quàm vt negari possit: fascinantur infantes, vt contabescant. Vaccæ, vt lac non reddant, nisi sanguinolentum & lac ipsum in butyrũ non coit. In vita Macarij Ægyptij simile legitur exemplum de puella quæ parentibus videbatur in equinam formã transmutata, cum solum esset fascinũ Satanæ, qui falsa specie illorũ oculos perstrinxerat.

Facilimũ est satanæ nobis oculos perstringere.

5. Nec id nouum nobis debet videri, si potentiã Satanæ consideremus, & artes illius mirificas. coërcentur quidem à Deo vt superiore potentia, verum dum illi Deus habenas laxat vt est mille dolorum artifex, facillimum ei est nobis oculos perstringere, vt videre videamur quæ reuera non sunt. Interdum reipsa lædit, quouis instrumento. Scribunt Physici, quod etiam confirmat Aristoteles, mulierem menstruo pollutam, visu solum lædere, & inficere speculum politum. Et Basiliscus solo visu hominem interimit. Lupo viso, raucedo inuadit hominem. Occisi hominis cadauer sanguinem sudat præsente latrone. Quid ergo non efficiat Satan per oculos malefici, per attactum, per verba concepta, per radices, herbas maleficas & similia, si inquam Dominus & superior illa potestas veniam dederit?

Itaque certissimum est in fascino vim aliquam nocendi repositam esse quæ hominibus non immeritò sit cauenda.

II. Porrò, fascinum græcam vocem esse hodie quoque nonnulli ex doctis affirmant. Gellius etiam libro 16. cap. 12. probat sententiam Cl. Verrij, quem tamen in multis improbat, dicentis fascinum dici quasi βάσκανον, sed meo quidem iudicio Cloatius ille Verrius non minus ineptè fascinum βάσκανον dixit, quàm errare ἀπὸ τοῦ ἔρρειν & fœneratorem quasi φανερότερον, quia id genus hominum speciem ostentet humanitatis, & commodi esse videantur in opibus nummos desiderantibus, quo sanè nil est aut dici potest insulsius. Itaque Latinæ vocis est origo quærenda. Non satis pertinenter faciunt qui à fasce ortam dicunt appellationem. Molestat quidẽ & premit quasi onere fascinator, adeo vt non sint homines in sua naturali constitutione, nil tamen habet commune fascinum cum fasce, nisi de amuletis intelligas quibus tamen rarò vtuntur fascinatores. Itaque placet Sexti Pomp. sententia, qui à fando ait fascinum dici. Certum enim est verbis conceptis ac oratione aliqua tacita fascinum confici. adhibent quidem sæpe herbas, lapillos, vnguenta, lanam, crines, &c. sed illa demum valere creduntur, si verbis imbuãtur ac si nõ valeãt satis est valuisse credere. Inde sunt diræ & imprecationes. Et Græci quoque βάσκειν accipiũt pro κακολογεῖν, à fãdo, hoc est, imprecãdo. Igitur Latini suũ habẽt fascinũ.

Fascinũ à fando dicitur.

Græci

Græci βάσκανον, ſumpſerunt à verbo βασκαίνειν, quod reſoluunt Grammatici in duas dictiones, τοῖς φάεσι καίνειν, hoc eſt, τῷ βλέμματι φθείρειν, quia viſu vt plurimũ nocent, non minus quàm Baſiliſcus, aut mẽſtruo laborans mulier ſpeculo nocet. Apud Hebræos eſt vox *lachaſch*, quæ ſignificat ſubmurmurare, muſſitare clàm, quæ propriè tribuitur incantatoribus, & faſcinatoribus vt Pſal. 58. de aſpide dicitur quod non audiat vocem *melacheſchin* hoc eſt, faſcinantium: quod Hieronymus vertit murmurantium. Itaque Hebræi & Latini faſcinum à fando, ſic illi à loquendo dixerunt *lachaſch*, & tradunt Rabini *lecheſch*, hinc dictum fuiſſe genus ornamenti, in quo ſcriptæ fuerunt incãtationes certis nimirum verbis & characteribus ſiue vt eſſent efficaciores, ex auro & argento fieri ſolebant, tantum valuit impia perſuaſio Gentilis, vt Iudæos quoque perſuaſerit.

III. Definiunt Scholaſtici quòd ſit iniectio ab oculis infectis propter malitiam animæ, vel ex Dei permiſſione, vel cooperante fato occulto vel dæmone. Definitio Thomæ eſt, in qua multa requiri poſſunt. Primùm enim non ſolis oculis fit, ſed verbis conceptis crebrius: deinde non rectè inſtituit membra, aliud ſcilicet fieri permittente Deo, aliud verò cooperante fato, denique aliud cooperante dæmone. Abſurdum enim eſt quoddam fieri Deo non permittente, deinde falſum etiam quoddam ſolum fieri cooperante dæmone, cum omne fiat dæmone cooperante & Deo permittente: non enim eſt malum in vrbe, quod Dominus non fecerit. Denique obſcurum eſt illud fatum occultum cuius opera quędam fiant, cum fatum nullum ſit extra Dei voluntatem. *Quid faſcinum ſcholaſticis.*

Dicamus igitur faſcinum eſſe maleficium opera Satanæ Deo permittente confectum ad deſtruenda opera Dei, vel ſaltem vt deſtruxiſſe videatur. Maleficium dicimus, quia artis veſtigia habet reipſa nocentis, ideo de numero malarum artium ponimus. *Definitio.*

Græci artes diſtinguunt in εὐτεχνίας, hoc eſt artes humano generi vtiles, quales ſunt liberales & mechanicæ artes, quæ ad vitæ vſum conferunt. In ἀτεχνίας, ſtolidas artes quę ſpeciem artis habent, ſed nil proſunt, nec quicquam momenti habent ad vitam communem, quales ſunt circulatorum artes, hiſtrionum, paraſitorum. Et in κακοτεχνίας, quæ plus nocent hominibus, & ad perniciem inſtitutæ ſunt tum aliorum, tum etiam eorum qui eas profitentur, qualis eſt magia cum ſuis ſpeciebus damnata à Sacris literis: ad quam claſſem pertinet faſcinum, incantatio, & quæcunque familiaritatem dæmonis habent. Satanæ autem adſcribimus tanquam authori: vt enim omnium malorum author eſt, ſic faſcinũ homines docuit, & per eoſdem illud exercet, nec vllũ eſt quod Satan non adminiſtret. Deo autẽ permittente fieri dicimus, quia Satanæ poteſtas nõ eſt abſoluta, ſed limitata ſuperiore imperio. Itaq; abſolutè nil poteſt, ſed quatenus Deus illi permittit, quod ſatis comprobat hiſtoria Iobi, quem Satan nulla ratione lædere potuit, niſi venia conceſſa, & quidem limitata poteſtate. Addimus demũ finem, quem in his artibus reſpicit Satan deſtruere ſcilicet opera Domini, hoc eſt, reuera nocere. Interdũ enim occidit iumenta per maleficos, efficit vt cõtabeſcãt homines, lædit mẽbra infantiũ & ſimilia perpetrat. Interdũ non vaſtat, ſed vaſtaſſe videtur, quale eſt illud quod ex vita Macarij adduximus, ſuprà videbatur puella læſa & in equã mutata, cũ nil tale feciſſet, ſed oculos intuentiũ faſcinaret. Sic in iocularibus ludit Satan, vt putent homines ſe videre gallũ trahentem trabem ingentem, cùm ſaltẽ culmum aut filum poſt ſe trahat. Nec id difficile eſt Satanę, nouit compoſitionem elementorũ, vt ſubitò poſſit componere inſolita. Nouit etiam obiecta deprauare & medium viſus corrumpere, vt alia ſpecies oculi ſeſe offerat in corporibus quàm reuera ſit, accedit hominũ incredulitas, quæ illius artes mirificè confirmat. Porrò hoc malum nõ vno modo lædit, ſed vt mille malorum eſt artifex eius author, ſic ſuæ artis modos infinitos habet. Si hac non ſuccedit, mox alia procedit via. Suis cultoribus aliquot ſolet patefacere nocendi & illudendi modos, nullis tamẽ ita fauet, vt ſuæ artis plenam communicet cognitionem, vnde Nero aliíque præſtigiarum auidiſſimi tandem confeſſi ſunt vanas in vniuerſum eſſe artes, meráſque illuſiones. De his tamen qui volet legat quę G. Gyraldus ex philoſophis & medicis de faſcino collegit proprio libello, & recentior Ioan. VVierus de præſtigiis dæmonum. Nos hac vtemur diuiſione. *Genus.* *Cauſa efficiens.* *Hiſtoria Iobi.* *Exemplum faſcini.*

Faſcinum aut conatur lędere corpus, aut animum. Si ad corpus referatur, id perſtringit ſecũdum partes, vel totum. Deinde vel viſu efficitur ſolo, quale illud Virgilianum, *Diuiſio faſcini.*

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

Ac de viſu minus mirabimur, ſi maleficæ lædant cum Baſiliſci vim conſideramus, & torpedo marina manifeſta experientia piſcatoris manum lædit corpore immiſſo per arundinem & filũ piſcatoriũ. Maleficarũ oculi, veneno imbuti ſunt Satanico, quæ infantes diro aſpectu facilè lædunt. Sunt enim corpuſcula tenella & poroſa: in primis oculi venenum per viſum facilè recipiũt, intra corpus admittũt, quemadmodũ Baſiliſcus ſibi ipſi cauſa mortis eſt, ſi obiecto ſpeculo aut re leui radius viſiuus, in ipſum reflectatur, & mulier menſtruo polluta, non ſolum ſpeculũ inficit, ſed propriam faciem ex reflexione viſus, item aliorum oculos perſtringit, & hebetat. *Maleficę mulieres ſolo aſpectu infantes facilè lædunt.*

2. Vel efficitur tactu (id quod minus eſt mirum) cum manus infectas poſſint priùs reddere, & aliquo veneno imbuere, ſed & Satan ipſe induens corpus, tactu nocenter lædit. Idem igitur efficit per ſua organa, qualia exempla VVierus plura refert.

Verbis fascinũ lædit, vetulæ enim laudãdo nocẽt infantibus.

Tertiò lædit fascinum verbis, idque vel diris imprecationibus, vel interdum laudando. Refert Solinus in Africa esse genus maleficorum, quod nimium laudando, arbores, segetes, infantes, equos, pecudes perdat. Tales hodie vetulæ quæ laudando nocent infantibus. Ad tactũ pertinent omnia pharmaca, phyltra, amuleta, quæcunque cibo, potúve porrigunt infecta.

Fascinum verò animi est, quando Satan prauis dogmatibus corrumpit fidem & veram Christi doctrinam, vt in articulo iustificationis. Galatæ mutata sententia putabant Christi meritum non sufficere ad salutem: nisi circumcisionem simul & alia legalia obseruarent. hæc corruptela doctrinæ, fascinum Satanæ erat per falsos doctores iniectum. Ideo Apostolus ad Gal. 3. inquit, *Quis vos fascinauit, vt non crederetis veritati?* Huc pertinent igitur omnes omnium temporum hæreses & sectæ circa fidem. Vt enim corpus & oculi fascinantur vt credant se videre quod minimè verum est: sic animus prauis opinionibus imbutus à veritate recedit, vt credat mendacio, interim iuret per omnia sacra, veras se amplecti sententias. Subest tamen discrimen hoc loco: Nam doctores praui dogmatis, videre interdum possunt verum, quod tamen cõtentione & ardore disputantium longius progressi admittere non possunt, vel rubore inepto, vel pertinacia impediti. secus se habet cum discipulis qui eosdem errores sectantur, hi pleniùs fascinati meliora agnoscere non possunt, nacti autem idoneum doctorem facilè mutant sententiam, vt videre est in sectis.

DE SPECTRIS.

LOCVS CXIII.

Nomen.



SCRIPTVRA aliquoties mentionem facit τῶν φαντασμάτων, vt Matth. 14. Mar. 6. & Luc. 24. discipuli insolito Christi ad ipsos aduentu perterriti putant se φάντασμα, videre.

Dicamus ergo de his spectris. hinc sumpto principio, φαντάσματα appellant visiones. Cicero visa vertit. & in epist. ad Cassium lib. 15. epist. 16. Spectra appellant, eadem significatione sumunt fere εἴδωλα: vt sint imagines dormientibus aut vigilantibus obiectæ diuersa specie & aspectu vario, incerto interdum etiam fine. Hebræi nominant *mazik* seu à flammis, seu à nocendi studio, *pegan*, hoc est occursum meridianum & inauspicatũ, *suang* quasi satanam dicas, & *lilit*, hoc est lamiam.

Latini & spectra & visiones, & apparitiones spirituum vel animarum defunctorum, aut simile quiddam.

Ex quibus appellationibus satis constat, voces esse ambiguas, ac aliud sanè atque aliud τῶν φαντασμάτων nomine intelligi, quod certè non fuerit inutile, nec ἀπροσδιόνυσον, si in præsentia perstringamus.

Aptitudo aëris ad recipiendas diuersas formas.

I. Veniunt igitur in hunc sensum. Primùm τὰ φαντάσματα, τὰ ἐν ἀέρι γινόμενα, qualia ferè appellant Physici phænomena, quæ copiosè & eleganter in Meteoris persequuntur Physici. Habet enim aër pro naturæ suæ liquiditate, singularem aptitudinem ad recipiendas formas omnigenas. In nubibus nunc videas hominum imagines, nunc auium, iam montium vertices, iam aliud. taceo de stupendis illis φαντάσμασι, quæ inter portenta solent referri, armatas acies, equitum agmina, pompas funebres, geminos soles, &c. & quid non? habent illa interdum suã ὑπόστασιν, hoc est, vt aliquid sint: aliàs fiunt tantum κατ' ἔμφασιν, quia nobis talia videtur esse, de his consulendi sunt Physici.

Deinde φαντάσματα dicuntur opinione nostra, quę insolito more nobis sese offerunt, & quorum actiones captum nostrum superant: cùm reuera phantasmata non sint. Sic Apostoli putãt se φάντασμα videre, cùm Christus insolito more super mare ambularet, & iam rediuiuus eosdẽ conueniens, perterriti, putant se spiritum videre, hoc est, φάντασμα.

Etenim humani ingenij hebetudo crassior est quàm vt operum Dei possit rationes promere: ideóque quicquid euenire aduertit contra naturæ consuetum cursum, mox stupet & timore contrahitur, ac ne desit rei vel causa vel nomen, spiritum, φάντασμα, aut simile quiddam appellare solet. Sunt igitur huc referenda τὰ δοκοῦντα, μὴ ὄντα δὲ φαντάσματα, quæ videntur esse & non sunt.

Tertiò verè dicuntur φαντάσματα, quæ quod dicuntur etiam sunt: vt qualia dormientibus obuersantur: plenæ his sunt tragœdiæ. Hecuba Polydori videt φάντασμα, quo spectro perterrita conicit aduersa maiora imminere. Dido apud Virgilium noctu sua patitur phantasmata ex vi amoris. Tyranni & improbi homines suos habent manes & alastores quibus affliguntur.

Neronẽ insomno perturbabant di-

Nero ægrè commisit sese somno propter vmbras istas & phantasmata: occiderat enim matrem, præceptorem, multos honestissimos ciues, perturbarunt igitur ipsum non immeritò diuersa phantasmata. Et quia per insomnia sese offerunt, eiusmodi imagines, solent poëtæ iam

ὄνειρον, iam σκιὰν, id est, vmbras, iam εἴδωλον appellare huiusmodi φαντάσματα. uersa phantasmata.

Hinc etiam inter species insomniorum locum suum habet φάντασμα, quod vt intelligamus, sic accipi debet. Quęcunque dormientes videmur nobis videre, diuisa sunt in genera quinque: aut enim est ὄνειρος, hoc est, somnium, aut ὅραμα visio: aut χρηματισμὸς, oraculū: aut ἐνύπνιον insomnium: aut denique est φάντασμα visum. Diuisio.

Ὄνειρον dicunt esse figuris tectum, ideóque opus esse interprete qualia sunt Pharaonis, quæ Iosepho interprete didicit: & Nebuchadnezar, quæ Daniel exposuit.

2. Ὅραμα, quando id, quod apparuit, euenit simpliciter, vt per somnum sese obtulit. Cùm essem Marpurgi, visus sum per quietem, habere obuiam nuncium ex patria, qui me reuocaret: à prandio processi obuiam, ac vt somniaui, in nuncium incidi, qui me reduxit. Aliquando id euenit simpliciter quod per somnum sese obtulit.

3. Χρηματισμὸς, quando Deus singulari reuelatione futura patefecit: sic Patriarchis apparuit Deus per quietē, locutus illis est, & de futuris admonuit: talia sunt etiam Prophetarū oracula.

4 Ἐνύπνιον, quæ offerunt se naturalibus rationibus, qualia sunt ex complexionibus orta: aut ex professione, genere vitæ, studiis ac occupationibus, sic miles arma, venator retia, studiosus libros somniat, sic piscator Theocriti inquit, πᾶσα κύων ἄρτως ματεύεται, ἰχθυ κἠγω.

5. Φάντασμα, quando vix dum quis cœpit dormire, imò vigilare se adhuc iudicat, in prima somni nebula, videat imagines in sese vel venientes, vel discursantes, aut tempestates alias, læta vel aduersa per rerum simulachra, quòd referunt Ephialten, &c. de his copiosius Augustinus libro de spiritu & anima cap. 25. & ante eum Macrob. lib. 1. cap. 1.

Ex his intelligi potest, φάντασμα singulare quoddam insomniorum genus complecti, quod visiones habeat in prima quasi somnij nebula, vt loquitur Macrobius. Tamē vox illa nō solùm ad illas formas pertinet: sed complectitur omnium somniorum imagines, quod colligi potest vel ex Aristotelis definitione τῦ ἐνυπνίυ, in qua φάντασμα tanquam generis loco proponit, est autem illa, ἐνύπνιον ἐςὶ φάντασμα τὸ ἀπὸ τ̃ κινήσεως τῶ αἰσθημάτων. quibus verbis indicat omnes illas imagines, quas format sibi cerebrum commotum per αἰσθήματα, dici phantasmata.

Quare in omnibus illis insomniorum speciebus sunt φαντάσματα, hoc est, imagines, forma, qualitate, causis, fine differentes.

Quartò sunt φαντάσματα, spectra vigilātibus obiecta, quæ vt videtur spectra, ita reuera quoque sunt: non enim habent corpus nisi assumptum ad breue tempus quo fallant homines, aut eis illudant, pœnas fatales præsagiant, de Bruto nota est historia. Vigilanti sese obtulit spectrū humana specie maius, & atroci aspectu, demum quisnam esset interroganti, Bruto respondit, Tuus sum cacodæmon, in Philippis me videbis, quod rei euentus confirmauit. Historia de Bruto cui vigilanti spectrum apparuit.

Et de Polyzelo duce Atheniensium scribunt, is in pugna ad Maratonem, spectrum vidit supra hominis magnitudinem, quo viso cæcus effectus est, & adhuc visu amisso insignem stragē hostibus intulit.

Talia spectra vel pœnas certas & vitæ exitum denuntiāt, vti quæ iam attulimus exempla demonstrant. Alias à peccato deterrent, qualia sunt quæ Alexander ab Alexandro refert exempla de iuuenibus vitæ dissolutę, quos dæmonis spectrum viuos abripere voluit. Alias ludificant hominum mentes, & errores confirmant veteres, aut nouos spargunt, quorum exemplis pleni sunt monachorum & scholasticorum libri.

Quintò, ad phantasmata pertinēt fabulæ illæ poëtarum, de vmbris infernalibus, quales recenset Homerus Odyss. λ. illic enim Vlysses vmbras alloquitur: frustra amplecti conatur, hunc sequitur Vergilius & suum Æneam quoque ad inferos deducit, vbi videt vmbras defunctorum & futuræ posteritatis seminaria. phantasmata illa sunt & fabulis poëticis relinquenda. Fabulæ quædam poëticæ sunt in numerū phantasmatum referendæ.

Addamus his sextum genus φαντάσματος, ὃ φαίνεται μὲν, ἔοικε δ' οὔ, hoc est, quoddam esse apparet, non tamen est simile: hinc τέχνην φανταστικὴν constituit Plato sophisticam esse, quia imitatoria quidem est: sed in opere errat, non verè concludit: Id eleganter dixit Plato ἀπεργαζομένην φαντάσματα, non εἰκόνα. efficit phantasmata, non rei similitudinem.

Hi fermè gradus sunt spectrorum seu φαντασμάτων, quos sic contrahamus. φάντασμα aut est λέξεως, hoc est, in dictione & genere orationis, quæ dum videtur rei εἰκόνα efficere, tamen non efficit, qualis est τέχνη φανταστικὴ apud Plat. in Sophist.

2. Aut est πραγμάτων, hoc est, rerum, quæ vel sunt φαινόμενα, quò pertinent phantasmata aëris, tum καθ' ὑπόστασιν, tum κατ' ἔμφασιν.

3. Vel sunt πράγματα δοκούμενα, atque illa dum videtur esse spectra, interdum talia non sunt: sed falluntur sensus hominum vel timore, vel ægritudine, aliisve modis, vt vera corpora non ausint affirmare, quæ vera sunt. sic errant Apostoli, Mar. 6. Matth 14. Luc. 24. Sic errant oculi dum remum in aqua fractum esse iudicant, aut baculum qui fractus non est, & oculorum radij diuaricati vnum tanquam duo inspiciunt. in his Physici causas solent explicare in iudicio sensuum depositas, non in obiecto. 3. Videntur: sed nō sunt.

Interdum quod videntur esse, reuera sunt, hoc est, ludificant videntem, aut aliis modis perturbant dum sunt. Cadunt hæc in geminas formas: alia enim sunt πεπλασμένα certo fine, vt deterreantur homines à sceleribus, licet res ita gestæ nō sint, talia sunt poëtarū φάσματα πεπλασμένα de Vlyssis & Æneæ ad inferos descensu & illis visis vmbris: ita finxit Lucianus suum Me- 4 Πεπλασμένα &

ποιητικά.

nippum ab inferis redeuntem & narrantem τερετίσματα ἀΐδας. Atque illa πεπλασμένα dicantur ποιητικὰ καὶ τραγῳδικώτερα ὑπὲρ τὰ ἀνθρώπινα πράγματα. Fine autem bono excogitarunt, vt homines admonerent de pœnis quæ sceleribus Deus proposuit, & quòd pietas honestique amor, Deo placeat. odit enim Deus peccatum, & id grauiùs puniet quàm vllæ fabulæ Tragicæ possint exprimere.

Alia sunt phantasmata non efficta: sed vsu & experientia confirmata inter homines, quæ ἀνθρώπινα licebit dicere, quia hominibus obueniunt, idque aut dormientibus aut vigilantibus.

Dormientibus occursant imagines κατ' ὄναρ, κατ' ἐνύπνιον, κατὰ χρηματισμὸν, & κατὰ φάντασμα.

Vigilantib. multismodis illusiones accidunt.

Vigilantibus multis modis illusiones præparantur. Interdum ingenij debilitate aut vi morborum, cerebrum imagines concipit quæ non sunt, aut quas sanus non conciperet: sic phrenetici, furiosi multa vident, loquuntur etiam quasi cum præsentibus, cùm sanus nihil tale videat: sic Melancholici interdum sua habent visa, quæ sanguineus non videat. Interdum spiritu maligno excitantur permittente sic Deo, ad puniendos improbos mores. Aliàs arte conficta sunt spectra ab impostoribus: vt fures quò liberiùs grassentur, amatores, vt familia in metu cōtineatur, fascinatores ad quæstum priuatum.

Dicendum etiam est secundo loco: quidnam sit illud quod istis formis apparet hominibus non sine metu & horrore. Ac in hac quæstione excludimus priores quatuor gradus, quasi non præsētis instituti. Nam τέχνην φανταστικὴν quæ est sophistica, à dialectico debet euerti aut demōstratore seu vero philosopho, qui illa τερετίσματα producit & vmbras esse docet.

Alterum genus in meteoris explicant Physici. Tertium experientia reuincit & confutat. Quartum μυθόλογοι ad mores applicant, & concinna allegoria hominum ingenio erudiunt.

Restant igitur duo postrema genera quæ vigilātibus ac dormientibus obseruantur, nō causis confictis. Nam quæ falsa sunt, hoc est, ab impostoribus conficiuntur, suo loco relinquimus.

Quomodo ignes (quos vulgus fatuos vocat) formentur.

Quæ etiam naturales habent causas, quas vulgò ignoramus nihil attinet hic persequi: quòd enim vulgus dicit ignes illos fatuos, noctu discursantes, præcedentes aut sequentes viatores, insidentes interdum equo, non sine terrore equitis, & similia, norunt Physici ignes esse & exhalationes viscosas, quæ incensæ, pro arbitrio aëris, commotæ feruntur.

Verùm præter hos modos offerunt sese imagines tam vigilantibus, quàm dormiētibus, quæ loquuntur, postulant aliquid sibi fieri, de futuris admonent, minantur, conātur interdum vim inferre: quid ista sint sæpe quæsitum est.

Sunt qui etiam illa contemnant, & inania esse mentis consternatæ terriculamenta, sed eos confutauit iam pridem vsus & experientia.

Non potest nihil esse quod vim agendi habet, & quod pœnas indicat commeritas.

Error scholasticorum.

Saul agitatur spiritu, aliquid igitur est, quod eum vexat. Pisistratus Tyrannus inter dormiēdum virum tetra & grandi specie videt assistentem sibi, & insusurrantem versum illum. οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων, τίσιν οὐκ ἀποτίσει, nemo improbus non luit pœnam. & respondit euentus. Scholastici & monachi, animas aiunt post mortem sic oberrare, quæ sententia ita inualuit, vt vulgò etiam sit recepta, & credatur etiam à multis minimè malis viris. Inde est effectum vt præsidia quoque ad liberandas animas, ex pœnis infernalibus quæsita sint: & quia his præsidiis iuuari spectra ipsa sæpe confessa sunt, & esse animas oberrantes & prodesse illis quæ posteri in eorum agunt gratiam, magna contentione multi defendunt.

Animæ post mortem non oberrāt.

Verùm animos post mortem non oberrare in his terris, & ob id φαντάσματα illa non esse vmbras defunctorum inde constare potest.

Primùm si defunctorum animæ sunt quæ offerunt sese hominibus, facient id vel priuata authoritate vel Dei iussu. Priuata authoritate eas id facere credi non potest: non enim potentia illarum tanta est vt extra Dei imperium & concessum quicquam possint, cùm ne dæmon ille mirus artifex sine imperio Dei creatoris quicquam possit in hoc mundo peragere. Deinde si priuato id agerent iure, vtique frequentius nobiscum agerent defunctorum animę. absit enim vt crudeliores sint facti parentes nostri fœlici statu: & rectè inquit Augustinus de matre sua Monica, Nunquam me desereret mater mea, quæ viuens terra marique illum fuerat secuta.

Monica mater August.

Sed nec Dei iussu hoc faciunt: nam consulere mortuos prohibuit Deus, ergo mortuos non mittit ad viuentes ipse Deus: id vel vnius Lazari historia testatur, Luc. 17. adde quòd nunquam prodant sacræ literæ veritatem per defunctos fuisse à Deo patefactam. Sequitur inde, Deus animas non mittit: ex scriptura enim probari non potest, ipsæ priuato iure non reuertuntur: ergo animæ defunctorum non sunt id quod eo nomine oberrat in terris.

Corpora defunctorum non oberrant post mortem.

Secundò à natura & conditione illarum est alienum. Nam corpora sensibiliter putrescunt, corporibus igitur non oberrant: expectant enim illa extremam resurrectionem, antequam nō resurgunt: nam quæ specialia sunt resurrectionis exempla passim in scriptura hanc causam non iuuant: cùm excitati à mortuis à Christo, Prophetis, & Apostolis, vt veri homines cum hominibus sint conuersati, non solitudines & loca deserta incoluerint. Corpora igitur sanctorum non sunt quæ sese offerunt, non sunt etiam damnatorum, cum eadem lege & illa putrescant.

Non

Non etiam sunt animæ: beatorum enim sunt apud Deum in statu fœliciori, ex quo nolunt in deteriorem descendere: & tota scriptura affirmat eas esse in paradiso apud Deum in fœlicitate æterna. hinc Apostolus cupit dissolui & esse cum Christo. Impiorum autem sunt in inferno vnde nulla est liberatio: illæ nolunt redire, si maximè possent, hæ ne possunt, si maximè vellent. igitur animæ hîc non oberrant.

Tertiò, frustra etiam apparerent viuis si maximè oberrare possent. Ratio est, non liceret nobis illas consulere. lex est expressa Deut. 18. *veritates à mortuis non requires.* non autem credendũ est, Deum voluntatem suam viuis patefacere per mortuos, quos lege publica consulendos prohibuit, & quod maius est, quos vt mendaces cauere iussit. Veritas mortuis non est requirenda.

Quartò, absurdum est in causa viuorum consuli vel audiri mortuos. Esaias sanè hac ratione vt ineptum reiicit, cap. 8 *Num pro viuis ad mortuos eundum est?* Alius certè status est defunctorũ, à natura & legibus huius vitæ prorsus alienus. Et historia de Lazaro & diuite Luc. 16. testatur esse μέγα χάσμα interiectum, quod vtrinque transire non possunt.

Quintò, non legimus in tota scriptura veteris & noui Testamenti, quòd Deus cum viuentibus egerit per defunctos, ac per eosdem suam mundo patefecerit voluntatem. In veteri Testamento Patriarchis apparuit per insomnia, aut visibili specie cum illis egit, ministerio Angelorum, aut alio genere visionis, vt cùm Mose egit in specie ignis ardentis in rubo, in columna nubis. Adamum conuenit in paradiso visibili forma. Abrahamum Angelica forma conuenit, per insomnia sæpe est illi locutus. Prophetis eodem pacto: quos singulariter ad hoc instituit, vt per eos cum Ecclesia sua ageret. In nouo Testamento instituit ministerium: nunquam ad id adhibuit defunctorum operam. Nunquã Deus cũ viuentibus egit per defunctos.

Sextò, produnt illi spiritus quales sint, sua confessione: nam in eo Satan non est satis cautus, cum plerunque petant pugnantia cum verbo Dei, aut idem corrumpant aliquo pacto, vt cum alienos Dei cultus approbant, sanctis authoritatem intercedendi arrogãt, merita erogationis & supererogationis confirmant, postulãt cultum aliquem, missas, altaria, sacella in quibus vel ipsi, vel alij defuncti honorantur, cum scriptura vnius Dei adorationem & cultum nobis proponat, vnius etiam Christi meritum & intercessionem commendet.

7. Accedunt patrum piæ ad hanc sententiam interpretationes, certè Augustinus, qui tamen defunctis aliquid tribuisse videtur, ingenuè fatetur, φαντάσματα illa non esse animas, sed Angelos, quorum ministerio illa fiant, siue permittatur desuper, siue iubeatur, vt aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis videantur in somnis: quod argumentum copiosè tractat in libello de cura pro mortuis, & in lib. de spiritu & anima.

Chrysostomus in cap. 8. Matth. disertè negat animas defunctorũ hîc oberrare. Vnde enim mihi persuadebis? an quia ipsos dæmones clamare audiuisti, Anima talis ego sum? Verùm hæc quoque oratio à fraude & deceptione diabolica proficiscitur: nõ enim anima defuncti est, quæ illa dicit: sed dæmon, qui hæc vt audientes decipiat, confingit. Et mox idem author subiicit, Quare vetularum hæc verba, imò decipientium & puerorum ludibria ducenda sunt: nõ enim potest anima à corpore separata, in his regionibus errare: *iustorũ enim animæ in manu Dei sunt,* &c. Probat id exemplo Lazari & Stephani. quòd autem nec peccatorum animæ hîc commorari possint, cõfirmat exẽplo diuitis. Luc. 16. Idẽ dici posset ex aliis probatis Ecclesiæ authoribus.

8. Adde his quòd hi spiritus sese produnt eo etiam pacto, quòd in manifesto mendacio sæpè deprehendantur: dissidia spargunt, hominibus nocent, amphibologia ludunt homines, ex quo consequitur mendaces esse qualescunque tandem sint illi spiritus.

Sed operæpretium fuerit expendere illorum argumẽta & rationes quibus illi, in sua opinione stabilienda vtuntur. Argumẽta eorũ qui animas esse contendunt.

Primùm aiunt Animas esse hosce spiritus, inde constare manifestè potest, quod spiritus illi hoc ipsum fateantur, dicunt enim interdũ, Huius vel illius hominis sum anima, & hac de causa torqueor, versor & oberro in his terris, donec subueniatur mihi: Animæ ergo sunt hîc oberrantes. Verùm hîc cogitare eos velim, non spectandum quid illi dicerent: sed an his spiritibus sit credendum. Deo in primis & oraculis diuinis debetur fides & assensus, mortuis verò fides habenda non est, nec ab illis quærenda veritas, Esa. 8. Deut. 18. Sed elegantissimè hoc argumentum confutat Chrysost. & hoc ipsum non credo: quia dicunt, Huius vel illius monachi anima sum: quia deceptio est Satanæ *qui mendacij pater est, & in veritate non stetit.* Concione 2. de Lazaro.

Deinde obiiciunt. Agnoscuntur habitu & corpore assumpto, vel corporis similitudine, voce etiam & forma. Sic testatur Aug. Nolanis ciuib. in obsidione apparuisse Felicem confessorẽ, qui iam pridem erat mortuus. & Mediolani pater defunctus apparuit filio superstiti, & de solutione debiti admonuit, indicans etiam locum, vbi recautum inueniret cõtra creditoris cautionem: quæ confirmãt apparitiones istas esse illorum ipsorum defunctorum, quorum formas & sermones nobis repræsentant. Apparitio Mediolani facta.

Duo sunt in isto argumento, primùm τὸ ὅτι quòd scil. φαντάσματα quædam sese nobis offerant, loquantur etiam & petant, admoneant, comminentur, &c. Ac de illo non est quæstio, constat enim apparitiones esse. Alterum quid illæ apparitiones sint: sintne hoc ipsum quod esse videntur, aut quod sese esse fingunt & simulant: diximus autem iam illis non esse simpliciter cre-

dendum, ac fallaces deprehendi deprehensósque esse vanos non semel. Iam quemadmodũ sermone nos fallere conantur, & interdum etiam possunt: idem conãtur forma, habitu, moribus, aliísque: nam idem scopus est, & finis, ac vt fallant, omnia præsidia acquirũt, vt id quod volunt nobis persuadere possint. Sed datur nobis credibile: huc facit hypocrisis mimica qua faciẽ, habitum corporis, vocis qualitatem, vestitum, incessum, & quiduis repræsentant, attamen non sequitur: Ergo hoc ipsum sunt quod exprimunt: quia non sequitur, hoc ipsum sunt quod esse profitentur: ratio firma est, quia mendaces sunt apparitiones, ideo credendum facilè non est.

Apparitiones non sunt hoc ipsũ quod esse profitentur.

Hinc inductus August. non audet negare quidem, quin mortui insõnis, vel alio quouis modo appareant aliquando viuentibus, hæc inquam, negare non audet, ne cõtra fidelium scripta, & sensus eorum, qui sibi talia accidisse confirmant, impudenter veniat. Respondet tamen non inde sequi mortuos reuera illos esse, aut sentire quid in illorum persona viuis offeratur: firmũ affert argumentum, à simili ratione qua viui viuis apparent in phantasmate, videntur loqui, admonere, explicare obscura: reuera tamen constat, eos non esse nec sensisse, dum nos illa per insomnia ab ipsis audiremus.

Exemplum de se & Eulogio discipulo affert, cui difficilem locum in oratoriis Ciceronis explicuit per insomnium, & rectè quidem, item de turma curiali, quem per insomniũ baptizarat, cùm Augustinus illis præsens non fuisset: neque sciret de hac re quicquam. Quòd si ergo viui per insomnia vident viuos non præsentes & audiunt, cùm illi non loquantur, nec sciant etiam quicquam de his rebus, quas illi per visiones tractant: idem certè nobis de mortuis euenire potest, vt fallamur, & videamur habere præsentes, & audire, quos tamen pręsentes nec loquentes nobiscum, vel habeamus, vel audiamus.

Certè sororem quæ longè abest, his noctibus præsentem videbar mihi habere, & mandantem expressa voce quædam: cùm tamen illa fortasse tum vigilarit, & de me minimè cogitarit. Ac dum illa scriberem per quietem, amicum habui colloquentem, ac dum sermo esset de philosophia Aristotelis, refert ille mihi, Nauseam fuisse hominem Lydium, Aristoteli sæpè molestũ, à quo etiam illud sit profectum sophisma, πᾶν τὸ ὁρώμενον ὁρᾶται, τοῦτο τὸ ξύλον ἐστι ὁρώμενον ἄρα ὁρᾶται. Quicquid videtur, videtur: Hoc lignum videtur: ergo videtur. Sed nec ille quid agerẽ sciebat, nec de Nausea homine aut sophismate illo quicquam tum nouerat aut cogitauerat. Ex quo sequitur non esse animas defunctorum, ideò quia notorum hominum formam & mores exprimunt: quemadmodum nec illæ imagines, homines illi sunt, qui tamen esse nobis videntur.

Tertiò adducunt exempla, primùm Lazari & diuitis ex Luca cap. 16. Sed non obseruant non quadrare exemplum illud ad præsens institutum: illic enim demortui cum demortuis inducuntur agere, diues in inferno cũ Abrahamo in gaudio: nos hic de viuorũ visionibus agimus in quibus imagines defunctorum vel inter dormiendum vel vigilandum apparent. Pręterea historia illa tollit potiùs apparitiones defunctorum, cum diues ille nihil imperret. Audit enim, *Habent Mosen & Prophetas*, nec conceditur vt quisquam mortuorũ mittatur apud superstites fratres. adde quòd narratio illa sit exemplaris, non rei gestæ historia: non tamen ignoro quosdam esse, qui intelligant illa de Ioan. Baptista & Herode, ac Christum nominibus pepercisse: Ioannem esse Lazarum, diuitem verò Herodem, sed ne sic instituto prodest.

Narratio de diuite epulone, & paupere Lazaro, apparitiones defunctorum tollit.

Addunt his apparitiones Heliæ & Mosis in monte Thabor, Matth. 17 Lazarum resuscitatum Ioan. 11. mortuos in historia passionis è sepulchris egressos & in sanctam ciuitatem ingredientes.

Quæ exempla nos concedimus vera esse: sed remouemus à præsenti quæstione: nam de apparitionibus illis agimus quæ nullum habent in scriptura testimonium, & quæ vulgò iactantur.

Præterea Lazari & resuscitatorum in historia passionis, nihil planè huc facit, cùm spectra nõ fuerint: sed vera corpora sint reuocata per Dei virtutem ad hãc vitam. Locus autem Matth. 17. rem gestam complectitur, qui tamen duo, Helias inquam & Moses, nihil petunt, nihil dicunt vel agunt contra diuinas literas, quemadmodum illa spectra agere solent: demum specialia illa sunt, quibus spectra sine impietate conferre nemo potest. Nec illi cum hominibus agunt, sed cum Christo: & quòd Apostolis apparent etiam, gustum habebat vitæ æternæ, ac vt constaret Christum verè esse filium Dei, qui tollere sua morte debuit nostra peccata.

Apparitio Samuelis post mortem Sauli regi verus Samuel non apparuit, sed phantasma & ludibriũ Satanæ.

5. Sed est illustre apparitionum exemplũ, aiunt, in Samuele qui à muliere reuocatur, & Sauli Regi respondet. 1. Sam. 28.

Respondemus ad Samuelis exemplum, adhuc rem esse in dubio quisnam fuerit ille Samuel, ac incerta per incerta non probari. Probandum enim illis priùs, hunc Samuelem non fuisse fictitium. Ita tandem ostendunt mortuos verè apparere & loqui cum viris.

Nos tamen non pœnitendis rationibus ostendemus spectrum illud, non Samuelem verum sed phantasma fuisse, & ludibrium Satanæ.

Primùm enim sermo illius regem ducit ad desperationem, quo se declarat spiritus ille quòd interitu hominis delectetur.

Deinde addit, Cras mecum eris, sed rex impius nõ poterat cum pio Samuele copulari. superest igitur illum cum impiis colligi: non fuit igitur illi loquens Samuel, sed Satan.

3. Præterea nõ patefecit Deus vnquam per mortuos: sed per viuos admonet homines de sua vo-

ſua voluntate, ergo nec hic idem facit.

4. Accedit quod Deus Sauli noluerit reſpondere, neque per Vrim, neque per Thumim, per viſiones noctis, nec per Prophetas: ergo nec per mortuos, quod illi inſuetum eſt, illi reſpondit: ſi non Deus hic reſpondit, ergo Satanæ fuit ludibrium.

5. Idem Diabolus nullam habet poteſtatem in ſanctos, dum hic viuunt, ergo multò minùs aliquid iuris habet in eos poſt mortem: Diabolum autem his egiſſe conſtat inde, quia Pythoniſſa illum veritis artibus excitat. Quare non putandum eſt Samuelem verum reuocatum eſſe.

6. Item excitare verè mortuos ſolius eſt Dei opus, quo inuito, ne viui quidem aliquid poſſunt, ne dicam mortui. Ergo hic non fuit vera mortui excitatio, ſed ludibrium Satanæ.

7. Item mortuis ſimpliciter negatur reditus in hanc vitam, vſque ad diem iudicij, vt patet ex hiſtoria Luc. 16. Quare hîc nihil veri eſt exhibitum.

8. Sed & patres ſic videntur ſimpliciter & conſentienter explicare locum Samuelis, à qua interpretatione non recedendum eſt, cùm reliquæ pugnent cum pietate & ſacris literis.

9. Quò adductos arbitror pontifices qui in decretis 26. quæſt. 5. hunc ſenſum & explicationem illius hiſtoriæ in primis approbant.

Conſtat ergo hic non exhibitum fuiſſe Samuelem neque corpore, neque anima: & rectè inquit Auguſtinus, Illic ſunt ſpiritus defunctorum, vbi non vident, aut intelligunt, quæcunque hic in iſta vita aguntur, aut eueniunt hominibus. Quòd ſi neſciunt quæ hic nobis eueniant, ſequitur hunc malitioſum fuiſſe & fictitium ſpiritum, qui regi potuit exitum rei indicare. Pia Aug. ſentẽtia.

Sed eſt quo hic ſeſe tueantur: nam Eccleſiaſtici cap. 46. ſcribitur, *quod prophetarit poſt mortem, & indicarit regi finem eius.*

Reſponderi huic obiectioni poteſt primùm, librum illum non eſſe canonicum apud Hebræos: itaque teſtimonium inde productum non probat aliquid: deinde verba per ſe rectè intelligi poſſe, ſine abſurditate: vocat enim Samuelem ſcriptura, eum qui Samuel videri volebat. ſic 1. Sam. 28. dicitur etiam Samuel cùm tamen is non fuerit, ſeruat enim ſcriptura morem loquendi humanum. Saulem appellat Meſſiam Domini, cùm reprobus ſit & Domino non placeat. Templum Dei vocat, quod potius erat ſpelunca latronum. Sic dicitur Samuel illud ſpectrum, quod regi in perſona Samuelis excitatur: adde illum etiam rectè vaticinatum eſſe poſt mortem. verus Samuel adhuc docet & prophetat. fictitius ille Samuel quoque vates eſt, regi enim dixit, *Cras mecum eris.* Samuel verus adhuc docet & prophetat.

Idem dici poteſt ad locum. 2. Machab. 15. vbi Onias & Ieremias defuncti apparent Iudæ Machabæo. Nam ſcriptura appellat ſomnium & viſionem: Græci habent ὄνειρον ὕπαρ, & θεωρίαν, quibus voluit indicare ὅραμα fuiſſe, qualia in prima ſomni nebula ſeſe nobis offerunt: non autem hinc probari poteſt animas fuiſſe, vel ſpiritus: minùs etiam quòd corpora Oniæ & Ieremiæ fuerint. Imagines perſonarum notarum erant. Quare νεκροὶ οὐ φαντάζονται ὅπερ ἔδει δεῖξαι. non imaginantur mortui, quod demonſtrandum ſit.

Diximus quid non ſint. Animas enim defunctorum non eſſe indicauimus: deinde quòd nihil quoque non ſint hæ apparitiones. Breuiter quoque videamus quid ſint.

Platonis quidem ſententia eſt, illas imagines περὶ τὰ μνημεῖα eſſe ψυχῶν σκιοειδῆ. φάντασμα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, tamen affirmat non eſſe bonorum, ſed τῶν φαύλων, & ob id dicit eſſe quiddam βαρὺ, καὶ γεῶδες καὶ ὁρατὸν, graue, & terrenum & viſibile. Poſtea ludit ſuo more de animarum μετεμψυχώσει in noua corpora, quæ non approbamus, ſicut nec verum eſt animas improborum vagari circa ſepulchra.

Alij Philoſophi iudicarunt eſſe ſpiritus, δαιμόνια appellant: ex quibus alij ſint ὑπόγαιοι, alij ἀνώγαιοι, alij οὐράνιοι, & alios ſalutares, alios maleficos, ſingulos apparere ſecundum Dei prouidẽtiam ad bonum vel malum hominis. Iamblicus animas quoque apparere affirmat. Syneſius ſex ſpirituum genera conſtituit, qui malefici ſunt omnes & hominibus apparent, & inſidiantur rebus humanis. igneum. 2. aëreum. 3. aqueum. 4. terrenum. 5. ſubterraneum. 6. lucifugum.

S. literæ Satanæ & dæmonum habent nota nomina. Ac vt boni Angeli apparent ad ſalutem electorum, ſic malefici ad fallendum & decipiendum. Ac quia animæ non ſunt, ſpiritus eſſe neceſſum eſt. Auguſtini eſt ſententia Angelos eſſe ſeu bonos ſeu malos: peragunt illi diuina permiſſione multa & admiranda, quæ vel ad ſolatium, vel commendationem rei honeſtæ, aut ad fallendum & confirmandum errores faciũt. Ac finitam dæmonum eſſe poteſtatem, certum eſt ex euangelicis literis: porcos lædere non poſſunt ſine venia: tamen ſubſtantiæ ſubtilitate & agilitate naturæ, facilè ſeſe transformant & affingunt imagines, quibus nos fallant: accedit rerum vſus à tanto tempore, quo facilè colligunt ex præſentibus & præteritis, & euentis futuris: hinc petunt, iubent, minantur, prædicunt multa, quæ res poſtea comprobat. Quomo: poſſit Satan futura prædicere.

Sunt tamen in his ſpectris multa quæ ad cauſas naturales referri debent: vt quæ de ignibus diſcurrentibus ac fatuis noſtri dicunt: ignotos eſſe viros, qui limites mouerint, aut alia commiſerint, ſequuntur interdum viatores noctu, aut equites: habent naturales exhalationes quæ accenduntur lumine, & pro motu aëris fertur materia: his naturalibus ſeſe interdum admiſcet Satan, vt terreat & in ſuperſtitione confirmet homines.

Deinde ſunt etiam naturalibus cognata, quæ morbi inferunt: vt quibus ſunt ſenſus pertur-

bari, phrenetici, &c. multa habent visa, vt spectra quæ sani non vident.

Lambertus Rustius homo phreneticus in mensa omnia dicebat viuere, vt orbes, patinas, panes alloqueretur, ac tanquam colloquentibus respóderet: sic stramina vitam habere & colloqui affirmabat: sed perturbatos ex philtro habebat sensus. Sic de ebrietate eadem notantur, quale refert Cœlius lib.9.cap.27. de iuuenibus in Triremi quadam.

3. Alia quadam occulta sympathia oriuntur, quarum causas non est facilè explicare, tamen naturalibus cognata sunt, vt in magnis commutationibus animus hominis sagax est. & ipsa anima sui corporis prouida multa sibi vaticinatur, vt imagines etiam futurorum sibi effingat, sic morituri paulò post interdum apparent amicis, alij & sibi ipsis, &c.

4. Alia à natura aliena sunt, efficiuntur arte, vt impostores qui vt securius furentur, aut amores sequantur, fingunt spectra.

5. Maxima tamen pars ludibrio Satanæ efficiuntur, &c.

DE SORTIBVS.

LOCVS CXIIII.

Vnde dictæ.



ORTES, Latini à serie videntur appellasse. Non autem hic placet antiphrasis, quod seriem, hoc est, ordinem minimè seruent: sed quod in rebus dubiis seriem & ordinem patefaciant, vt in Act.1. cùm Apostoli dubij essent quis Iudæ succedere deberet, adhibita sorte ambiguitas discussa est. & apud Hom. Iliad.7. cùm inter nouem heroes lis esset, qui solus cum Hectore committi deberet, sors disceptationem finiuit: inquit enim ἔθορε κλῆρος αἴαντος: sic in adeunda hæreditate, hæredes disceptant de partibus, sortes adhibitæ, ordinem cuique declarant. Ideóque ab vsu & euentu rectissimè à serie sortes dictas esse iudico.

Sors etiã sumitur pro hæreditate & portione.

Hebræi simili ratione *ghoral* appellarunt, qua voce & hæreditatem & portionem, quæ cuique diuinitùs dispensatur, exprimunt. Ita sors dicitur filiorũ Israël terra promissionis, & in illa cuiusque tribus possessio, sors, quam Dominus illis dederit. Ita sors piorũ Dominus est, sors credentium vita æterna: sors etiam fidelium persecutiones & ærumnæ, quas Dominus illis immittit, ad confirmationem & obsignationem fidei. In quibus omnibus, pij nihil fortuitum, nihil casibus subiectum & temeritati agnoscunt, illa sors est. habent & iurisconsulti sortem ex qua fœnus & vsura soluitur.

Κλῆρος Græcis dicitur, vel à καλεῖν, quòd euocatæ seu extractæ aliquem ad suam destinatam portionem ire iubeant.

Qua significatione sortes distributiuas esse intelligimus.

Vel dicuntur à verbo κλῶ, quod Eustathius quidem contractum esse dicit à καλεῖν: sed non malè sui generis verbum integrum intelliges, significat autem (vt notum est vel mediocriter Græca scientibus) frango. nec malè quadrat natura sortium, à frangendo Græcis dictas: quia dirimunt controuersias, & tollunt ambiguas quæstiones, & lites soluunt.

Porrò vt Latinis variè sumitur vox sortis: ita apud Græcos quoque κλῆρος. Nam & ipsi calculi quibus sortimur κλῆρος dicuntur: καλὸν enim Græcis dicitur etiam ξύλον: quia ξυλήφια, hoc est, lignorum sarmenta, materiam sortibus præberent, vt ex robore populo, olea, &c. Eustat. inquit, τὸ σημεῖον, ὃ ἐμβάλλομεν πρὸ τοῦ λαχμοῦ, hoc est, calculi quos sortitioni immittimus.

Deinde res ipsa τὸ πρᾶγμα λαγχάνον, hoc est, de quo sortitio est instituta, vt hæreditas, monomachia Aiaci cum Hectore destinata.

3. Πτελευσία, possessio, quod cuique sortito obuenisset: quod & Latini sortem dicunt.

4. Κλῆρος ψῆφοι μαντικοὶ, diuinatorij calculi.

5. Bona seu pecunia integra, ex qua colligitur vsura.

6. Κλῆρος etiam vermiculus qui apum mella vastit.

Sed reuertamur ad præsentem significationem. dicuntur nostræ sortes etiam Græcis πάλοι à concussione: hinc ἀντίπαλος, qui sorte alicui datur aduersarius, vt apud Hom. Aiax Hectori datur ἀντίπαλος, hoc est, vt quasi iudicio publico electus, cum Hectore monomachia congrediatur.

Quid sint sortes.

II. Expendamus etiam quid sint sortes. Aliis placet appellare effectum fortuitum, qui statuat de consiliis nostris. Cicero lib.2. diuinat. ait sortiri nihil aliud esse, quàm spectare temeritatem & casum, vbi nec ratio nec consilium valeat. Rectè quidem dicitur tum locum habere, vbi nec ratio nec consilium valeat, hoc est, dum dubij hæremus inter duo, aut plura, quid optimum sit factu, quemadmodum Apostoli inter Barnabam & Matthiam pariter idoneos, nesciebant quis Domino magis placeret: aut cùm inuidia nõ potest euitari, aut seditio, aliúdve malum: sic videntur adhibitæ in electione Regis. 1. Sam. 12. Sed quod addit Cicero, nihil aliud esse quàm spectare temeritatem & casum fortunæ, non concedimus. Pij enim in sortibus respiciunt Domini

mini voluntatem & iudicium illius, ad quod sortibus prouocant, ideóque rogant vt ipse decernat de his, quæ humana ratio non potest satis commodè expedire. Quòd autem alij effectum fortuitum dicunt: concedimus hac distinctione adhibita. Quod nos attinet videri quidem fortuitum, quicquid sortes decernunt, quia sine consilio nostro id accidit: nisi quod conuentione partes dissidentes in sortes consentiunt. Verùm quod Deum attinet, quem in his respicere debemus, certo & fixo consilio, sic & non aliter, sortes pronũtiare iubet: ita vt nec casus, nec fortuna quicquam hic loci habeat. hinc factum est, vt quicquid sortes semper pronuntiarint, tanquam Dei oraculum sint amplexi pij: loquimur enim de piorum tantùm sortibus.

Definiamus ergo ad hunc modum nostras sortes. Sunt modus consulendi Deum rarior quidem: attamen licitus in his euentis, vbi nec ratio aut consilium humanum commodè adhiberi potest. Modum consulendi Deum dicimus, vt fortunam & casum excludamus, cuius arbitrio sortes non committuntur: sed Dei gubernationi, vt is regat & educat sortes prout ipsi visum fuerit. Rariorem autem hunc modum affirmamus: tùm quòd in sacris literis pios videamus eo rarius vsos, tùm vt intelligamus, non nisi extrema necessitate ad hunc modum nobis esse confugiendum. In veteri Testamento pij Deum frequenter consulunt per Prophetas per Vrim & Thumim, per insomnia: respõdit etiã Deus sanctis frequẽter per Angelos sanctos, per visiones apertas: quos modos ob frequentiã licebit vsitatos appellare. Rarò autẽ videmus sanctos aliis vsos modis: vt quòd Gedeon sibi cõstituit signũ in vellere, seruus Abrahæ signum sibi concipit apud fontem in Mesopotamia: Ionathan ingressurus prelium. Quòd Samuel adhibet sortes in constituendo rege, idem facit Iosua in deprehendendo furto, idem Saul in deprehendendo transgressore, rariores hos modos dicimus: quos tamen scriptura in piis non damnat: sed pios hoc genere vsos dextrè & vtiliter, narrat: quod autẽ licitus hic sit modus, vt in definitione adiecimus, deinceps nobis considerandum est.

Definitio sortium plenior.

Non nisi in extrema necessitate ad sortes confugiendũ.

III. Cùm dicimus sortes licitas & concessas, non de omni genere sortium id accipi debet, sunt enim quædam species, quas damnamus: quod vt rectè intelligi possit, ita distinguimus. Diuisio.

Sortium aliæ sunt honestæ, quæ bono fine & forma à Deo probata adhibentur. Alię sunt illicitæ & turpes, quæ repugnant pietati & dilectioni erga proximum.

1. Honestæ sortes aliæ sunt consultoriæ, cùm pij, quid agendum sit dubitãtes, Deum de futuro euentu hoc modo consulunt. Vt si in eadem persecutione plures sint ministri boni & parati ad instans periculum, tamen ne omnes intereant, Dominus consulatur per sortes quibus abire liceat, aut quibus sit manendum. Sortes licitæ.

2. Aliæ sunt distributiuæ, cùm dubitamus quid cuique sit attribuendum: idque tam in distribuendis præmiis, vt in diuidenda præda, quàm in honoribus. Ita Saul sorte rex fit. item officiis inter æquales distribuendis: sic Matthias Apostolus fit. item opibus & hæreditatibus diuidendis: sic terra filiis Israël sorte diuisa est. item in pœnis inferendis: sic Ionas sorte ad pœnas protractus est.

Illicitæ sortes dicuntur, quarum exempla in sacris non extant, aut si extent, non tamen approbantur. Appellari possunt communi nomine sortes diuinatoriæ, quales Prænesticæ erant apud Romanos. huc pertinent diuinationum bona pars: vt sunt Geomanticæ sortes: deinde Onomanticæ, quæ ex nominibus propriis futuros euentus colligit. 3. Arithmanticę sortes, quę ex numeris literarum coniectant. 4. Tephramanticæ, quæ ex cineribus aut puluere inscriptis literis diuinant. 5. Botanomanticæ, quæ ex foliis saluiæ, alteriúsve plantæ, quibus foliis inscribuntur quæstiones, & vento exponuntur, hinc iudicium sumitur. 6. Ceramanticæ ex ceræ colliquescentis & in subiectam aquam distillantis diuersis formis diuinant. 7. Stichomanticæ ex versibus colligitur, &c. Sortes illicitæ.

Has & similes formas illicitas dicimus, quia cum verbo Dei pugnant, nec habent in sacris literis verba exempla imitationis, honestas aliquas esse, & licitas iam doceamus.

IIII. Primùm in hac causa pro nobis facit. D. Augustinus: qui multis in locis affirmat, in ipsis sortibus per se nihil esse mali: sed rem esse mediam. Idem hodierni temporis Theologi dicunt, inter quos in primis est D. Lutherus in explic. Ionæ Prophetæ. Tamen quia D. Hieron. videntur sortibus durior, vtpote quæ non ad regulam sint trahendæ: de his alias etiam proferemus rationes.

Suminus ergo, quod ipse dat etiam Hieronymus, à Deo gubernari ad bonum finem. quare si hunc ipsum finem pij retineant sine omni superstitione, non video quid vitij in sortibus esse possit: quod autem à Deo regantur non solùm propter Hieronymum credimus, sed quia Solomon Prouerb. 16 idem affirmat, in sinum mittuntur sortes: sed à Domino est iudicium illarum. Quom. sortes possint esse licitæ.

Præterea quia non solùm à Domino reguntur, quemadmodum impij: sed à Domino ortum habent & manifestam approbationem. Leuit. 16 inter duos arietes vnus offerendus Domino eligitur, alter liber dimittitur, idq; sortibus fieri debuit. Vnde ortas à Deo dicimus, quia Israëliticus populus his vsus est authore Deo. Huc pertinet quòd Iosua eidem populo terram distribuit sortibus iubente & approbãte Domino. Iosu. 15. 16. 17. Ita Saul rex declaratur per Samuelem beneficio sortium. 1. Sam. 10.

4. Item in aliis casibus, pij his sunt laudabiliter vsi, vt Ios. 7. Achan reus anathematis sorte

deprehenditur. Ionathas etiam sorte transgressor paternæ legis inuenitur. 1. Sam. 14. Nautarum sortes non improbantur, quibus Ionas transfuga declaratur, Ionæ 1. In nouo Testamento in Luca cap. 1. sortitò offert Zacharias incensum coram Domino. & Act. 1. eligitur Matthias etiam sortitò successor Iudæ.

5. Adde quòd faciant ad gloriam Dei. nam pij hac quasi vltima vtentes cautione, Domino deferunt iudicium, vbi longiùs non potest progredi humana sagacitas.

6. Demùm experientia docet, in rebus politicis sæpe magnas controuersias, & literis inexplicabiles finiri consensu sortium. In diuidendis hæreditatibus nihil frequentius est, quàm portiones sortibus eligi, magnis litigationibus intermissis.

Forma sortium. V. Quæri solet hic etiam de forma sortium. Apud Homerum lib. 7. Iliad. sortes coniiciuntur in galeam Agamemnonis, quas Nestor commouet, & quę ordine primo exilit promulgatur exercitui. addunt interpretes sortituros signasse λιθίδιον aut ξυληφίδιον, lapillum aut frustulum ligni, signasse autem per γράμματα, εἴδωλα, aut ἐκτυπώματα: literas, aut imagines, efformatas: hinc coniectas in vrnam vel galeam & ordine iterum exemptas: vnde sunt istæ phrases apud Hom. σημαίνειν κλῆρον signare sorte: πάλλειν κλῆρον commouere, θορεῖν κλῆρον sortem exilire, παλάσσειν κλήρῳ sortiri, & similes. Ex quibus colligi potest, pro occasione sortes sumptas, vel tesseras, talos, calculos, fabas etiam interdum, glebulas ad id confectas, aut similia, quicquid tamen esset, calculorum nomine τῶν ψήφων veniebat. Deinde alij ex his signati erant, alij non signati: has omnes confusè in vrnam depositas, commotásque tandem ordine eductas per eos inter quos sortes fiebant. Apud alios, sortes coniiciebantur in vrnam aquæ plenam, ac vt quæque celeriùs aut tardiùs emergeret: sic de rebus decernebatur. Interdum spectabatur, quo modo ordine colliquescerent: hinc ex argilla tales fiebant sortes, ac in aquā immissæ, vt quæque priore aut secundo loco colliquesceret: ita de rebus pronuntiabant.

Hodie sortes per ξυλιφίδια vt plurimum, ex quibus vna pars signatur, altera nuda relinquitur: aut ξυληφίδια longitudine imparia sumūtur, ac partes trahūt, quæ pars breuius ξυληφίδιον sumpserit, succumbit. Tesseris interdùm proiicitur sors: aliísque modis etiam hodie in sortitionem deuenitur vt olim.

Daz kurtzer. VI. Addamus vltimo loco quid in sortibus sit in primis cauendum. Non enim volumus exempla sanctorum facilè ad imitationem trahere.

1. Primùm igitur hic cauendum iudicamus, ne facilè ad sortes descēdamus: sed in summè necessariis rebus, tanquam ad extremam confugientes anchoram.

2. Deinde cauenda hic in primis superstitio, & curiositas: sed piè expectandus hic euentus à Domino, vt est prouerb. 16.

1. Præterea ne in illicita inquiramus, vt in furta, res amissas, & similia. Nec illos excusat factum Iosuę: quòd enim is inquit in furtum Achan, fecit id tanquam magistratus publicus, & iussus à Domino. Ideóque priuatis id non est rapiēdum in imitationem: imo nec magistratui, cùm illius rei nullum habeant mandatum: adde quòd alios habeant modos, quibus in veri notitiam peruenire possunt.

4. Item cauendum, ne sortilegium inde fiat: quod faciunt, qui futura hinc conantur prædicere, certos statuunt fines, & rem ad quæstum applicant.

5. Demum, ne in his committatur fraus, quod refert Pausanias commissum à Temone sacerdote, cùm litem diiudicare deberet inter Cresphontem & Aristodemi posteros: sortes faciebat ex argilla: ac Cresphontis durauit ad ignem, reliquas ad solem: hinc Aristodemi in aquam coniectæ colliquescebant: Cresphōtis autem mansere integræ, vnde Messenia illi est adiudicata. Tales imposturæ in talis, tesseris, aliísque sortibus crebrò committuntur, ideóque piis sedulò cauendæ.

DE CASV ET FORTVNA.

LOCVS CXV.



1. Stoici Fatum Causam gubernatricem faciunt. SÆpe quæsitū est, quæ sit gubernatrix causa in rebus humanis. Et ex philosophis Stoici ad Fatum omnia retulere: quod illi εἱμαρμένην appellarunt διὰ τὸ εἴρειν τὲ καὶ χωρεῖν ἀκολούθως, cui sententiæ accommodarunt Iouis illam catenam ex Homero. Seneca quoque fato tribuit omnia, vt in illo, Dum fata sinunt viuite læti. Et Cic. lib. 1. de diuinat. sententiam Stoicorum scitè explicat & defendit. Pindarus certè inter Græcos poëtas multum eidem tribuit. Peliæ mortem describens ait, θέσφατον ἦν Πελίαν, ἐξ ἀγαυῶν Αἰολιδᾶν θανέμεν χείρεσσιν ἢ βουλαῖς ἀκάμπτοις, hoc est, fatale erat Peliam mori manibus, aut consiliis inflexibilibus illustrium Æolidarum.

2 Epicurus à For Contra hanc fati necessitatem Epicurus induxit aliam gubernatricem causam rerum humanarum, Fortunam scil. & casum, quæ sententia multum fauoris reperit apud Philosophos & poëtas.

Poëtas. Ex philosophis Pittacus dicitur scalam fortunæ dedicasse apud Mityleneos, ad significandum eius repentinam ἄνω καὶ κάτω μετάπλωσιν. Ælian. lib. 2. ver. cap. 29. Poëtæ vt deam ferè celebrant, vt Ouid.

tuna
Res humanas regi affirmat.

Hæc dea non stabili, quàm sit leuis orbe fatetur,
Quæ summum dubio, sub pede semper habet.
Quolibet est folio, & quauis incertior aura.

Sic Iuuenalis inscitiam mortalium ridet, illo carmine. Sat. 10.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te
Nos facimus Fortuna deam, cæloque locamus.

Pindarus, Iouis filiam, ait esse, & omnia ab illa gubernari: τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ νᾶες: ἐν χέρσῳ δὲ λαιψηροὶ πόλεμοι, κἀγοραὶ βουλοφόροι, & ob id σώτειρα appellat.

Plinius hoc totum quod fortunæ tribuitur, omnium elegantissimè expressit lib. 2. cap. 7.

Toto mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omnium vocibus fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur: sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur, volubilis, à plerisque verò & cæca etiam existimata, vaga, incõstans, incerta, varia, indignorũ fautrix. Huic omnia expẽsa, omnia ferũtur accepta & in tota ratione mortalium, sola vtramq; paginã facit: adeóque obnoxiæ sumus sortis, vt sors ipsa pro Deo sit.

Sed decet homines Christianos ab vtraq; reuocare mentẽ, altiúsq; Dei cõsiderare consiliũ agẽtis in his inferioribus: proponit enim nobis scriptura diuinã prouidentiã: quæ rebus adest etiam minimis ideóque neque fatum, neque casus aut fortuna in his dominari dicendum est.

II. Sed nõ abs re fuerit hic explicare quid casum & fortunam dicant: sic enim res intelligi potest meliùs.

Si poëtis credendum sit, præsidem deam quandam oporteret agnoscere: eodem fermè modo, hodie etiam vulgus de fortuna loquitur: sed absurda est illa sententia, & spontè concidit: nulla enim certa lege, aut ratione agit: ratione igitur caret, & ob id nullum numẽ est, numinis enim est vti ratione: sed Peripatetici meliùs definiunt: quòd sit causa per accidens, in his quæ consilio aguntur certo quodam fine: qua sententia inter causas efficienter numerant, sed quę non per se & propriè agat: verùm per accidens interrumpat consilia de rebus futuris & finem etiam mutet: vt vel alium consequamur, ab eo quem initio proposueramus, vel cum illo alium etiam, quem minimè respeximus in deliberando, vt vinitor vineam fodiendo reperit thesaurum, & miles capturus hostem suum ab eodem capitur, neuter eo fine agebat.

Peripateticis fortuna quid sit.

Casus contrà, est causa per accidens in his qui non agunt consilio ad aliquem finem: vt iactus tesseræ felix seu aduersus, & decidens tegula prætereuntem viatorem opprimit, & similia.

Quid sit casus.

III. Verùm vana esse nomina Fortunam & Casum, nihílque in rebus humanis habere virium, facilè hinc constare potest.

Primùm quòd inuẽta sint ab hominibus veræ pietatis ignaris, qui dũ euentorũ causas alias assignare non possent, illa excogitarunt nomina, ne euẽtus causa qualicunque tandẽ carerẽt.

De Stoicis satis constat, eos fortunam & casum de causarum numero exclusisse.

Stoici.

Et Theologi omnia ad diuinam referunt prouidentiam: qua posita, casus & fortuna non possunt subsistere.

Theologi.

Augustinus inter falsas doctrinas refert phrases illas, Casus mihi fecit, fortuna fecit, in enarrat. Psal. 31. Idem August. contra Academicos disputans, ostendit, quæ fortuna dicitur, occulto quodam ordine regi, & casum nihil aliud esse, nisi cuius ratio & causa secreta sit: quæ licet piè & rectè dicat: tamẽ libro primo retractationum hoc ipsum corrigit, inquiens, Pœnitet me sic illic nominasse fortunam: cùm videam homines habere in pessima cõsuetudine, & vbi dici debet, hoc Deus voluit, dicere, hoc voluit fortuna.

Pœnitet August. aliquãdo nominasse fortunam.

Basilius Magnus in explicat. Psalm. 32. grauiter hanc consuetudinem reprehendit, Verba illius sunt. Μὴ εἴπῃς, ὡς ἔτυχε γέγονε τοῦτο καὶ αὐτομάτως ἀπήντησε τόδε· οὐδὲν ἄτακτον, οὐδὲν ἀόριστον, οὐδὲν εἰκῆ γινόμενον, οὐδὲν ὡς ἔτυχε φερόμενον ἐν τοῖς οὖσιν, ἡ κακὴ συντυχία, ἡ πονηρὰ ὥρα, ἀπαιδεύτων αὗται αἱ φωναί. οὐχὶ δύο στρουθία ἀσσαρίου πωλεῖται. καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἄνευ τοῦ θείου θελήματος. πόσαι αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς, μία αὐτῶν οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένη. ὁρᾷς τὸν θεῖον ὀφθαλμὸν ὡς οὐδὲν τῶν μικροτάτων τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ διαφεύγει, hoc est, Ne dicas, fortuitò hoc ita factum est, & casu hoc ita contigit: nihil inordinatum, nihil indefinitum, nihil temerè factum est, nihil fortuitò impulsum est, in rebus conditis. Malum euentum, aut malam horam dicer , ineruditorum voces sunt. Nonne duo passeres, assario venduntur? & vnus ex eis non cadit sine Dei voluntate. capitis capilli quot sunt? & vnus ex eis non latet Deum? Vides igitur Dei oculum, quòd eius inspectionem nihil etiam ex minimis effugiat.

Sed ad sacras deueniamus literas, debemus enim in omni controuersia ad sacræ scripturæ iudicium, tanquam Cynosuram respicere, cuius nutu cursus noster regi debet, in hac rerum humanarum inconstantia.

Primùm igitur, scriptura nos docet omnia, diuina prouidẽtia cõdita fuisse: ita vt nullus hic casus, nulla fortuna locum habeat. Nec solum in genere creatio rerum certo Dei consilio ascri-

Prouidẽtia Dei

vera causa gubernans res humanas.

bitur:sed secundum species singulas, & indiuiduorum seminaria, omnia ad Dei consilium referuntur. Consequens igitur est, vt gubernatio & rerum conseruatio certo Dei consilio regatur. Alioquin in Deo concedamus oportet imperfectionem aliquam. Si enim solùm condidit omnia non autem certo regit consilio, facit hoc, vel quia non vult, vel quia non potest. Quod si nolit Deus consilio agere omnia, alienum hoc sanè est ab illius bonitate: qui enim condidit omnia consilio certo, quomodo hic idem, non omnia magis cupiat regere certo cōsilio? & quomodo, qui operis est author, nollet illius etiam conseruator haberi? cùm nec odio operis sui tangatur, & ab aliena causa nulla, possit meliùs conseruari, quàm ab ipso authore.

Deus vult agnosci non solum conditor rerum sed etiam conseruator.

Vult igitur operis sui non solum conditor, sed etiam conseruator agnosci, quia sic præstat, quia facit ad gloriam conditoris, quia aliunde conseruari non potest. Si dicas Deum non posse licet velit omnia ad certum finem gubernare: maior illa est absurditas: nam vt prius illud sententiæ mutabilitatem habet: ita hoc loco manifestam impossibilitatem Deo tribues.

Est autē Deus perfectū bonum, perfectè sapiēs, perfectè potens, omnia in omnibus operans: quemadmodū igitur cogimur fateri Deum generationi rerū præfuisse, vt causam rationalē αἰτίαν ἔμφρονα, vt ait Basilius: ita eandem sapienter omnia ad certos fines dirigere fateri oportet.

Deinde cùm philosophi dicunt fortunam & casum esse causas κατὰ συμβεβηκός, facilè perspici potest non posse subsistere Fortunam cum diuina prouidentia. In Deo enim non est aliquod accidens, & prouidentiæ illius nihil ex improuiso, nihil ex inopinatò, nihil fortuitò, nihil casualiter, vt aiunt, solet euenire. nam si quid casu aut inopinatò eueniret, non præuidisset illa: si quæ non præuidit Deus, quædam illius notitiam latēt: atque ita non est omniscius, quod sanè absurdum & impium est: vt ne Hesiodus id ferat, cùm Deo manifestè hoc elogium tribuat, πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας. Subsistunt igitur illa: Deus omnia præscit etiam minima quæque: ergo Fortuna & Casus apud illius prouidentiam nullum habent locum, cùm per accidens sese ingerant. Sed præstat fortasse magis ad singularia rem deducere.

Fortuna non potest subsistere cū Dei prouidentia.

Scriptura minima quæque, in quibus maximè dominari videtur casus & fortuna, illa inquam refert ad diuinam prouidentiam: ergo in illis etiam, in quibus dominari fortuna & casus videtur, nihil possunt nec quicquam illis tribui debet: id ita expende, opprimi ruinoso ædificio, aut casu tegulæ de tecto cadentis: philosophi ad casum referunt, ac fortunam. sed Christus Luc. 13. ad diuinam prouidentiā, quæ certo fine agat, ad aliorum emendationem: de turri Siloa, quę octodecim homines sua ruina oppressit. Putatis, inquit, quòd debitores fuerint, supra cunctos homines habitantes Ierosolymis? non: dico vobis, nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.

Quæ à nobis fortuita esse iudicantur diuinæ subsunt prouidētiæ.

Et quid magis fortuitum esse poterat, quàm pili de capite casus? attamen hos esse numeratos inquit scriptura. Mat. 10. imò non cadere, nisi Dei prouidi voluntate, Luc. 12.

Passerum volatus, quàm fortuitus? captura illorum & mors quàm nulli curæ est? casui & fortunæ quid magis subiectum? ait scriptura: nonne duo asse væneunt? Matth. 10. & Luc. 21. nonne quinq; asse væneunt, & vnus nō cadit sine Dei volūtate? Idē de sortibus possumus dicere, quas fortuna regi dicunt philosophi: scriptura autem Dei iudicium in illis agnoscit, prouer. 16. quod exemplis scriptura declarat. Act. 1. sorte electus est Matthias in locum Iudæ, non casu aut fortuitò, sed Deo sic gubernante illam vocationem. Ionathas sorte deprehēditur quòd gustarit mel. 1. Sam. 14. & Saul rex declaratur sorte. 1. Sam. 10.

Argumētum à minori ad maius.

Valet hinc firmissima ratiocinatio, Deus infirma quæque gubernat ad suos fines, ergo maiora multò magis gubernat: quomodò enim qui passeres curat, qui capilli casum præuidet, qui sortes regit, hic idem hominem negligeret, animas hominum non curaret, imaginem sui casibus fortunæ permitteret sine certo consilio?

Sed & illud firmum est. Fortuna & Casus nullam habent planè materiam: ergo nihil sunt, nuda sunt nomina. quicquid enim des, minima quæque & maxima, nō in his fortunam neque casum, sed Dei consilium dominari. Alexandri cursum Deus ita gubernauit, sed idem Petri mortem rexit: Cæsaris vitam & mortem, Dei prouidentia duxit ad suos certos fines: sed eadem prouidentia coruum quoque alit, passerem curat, pilum sustentat ne cadat. Quid igitur fortuna & casus? nihil sanè: nisi βρίκελα μορμολύκεια, quæ homines in Christiana pietate benè institutos terrere non debent, de gentibus rectè inquit D. Basilius ἀκυβέρνητα καὶ ἀδιοίκητα εἶναι τὰ σύμπαντα, ὡς ἂν τύχῃ φερόμενα, ὑπὸ τῆς ἐνοικούσης αὐτοῖς ἀθεότητος, hoc est, putarunt illi sine causa & temerè ferri omnia, quasi à fortuna circumacta, sed cur putarunt hoc? Respondet Basilius, propter innatam ἀθεότητα. ignorabant enim Deum ab initio condidisse cœlum & terram. Quare cùm ab ignorantia creationis profluat: & pars sit impietatis, meritò ab hoc errore nobis cauere debemus.

IIII. Superest nobis illud, explicatione dignum: quomodo casus & fortuna nostri respectu sit. Nam quod diuinam concernit maiestatem, & prouidētiam Dei omnisciam: nihil iuris habet vel casus, vel fortuna: sed inania sunt, & planè ethnica nomina.

Nostri tamen respectu tale aliquid dici & euenire potest. Nam fortuna & casus relata sunt, non enim per se subsistunt, nec per se rebus existentibus inhærent: sed nostræ sunt inscitiæ, declarationes quædam: ad nos igitur totum hoc quicquid fortuitum dicitur, referri debet. Exēplo res declarari potest. Mitto ad forū famulum, & mitto per certa loca, puta per illum aut illum

lum angipòrtum, inde scio à foro redire vxorem aut famulum, hi incidunt in se mutuò, neuter de altero sciuit: casu illi dicunt se conuenisse. Et rectè quidem illi dicunt, quod ipsos attinet: ne sciebant enim vterque alterius iter. itaque illis fortuitus occursus dicitur, quia talis videtur, & talis est quod ipsos concernit, non enim proposuere tale quiddam sibi. Verùm Domino, qui misit, & scit illum ire, alterum redire, nihil fortuitum hîc est, nouit enim hac via vtrunque ire, & ob id conuenturos. Itaque Domino hîc nihil est fortuitum, nullus etiã casus temerè & frustra agens. Quòd si parua magnis liceat conferre, facilè hinc ostẽdi potest, illam infinitam Dei maiestatem & perfectam rerum omnium cognitionem nullam admittere fortunam, minùs casum. Sed hominis cæcitas, quæ veras causas non potest perspicere, & euentus tantùm inspicit, causis latentibus, solet dicere illa fortuitò contigisse alia casu aliquo, cùm reuera causæ subsint certæ & veræ.

Nostri respectu quædam casu euenire dicuntur.

Primùm igitur non concedendum philosophis fortunam esse, & quòd illi prodant τὸ ὅτι, quia communis sit hominũ sententia & opinio: non satis argumenti habeat ratio illa: nisi quorum hominum sit illa κοινὴ πρόληψις ostendant. Si sit τῶν ἐνδόξων, meritò vt ἔνδοξος admitti debet: sin verò sit ἀδόξων, nihil nobis præscribat communis illa πρόληψις. Porrò vera ἔνδοξα sacræ literæ nobis præscribunt: nisi probent illi priùs omnia placita hominum esse vera. Quidni enim sua dogmata sic confirmet Epicurus in suo grege, Peripateticus inter suos sua: Stoicus sua in Stoa. ethnicus ethnica inter ethnicos: & ita singuli absurdissima quæque obtrudent, quia multis ita videtur. Nos excipimus. Falsa est illa κοινὴ πρόληψις, quia tollit diuinam prouidẽtiam, quia pugnat cum Dei omniscientia, quia monarchiã diuinã impugnat, quia nocet rebus mortaliũ.

Deinde in definitione Fortunæ quoque errant. Nam inter causas agentes reponunt: cùm causa non sit τύχη, sed potiùs euentus inexpectatus: vt qui fodit reperit thesaurum, repertio euentus est non causa, si dicas causam euentus huius esse fortunam, fodere dicis fortunam, nisi latentem & tibi ignotam significes causam. De quo aliàs plura, &c.

PHILOSOPHIAM STVDIOSO PIETATIS NON esse negligendam,

LOCVS CXVI.



QVANDO Philosophia hodie etiam reperit suos reprehensores, operæpretium fuerit hanc etiam quæstionem excutere, *Obsit ne illius studium pietati?* Quandoquidem nonnulli hoc conantur ex Apostolo ad Colos. 2. confirmare: quo argumento ne fallantur studiosi monendi sunt. Deinde, vt occurratur receptæ corruptelæ, qua ferè neglectis omnibus Philosophiæ disciplinis, nonnulli non solùm ad lectionem S. literarum aduolant, sed munus quoque docendi hoc compendio aggrediuntur: à quorum opinione longè discrepat mea sententia. Ac vt commodius intelligatur res, hoc ordine procedemus.

I. Primùm quid Philosophiæ nomine intelligamus statuẽdum est, ne putemus quamuis cuiusuis opinionem Philosophiam efficere.

II. Deinde audiemus illorum rationes qui Philosophiam aspernandam & perniciosam esse dicunt candidatis pietatis.

III. Tertiò validiores opponemus rationes, necessariam etiam Philosophiam studiosis pietatis. De his in præsentia dicendum mihi putaui, reliqua huius argumenti in aliud tempus conseruaturus.

I. Sit igitur nobis Philosophia hoc ipsum quod nomine exprimit, hoc est, Amor sapientiæ. Et vt Cicero alibi dicit, studium sapientiæ, virtutum indagatrix & vitiorum expultrix. Quã idem Cicero ex Platone donum Dei rectè vocat, quo nil præstantius à Diis immortalibus hominibus datum sit.

Quid sit philosophia.

Hæc à Sacris literis sapientia mundana dicitur Rom. 1. 22 1. Cor. 1. vers. 21. Colos. 2. dicitur Philosophia suo quodam sensu peculatrix & παραλογίζουσα, vt suo dicemus loco. Ideo non quæuis opinio statim est dicenda simpliciter Philosophia, sed quæ id quod verum est, ex omnibus colligit. Id probamus ex Platone qui τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ὂν ὡσαύτως verę Philosophię attribuit. Et Clemens Alexãdrinus lib. 1. ait id quod in singulis satis rectè dicitur id totum selectum, dico Philosophiam, & lib. 2. Eius quod verè est appetitio, & earum quæ ad id deducunt disciplinarum, philosophia est. Quod ideo monemus ne in defensione philosophiæ, omnes omnium philosophorum sectas defendi quis putet. Philosophia nobis est veritatis ipsius acquisitio, & eius quãtulacunque in his terris fruitio, virtutis ardens amor, seria vitiorum fuga, mortis vera meditatio, quod nec Platonem latuit in Phædone, τὸν θάνατον μελετᾶν esse philosophari.

Laus philosophię.

II. Videamus igitur quibus argumẽtis nobis explodant è scholis Christianis philosophiã. Primùm aiunt Apostolus ad Colos. 2. ver. 8. Cauere illam iubet tanquam depredatricem pie-

tatis. Cui nos respondemus certo saltem sensu damnari illic philosophiam, non in genere, aut simpliciter, & eo quidem sensu nos quoque dicimus sedulò cauendam esse. Sensus autem ille est, abusum eius damnari, qui est, si pergat Deo & pietati suo pręiudicio perscribere. Id probo hinc, quia cum philosophiam dixisset, statim addit, *per inanem deceptionem*, quasi philosophia, & καίνη ἀπάτη Apostolo idem sit vt reuera est. Ideo diximus in loci enarratione καταχρηστικῶς vocem hic sumi. Deinde in ver. 4. dixerat pari sensu πιθανολογίαν vitandã, non quidem simpliciter, est enim Sacris quoque literis sua πιθανολογία, sed notanter, ne quis sermone vos circumueniat: quasi dicat παραλογίζουσα πιθανολογία solum damnanda & cauenda hoc loco est. Qualis autem illa sit, facile est ex philosophia ipsa discere. Mundum esse æternum paralogismus est Aristotelicus ex physicis principiis malè desumptus. Animam esse mortalem eiusdem est paralogismus, Animas in noua migrare corpora paralogismus est Platonis & Pythagoræ. Voluptatem summum esse bonum, Epicuri. Sic in Theologia discrimina ciborum necessaria esse, paralogismus erat Iudaicus: cultus Angelorum & multitudo Deorum omnium fere philosophorum. Filium Dei non assumpsisse carnem, non ad plenum satisfecisse, Ethnicus erat Paralogismus. Itaque hi & similes errores si in pietatem inferantur diligenter cauendi sunt. Et hanc esse mentem Apostoli, omnes interpretes ferè testes habeo. Neoterici certè probati omnes sic interpretantur & cautum volunt bonis philosophiæ studiis.

Qualis philosophia vitanda.

Ex veteribus quoque August. in libro de moribus Ecclesiæ cap. 21. hunc locum citans ita interpretatur vt dicat Apostolum cautè loqui, ne ab amore sapientiæ deterrere videatur. Ideo addit per elementa mundi. Theophylactus ob id addit inanem fallaciam: idem colligi potest ex commentariis Hieronymi, quæ in hanc Epistolam illi adscribuntur. Non igitur damnatur philosophia vera, sed illa παραλογίζουσα, quę ab omnibus meritò culpari debet.

2. Adferunt deinde locum ad Rom. 1. vbi dicitur *sapientes huius mundi stultos redditos & infatuatos ratiocinationibus*, & ad Cor. 1. cap. 1. *Deum elegisse stulta mundi vt confunderet sapientiam sapientum*: quod libenter damus de philosophicis quibusdam argutiis accipiendum esse. Sed addamus illa omnia ad abusum & errores philosophicos pertinere, nec ob id trahendam in ius veritatem ipsam. Ac quod priorem attinet locum ad Rom. 1. Apostolus manifestè seipsum explicat, quod non damnet Philosophiam, vt donum Dei fuit in Ethnicis, imo largitur maximè eius beneficia, quod Dei potentiam æternam cognouerint per visibilia illa, maiestatem quoque Dei inuisibilem, sed hoc vituperat, quod Deum sic cognitum non honorarint vt Deũ. Deinde eidem non fuerunt grati. Tertiò quod gloriam Dei transtulerunt ad animalium omnigenas formas, & eas quidem turpes. Sic in altero loco ad Corinth. vituperatur sapientia humana, quod ambitiosè omnia peruertat in causa Dei, nec ea via incedat qua incedendum fuit ipsis Philosophis. Ideo rectè Tertullianus scribit de hac, Quod Deus elegerit stulta mundi ad confusionem Philosophiæ. Sic Epiphanius contra Arrianos, θεὸς τῷ ἀσυλλογίστῳ τῆς δυνάμεως ἐμώρανε τὴν σοφίαν, τὴν συλλογίζεσθαι δυναμένην, hoc est, Deus modo simplici, & non Dialectico dementauit sapientiam, quæ ratiocinandi habeat peritiam. Significans Apostolos præstitisse simpliciter sua, quod nulla eloquentiæ vis aut argumentandi facultas præstare potuit.

De pręscript.

3. Hic illi iam excipiunt, Vera igitur Philosophia quoque culpatur: quibus respondemus, nos id negare simpliciter, quemadmodum illi id simpliciter affirmant. Probent veram damnari Philosophiam, quod quomodo possint probare, non video. Certè veritas ipsa vbique laude digna est. Ideo siquid in Philosophia veri est repositum, Apostolus noluit sua laude spoliare, quemadmodum ipsam simpliciter veritatem noluit improbare. Videamus igitur reliqua.

Philosophia quatenus verum docet est amplectenda.

4. Dicunt, Meritum Christi abolet Philosophia & obscurat quando disputat de hominis viribus & prestantia. Nos respondemus id fieri non posse à vera Philosophia. Quomodo enim aboleret Philosophia de quo neque nouit quicquam, neque scripsit. Meritum autem Christi & tota causa Euangelij ignota est Philosophiæ. Nõ enim est doctrina ab hominibus reperta sed Filius Dei cælitus attulit. Ideo Apost. Rom. 1. ait esse Dei potentiam. Cum igitur longè aliud sit genus doctrinæ in Euangelio, quàm in Philosophia, fieri non potest vt illam aboleat nisi per accidens ignara & imprudens. De vera loquor Philosophia. Quærit illa felicitatem, & curiosè quidẽ, quam nõdum etiam reperit, nec reperiet etiam extra Christũ: sed tota cæca est in negotio fidei. Ducatur ergo vt cæcus quispiam ad medium Christum: & indubiè, qui seriò philosophantur, Christum auidè amplectentur reiecto omni acumine totius Philosophiæ mundanæ.

Philosophia tota est in negocio fidei.

5. Eodem modo dicũt Philosophiam obscurare peccati magnitudinẽ, & in primis peccatum originis extenuari ab ea fortasse in disputationibus virtutũ, & præstantiæ naturæ humanæ. Quibus respõdemus magna quidẽ Encomia tribui iustitię hominis politicæ, & aliis quoque virtutibus, sed Philosophia vera ad Christum deducta, tantum abest vt obscuret peccatum Originale, vt id etiam prodat, inficiari potest, in omnibus hominibus, sic languere naturam, vt difficulter, nec sine maximis laboribus etiam præstantia ingenia ad virtutis culmen possint ascendere, quod ex Hesiodo etiam affirmat Aristoteles, deos virtutis viam multis sudoribus vallasse. In aliis verò ita pertinax est malitia naturæ, vt nullis legibus coërceri possit, nullis etiam admonitionibus reprimi velit, quod testantur Tragica exempla. Horum causa si quæratur, Philosophi cogentur, fateri in materia hominis & in ipsa natura corruptionẽ esse recõditam

Philosophi agnouerunt etiã pręstantia ingenia ad

tam, quod ipsum est infallibile peccati originalis argumentum, quod si philosophia hoc malum non ad plenum perspicit, ipsi naturæ corruptæ acceptum hoc ipsum referatur: quod tandem Spiritu Christi illuminata philosophia libenter fatebitur.

virtutis culmen difficulter a en dere. Illustre exēplū corruptionis naturalis in Socrate.

Huius corruptionis exemplum illustre est in Socrate, quem Physiognomon ex faciei & manus dispositione pronuntiabat corruptissimi ingenij, & ad quæuis vitia natum. Id cum ægre ferrent discipuli, Socrates confirmauit sententiam physiognomi se nimirum natura talem esse, sed beneficio philosophiæ correxisse. Quid erat dicturus idem Socrates, si Filiū Dei agnouisset?

6. Affertur etiam illud, Nō esse necessariam, qui Apost. sine his artibus rectè & commodè tradiderunt omnem pietatem ad salutem necessariam. Quibus facilè respōderi potest illos habuisse doctorem Spiritum sanctum, qui & philosophiæ veræ author fuit. Potuit is in ipso momēto dare quæ ad persuadendum valerent. Sed nos forte hunc spiritum doctorem non habemus eo gradu, ideo temerarium est illorum exemplo, nostram palliare negligentiam. Deus eo medio agebat per illos, per nos alio vult agere medio, scil. vt multis sudoribus paremus nobis docendi aliquam tolerabilem facultatem, quam ipse mox ornat sua benedictione, & coronat in nobis dona sua. Ideo grande peccatum est oblata Diuinitus media proficiendi negligere. Damnat Dominus seruum illum qui vnicum talentum in terram defodit. Sic mihi peccare videntur in Deum qui ingenium qualecunque acceperunt à Domino, artibus liberalibus & linguis ac philosophiæ cognitione non expoliunt.

7. Quod de Clemente, Iustino, Origene, & scholasticis afferunt satis infirmū est. Non probamus in illis multa: tamen video illos beneficio philosophiæ multa explicatiùs docuisse, quā faciant illorum reprehēsores. In Clemente multa sunt coacta, quid tum? Interim infinita benè scripsit. De Iustino, æquiores requiro censores, cū philosophus & Christi Martyr fuerit, ac plus in illius scriptis est candoris & pietatis, quàm fortè omnes ipsius reprehēsores habeant. Vtinā sic omnes ad Christi gloriā philosopharemur: interim multa in eius scriptis desideramus. Idem de Chrysost. Origene, Hieron. Aug. dicendum est. Nullum fuit vnquam ingenium repertū omnibus numeris absolutum, quin suos habuerit errores & næuos. In his minus defēdo Scholasticos, qui magis prophanarunt pietatē philosophicis argutiis, quam vlli veterum. Interim imitemur apes, quæ mella ab his sugunt floribus ex quibus aranea sua colligit fella.

Scholastici philosophicis suis argutiis pietatem prophanant.

8. Sed addunt, idem etiam culpant Philosophiam & dissuadent non solùm verbis, sed facto ipso illam deserentes agnito Christo.

Cui respondemus, nos hos ipsos Patres eis reddere. Culpant in Philosophia quæ deprehenderunt falsa, interim iidem infinitis locis eadem vtuntur, & ipsam commendant.

Tertullianus Patriarchas hęreticorū vocat, mimos in veritate exprimenda, corruptores veteris Testamenti. Quid tū? respōdeat sibi idem Tertullianus, qui à Prophetis multa eos accepisse contendit, quosdam etiā Mosen lectitasse, quod de Platone etiam affirmat Augustinus.

August. affirmat Platonē Mosis libros legisse.

Hieronymus in multis locis exagitat Philosophos: sed idem non dubitat Ethicam Philosophiæ quærere in Psal. 118. Physicam in Genesi, Dialecticem in Canticis & Apostolicis scriptis.

Augustinus intolerabilis sæpe est Philosophis, vt quòd superbos, rixosos pronuntiat, & quòd vitam ad fœlicitatem nec nouerint, nec rectè docuerint, & quod opinionibus potius ducantur quàm vera scientia, veræque sapientiæ inimici fuerint, & nihil non illis impingit.

Verùm idem respondeat nobis cur sua studia Philosophica approbet, cur philosophari nil aliud sit, quàm amare Deum, cur à Philosophis in nostrum vsum transferenda multa suadeat? Cur approbet quæ de verbo Dei scripsere, nonne dicet se errores & abusum carpere, quæ bene, aut ab illis dicta sunt velle transferre in porticum Solomonis, & tanquam ab iniquis possessoribus transferenda in vsum meliorem?

Iustinus Philosoph. & Martyr in parænesi, multis ostēdit malos esse doctores pietatis: sed idem non dubitat in multis probare consensum cum Mose & Prophetis imò alibi non dubitat Socratem Apostolo æquare, quasi idem apud Græcos præstiterit philosophando, quod Paulus postea concionando, quod tamen in optimo Philosopho non probo.

Crinitus lib. 3. cap. 2. induxit Sauonarolā omnē philosophiam à theatro pietatis submouētem. At mox ibidem Ioan. Picum, acerrimum defensorem inducit. Idem in aliis scriptoribus videmus euenire, qui diuerso respectu laudant & vituperant philosophiam.

Iustinus plus ęquo Socratē laudat.

9. Addamus & hoc argumentum coronidis loco superioribus. An nil faciat ad pietatem: quod quidam dicunt. Id quomodo consistat non video, nam certissimū est, quod Apost. Rom. 1. dixit per visibilia hæc, illos in cognitionem Dei inuisibilis peruenire potuisse, imò quod maius est, Deus inquit patefecit ipsis, hoc est, eo organo sui cognitionem est largitus. Quomodo ergo nil faceret ad pietatem, cum Dei cognitio præcipua pars sit pietatis?

Tradiderunt quadruplicem modum cognitionis Diuinæ. Primus per apertam conuersationem fit, qualis fuit in paradiso, in quo visibili & certa forma Deus familiariter cum Adamo est conuersatus ante peccatum. Talis erit in vita æterna, vbi de facie ad faciem cognoscemus. Alter est per reuelationem: sic Prophetis fuit cognitus, & hodie nobis, patefactione scripturæ sacræ. Tertius in Filio Dei est, qui imago & character est Dei Patris. Quartus per visibilia, quem

Quadruplex modus cognitionis diuinæ.

Philosophis dederat Deus. Cur hunc modum affirmant Theologi, si Philosophia nil facit ad Dei cognitionem, aut vt quidam loquuntur, ad veram pietatem? Verum rectè Theologi sic distinxerunt, & facit philosophia ad Dei cognitionem, ex Dei institutione, ideo ad pietatem etiam cõducit. Rectè etiam Iustinus dixit. ἐξετάζειν περὶ τοῦ θείου τὸ φιλοσοφίας ἔργον ἐστὶ, Philosophię est de numine quærere.

Malos igitur Philosophos scriptura & Deus damnat, & nos non solum cum Domitiano, vrbe, sed orbe pellẽdos cẽsemus. Causæ nobis in promptu sunt. Quia Sophistæ sunt arrogantes, qui sua φιλαυτίᾳ corrumpunt veritatem, vt mali pictores elegantes picturas. Suos affectus passim pietati admiscent: in Ethicis effingunt Scylleum quoddam bonum, in Physicis à veris principiis male discedunt. Summa, vt ingratus catellus sapientiam veram allatrat, quod alibi agnoscit Plato. Hinc fit etiam vt ipsa vera Philosophia culpetur à multis scilicet quia philosophantium turba pessimè viuit, & vt ait Plato, παμπόνηροι οἱ πλεῖστοι τῶν ἰόντων ἐπ' αὐτήν, οἱ δ' ἐπιεικέστατοι ἄχρηστοι. i. plurimi eorum qui se ad illam contulerunt, sunt pessimi: qui verò sunt tolerabiliores, sunt nullius vsus.

Vera philosophia ob philosophantium pessimam vitam culpatur.

Quod affirmat etiam lib.6. Polit. addit his Dialecticæ ignorantiam lib.2. Polit.

III Cæterùm his opponamus firmiores rationes, quibus hæc studia sobriæ Philosophiæ, & artes quæ illi ancillantur facilè defendi possunt. Ac in hac quæstione, mihi placet quod habet Plato in Enthy, philosophari πᾶσι καὶ πανταπᾶσι ἀναγκαῖον, hoc est, omnibus, modisque omnibus necessarium esse.

Ab Etymo. Aug. li. 1. de ordine.

Primùm enim in homine pio, necessarius est amor sapientiæ, præsertim veræ, quæ Christus est. *Is enim nobis factus est à Deo Patre sapientia*. 1. Corinth. 1. Et Coloss. 2. dicit, *in Christo nobis repositos omnes thesauros sapientiæ*. Quod si Philosophia hanc sapientiam non agnouit, nos agnoscamus, & media non negligamus, quæ Philosophia suppeditat. Certè ratio nominis rem honestissimam prodit.

Deinde definitio nos inuitare debet, nam ferè in eo consentiunt, quod Philosophia sit diuinarum & humanarum quædam cognitio, aut saltem conatus & cognoscendi desiderium. Sic de Philosophia loquitur Plato, Cicero, & recentiores. Eustath. quoque quinto Iliad. repetit φιλοσοφία γνῶσις θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐστὶ. i. Philosophia est rerum diuinarum & humanarum cognitio.

Ac quanuis nonnulli hanc definitionem morosè flagellent, nihil tamen habet quod iure reprehẽdi possit, nisi fortè quòd, quæ Philosophia promittit, præstare non possit. Verum præstat fortasse, plus quàm illi credant. In rebus humanis quid præstiterit nemini obscurum est: artes inuenit, exposuit, & in ordinem ac methodum reposuit. De moribus eruditè perscripsit, vitæ honestæ regulam, Respublicas legibus ornauit, vt verè dictum sit *Philosophia legum est propugnaculum*. In diuinis fortè minùs præstitit, sed hic libenter illius fatemur cæcitatem, quæ tamen non tam ipsius facultatis, quàm hominum vitio euenit. Fuit enim Philosophia organum Dei, quo sui cognitionem eis erat daturus Deus, imò dedit, modò rectè vterentur: quod cùm non fecerint, sufficiens fuit causa, vt essent coram Deo inexcusabiles, vt est ad Rom. 1.

In rebus humanis quid præstiterit philosophia.

Cæterùm etsi tota cæca sit, vt est, interim laudabilis est conatus. Nulli Philosophi ad iustam Dei cognitionem peruenerunt, ergóne Philosophia mala erit? non credo. Sed hoc dabitur, non sufficere ad vitam æternam: quærenda alia media, in Christo scilicet. Interim conatus cognoscendi Deum & res diuinas, honestus, imò necessarius est. Hunc cùm profiteatur philosophia, philosophemur sobriè: & Christum Dei Filium, & in eo Deum Patrem cognoscamus. Ac in hac causa ne fallamur, ipsa philosophia nos monet: quòd scilicet in rebus diuinis hominis mẽs cæcutiat, adeóque etiam magis quàm noctuæ oculi ad lucem meridianam. Qua in re ingenuitas eius laudanda est, noluit enim in hac re tam ardua sibi nimiùm tribui, & agnouit se diuina maiestate obrui, vt se explicare commodè nequeat. Itaque cæcitatem hãc agnoscamus, vt quæramus in Christo hanc philosophiæ partem, quæ Dei cognitionem probè tradit.

Simile.

Præterea finis eius ad nos omnino pertinet. Is quisnã est? εὕρεσις τῆς ἀληθείας, i. Veritatis inuentio vt ipsi testantur Philosophi.

Et Iustinus ait εὕρεσις τοῦ ἀληθοῦς, vnde probat indignos hoc nomine, qui veritatem, hoc est, ipsum Deum non rectè assecuti fuerint vt reuera indigni sunt hoc titulo omnes Ethnici philosophi.

Hinc eruditè argumentatur idem Iustinus ad Antoninum Imperatorem scribens: decet, inquit, Philosophos τὸ ἀληθὲς μόνον τιμᾶν, vos estis Philosophi & quidem pij dicti: ergo decet vos veritatem solam honorare, vt quæ philosophiæ finis solus sit.

Arguta ratiocinatio Iustini.

Nos in causa non admodum dissimili argumentamur, philosophi est solùm veritatem omnibus rebus anteferre: est enim finis professionis ipsius: at soli veri Christiani veritatem rectè colunt, eámque rebus omnibus præferunt: ergo soli Christiani dicendi erunt philosophi. Huic quod responsuri sint non video: nisi quòd Gentilium philosophia longè alia sit, & ad finem hunc nunquam peruenerit. Ego verò repono, Philosophia, quandiu Gentilis est, non suo respondet nomini: interim honestissimus est finis, ex quo efficitur honestissimam esse professionem. Quod verò addunt, finem hunc illam non attigisse: quid tum? Ideóne damnari debet conatus?

Philosophiæ honestissimus est finis.

natus? non puto. Iuuetur misera & cæca philosophia, vt ad illum finem perueniat, & salua res erit. Lex Dei honesta & bona est, quis negat? attamen illa nondum finem suum in hominibus obtinuit, vt scilicet tota seruetur ex totis viribus. Quid ergo isti respondebunt sic colligenti? Lex optatum finem non assequitur, ergo seruanda non erat. Nónne illi responderent, Imò ob id magis vrgenda est lex, quia pauci boni sunt, & nulli toti satisfaciũt, & rectè fortassè. Sed nos etiam illud addimus conatus vtrinque laudandos esse, & non fieri vel legis vel prophetiæ culpa, quo minus homines per illam non iustificentur, sed per hanc ad solidam Dei cognitionem non veniant, sed potius hominum vitio. Si enim lex incideret in homines, qui illam plenè seruarent, vtique illos iustos pronuntiaret: & philosophia, si idoneos nanciscatur cultores, vtique Dei cognitionem solidam traderet.

Sed tam lex, quàm philosophia, nullos vnquam inuenerunt nec inuenient extra Christum idoneos: ideo frustra est, quod de fine non assequuto obiiciunt. Assequetur illum in Christo si commodè applicetur.

Accedit, quòd sit Dei donum, quod vtique nemo calumniari debet temerè. Quod autem donum Dei sit, præter ipsos philosophos qui hoc affirment, Platonem, Ciceronẽ, &c. ipsi Christiani Theologi fatentur. Eusebius, Iustinus, Clemens, aliique qui ab Hebræis docent philosophiam ad Græcos tamen dimanasse. Et Apost. ad Rom. 1. ait *Deum illis manifestasse*. A Deo igitur habuerunt siquid boni habuerunt. Itaque Dei donum est. Quod verò illi afferunt de abusu, hoc libenter fatemur: sed pridem diximus abusum non esse philosophiam: sed verum illius vsum: hunc ipsum philosophiam esse cẽsendam: Et sanè abusus in multis est maior, quàm vt facilè dici possit. Philosophia Dei donũ est.

Ideo etiam libenter agnoscimus, eos in eo ipso malos esse interpretes, malos doctores pietatis, vt habet Iustinus, imò fures, & patriarchas hæreticorum, vt Tertullianus.

Interim aliquid boni habere concedendum est, quod illis Deus manifestauit, & in quo consentiant cum primis Patriarchis: id quale sit suo explicabitur loco.

Præterea philosophia, omnia sua iubet tradere sine affectibus, nuda veritatis ratione. Secus certè oratores faciunt, qui indulgent omnibus modis affectibus, persuadere conantur quocunque tandem modo.

Id non capit Philosophia, sed rationes sequi iubet: ac sine causa bona, saltem probabili nihil admittit.

Cur igitur admittuntur oratores Ethnici ab his qui philosophiam damnant? non video cur illic huic sint præferendi.

Item in rebus humanis, necessaria est εὐταξία: philosophia autem nihil aliud tradit quàm εὐταξίαν. Itaque necessaria est in rebus humanis.

Et leges ciuiles inde ortæ sunt: primi enim legumlatores omnes Philosophi fuerunt apud gentes, vt Solon, Lycurgus, Draco, Numa, Plato. Et de Republica, nemo vnquam melius scripsit ipsis philosophis. Hinc Alcidamas rectè dixit philosophiam esse propugnaculum legum. Ratio est, quia fortes monstrat, & Iustinus ex Platone illud approbat. Nisi Principes & subditi philosophentur, non posse beatas esse Respub. Leges ciuiles ortæ sunt à Philosophis.

Interim libenter quoque hic fatemur magnam esse illius infirmitatem, vt in Repub. constituenda non obtineat id quod vult. Id Plato reipsa expertus est, toties frustra in Siciliam nauigando, & toties frustra Dionysium admonendo.

Ethnica philosophia ipsa lex naturæ est, aut saltẽ illius pars, quæ diuinitus est impressa cordibus hominum: studio verò & ingeniis philosophorum mirificè exculta, vt potius inde commendanda sit philosophia, quàm explodenda.

Interea etiam hic fatemur eius imbecillitatem, imò si ita placeat cæcitatem, quòd malè statuat de iustitia, & viro iusto: quem non nisi ex actionibus pronuntiat iustum dici posse, cùm religio Christi doceat coram Deo iustos effici Christi merito, sine vllo operum nostrorum respectu. *Gratis* inquit Apostolus *iustificati estis, ipsius gratia, idque non ex nobis*. Hoc igitur discat philosophia à Paulo Apostolo, & se intra suas metas contineat: de iustitia politica disserat, & in ciuium conuentibus dicat, Iustus est qui iusta fecerit, hoc est, à posterioribus sumi debet iudiciũ de virtutibus, vt nemo de virtute aliqua glorietur, nisi cuius vita ac mores, fructib. eius virtutis ornentur: quo sensu rectissimè & piissimè philosophia statuit neminẽ iustum esse, nisi qui iusta egerit. Coram Domino alia est ratio iustitię, quam nobis de suis thesauris, vt vestẽ induit.

De physica idem dici potest. Illustris fuit illa & adhuc est cognoscendi Deum via. De hac præcipuè loquitur Apostolus ad Rom. 1. quod ex visibilibus Deum inuisibilem cognouerint. Cœlum & terra testantur sapiẽtissimum sui conditorem, & quantum ad Dei cognitionem in philosophia contulerit, ex ipsis philosophis cognosci potest. Apostolus ex ordine causarum naturalium eò peruenit, vt concluderet vnum esse & æternum primum motorem rerum omnium. Locus est lib. 8. Physi. vbi sic scribit φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτ ἀνάγκη εἶναί τι ἕν, καὶ ἀΐδιον τὸ πρῶτον κινοῦν, necesse esse vnum quendam & sempiternum & primum motorem. Et in Metaph. vnum primum motorem, hoc est, Deum, fatetur, & statuit, citãs versum Homeri οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω: non est bonum multos esse principes, vnus Deus esto.

Erudita Ciceronis collectio.

Cicero de natura deorum, eruditè colligit ex natura mentis humanæ esse Deum, qui rebus humanis consulat: quia mens humana prouidet multa. Oportet igitur mentem esse architectũ quæ illa hominis animo reuelet.

Sic de meliore quadam sorte piorum colligit eruditè. Fieri non potest, vt optimi viri ad perpetuas miserias nati sint. At in hac terra, quantò quis melior, tãtò iniquiore vtitur fortuna. Ergo superest vt sit aliqua cõditio melior, vbi boni benè, & mali malè habeãt. Talia infinita produci ex Platone poterant: sed nolo in his longior esse.

Artes quas philosophiæ debemus in se reconditam habent certitudinem, vt Arithmetica, Geometria, tota Mathesis: quæ nihil aliud sunt, quàm testimonia æterni Dei. Sic Dialectica methodum dicendi nobis monstrat, qua certè in docenda, etiam pietate carere non possumus. Monstrat, quid res sit, definiendo: partes apponit diuisionibus: ordinem causarum monstrat: quibus cognitis, mens faciliùs & libentiùs acquiescit præceptis: duci enim vult.

Ad pietatem quoque facit: non solùm quia subministrat methodum docendi: sed etiam quia ad Dei cognitionem introducit. Placuit enim Deo hoc vti organo Roma. 1. *quæ sit illius æterna potentia & maiestas patefecit eis*. Id nisi Apostolus diceret, vix piorum aures ferrent: sed dicendũ est, & fatendum, quia verum est.

An Philosophia fuit Græcis quodãmodo pædagogus ad Christũ vt lex Iudæis.

Interim non temerè dixerim fuisse Græcis pædagogiam ad Christum, quemadmodum lex Iudæis, quod tamen Clemens Alexandr. Serm. lib. 1. non dubitat affirmare.

Hoc quidem admiserim quod ante aduentum Christi necessaria illis fuerit ad iustitiam politicam.

Post eius aduentum, fuit ad pietatem vtilis & ad cultum Dei: tamen pædagogum ad Christum, qualis lex fuit, nondum agnosco.

Quare saltem hoc certò statuamus, piis adolescentibus philosophandum esse: nec solùm per otium quod habet Clemens, vt qui bellaria ad cœnam inferant: sed seriò quoque, quod habet Iustinus, illúdque reuera agnoscamus τῷ ὄντι μέγιστον κτῆμα καὶ τιμιώτατον θεῷ. i. reuera esse possessionem maximam & apud Deum honoratissimam.

Præterea cum iudicio philosophandum esse ne erroribus nos committamus potiùs quàm sacris sententiis, quod Iustinus habet his verbis ἄνευ φιλοσοφίας, καὶ ὀρθοῦ λόγου οὐκ ἂν παρείη φρόνησις· διὸ χρὴ πάντα ἄνθρωπον φιλοσοφεῖν καὶ τοῦτο μέγιστον καὶ τιμιώτατον ἔργον ἡγεῖσθαι. i. Sine philosophia recta ratione non potest adesse prudentia. Quare omnes homines philosophos esse oportet, & maximum ac præstantissimum illud opus existimare.

DE LECTIONE ETHNICORVM SCRIPTORVM.

LOCVS CXVII.



DVPLEX scriptorum genus est: Ecclesiasticum, & Ethnicum. De priore genere, dubium non est, quin & legi & perdisci debeat ab omnibus, præsertim his, qui alios docere volunt. Hinc Moses librum legis ne à manibus quidẽ regis voluit recedere, & Christus de scriptis veteris testamenti dixit Iudæis: *Scrutemini scripturas quia hæ de me testantur*. De Apostolicis verò & Euãgelicis scriptis idem Christus inquit: *qui vos audit, me audit*: & Apost. Paulus Timotheũ iubet incumbere lectioni, in vno formans cæteros omnes Ecclesiarum ministros. Et eidem commendat lectionem scripturæ, quam tamen à puero didicerat: quia possit sapientem reddere ad salutem: deinde quod vberrimam habeat vtilitatem, in docendo, confutando, corrigendo, instituendo. De posteriore verò scriptorum genere nonnulli non solùm dubitant, sed ne legunt quidem ex eo quicquam: imò ne legendos etiam iuuentuti summis contendunt viribus.

Paulus philosophicè cũ philosophis de religione disputat Athenis.

De his igitur in præsentia agemus, præsertim quod legamus cap. 17. Act. Paulum Athenis inter Philosophos non literis sacris causam suam agere: sed, tãquam & ipse Philosophus, Philosophi & Astronomi producere testimonium: & quidem carminis Heroici clausulam.

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.

I. Sciant igitur adolescentes, Ethnicos scriptores illis minimè negligendos esse: siquidem velint cum fructu olim docere vel populum publicè, vel iuuentutẽ in scholis: quod his rationibus intelligent.

Primùm certum est, methodum tradendi aliis, quæ ipsi concepimus, necessariam esse doctoribus:

-vt citò dicta,
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.

In populari genere docen

Experientia enim testatur infeliciter docere eos, qui neglecto omni dicendorum ordine, confusè & sine ordine populum docẽt: & contra magna laus est methodicè & ordine docere: quæ ratio docendi non aliunde, quàm ex bonis authoribus peti potest. In scholis qui docẽt, præcep-

præceptis insistunt Dialecticorũ, quæ ostendunt, definiendo, diuidendo, argumentando, quo pacto res quæque commodè explicari possit. In populari genere docendi qui versantur, rhetorum adhibent præceptiones, de exordiis appositè orationi futuræ connectendis, vt certa dein ceps sit propositio, quæ vel probetur, vel rationibus cõfutetur: appositæ sint exhortationes & consolationes, &c.

In populari genere docendi adhibendæ sunt rhetorum præceptiones.

Deinde in legendo prosunt. Nam monstrant ordinem rerum quæ tractantur: monent respiciendam esse certam sententiam in authoribus, ad quam referantur argumenta. Obseruant idoneas diuisiones, locos argumentorum, vim consequentiarum, elenchos: quæ omnia si obseruemus, magna cum luce in sacris etiam scriptoribus versabimur.

Tertiò, Ethnici scriptores mirificè faciunt ad nostræ religionis scriptores intelligendos. Qui quia cultiori vixerunt seculo, nemo barbarus eos facilè intelliget. Versatum oportet esse in Cicerone & Quintiliano qui Hieronymum assequi vult. Idem de Augustino, Ambrosio & Lactantio dici potest. Sic apud Græcos Theologos multa vtiliter disputata sunt contra Philosophos, contra idola, contra dogmata, quę nemo nisi in philosophis tritus intelliget. Basilius disputat contra Aristotelicos de origine mundi: contra Pythagoræos, cœlum non esse animatum: Augustinus contra Academicos, & contra Stoicos: quæ nemo intelliget, nisi in Ethnicis scriptoribus sit probè versatus. Lactantium quis intelliget, nisi benè versatus in Vergilio & Cicerone? Itaque sic æstimemus scriptores nostros, non posse intelligi, sine lectione Ethnicorum scriptorum.

Veterũ scripta nemo facile intelliget nisi in Ethnicorũ scriptis probè sit versatus.

Quartò, linguæ non aliunde meliùs discuntur, quàm ex ipsis authoribus, quibus illæ fuerunt olim vernaculæ: Latina ex Cicerone, Vergilio, Liuio, Græca ex Demosthene, Homero, Hesiodo. Nostri scriptores eruditè quidem & tersè scripsêre, vt inter Latinos Hieronymus, Lactantius, Augustinus: apud Græcos Chrysostomus, Basilius, Gregorius: sed quid prohibet quin illorum sequamur vestigia, vt ex illis etiã nos proficiamus, quos illi sunt imitati? Hodie, quos in pretio esse videas, & quorum tersa est oratio, quorum nitidus sermo, optimè in Ethnicis versatos esse deprehendes.

Quintò, Apostolus Christianis præceptum dat, quod huc facere arbitror. *Omnia*, inquit, *probate, quod bonum est tenete*: quo certe præcepto includi potest, quod iam agimus, Ethnicos scilicet scriptores probandos: cum iudicio enim legẽdi sunt, ne pro virtutibus vitia discamus: pro melle fella exugamus: sed apum more volitemus per omne scriptorum genus, ac quicquid boni apud singulos deprehenderimus in vsum nostrum transferamus: alius methodum docebit: alius cultiorem reddet linguam: alius exempla virtutum monstrabit: hic ad historias faciet: ille ad pietatem: tertius ad rerum contemplationem. Ac sanè nullus tam malus est author, quin boni aliquid habeat: legamus igitur singulos: sed probemus etiam singulos, vt quod bonum est teneamus.

Sextò, ad cognitionem Dei quoque faciunt illorum scripta. Apostolus enim ad Rom. 1. tribuit Ethnicis hanc laudem, quòd cognouerint id, quod de Deo sciri potest: quanquã vt Deum nõ glorificarint: ac ad præsens satis est illos cognouisse: id quale sit, qui scies, nisi Ethnicos scriptores legeris? Verissimum autem esse id, quod dixit Apostolus illo loco, tum agnosces, si Platonem legas asserẽtem vnum esse Deum opificem huius mundi. Apud Ciceronem Deum prouidum esse rerum humanarum: apud Aristotelem vnam esse primam causam, quæ reliquas omnes moueat & regat: apud Homerum ὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη εἷς κοίρανος ἔςω. quod Aristoteles ad gubernationem Dei accommodat, & alia apud alios, &c.

Ethnicorum scripta faciũt ad Dei cognitionẽ

Præterea in aliis multis quæstionibus nostra confirmant: vt de prouidentia Dei, de pœnis impiorum post hanc vitam: de præmiis bonorum, de honorandis parentibus: de vnitate Dei, de solo adorãdo Deo, de interitu mundi multa habet Plato: de pœna scelerum Homerus, de virtutum præmiis Cicero, quæ etiam ex nostris illustriùs possint doceri, tamen illa nõ sunt negligenda subsidia. Inde est opinor, quod dixit diuus Hieronymus apud Ethnicos esse partem vasorum Dei, hoc est, dogmata quædam veritatis, & sententias, quæ ad cultum templi Dei debeant transferri. Vide initium commentariorum in Danielem: vbi inquit, *Si enim cunctos Philosophorum reuoluas libros, necesse est, vt in eis reperias aliquam partem vasorum Dei: vt apud Platonem fabricatorem mundi Deum, apud Zenonem Stoicorum principem inferos, & immortales animas, sed quia iungunt mendacium veritati, & naturæ bonum multis perdunt malis: ideò partem vasorum domus Dei, & non omnia vasa integra atque perfecta cepisse memorantur.*

Hieronymus docet apud Ethnicos quædam esse veritatis dogmata.

Et certum est, sæpe difficiles controuersias ac nodos sacræ scripturæ, vsitata phrasi & sententia ab Ethnicis petita expediri. Quærebant olim, & hodie sese torquent Iudæi, quomodo Deus terram sanctam illis dederit in possessionem æternam, cùm pridem ex illa sint deturbati: ac multa diuerticula coacti sunt excogitare, vt vera esset promissio, licet illam non possiderent ampliùs: sed vide quàm compendiosè expediat D. Augustinus ex simili phrasi Horatiana,

Seruiet æternùm, qui paruo nesciet vti.

Nec est difficilè similia multa obseruare in sacris literis. Apud Ioannem cap. 1. Christus inquit, Principiũ, quòd & loquor vobis. In qua sentẽtia, mirum est, quàm anxia sit explicatio multorũ interpretum: sed mens Christi facillima est intellectu, si expendas phrasin Græcæ linguæ qua

expendas phrasin Græcæ linguæ qua ἀρχὴν aduerbialiter pro πρώτως primitus, accipitur: sic Aristoteles ea voce vsus est, lib. 7. Polit. cap. 11. ad finem: quasi dicat, hoc sum, quod vobis initio dixi, scilicet sum via veritas, Filius Dei, &c.

Veritas semper veritas est à quocunque dicatur.

Adde istis, quòd *veritas semper veritas est, à quocunque dicatur.* Illius verò studiosi esse debemus: nec refert, quod nos attinet, quis eam nobis indicet: quemadmodum honesta matrona sub squalido habitu honore digna est: sic veritas ab Ethnico poeta aut Philosophis proposita amplectenda est, non quia is dixit, sed quia veritas est. Sic approbo, quod Homerus dixit de honorandis parentibus, non quia Homerus dixit, sed quia Deus prior hoc ita constituit: sic placet quod Plato dicit, animas immortales: non ob Platonem, sed quia consentit cum ordinatione diuina: sic de aliis omnibus constitui debet. Nec deterior æstimari debet veritas propter Ethnicos scriptores, qui illam vel imprudentes proclamant.

Simile.

Iulianus Apostata cur Christianis Ethnicorum scriptorum lectioné prohibuerit.

Testatur Gregorius Magnus, Iulianum postquam hostis Christiani nominis factus est, fidelibus prohibuisse totam Philosophiam, liberales artes, & lectionem Ethnicorum scriptorum. Quod sanè non alio fecit consilio, quàm vt barbarie corrumperent religionem puram: quod si obtinere potuisset, philosophis & doctrinæ Gẽtilium vix quisquam Christianorum potuisset resistere: nisi miraculosè Deus infunderet defensiones. Ideóque iudicare debemus vel hoc nomine legendos & diligenter quidem euoluendos Ethnicos, eo ipso, quòd hostis Christiani nominis id prohibuit. Fieri enim non potest, quin vehementer prosit, quod hostis prohibet.

Addamus aliquot exempla: nam si res honesta & licita est, non destituemur imitationis exemplo.

Paulus citat Ethnicorũ sententias.

Paulus Iudæus vt in Iudaicis ritibus solùm enutritus, non abstinuit à lectione prophanorum scriptorum. in Act. cap. 17. nõ erubescit Arati adferre hemistichium. Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. & ad Tit. cap. 1. ex Epimenide Cretensi adfert. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, qui versus est hexameter, cuius principium in prouerbium abiit, Cretenses mendaces: quo, teste Hieronymo, Callimachus vtitur, in laudem Iouis scribens, contra Cretenses: quos vanitatis arguit, quòd de Iouis sepulchro gloriarentur, cùm is non sit mortuus, sed viuat semper. Et 1. Corinth. 15. ex Menandro citat. Corrumpunt bonos mores colloquia praua: qui versus etiam apud Euripidem reperitur. Quibus locis satis demonstrari potest, Ethnicorum non solùm concessam lectionem: sed vt illorum etiam vtamur testimoniis interdum. Quare audacter ex Philosophorum scholis, in porticum Salomonis transferamus, quæ instituto conueniunt, ac illorum diuitiis nostras res ornemus: imò tanquàm ab iniquis possessoribus illa rapiamus, & Christo consecremus.

Ethnicorum sapientia vsi sunt pij ante Paulum.

Ante Paulum, Ethnicorum sapientia vsi sunt, & instructi fuere, Moses, qui in omni sapientia Ægyptiorum fuit eruditissimus: sic Ioseph, & Daniel eruditus fuit disciplina Chaldæorum & Babyloniorum. Salomon in omni philosophia, & philosophis Tyriis quædam proposuisse dicitur, & soluisse eruditè etiam illorũ quæstiones. Ad quid autem peritia & eruditio illa Gentilis, nisi etiã vsus illius sit concessus? Scripsit Salomon in omni philosophia libros infinitos, an nihil legisse dicemus in philosophis sui tẽporis, vt superioris seculi omnes contẽpserit? non videtur. Inter Theologos Basilius sæpe citat philosophos, cõtra quos disputat aut qui suã sententiam approbant: ac de legẽdis Ethnicis scriptoribus ad nepotes suos eruditũ reliquit opus.

Nazianzeni sentẽtia de Ethnicis scriptoribus legẽdis.

Gregorius Nazianzenus eruditionem Basilij in Ethnicis scriptoribus vehementer commendat: & quantùm illis humanioribus studiis tribuerit, inde colligi potest, quòd illos grauiter errare ostendit, qui illa damnant. Malè inquit sentientes. Nam vt terra & cœlum necnon aër & similia, non ideò sunt contemnẽda, quia his malè quidam sunt abusi, pro Deo, Dei opera colentes: sic etiam quicquid vtilitatis ex philosophia percipi potest, id omne ad vitæ vsum transferre debemus. Ita tamen ne impingamus, & ne creaturam contra Creatorem iuxta insipientes efferamus: sed opificem ex opificio addiscamus: ac, vt sanctus inquit Apostolus, omnẽ intellectum Christo mancipemus. Veluti igitur ignem, cibum, ferrum, ac alia, per sese nec vtilia aut noxia scimus, sed prout his vsi fuerimus: quinetiam ex reptilibus medicamenta quædam theriacalia temperamus ad salutem: ita etiam in his, si contemplationem & inquisitionem suscipimus: sin verò ad dæmones & errorem perducunt, imò ad perditionis profundum, contemnamus. Et licet illa nobis ad pietatem non prosint, ex peioribus tamen id quod melius est seligimus, & orationem nostram cum Deo confirmamus. Itaque disciplinæ istæ non sunt vituperandæ, vt quibusdam videtur: sed rudes & harum imperiti omnino negligendi sunt. Vellent enim omnes tales esse, quales ipsi sunt, vt in communi ignorantia latere, & inscitiæ notam effugere possent, &c.

Idem dici potest de reliquis Græcis Theologis: de Chrysostomo, Epiphanio, Athanasio, Damasceno, Clemente Alexandrino, Iustino Martyre, aliísque: qui omnes, non solùm Ethnicos diligenter legerunt: sed opportunè sua per illorum sententias, approbarunt. Adeò vt nemo satis instructus apud Græcos habitus sit, ad docendam & defendendam religionem nostrã nisi versatus in illis philosophicis disciplinis. De Origene scribit Hieronymus, quòd philosophiam etiam professus sit.

Theolo-

Apud Latinos nulli excellentes Theologi ab illis studiis abstinuerunt. Augustinus totus philos-

philosophicis disciplinis redundat: nec solùm suo exemplo philosophos legendos esse docet: sed idem præcipit libr. 2. de doctr. Christ. capit. 40. Philosophi autem (inquit) qui vocantur, si quæ fortè vera & fidei nostræ accómoda dixerunt maximè Platonici, non solùm formidanda nó sunt: sed ab eis etiam tanquam iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda, &c. gi Latini vt libris Philosophicis vsi sint.

Hieronymus non solùm legit eos studiosè: sed vt de se testatur, inter Grammaticos, Rhetoricos & philosophos ab infantia detritus est: qua de re vide illius præfationem in Iob. Cur verò legat Ethnicos scriptores, & quorum exemplo faciat, satis dilucidè explicat in epistola ad magnum oratorem Romanum.

Idem omnes philosophiæ partes eruditè obseruat in sacris literis: vt in Genesi bona pars physices traditur de ortu rerum omnium. Ethica ferè sparsa est in prouerbiis. Logice, hoc est, vis differendi in Euangeliis, in orationibus D. Christi, in epistolis Paulinis: quæ licet curiosa videri possint, tamen hominis diligentiam in obseruãdo demóstrant. Nec aliò faciũt illa, quã vt videamus sacras literas sine cognitione logices, physices & ethices, nó rectè posse intelligi.

Lactantij autoritas. Lactantius ille Firmianus, omnia sua poetis, oratoribus & philosophis cófirmat. In quibus tutior esse videtur, quàm nos in sacris: quem Augustinus quoque tanquam illustre exemplum proponit: cum Cypriano, Hilario, & aliis, quorum diligentia excitaremur ad diligentiam lectionis, & D. Hieronymus testatur de illo, in opificio Dei, epitomen esse dialogorum Ciceronis de natura deorum. Tertullianus & ipse philosophus simul & Christianus, in Apol. cap. 45. philosophos docet, quod recti habent, id totum ex sacris libris habere, quamuis ipsi hoc non agnoscãt. Et rectè quidem: quis enim Platonem docuit animas esse immortales? certè in Ægypto hoc didicit ex Mose: quod & Iustinus Martyr de illo testatur: nec solùm istud, sed & alia infinita: quæ reuersus in Græciam, Grganica vanitate velauit, vel metu mortis, vel odio Iudæorum. Mosem tamen magni fecisse, adeo vt rectè illius doctrinam sæpe commendet, illa phrasi, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος. i. quemadmodũ vetus habet oratio: qua loquẽdi forma Mosem voluerit semper notare. Sic de aliis idem dicere possumus: quis Homerum docuit illud quod in 4. Ilia. habet, parentes esse honorandos, vt viuant longæui? vtique à Mose hoc manauit ad Gentes, quorum docti, hæc & similia dicta suis inferserunt libris, ac vt inquit Tertullianus, ingenij sui sitim rigarunt, vt quæ de nostris habent, ea nos comparent illis.

Hæc ex infinitis exemplis pauca, sufficiant in præsentia: quibus confirmare sese debent adolescentes, & ad lectionem bonorum authorum excitare: nec debet apud nos valere ignauorum hominum obtrectatio: vt in illorum gratiam tot margaritas in sordibus philosophiæ delitescentes instar ignaui gallinacei negligamus, ventrem aut granulum hordei magis admiremur, quàm veritatis & sapientiæ ideam.

II. Porrò qui illa studia philosophica, & totum illum Ethnicorum scriptorum chorum damnant: quid habẽt, quod pro se afferant, aut quo causam suam probabilem faciant? id breuiter quoque videamus, ne inaudita causa se damnari conquerantur: summa autem persequemur. Nam de his ab aliis quoque disputatum est, à quibus abstinebimus, ne Cramben bis proponamus. Summaria & plausibilis illa profertur ab eis defensio: quòd Gratianus decretorum compilator suis infersit centonibus. distinct. 37. Episcopus Gentilium libros non legat: hæreticorum autem legat pro necessitate, aut tempore, &c. Respondemus, nihil probare hoc testimonium, quandoquidem mox idem Gratianus & Beda probet legendas esse clericis seculares literas. Item ex Ambrosio, & ex Hieronymo Grammaticam discendam, vt per eam sacra scriptura intelligi possit. Et ex Clemente Papa, ad intelligẽtiam sacrarum scripturarum, necessariam esse secularium peritiam. Refellũtur qui studia Philosophica in piis dãnant.

Quid igitur est, quod Episcopus non debet legere gentilium libros: fortè neglectis sacris literis, aut illis horis quando populus erat docendus: alioquin Gratianus sibi pugnabit, qui idẽ & prohibet & concedit. Sed non mirum est prohiberi clericis gentilium libros, cùm mos deinceps inualuerit, vt laicis prohibuerint sacros Biblicos libros: hinc factum est, vt Episcopi rudes & indocti sint redditi, laici verò superstitiosi. Inde barbaries illa superstitiosa, vsque ad patrũ nostrorum memoriam.

2. Metuunt ne cum D. Hieronymo trahantur ad Dei tribunal, ac illi vapulent. Hoc enim accidisse illi ob lectionem poetarum & Ciceronis, testatur epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis: & in comment. ad Galatas, testatur à quindecim annis nunquam quicquam secularium literarum lectitasse. Nostis enim & ipsæ, quòd plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam Gentilium literarum quilibet author ascendit. Respond. D. Hieronymus Eustochio præscribit, qualis debeat esse lectio Monialis Nonnæ, hoc est, virginis Christo consecratæ: quid facit cum psalterio Horatius? cum Euangeliis Maro? cum Apostolis Cicero? nonne scandalizatur frater, si te viderit in idolio recumbentem? &c. Deinde infert quid sibi per insomnium acciderit, importunè legenti prophanos scriptores, neglectis sacris. Id non impertinenter accommodat: sacra legenda esse potius quàm prophana, ac virginibus quidem Christi semper euoluenda sacra: doctoribus verò Ecclesiarũ præferenda quoque semper prophanis sacra. Arg. ab Hieronymi exemplo de non legendis Ethnicis.

Non tamen illa mens fuit, quasi nunquam legendi essent Ethnici scriptores, constat ex A-

pologia aduersus Rufinum, vbi somnium vocat quod Eustochio de se retulerat, nec improbat lectionem gentilium. Nec est quod nostri vapulent ob lectionem illam cùm probè eam caueant: vapulabunt autem ob luxum, & vitæ mollitiem quam cum D. Hieronymo non cauent.

Aliud argum. quòd erroris magistri

3. Vocantur passim magistri erroris, Patriarchæ hæreticorum. Tertul. philosophos vocat, amicos erroris, fures, corruptores veteris Testamenti, &c.

Hoc quidem non negamus: sed vrgemus eos legendos esse: quî enim Augustinus eos errorum magistros deprehendisset, nisi probè lectos? & Tertul. quomodo corrupisse veritatem veteris Testamenti inuenisset, nisi diligenter excussis illorum dogmatibus? Vnde illi similitudo paradisi & campi Elysij? vnde Gehenna & Pyriphlegethon? nempe quia legerat poetas & philosophos, quos à Mose suffuratos illa aduertit, & mox suis corrupisse fabulis: nolo igitur iuuenis legas Ethnicos, vt illorum erroribus inhæreat: sed vt deprehensis furtis, tum illos conuincat, tum veritatem vindicet: quod videmus illos fecisse.

Arg. ex Gregor.

4. Simile est, quod ex Gregorio affertur, qui ἐπίβουλον, καὶ σφαλερὰν, hoc est, insidiatricem, & fallacem vocat. Rectè quidem: talis est in multis, & Satan hoc quæsiuit, vt per sapientiam mundi homines à Deo abducat ad cultū creaturarum: sed hactenus ab illa recedere debemus: ac sequi ducem Spiritum sanctum, loquentem in sacris literis. Sed quid hoc lectionem impedit, cuius ipse Gregorius & Basilius quoque studiosissimus fuit?

Obiect. quòd philosophiā damnarint.

5. Addunt etiam hoc, ipsi philosophi tandem philosophiam damnarunt, qui Christo agnito, totam philosophiam reliquêre: quod de Iustino, Pantæno, Clemente, aliísque constat esse verissimum. Cur igitur nos postliminio illa repetimus studia, quæ tanti viri repudiarunt?

Respondemus, illos errores philosophorum deseruisse, non autem ipsam philosophiam, aut lectionem eius damnasse. Quod quàm verum sit cognoscent singuli, si obseruent, quæ scripserint post conuersionem.

Si enim vellent prorsus damnare philosophica studia: & indigna omni vsu & lectione iudicarent, vtique his non vterentur iam facti Christiani. At vsi sunt, vt testantur illorum scripta. Clemens Alexandrinus omnia sua scripta poetarum versibus, & philosophorum sententiis repleuit. Iust. Martyr Deum vnum probat non solum ex Mose & nostris scriptoribus: sed ex Orpheo, & Sophocle, cuius elegantissimus est versiculus, Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ἐστι θεός. Ex Homero quoque, ex Pythagora & Platone. Item resurrectionē nō dubitat ex Homero astruere: ortum hominis ex terra etiam in Homero reperit: In Apologia prima, Platonis doctrinam tanti facit, vt non dubitet Socratem affirmare, ex parte Christum agnouisse. In secunda defensione indicat magnum esse consensum doctrinę Christianæ cum philosophis & poetis. Et in eadem expressè testatur, si quid boni habent philosophi & poetæ, id illos ex prophetis habere. Malos interea fuisse imitatores scripturę. Liber de Monarchia totus ex Græcis poetis conflatus est: ex quibus illa ferè probat. Vnum esse Deum, iudicium fore vltimum: pœnas superesse sceleratis, Deum impiorum oblationibus non placari: bonis sperandam à Deo remunerationem: nec in his vllum inducit ex sacris literis testimonium: idem de aliis dici potest. Quomodo igitur reliquerunt philosophiam? dicamus illos reliquisse errores philosophicos, inutiles disputationes & quæstiones ineptas, de Deo, de ideis, de affectibus, virtutibus ac vitiis: hinc tanta contra philosophos disputat Iustinus in quæstionibus Aristotelicis, & solutionibus obiectionum.

Summa, se suósque affectus omnes Christo captiuarunt, vt iubet Apostolus. Interim memoriam lectionis non abluerunt, philosophiam non reiecerunt. Imò & habitum philosophicum retinuerunt: quod de Heracla, de Aristide Attico & eloquentissimo philosopho etiam testatur D. Hieronymus, quod sub pristino habitu discipulus Christi fuerit. Idem de Iustino Martyre asserit in illius vita. Quod igitur in vestitu illis licuit, idem in philosophia liberum erat vt omnibus probatis, quod bonum esset retinerent, in omnibus Deo grati essent, & laudarent eum, qui in secula benedictus est, & super omnia laudandus.

De Origene scribit D. Hieronymus, quòd philosophica studia quoque palàm docuerit suos auditores Christianos. Cuius verba sunt: Illud de immortali illius ingenio non tacendum est, quòd Dialecticam, Geometriam: Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, & Rhetoricam, & omnium philosophorum dogmata ita perdidicit, vt studiosos secularium literarum auditores haberet: & interpretatus est ipsis quotidie, adeò vt cōcursus ad illum fierent multi, quos sanè ob id admittebat, vt hac occasione, omnes ad finem Christi perduceret. Quibus abundè lectio illa philosophica approbatur.

Modestia opus in legēdis & citandis Ethnicorum scriptis.

III. Diximus de legendis bonis authoribus quantùm præsens requirebat locus. In quo illud occurrit admonitione dignum, seruandum in his modū: etenim non eadem nostri seculi & prisci illius est ratio: quare lectio etiam moderanda erat. Hodie in eo ferè peccatur à Theologis & concionatoribus multis: quòd explicationes scripturæ, & conciones populares magis exornant poetarum versibus, quàm scripturæ testimoniis: nec sit pagella quin Græca & Latina contineat consarcinata carmina, instar Rhapsodiæ cuiusdam: his rectè dici poterat illud Hieronymi, Quid cum psalterio Horatius? cum Euangelistis Maro? cum Apostolis Cicero?

Fecerunt hoc præceptores nostri parcè & sobriè: nos mali imitatores, nihil satis venustum, nihil dilucidum iudicamus, nisi crepet idem Sophocles, Alcæus, Pindarus, & similes.

Monet

Monet Augustinus Christiani hominis esse, non nimium eos admirari,& suū in hac re fatetur errorem, quòd Platonicos nimium sit admiratus, quibus in locis multis resistendū, est, cum agitur de dogmatibus fidei. Illa admiratio multis occasionē præbet errandi: id quod Origeni accidisse nonnulli existimāt, & Hieronymus fatetur errores Origenis ex fontibus philosophorum promanasse:quod ne accidat cautiores in illorum lectione esse debemus.

Et sanè si rem æqua lance ponderemus, inferiora illa sunt, quàm multi persuadeāt sibi. Minima sentētia in S. literis excellit illorum tersissima. Vt.n. Spir. sanctus in Prophetis & Apostolis, peculiari modo locutus est: ita iudicare debemus horum oracula multis parasangis superare totam Philosophiam Aristotelis & Platonis. Ethnica testimonia, sacris multò inferiora.

Res ipsa testatur, quàm spinosæ illorum sint omnes ferè disputationes, quàm incerta colligant, quàm variè pronuntient de Deo, quàm spinosas protulerunt quæstiones? corporalem alij affirmarūt, alij ex atomis, alij ex numeris, vt Pythagoras, Heraclitus ex igne: de sede Dei quātùm discrepant? Stoici extra mundum collocant, vt instar figuli molem hanc mundi extrinsecus torqueat. Platonici contra in mundo: de animæ ortu & natura quàm varia sunt? & in toto negotio religionis toti cæci: quàm mirabilis Cicero de nat. deorum, de fato, de prouidentia, quantus Proteus?

Præterea illis multa reuelata videntur: quibus meliores non sunt redditi: sed magis ad illorum damnationem spectarant. Hinc factum est vt de his etiam non dubitet pronuntiare Apostolus: *inexcusabilis es ô homo*,&c. Socrates vnum cognouit Deum: & tamen Æsculapio iubet pro se immolari gallinaceū. Aristoteles ens entium inuocat in morte, si verum est, quod de illo narratur: interim deos patrios more patrio adorare iubet: & in genere omnes Deū cognouerunt, sed *non glorificarunt vt Deum*: & infinita alia fœdè commiserunt, de quibus ad Rom. I.

In aduersis certissimum est, illos destitui veris consolationibus: nihil possunt accusanti conscientiæ opponere, nihil irato Deo, nihil diuino iudicio: hinc mera desperatio, volūtaria mors, violentæ manus, interdum fuga ac trepidatio in ipsa morte. Quibus omnibus Sacræ literæ rectè medentur, Christi merito & morte proposita, spem erigunt, meliore vita monstrata post hanc mortem, item corporum resurrectionem, & vitam olim inter cœlestia transigendam. De ortu rerum veriores habent demonstrationes, de mutatione Rerumpub. de prouidentia Dei, de cura nostri, & similium, de quibus somnia tantùm habent Philosophi.

In virtutibus reliquis, videmus eos bona ex parte omnia ad ostentationem accommodasse: magis laudauerunt, vt & ipsi laudati viderētur, quàm vita & moribus expresserunt. Hinc conqueritur Socrates aliquoties contra Sophistas illos philosophari verbis solùm, non autem vita & moribus: quales hodie bona parte Christiani sumus: laudat Seneca paupertatem ipse ditissimus: Aristoteles frugalitatem, aliásque virtutes, ipse purpuratus & mollis: Plato ac Socrates castitatem, ipsi cinædi & pæderastæ. Taceo quòd veras & necessarias virtutes ad salutem minimè habuerunt: fidem in Filium Dei, veram spem, veram inuocationem, adorationem, tolerantiam sub cruce, patientiam, & his similes virtutes, quas ne per febrim somniarunt. Ambitio Ethnicorum in virtutibus.

Itaque legendos censeo, sed sobriè: citandos etiam, sed parcè: nec enim nostra eadem ratio est, quæ Clementis, Iustini Martyris, Origenis, Augustini, Hieronymi ac similium. Illis res erat cum Ethnicis & interdum cum eruditissimis Philosophis, cum quibus non tam ex sacris, quàm prophanis erat certandum authoribus, quemadmodum si hodie cum Turca sit disputandum. Nos Dei beneficio in sinu Christiani orbis nati commoramur, vt tales ne videamus etiam: nos scribimus Christianis solùm, docemus miseram & rudem plebeculam, illi eruditos Philosophos & paganos. Itaque non decet tot centones proferre, qui magis arguunt ostentationem ingenij, quàm pietatem.

Imprimis vitiosè hoc fit ab his, qui tempus sacris destinatum ad illa Ethnica scripta transferunt, quo tamen metu nos caremus: cùm bona pars nullos legat, aut certè, quod est dolendum, paucos & raro. *Modum tenuere beati*,&c.

ERVDITIO MVNDANA NVM IN ministro Euangelij ferri debeat.

LOCVS CXVIII.



APOSTOLVS in I. ad Cor. cap. I. testatur, se missum esse ad docendum, non erudito sermone, ne inanis redderetur crux Christi: quo loco abutuntur nonnulli contra bonas literas, vt barbariem & ruditatem defendant, tanquam rem Euangelio congruentem, eruditionem verò, & studium politioris sermonis in ministro minimè ferendum esse censuit.

Hoc dogma quale sit nobis expendendum est, statuamúsque, Eruditio, hoc est, eloquentię & sapientiæ studium in ministro Christi minimè damnari debet. Eruditio ministro necessaria.

Hoc vt planiùs fiat, quatuor capitibus rem absoluemus. Primùm enim dicendum est, quæ

sit illa σοφία λόγου, quam damnat Apostolus præsenti loco. Deinde cur damnetur, & quatenus. Tertiò quatenus illi cum Euangelio conueniat, & in ministro ferri debeat. Quartò aliis quoque illorum rationibus, quas hic afferre solét, respondebimus, idq; totum faciemus breuiter.

Sapiētia sermonis quid sit.

I. Sapientia sermonis hoc loco est, dicendi facultas, elaborata ad ostentationem & propriam gloriam, quam homo non renatus ingenij viribus sibi acquirere potest.

Hæc facultas σοφία λόγου dicitur, hoc est, σοφία λογιστική, vel σοφία περὶ τοῦ λόγου. Sapientia verò, quia homines præcipuam sapientiæ partem in dicendi peritia collocant: & Philosophis est necessaria sermonis proprietas, & apta rerum per causas & definitiones traditio. Quòd verò in definitione addimus elaboratam esse ad ostentationem & nominis proprij gloriam, eo membro distinguimus veram sapientiam & eloquentiam ab hoc culpabili studio.

Vir pius eruditionem omnem confert ad Christi gloriam & Ecclesiæ vtilitatem. Contrà faciunt homines non renati: isti ad ostentationem, vt alia, sic hoc naturæ donum conferūt. Hinc factum est, vt dicatur ab Apostolo sapientia mundi huius & ὑπεροχὴ λόγου ἢ σοφίας, quo notatur excessus quidam vanus eruditionis: & sapientia humana, quia homines non renati sibi totum hoc tribuunt, & in eo tanquam in re & possessione propria gloriantur, cùm Dei donum fuerit agnoscendum, & ad illius gloriam conferendum: sapientia seculi huius, seculum autem & mundus homines non renatos in scripturis frequēter significat. Item διδακτοῖ λόγοι ἀνθρωπίνης σοφίας, quia cum dono Spiritus sancti non est coniuncta: ab effectis etiam dicitur λόγος πεφυσιωμένων, arrogantes enim & timidos vana quadam persuasione reddit. His omnibus excessus quidam exprimitur, qui eruditioni per se non inest, sed hominis vitio accedit. Ratio est, quòd totum hominis φρόνημα vitio originalis peccati sic est deformatum, vt non conditoris sui gloriā quærat in donis suis, sed propriam laudē conetur quàm potest maximè dilatare.

Quæ sapientia sermonis in sacris literis commēdata.

Huic eloquentiæ & sapientiæ, siue eruditioni in genere corruptæ, opposita est alia sacris literis familiaris, quæ res maximas simplici orationis genere tradit, hanc viri pij sequuntur sine ostentatione. Augustinus illā definit esse facultatem exprimēdi ea, quæ sentimus, cōgruenter.

Nos sic illam definiamus, Sapientia sermonis sacrarum literarum, est facultas dicendi, non ingenij viribus, sed dono Spiritus sancti acquisita, casto & dilucido sermonis genere, animi sensum exprimens, ad gloriam Dei, & Ecclesiæ vtilitatem sese in solidum accommodans.

Rationes cur sapientia sermonis mundana sit damnata à Paulo.

II Ex his iam facilè perspici potest, cur & quatenus damnentur ab Apostolo: quatenus enim mundana est, quatenus humana, quatenus inflat, & omnia ad gloriam hominis confert: eatenus.n. Deum suo debito honore spoliat. Id ne fieret etiam in propagatione Euangelij, Deus noluit illam adhibere, ne vis persuadendi, hoc est, conuersio hominum, non potentiæ Dei, sed istis organis ingenij humani ascriberetur. Hinc passim *Euangeliū dicitur potētia Dei*, ad Rom.1.1 Cor. 1. id fateri homines coacti sunt, cùm rudes piscatores viderent Christi præcones esse factos. Deinde non mediocriter confirmabat fideles, quòd viderent successum Euangelij his ornamentis minimè indigere: sic enim nemo à docendi munere absterrebatur. Vt Solis lumen, non indiget facula humana industria accensa: sic Euangelij veritas, sapientia carnali minimè opus habet.

Sed & ratione eruditionis seu eloquentiæ vtile erat Ecclesiæ: est enim illius professio valde laboriosa, perfecta nemini datur, adeò vt Antonius apud Ciceronem pronuntiet, disertos se quidem vidisse multos, eloquentem verò neminem. Quare vtiliter tantus apparatus neglectus est in ministerio Euangelij.

Meruit etiam hoc suo quodam vitio sapientia humana. Cùm enim Deum in creaturis propositum non cognouerit, vel agnitum non, vt debuit, coluerit, Rom.1.1.Corin.1. rectè pœnas dedit, vt in propagatione cognitionis diuinæ præteriretur, vt inhabilis ad tanta negotia, modestè & piè tractanda.

Sed & cauit Deus simul, ne veritas laboret suspicione aliqua sinistra: eloquentia enim carnalis semper solet esse suspecta, eò enim deuenit insaniæ vt profiteatur ex causa mala, bonā posse facere, & ex bona malam. Et Carneadem multi boni viri putabant Romæ non esse audiendum, quia non tam pro iustitia, quàm cōtra illam posset disserere: de quo testatur Cicero, nullam eum vnquam causam suscepisse defendendam, quin probarit: & nullam impugnandam, quin euerterit.

Obscuritas sapientiæ sermonis.

Accedit quòd cùm præceptorum varietate & mole coniuncta sit quædam obscuritas, cuius difficultate multi absterrentur à philosophia, sapientia & eloquentia. Et Aristoteles in Ethicis certos solùm admittit auditores, cæteris exclusis. Similem obscuritatem sapientia humana induxisset Euangelio, si admissa fuisset. Nam vt laudem accumularet multa per se facilia tenebris inuoluisset, quod Philosophiæ in multis locis contigit, artibus liberalibus, ac in genere omnibus disciplinis, quas professores de industria implicuerunt variis quæstionibus non necessariis. Et Theologiæ quid accidit, postquam ad sapientiæ humanæ magistram deuoluta est?

Habent etiam hinc ministri veritatis quo sese erigant, alium scilicet se habere doctorem, quàm rationis præcepta, quibus destituti, tamē possint appositè dicere. Hinc ad illius gloriam se suáque omnia conferre debent: sic Moses elinguis factus est disertus, Exod. 4. Iere. 1. & 5. Apostoli Act. 2. Denique cogitabunt hîc illis esse cauenda ea vitia, quæ cum ratione huma-

man&

mana solent irrepere: vt sunt priuatam affectare gloriam, Christi gloriam imminuere, dissimulare vitia mundi, ad placitum loqui, tumidos effici, & studio gloriæ humanæ noua fabricare dogmata, quod Hieronymus de Tatiano refert in catalogo script. Eccles. &c.

Ex his vtcunque perspici potest magno compendio in causa Euangelij non sapientiam & eloquentiam externam fuisse adhibitam.

III. Quòd verò in ministro Christi ferenda sit tolerabilis eruditio eloquentiæ & sapientiæ, inde liquet: quod Christus suis Apostolis promittit non solùm, os, sed etiam sapientiam. Luc. 21. Matth. 10. verba promittit, quæ loquatur in ipsa hora defensionis, quæ sanè pars est eloquentiæ tolerabilis.

Quare sit quædam eloquentia in ministro toleranda.

Deinde quòd Apostolus contra illa non aliter disputat, quàm quatenus obscurant crucem Christi: quare extra hunc casum sapientia & eloquentia erit res bona, & ornabit Euangelium, quemadmodum id testantur exempla.

Concedendum quoque est, eloquentiam & sapientiam per se res bonas esse & dona Dei. Quare de his iudicandum est, vt de aliis Dei donis, quæ si rectè adhibeantur, ornant pietatem: vt fortitudo in virum pium cadens, ornamento est pietati: pugnabit enim pro religione, item opes, potentia, & similia: sic eloquentia & sapientia, si in pium virum cadant, mirificè prodesse possunt: vt videre est in Salomone, Daniele, Ioseph, Dauide, in quibus Deus huiusmodi dotes cum pietate coniunxit.

Exempla in sacris literis sunt illustria. Moses veram pietatem sequitur, sed ita vt in omni sapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, Ioseph in Ægypto prudenter administrat totum regnum, oportet igitur illum ornatum fuisse sapientia & eloquentia externa. Idem in Daniele videmus, in Salomone in primis, qui à Philosophicis studiis non abhorruit, cùm scripserit de animalibus, de plantis, quæstiones & solutiones. In nouo Testamento, Paulum legimus eruditum in lege Mosis ad pedes Gamalielis, quanta verò sit in eo vis dicendi, epistolæ satis arguunt. In Actis 18. Apollos vir dicitur λόγιος, hoc est, dicendi peritus, & feruens spiritu. Habes sapientem & eloquentem simul. Post Apostolorum tempora, Ecclesia semper habuit eruditos & eloquentes doctores, addo ex philosophorum scholis etiam translatos, & ex oratorum numero conuersos: quales fuerunt, Iustinus Martyr in Platonicis disciplinis ad miraculū eruditus. Origenes, Chrysost. Hieron. Philosophi fuerunt. Cyprian. rhetor. hinc illud Augustini. Qui Petrum vocauit piscatorem, idem dedit Cyprianum rhetorem. & Augustinus fatetur se conuersum esse eloquentia Ambrosij.

Priorū exempla in quibus fuit sapiētia, & eloquentia.

Et testatur experientia in Sacris literis maiori dexteritate hodie versari eos, qui tolerabili cognitione ornati accedant à scholis philosophicis, quàm idem faciant rudes bonarum literarū: iuuat enim eos methodus quam didicerunt ex bonis artibus, similitudines etiam passim à rebus physicis petitas faciliùs explicant, magísque appositè, in quibus rudes literarum aut hærēt attoniti, aut titubanter incedunt, aut certè alienis oculis vident, niti enim debent solùm commentariis, &c.

Porrò qui eruditionem mundanam, vt illi loquuntur, hodie in ministris damnāt, aliis quoque rationibus nituntur. Primùm enim dicunt Apostolos rudes fuisse, vtpote piscatores, interim docuisse contra totius mundi sapientes & eloquentes magno successu. Respondemus verum quidem esse, quod rudes fuerint in vocatione & ante & post quoque: attamen post missionem non video quo iure rudes ampliùs dici possint. Nam Matth. 10. accipiunt potestatem in dæmonia, Marci. 3. facultatem curandi morbos. Act. 2. dona linguarum, adde rectorem Spiritū sanctum, qui ad miraculum vsque in eis fuit efficax. Quomodo igitur tales dicunt rudes? fateor ante missionem fuisse rudes: ac post missionem, dent oportet, Apostolos fuisse sapientissimos, eruditissimos, eloquentissimos. Ratio est, quia effectus eloquentiæ & sapientiæ ediderunt.

Rationes aliæ quibus nonnulli dānant mūdanā sapientiā in ministris.

Sed, inquiunt, sermo Scripturæ impolitus & rudis est, caret ornatu verborum. Respondeo id non detrahere sapientiæ & eloquentiæ, nam res per se graues sua subsistunt authoritate, vt ornatū non requirant. Et quod sermonē attinet sanè is non est putidus & barbarus, sed castus & ornatus, præsertim in sua natiua lingua. Veteris testamēti in sua lingua purissimus est sermo, nec caret suis ornamētis, schematibus quoque & deliciis rhetoricis. Noui Testamēti sermo Græcus purus & castus est, quædam habet admixta ex idiotismo Hebræo, quia testimonia veteris Testamenti crebrò citantur, vt tum habebantur versa ab interpret. 70. & debuit conscribi historia vitæ & doctrinæ Christi lingua consueta, vt ab omnibus facilius & legi & intelligi posset, vniuerso enim humano generi loquitur. Ideò ministri quoque populari, hoc est simplici & casto docendi genere vtiliùs vtūtur, quàm affectato. Hieronymus inquit eloquentia non abesse debet, sed dissimulari: hoc est, non ostentari. Vide præfat. in 3. libro Comment. ad Galat. & August. de doctrina cler. lib. 4. cap. 6.

3 Inanem reddit crucem Christi, ideò non adhibenda, & ideò nec Paulus adhibuit ne id eueniret. 1. Cor. 1. v. 17. In explicatione loci, diximus quomodo inanem reddat Christi crucem: nunc addo eos malè citare hunc locum contra omnem eruditionem, cùm secundùm quid solū ab Apostolo damnetur. Et notū est ab eo quod secundùm quid dānatur, ad simplicem rei improbationem non valere argumentum. Vinum secundùm quid malum est, hoc est si inebriat,

Quomodo dicat Paulus eruditionem reddere crucē Christi-

sti inanem. nemo tamen dicit, ergo simpliciter malum est: imò tolle illud & bonum erit vinum: sic eruditio, sapientia & eloquētia secundùm quid mala est, hoc est, si inanē reddat crucem Christi: ergo simpliciter mala est? minimè: imò tolle illud, & bona erit eloquentia. Ideò eruditio secularis regi debet scripturæ authoritate, ne suo more ludat, sed sequatur ducem Spiritum sanctum, qui cauebit, ne vspiam lædat gloriam crucis Christi. Deinde non sola eloquentia redditur inanis crux Christi, sed potentia, opibus, ceremoniis, traditionibus, quæ ideò non simpliciter damnamus, quòd aliquando huic vitio illa videmus coniuncta, sed eo separato, salua nobis illa iudicamus. cur igitur non idem statuimus in eruditione? Paulus eloquentiæ & sapientiæ in primis meminit, quia, cum religione illa non deposuerat: in ministerio autem docendi non his ornamentis vsus est: hoc est, dissimulauit & eloquentiam & sapientiam mundanam, cùm in vtroq. excelleret. vide Hiero. contra Rufinum. Itaque magis commendatur, quàm vituperetur eruditio: solùm id obseruetur ne obsit gloriæ Christi.

An planè tollat à ministro eruditionē Paulus cùm ait, multi sapientes.

4. Ex eodem capite proferunt illud, *Videtis vocationem vestram, non multi sapientes*, &c. Sed facile est, ex ipsis verbis eos conuincere. Si enim non multi, aliqui igitur sunt, alioquin non rectè diceret, non multi: quòd si aliqui, res tolerabilis est eruditio: ratio est, quia aliqui eruditi vocantur ad Christi cognitionem: pauci autem meritò sunt, quia simpliciter minor pars hominum erudita est: ideò in Ecclesia Christi quoque non mirum est, si pauci sint docti, & vnus pastor multis sufficit ouibus, vnus minister multis fidelibus. Deinde addo etiam paucos sapiētes vocatos in primitiua Ecclesia, quia maior etiam pars sapientum mansit infidelis, quia arrogantia & supercilium humanæ rationis non admittit facilè, tantam crucis humilitatem & ignominiam. Sed vide qui sunt isti pauci, & quales, certè inter Corinthios erat Erastus ciuitatis quæstor, homo fidelis & indubiè sapiens, quia quæstor. Rom. 16. Romæ ex familia Cæsaris aliqui sunt fideles, qui salutant Philippensem Ecclesiam. Phil. 4. quos indubiè sapiētes fuisse oportet, quia erant aulici maximi tum imperij. Segius Paulus Cyprij præfectus credidit. Act. 13. Dionysius ex numero iudicum Areopagi fidelis fuit, Act. 17. Tales sunt, Ioseph, Nicodemus, & alij: habes igitur aliquos, nec pœnitendos.

Locus Esaiæ citatus ad idē probandum.

5. Quod autem ibidem legitur ex Esa. 29. citatum, *Perdam sapientiam sapientum*, non aliter impugnat sententiam nostram, quàm superiora. Quæ enim sapientia Dei consiliis sese opponit: meritò huic damnationi subiecta est, hanc abolet, infatuat, dementat, indurat: secundum quid igitur damnatur: quoties scil. consiliis Dei sese opponit: quoties suam quærit gloriam: extra hunc casum da sapientem, da eloquentem qui quærat Christi gloriam, qui defendat pietatem, rectè doceat, & simul piè viuat, nescio quid illi obsit eruditio. Tertulliano non nocuit eloquentia, quemadmodum Lactantio, Iustino Martyri non obfuit sapientia philosophica, quemadmodum nec Erasto sua quæstura. Quod verò in Euangelij promulgatione vsus est abiectis hominibus coram mūdo, iam dictæ sunt rationes. Deus voluit illustrare potentiam suam: ideo abiectissima delegit organa: nam sic magis in admirationem rapiuntur homines, si idiotæ diserti fiant, si olitor & piscator sapienter loquantur. ideo eosdem non rudes relictos iam diximus: imò omnibus donis fuisse priùs exornatos, quæ dona, quia non ampliùs confert miraculose Dominus, ideo comparanda sunt industria & vigilantia: nec ideo desinunt esse dona Dei: quia non eodem modo nobis cōferuntur. Apostolis linguarum peritiam conferebat Deus repentè per miracula: nobis alio modo, assiduis laboribus & sudoribus vix tandem gustum linguarum assequimur tolerabilem, qui tamen perinde donum Dei est. Idem iudicare debemus de aliis disciplinis & artibus, quæ singularia dona Dei sunt, quibus ecclesia in his terris carere non potest. Et esto, plurimùm obsit mali hominis eruditio, quemadmodum gladius in manu furiosi: attamen boni viri eruditio ideo non est deterior, sed potiùs optabilior. Et, si Deus aliquando per simplices confutauit philosophos insignes, non ideò damnauit eruditos: sed miraculis ornauit Ecclesiam, & ostendit illi satis esse, quouis organo contumaciam hominum infringere: nec sunt in exemplum rapienda quæ singularia sunt. multis enim infeliciter postea successit idem conatus.

6. Ex prouerbiis cap. 10. proferunt etiam illud, *in eloquentia non effugies peccatum*, sed imperitè hoc ab eis dici ostendit Augustinus contra Cresc. Grammaticum: nam & is Augustino hoc obiecerat in vituperium eloquentiæ. Rectè autem admonet corruptè citari testimonium. nam Salomon ait, in multitudine verborum non vitatur iniquitas, qui verò paruis est labiis, hic prudens est. Notatur vitium in superfluo sermone, cui opponitur sapientia cordatè loquendi, & tacendi suo tempore, & loco. Non enim loquax debet esse sapiens vir, &c.

Hæc placuit ad huius loci intellectum adferre: qui quia copiosiùs etiam ab aliis tractatus est, libenter reliqua hîc intermitto.

DE VE-

DE VERITATE.

LOCVS CXIX.



DE veritate dicturi, ipsam veritatem rogare debemus: vt aperiat os nobis, & linguam dirigat, quò de veritate verè dicamus ad vtilitatẽ suæ Ecclesiæ, & ipsi veri in veritate reperiamur in illo die, quo de omnibus pronuntiabit ipsa veritas.

I. Veritatem dixerunt Latini à constantia & soliditate. Nam verum dicitur quod solidum est, immutabile & sibi per omnia simile, quale Græcis ἄτρεπτον, ἀκίνητον. Ex quo intelligimus vim veritatis, quòd æterna sit & potentissima, hinc Psal. 116. *Veritas Domini in æternum manet.* & 3. Esdræ cap. 3. Zorobabel potentiam eius mirificè extollit, supra vinum, regem & mulieres. Veritas vnde dicta.

Græci aliam secuti sunt rationẽ, Nam ἀλήθειαν dixerunt quasi carentiã obliuionis: α enim στερητικὸν apparet, & λήθη obliuio: eleganter sanè. Nam veritas rerum cognitio est: cùm de rebus iudicamus & loquimur vt sunt, tunc verè loqui dicimur: contrà mendacium obliuionis comes est: hinc illud, mendacẽ oportere memorem esse, nimirum vt aptè connectat sua memdacia: qua re veritas non habet opus, nulla in ea est obliuio, nullus lapsus, omnia sibi congruunt: vt in mendacio omnia dissonant. Et quia cum veritate coniuncta est perfecta rerum cognitio, inde fit vt simplex & facilis sit illius ratio, & oratio minimè fucata. Inde illud ἁπλᾶ τῆς ἀληθείας ἔπη: quod Latinè dicimus *simplex veritatis oratio*: id in sacris literis in primis manifestũ est. Historiam creationis simplici & perspicua oratione composuit Moses, quamuis in illa Galenus requirat demonstrationes, &c. Simplicissima oratio Christi est, & Apostolorum, ab omni obliuione & mendacio remota.

Contrà suauis videtur Poëtarum, Oratorum, Historicorum, & Philosophorum oratio, sed magna obliuione, magnis tenebris, crassa cæcitate inuoluta. Hinc opus est tot rationibus, tot demonstrationibus, tot testimoniis, quę omnia ipsa per se veritas non requirebat. Rectissimè de his dicitur illud Euripideum: ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ᾽ ἑρμηνευμάτων: ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν: ὁ δ᾽ ἄδικος λόγος, νοσῶν ἐν ἑαυτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν. i. simplex sermo veritatis est natura: neque variis indiget interpretamentis: habeat tamẽ illa suam opportunitatem. Iniusta autem oratio, cùm ægra sit indiget pharmacis sapientibus.

Sed est alia nominis istius ratio, apud Græcos, quæ non prætereunda est. Testatur Plato in dial. Cratylo: ἀλήθειαν dici quasi θείαν ἄλην: ἄλη, autem illi est φορὰ, latio & motus. Platonici rem sic explicant: ὅτι περὶ θεοὺς ποιεῖ τὴν ἐπιστροφὴν, καὶ τὴν θεῶν τὴν ἀκήρατον ἐνέργειαν, hoc est, quia circa deos versatur: & circa deorum incorruptam actionem: volunt dicere veritatis obiectum esse res verè diuinas, quas illi suo more ὄντως ὄντα vocant, quæ reuera sunt & perdurant.

Hoc illi quidem verè dicunt: tamen in eo parciùs rem explicant, quòd veritas in rebus humanis quoque necessaria sit: quam colere & inquirere homines decet, etiam in his quæ illi τὰ μὴ ὄντα vocant.

Hæc Platonicorum est ratio de nomine ἀληθείας: cui addiderim, dici rectè θείαν ἄλην ab effectu, quem edit in hominibus sua luce imbutis: ἄλη sanè anxietatem significat, curam & in motu diligentiam, quam inspirat veritas his, qui illius aliquam gustarunt notitiam. Rectissimè de hac dici poterat, quod de honesti specie dixit Plato, *si oculis contineri posset quemadmodũ animo concipitur, mirabiles sui excitaret amores.* Videmus id in Prophetis & Apostolis, qui sanguinẽ non dubitarunt effundere pro veritatis testimonio, tanta illius est vis, tanta cura & solicitudo. Philosophi modicũ veritatis gustũ nacti, mirabiliter triumphant. Alij opes abiiciunt, alij spontanea suscipiunt exilia, alij oculos sibi eruunt, alij mortem inferunt, vt veritate hac frui possint. Veritatis etymon.

Quid hi facturi erant si ipsam veritatem agnouissent? Verè est θεία ἄλη, cura & anxietas diuina: quasi furorem dicas circa res diuinas & semper existentes: homines qui de his iudicare non possunt errores phanaticos appellarunt: cùm verissima in his sit sapientia.

II. Videamus quid sit veritas. Grauis illa quæstio est, & nunquam satis explicata à Philosophis. Aristoteles aliter de hac statuit in Physicis, aliter in Ethicis. Quid sit veritas.

Nam secundo Metaphysicorum inquit, Veritas est adæquatio rei ad intellectum, hoc est, cùm res ad intellectum applicatur: non rectè meo quidem iudicio: sed potiùs dicendum erat, adæquatio intellectus ad rem.

Non enim sese res nobis applicare debent, suâ naturâ desertâ: sed potiùs noster intellectus sese vestire debet natura rerum, quas scrutatur, vt de his loquatur, non vt nos volumus, sed vt res exigunt: tum veritas sibi consistit, cùm rebus nos accommodamus: mendacium autem & error conflatur, cùm res torquentur ad nostrum captum, & inseruiunt opinionibus.

In Ethicis ait quòd virtus sit medium tenens inter ἀλαζονείαν εἰρωνείαν. Rectè veritatem virtutibus annumerat Ethicis, quia in ciuili vita studium Veritatis est necessarium: conseruatur societas humana Veritate. Hinc præceptum est de non dicendo falso testimonio, & Zach. 8.

loquamini veritatem quisque cum proximo suo:de malis dicitur,*non est veritas in ore ipsorum*, Psal.6. Hominis certè propria est inquisitio veritatis:hinc Philosophorum studia enata sunt & sectę: in quibus singuli veritatem inquirunt. Aristoteles ipsam Philosophiam scientiam veritatis esse dicit.Quòd verò inter simulationem & dissimulationem mediam esse dicit,pertinet ad ethicas virtutes,quæ inter extrema consistunt:de quibus postea dicemus.

Alij dicunt,quòd sit æqualitas orationis ad res ipsas,quæ significantur:loquuntur de veritate orationis,quæ in ciuili vita in dictis requiritur. Cic. libro de Inuentione,ait, Veritas est, per quā immutata,ea quæ sunt,fuerūt,& futura sunt,dicuntur: descriptionem à partibus sumpsit.

Veritas enim circa hæc tria versatur tempora,præsens,futurum & præteritum:in quibus immutata debet esse boni viri oratio.

Poeticæ rationes de veritatis origine.

Pindarus Olymp. 10. Iouis filiam esse dicit:alloquitur Musam Clionem, vt ipsa θυγάτηρ ἀλάθεια διός, mendacij reprehensionem auertat. Nam promiserat Agesidamo carmen quod non statim exhibuit.Alij temporis filiam aiunt,& in puteo subterraneis locis delitescere,virtutis matrem esse:quæ fabulosa quidem sunt:tamen cùm illa legunt iuuenes, rem expendant: temporis filia est,quia tempore tandem emergit diu oppressa:subterranea loca inhabitat,quia odio est inter homines,& opprimitur sæpe calumniis,opinionibus & mendaciis. Hinc pingunt etiam nudam,euolantem è specu,Saturni opera. Vincit enim tandem veritas, & quidem ex improuiso,vt diuinitus immissa videatur: hinc illud ἔρχεται τ' ἀληθὲς εἰς τὸ φῶς, ἐνίοτ' οὐ ζητούμενον,venit in lucem veritas nonnunquam non quæsita:hinc coronata est & nuda. Mater autē virtutis,quia virtus circa veritatem versatur,quæ medij rationem habet in omnibus.

Veritatis descriptio ex sacris.

Sacræ literæ veritatem nobis propiùs depingunt & clariùs proponunt. Christus apud Ioannem 14 *Ego*,inquit,*sum via & veritas*,hoc est,perfectissima virtus & via perueniendi ad ipsam veri cognitionem. Apost.ad Rom.3.soli Deo proprium facit veracem esse, hominis verò proprium ait,esse mendacem.*Sit autem Deus verax,omnis autem homo mendax.* Christus igitur non immeritò veritatem se dicit esse,quia ab omni peccato alienus est:homo quidem verus, sed simul Deus:& quia mediator est inter Deum Patrem & homines,rectè veritas, quia ad veri restitutionem mortale genus reduxit. Apud homines verò quicquid veri deprehendis ex Deo est:& hac ipsa re Deum rectissimè imitamur,vera dicendo & faciendo. Pythagoræ responsum in hāc rem faciebat:qui rogatus,quid hominem Deo faceret similem,respondit, ἐὰν ἀληθεύωσιν,si homines sint veraces.

Veritatis variæ species.

III. Non vno igitur modo dicitur veritas: quam rē sic cōtrahemus. Veritas alia est absolutissima & perfectissima virtus:fons boni:illustrans hominum mentes veritatis luce & ardore:talis veritas ipse Deus est:huc pertinet Græca veritatis descriptio.

Ἀλήθειά ἐστι τελειοτάτη ἀρετὴ αὐτὸ τὸ ἀκρότατον ἀγαθὸν τὸ μὴ ὑφ' ὕλης θολούμενον, μήτε ὑπὸ σώματος περιβαλλόμενον, γυμνόν, φαιδρόν, ἄτρεπτον σεμνόν, ἀναλλοίωτον ἀγαθόν, hoc est, Veritas est perfectissima virtus,ipsum supremum bonum,quod à materia non turbatur, nec corpore circundatum est,nudum,clarum,immutabile,honorandum,inalterabile bonum.

Deinde veritas est participatio illius primæ & summæ veritatis. Atque vt illa apud Deum est,quia ipse Deus veritas est:sic illa apud homines reperitur, hoc est, studium & amor veritatis,quæ virtus propriè est viri boni.Hinc Iudæi Christo dicunt,*scimus quod viam Dei in veritate doces*,hoc est,scimus te virum bonum & veritatis sine fuco amatorem.Huc pertinet Aristotelica definitio ex Ethicis,quod sit virtus medium tenens inter alazoniam & ironiam.

Veritatis triplex consideratio.

Triplex est huius consideratio,alia in verbis consistit,alia in rebus, alia denique in vita & moribus.

Verborum veritas vanitati & mendacio in primis repugnat: vt de præsentibus, futuris ac præteritis loquamur rectè:huc pertinet propositionum veritas,de qua iudicat Dialectica.

In rebus veritas est immutabilis ipsarum natura:sed in contractibus hic consideratur: ideòque iustitiæ pars dicitur, vt in emendo, vendendo, oratio rebus ipsis, pactis ac promissis respondeat.

In vita & moribus,vt quemadmodum docemus & loquimur de virtutibus ac pietate, sic viuamus,Christiani hominis illa virtus propria est:olim Philosophi sic vixerunt,vt quod docerent,exemplo suo præstarent:sic Christus discipulos suos vult viuere, vt *luceat lux illorum corā hominibus,& videant opera illorum bona,ac laudent Deum Patrem qui in cœlis est.*Sed quod Philosophiæ accidit,idem Christianismo euenire solet: multi philosophorum sibi nomen & vestitum suscepêre,qui non philosophicè viuebant:sed,vt dixerunt Platonici,verbis tenus philosophi erant:sic Christianismus multos alit hypocritas,minimè Christianè viuentes,&c.

Veritatis extrema quæ.

IIII. Cùm veritas virtus sit & medium seruet,non malè quæri solet de extremis illius,hoc est,de vitiis quæ circa veritatem aberrant. Vt igitur Christus veritas est:sic Satan mendacium: vnde ex proprio loqui dicitur.Sed veritas,cuius homines debent esse studiosi, duo habet opposita vitia, quæ Aristoteles eruditè explicat. Excessus est ἀλαζονεία, quæ maiora facit bona quàm reuera insint:sic ostentatores sunt virtutum, opum, nobilitatis, formæ & similium, Heluetij, vtplurimùm,in vestitu & corporis cultu ostentatores,sunt, idque sæpe nullo certo

fine,

ſinc,niſi hoc ipſo,quia ſibi ita placent.Μάταιοι tales dicuntur, *ſie liegen in iren ſeckel*,oſtētant opes cùm non ſint,, diuitias,cùm nullę ſint. Alij certo fine alazones ſunt,volunt enim videri,vt ad honores perueniant,beatioréſque habeantur: admirantur enim pauperes diuitum menſas & fortunam,hi ſunt reprehenſibiles. Tertij ob pecuniam oſtentatores ſunt,iactitant multa,vt multa corradant:ſic empirici medici,garruli & iactabundi ſunt,quia emungere volunt pecuniam:ſic multi prædicendi ſpiritum affingunt:vates ſeſe aiunt de futuris,vt lucrum faciant. Hi non ſolùm reprehendendi ſunt:ſed etiam αἰσχήμονες,& αἰσχημονέστεροι dedecore afficiendi dicuntur:turpe enim eſt proſtituere linguam lucri cauſa,& turpius ingenuas artes corrumpere. Excedunt iſti omnes modum,& dicunt plura,quàm rei veritas patiatur. In literis regnat hoc vitium:talis fuit Polus iſti Platonicus & Gorgias Sophiſta,& δοξόσοφοι,quos inſectatur Socrates Platonicus:hi videri malunt,quàm eſſe.


Defectus eſt εἰρωνεία: hæc minora omnia facit, tegit virtutes,bona extenuat:talis εἴρων fuit Socrates,dum diceret *hoc vnum ſcio,quòd nihil ſcio.*

Proximè hi accedūt ad veritatē:nam imbecillitatem fatentur in natura,bona tamen non negant.Hinc dixit Ariſtoteles,quòd veritas ad id quod minùs eſt vitium inclinat: faciliùs hi etiā ad medium reduci poſſunt,minùs peccant etiam:nec enim ſemper omnia fateri eſt neceſſum.

Eſt autem etiam ἀλάζων quoque interdum εἴρων:nam quantùm virtutes & bona ſua prædicat,tantùm etiam contra vitia quæ inſunt tegit.Medicus artem ſuam mirificè extollit, errores autem quos commiſit per ignorantiam, ſolerter tegit: ſic eſt ἀλάζων, quatenus oſtentat peritiam & pharmaca:εἴρων autem eſt quatenus vitia tegit. Quale eſt illud lepidum exemplum ſenis cuiuſdam,qui Lacedæmonem veniens,crines ex ætate albos denigrauit arte, vt minùs videretur ſenex:diſſimulator erat canitiei, cuius, eum pudebat: oſtentator autem virilis ætatis, quam bona parte præterierat.Hæc eſt miſeria vitæ humanæ,affectamus magna, & diſſimulamus errores noſtros & naturæ imbecillitatem,cùm veritatis ſit via ſimpliciſſima.Deinde non poteſt occultari diu vt vt diſſimulemus eam. Ἔρχεται τ' ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτε μὴ ζητούμενον:ne ſperemus ergo nos latere poſſe.Adde quod ad beatè viuendum tutiſſima eſt, quod in communi vita apertiſſimum eſt. Veracibus libenter omnes credimus,cùm ſuſpecta ſemper ſit fides eorū, qui aliquoties in mendacio deprehenſi ſunt.Et ſua natura ſuauis eſt veritas, mendacium omnibus exoſum:Plato dicebat veritatem audire,ſuauiſſimam eſſe narrationem.Sed & liberale eſt quiddā veritas,nullius fronte erubeſcit, nihil timet,bene ſibi conſcia eſt,cum mēdaciū omnia ſuſpecta habeat,omnia metuat:hoc illud,ſeruile eſt mētiri,veritas res eſt liberalis,&c.Item liberalis eſt,& ingenui viri,vera dicere, &c.Hæ & ſimiles nos ad veritatis ſtudium excitare debent.

Veritas occultari nequit.

DE HYPOCRISI.
LOCVS CXX.



Ὑπόκρισιν vocarunt Græci actionem quæ rebus propoſitis decenter conuenit,vt cùm hiſtrio perſonam alicuius aptè repræſentat:ac dici videtur ὑπόκρισις quaſi ἀπόκρισις,quia reſpondet aptè præſenti negotio. Vnde definiunt quod ſit διάθεσις πιθανὴ φωνῆς καὶ σχήματος πρέπουσα τῷ ὑποκειμένῳ προσώπῳ ἢ πράγματι,eſt vocis & habitus affectio apta & conueniens perſonæ & rei. Atque hæc vt appareat,propria & antiqua huius vocis ſignificatio fuit.

Hypocriſis vnde dicta.

Hinc ducta metaphora,pro ſimulatore vſurpari cœptum eſt.Nam & is alienam imitatur perſonam,quemadmodum Roſcius hiſtrio prodit ſub perſona Agamemnonis,cuius vocem, mores,habitum,geſtus exprimit,cùm nihil ſit minùs quàm Agamemnon: ita ſimulatione exprimit,quod non eſt,& quod reuera eſt,illud diſſimulat. Eſt igitur omnis hypocrita alieni boni imitator,proprij verò mali occultator,certo aliquo fine. Atque ſic in ſacris literis accipitur,eóque nomine peſſimè audiunt hypocritæ.

Apud Hebræos nomen reperit à polluēdo, *chaneph* enim dicitur à *chanaph*, quod ſignificat polluere.Nam hypocrita reuera pollutus eſt mente & vita,varius enim eſt,hinc pro impio, & de cuius ſalute deſperatum eſt,accipi ſolet.Iob.13.*non veniet in conſpectum eius chaneph*,hoc eſt, hypocrita ſeu impurus ac pollutus.Interdum pro oſtētatore ſuarum virtutum accipitur, quas prædicat cùm reuera illas non habeat, quemadmodum Thraſo ille Terentianus ſua narrat facinora. ſic Chriſtus Matth. 6. de hypocritarum eleemoſyna & oratione loquitur.ſic apud Luc. 18.Phariſæus ille narrat ſua bona opera.

Aliàs pro diſſimulatore.Nā vitia ſua tegit,quātū poteſt,vt cùm auarus tegit rapinas ſuas,ſic Iob.27.*quæ ſpes eſt hypocritæ ſi auarè rapiat,& non liberet animā eius Deus?* ſic Iere.9. *In ore pacē habet, occultè autem ponit ei inſidias*: ſic de falſis prophetis loquitur Chriſtus Matt. 7. *qui veſtitu ouium veniant, cùm intus ſint lupi rapaces.*

Vanæ acceptiones vocabuli hypocriſæ.

Interdum etiam pro cenſore aliorum vitiorum, qui ſua non animaduertat. ſic Lucæ 6. inquit Chriſtus,*hypocrita,eiice prius trabē ex oculo tuo:poſtea demū extrahe feſtucā de oculo fratris tui.*

Ita Pharisæus in tẽplo præ se contemnit publicanũ, cùm sua interiora vitia non animaduertat.

Aliàs ciuiles, & ciuiliter iustos, qui honore digni sint, & videri velint: quales apud Græcos sunt φιλότιμοι, nos ambitiosos dicimus *Ergitig*: quod ipsum Pharisæis & Scribis quoque tribuit saluator, Mar. 12. *ambulant in stolis: & amant salutationes in foro: & primos accubitus in synagogis, & in mensa*, &c. quibus voluit exprimere valdè esse ambitiosos.

Sed est in genere etiam peccatum vultu tegere, à quo cùm nemo planè sit immunis, difficilè est hypocritam non esse. hinc alibi dixit Augustinus, hypocriseos maculam non habere, aut esse paucorum, aut certè nullius, quod idem alibi habet D. Hieronymus.

Ypocriseos definitio.

Est igitur hypocrisis simulatio eorum, quæ non insunt, & dissimulatio eorum quæ insunt. Græcè sic exprimemus: ὑπόκρισις ἐστι προσποίησις τῶν μὴ ὑπαρχόντων· καὶ ἄρνησις τῶν ὑπαρχόντων.

Definitionis explicatio.

Nam ad ista duo sese refert omnis hypocrisis. Primùm dissimulat quæ illi insunt, & hac parte est εἰρωνικός: auarus est, sed videri non vult, ideóque dissimulat, & quod reuera est negat: aut si planè negare non potest, extenuat & leuia facit, quæ reuera grauia sunt. Sic hodie extenuãt scortationem monachi: & eatenus est ἐλαττωτικός, hoc est, non agnoscit tanta esse sua vitia, quanta reuera sunt: quod sanè vtrunque est negantis. Ideóque in definitione diximus hypocrisin esse ἄρνησιν, τῶν ὑπαρχόντων, hoc est, dissimulationem eorum quæ illi insunt.

Deinde affingit sibi alienum vestitum, hoc est, virtutes, quas reuera non possidet: nec simpliciter bona sibi attribuit: sed in his videri vult, quemadmodum cornicula Æsopi, alienis plumis superbit: atque eatenùs est ἀλάζων, hoc est, iactator & ostentator: sic pietatem simulant in prolixis precibus, in ieiunio, in eelemosyna, aliis pietatis exercitiis, cùm nihil horum rectè nec possideant nec faciãt, ideóque προσποιητικοὶ καὶ μιμηταὶ solum sunt: quemadmodum Aiacis persona repræsentatur in Tragœdia, aut Achillis: sic illi boni viri mores, instar simiarum circumferunt. Illud est quod in definitione diximus προσποίησιν τῶν μὴ ὑπαρχόντων, hoc est, simulationem eorum quæ non insunt.

Materia hypocriseos.

Materia hypocriseως est res honesta: quales sunt λόγοι καὶ πράξεις, καὶ βίος ἐπαινετός. Nam versatur circa laudabilia, circa τὰ ἔνδοξα: qualis est pietas in primis, ideóque sermo humilis est ac de virtutibus de Deo, de pietate institutus.

Actiones eidem inseruiunt: dant eleemosynas, ieiunant, aliáque pietatis exercitia studiosè exprimunt, quibus vident sanctos olim incubuisse: hinc vigiliæ, humicubationes, austerus habitus, vitæ rigor, solitudines, silentium, fuga hominum & mundi, & quicquid tale est.

Forma.

Forma est posita in apta & decenti rerum laudabilium imitatione: sed quia non ex animo faciunt, tota actio desinit in κακοζηλίαν: attamen quia laudem hinc venantur, studiosè his incumbunt: hinc tot sunt προσποιήματα. Apud Iudæos Pharisæi primatum tenebant & Scribæ: attamẽ sanctiores videri volebant Esseni, quibus Sadducæi quoque non cedebant, assumpto etiã splendidiore appellatione suæ sectæ. Hodie similis est concertatio inter monachos hypocritas, ordo ordinem odit nomine sanctitatis: vnus altero plura iactitat pietatis exempla: quod vt obtineant, προσποιήματα affingunt ementita, qualia sunt miracula monachorum bona ex parte: ita negotium pietatis hodie bona ex parte in monachatu consistit in κακοζηλίᾳ & nocentissima simulatione, Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Proprietates hypocriseos.

1. Sed consideremus proprietates etiam huius mali. Iam diximus hypocritam simulatorem esse: quare hoc vt proprium illius intelligamus.

Deinde dissimulator idem est, sua enim astutè tegit, vt Sinon ille Vergilianus. Ad hæc duo referuntur reliqua omnia, quæ consistunt in imitatione: qualia sunt cum pompa & ostentatione sua facere, Matt. 6. quale est tuba canere cùm sunt facienda bona opera. In publico orare, stando in cœtu orare, in angulis platearum orare, prolixas amare preces, diu multúmque orare, cùm per se orare res sit honestissima & sanctissima.

Deinde habitum sanctorum imitari, stolas amare longas: quod sanctos eo habitu vsos legamus, quod hypocritis tribuit Christus. Mar. 12.

Tertiò innata illis est ambitio: honoris enim auidissimi sunt, teste Christo, hinc in foro passim volunt salutari, in cœtibus primo loco sedere volunt, in conuiuiis honestiora loca ambiũt.

Quartò astuti sunt, nequitiã probè celare possunt. hinc Christus inquit, eos venire vestitu ouium, cùm intus sint lupi. Voluit dicere eos esse versutos & πανοῦργους: qualis erat Herodes qui simulat se Christum velle etiam adorare, ac ad se redire iubet magos, vt illum opprimat.

Quintò, seipsos tamen produnt, vtvt vulpinum celent. hinc Christus dixit à fructibus illos cognosci posse: quod puto nihil aliud esse, quàm quòd vita illorum discrepet à professione, nec id ipsum exprimant moribus quod ore prædicant. Bacchanalia viuunt: quid sit illud monachi hodie docent, cùm summam pietatem simulent: si vitam inspicias & mores deprehendas lenones, milites, Thrasones, scortatores asotos qui in mensam vomant, &c. sic à fructibus agnoscuntur.

Sextò auari etiam sunt, quod Christus de illis pronuntiauit, Mar. 12. quia sub specie orationis deuorant domos viduarum: hoc de Pharisæis etiam dicitur, quia in sui commodi gratiam induxerant, contra legem de honorandis parentibus, illud Corban, hoc est, quod defraudati parentes à liberis necessario victu, Pharisæi ditescerent. Ita hodie ad quæstum accommodata videtur

videtur tota ſanctimonia monaſtica.

Septimò, vitæ proximi rigidi ſunt cenſores, quod apud Lucam 6.cap. Chriſtus ipſorum verbis expreſſit, *Sine vt eximam feſtucam ex oculo tuo mi frater.*

Octauò, lactabundi ſunt, & maxima ſibi adſcribunt, quod Thraſonū eſt, in ciuilibus virtutibus. Hypocritę autem in pietate id præſtant, vt quæ pertinent ad viſiones, reuelationes diuinas, colloquia angelica, ipſámque vitæ beatæ contemplationem, ac quicquid ad εὐδαιμονισμὸν pertinet, ad ſtuporem vſque auditorum narrant, hinc audiunt, *daß ſind heylig lütt.*

Atque ſic ferè peccant ſimulando. In defectu etiam peccant, hoc eſt, minùs grauiter & ſeueriter de ſuis vitiis & ſentiunt & loquuntur, quemadmodum alienas virtutes ſibi arrogantiùs & impudentiùs ſumunt.

Hypocritarum peccatū in defectu.

1. Diſſimulando igitur peccant. Primùm, quia vitia innata celant, quod Chriſtus dixit lupum tegere, & vulpem eſſe. Alij ſe planè peccatores eſſe negāt, quod cum ſcriptura pugnat. Alij cùm ſceleratiſſimi ſint, tergiuerſando negant. ſic Phariſæi auari eſſe nolebant, impij eſſe recuſabant cùm eſſent. Hodie monachi ſcortatores ſunt, ebrij ſunt, leues ſunt, blaſphemi ſunt, quod tamen eſſe nolunt.

Deinde notoria crimina in ipſis deprehenſa extenuant tanquam leuia, vt cum ſciſſo veſtitu monachi deprehenduntur, leue hoc eſſe dicunt, & receptum in mundo: milites dicas non religioſos, ebrietatem, ſcortationem eodem modo excuſant. hinc fiunt βαυνοπάνουργοι, hoc eſt, verſipelles *lache daran, vnd zienus in ein ſchimpff*, ita ludunt in pietate.

3. Accedit improbitas & vanitas: leuiter loquūtur de tota religione: improbitatē in aliis alunt & confirmant. Vitam æternam ſeriò non curant, ſolum ad ſpeciem omnia accommodāt, vt veriſſimè & rectiſsimè dixerit Chriſtus, vt videantur ab hominibus: πρὸς τὸ θεαθῆναι, & ὅπως δοξάσθωσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, & ὅπως φανῶσι τοῖς ἀνθρώποις, &c. Vt videātur ab hominibus.

Finis.

Finis igitur apud eos eſt ſpectari ab hominibus, hoc eſt, implere mundi oculos, vt dicunt: ſtultus enim mundus, decipi vult. Acceſſorij fines ſunt lucrum, ſecuritas vitæ, otium, dominiū, pompa, &c. Sed vltimus finis, quem prædixit Chriſtus, *habent mercedem ſuam*, non videbit hypocrita talis faciem Domini. Iob.13. *labor illorum ſterilis eſt*, Iob.15. non audiuntur à Deo quum inuocauerint, Iobi 27. accipere maius iudicium, Marci.12. In hac vita accepiſſe bona ſua, & mercedem, Matth.6.&c.

Veritati repugnat hypocriſis.

Pugnat hoc vitium in primis cum veritate ipſa, nam hanc in iniuſtitia detinet: ſciunt hypocritæ meliora, & deteriora ſequuntur, qualia ſunt veritatem non tueri contra ſophiſtas, quibus hypocritæ ſeſe accommodant.

Deinde in contractibus etiam fraudulenti ſunt. Ideóque cum illa iuſtitia commutatiua etiā pugnant. In diſtributionibus quoque iniqui ſunt iudices & diſpenſatores, quare cum iuſtitia etiam diſtributiua pugnant.

Synceritatem etiam & candorem ferre non poſſunt, vir enim bonus, ἐν λόγῳ τὲ βίῳ talis eſt, qualis haberi vult: id hypocritæ transformant in alium habitum, ac vitiis virtutum nomina affingunt: de quibus rectè dixit Ariſtoteles, qui ſe amicum ſimulat cùm non ſit, peiorem eſſe quàm monetæ adulteratorem.

Nam apertus hoſtis caueri poteſt, ſimulator autem nulla ratione poteſt vitari. Quare Socrates ſuadebat ſuis, vt tales eſſent, quales haberi vellent: quæ ſanè expedita & compendiaria eſt ad virtutem via.

Amicitiæ repugnat hypocriſis.

Cum amicitia vera quoque pugnat: non enim ſynceriter amat, nec amari poteſt hypocrita: ac quanquā ametur ab aliis tanquam amicus, tamen ipſe fidem habere nō poteſt, metitur enim alios ex ſuo ingenio, ac vt aliis imponit: ita omnes ſuſpectos habet. ideóq; meritò deteſtabiles ſunt: vt eſt in Epigrāmate, μίσω ἄνδρα τὸν διπλὸν πεφυκότα χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις. Odi hominem duplicem, amicum quidem verbis, inimicum reipſa.

Ac in genere quot habet adiuncta ſcelera, tot ſunt eidem oppoſitę virtutes, à quibus diſſidet hypocriſis, in primis à ſimplicitate vitæ ac morum in communi conuerſatione, &c.

DE OPINIONE, ET OPINARI.

LOCVS CXXI.

Opinionis etymon.

IHMA quaſi putatio: δόξα à δοκεῖν, ab opinando opinio: videtur enim in ſpeciem, cùm reuera non ſit illud quod vel quale videtur. Platonis eſt ſententia, δόξαν dicit, à διώκειν: etiam τῇ διώξει opinio cōſtat: animo enim inſequimur id quod opinione complectimur vel odio vel amore. Aut τῇ βολῇ τοῦ τόξου, quia res coniectura conſtat in opinando: collimant homines in eam partem quam probabiliter conceperunt. Ex quibus apparet, quòd opinio finita, ſit ſcientia, aut certè pro ſcientia ſeſe venditet. Volūt enim homines videri ſcire, quamuis pro opinionibus nudis certent. Deinde opinioni additur fides. creditur enim res opinata, tum ab his qui autores opinionum ſunt:

deinde ab his quos in ſententiam trahunt, & ab his qui rem non expendunt, ſed autoribus credunt & cedunt. Hinc fit vt pro vero ſæpe regnet opinio: quod Græci dicunt τὸ νομισθὲν τῆς ἀληθείας κρατεῖ: vel vt Pindarus exprimit, τὸ δοκεῖν καὶ τὴν ἀλήθειαν βιάζεται. Diſtinguenda igitur eſt diligenter à fide & ſcientia, vt quid opinio propiè ſit, perſpici poſsit.

Scientia quid ſit.

II. Cicero 1. Acad. quæſt. ſcientiam eſſe dicit comprehenſionem quæ conuelli ratione non poſsit. Alij dicunt aſſenſum eſſe, qui ex veris cauſis rerum ſit conceptus: ſcire enim dicimur quum rei cauſas tenemus.

Opinio quid.

Opinio verò Ciceroni eſt, imbecilla apprehenſio, cum falſo & incognito coniuncta: quod enim opinamur fieri poteſt vt verum ſit, ſed nobis non ſatis cognitum, aut vt ſit planè falſum, pro vero tamen à nobis accipitur & probatur.

Apud Auguſtinum ita diſtinguuntur, Scire & intelligere eſt, mentis certa ratione aliquid tenere. Vt ſcio eclipſin ſolis, & intelligo eam ex veris cauſis, quas mens mea apprehendit. Sic ſcio Deum eſſe, quia quî ſit, intelligo.

Opinio verò probabile quid habet: ſed errore ducitur falſum pro vero amplectens. Auguſtinus inquit, Opinamur errore ducti, intelligimus ratione, credimus verò authoritati.

Quare ſcientia circa vera verſatur, & eſt rationis, ac ex veris naſcitur cauſis. Fides autem circa probabilia, & eſt perſuaſionis, & ex authoritate naſcitur. Credimus enim relata, quæ per fide dignos authores, poſteritati per literas vel famam conſeruata ſunt, quæ alias nos ſcire impoſsibile eſt: vt in hiſtoriis fide dignus tibi videtur Liuius, Herodotus non item.

Opinio verò non eſt rationis, vt ſcientia, nec authoritate maximè nititur: ſed naſcitur ex imaginatiua animæ parte, quæ ſibi videre aliquid videtur ex leui impulſu extrinſecus oblato, quem mox conſequitur aſſenſio, vel diſſenſio: in quibus opinio dominatur.

Qui igitur dicunt opinionem eſſe imbecillem aſſenſum, rebus non ſatis perpenſis, atque examinatis, à Ciceronis ſententia parum recedunt, qui ex Zenonis ſententia, κατάληψιν imbecillam nominauit cum falſo & incognito communem.

Enucleatio variarum ſententiarũ de opinione.

Qui verò dicunt, eſſe perſuaſionem ex falſis & deprauatis rerum iudiciis conceptam, accedunt magis ad Auguſtini ſententiam, qui errore ductos nos opinari dixit. Secundùm Ciceronem in vero poteſt eſſe opinio. Nam quod procul video phantaſia concipit, & iudico eſſe hominem, non poſſum tamen diſcernere certò, homóne ſit an pecus, vel truncus, cùm propiùs acceſſero, res demonſtrat me rectè opinatum, comperio enim hominem illic eſſe. Secundùm Auguſtinum verò opinio ſemper in errore eſt: tamen in lib. 3. de lib. arbit. cap. 6. opinionem ſecat in rectam & prauam: definiamus igitur in hunc modum. Opinio eſt ſententia de rebus ſeu benè ſeu malè concepta, quadam intellectus imbecillitate, quæ quod verum eſt, contueri ſtatim non poteſt, vel etiam non vult.

Opinionis definitio.

Ex qua deſcriptione colligi poteſt, opinionem duplicem eſſe: quædam enim recta, quædam verò praua dicitur. Recta opinio eſt, quæ quod verum apprehendit, ſed vt verum ſit demonſtrare ex veris fontibus non poteſt: ſic Platonis opinio, quòd mundus eſſet conditus, & idem aliquando interiturus, vera & recta erat, quanquam pleniùs id eloqui non poſſit. Opinio ægroti vtiliter appetentis frigidam, quanquam veras cauſas ignoret: parentis opinio de liberis legitimis recta eſt, quanquam multæ vxores maritis illegitimos ſupponant: & liberi matribus credunt de patre, quanquam ſcire non poſſint: hinc eleganter Telemachus Mineruæ reſpondet. 1. Odyſſ. Mater quidem ait me illius eſſe filium, at ego neſcio, nō enim fieri poteſt, vt quis ſuum patrem ſeriò ſcire poſſit, quaſi diceret, credendum eſt matri, & opinandum quod honeſtum eſt, ac veroſimile. Rectam igitur dicimus opinionem quæ cum rei veritate congruit.

Diuiſio.

Opinio praua.

Alia praua dicitur opinio, quæ pro vero falſum amplectitur. Vt diſcipuli vident Chriſtum ſuper mare ambulantem, exterriti putant ſe ſpectrum videre, cùm non ſit: & Maria apud ſepulchrum Chriſtum putat hortulanum, cùm non ſit: & illi in Emaum euntes, Chriſtum viatorē iudicant, cùm Chriſtus ipſe ſit, eadem carne qua ante mortem cum illis verſatus fuerat. Sed erant opiniones iſtæ, nulla malitia ſuſceptæ, verùm imbecillitate quadam intelligendi aut perſpiciendi quod verum erat. Ideóque in definitione adiecimus, intellectum alias verum non poſſe ſtatim contueri, aut etiam nolle quod verum eſt perſpicere: vtraque tamē praua eſt, quia à vero aberrat.

Opinio imbecilla.

Imbecilla opinio, vt plurimùm emendabilis eſt: nam vel ſucceſſu temporis vltrò ſe offert plenior rerum cognitio, vel leui admonitione, mox ſeſe colligit ratio: non enim affectatum hoc malum eſt, quanuis naturæ innatum ſit, tamen homines veritatis auidi curant vt diſcant: orant Deum vt illuminentur in veri cognitione. Videmus ſanè in ipſis Apoſtolis multos errores ex vana opinione natos, quos dato Spiritu ſancto mox deponunt: iudicant Chriſti regnum fore externum, in hac terra Iſraëli reſtituendum, in eo fore alios à dextris Chriſti, alios à ſiniſtris, hoc eſt, potentiſſimos, alios inferiores occupaturos ordines, & alia multa. Opinatur Eua Cainum mox ſemen illud promiſſionis eſſe. Abraham in Iſmaële ſpem ponit, Iſaac in Eſau, admoniti errorem deponunt.

In artibus ciuilibus, ſæpe operis præſtantia tales opiniones gignit: vt quod Apelles equum pingit adeò accuratè, vt inductus equus illi adhinniret, opinatus viuum equum eſſe. Zeuxis v-

nas pingit vt aduolitarent aues rapturæ. Parrhasius linteum vt Zeuxin falleret:semoto enim linteo cupiebat picturam Parrhasij inspicere, cum ipsum linteum pictura esset.

Aliàs à negligentia nostra proficiscitur, vt scire putemur cùm nesciamus: sic dici solet: mundus opinionibus regitur: quia non inquirunt homines diligentiùs in res ipsas, contenti qualicunque opinione. Auget negligentiam hanc naturæ corruptio: cuius est proprium de se suisque magnificè sentire: hinc opinionibus nolumus contradici.

Praua opinio, quæ quod verum est intueri non vult: hæc demum perniciosissima est: nam ex opinionibus istis, tandem secta fit inde tandem hæresis & chisma. Opinionem enim priuati hominis esse dicunt. Sectam inter paucos iam sparsam: hæresin verò cùm malum publicatum est, & longè latéque serpit. Vt Arrij opinio latuit, mox inter paucos agitata est, tandem in flammas erupit, vt Orientem totum occuparit: sic Machometi & aliorum opiniones tandem catholicæ effectæ sunt. Huius opinionis causa est spiritus erroris, qui efficax est in incredulis. 2. Thessal. 2. *mittet illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio.* 2. Tim. 3. *errantes errare faciunt alios,* &c.

Hippocrates epist. 15. eleganter depingit opinionem, mulibri habitu, forma minimè malam, concitatiorem tamen, & impudicam magis ipsa veritate, verba illius sunt: οὐ κακὴ μὲν, θρασυτέρη δὲ, καὶ πεπτοημένη, κατεικέει παρὰ τὴν, hoc est, visu minimè mala apparuit, commotior tamen & concitatior: talis visa est Hippocrati. Veritas autem subiungit opinionem esse & dici, ac habitare apud Abderitas: quia iudicabant Democritum insanire, qui sapiens erat. Vide locum. Hippocratis sententia de opinione.

Est & illa opinionis diuisio: quòd alia sit ἀλλοδοξία, alia verò ἑτεροδοξία: ἀλλοδοξία dicitur apud Platonem, cùm vnum pro altero sumitur: δοξάζει μὲν τὸ ὂν, ἕτερον δ' ἀνθ' ἑτέρου: quale potest esse quod Maria Christum hortulanum iudicat, Christum verò putat aliò trãslatum: ἑτεροδοξία verò cùm aliud videtur: vt Sadducæi planè negant resurrectionem. Παραδοξία verò potest esse vera: vt quòd solus sapiens liber & beatus sit: potest esse falsa quoque: qualia Epicuri & Democriti multa absurda de atomis. Alia diuisio opinionis.

In religione Christiana parodoxæ rectè dicuntur, quæ cum scriptura & fide pugnant opiniones, ideóque falsæ omnes tales sunt.

III. Proprium opinionis est, veritatẽ æmulari: proinde in Hippocratis somnio adest veritas & opinio, & vtraque de Democrito iudicat: veritas tamen ab Hippocrate deprehenditur apud Democritum: opinio manet apud ignotos ciues. Hinc Plato ait, opinionem esse δοξομιμητικὴν, imitatoria enim est quædam ars, veri æmula: & δοξοσοφίαν, hoc est, æstimatã quandam sapientiam, cùm reuera non sit: & εἰδωλοποιΐαν, hoc est, imitatur opera quædam veritatis, ac vestit se coloribus illius. Opinionis proprium.

Deinde res non vt sunt depingit: sed quales concipit: vt speculum sordidum, faciem elegantem malè exprimit: ita opinio. Ac vt vitrum res obiecta iis coloribus exprimit, qui sunt in ipso vitro, non qui in rebus obiectis sunt. Per cæruleum vitrum, alba etiam cærulea apparent: per rubrum omnia rubent: sic opinio res corrumpit.

Tertiò, eosdem ita propagat & effingit similia: vt malus figulus, malas effingit rerum figuras, malus plastes distortas rerum formas proponit.

Hinc rectè pictura dicitur opinio: nam vt pictor res imitatur, oculos, manus, aures, aliáque sensitoria sine sensibus proponit: ita quidẽ circa ipsa obiecta oberrat. Veritas circa res vt sunt, versatur: opinio verò, circa res vt non sunt. Quare opinioni assignetur τὸ μὴ ὂν, καὶ τὸ ἄλλοτε ἄλλως ἔχον, τὸ ἀθέατον, τὸ σκοτεινόν: quod nõ est, & quod aliâs aliter se habet: quod non videtur, & est tenebricosum: actus illius proprius est errare & hallucinari. Opinio pictura.

In hominibus verò quos occupat, illud habet, vt eos tumidos & inflatos reddat: hinc vt plurimum arrogantiæ comes est. Ita perhibent Machometem hominem tumidum & arrogantem fuisse: nouis enim opinionibus suffarcinatus erat, quæ illum tumidum reddebant, vt spiritus inflat vtres & folles.

Deinde multa arroganter promittunt de se, quæ præstare non possunt: ex quo rectè dixit Hippocrates, οἴεσθαι μὲν, μὴ πρήσσειν δὲ, ἀμαθείας καὶ ἀτεχνίας σημεῖον ἐστι, opinari & nihil præstare imperiti & inertis hominis est signum.

Tertiò, inconstans est, nam euentu redarguitur: initio veritati vim inferre videtur: sed tamen illa temporis est filia, & tandem erumpit oppressis opinionibus: ita Arrij & aliorum deliria tandem patefacta sunt.

Quare nos suspectas habeamus nouas opiniones, & ad scripturam, quasi regulam nostra omnia referamus: certum est mundum magna ex parte opinionibus regi. Et in veris sententiis etiam id quod scimus particulare solùm est, & imperfectum: quia infinitis modis longè amplius est, id quod adhuc nescimus: sic August. rectè inquit, In hac vita quantumcunque sciatur nondum esse beatissimum: quoniam incomparabiliter longè amplius est, quod inde ignoratur. Ideóque ad scripturas semper nos referamus, & Domino agamus gratias pro tenui etiam veri agnitione, donec aliquando restituti, de facie ad faciem, rerum veritatem in cœlesti illa schola intuebimur.

DE SIMVLATIONE PETRI.

LOCVS CXXII.


Cribit Apostolus Paulus ad Gal.2. Petrum Apostolum à se reprehensum, quod in gratiam Iudæorum abstineret à consortio Gentiliũ, cum quibus prius promiscuè cibum sumpserat contra legem Mosis. Quo loco duo quæri solent. Primùm, an peccarit hoc facto Petrus. Deinde istáne fuerit illa reprehensio Pauli. De vtroque dicemus quantum præsens locus postulare videbitur.

I Ac quod factum D. Petri attinet, tres reperio sententias dissidentes. Prior Hieronymi est, & ferè Græcorum omnium qui in hunc locum scripserunt, qualis est Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, & ex recentioribus Erasmus hanc amplectitur, ni fallor, solus. Affirmant omnes isti Petrum non peccasse hoc facto. D. Hieronymus in cap. 53 Esa. dispensatoriam vocat contentionem. In epist. verò 2. ad August. scripta, copiosè partes Petri defendit, ita tamẽ vt Paulum etiam à crimine liberet, & acta hæc vtrinque ad placandos suos auditores: vt Petrus Iudæis hoc debuerit, quia illorum esset Apostolus: & Paulus vt Gentium doctor in speciem, non autem seriò illum increparit.

II Altera huic planè contraria est, eorum scilicet qui affirmant Petrum hic in fide etiam errasse, quod affirmant articuli Parisienses, referente D. Erasmo.

III Tertia inter has duas media incedit via, cui nos etiam subscribimus. Habet authorem August. qui commentariis Hieronymi lectis primum sententiam ipsius cœpit vellicare amica epist. cui cùm responderet Hieron. pressiùs & copiosiùs sententiam suam defendit prolixa illa epistola, quæ est ordine 19. Tomo 2.

Propositio. Nostra igitur sententia est, Petrum illic seriò errasse, non tamen in fide, sed speciali facto in quo quid magis sequi expediret, non facilè poterat perspicere.

Rationes cur iure reprehensus à Paulo Petrus.

I Et erroris quidem argumenta illa habemus. Primùm quod Spiritus sanctus hîc dicat de Petro ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, quia erat reprehensione dignus, quod non poterat in loco dici nisi de aliquo certo facto huic instituto seruienti. Nihil enim ad rem si priùs reprehensus est, ob Cornelij familiaritatem, nec poterat commodè repeti illa reprehẽsio de qua iam fratribus satisfecerat Hierosolymis. Aut igitur deliquit Petrus hîc, aut Spiritus sanctus damnabilem dicit, vbi damnabilis non est, sed posterius ferre non possunt piæ aures. Igitur peccasse fatendum est.

2. Ex ratione facti quia subduxit se propter Iudæos, non reddita facti ratione. Si enim priùs rectè fecit conuiuãdo cum Ethnicis mala est eius hypocrisis: aut si hæc bona est, peccauit priore facto, edendo cum illis. Factum enim per se propter Iudęos nec bonum nec malum dici potest nisi illis tanquam maiori parti plus prodesset quàm reliquis obesset: sed hoc docendum fuerat prius, nihil scilicet referre Christiano homini, ederet cum Iudæo Iudaico more, an cum Ethnico, Gentili more, modò fides in Christum sit integra: sed hoc Petrus non fecit, nullam facti rationem dedit, sed abstinendo seipsum damnat in quo damnari non poterat. Peccat igitur tum in se, tum in spectatores ignaros.

3. Quia alios bene institutos secum rapit in peruersam opinionem. Nam de Petri sententia quidem non dubitamus, quin aliud senserit quàm præ se hic ferat: attamen reliqui Iudæi & Barnabas, illius ducti exemplo, hoc se necessariò facere credunt, quasi Iudæis plus debeant quàm Gentibus, & in illorum gratiã legalia passim seruanda sint. Bene institutos, peiore imbuere opinione, peccatum est nõ leue. id fecit Petrus: igitur non leuiter peccasse credendũ est.

4. Perniciosum exemplum erat Gentibus qui hoc facto non leuiter offendebantur. Ecce Petrus hactenus approbauit nostram viuendi rationem: imò eadem nobiscum vixit: nunc in gratiam paucorum Iudæorum, nos aspernatur? Quid hoc rei est? Adeóne mansit discrimen Iudæi & Græci etiam in Christo? & ciborum delectus secundum Mosem tanti est? Hæc offensio non leuis est, nec accepta, sed data vbi dari non debebat. Sũt isti hic pusilli hîc præsentes, quos Christus offendi non vult. Matt. 18. Marci 9.

5. Fauebat doctrinæ falsorum doctorum, qui passim Ecclesiis Gentium obtrudebãt ceremonias Mosaicas, quasi sine illarum obseruatione non possent saluari in Christo. Nam hoc dogma maturè cœpit agitari per Satanam vt corrumperet simplicitatem Euangelicæ doctrinæ, vt videre est Act. 15. & exẽplo Galatarũ, qui rectè instituti ab ipso Apost. Paulo, postea circumcisionem admiserunt, opera falsorum doctorum, ideo peropportunè hoc exemplum hîc refertur à Paulo.

6. Euertit propria dogmata, nam Petrum in causa doctrinæ pulchrè consentire cum Paulo, adeóque cum omnibus Apostolis, constat ex congressu cum Paulo, deinde quòd eundem Spiritum sanctum acceperant omnes: & ab eodem Christo vocati essent omnes.

Cùm igitur sciret circuncisionem nec alias ceremonias quicquã facere ad salutem, sed sufficere tam Gentibus quàm Iudæis meritum Christi, per gratiam Dei toti mundo oblatum, hoc de-

hoc declarandum erat Iudæis, si essent offensi & non euertendum hoc dogma suum tam pernicioso exemplo.

7 Hypocrisis est, quæ hîc bona esse non potest. Aliud enim sentit in doctrina, & aliud facto declarat. Doctrinæ dogma sanum erat, sequitur igitur hypocrisim facti fuisse malam. Hinc August. epist. 8. non dubitauit perniciosam vocare simulationem. Et epistola 9. Fallax dicitur simulatio, nam fieri non potest, quin hic aut Iudæos fallat, confirmandos eos in errore veteri, aut Ethnicos, approbando Iudaicos mores contra Euangelij libertatem.

8 Manifestum etiam est erroris & peccati argumentum, quod de illis dicitur οὐκ ὀρθοποδοῦσι, non recto pede incedebant ad veritatem Euangelij. Ergo peccabant, nam recto nil opponitur nisi curuum & distortum. Rectum solum laudabile, sic curuum vitiosum est, præsertim in doctrina. In facto autem non oportet claudicare in ambas partes, non oportet tepidum esse, sed calidum aut frigidum præstat esse, non vna fidelia duos dealbare parietes, vt dicitur.

9 Vltimo, reprehensio Pauli manifestè illi obiicit peccatum. Quid Ethnicos Iudaizare cogis? Cogebat ergo Iudaico more viuere, h. e. vetitis cibis abstinere, & similes Ceremonias obseruare. Cogebat autē non doctrina, nam prius ipse contrariū fecit: ex quo manifestum est illū de abolitione ceremoniarū Mosis rectè sensisse, sed tegebat facto hoc & pernicioso exemplo.

His argum. moti agnoscimus in Petro peccatū. Nūc quare Hier. sententiā non possimus admittere, breuiter dicemus. Liberat ille Petrum à peccato, similiter & Apo. Paul. Quanquam in epist. ad August. initio affirmet se aliorum retulisse solùm sententias, præsertim Græcorum. De Diui Hieronymi sententia.

Et in præfatione ad Gal. Origenis sententiam imprimis se referre. In epistola 11. ad August. expressè dicit se non definire, quid defenderet quod in Græcis legerat, sed ea expressisse quæ legerat, vt lectoris arbitrio derelinqueret probanda ne essent, an improbanda. Ex quibus verbis apparet non seriò hæsisse primitus in hanc opinionē, nisi quòd videret omnes Græcos sententiam hanc tueri: & liberari poterat à tota hac quæstione Hieronymus, si recitatio saltem prodiret sententiæ aliorum: verùm in progressu in partes transit, & Origenis sententiam propugnat, vt videre est in tota illa epist. 11. Et in prioribus commentariis ad Galatas.

Deinde nimiùm sollicitus fuit vt Petrum ab omni errore liberaret, cùm expressè videamus in sanctissimis quibusuis labes & næuos manere saltem in vitæ huius circunstantiis vt non satis tempori inseruiant, non satis ædificationi sese accommodent, aliis infinitis modis fallantur. Act. 15. versu. 39. recitatur acerba contentio Pauli & Barnabæ propter Marcum, in qua alterum errasse necessum est. Interim Sancti Apostoli ambo fuerunt. Et Ionas nonne manifestè errat dum Niniuitis non vult prædicare pœnitentiam? fugit periculosè nec rediturus nisi miraculo retractus. Iob. 3. & Ieremias cap. 20. diem natiuitatis suæ maledicunt. Nathā errat in speciali facto, quòd putaret Dauidem domum Domino ædificaturum, quòd Dominus in eo per visionem corrigit. 2. Sam. 7. Et Apostoli ipsi errant in tempore restituendi regni Israëlis. Sic non absurdum est Petrum hîc errasse in speciali facto, quid magis facere expediret. Malè Hieron. Petrū à peccato liberat, cuius à Paulo accusatur.

3 Nec potest illum excusare, quod alibi sit in confessione veritatis confidentissimus: nam ne tum quidem abfuit ab erroribus, cùm negarit Dominum, & à Domino dictus sit Satanas, & audierit, *quid ad te ista, tu sequere me.* Et ad Cornelium, non nisi oraculo monitus ingrediatur & de cibis monitus, adhuc dicat, *Absit Domine, nil immundum vnquam ingressum est in os meum*, quæ omnia errorum sunt indicia. Ioan. 21.

4. Quod autē oraculo iam edoctus est, nil polluti esse in cibo, vt qui sit à Deo sanctificatus. Act. 10. & 11. Agnoscimus serio Apostolum ita sensisse deinceps, quemadmodum se excusat Hierosolymis apud fratres. Ideo illi nullum errorem in doctrina & dogmatibus imponimus, sed de facto eius solùm conquerimur.

5. Et quod ait D. Hieronymus iam priùs Petrum rectè de hac causa pronuntiasse in Synodo Hierosolymis, Act. 15. imò authorem fuisse illius sententiæ, in quam hîc peccasse dicitur. Respondemus, rectè hoc ab Augustino in dubiū vocari, prius ne, an post Conciliū hæc inciderit contētio inter duos Apostolos. Hieronymo quidem placet ordinē narrationis sequi quasi eodē ordine res contigerint, quo ab Apostolo narrantur ad Gal. 1. & 2. cap. Sed probabilior est sententia Augustini, ante Concilium hoc cōtigisse. Sed esto post Concilium contigerit vt placet Hieronymo, certè & grauiùs peccauit Petrus cum propria dogmata euertat suo exemplo. Epist. 11. in August. Timo. 2. Augu. Epist. 19.

6. Nec admittenda est illa mitigatio phraseωs κατὰ πρόσωπον, secundum faciem, vt exponit Hieronymus cum tota narratio requirat seueriorem interpretationem, in faciem, quod cōfirmat illud, *ἔμπροσθεν πάντων coram omnibus*, hoc est, palàm & serio, vt habet Ambrosius, vtut durius videatur Hieronymo.

7. Quod verò dicit veteres sic voluisse Porphyrio aliisque calūniatoribus respondere qui in Paulo procacitatē arguebāt, quod auderet superiorem Apostolum dānare, in eo, cuius ipse etiā reus tenebatur: Respōdemus alio modo calūniatoribus illis occurri posse, nec dissimulanda sanctorū etiam vitia. Deinde maius hinc enasci periculum, si dubiam reddamus Scripturæ fidē, quasi simulanter nec seriò multa referat. Quod igitur vidit Apostolus Paulus facto Petri euerti libertatem ac puritatem Euangelicæ doctrinæ, ideò illi in faciem & quidem meritò restitit. Idem Augustinus animaduertit: si admitteretur mitigatio Hieronymi, eludi facilè posse

authoritatem Scripturæ. Ideo sentētiam eius tātoperè impugnauit, vt & Petrus quidem errarit pio quidem zelo, sed nocenti. Sic D. Hieronymus indignè ferebat summos duos Apostolos sic committēdos vt dirimi non possent sine alterius errore. Nos sanè non committendos duriùs censemus, quàm Spiritus sanctus ipse narrat. Narrat autem deinceps amicissimè & concorditer vtrumque docuisse & perstitisse in sacra doctrina, in eo igitur acquiescamus etiam nos.

2. Sententia Petrū in fide errasse quare non possit admitti.

Restat altera sententia quæ Petrum sic damnat, & in fide etiam errasse affirmat. Quæ id ò ferri non potest, quia Spir. sanctus nihil tale de illo narrat in hac contentione. Deinde manifestum est rectè illum sensisse in doctrina adiaphoron, cum facto ipso non abhorruerit à Gentium conuersatione, adeò vt cibum cum illis sumeret, quod certè nunquam fecisset, si putaret ceremonias Mosis ad salutem necessarias esse, nunquam adductus esset vt illicitos cibos gustare cum oraculo Diuino ausit contrariè, *Nequaquam Domine, nunquam enim quicquam immundum edi*. Itaque in illo errore nō fuit amplius: ex quo etiam sequitur, hanc contentionem post illam reuelationem quæ est Act. 10 contigisse: non enim verè dixisset illum, si prius iam cum Ethnicis promiscuè cibum sumpsisset. Deinde peccasset in propriam conscientiam, quod Apostolo tribui non debet, vt qui Spiritu sancto sit præditus. Itaque distinguimus in hoc facto Petri, animi propositum, vt simplicitatem ab affectu & circunstantia, quam ipse non satis attendebat. Si enim animi propositum spectes, pia erat simplicitas ne offenderet Iudæos suos, quos per se pronos in hanc rem nouerat, non quòd putaret quicquam momenti ad salutem esse in his repositum, & hoc quidem pacto venia dignus erat. Animi intentio bona erat, non offendere Iudæos, quorum ipse erat Apostolus.

Verùm, si contrà ab altera parte spectes, euentum quem vidit Apostolus Paulus, & quem non perinde expendit Petrus: certè grauissimè peccabat. Gentes nouo exemplo ad circuncisionem & discrimina ciborum obseruanda compellebantur. Iudæi illis semper erant nobiliores etiam in Christo. Summa doctrina Euang. periclitabatur, de gratia Dei per Christi meritum plenè mundo oblata. Hæc & similia certè hinc consequebantur. Itaque necessaria fuit obiurgatio, quam dum non prospiceret Petrus, facile erat errare in tempore & loco: paucis & pertinacibus Iudæis non erat indulgendum in perniciem doctrinæ: & plus Gentium multitudo valde debebat, quàm pauci Iudæi pertinaces. Cauendum igitur erat magis Gentium offendiculum, quàm Iudæorum, qui hîc sinendi erant, & data opera errantes.

I In hunc sensum scribit de hoc facto Tertullianus in lib. de præscrip. hæreticorum. Conuersationis (inquit) fuit initium, non prędicationis: & mox, pro temporibus ac personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus & personis & causis committebant.

II Diximus quid de facto Petri sentiamus: nunc restat alterum propositi nostri membrum de Pauli scil. reprehēsione. Duo hîc expedienda nobis erunt: Prius, an iusta fuerit reprehensio. Posterius, in simili ne ipse quoque facto teneatur reus. Ac prius facilè nobis est definire, si modò vera sunt quæ hactenus attulimus. Peccatum fuisse à Petro per imprudentiam, quia facti circunstantias non explorabat, nec prospiciebat esse consequentem. Hoc posito sequitur reprehensionem minimè fuisse simulatam: sed notam & summè necessariam: nam magno & periculoso errori debetur non simulata reprehensio, sed vera & seria. Huc facit verborum vehementia κατὰ πρόσωπον & ἔμπροσθεν πάντων: item ἀντέστην αὐτῷ, quæ omnia cum pondere & emphasi probant, vt scripta sunt. Denique nullam habet speciem illa collusio, quòd neuter seriò egerit. Quid enim viri sancti & Apostoli in cœtu tanto has præstigias adhiberent, quin docerent potius spectatores, quid vterque sentiret & vellet, vt ambas partes errore liberarent.

1. Reprehēsio nō simulata.

An eiusdem criminis reus teneretur Paulus cuius Petrum accusat.

Posterius verò, an in eodem crimine reus teneatur Apostolus, cuius hîc accusat Petrum, negamus: nec dum id satis probatum est à quoquam. Circuncidit quidem Timotheum, Act. 16: sed erat matre Iudęa natus, & in ministerio à Iudæis non ferebatur nisi circuncisus, nec Gentes eo offendi poterāt, si non simpliciter Ethnicum, sed Iudæum circuncideret, quem non Ethnicis, sed Iudæis vellet inseruire. Præterea dogmata, ab Apostolis statuta in concilio, iam priùs diligenter tradens Iudæis, hoc est, ne circunderentur, nec alligarentur ad alias Mosaicas ceremonias, solum à suffocato, idolis immolato, & sanguine abstinerent. Hæc cum summa prudentia pro libertate Christiana passim doceret, simúlque videret Iudæorum furori cedendum in loco & tempore: vtiliter Timotheum circuncidit, quemadmodum contrà in loco & tempore vtiliter Titum non circuncidi passus est: quia hîc agebatur de libertate Christiana, quam Titi exemplo conseruare voluit: illîc non agebatur: ideò Timothei exemplo eidem nil nocuit.

Idem dicimus ad id quod caput rasit Cenchræis, & quod votum suscepit, & se purificauit Hierosolymis, Act. 21. Rectè inquam in loco & tempore omnia adhibita extra periculum scandali dati, & cum fructu & spe ædificationis. Nam in his factis semper docuit simul, nil illa derogare libertati Christianæ, sed pertinacia Iudæorum in auitis traditionibus ad tempus indulgendum, apud quos erat etiam depellenda calumnia, quòd legem non simpliciter vt impiam damnaret, sed Christo veniente illam honestè cum suis ceremoniis sepeliendam esse. Ideò inquit, se omnib. omnia factum, scilicet habito respectu maioris ædificationis. Sic Iudæis Iudæus

est

est factus radendo caput, admittendo purificationem, circuncidendo Timotheum, Ethnicis Ethnicus est factus non circuncidendo Titum, promiscuè vescendo, reprehendendo Petrum: quæ omnia præstitit magna prudentia & circunspecta consideratione, quid temporibus, locis, personis, causis vtilius foret ad promouendum cursum Euangelij. Qua circunspectione Petrus in hoc suo facto fuit destitutus, ideò errore quodam lapsus est &c.

DE OSCVLO PACIS.
LOCVS CXXIII.



OSCVLI vsus promiscuus est: nam bonis & malis in vsu fuisse & adhuc esse videmus.

Orta tamen consuetudo est à patribus iisdem vt apparet piis. Animus enim hominis sese aliquo symbolo cupit declarare in vtroque affectu, amoris scilicet & odij. Si quos detestetur animus, auersione vultus, demissione manuum, gesticulatione, similibúsque signis id prodit. Amorem verò declarat hilaritate vultus, porrectione manus, amplexu, osculo, &c.

Hinc omnibus ferè nationibus in vsu fuit. hinc Aug. lib. 1. quæst. supra Genes. cap. 87. ait cōsuetudinis fuisse in illa simplicitate antiquorum, vt propinqui propinquos oscularentur.

Persis consuetudo fuit, vt in congressu & digressu amicos oscularentur. Apud Xenophon. lib. 1. pædiæ, Medi Cyrum dimittunt more Persico osculatum. Ibidem quosdam familiares Cyrus etiam osculo dimittit: quod repetitur infra libro. 4. quòd Cyrus quendam cognatum sit osculatus. & libro quinto, Cyrus descendit de equo, & pro more Cyaxarem osculatur: & alibi passim. Romani quidem amicos obuios interdum osculo amplexi sunt: tamen erga mulieres cautiores fuerunt. Antiquitus moris fuit, vt explorandi causa darent osculum an temetum bibissent, quod refert Plin. lib. 10. cap. 13. ex Catone: & Athen. lib. 10. cap. 13. Alienæ autem fœminæ osculum inferre verbere dignum habitum est, vt etiam testatur August. de Ciuitate Dei, lib. 21. cap. 11. Etenim iudicabant non carere suspicione sinistri affectus, alienæ in collum ruere. Ideò mos ille salutandi postea rectè à Tyberio Cæsare edicto sublatus est.

Militare fuit, vt milites imperatoribus re fœliciter gesta, manus & genua oscularentur, forte Orientalium hominum imitatione.

Hodie Galli, Hispani, Itali, Belgæ, Germani inferiores morem istum retinent. Superiores tamen germanos eo abstinere video: molle est certè, & minimè vtile puellas iuuenculas osculo salutari, itaque mos minimè laudandus est.

II. Scriptura de osculo loquitur interdum propriè, hoc est, exprimens corporale osculum, quod ore infigitur, de quo in libello de anima Augustino tributo cap. 6. Corporale, inquit, impressione labiorum, certis & honestis horis conceditur, vt in reconciliatione, in pacis contestatione, communione Cœnæ, amoris professione, vt inter spōsum & sponsam, cùm aduena & hospes suscipitur, & in catholicæ vnionis signo. **Osculi diuisio secundū vsū Scripturæ.**

Hoc nos distinguamus in ciuile, & religiosum, vtrunque, honestum vel turpe esse potest.

De honesto & ciuili prius loquamur.

Illud est quod inter amicos fortè diu non visos primo congressu locum habet. vt Gen. 33. Esau fratrem Iacobum redeuntem ex Mesopotamia, diúque non visum, osculo excepit, Gen. 29. Iacob Rachelem salutat osculo. Exo. 18. Moses socerū suum excepit osculo. Tobiæ 7. Raguel Tobiam. Gen. 45. Ioseph omnes fratres. Luc. 7. peccatrix mulier Christi pedes deosculatur. Et Christus Pharisæo obiicit, quod primùm ingresso in domum eius, non dederit illi osculum. Erat igitur veri amoris contestatio inter bonos vsurpata in congressu. **In primo congressu.**

Deinde in digressu, amicos solebant osculo dimittere valedicentes. 1. Reg. 19. Elisa inquit, *Osculabor prius patrem meum & matrem meam, & tunc sequar te.* Gen. 31. Laban conqueritur Iacobum fuga sua non permisisse, vt osculari posset filios suos. Ruth 1. Orpha valedicēs, osculatur socrum suam. sic 2. Sam. 19. Dauid Barzillai dimittit osculo. Tob. 10. Raguel Saram filiam suam. Act. 26. Ephesini seniores Paulum postremò illis visum. Hinc vt plurimùm solēt addi lachrymæ in testimonium veri amoris. **In digressu.**

Accedūt alia simul, quæ testata volunt osculātes, reconciliationē. Dissidentes, facta reconciliatione testātur osculo depositam offensam, vt 2. Sam. 14. Dauid Absalomi seditioso filio recōciliatus, eundem osculo excepit. Luc. 15. pater prodigo filio reconciliatus recipit in gratiam. **3. Reconciliatio.**

Interdum est testimonium approbatæ virtutis, vt Darius Zorobabelem rectè de veritate disserentem, osculo complectitur. 3. Esd. 4.

Subiectionis etiam symbolum est, quod dixi de Persis, qui superiores adorationis specie & osculo manuum aut pedum salutabant, quod postea in Ecclesiam Christi irrepsit, vt pontificios pedes, mox calceos solùm oscularentur, etiam monachæ: qui honos Christo debebatur. Hinc Psal. 2. *Osculamini filium*, hoc est, expresso signo testemini, vos ei seriò subiici eúmque nō simulanter vos amare.

Alias veritatis explorandæ causa adhibitũ est vt Gen. 27. Isaac exploraturus Iacóbne esset an Esau qui paratos illi obtulerat cibos, ait, *Accede, & osculare me fili.*

Diximus de ciuili osculo, sequitur altera eius species, quam religiosum diximus osculum. Testimonium illud est communionis & consensus in eadem religione, contestatione etiam facta fraternæ dilectionis. Hinc dicitur osculum sanctum. vt 1. Corinth. 16 *Salutate vos inuicem osculo sancto.* 2. Corinth 13 *Salutate vos mutuo sancto osculo.* 1. Thess. 5. *Salutate fratres omnes cum osculo sancto.* 1. Pet. 5. Charitatis dicitur osculum: *Salutate vos mutuo dilectionis osculo.* Inter pios, sanctitatis & charitatis præcipua habetur cura: prioris, vt rectè erga Deum viuamus, nósque nulla impietate polluamus: posterioris verò, est cum proximo, vt decet professionem nostram, viuere.

Inde factum est, vt graui de causa in primitiua Ecclesia tempore Cœnæ Domini, præsentes mutuo oscula dederint. Quod enim in actione profitebantur, id confirmare volebant hoc symbolo, consensum scilicet & piam dilectionem. de quo vide Tertull. in Apolog. & Iustinum in 2. Apologia, vbi elegantissimus de hoc osculo legitur locus. inter cætera ait, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα.

Postea res in superstitionem abiit, cœperúntque homines osculari res externas, vt reliquias sanctorum, templi limen, calicem, patinam, aram, quo significarent homines, se his rebus aliquod vel numen, vel religionem tribuere: & vt olim simplicitatis fuerit, certè hodie magna est superstitio, ne dicam manifesta impietas. patinam Cœnæ osculantur, aram, reliquias defunctorum, imagines & similia, quæ cum scriptura defendi non possunt.

Nec excusat factum hoc, quod dicunt ἀδιάφορον esse. Primùm enim hoc falsum est, cum coniunctum sit cum idololatria: deinde magna subest hypocrisis: denique crassa & intolerabilis ignorantia.

Adde quòd eodem ore quo osculantur sanctos, Christi ac d. virgines imagines, eodem mox diris vocibus eosdem blasphemant: quod eleganter notauit D. Chrysostomus, Homil. 30. in 2. ad Cor. Videtis, inquit quod etiam vestibula templi huius osculantur, alij quidem flectentes, alij autem manu contingentes, & ori manum admouentes.

Per has etiam ianuas & portas ingressus est, & ingreditur ad nos Christus, quem communicamus. Scitis, qui mysteriorum estis participes, quid dicatur. Etenim non vulgarem honorem consequutũ est os nostrum, accipiens corpus Dominicũ: propter hoc maximè hoc osculamur. audiant qui furilia loquuntur, qui conuitia proferunt, & horrescant, quòd tale os polluunt.

Tertiò, aliquando vt de re turpi & impia loquitur. Inquit de osculo, Turpe, certum est, abusu reddi, quod dixit August. vt plerique, igni, aqua, ferro, cibo, & quæ naturalia bona sunt: in suæ crudelitatis & voluptatis satellitium abutuntur. ita peruersi & turpes hoc bono, sua flagitia condire nituntur ipsum osculum tanta turpitudine dedentes: ac si osculari nihil aliud sit quàm adulari.

Idololatricum specimé adorationis. Huc primùm referemus idololatricum, idolis oblatũ, imaginibus, reliquiis, de quo priùs diximus. Est enim huic coniuncta manifesta adoratio: nam vt ait Hieronymus, osculum adorationis symbolum est: qui enim adorant, solent manum osculari, quasi idem porrecturi idolo, si possent, vt cap. 9. Ezech. Idem Hieronymus probat ex Iobi cap. 31. signum esse adorationis. Nunquam aspiciens Solem & Lunam, nec osculatus sum manum meam: quo testatur Iob, se creaturas nunquam adorasse, quia illis nunquam dederit osculum manus suæ. Sed quid opus est verbis? hodie palàm adorant sanctos, quorum imagines, & reliquias osculantur. Adorationis cultus autem soli Deo debetur: hic solus inuocandus est tempore necessitatis.

Deinde huc refero hypocriticum osculum, quale erat Absalomi, 2. Sam, 15 qui inuasurus regnum Patris, osculabatur manus accedẽtium, hoc modo insinuans sese & captans gratiam popularẽ. 2. Sam. 20. Ioab occisurus Amasiam osculatur illum. Huc etiam pertinet Iudæ osculum proditorium, Matth. 26 Mar. 14. Luc. 22. De his pronuntiauit prudenter Solomon Prouerb. 26. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm oscula fraudulenta.*

3. Venerea. Tertiò, huc pertinent venerea, vt alienæ vxori aut puellæ imprimere osculum ardore venereo, verbere dignum indicauit antiquitas, & supra dixi à Tyberio graui edicto prohibitum fuisse. Contra talia disserit eleganter apud Xenoph. Socrat. lib. 1. Apomnimon. phalangij serpẽtis morbum habere asserens: & in symposio grauiter hortatur vt abstineant à formosorum osculis, quibus insit vis magna, non minùs quàm in venereis.

Spiritualiũ osculum. 1. Deus nos osculatur. Luc. c. 15 Præter illa oscula aliud osculi genus deprehenditur, quod non fit oris attactu: sed mentis affectu, vt ait August. Tribuit hoc genus scriptura partim Deo, partim nobis, partim rebus aliis. Singulorum breuiter perstringamus quædam exempla. Deus nos osculari dicitur, cùm nos consolatur verbo gratiæ ad spem veniæ. Sic per allegoriam, Patres interpretantur osculum Patris filio prodigo datum apud Lucam. vt Aug. lib. 2. quæst. Euan. cap. 33. Osculari hoc sensu nihil aliud est quàm consolari peccatorem certa spe remissi peccati.

Sic Ecclesia vetus clamabat Cantic. 1, *Osculetur me osculo oris sui.* quod Hier. ad Dard. interpretatur de præsentia Messiæ in carne, q. d. Ecclesia, quandiu per Mosen & Prophetas me consolatur? veniat ipse tandem Messias, & assumpta carne, ipse me consoletur.

Sic eundem locum interpretatus est Origenes in Canticis, vt testis est Hieron. in versione commentarij illius. Hoc modo in dies osculatur pœnitentes, quoties per Spiritum sanctum certos illos reddit de remissione peccatorum. Nobis verò tribuitur rarò in scripturis. Psalm. 2. Iubemur osculari Filium, hoc est, Messiam agnoscere Dominum ac redemptorem nostrum, cui seriò velimus adhærere. In Spiritu igitur illum osculamur ardenti pectore, inuocando, confitendo, rebus omnibus etiam charissimis præponendo. Deinde in pauperibus etiam exosculamur illum, hoc est, amplectimur eos Christi amore. His enim quicquid tribuimus, sibi interpretatur factum esse. Osculum dilectionis huc spectat.

2. Nos Christũ osculamur.

Tertiò, rebus aliis tribuitur ad declarandam summam pacem ac consensum. vt Psalm. 85. Dauid volens exprimere fœlicissimum statum in rebus humanis, ait, Iustitia & pax se osculatæ sunt. Hoc est, summa rerum est tranquillitas: summa pax est in Repu. summus consensus in religione: summa cura fraternæ dilectionis. Atque his modis scriptura de osculo loquitur, quos si rectè intelligimus, non parum ad scripturæ sensum conducet.

DE FERMENTO.

LOCVS CXXIIII.



APVD Marc. cap. 8. Christus fermentum Pharisaicum vitare iubet suos discipulos: quam sententiam, vt alia multa, primitus malè interpretantur, quia panes non acceperant. Verùm Christus de doctrina Pharisaica sermonem suum interpretatur. Ac quia fermenti in sacris literis crebra est mentio: in vsu etiam publico magna commoditas, pauca de eius vsu in præsentia proferam, quæ fortasse ad locum hunc præsentem non erunt δὶς διὰ πασῶν ἀπροσδιόνυσα.

Fermentum à feruore dici placet grammaticis, nam feruendo crescit nec ipsum solum: sed massam cui conspergitur turgidulam & exuberantem suo flatu efficit.

Fermentum.

Non dissimili ratione Græcis dicitur ζύμη & ζύμωμα fermentum & fermētatio. quæ verba ζέσιν quandam videntur significare. Nam græci panem fermentat[...] non solùm scribunt ἄρτον ζυμίτην sed etiam ζημίτην. vnde apparet ζέω & ζύω verba olim in vsu fuisse quæ idem significarent. accedit natura fermenti quæ feruorem habet ex putredine natum. quare non est absonum putare ζύμην prima origine à ζέω vel ζύω desumi, hinc ζύομαι, inde ζύμα, ac de nomine nouum effectum verbum ζυμόω. Vnde ζύμωμα. significant autem posteriora conspergere, miscere. ζυμόω, hoc est, μάττω & φύρω. Hinc fit vt ζύμη non solum fermentum, sed aliquando φύραμα, hoc est, conspersionem significet. Et propriè quidem est ζύμη *der hebel* προζύμιον quibusdam dictum. φύραμα autem μεμιγμένον ἄλευρον, *der gantz theig.*

Ζύμη à ζέω dicitur, prouerbium ζεῖ χύτρα ζῇ φιλία.

Hebræi ab aciditate *chametz* appellant: nam eadem voce & fermentum & acetum vini exprimunt, & in commentariis aliquando *surah* dicitur, quæ vox etiam Germanis acorem sonat *sur*, quæ est & in aceto & in fermento qualitas. Arabes medici *chomer* vocant ab intumescendo & calefaciendo. Pandectarius Sparsum appellat. D. Hieronymus author est, decimam mansionem filiorum Israel in deserto Sin, dictam *elosch* à fermento: de qua scribens ad Fabiolam ait, post esum carnium, manna tribui, implerique scripturam: panem Angelorum manducauit homo. Verùm dictio *elosch* potius φύραμα sonat, quàm ζύμην. nam *lusch* eius radix est, quæ significat farinam spargere, miscere, tractare massam & subigere.

Fermenti naturam medici optimè explicant, inter quos Galenus libr. 6. de Simplic. med. facul. sic eã exprimit, Ζύμη λεπτομερής ἐστι, καὶ μετρίως θερμὴ, διὰ τοῦτο τοίνυν ἀλύπως τε καὶ ἀδήκτως ἐπισπᾶται τε ἅμα τὰ ἐκ τοῦ βάθους, καὶ διαφορεῖ μέμικται δὲ ἐξ ἐναντίων ἡ ἥδε δυνάμεων. ὥσπερ καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ γὰρ ὀξύτητος μετέχει ψυχρᾶς, καὶ σηπεδονώδους θερμότητος, καὶ προσέτι τῆς ἀπὸ τῶν ἁλῶν, καὶ τῆς ἀπὸ τοῦ ἀλεύρου κατὰ φύσιν. In quibus verbis obserua fermenti naturam. Primùm est tenuium partium, λεπτομερὴς hinc vi quadam insensibili penetrat & inficit totam massam: deinde mediocriter calidum est. μετρίως θερμὴ ἡ ζύμη. qualia sunt in primi gradus initio calida, tepida aliàs dicuntur, nec calida nec frigida. Tertiò contrariis pollet facultatibus, primùm aciditatem habet frigidam, deinde caliditatem putridam. Quartò salsedinem etiam habet mordentem, demum adiuuatur farinæ natura cui aspergitur. has proprietates in collatione cum doctrina falsa erit vtile obseruasse. Eodem modo reliqui fermè naturam fermenti persequuntur: quos non est necessum verbotim euoluere.

Veteres fermentum in annuum vsum comparabant, aliàs ex tempore. In annuum vsum ex milio subacto è musto: aut ex tritici furfuribus, optimis & minutis, è musto albo, triduo maturato subactis ac sole siccatis.

Confectio fermenti & vsus.

Plinij tempore fiebat fermentum ex ipsa farina quæ subigebatur, priusquam adderetur sal ad pultis modum decocta, & relicta donec acesceret: vulgò verò (ait) nec suffereuefaciunt: sed tantùm pridie asseruata materia vtuntur.

Hæc ratio hodie quoque seruatur:nam ex priori materia panificij aceruatur portio, quæ acescit ac farinæ admiscetur in proximo panificio. Loco fermenti pistores lupulo aliquando vtuntur,flatuosus enim est & massam excitat:sed grauedinem & dolores capitis ciet, ideóque legibus prohibetur in locis multis.

In Geoponicis Constantini lib. 2.cap. 33.alia monstrantur quæ pro fermento reponi possint:& quosdam ait panes conficere sine fermento νίτρον ἐμβάλλοντας.Nitrum enim panes vt & carnes facit fragiliores ψαθυρωτέρους quod dicimus *murber.*

Alij vuas in aquam immittunt, pridiè antequam panes conficiant, quas postridie fluitantes reperiunt,tollunt,ac comprimunt,ac cum humido illo fluore pro fermento vtuntur: hinc panes conficiunt ἡδίους καὶ λαμπροτέρους,hoc est,suauiores & elegantiores.

Verùm ista ἀντιβαλλόμενα sunt & vicem fermenti supplent. Ideóque panis hinc confectus ζυμίτης dicitur, qui præstantissimus est & optimi nutrimenti. Vnde Plinius ait validiora esse corpora quæ fermentato pane alantur, quippe cùm apud veteres ponderosissimo cuique tritico præcipua salubritas perhibita sit.

Alij scribunt ζημίτην ἄρτον etiam,vt pateat nomen à ζέσει,hoc est,feruore,apud Græcos etiam deriuari.Sed cùm voces penitiùs inspicio,in eam venio sententiam, vt putem ab Hebræis dictionem defluxisse ad Græcos:illi vt iam diximus *chametz* dicunt, quam vocem si à sinistra ad dextram Græco & Latino more legas, habebis zemach. hinc facilè deriuabis ζύμην & ζήμην Panes qui fermento carent,ἄζυμοι dicuntur,quibus Iudæi in festo azymorum vtebantur: de his extat lex Exodi 12.*septem continuis diebus fermentatos panes eliminandos.* hinc Suidas ait quòd ab hora sexta diei 14.mensis primi, ad clangorem tubarum fermentati panes ζυμῖται ἄρτοι qui Iudæis reliqui erant,igni concremabantur.

Non solùm apud Iudæos,sed gentes quoque panis azymus in festis adhibebatur.

Ex quo colligere licet fermentatum panem publicum fuisse & profestum,azymum autem in solennitatibus fuisse adhibitum.Nec id solùm apud Iudæos,sed gentes quoque.Nam Galenus lib.1.de alim.facult.de azymis inquit,Panis purè azymus nulli est vtilis, etiā si caseus admisceatur,quemadmodum apud nos in agris parare solent hi qui festa celebrant.quibus verbis indicat circa Pergamum Asię rusticos etiam azymo vsos pane diebus festis,ac quare apud Hebręos fermentum eliminari debuerit,deinceps dicemus.

Azymi plus dicuntur nutrire,peioris tamen sunt alimenti,vt Galenus aliique affirmant.Sed ad fermentum nos referamus.

Videamus igitur in quo vsu sacræ literæ fermento vtantur.Primùm propria est eius significatio,vbi Scriptura de festis aut sacrificiis loquitur:de feriis & festis,vt Exod.12.23. Deuter.16. de festo Paschatis iubet omne fermentum eliminare:de sacrificiis autem,vt Exod.34. *Non mactabis super fermento.* Leuitici 2.vers.11.*Omne munus quod offertur Domino,non facies eum fermento.* Leuit.7.in sacrificio pacifico azymis panibus & reliquis ibidem expressis,additur placenta fermentata.Leuiti.7.*Aaron cum filiis suis azyma comedere debet.*additur,*Non pinsetur fermentū.* Luc. decimo tertio,propria est eius significatio in similitudine mulieris quæ fermentum miscet in farinæ sata tria,donec fermentetur totum,&c.

Fermētū pro doctrina sana.

2. Deinde translato sermone sumitur pro doctrina bona.vt Matt.13.applicatio similitudinis vim & ingenium bonæ doctrinæ indicat.Fermento confertur doctrina,quòd præter expectationē hominū pectora inflammet, nouo sapore imbuit, idoneos reddit ad vitam æternam.

Nam sicut panis azymus mali est nutrimenti, & ad venerem magis incitat, ex variis item componitur,vt melle,caseo,tritici farina, aliisque,vt reliqua τέμματα, panis verò fermentatus laudatior est,succi melioris,vires melius reficit,simplicior conficiendi ratio. Ita doctrina sana per omnia simplicior est,spiritum reficit,in Deo verò verè alit:cùm interim falsa doctrina consutilis sit ex variis dogmatibus & opinionibus: ad libidinem & licentiam fenestras aperit. Per veram doctrinam Deo fermentamur:per falsam Satanæ & mundo.

Fermentum pro pernicio sa doctrina.

Tertiò,perniciosam etiam doctrinam significat vt Mar. 8. *Cauete à fermento Pharisæorum & à fermento Herodis.*Matth.16 *Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Luc.12. *Cauete à fermento Pharisæorum,quod est hypocrisis:*quibus locis omnibus doctrina falsa taxatur. Pharisæi & Sadducæi totam doctrinam de religione conuerterant in quęstum priuatum,& opera hypocritica:ideóque toties hypocritæ à Christo appellātur, & templum pollutum repurgat Christus, vt cōstaret illa opera minimè placere Deo.Herodes autem assentatores alebat, à quibus publicè habebatur & prædicabatur tanquam Messias:has impias laudes ferebat rex per se impius & scortator.ideò Christus omnes istas coniungit,ac totam illorum doctrinam fermentum vocat hypocrisin.Sic ad Gal.5.Apostolus ait,*modicum fermenti totam conspersionem fermentat:*quæ sententia etiam de doctrina falsa accipi debet.Nam falsi quidam doctores Galatis conabantur denuò obtrudere circuncisionem,aliásque ceremonias legis:hanc doctrinam grauiter refutat ibi Apostolus,Ecce inquit,si circuncidamini, Christus nihil vobis proderit,&c.ac tādem illā subiecit sententiam de fermento,notans pestem & corruptelam falsæ doctrinæ.

Quartò,ad mores quoque corruptos & conuersationem cum malis taxādam adhibetur. vt 1.Cor.5.vbi iubet illum incestuosum hominem excommunicari,subiicit argumentum à metu maioris damni,quòd ex illius conuersatione accipere poterant, *Annescitis, quod modicum*

fermenti,

fermenti, totam massam fermentat? quasi dicat, vt fermentum massam quãtumuis magnam nouo sapore imbuit: ita conuersatio cum homine tam impio & dissoluto, mores vestros corrumpet, multos suo exemplo dissolutiores efficiet: quare danda est opera *vt excommunicetur ad interitum carnis, vt Spiritus saluus fiat*: tale est quod alibi habet Apostolus, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.*

Similitudo fermẽti cũ moribus corruptis.

Quintò fermentum veterem & corruptam naturam significat, in qua regnat consuetudo peccandi, malitia & ipsa improbitas, adeóque mera ingenij humani prauitas & corruptela: vt in eodem cap. 5. prioris ad Corinth. Nam cùm indicasset damni magnitudinem, quod ex conuersatione tanti sceleris impuniti, nasci poterat: mox infert exhortationem ad nouum vitæ genus, in quo regnet veritas, innocentia, synceritas. Ac veterem illam naturam peccatricem, iterum fermenti metaphora taxat. *Expurgate igitur vetus fermentum, vt sitis noua cõspersio, sicut estis infermentati*: quo loco vetus fermentum corruptam naturam & peccatricem significat, quam appellamus veterem hominem. Noua autem conspersio, homo renatus est secundum Deum: in quo abesse debet fermentum vt in panibus azymis. Hinc idonea est illa ratio ab agno Paschali sumpta, qui celebrabatur cum panibus azymis sine fermento. At Christus ille agnus est: ergo Christi sectatores fermento illo veteri carere debent: sed & ipse Apostolus explicat, ac vetus fermentum κακίαν & πονηρίαν appellat: quibus opponit εἰλικρίνειαν & ἀλήθειαν. Quod alibi facit scriptura cùm nouum & veterem hominem opponit, aut peccatricem naturam & renatum hominem.

Sextò, fermentum pro dilectione interpretatur D. Augustinus, lib. 1. quæstion. Euang. citans locum Luc. 13. *Mulier fermento accepto, miscet illud in farinæ sata tria, donec totum fermentetur*: mulierem interpretatur sapientiam, fermentum dilectionem quòd feruere facit & excitat: sata tria, illa tria, ex toto corde, ex tota anima, & tota mente: vel illa tria fructifera, centenum, hexagenum, & tricenum: vel tria illa genera hominum, Noë, Daniel, Iob, &c.

Verùm remotior est illa sententia: ac dixi priùs in illa similitudine, fermentum primò accipi propriè, quatenus simile ab opere pistorio desumitur: deinde in applicatione accipi de doctrina Euangelica: nam de regno Dei loquitur Christus, cuius vim & naturam hoc simili voluit illustrare.

7. Eodem pacto fermentum interpretatur Augustinus de superbia, lib. 3. contra epistolam Parmeniani, citans locum illum 1. Cor. 5. de quo iam diximus. Verba Augustini sunt, Superbia quippe velut ex vetustate primi hominis, qui superbia lapsus est, quasi fermentata & corrupta mente facit elatos in vnam conspersionem qui sibimet in eam simili iactantiæ vanitate consentiunt, &c. Quid de eo loco sentiamus diximus iam priùs: nimirum Apostolum fermentum accipere pro corruptela morum, deinde pro veteri natura deprauata. Significat igitur fermentum illa de quibus diximus, doctrinam, eámque aliàs bonam, aliàs corruptam: corruptelam morum, & naturæ prauitatem.

Fermẽtum quatuor significat.

Quæ sunt eo diligentius obseruanda, quòd his insit contraria significatio: alia enim ratio est, cur regnum cœlorum dicatur fermentum: & alia cur doctrina Pharisæorum sit fermentum: sic leo de Christo prædicatur, *vicit leo de tribu Iuda*, & de diabolo, *qui circuit vt leo, quærens quem deuoret*. de quibus vide August. de doctrina Christ. libro 3. cap. 25.

Porrò in his loquendi formis, quibus doctrina mala, mores item, & ingeniorum prauitas, fermentum appellantur, subest concinna & suauis metaphora.

Analogia Fermenti & doctrinæ.

1. Nam vt fermentum miram habet vim inficiendi & corrumpendi massam: sic doctrina mala fœliciter serpit & sese insinuat. hinc λεπτομερὲς suprà diximus ab Galeno dici: quę tenuium partium sunt, facilè penetrant.

2. Deinde fermentum calidũ & frigidum est: nam μετρίως θερμὴ ζύμη dicitur. sic falsa doctrina ita comparata est, vt nec calidam nec frigidam dicere possis, in quasuis sese formas etiam hypocrisis potest commutare.

3. Præterea acidũ est, hoc est, ingrati & frigidi saporis: quæ est ὀξύτης ψυχρά, apud Galen. sic frigidos efficit homines falsa doctrina in amore Dei, in vera adoratione, in bonis ac verè iustis operibus: hinc acesunt homines in conspectu Dei.

Quartò, putrida est illius natura: nam ex corruptione nascitur fermentum, & in illa putredine nouum concipit calorem ebullientem, quæ est θερμότης σηπεδονώδης: quæ non malè quadrant corruptæ doctrinæ. Putridum est in illa quicquid extra verbum Dei affert: quicquid eidem verbo Dei repugnat: hinc corrupta & falsa dicitur. Et in erroribus inest etiam quidam zelus, hoc est, feruor: quod de Iudæis fatetur Apostolus, *Zelum habent, at non secũdum scientiam*: hanc æmulationem contra Christum testati sunt & contra Apostolos, vt testantur noui Testamenti scripta.

Quintò, salsedinem etiam habet, hoc est, acrimoniam quandam, quæ in falsa doctrina est efficacissima.

Sextò, nouo sapore imbuit totam massam: sic à Christo & simplicitate fidei auertit homines hypocrisis & falsa doctrina.

Septimò, latenter id efficit: non facilè sentitur malum corruptelæ donec bonam partem

corruperit:id hæreſes omnes teſtantur, non videntur corrumpere: ſed corrupiſſe demum deprehenduntur:non creſcere ſed creuiſſe eas deprehendimus: quod de fermento eleganter dixit Galenus, ἀλύπως, καὶ ἀδήκτως ὑπαγάγεται καὶ ἐκ βάθους διακορεῖ, hoc eſt, ſine dolore & morſu euellit & funditus repurgat.

Octauò, inflatam & tumidam efficit maſſam: eſt proprius etiam comes hypocriſeως ſuperbia, & ſupercilium, arroganter de ſe ſuiſque ſentire, quale erat in Phariſæo Lucæ 18. *Non ſum ſicut publicanus iſte.* & Matth. 11. Chriſtum calumniantur quia eſſet amicus peccatorum & publicanorum, Luc. 15 dicunt quia hic peccatores recipit:iſte tumor & perſuaſio de propria iuſtitia fluit ex hac fermenti natura.

Hæc analogia explicari poterat copioſiùs, & ſacri ſcriptores eam ſtudioſè obſeruarunt. D. Hieronymus in epiſt. ad Gal. cap. 5 eleganter confert naturam fermenti, cum doctrinæ corruptela. Verba eius ſunt, Scintilla res parua eſt, & penè dum cernitur, non videtur: ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimento ſui quamuis paruus ignis, inuenerit, mœnia, vrbes, latiſſimos ſaltus, regionéſque conſumit. Fermentum quoque cuius ad aliam partem in Euangelio, parabola temperata eſt, res modica videtur & nihili: ſed cum farina cõſperſum, totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim tranſit omne quod mixtum eſt. Ita vt doctrina peruerſa, ab vno incipiens, vix duos aut tres primùm in exordio reperit auditores: ſed paulatim cancer ſerpit in corpore: & iuxta vulgare prouerbium, Vnius pecudis ſcabies, totum commaculat gregem. igitur & ſcintilla ſtatim, vt apparuerit extinguenda eſt, & fermentum à maſſæ vicinia ſemouendum, ſecandæ putridæ carnes, & ſcabioſum vel à caulis ouium repellendum: ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrũpatur, putreſcat, intereãt. Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt: totũ orbem eius flamma populata eſt.

Sic idem Hieron. in cap. 16. Matth. Fermentum hanc vim habet, vt ſi farinæ mixtum fuerit, quod paruum videtur creſcat in maius, & ad ſaporem ſuum, vniuerſam conſperſionem trahat. Et doctrina hæretica, ſi vel modicam ſcintillam in pectus tuum iecerit, in breui ingens flamma ſuccreſcit, & totam hominis poſſeſſionem ad ſe trahit.

Supereſt quæſtio illa, cur in ſacris toties excludat Dominus fermentum, vt eſt videre Exod. 12. Deut. 16. Leuit. 2.

In ſacris & feſtis Iudæorũ non ſemper fuit prohibitum fermẽtum.

1. Reſpondent alij, ſimpliciter non eſſe prohibitum. Nam certum eſt quòd Leuit. 7. in ſacrificio pacifico addatur placenta fermentata: ſic Leuit. 23. in feſto Pentecoſtes panes fermentati offeruntur in ſacro. Quare dicũt in aliis ſacrificiis prohiberi, quod in certis admittatur & præcipiatur. deinde prohiberi in his quæ ſuper altare Domini debebant incendi, non autem vt offerantur ſacerdoti, qui fermentatis etiam panibus vtebatur ad vſum carnium.

2 Lyranus alibi ait ideò prohiberi fermentum in ſacris Iudæorum, quòd gentes in ſuis ſacris vterentur eo: quæ ratio non eſt ſatis firma, nam ſale etiam vtebantur gentes & farina, quæ tamen Deus in ſuis ſacrificiis non reiecit: nota ſunt Numæ ſacra quæ mola ſalita fiebant, ac ſine ſale nullum cenſebatur iuſtum ſacrum.

Quæ in altari adolebãtur Domino, fermẽto carebant.

Quare tenuior eſt illa ratio, quàm vt præſenti poſſit ſatisfacere quæſtioni: ſuperior etiam non plena. Nam vt demus certas ob cauſas ad vtilitatem ſacerdotum admitti fermentatos panes, ac in his ſolùm prohiberi quæ in altari adolebantur Domino: manet tamen quæſtio, cur in his igitur tam ſeueriter prohibeat, vt anima etiam delenda ſit de populis ſuis, quæ fermentum in certis ſolennitatibus domi ſuæ retinuiſſet. Placet hîc ſententia Origenis, qui in cap. 28. Numer. ait, hanc intelligentiam non dignam eſſe diuinis legibus, vt animam, quam ad ſui ſimilitudinem formarit, velit exterminari pro fermento, ſi quid illius fortè retinuiſſet: ſed ſi malitiæ, ſi iræ, ſi nequitiæ ſpiritu infermentaretur anima.

Quę ſententia Origenis non debet intelligi, quaſi lex de eliminando fermento non debuerit ſeruari à Iudęis etiam ad literam. Voluit enim Deus populum hunc in diſciplina & pędagogia conſeruare, idque adeò ſtrictè vt interdum pro tenui in ſpeciem delicto, grauiſſima ſit irrogata pœna, quemadmodum ei, quòd in Sabbato collegiſſet ligna: & qui furto quædam ſubtraxerat morte plectitur, cùm furtum apud Moſen non ſit capitale.

Sed voluit admonere Origenes his ceremoniis adumbrari quædam altiora, ad quę nos Scriptura reuocet.

Quare Dominus ex ſacris Iudæorum fermẽtũ eliminãdum voluerit.

Ratio igitur prohibiti & eliminandi fermenti ex ſacris illa eſt, vt intelligeremus damnari à Deo veterem naturam: idque in ſolidum, adeò vt niſi planè eliminetur, & noua reddamur conſperſio, fieri non poſſe vt Deo placeamus: ideóque rectè vetus fermentum corrupta dicitur natura, qualis nobiſcum naſcitur.

Pręterea adumbratum fuit iſta eliminatione fermenti, quale futurum eſſet, illud verum ſacrificium Dei, quòd vnicè placeret patri Deo: nimirum ſincerum, purum, & integrum, ſine tumore, ſine putredine, acore, ſine inani flatu, quæ in fermenti natura ſunt. Venit enim filius Dei in ſumma humilitate & integritate, nulla ſuperbia, nulla hypocriſi, nullo acore laborans. Ideóque in feſto Paſcharis pręcipuè expurgandum erat, in quo typus erat Chriſti veri agni Dei.


Interea fermentum ſuum locum interdum obtinebat in ſacris, quo adumbratum fuit, boni fermenti natura, quod miſceri debet in mundo vt fermentemur Deo, tanquam ſapidus panis.

Orige-

Origenes in cap. 7. Leuit. eleganter ait fermentum non assumi ad sacrificium quidem: sed ad sacrificij ministeriū: & fermentū interpretatur humanas artes qualis est Grammatica, Rhetorica, Dialectica: ex quibus doctrinis, ad sacrificium quidem nihil sumi debeat, hoc est, quid de Deo sentiendum sit inde peti non debet. Sed dilucida ratio docendi & eloquentiæ splendor, & disputandi ratio ad ministerium verbi Dei decenter iubetur admitti: sic de fermento Græcorum Paulus multa protulit: & de spoliis Ethnicis ornata est Ecclesia, &c.

DE DELATIONE.

LOCVS CXXV.



DELATOR Græcis μηνυτὴς & μηνύτωρ dicitur, hinc μήνυμα & μήνυσις, indicium, delatio. Significat autem verbum μηνύειν secreta & occulta patefacere. Macrobius lib. 7. cap. 3 videtur non rectè διαβολὴν vertisse delationem, cùm διαβολὴ sit criminatio: quæ semper est in vitio, contrà verò delatio, iusta & pia esse potest. Apud Hebræos *Rakil* ferè est delator, qui quod ab alio audit vel videt, alteri defert: hinc *Rekiluth* delatio, diffamatio. Dauid in psalmis talem vocat in malam partem, virum linguæ vel linguacem. psal. 140. ver. 11.

Latini deferre aliquem vocarunt, & nomina deferre, hoc est, indicare damnãdos & proscribendos. Hinc delator, idem qui & index: hinc deferre vocem alicuius, hoc est, quid quis dixerit. Cic. pro Milone, quam vocem eius (Clodij) ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit: dixerat autem Clodius triduo vel ad summum quatriduo Milonem periturum.

Delatio igitur species est accusationis, à qua in eo differt: quòd delatio clàm fit & absente reo, cùm accusatio etiam fiat præsente reo & palàm. Deinde versatur circa secreta, tanquam propriam materiam, quemadmodum taciturnitas virtus est circa secreta tacenda: sic delatio honesta circa secreta aperienda. Euripides respondebat multa arcana in ore suo computruisse, ideò malè olere: tacuerat amicorum secreta: delator autem ea aperit. Causa impellens varia est, alij spe lucri deferunt, quales olim infames habebantur: alij odio & inuida incitati: alij denique honestate rei commoti, vt scelera puniantur, & reprimantur mali.

Statuamus igitur hanc illius definitionem.

Delatio est, accusatio clam facta, dicta factáve alterius patefaciens, studio corrigendi peccatores, aut imminens periculum cauendi gratia.

Definitio honestam definit delationem, quæ non solùm priuatis, sed publicis etiam rebus est necessaria. Ac esse quandam honestam delationem hinc constare potest.

Primùm, quòd nomen ipsum medium sit, adeò vt cadat in bona & mala. Deferimus enim rem ad Senatum, deferuntur peccantium scelera magistratui. Homicidium factum est noctu, res defertur ad ordinarium magistratum: si accedant argumenta suspicionis non tacentur, vt homicida prodatur. Deferre igitur in bonam partem etiam sumitur, itaque & delatio aliqua honesta erit, ex vi coniugatorum. Sic Græcis verbum μηνύειν significat in genere patefacere aliquid certo quodam indicio & argumento. Vt in illo Aristotelis, ὑπεροχὴ δοκεῖ μηνύειν ἀρετὴν, excellentia indicat virtutem.

Deinde cognatæ species idem satis probant. Exploratio quædam iusta est, bellum quoque iustum esse potest, & accusatio, & censura de moribus & vita, itaque & delatio. Quod enim exploratores in hostium faciunt castris, in hostili exercitu, aut terra inimicorum, vt suis aditum ad victoriam patefaciant legitimis mediis: idem delatores in Repub. & pace esse possunt. Iosua exploratores misit Ierichuntem, quos iuuit Rachab. Et domus Ioseph similes misit ad Luzam vrbem. Moses quoque misit in terram Canaan: quos tamen nemo reprehendit. Simile iudicium de delatoribus esse debet. Nam hi in pace ciuium mores obseruant, vt illi hostium consilia explorant.

Preterea magistratui licet saluo honore & dignitate tales submittere, per quos sciãt quid singuli agant, quid moliantur, qui boni, qui mali sint. Non igitur mox quilibet delator malus est.

Alia quoque vitæ genera, vtiliter & honestè vtuntur exploratoribus: vt in re domestica paterfamilias, vt perspectos habeat mores suę familię. Preceptor inter discipulos habet Coryceos, qui reliquorum obseruant negligentiam. Dux belli suos habet exploratores, vt iam diximus.

Sacræ etiam literæ huius rei honestissima narrant nobis exempla. Gen. 37. v. 2. Ioseph Iacobo patri detulit infamiam malam fratrum suorum, hoc est, mores improbos, ob quos familia Iacobi malè audiret apud vicinos. Act. 23. Nepos Pauli defert coniurationem Iudæorum in necem Pauli factam ipsi Paulo, & mox tribuno militum 2. Sam. 16. Dauid fugiens faciem Absalonis filij, Hierosolymis reliquit exploratores Chusai, Zadok & Abiathar, qui consilia Achitophelis non solùm infringunt, sed omnia negotia Absalonis ad Dauidem deferunt. Et 1. Sam. 19. Ionathan defert consilia Saulis ad Dauidem, 1. Sam. 2. Heli audit scelera filiorum suo-

rum per certos homines. & 1. Corinth. 1. Paulus testatur per domesticos Chloes ad se delata dissidia & peccata Corinthiorum. Quæ exempla satis testantur non solùm in loco honestum esse vti delatoribus: sed etiam sanctos & pios viros officij ratione alios interdum deferre nominatim, vt consilia illorum detegantur, & alij possint pericula imminentia cauere: similia quoque his passim occurrunt.

Res certè ipsa clamat honestissimum esse, & laudatissimum, honesta vti proditione. Sæpe enim totæ Respub. vnius indicis opera conseruantur. Basilea oppressa miserè fuisset à coniuratis quibusdã malis ciuibus, nisi præueniens index rem detulisset. Sic Tigurum, & aliæ ciuitates: vt vetera prætercam.

Et cùm accusatio criminum sit res honesta ac licita: modò fiat ratione debita & secundum pietatis regulam: non obscurum est deferre peccatorem rem esse honestam, vtpote illius speciès: modò eam adhibeant moderationem, ne innocentes deferant.

Ac non semper in vitio esse delatorem iura ciuilia etiam agnoscunt, de quo lib. 1. Tit. 6. de Episcopis & clericis. L. 28 sic scribitur: nec delatoris nomen suspicionémque formident: cùm fides atque industria eorum tam laude, quàm honestate non careat, ac pariter pietate: cùm veritatem in publicas aures in lucémque deduxerint. Et digest. Tit. 14. lib. 11. de iure fisci, delator etiam non probans, non tamen statim infamis est, vt si non præmij consequendi causa deferat: si Reipub. nomine: si ad sui defensionem alium nominet, qui illo tenetur crimine: de quo vide cod. libr. 12. de delatoribus.

Lege Papia illis etiam præmia erant constituta, dimidium scilicet de bonis reorum: quæ postea correcta fuêre ab Imperatoribus, & per legem Iuliam, cùm spe consequendorum bonorum optimi quíque accusarentur.

Quæ vt approbamus: ita huic instituto non obsunt, cùm asserimus speciem aliquam delationis esse honestam & vtilem: aliam perniciosam & turpem in omni hominum vita.

II. Diximus quid sit delatio, & eius speciem quandam esse honestã ac licitam: audiamus quoque quæ illa sit, vt constet non quiduis concedi hoc titulo.

Honestam faciet delationem finis agentis, qui in definitione est expressus. Nam si index alium deferat corrigendi causa & emendandi peccatoris nomine, vtique extra vitium delatio est. Christus enim iubet contumacem peccatorem indicare Ecclesiæ, vt fiat corrigibilis. Et Apostolus vult controuersias fidelium ad fideles deferri, ne coram Ethnicis cum offendiculo litigarent. Nec læditur hîc regula charitatis. Nam qui clam peccat, clam moneri potest: sin non emendetur, ratio pietatis postulat, vt ad superiores deferatur, vt peccatis resistatur maturè, vt vbi peccatum cœpit, ibi commoriatur. Sic Ioseph detulit fratres suos vt à parente Iacobo emendarentur, qui per Iosephum emendari non poterant. Sic in Ecclesia vtilis est ministris cognitio auditorum, quo vitio singuli laborent, vt taxari possint & corrigi. Sed & illis opus est prudentia, ne prodant magis quàm corrigant delinquentes.

Deinde etiam hinc apparebit honesta: si fiat causa vitandi ingens aliquod periculũ. Vt cùm piis insidiantur mala, consilia per notas deferri possunt. Sic nepos Pauli in Act. 23. detulit coniuratores in necem D. Pauli. Quod factum non solùm ius consanguinitatis excusat: sed studiũ pietatis & amor erga proximũ, cuius innocentia omni opera debet vindicari. Simili casu honesti ciuis est patriæ salutem procurare, & seditiosos ciues contra libertatem patriæ & pacẽ publicam deferre. Huc faciunt quæ apud Iurisconsultos extant: si non consequendi præmij spe faciat: si Reipub. nomine: si sui defendendi nomine: vt si bonus vir in suspicione sit homicidij, norit autem verum authorem. Postulatur publicè ad sui defensionem, concessum est illi indicium facere rei. Iurisconsultus talem affert casum, si ab officialibus aliquis accusetur, illum fundum seu domum fisci possidere: non se, sed alium eius rei possessorem esse monstrauerit.

In hac causa prudenter est vigilandum ipsis Magistratibus, qui talium opera vtuntur, vt hoc non cuiuis committant: sed quorum fides & integritas spectata est. Quemadmodum præceptor Corycæos non ex corruptis constituit discipulis: sed integris, probis, & diligentibus: & paterfamiliàs fidissimis suis hoc concedit.

Deinde vt delatos quoque non mox damnent: sed probè compertos, ac veritate cognita. Nam sæpe per errorem boni deferũtur, quos cognita veritas postea excusat & tuetur: qua in re boni sæpe principes diligentes fuerunt: quod de Vitellio scribunt, Antonio Pio, Vespasiano, alíisque. Et Domitianus ita solers erat, vt delatoribus ordinaret animaduersores, adeò vt delator delatorem timeret.

Nec semper admittendi sunt, nec in quouis negotio, nec contra quosuis. Nam assentatorũ turba hoc titulo se palliare solet, quasi salutaria soli nuntient, & pro vtilitate communi inuigilent. Constantius Imp. omni tempore solebat admittere delatores, & Tiberius Imp. nulli fidem derogabat qualiacunque referret. Fortè quòd vitæ timerent, & quia plurimos læserãt: ne tandẽ talionem reciperent, quod tyrannis vsuuenire solet: nec enim satis cauti esse possunt & perspicaces. Dionysius tyrannus Prosagogidas habebat passim dispositos, qui omniũ dicta & facta referrent ad ipsum: sed diuina tamen vltio illum deprehendit tandem. Sed ad præsens institutum: honestam statuimus delationem in causa honesta, fine honesto, & mediis honestis: quemad-

quemadmodum bellum iustum dicitur, in causa iusta, fine iusto, & mediis à Deo concessis.

III. Verùm audiamus quid contra delationem dici & afferri possit.

Primùm, ipsum sanè nomen odiosum & detestabile est omnibus bonis, adeò vt nemo putet hoc, sine magna ignominia sibi imponi. Et hodie inter singularia conuitia habetur delatorem esse, vt olim quadruplatorem, susurronem, &c.

Respondemus hoc inde fieri, quia vtplurimùm hodie mali sunt delatores, deinde in quauis re etiam pessima inseruiunt suis Mæcenatibus: nec alio fine quàm vt præmia consequantur.

Olim hinc dicti sunt quadruplatores, quia quartam partem bonorum damnatorum consequebantur, cùm priùs lege Papia dimidiam occuparent bonorum portionem. Hodie sic probrosè dicuntur *Kalthansen*, quia frigidè amicitiam colunt, quiduis simulant, ac dissimulant: alibi vocantur *spitz huot, losser, suppenfresser*, &c. quibus nominibus improbi ornantur delatores, quibus nihil pensi est, quos, qua de causa, quóve modo odiosos reddant: hos ad Garamantas & coruos relegandos censuerim, aut certè tanquam fumi venditores, fumo enecandos.

Interea in causa honesta, & necessaria bono viro sua laus non est neganda, qui sceleratum nebulonem deferat ad Magistratum.

Deinde & illud afferri solet: quòd nemo se suáque consilia prodi ac deferri velit: cui mox accommodant illud ex iure naturali, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Sed malè illi hoc concludunt: si enim hoc ita valeret, nemo plecteretur etiam ob quodcunque crimen. Quotus enim quisque est qui consentiat in suas pœnas? Paratum esset latronibus, furibus, parricidis responsum, tu non vis te plecti, me ergo ne plectas. Itaque hic videndum, non quid peccatori videatur: sed quid æquitati sit cõforme. Iosephi fratres iniquissimè ferebant ipsos per Iosephum prodi, sed quid tum? requirebat hoc pietatis amor & honestas ipsa. Saul iniquissimè fert Ionathan filium res suas ad Dauidem deferre, attamen hoc placuit Deo, & ob id laudatur, quicquid patri videretur. Sic Chusai magna cum laude res Achitophelis & Absalonis Dauid prodidit, &c.

Tertiò affertur etiam: quòd boni per improbos deferantur sæpe. Sed hos non defendimus nos: & magistratus in eo cautus esse debet, ne quiduis cuiuis credat, de quouis referente: & optandum erat, vt secundùm leges in tales animaduerteretur. Vespasianus magna cum laude, tales flagris per arenam amphitheatri cæsos abigere solebat. Et Antoninus Pius delatorem, si nihil probaret eorum quæ deferebat, capitali pœna afficiebat: sin probasset, etiam infames tamẽ esse voluit, quòd videret hoc genus hominum inualuisse contra bonos viros, quibus magis nocerent, quàm sceleratis. Et de Pelopida referunt, quòd cùm bonus quidam miles apud ipsum deferretur, quasi Imperatori esset conuitiatus, prudenter respondit: facta illius aspicio: verba autem illius non audiui. Hæc prudentia necessaria hodie erat priuatis & publicis rebus: nam hoc genus hominũ hodie ferè omnia inuadit, omnia regit & disponit. Vtinam non etiam Ecclesiam Christi occuparet.

Quarto, quod de pœnis delatorum profertur ex iure & constitutionibus principum libenter etiam admittimus, imò optaremus hodie valere. Nec enim id facit contra speciem, quam asserimus: cùm de malis loquantur illæ constitutiones: rectè dixit Domitianus, *princeps qui delatores non deprimit, irritat*: sed rectiùs sacræ literæ illis quadruplatoribus extrema denuntiant. Psal. 101. *Perdam eum, qui clam mihi defert proximum suum.* Psal. 140. *Vir delator non prosperabitur in terra.* Prouer. 20. *Qui versutè incedit, reuelat arcanum, & qui lactare solet labiis suis, huic te non adiungas.* Prouer. 11. *qui versutus incedit, reuelat arcanum: qui autem fidelis est animo, celat rem.* Sed extat contra tales Dei præceptum, *non facies calumniam proximo tuo.* Item, *non dices falsum testimonium*: contra quod præceptum impostores illi præuaricantur.

DE ADVLATIONE.

LOCVS CXXVI.



ADVLATIONEM appellamus assentationem, & quicquid ars parasitica continet. Et olim adulatorem ac parasitum idem fuisse testatur versus Alexidis, quem citat Athenæus, Κόλακος βίος μικρὸν χρόνον ἀνθεῖ: οὐδεὶς γὰρ χαίρει πολιοκροτάφῳ παρασίτῳ. Adulatoris vita tempus exiguum floret: nemo enim gaudet cano parasito. Ideóque nõ anxiè illos hîc distinguemus. Rẽ ordine prosequamur. Olim adulator & parasitus idem.

1 Κόλαξ & κολακεία videtur dici Græcis ἀπὸ τοῦ κόλου. est autem τὸ κόλον, ἡ τροφὴ, hoc est, alimentum: vt declaretur illos mensam alienam consectari: vnde ψωμοκόλακες quoque dicti sunt: alij sic dictos aiunt, quia non integri sunt, est enim ὁ κόλος mutilus. Sed placet mihi in primis Androcidis medici sentẽtia, qui putauit rectissimè dici ἀπὸ τοῦ κολλᾶσθαι, quia facillimè sese aliorum familiis insinuarent, dictis & moribus accomodarẽt ditioribus: vnde deinceps tanquã glutinum difficulter auellerentur, quandiu fortuna spem ventris promitteret.

Latinis videtur à canum moribus imposita appellatio. Primi enim adulatores, canes fue-

runt, qui ſono oris & geſtu corporis fauorem accedentis Domini captant: vnde ad homines, conſuetudine tractum eſt nomen, qui & ipſi voce & geſtu inſtar canum ditiorum gratiam ambiunt: quod Græcis propriè eſt σαίνειν, cuius verbi ſonum adulando canes ferè exprimunt: quo illud Pind. ὅμως μὰν σαίνων ποτὶ πάντας, ἄγαν πάγχυ διαπλέκει. Feſtus Pomp. ab accedendo & ludendo (malim laudando) quòd ditiores acceſſu laudent in faciem, ludunt etiam, vt oblectent eos quibus placere ſtudent. qua ſententia adulatio dicta videri poteſt.

Aliis placet ab aulis dici, quaſi adaulatio: quia in his plurimùm viget, has in primis conſectatur: in his κολακείας ἀγὼν ſpectatur, dum nemo eſt, qui verum dicat: ſed vnicum ſtudium, quis blandiſſimè fallat.

Abſurdi ſunt qui ad Græcos tranſeunt, cùm ἀδουλεύειν non ſit idem quod δουλεύειν: deinde quòd illud in vſu non ſit, & quòd propria ſint huius rei vocabula, κόλαξ, κολακεύειν, κολακεία & ſimilia. Proprium tamen illis eſt, ad nutum heri ſeruire.

Digniſſimi ſunt, qui ab ollis dicantur: illas quidem veteres quoque vocarunt ollas, hinc Aularia Plauti ab olla dicta eſt: attamen non ineptum ſit adollationem dicere, quemadmodum veteres adaulationem dixerunt. Paraſiti enim ſunt in genere adulatorum, qui ollam, nidorem culinæ, apparatum menſæ obſeruãt: his in ore eſt ventris illud carmen, οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐπὶ τράπεζαν ἐσθ' ὁ πλοῦς, non licet cuiuis homini ad menſam nauigare.

Iſtos nos probroſè *dellerſcheleck vnd ſuppenfreſſer* appellamus.

Adulatio opponitur duabus virtutibus.

II Vitium hoc non vno modo deſcribi poteſt. Nam duabus virtutibus opponitur. Primùm veritati: omnis enim adulator mentitur, ſimulat & diſſimulat. Hinc rectè adulatio dicitur oſtentatio, quæ fallaci laude imponit alteri: vnde Auguſtinus Homil. 20 dixit, Adulatio eſt fallaci laude ſeductio.

Deinde opponitur amicitiæ: quia amici ſpecie ſeſe inſinuat adulator, & amicorum optimus haberi vult. Hinc Ariſt. dixit ὑπαρχόμενος φίλος κόλαξ, ἢ προσποιεῖται τοιοῦτος, adulator amicus non eſt, ſed ſimulat ſe eſſe amicum. Cùm enim non ſit verus amicus, talem ſe ſimulat, facit autem hoc totum non illius gratia, cuius menſa vtitur, ſed ventris cauſa. Definiamus igitur ad hunc modum.

Definitio adulationis.

Adulatio eſt hypocriſis, ad voluntatem illius, cuius contubernio vtitur, ſermonem & mores accommodans ventris cauſa: quo differt ab amicitia, quæ nihil diſſimulat, nec verum tegit, nec ſui quicquam reſpicit.

III Sunt huius vitij multa genera: multiplex enim eſt, non minùs quàm polypi colores, aut Protei formæ. Conferamus tamen in pauca genera.

Si materiam adulationis reſpicias, gemina eſt. Virtutibus enim vtitur & vitiis: illas ſupra modum admiratur in ſuo hero & extollit: quòd ſi non adſint, non erubeſcit attribuere. Hæc verò extenuat, aut virtutum nominibus veſtit, ciuilitatem & vrbanitatem interpretando, liberalitatem & ſimilia. Ad materiam etiam pertinet, quòd ſermone & moribus ſeſe accommodat ad illius voluntatem.

A forma, alij ſunt plebei adulatores & ignobiles, alij nobilitati. Illi viles & comœdiis traducti, hi in regum aulis purpurati, honorati incedunt & coluntur: illud genus Græci κοινὸν dixerunt & κεκωμῳδημένον, hoc eſt, qui in fabulis paſſim taxantur: hoc verò regale.

Variæ adulatorum ſpecies.

Conſideratione finis ita diſtinguatur. Adulator alius talis eſt aut ſolo placendi ſtudio, alius lucri cauſa: alius vt vitet periculum, aut denique alius nocendi ſtudio. Primus ille aſſentator dici poteſt, alter paraſitus, tertius diſſimulator, quartus impoſtor: ſinguli ſuo fine agunt, de quo nihil attinet plura dicere.

III Cùm adulator ſub ſpecie amici ſeſe ingerat, vtile eſt conſiderare notas illius, vt ab amico commodè diſtinguatur, ne pro cancro ſcorpionem, pro anguilla ſerpentem recipiamus.

Primùm igitur adulator in faciem laudat: & magis præſentem, quàm abſentem,

Sermonem indocti, faciem de formis amici, &c.

2. Eadem laudat & vituperat quæ herus ſuus. Siquis laudat, laudo: negat, nego: annuit in omnibus, hinc Crates illos συγκατανευσιφάγους (quaſi dicas mutuũ comedones) vocauit, quia coannuunt, v ſimul alantur.

3. Admirantur illos & maximis conferunt: qualis Apollophanes, qui Antigoni fortunam dixit ἀλεξανδρίζειν, i. accedere ad Alexandri fortunam.

4. Officioſi ſunt, plumas, pilos, floccos de veſtibus ſublegunt, quos γναφάλια dicunt & κροκίδας: hinc κροκιδίζειν, vellere flocos: adulatorium verbum *faederleſen, læken*.

5. Geſtire ad illius occurſum, applaudere, more canum, quod eſt κερκοδίζειν: *denfaſch vvantz bruchen*, κέρκος cauda eſt.

Adulatores Proteo ſimiles.

6. Mutare mores, & in hac re facilem eſſe. Hinc Proteo conferuntur, qui ſe in mille figuras, mutare ſolebat. & diuus Baſilius polypos dicebat, quia vt illi ad ſpeciem ſubiecti ſoli mutãt colorem: ita adulator mutabilis eſt.

7. Mores illorum aſſumere, quod Dionyſij adulatores ſtudioſè obſeruarunt: qui cùm eſſet cæculus, illi quoque ſimulabant ſe cæcutire: & Hieron hebetes habuit oculos, vnde adulatores malè ſe videre. Cliſophus Philippi adulator finxit ſe claudicare, quia Philippus ex vulnere

nere claudicabat.

8. Fœda sustinere, vt conspui, colaphos tolerare. Dionysius suos in faciem conspuebat, qui lingentes illius sputa, melle dulciora asserebãt. Aristippus canis aulicus & canis regius dictus est, quòd Dionysium affectatè sequeretur. inde illud Horat. Fœdum Dionysij facinus.

Si pranderet olus patienter, regibus vti
Nolet Aristippus.

9. Cum fortuna tandem cedunt: inde facillimè cognosci possunt: fortunam sequuntur, non homines: hinc Delphinis dicuntur similes: nam illi natantes homines sequuntur, & mirificè diligere videntur: in siccum non exeunt, sed cum aqua recedunt, hominem in sicco relinquentes. Huc illud Ouidianum,

Donec eris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila solus eris.

V Hoc morbo laborant, quibus nihil frontis est, nulla cura honestatis & pudoris: quales Græci versus depingunt.

Πρόσωπον ἴταμον, χρῶμα δ᾽ ἀμειόμενον, γνάθον
Ἀκάματον εὐθὺς δ᾽ ὑπομένον πληγὰς φέρειν,
Στοιχεῖα μὲν ταῦτ᾽ ἐστὶ ὅλης τῆς τέχνης.
Faciem impudentem, colorem stabilem, maxillam
Indefessam, quæ continuò poßit alapas tolerare,
Hæc quidem sunt elementa totius artis.

Hoc vitio olim celebres fuerunt Siculi, teste Curtio. Et Cypriæ quædã mulieres dictæ Climacides, quia vxoribus regum currum ascensuris gradum struebant acclinatæ tanquam scalæ. Demetrij regis tempore Atheniensis populus mirificè adulatorius fuit. De quo vide Athenæum lib. 6. cap. 6.

VI. Porrò locum habent adulatores non passim apud quosuis: sed apud eos in primis qui malitiosi sunt, & laudis auidi: hos consectantur isti gnathones, quales sunt iuuenes diuites, & senes interdum: eodem vitio laborat populus interdum: hinc Aristoteles scribit φιλοκόλακες οἱ πολλοί, Amat enim plebs homines populares, qui in odium magistratus, populares extollũt, in gratiam populi senatum traducunt, in quos adulatores publicæ leges animaduertunt. Laborãt hoc morbo singulari fato regũ & principum aulæ. quod rectissimè aduertit Seneca lib. 6. de Beneficiis, monstrabo (inquit) tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia, & quid, possidentibus omnia, desit: scilicet qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsáque consuetudine pro rectis, blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu, contemptúque falsorum: non vides, quemadmodum illos in præceps agat, extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadétque sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quis blãdissimè fallat. Græcis dicitur κολακείας ἀγών, adulationis certamen.

Ex regibus nobiles fuerunt adulatorum amatores, Philippus Macedo, Alexander Magnus, Dionysius Siculus, Hieron, Demetrius. Darius Persarum rex, expeditionem sumpturus in Græciam, adulatoribus aures præbuit: ex Romanis, Sylla, Crassus, Nero, aliíque propè omnes. Herodes, Act. 12.

VII Dignum fuerit considerare etiam adulationis euentum. Illi quidem interdum ditantur, inferciuntur epulis, curant cuticulam: sed nõ hîc subsistit illa fabula, motoria enim est. Primùm certissimum est infatuare eos & dementare animos hominum, vt videre verum non possint: vnde rectè dixit Diogenes, meliùs esse in κόρακας quàm κόλακας incidere: quia corui non sæuiunt nisi in mortuos: adulatores autem viuentes etiam lacerant. Deinde corruptos suos dominos, imbuunt arrogantia, fastu, & contemptu veri. Quid enim expugnatis virtutibus succedet, nisi vitium & impietas? in his malis summis conatibus detinent, quasi mancipia amissa libertate: tandẽ opes, regna & dominos suos euertũt. Refertur Anaxillæ dictũ non illepidũ: adulatores esse diuitum vermes: nam vt illi arrodũt ligna, sic isti diuitias, & quanquã opes augeant illi vermes, tamẽ consumuntur tandem ab illis, nõ aliter ac ligna ab igne, quéauxerunt. Diogenis dictum. Adulatores diuitum vermes.

Refert Athenæus Cnopi regnum ab adulatoribus fuisse euersum, Philippi imperium euertit Proclides adulator. Alexandrum Magnum effecêre Deum, donec dolore vulneris disceret se hominem esse. Xerxẽ pessundedêre adulatores in Græcos stimulantes, cùm vnus Demaratus ille verum diceret. Dionysium etiam euerterunt. Andromachus Crassi adulator, illum tandem prodidit Parthis: sic tandem sera pœnitentia discunt quid amicus ab adulatore differat.

Sed & ipsi persæpe mirando fato tolluntur è medio. Fumo aliquando necati sunt: quia fumum venderent, quod de Thurino quodam refertur. Timagoras adulator, quòd Darium Persico more adorasset, capite mulctatus est. Euagoram Athenienses occiderunt, quòd Alexandrum Magnum adorasset adulando. Demagoram autem quòd Deum Alexandrum 10. talentis mulctarunt. Pœnæ adulatorum.

VIII. Sed expendamus etiam remedium mali huius. Præsentissimum est, nolle laudari in faciem: si id faciat amicus, ferendum non est, ne ex amico adulatorem facias: si palàm adulatur,

ob id ipsum ferri non debet, quia adulator te laudauit.

Deinde adulationibus illis & fictis virtutibus opponendæ sunt imbecillitates, quas cogimur in natura nostra agnoscere: quò facit honestissimum Senecæ concilium. Vos me(inquit) dicitis prudentem: at ego video, quàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem, &c.

Dauid psal.141.ait, *non impinguabit caput meum oleum peccatoris*: quod D. August. interpretatur de adulatione, quæ tanquam oleum delibutos reddit, hoc est, vacuos, superbos, capite crassos: hinc solent dicere adulatores de his quos vanis laudibus tumidos reddidêre, perunxi caput illius. Discamus igitur seriò odisse hoc oleum peccatorum, nec patiamur vt perungat capita nostra.

August. Cæsar adulatores odio habebat.

Augustum Cæsarem prodidêre, adeò infensum fuisse adulatoribus, vt ne Dominus quidem appellari sustinuerit à liberis, & Tiberius Domini appellationem tanquam nomen maledicũ exhorruit: quendam dicentem, sacras eius occupationes, mutatis verbis iussit dicere, laboriosas occupationes, &c.

Exemplum Herodis in primis nobis odiosam reddet adulationis vocem, qui dum ferret populi clamantis blandimenta, à Domino percussus est, & erosus à vermibus, expirauit.

DE TVENDA FAMA BONI NOMINIS.

LOCVS CXXVII.



LAVDE & vituperio non aliter affici debemus, quàm rebus aliis mediis, quæ piis cum impiis in hoc mundo, communes esse possunt, vt est cibus, vestitus, opulentia, honor, successus in rebus agendis: & quæcunque tam in malos cadunt quàm bonos. Interim suo loco & tempore boni viri est, famam tueri, & nomen boni viri contra calumniatores asserere. in qua re diligens est Apostolus Paulus 2. ad Cor. 3. 4. 10. & 12. cap. imo tota illa Epistola συςατικὴ, est ac in sui commendatione & defensione nominis consumitur.

Dicamus igitur pro causa præsenti, quantùm Dominus concesserit: à commendationis natura exorsi.

Σύςασις commendatio, est intercessio pro persona, aut re quapiam cum eiusdem laude aut commiseratione coniuncta. Et personam vel nostram intelligimus, vel aliam: sub re quoque accipimus negotia, causas, facta &c. Coniũgitur autem cum laude, vel commiseratione intercessio, quia subesse causas oportet, cur aliquid alteri cõmendemus: has non solùm deduci à rebus laudatis, qualia sunt animi, corporis & fortunæ bona, sed malis quoque. vel saltẽ quæ in mundo talia habentur: vt commendamus pauperem diuiti, ipsa paupertate & egestate: quæ res magis commiserationem habet quàm laudem.

2. Ad quod genus refertur.

Deinde commendatio mixta est ex genere demonstratiuo & deliberatiuo, quatenus enim laudem personæ vel rei habet, demonstratiui generis est: quatenus verò commendatio suadet, & obtinere vult apud alium id quod petit, deliberatiui est generis: ex quo perspicuum est locos ex vtroque tam demonstratiuo quàm deliberatiuo inseruire commendationibus.

3. Partes commendationis.

Denique commendationes tres principales partes esse dicimus. Considerandum enim, quis commendetur, vt vir bonus, diues, pauper, exul, confessor, martyr. Causa item, vt Euangelium, cõfessio, martyrium, sana doctrina, &c. Deinde apud quem commendatio fiat: vt pastori oues, ministro Ecclesia, diuitibus pauperes, magistratui subditi, auditoribus doctores veritatis &c. Tertiò, causæ commendationis: debet enim esse iusta, honesta, pia, necessaria, spectans gloriam Dei, defensionem non tam personæ, quàm veritatis. His ita constitutis ad quæstionem propositam iam respondeamus. Boni viri est famam boni nominis constanter tueri: primùm quia sanctis etiam in hac vita necessarium est nomen viri boni, non enim debent affligi, vt fures, homicidæ, malefici, aut alienarum rerum sectatores. 1. Pet. 4. & Christus crucem suo nomine nobis commendat, ac beatos prædicit si propter ipsum persecutionem patiamur, nõ propter scelera nostra, & Petrus beatos dicit nos, si propter iustitiam aliquid patiamur. 1. Pet. 3.

Deinde calumniæ sæpe non tam personam lædunt & famam nominis, quàm ipsam doctrinam & professionem, quàm sine scelere non possunt deserere. Quare vt doctrinam & professionem pietatis liberent à calumniis, nominis famam tueri debent.

3. Christi exemplum.

Habemus etiam exemplum Christi seruatoris, qui calumnias studiosè refellit, quoties gloriam Dei & doctrinæ concernebant vt Ioh. 8. se nõ habere dæmonium, non habere peccatum, quod iniustè ipsum cupiant occidere. Ioh. 18. iniuriam retundit, *Si malè locutus sum, testare de malo, sin benè, cur cedis?* ibidem fatetur se Regem æternum.

4. Apostolus Paulus passim studiosè refutat tales calumnias, vt in 2. ep. ad Corinth. calumniatoribus respondet, & Corinthiis sese commendat. Ostendit enim quod non sit, vanus promissor, non leuis, non rigidus doctor, non inconstanter doceat, non dolosè, non cauponetur Euangelium, non ambitiosè, non obscurè etiam & confusè doceat: sed contrà summa cũ syn-

ceritate,candore,simplicitate,perspicuitate ac constantia semper docuerit,vt adhuc doceat.

5. Hunc morem seruauit Ecclesia post Apostolorum tempora. Tertullianus studiosè nomen Christianorum vindicauit à calumniis in Apologetico. Sic Iustinus Martyr depellit crimina falsò Christianis imposita in Apol.ad Senatum Rom.& in altera ad Imperatorem.ac sępe à sanctis viris,apologiæ transcriptæ & exhibitæ sunt imperatoribus ac principibus,vt constaret de innocentia piorum.

Tertullianus in Apologetico nomē Christianorū vindicauit.

6. Præterea,cùm honor per se sit bonum diuinū vt vocat Plato,lib. 5.de legibus,statim ab initio,nemo rectiùs sibi hoc bonū vendicat ipsis diuinis hominibus, quales sunt sancti in his terris,quos ideo scriptura ornat sāctitatis titulo quia Deo chari sūt,& ab omni scelere alieni.

Honor est per se bonum diuinū.

Sed & virtus hoc meretur, si enim honor est virtutis præmium:in quo maxima virtus est, maximus illi debetur honor,& summo sceleri maxima debetur ignominia.

Debent etiam sancti videre, ne mēdacio sese polluāt: & quia qui tacet cōsentire videtur, debent calūniis loco & tempore resistere,ne silentio suo videātur agnoscere crimē,cū illo vacēt.

Digna etiam est veritas,cui patrocinium hoc debent,& cùm sancti non dubitent pro veritatis confessione deponere vitam,& quicquid charum in his terris haberi potest, multò faciliùs verbis declarabunt innocentiam suam,& maledicta retundent,vt de veritate constet,& ipsorum innocentia.

Porrò excipiunt,hic quidem necessariam Apologiam non damnari , sed propriam laudem ac commendationem:quibus respondemus, Verum quidem est,propria laus sordet: &, vt loquitur scriptura,laudet te alienus,& non os tuum.Verùm,cū illa silent, quorum erat innocentiam fidelium asserere,& criminibus obruuntur miris modis , vtique non sordebit modesta commendatio.Exemplum habemus manifestum in Apost. quòd enim in sui laudibus tam frequēs est ad Cor.in 2.epist.non aliunde factum est,quàm quod Corinthij,quib⁹ cognita erat Apostoli virtus,silerent,vnde illa vox.2.Cor.12.7 *fui insipiens in gloriādo,sed vos me coēgistis. Ego enim debuerā à vobis cōmēdari:* significās importuno illorū silētio,sic cogi ad suā cōmēdationē.

Sed inquiunt,repugnat Christi exemplum,qui mutus vt ouis ductus est ad suppliciū,& honores tum fugit,& oblatos etiam contempserit:laudari quoque noluit à suis nec à Satana.

Quomodo hoc Christi exemplum,sit exponendum.

Respondemus exemplum Christi variis modis considerari posse:ac quod præsens attinet institutum,minimè repugnat nostro proposito.Nam à Satana veritas commendari non debuit: ideo ei dicit,*Obmutesce:*nec noster vir sanctus has laudes,vt veras admittet à Satana , quia fallendi studio hoc scit illum facere, aut saltem vt verus habeatur Spiritus. Cùm autē mendax sit, & mendacij pater,minimè dignus est vt illi testimonium de veritate committatur.

Honores autem fugit Christus,quia hominum arbitrio non debuit constitui Rex,cùm natura Rex esset:quemadmodum idem noluit suffragiis Romani Senatus inter deos reponi,cùm non fictitius Deus esset,quales Dij gentium:sed natura verus Deus & Dei Filius.

Præterea,regnum eius non erat de hoc mundo : ideo mundanos contempsit: calumniis autē eum respondisse,priùs iam diximus,& propriam laudem nō statim esse vitiosam manifeste indicat Ioan.8 14 *Etiāsi testimonium feram de me, testimoniū tamen meū verum est,quia scio vnde venerim,& quò vadam.* Vocauerat autem se lucem mundi : hanc sui laudem reprehenderant Pharisæi, *Tu de teipso testaris, non est verum testimonium tuum.* Respondet Christus falsum esse consequens. Potest enim quis de se vera prædicare , vt Ioan. 10 inquit, Ego *sum ostium* , *Ego sum pastor ille bonus.* & Ioh.15, *Ego sum vitis*, item *Ego sum via, veritas*,quæ non ideo falsa sunt, quia proprio ore proficiscuntur : sed quia veritas per ipsum Filium Dei reuelanda erat ex sinu Patris, ideo manifestanda erant mundo. Ita censendum de sanctorum oratione:non falsa statui potest ex hac causa quia ipsi de se honestè loquuntur , sed aliunde ostēdenda erat falsitatis causa.

Ambitiosum tamen esse dicunt,seipsum commendare.Respond.non esse necessariò cohærentia, commendare seipsum & ambitiosum esse : alioquin omnis commendatio esset vitiosa, quod verum non est.Sæpe enim vir bonus certis de causis honestissimè aliis sese commendare potest.Et libenter fatemur, virum pium tam esse alienum ab ambitione, quàm quisque alius, magis fortè quàm Socrates,qui Apollinis de se admisit testimonium & magis etiam quàm Democritus,de quo,ait Cic.Veni Athenas,nec quisquam me ibi agnouit.Deinde non statim laudis appetentia vitiosa est:nam est honoris & laudis bipartita consideratio. Est honor mundi, cuius laudem facilè spernunt Sancti, in quo tamen appetendo homines interdum nimis leues sunt: quale refertur à Cic.de Demosthene , quòd susurro mulieris ferētis aquam sit delectatus, quæ insurrebat alteri,hic ille est Demosthenes.Elatior factus est eo rumusculo mulieris,& elato capite,vt videri posset,incessit.

Tuscu. lib.5.

Demosthenes laudis & honoris cupidus.

Cōtra hāc ambitionem clamat scriptura Rom.12. *Ne cōfiguremini sęculo huic*,& infrà vers.16. *non elatè de nobis sentientes, Ne sitis prudentes apud vos ipsos.*& Galat.7.*Si quis sibi videtur esse aliquid,cum nihil sit,hunc animus proprius fallit.*

Sed est alia honestissima veræ gloriæ ambitio cuius scilicet laus apud Deū manet, de qua loquitur Apostol.2. Cor.5. *Ambimus Deo placere,siue incolētes in corpore,siue emigrātes ad Dominū.* huic verè debetur quod Pindarus dixit,Vera est gloria:cuius laus post mortē homines sequitur.

2. Cor.10

Sed aiunt. Apostolus inquit, *Non qui se commendat est probatus: sed is quem Dominus commendat.* Id nos libenter concedimus. Is seipsum commendat, qui non in Domino gloriatur: nam præcesserat illic proximè, *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Is igitur à Domino commendatur, qui in Domino gloriatur, & is se commendat, qui non in Domino gloriatur: quales erãt eo tempore pseudodoctores, qui de alienis laboribus gloriabantur, & seipsos suo pede metiebantur, se sibi comparantes homines inflati. Hoc modo se non commendabant Sancti: sed in Domino gloriabantur de donis sibi collatis sine omni arrogantia. Sic Apo. se commendat. 2. Cor. 3 *Incipimus rursu[s] [n]os ipsos commendare: num egemus, vt quidam, epistolis commendatitiis ad vos, aut à vobis ad ali[os]?* significans bona conscientia, se de suis virtutibus loqui apud Corinthios, quibus non per epistolas: sed per euidentiam doctrinæ & Spiritus sancti fuit commendatus. Secus agunt eius aduersarij, qui ambiunt aliorum commendationes, nec satis ex se commendati sunt nisi testimonia in chartis secum circumferant: quod Tertull. refert de quibusdã lapsis tempore persecutionis, quòd ambirent carceres, & à martyribus extorquerent commendationes ad Ecclesias, vt illorum intercessione facilius reciperentur in gratiam.

IIII. Superest, vt diximus, quatenus fama boni nominis pio sit asserẽda. Primùm si lædat causam pietatis, & nomen Domini malè audit nostro silentio, vtique commendatio & defensio modesta concessa est. Deinde in istis honoribus debitis etiam seu laude necessaria non acquiescet tanquam fine vltimo. nam impij pro dignitate tanquam supremo depugnãt bono. inde illud, si fides violãda est, imperij causa violanda est. & Pindarus dixit ὄλβιον ὃν φάμ' ἀγαθαὶ κατέρχονται, beatum quem rumores boni consectantur. Secus vir pius iudicabit: non contristabitur, si vituperetur, quemadmodum nec valde gaudebit, quando laudatur, quia nec deprauare potest iniuria, nec coronare laus humana potest: sed scit in cælis se habere verum encomiasten, cuius iudicium sit infallibile, & præmia veræ laudis ab eo se indubitatè expectare. Cauebit etiam in sui commendatione omnem ambitionem: ideo non nisi necessaria causa protractus, in suas descendet laudes, quod Apostolum fecisse videmus.

Pindari illustre dictum.

A Deo præmia laudis expectanda.

Non etiam nimius erit ebuccinator suarũ virtutum: sed in omnibus, modestiæ limites non transit, ita in commendatione sui videbit quid suam deceat personam, quid admittat pietas, quid vtilitas Eccle. quid honor & gloria Domini postulet.

Diriget omnia ad gloriã Domini: vt glorificetur Pater qui in cœlis est: nam eatenus sua volet cognosci, & bona opera, & innocentiã suam, vt gloria hinc ad Deum ab hominibus redeat.

Legitima etiam via incedit in sui defensione, vt Apostol. inquit, *manifestatione veritatis nos ipsos commendemus*, hoc est, vt veritas hinc patefiat, aut veris rationibus & solidis argumentis, quæ negari non possunt.

Testem etiam habebit Deum, & homines rectè iudicantes de virtutibus suis. Hinc Apostol. non dubitat in sui commendatione prouocare ad conscientias auditorum, & ad tribunal Dei.

Bonis etiã curabit solùm satisfacere: nam impiis calumniatoribus nihil satisfaciet. Et quanquam vt plurimùm minor sit pars rectè iudicantium, tamen istis se approbari, satis illis erit.

Denique, si optatam defensionem non obtineat, non valde dolebit, nihil faciet contra suæ personæ decorum: non hominum rumusculos captabit, nec laudes populi conuertet in offensam Dei: dicet cum Paulo, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, & vt Iob, *Ecce in cœlis testis meus*, hic testis in cœlo, & testis in corde sufficere debent, & quid homines impij de nobis loquantur, non dolenter ferendum est, &c.

DE IVRAMENTO.
LOCVS CXXVIII.

Iuramẽti ἔτυμον



IVramentum sua origine vox simplex est, à iurando deducta. Videntur autem veteres dixisse Iuramen quemadmodũ libamen, velamen, spiramen, lenimen, medicamen, munimen & similia: quibus accessit tum syllaba, hinc medicamentum, lenimentum, libamentum, iuramentum, &c. ideóque non satis cautè quærunt hîc compositionem qui deriuant à iustitia mentis: nihil enim hîc mens facit ad vocis compositionem. Rectiùs sanè mihi videntur facere, qui deriuant à iure manente: quæ enim iuramus firma & immota debent esse. de hac re consule Vallam lib. 6. eleg. cap. 37.

Græci ὅρκον appellant, seu quia coërcentur intra id quod iurant homines, quod est εἴργειν τὸ μὴ παραβαίνειν. vnde & ἕρκος sepimentum quoque deflexum est, seu quia sit terminus controuersiarum, quod significat ὅρος, ὁρίζονται γὰρ ἀντιλογίαι, hoc est, finiuntur & terminantur, sed & ipsi ὀμνύοντες ὁρίζονται. h. e. redigũtur intra metas, *sie vverden inzylet* vt non possint aliud, quàm quod iurarunt.

Apud Hebræos *schebugna* dicitur iuramentum à passiua forma *nischbang*: vt intelligas iuratum cogi, ad id quod iurauit. Prima origine sumitur à voce *schabang* quod significat septem, vt intelligamus iuramentum sacrum esse, & sacramento non carere.

Apud

Apud Iurisconſ. definitur iuramentum, quòd ſit affirmatio vel negatio, ſacræ rei atteſtatione firmata. Breuior eſt Cic. lib. 3. Offic. Iuſiurandum eſt affirmatio religioſa Deo adhibito teſte. Nos ex epiſtola ad Hebr. ſic definimus, Iuramentum eſt veritatis confirmatio in controuerſiis, Dei legitimè adhibito teſtimonio. Græcè ſic ex verbis Apoſtoli definiatur, ὅρκος ἐστι πέρας ἀντιλογίας εἰς βεβαίωσιν τῆς ἀληθείας, finis controuerſiæ ad confirmandam veritatē: non malè expreſſit cauſas, materia enim iuramenti eſt ἀντιλογία, hoc eſt, res controuerſa: quæ dum decidi non poteſt commodè, iuramento tandem finitur. Inde πέρας appellauit ὅρκον: reſpexit enim ad originem vocis: nam ὅρκος ab ὅρος quod πέρας ſignificat, deducitur, vt prius diximus, quo ſanè maximus iuramenti vſus declaratur.

Finis autem eſt βεβαίωσις ἀληθείας: huc enim reſpicit tota iuramenti actio, vt verum confirmetur apud aduerſarium, qui non erat niſi iurato crediturus. Plenius ſic definies. — *Iuramēti finis.*

Ὅρκος ἐστι παράληψις τοῦ θείου εἰς πίστιν τῶν λεγομένων, quòd ſic plenius etiam Latinè dices, Eſt veritatis confirmatio, Dei vel diuinarum rerum ritè adhibito teſtimonio.

Breuiter indicabimus ſpecies iuramenti præcipuas. Omne iuramentum eſt vel aſſertorium aut eſt promiſſorium. Aſſertoria dicuntur, quæ de præterito vel præſenti fiunt. Promiſſoria de futuro loquuntur. — *Diuiſio iuramēti.*

1. Et aſſertorium vel eſt voluntarium, quod extra iudicium ex pactione offertur in contractibus vel ſtipulationibus: hinc conuentionale quoque dicitur.

2. Vel eſt neceſſarium, quod in iudicio & controuerſiis à iudice defertur partibus.

3. Vel etiam eſt deciſorium: quia finit lites, & à parte litigante, alteri parti aduerſæ offertur in deciſionem litis. appellant hoc etiam iudiciale quia in iudicio litem finit.

II. Veniamus iam ad id quod in primis hîc quæri ſolet, licitumne ſit Chriſtiano homini iuramentum præſtare. quæ ſanè quæſtio multiplex eſt. Nos eam eò referamus, vt oſtendamus nō ſolùm licitum illud eſſe: ſed inſuper præceptum, vt præſtetur. Si enim ſimpliciter liceret, de eorum eſſet numero quæ in ſe mala, tamen conceſſa eſſent aliqua conditione: vt diuortium per ſe malum eſt: tamen dicente Chriſto, Iudæis cōceſſum propter duriciem illorum: ſic vſura in ſe mala, legibus tamen conceditur propter inhumanitatem noſtram.

De horum numero dicimus iuramentum non eſſe: ſed rem per ſe honeſtam & præceptam, quo facit primùm, quia authore Deo introductū eſt, qui in optimè inſtituta Repub. ſui populi, etiam locum ſingularem voluit eſſe iuramento. Exod. 22. *Si quis dederit proximo ſuo aſinum, vel bouem, vel ouem, aut quodcunque iumentum in cuſtodiam, & illud mortuum fuerit, aut cōfractum, aut captum nemine vidente, erit iuramentum Domini inter eos, quòd non extenderit manum ſuam in rem proximi ſui, ſuſcipietque Dominus eius iuramentū, & ille non reſtituet*, Quòd ſi Domino diſpliceret iuramentum in ſe, ſine dubio id non in certo caſu, populo ſuo commendaret. — *1. Cauſa efficiens Deus.*

Deinde huc facit quòd in iuramento Deus non ſolùm vt author reſpicitur: ſed eū etiam in illo inuocamus vt vindicem periurij: qua religione animos iurantium cōſtringit, vt ab honeſto & æquo non recedant. hinc eſt, quòd iuramenta illius nomine concepta firma eſſe velit, vt eſt Num. 30. Si fecerit iuramentū Domino, quo conſtrinxit animā ſuam, non violet verbū ſuum.

III. Dominus cum patribus fœdus iuramento confirmauit, in rei certitudinem, & iuramenti honeſtatem. Abſit enim Deum facere quæ mala ſunt. Gen. 22. *Per me ipſum iuraui* (inquit Dominus) & Gen. 26. *confirmabo iuramentum, quod iuraui Abrahā patri tuo.* huius iuramenti ſæpè fit mentio in ſcriptura. Ierem. 11. *Vt ſuſcitarem iuramentū, quod promiſi patribus veſtris.* Pſal. 105. *Memor iuramenti ad Iſaac.* Leuit. 9. *Iurauit patribus veſtris.* Deut. 29. aliiſque locis. — *Domin⁹ vſus eſt iuramento fœdus cum populo faciens.*

Nec valet hîc exceptio: quia non liceat Domini exemplum hîc imitari, multa Deum facere & poſſe piè facere, quæ ob id nobis non liceat imitari. Reſpondemus malè hoc adduci: nam vbi imitatio operum Dei eſt illicita, nullum præceptum ſolet exprimi: vt ambulare ſuper aquis nullibi iuſſit, creare res non præcepit, excitare mortuos non mandauit, quia imitatio in his præſumptuoſa eſſet. Sed iuramēti alia eſt ratio. Iurauit Dominus, & nos exemplum illius certis caſibus ſequi voluit: ideóque præcepit, vt in Repub. Moſis iuramenti eſſet formula, quam populus Dei ſequeretur: hinc ſæpiſsimè occurrit iuramenti formula, *Viuit Dominus.* Præceptum eius habes, Deut. 6. & 10. vbi dicit, *& Iehoua eleca tirre veito tagnauod, vbeſchemot tiſchebang. Dominum Deum tuum timebis, & illi ſeruies, & in nomine illius iurabis.*

IIII. Nec ſolum populus Dei iam in formam Reip. collectus eo eſt vſus: ſed Patriarchæ hinc inde peregrinando in loco & tempore non neglexerunt iuramenta ſine reprehenſione. Abraham Gen. 14 *Suſtuli, inquit, manum meam ad Deum cœli, ſi à filo vſque ad corrigiam calceamēti accepero, ne dicas, ego ditaui Abrahā.* Gen. 21. Abrahā Abimelecho iuramento obſtringit fidem ſuam, quod nolit nocere poſteris eius. Gen. 21. idem ſeruum ſuum iuramenti religione obſtrictum mittit in Meſopotamiam, vt inde adducat vxorem Iſaaco. Gen. 24. ſeruus iuramēti honeſtiſsimā facit mentionē in Meſopotamia. Gen. 25. Iacob. ab Eſau fide iuramēti emit ius primogenituræ, Gen. 26 Iſaac regi Abimelech in Gerar etiam iurat. Ioſeph per ſalutem Pharaonis iurat, Gen. 42. Moſes cœlum & terrā conteſtatur contra populum, Deut. 30. idem facit Eſa. cap. 1. — *Patriarchæ vſi iuramento.*

V. Sed ne dicant veteris populi illa fuiſſe priuilegia: alios mores in renatis & ſanctis noui Teſtamēti requirendos. Videamus ergo quid renata Eccleſia in hac re ſequi ex verbo Dei poſ- — *Rationes aliæ*

quibus probatur iuramentum licitum.

sit & debeat. Ieremias renati populi mores in Christo describens cap. 4. manifestè ei tribuit. *Iurabis* (inquit) *viuit Dominus in veritate, in iudicio & iustitia, & benedicent se gentes in eo, atque gloriabuntur in eo.* D. Hieronymus hîc ait tres illos esse iurisiurandi comites, sine quibus non iuramentum, sed periurium fiat. Et cap. 12. expressius hoc ad renatum populum trahit, *Et erit, vt iurent in nomine meo*, Viuit Dominus, *sicut docuerunt populum meum iurare in Baal, adificabuntur in medio populi mei*, & Esa. 65. *Qui iurauit hactenus in terra, iurabit nunc in Deo vero.*

VI. Nouum Testamentum approbat iusiurandum à fine & vtilitate, ad Heb. 6. quia ad fidem faciendam facit: & ad finiendas controuersias.

VII. Cùm passim iubeat Apostol. obedire magistratui, & Petrus, etiam moroso, nec excipiatur lex iuramenti, nisi quid contra Dominum in se contineat iusiurandum, & respondeant illi, cur non etiam hîc obedientia præcepta sit ab Apostolo & Petro?

VIII. Pauli exemplum manifestum est, vtitur is iuramento non semel. 1. Thess. 5. iuramento obstringit Thessalonicenses, vt epistola sua legatur omnibus fratribus. ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν, πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς. i. adiuro vos per Dominum vt legatur hæc epistola omnibus sanctis fratribus.

IX. Iuramentũ illius habes νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, per nostram gloriationem. & 2. Cor. 1. testem inuocat Deum ἐπὶ τὴν ψυχὴν (inquit) ἐμὴν, in animam meam, quæ manifesta est iurandi formula.

X. Christi notissima est iurandi formula, Amen dico vobis: quæ sanè phrasis eludi non potest. Et iuramento ad verum dicendum prouocatus non aspernatus est religionem: sed dixit quod pontifex quærebat, cùm priùs tacuisset.

XI. Ac sanè necessitas ipsa satis docet benè constitutã Remp. iuramento carere non posse. Fide & religione iuramentorum officia publica committi debent piis & bonis: controuersæ mentes iuramento dirimuntur & deciduntur. Hinc omnium gentium iure introductum iusiurandum, proditum est à Iurisconsultis. Ac quia in formula iuramenti variatum est, paucula de his addemus. Vera iurandi formula à Deo, suo populo est expressa. Exod. 6. *In nomine Domini*, quod confirmat epist. ad Heb. 6. iuramentum fieri per superiorem scilicet Deum. hinc illa phrasis apud Iudæos, *Viuit Dominus, & viuit anima tua.* item, *Sic addat mihi Dominus.* 1. Reg. 1. 2. & 22. Noui Test. formula est eadem, *testis est mihi Deus.* Rom. 1. Philip. 1. 1. Thess. 2. *Deum inuoco in testem.* 2. Cor. 1. *Testis est mihi conscientia mea.* Rom. 9. *Veritatem dico in Christo*, non mentior, Rom. 9. Has formulas diu pij retinuerunt.

Quæ formula iuramenti ab Imperatoribus tradita.

Posteà cùm res Christianę in imperio admissæ essent, Imperatores etiam formulam ordinarunt plubici iuramenti, quia, in formanda veritate publicè vterentur. Iustinianus per euangelia sancta iurare iubet in Authen. nominatim sacerdotes propositis Euangeliis sanctis iubet dicere quod nouerint. In rebus ciuilibus alia est formula apud eundem, collat. 2. de his qui administrationem accipiunt: sed admiscet ibi sanctam virginem, Angelos, aliáque sine scriptura & contra Ecclesiæ morem, quod ideò obseruandum est: quoniam hodie quoque per sanctos aliqui iurandum esse censent. Ethnici variam habuere formulam. Nasamones & Ægyptij per defunctos iurabant. Telemachus apud Hom. iurat τὰ ἄλγεα, hoc est, per ærumnas patris. Æneas apud Virg. per sydera, per superos. Ouidij amica *per oculos, & doluere mihi.* Per Stygias aquas deorum, firmissimũ habebatur iuramentum. Mulieres per vinũ iurabant: hinc vino inscribere mulieris iuramentum dici solet. Socratis notum est iuramentum per χῆνα, hoc est, anserem. Diogenes per canem iurabat, alij per arietem, alij per Cramben. Ac refert Eustat. Rhadamantum primò reperisse iuramenta κατὰ χηνὸς, καὶ κυνὸς, καὶ κριοῦ, per anserem, canẽ & arietem, ne omnibus adhiberetur Dei nomen.

Ex quo constat illas formulas & phrases in communi colloquio vsurpatas fuisse, ac initio fortè non magno vitio, quemadmodum hodie singuli suas habent loquendi phrases, *botz vvollen, botz meisybart, bottguti.* sed mox abierunt in religionem, vt magno scelere ita conciperentur iuramenta: sed pertinent hæc ad leuitatem quotidiani sermonis, in quibus hodie extrema quęque & dirissimæ etiam blasphemiæ adhibentur, per crucem, per elementa, sacramenta, cœlum, terrã, vulnera, passionẽ, corpus, sanguinem, &c. quæ non sine horrore commemorari possunt, passim etiã à pueris adhiberi solent: quæ Deũ vindicẽ postulant. Nos ad institutũ reuertamur.

Refutatio eorũ qui omne iuramẽtum tollunt.

III. Tertio loco respondẽdum est illis, qui hodie omne iusiurandum planè tollunt. quærunt illi Remp. in terris quæ dari nõ potest, nec quæri etiã debet, in qua omnis habitet institia & veritas. Nam illa perfectio debetur cœtui fidelium post hanc vitam: Loquamur ergo de Repub. Christiana qualis in hac terra, sic ordinante Domino, habetur, hoc est, in qua mixtim boni & mali sunt: quo posito fundamento audiamus rationes illorum.

1. Arg.

Primùm nitũtur authoritate D. Christi Mat. 5. *Ego autem dico vobis, ne iuretis omnino.* Ex quo inferũt: ergo ne oblatum iuramentum debemus admittere, omnino enim, hoc est, simpliciter, & nullo pacto iurare debemus.

Respon. verba Christi non habere hanc sententiam. Nam Christus pugnaret cum scriptura, quæ

ra, quæ expresse manat iuramentum, Deut. 6.10. Exod. 22. sed & Apostoli vtuntur iuramento, vt supra ostendimus & Christus ipse. Constat igitur de eo, Christum vel pugnare cum scriptura, aut (quod verum est) non simpliciter prohibuisse iuramentum omne.

Quòd verò vrgent dilectionem omnino, dicimus illam pertinere ad sequentem enumerationem, secundum quàm rectè dixit ὅλως μὴ ὀμόσαι, ne iuretis omnino. & quòd hæc sit sententia hinc constat, quod vniuersales propositiones sæpe ponantur à scriptura, quę tamen non vniuersaliter præcisè sunt accipiendæ. vt Luc. 7. scribitur de Ioanne Baptista, Nemo maior natus ex muliere: quæ tamen vniuersalitas non derogat Christo, quin his & maior sit, & de muliere natus. Sic Exod. 11. nihil omnino operis die Sabbathi faciendum, quo tamen non impediebantur sacerdotes in templo, mactando, purgando, mundando, aliísque infinitis laboribus. ita in præsentia καθόλου ὡς μὴ καθόλου vniuersale vt non vniuersale ponitur. Omnino non iuretis: priuatim nimirùm in quotidiano sermone, non debetis ad quoduis verbum nomen Domini adhibere: aut alias iurandi formulas. 2. Argu.

Nam certum est eo capite, Christum corrigere Pharisæorum corruptelas, quas vt in aliis leges: ita in hanc de iuramento inuexerant, quod ex 23. Matth. clariùs apparet: leue enim illis erat per templum iurare, per aram, &c. at per oblationes iurare & per aurum templi, id demùm firmiter ligare iurantem. Christus ergo docet nullo pacto oblationes iurare & per aurum templi, id demùm firmiter ligare iurãtem. Christus ergo docet nullo pacto etiam sic iurandum esse, nisi in re graui & seria, quam etiam seriò, vt iuras, serues.

Deinde ostendit hic quàm innocens debeat esse tota nostra vita in Christianismo: ita nimirùm vt iniurato tam credatur, quàm iurato. Et ob id, quoad nos nunquam simus iuraturi: sin magistratus non sit crediturus nisi iurato, non recusat Christus iuramenti religionem.

II. Secundo loco ex eodem capite afferunt. Sermo autem vester sit, *est est, non non.* 3. argu.

Libenter hoc concedimus, sit autem λόγος ὑμῶν ναὶ ναί, οὒ οὔ. Quandiu enim in mea est potestate sermo meus: sic viuere debeo, vt sermo meus sit simplex & castus, quod affirmo, seriò affirmem, sine fuco, & seruem: quòd nego, seriò negem, sine fraude: talis enim castimonia & synceritas inter Christianos vsurpari debet, vt nulla audiatur blasphemia, nullum otiosum verbum, nulla iurandi significatio.

Verùm cùm sermo meus in alterius arbitrio constituitur, vt loquar, non vt ego cuperem & vellem simpliciter affirmare, aut negare: sed præeunte alia formula mihi dictatur & præscribitur, sermo iam non tam meus est quàm illius qui iubendi habet authoritatem. Quare totum hoc etiam spectat, ad leuitatem quotidiani sermonis vitandam.

III. Ex eodem loco adducunt, *Quod supra hæc additur, ex malo est.* duplex subest argumentum. Prius quòd περισσὸν sit, deinde quòd ex malo sit, vtrunque enim ad iuramẽtum applicãt. 4. argu.

Ac quod prius concernit respondemus περισσὸν non ad iuramentum ordinariũ pertinere: sed ad prauam iurandi consuetudinem, in sermone quotidiano. quod enim simpliciter affirmare poteras affirmas adhibita execratione per elementa, sacramenta, aliásve diras formulas, verè illud περισσὸν est. nam Est, aut Non simpliciter satis esse poterat.

Quòd si pergant dicere iusiurandũ quoque esse περισσὸν: ratio, quia simplici affirmationi, aut negationi superaddatur. Respondemus hoc quidem respectu esse abundans, quoad me: quia etiam non iuratus seruare poteram & vellem: sed quia de fide mea dubitat magistratus, non est περισσὸν quia illius interuentu fidem mihi dat, quia aliàs non erat crediturus. 1. Malũ mea perfidia.

Ad posterius ita respondemus. Ex malo est etiam iuramentum, si ita velint. Primùm enim quia leuis sum, & fidem fallo, rarò seruo, fit vt nisi iurem, nemo mihi credat. hinc ex malo meo est ortum, vt cogar iurare. 2. Diffidentia.

Deinde ex malo etiam ita est: quia diffidere malum videtur. dubitant autem de fide mea alias nunquam postulaturi iuramentum, quod & ipsum malum est.

Accedit his omnibus ipse Satan, qui gaudet periuriis, perfidia, & diffidentia nostra. ita à malo oritur iuramentũ, quia malũ est perfidia & leuitas mea: mala est diffidentia, malus ipse etiam Satan. sed quid tum? à malo est iuramentum: ergo ne ipsum etiam malum? non sequitur. multa enim mala occasione introducta sunt, quæ bona sunt, vt pharmaca occasione mala, sc. morborum, Optimæ leges ex malis natæ sunt moribus: virtutum exercitia contra vitia. idem sentiendum est de ordinario, vt à Deo instituto iuramento: mala occasione introductum est, ipsum per se bonum. Aut doceant illi à mala causa efficiente excogitatum aut inductum primitùs fuisse. 3. Satan

IIII. Ex cap. 5. Iacobi idem afferunt. sed quod ad locum Matthæi quinto respondimus: idẽ dicimus ad Iacobi verba. Nam certum est Apostolum Iacobum præceptoris sui Christi doctrinam repetere. Christus autem cum doctrina Mosis in politicis planè non pugnat: in ceremoniis quoque non pugnat, nisi quatenus eas iam sustulit & impleuit. Politica reliquit intacta. Ideoq; Christus & Moses in negotio iurisiurandi nulla ratione pugnantes sunt constituendi, si non pugnant. Iacobus etiam non prohibuit politicum iuramentum: sed affectatam & damnabilem consuetudinem iurandi, quam nemo sanus approbat. 5. argu.

V Futura non sunt in nostra potestate, vt illa præstemus, Deus enim illa mutare potest, & aliter fortè statuit, quàm nos iuremus. ergo non debemus in futurum iurare, quæ an præstare possimus planè ignoramus. 6. Argu.

Respondemus futura per se non esse in nostra potestate: sed de eo simpliciter non quæritur: verùm de voluntate nostra est quæstio, quantum velimus præstare in futurum. Ideoque iuramenta non sine Deo etiam concipiuntur, quia hunc agnoscimus Dominum & vindicem si peieremus. quare addi solet in iurando illa clausula, vt Deus ita me benè iuuet.

7 argu. VI. Afferunt etiam illud, quòd ex iureiurando multa enascuntur mala: ergo fugiendum. Respondemus plus inferri quàm oporteat. Nam bona ex quibus mala proueniunt non fugienda sunt, sed abusus, ne ex bonis nobis damnata nascantur: sic enim colligas licet etiam de vino: nascitur inde ebrietas & crapula, ergo fugiendum. nemo sanus hoc tibi concedet. sed fugiendum est vinum eatenus ne fias ebrius. fugiendus cibus ne fias pletoricus aut petulans. sic fugiendum iuramentum, hoc est, cauendum tibi ne fias periurus.

VII. Non fuisse vbique & semper in vsu. nam sanctos inter se non iurasse, nec ab aliis postulasse iuramenta.

Respondemus fieri posse vt apud aliquas nationes non fuerit in vsu iuramentum: quod de veteribus Gallis aiunt, de Pœnis quoque & Phrygibus scribunt, eos ignorasse iuramenta: sed historiæ dubiæ sunt, & gentes tum barbaræ erant, sine Repub. quod hodie de nuper repertis insulis dici solet: tamen aliquid loco iuramēti habuere, vt pignora, signa, pacta & similia, quorum interuētu res perinde religiosa habebatur fallere fidem, ac hodie apud nos periurum fieri. Quod sanctos attinet, illis iniuriam fieri hinc constat, quod Abraham Regi Abimelech iurat. Idem facit Isaac, Gen. 26. Iacob ab Esau postulat iuramentum, Gen. 25. Abraham à seruo suo iuramentum exigit, Gen. 23 quod religiosè præstat, & illius authoritate rem in Mesopotamia exequitur. De noui Testamenti sanctis, constat de ipsis Apostolis, vt constat 1. Cor. 15. & 2. Cor. 1. & 1. Thess. 5. ad finē sub iuramenti fide postulat vt epistola sua legatur omnibus fratribus, &c.

IIII. Quartò, quæri hic solet, an mutare liceat iuramentum semel factum.

Respond. non facilè mutandum: tamen fieri posse, vt omnino sint interdum mutanda.

1. Primò si impossibile reddatur id, quod dum iurauimus, erat possibile.

2. Aut si edocemur illicita à nobis esse iurata, vt si pugnent cum pietate in Deum: cum charitate erga proximum: cum fide. hinc Herodes peccauit plus, seruando, quàm promittendo. Promittit ac leuiter addit nullo cogente iuramentum, se ad dimidium regni daturum saltatriculæ: quod etiam non iuratus potuisset præstare. Postea cùm illicita petit, seruat leuiter conceptum iuramentum, quod iusta ratione reuocare poterat.

Contrà, Dauid iurat, & quidem temerè, se deleturum Nabalum: sed placatur ab vxore illius Abigail, ideóque sententiam mutat, & quòd iurauerat temerè, prudenter & piè non præstat.

V. Quintò, de vitiis iuramenti agamus, ac id breuiter.

Primùm igitur vitiosum est, eo sæpe & citra necessitatem vti: nam præter periuria, vilescit quoque sic nomen Domini, quod in magna veneratione apud pios esse debet.

Deinde, si illicita concipiamus, quæ Deus prohibuit aut pugnant cum regula charitatis, vt in necem alterius iurare: contra patriam, contra fidem iurare.

Tertiò per idola iurare, quod manifestè prohibet Deus, Exo. 23. Iosuæ 23. talia sunt hodie iuramenta per sanctos, per Mariam virginem concepta.

Quartò, si falsò iuretur, hoc est, iures & tamen non sis seruaturus: quem dolum Deus sublatum voluit, cùm diceret se non innocentem habiturum, si quis nomen suum frustrà assumpserit. *lo iena KKe, er soll mit ler vß gan.*

Quintò, abesse etiam debet obscuritas in verbis, quo genere imposuit Israël populus ex Gibeon simulabant se procul aduentare cùm proximi essent. Ios. 9.

Sextò, ne adsit sophistica interpretatio: qualis erat illa: Hosti quis promiserat inducias aliquot dierum: sed noctu inuasit: conquerenti respondit dierum non noctium factas inducias. Ita pueri duo coquo suffurati obsonium sanctè affirmant qui acceperat se non habere: qui verò habebat se non accepisse: nec alios scire qui vel habeant, vel acceperint, verum iurabant: sed sophisticè fallunt.

DE BLASPHEMIA.

LOCVS CXXIX.


DIVVS Stephanus fuit accusatus de blasphemia in Deum & Mosen, quod crimen per falsos testes probarunt: & cùm D. Stephanus prolixa oratione confessionem redderet de religione sua in Deum & Mosen, tandem præuentus hostium malitia, lapidatus est in eodem crimine. Dicamus igitur de illo scelere. Primùm quale sit hoc peccatum. Secundò quæ fuerit olim illius pœna, & qualis sit hodie. Tertiò an Iudæis licuerit capitaliter animaduertere in blasphemos legitimè conuictos, salua Romani præsidis authoritate.

I Quale igitur ſit peccatũ, primùm ſuo nomine facilè proditur: dicitur enim βλασφημία ἀπὸ τοῦ βλάπτειν τὴν φήμην, hoc eſt, quia lędit alterius famã, aut certò quia eſt φήμη βλάπτουσα τὴν δόξαν ἑτέρου, hoc eſt, ſermo lędens alterius exiſtimationem. Vnde blaſphemia eſt idem quod κακολογία, αἰσχρολογία, quale vitium ſolet eſſe vtplurimum in popularibus: hinc Pindarus, κακολόγοι εἰσὶ πολῖται, maledici ſunt ciues, ait. Alij deducunt à dictione βλὰξ quæ piſcẽ ſignificat adeò inutilem, vt ne à canibus aliiſve animantibus attingatur: hinc pro ſtupido, ſtolido & inutili ſumitur: ſed in blaſphemia non ſolùm ineſt ſtoliditas ac inutilitas: ſed voluntas nocendi, quantùm in ipſo quidem eſt. Virtus ei contraria dicitur εὐφημία ſtudium benè loquendi de aliis, & εὐφημεῖν bene ominari, bene precari, quod dilectionis eſt proprium.

Vitium hoc peccat primùm in defectu, nam bona deprimit in proximo, nec tanti facit, quanta ſunt. Deinde in exceſſu, dum vitia vltra modum extollit, aut virtutes ac bona quæ inſunt vitia conuertit. Tertiò accedit abuſus ſermonis, nam in execrationes conuertit benefacta, vt faciunt, qui vulnera, paſſionem, ſanguinem Domini in formulas iurandi conuertunt, quæ blaſphemia eſt in nomen Domini. Hinc apud Gręcos ἀρὰ dicitur & κατάρα, hoc eſt, execratio. Apud Hebr. fermè ſimilia ſunt verba *ala, naats* & *chereph*, quæ ſtudium maledicendi exprimunt: manſit Latinis & Græcis vox blaſphemiæ in vſu, de maledictis in Deum ſeu homines quos religio nobis commendat.

Ex his conſtituamus hanc rei definitionem. Blaſphemia eſt maledicentiæ ſpecies, Dei gloriæ derogans, quantùm in ipſa eſt, aut bonorum exiſtimationi, quos tamen nobis pietas commendabat. Cùm maledicentiam dicimus, genus ex ordine peccatorum notamus. Dei gloriæ derogans, (quod alij dicunt cum iniuria creatoris:) ſed quia per ſe gloria Dei inuiolabilis eſt, ideóque addimus hoc à blaſphemis fieri, quantùm in ipſis eſt: derogant igitur gloriæ Dei apud homines, quos ſuis blaſphemiis à Dei cognitione vel auertunt, vel in curſu impediunt. Ac quia non ſolùm cadit blaſphemia in Dei honorem, ſed bonorum exiſtimationem, hanc ſpeciem quoque expreſſimus. Sed meliùs naturam eius ex ſubiectis ſpeciebus intelligemus. Intermiſſis verò ſcholaſticorum diuiſionibus, ſecundùm ſcripturam procedentes, ſic rem partiamur. Blaſphemia alia eſt falſa, alia vera. Falſam dicimus, quæ rei non competit, hoc eſt, vbi res ipſa non meretur hoc nomen: errant enim homines ſæpe vehementer in nominum impoſitione, nec ſemper ligonem, ligonem appellant: ſed permutata ratione, vitia ornant virtutum nominibus: & contrà, virtutes vitiorum titulis obfuſcant. Exempli gratia. Matt. 9. ſcribæ dicunt de Chriſto illum blaſphemare: & quid fecit? ſanat Paralyticum, & præmiſerat, *fili, confide, remittuntur tibi peccata tua:* ſanare animam & ſanare corpus non erat blaſphemare, niſi quòd Chriſtum non agnoſcunt filium Dei, qui hanc habeat poteſtatem. Simile habes Marc. 2. verſu. 7. Matt. 26. verſu 66. Pontifex ait, *quid ampliùs egemus teſtibus, ecce iam audiuiſtis blaſphemiam eius?* & quid dixit Chriſtus: viſuros filium hominis venientem in nubibus cœli: res illa non capit blaſphemiam, Ioan. 10. verſu. 36. Chriſtus ait, *dicitis me blaſphemare, quia dixi filius Dei ſum.* Erat reuera Dei filius, vtut in hoc errent Iudæi: ſimilia multa occurrunt in ſcripturis exempla falſò nominatæ blaſphemiæ.

Vera blaſphemia eſt, quæ quod eſt dicitur, & quod dicitur, reuera eſt: hoc eſt, vbi nomen rei competit: illa piis imponitur ab impiis. Hęc verò impiorum eſt, & deprehenditur à piis magno dolore, quamuis corrigere pro animi deſiderio ſemper non poſſint.

Eſt hæc ferè triplex in ſacris literis. Aut enim in Deum conditorem dicitur: aut in homines pios, quos nobis commendat religio: aut denique in doctrinam.

De blaſphemia in Deum loquitur Apoſtolus, Rom. 2. verſu 24. *nomẽ Dei blaſphematur propter vos inter gentes:* quod ſumpſit ex Eſa. 52. *tota die nomen meum blaſphematur.* Apocalyp. 16. verſ. 21. *blaſphemarunt homines Deum propter grandinem.* & 2. Reg. 19. pueri regis Aſſyriorum dicuntur Deum blaſphemaſſe. Committitur hæc blaſphemia primùm cùm Deo tribuimus, quæ illi non competunt: vt cùm mali authorem dicimus, duci affectibus, res humanas negligere, ſalutis ſuorum non eſſe prouidum. Deinde cùm negamus quæ illi tribuenda, vt cùm bonum eſſe negant, ſapientem, miſericordem, prouidum. Tertiò, cùm planè negatur ac contemnitur. Quartò, cùm nomen Domini execrationibus, peierationibus inſeruire ſolet, hominum leuitate.

In homines, quos nobis pietas commendat, quales ſunt parentes, magiſtratus, amici, domeſtici fidei. ſic Apoſtolus 1. Cor. 4. verſu 13. *blaſphemati precamur:* ſignificat maledictis pios obnoxios eſſe. ſic 1. Paral. 20. filius Rapha probris affecit Iſraelem, quem ob id percuſſit Ionatham filius Samma fratris Dauid. Hæc ſors fidelium eſt in hoc mundo, vt ſint, quod Apoſtolus inquit, veluti excrementa mundi, & reiectamentum omnium.

Pertinet huc primùm blaſphemia in parentes, quam Moſes quoque pœna capitis vetuit. Deinde maledicentia in magiſtratum, quam prohibuit Moſes, *Principi populi tui non maledices.* 3. amicorum in amicos. 4. in eiuſdem religionis homines. 5. paganorum & infidelium in Chriſtianos: qualia ſunt crimina falſa Chriſtianis obiecta, Iuſtini tempore ac Tertulliani: quòd ſcil. Thyeſteas epulas haberẽt, promiſcuo concubitu vterentur, aſini caput adorarent, & alia multa. Et hodie impij calumniãtur fideles de ſeditionibus, aliiſque: quas meras dicere poſſes blaſphemias.

Quærunt an hæc blasphemia quæ in sanctos committitur, spectet ad Dei ignominiam?

Respondemus omnino illuc spectare. Cùm enim sint organa Dei, per quæ gloriam suam decreuit propagare in mundo, impij, dum hos calumniis opprimunt, quantùm in ipsis est, maiestatem Dei obscurant, voluntatem eius impediunt, alios à vera eius cognitione auertunt, in impietate consueta multos retinent. Talibus calumniis oppressus est diuus Stephanus & alij infiniti: vide diui Athanasij vitam, quas vir iste sit passus ab impiis blasphemias.

Tertio loco diximus calumniam etiam committi in veram doctrinam pietatis. Huc pertinet dictum Petri. 2. cap. 2. versu 2. de sectatoribus Pseudoprophetarum loquentis, *multi sequentur illorum interitum, per quos via veritatis blasphemabitur.* Sic Diuus Paulus multos coegit blasphemare, vt ipse de se testatur, Act. 26. vers. 11. hoc est, vt vel reuocarent agnitam veritatem, quadam execratione, aut in eius confessione morerentur. Iacobi 2. versu. 7. *nónne illi sunt, qui blasphemant bonum nomen inuocatum super vos?* hoc est, Christi doctrinam & nomẽ à quo Christiani dicuntur, probro afficiunt: tales erant Iudæi, de quibus Ioannes in Apocalypsi scribit cap. 2. ver. 9. *noui blasphemiam eorum, qui dicunt se Iudæos, & non sunt: sed synagoga Satanæ.*

Porrò duplici nomine committitur hæc blasphemia. Primùm ab apertè impiis, qui hostes religionis Christianæ sunt, quales sunt Iudæi, Turcæ, qui calumniosè loquuntur de Christi doctrina.

Deinde ab ipsis Christianis, qui moribus non respondent suæ professioni: nisi enim discamus tandem vita & moribus ornare Christianam doctrinam, vt in ministerio mores doctrinæ respondeant: & in auditoribus vita professionem ornet, scire debemus, nihil dum nos profecisse in Christianismo. De hac morum corruptela conqueritur Apostolus ad Rom. 2 *propter vos nomen Domini blasphematur inter gentes.* Iustissimè hoc de nostro seculo dici poterat.

Christiani sunt, qui cursum Euangelij in primis impediunt: Christiani volunt dici, qui dissolutissimè viuunt: Christiani primarij sunt, qui Iudæos & Turcas à Christo abalienant. Has maculas suo tempore castigabit ipse Dominus & Iudex Christus.

Est & altera diuisio in sacris literis proposita: qua blasphemia alia dicitur remissibilis, alia irremissibilis.

Remissibilis cui Deus veniam concedit, cuius quasi supremus gradus est, in filium hominis. Irremissibilis cui Deus veniam non dat. Quæri hic solet quæ sit vtraque. Respondemus breuiter, remissibilem dici, quam non comitatur certa & affecta malitia, etiam in filium Dei commissa: exempli gratia, Matt. 27. versu 39. multi prætereuntium mouent in Christum sua capita, & blasphemant, quos tamen omnes nemo facilè damnauerit: nec enim omnes obfirmata malitia id faciebant: sed exemplo aliorum potius, & leui quodam impulsu, rei veritate non cognita: qui mox quod verum erat, cognito, resipuerunt. Talis etiam fuit Paulus. 1. Timot. 1. versu 13. *sed addit misericordiam sum consecutus, quia ignorans feci in infidelitate.*

Irremissibilis verò, eadem est, quæ dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quod habet certam comitantem malitiam, finalem impœnitentiam: de qua loquitur Christus, Luc. 12. versu 10. Mar. 3. vers. 29. Matt. 12. & alibi Apostoli. Tales fuerunt propè omnes Pontifices tempore Christi: item bona pars Pharisæorum, Scribarum, Seniorum, paucis exceptis, qualis Nicodemus & Gamaliel. Alij videntur obturatis auribus ferri in agnitã veritatẽ, vt illi contra Stephanum Act. 7. tales fore vltimis tẽporibus testatur Apost. 2. Tim. 3. Horũ præcipua nota est, quòd moriantur in impœnitentia sua: aut si pœnitentia quadã afficiuntur, solet desperatio illos vexare, vt gratiæ diuinæ sensum nullũ percipiant. Cuius rei exẽpla habent historiæ Ecclesię: qualis Iulianus, Porphyrius & alij: nostra secula non dissimilia viderunt, in quibusdã doctis viris.

II Superest alterum instituti nostri membrum, de pœna blasphemiæ. Ac quòd Mosen attinet, euidens est pœna illius, de qua Leuit. vigesimo quarto vbi etiam blasphemi hominis supplicium mandatur. Dominus consultus respondet, *educ blasphemum illum extra castra & imponant omnes, qui audierunt, manus suas, super caput eius, lapidétque eum omnis cœtus.* Nec hic sit aliquod discrimen in parentes, vel Deum committatur blasphemia, idcóque mortis, pœna etiam maledicenti parentibus irrogatur, Exod. 21. Quòd formam attinet, præscripta est illa, Deut. 17. vt manus testium prima sit, hinc reliquus cœtus obruebat miserum lapidibus. Hinc legimus in lapidatione Stephani, testes adhibitos, qui deponunt vestes, vt agiliores sint ad lapidãdum. Mansit igitur pœna hæc inuiolabilis vsque ad Christi aduentum in eo tamen Iudæi frequenter peccarunt, quòd specie legis innocentes sæpe oppresserunt, vt Christum ipsum, Stephanum, Iacobum, Ioan. Baptistam, & ante illos, Prophetas ferè omnes.

Iura ciuilia præcisione linguæ puniuerunt aliquando, vt membrum quod peccasset in creatorem suum, daret pœnas. Indigna enim est lingua sermone, quæ illo in creatorem suum abutitur. Alij, vt terribilior esset pœna, iusserũt per occiput eximi linguam. Alij morte in tales animaduerterunt.

Iura canonica pessimo exemplo induxerunt mitigationem pœnarum, Nam blasphemum non aliter puniunt, quàm vt septem dominicis diebus stet pro foribus templi, sine calceis & pallio, ieiunet in pane & aqua, abstineat missa: pauperes aliquot reficiat: ditior soluat 40. solidos: pau-

dos: pauper ad minimum quinque soluat: quod si nolit se pœnæ submittere, careat sepultura post obitum. Pessimo exemplo mitigatio hæc est inducta: nam præter officium peccatum hic est: cùm non liceat verbo Dei addere, demere, aut mitigare sine Domini permissione. Deinde euentus docuit quàm inepta sit illa mitigatio: dedit enim ista tantam blasphemantium segetem, vt nihil frequentius sit inter Christianos quàm impunè nomen Domini blasphemare.

In Ecclesiis reformatis pœna pro qualitate criminis, etiam capitalis est: aut certè Ecclesiæ statuūtur, vbi falsi sua peccata, reuocando testantur se dolere, hinc infames habentur, aut etiã solum iubentur vertere. Ac fortasse non solùm contra hoc, sed alia etiam peccata omnia, plus efficerent pij magistratus seueritate pœnarum, quam mitigatione, præsertim in hac morum catholica corruptela: sed de his viderint ipsi, quibus res hæc à Domino est commissa.

III. Tertio loco dicturos promisimus, de iure facti, an Christi tempore & Apostolorum Iudæi adhuc habuerint ius gladij, vt potuerint sine Præsidis Romani authoritate animaduertere in blasphemos deprehensos & conuictos.

Reperio de hac re, duas pugnantes opiniones: vtraque probabili coniectura nititur, vt non sit facile, quid iuris habuerint, liquidò perspicere. Vero tamen similior meo quidem iudicio est, illorum sententia, qui asserunt, inter alia priuilegia, ius animaduertendi in religionis suæ præuaricatores, saluum mansisse & integrum: quo posito, non erit difficile, colligere, iure potuisse sine Romani præsidis authoritate, conuictos de blasphemia lapidare secundùm legem Mosis. Vt negotium hoc intelligamus, hoc ordine procedamus.

Primùm, Iudæos ordinarium retinuisse magistratum, præter Romanum Præsidem, qui erat tanquam supremus nomine Romani Imperatoris eos in officio retinens. Hic magistratus Iudaicus Συνέδριον dicitur, passim in Actis & historia Passionis: ὅλον συνέδριον dicitur cum perfectus est: γερουσία autem, qui ex senioribus bona parte constabat: eius partes seu membra videntur: ἀρχιερατικὸν γένος, de quo tum erant Annas, Caiaphas, Ioannes, Alexander, Ἄρχοντες: quibus annumerari potest Præfectus templi, Seniores populi, à quibus γερουσία dicta videtur, Scribæ, hoc est, legis interpretes, quibus aliqui ex certis sectis accedebant, vt ex Pharisæis Gamaliel, Nicodemus, ex Sadducæis, & aliis: Hic magistratus ordinarius in vsu fuit, sine dubio, concessione Senatus & Imperatoris Romani, nec illorum actionibus interest Præfectus Romanus, vt constat ex historia Passionis Domini, & Pauli captiuitate Hierosolymis.

Deinde hic Senatus Iudaicus non otiosus fuit, sed sua priuilegia habuit, secundùm quæ iudicarent de religione, patria, malè viuentes puniendo, non iure Romano, sed patrio more. Quãta autem huius Synedrij fuerit potestas, colligi potest, ex illorum actis, quæ sua authoritate, nõ consulto præside Romano administrarunt, idque sine præsidis offensa, nec illius læsa authoritate. Illa sunt, Iniicere manus; coniicere in carceres eos qui Mosis statuta videbantur euertere: quod faciunt in Actis, cap. 4. ver. 3. act. 5. cædere virgis secundùm legem Mosis, Deut. 25. dare authoritatem docendi: prohibere noua dogmata: inobedientes vi rapere in concilium suum: causam totam examinare: audire testes: audire defensiones: decernere pro vel contra reum: his omnibus non interest præses Romanus: hinc in historia Passionis, hic ipse Iudaicus magistratus sine conscientia Pilati, agit cum Iuda, promittit præmium, dat milites armatos, dat etiam authoritatem capiendi Christum, captum suo iure audiunt, accusant per falsos testes, ad mortem cõdemnant: nec adest his omnibus Pilatus: cùm agitur de genere mortis tum demum prætorium accedunt.

Adde, quòd non solùm Ierosolymis hoc ius habent, sed priuilegiis suis innitẽtes mittunt etiam in alias Iudææ vrbes suos ministros capiendi, & adducendi gratia innouatores religionis. Hinc Paulus Act. 9. mittit in Damascũ, instructus literis, non à Pilato, sed à concilio vrbis: tales vinctos Ierosolymam ductos examinant Iudæi seniores, non Pilatus, cogunt reuocare nouam doctrinam, aut occidunt, Act. 26. v. 10. 11. Vides amplissimam adhuc illis fuisse potestatem: occidisse etiam testatur Paul. cap. 26. inter quos ipse quoque tulit suffragia, nec fit Pilati aliqua mentio.

Colligimus igitur, ius habuisse conuocandi suum senatum, citandi ad se, ligandi, incarcerandi, cædendi virgis, puniendi. Ergo & occidendi, lapidandi, in causa religionis, si qui patriam religionem euertere conarentur: probabili ratione, hoc, non quidem necessaria efficitur. Sed audiamus quid dicant hi, qui contrariam sequuntur sententiam. Primùm dicunt, hoc conuinci Iudæorum propria confessione, qui apud Pilatum dicunt, non licet nobis quenquam occidere. Ioan. 18.

Respõdemus hoc dictũ non tollere ius illis cõcessum sed inseruire solùm causæ, quæ tũ agebatur. Quæstio erat de occidẽdo Christo, nouo, & insolito genere mortis: quod genus supplicij Moses non præceperat. Recessuri igitur à Mose dicũt, sibi nõ licere, quia Moses blasphemũ non iusserat crucifigi, sed lapidari: hoc igitur nouo genere mortis non licebat quenquam occidere. Pilato autẽ licebat. Hæc ferè est quoque huius loci interpretatio diui Chrysostomi: qui iudicat, Pilatum voluisse causam hanc à se remouere, quia enim Christus vt blasphemus occidendus est, qui dixerat se Filium Dei, excepit Pilatus, ergo causa non ad me spectat, sed ad vos. Accipite igitur eum vos, & secundùm legem vestram iudicate illum: hoc est, vt Moses vester iubet blasphemum occidere, occidite illum: sic lapidandus erat.

At hoc illi nolunt:sed more Ethnico tolli in crucem,ideò dicunt non licet nobis. Aut certè dicunt,non licere ipsis quòd non audent metu seditionis impediti:solemus enim dicere, non licere quod tutò non possumus,licet cupiamus:sic propè interpretantur alij,vt August. & reliqui. Non igitur ad totum ius puniendi capitaliter sententia ista pertinet.

Argu. à Stephani supplicio.

2. Cùm obiicitur supplicium Stephani,illi dicunt,hoc per tumultum fuisse factum, ac læsam hîc non mediocriter Romani Præsidis authoritatem, Act. 7.

Primùm hîc sumunt,quod probandum fuerat. Scriptura enim hîc nihil refert de Præsidis offensione,sed his rebus abest,tanquam ad ipsum:nihil spectantibus:itaque non læditur ipsius authoritas. Deinde ipsi sua authoritate capi iubent:sistunt suo iudicio,non Pilati, testes subornant,quia crimen hoc secundùm Mosen testibus debuit comprobari, hos audiunt:defensionē similiter:ordinariè per testes etiam lapidant,nec hic peccant in priuilegia,nisi quòd falsis agūt testibus, & innocentem lapidāt. Hac lege maluisset Pilatus quoque ab ipsis occisum Christū, modò liber ipse esset à causa tam odiosa.

3. Asserunt Romanos illis omnes ius causarum capitalium ademisse. Hoc quidem fieri potest vt deinceps factum sit, vbi plena illis omnium rerum potestas est adempta. Attamen dum pacatè viuerent sub præsidibus, verius est dicere, Romanos eis permisisse idem quod aliis nationibus: vt Græciæ reliquêre suam libertatem, & regibus subactis, sua priuilegia: Alexandrinis integra mansit libertas: Ægypto quoque, quanquam eò mitterentur Præsides, Proconsules, & similes. Sic Iudæa retinuit suam libertatem, quamuis haberet Præsidem, præsertim in causis religionis, de quibus Pilatus nec alius Romanus diiudicare poterat. Atq; hoc adeo firmum est, vt etiam in extrema obsidione concessuri essent priuilegia integra, modò deditionem facerent: id palàm perspici potest ex lib. 6. Iosephi belli Iud. cap. 11. vbi Iosephus ipse, nomine Romani Imperatoris alloquitur his verbis Iudæos obsessos, *Romani solenne poscunt tributum, quod parentes nostri, eorum parentibus pensabant: & si hoc impetrauerint, neque populantur ciuitatem, neque sacra omnino tangunt, concedunt autem vobis familias liberas, & possessiones tenere, sacrásque leges saluas manere patiuntur*, &c. faciunt hoc Romani in extrema obsidione, quid ergo superioribus fecerunt temporibus? vtique saluas permiserunt patrias leges, vt Iudæi iudices essent & executores capitalium criminum. Hinc refert idem Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 5. Pompeium, Aristobulum solùm verbis correxisse, de priuilegiis nihil imminutū. Satis erat Romanis prouincias possidere non rebellantes, quo nomine præsides præsidia habebant, & prouincialibus indulgebant secundùm suas leges viuere, quod omnes testantur Romanæ historiæ.

Synedriū quomo. per Herodē sublatū à Iudæis.

4. Quòd afferunt Synedrium hoc sublatum, ab Herode magno. Respondemus non ita sublatum, quin alij sint semper suffecti, ac idem Herodes Iudæis etiam in aliis prouinciis habitantibus impetrauit à Cæsaribus Romanis libertatem, patrio iure & legibus viuendi: quod videre licet, lib. 16. Antiq. c. 6. Cùm igitur ante Herodē, sub ipso, & post eum, vsi sint non solùm Hierosolymis, sed in aliis etiā prouinciis Romanis, ea libertate, vt patrio more viuerent: superest vt credamus ius gladij illos retinuisse, in causis ad religionem spectantibus. Hinc factum arbitror, vt Gallio reiiceret Corinthi Iudæos à tribunali. vide Act. 18, & 19.

5. Apud Iosephum lib. 20. cap. 16. Iudęi quidam occurrentes Albino, dicunt Anano pontifici non licuisse conuocare concilium sine Albini consensu. Sed respondemus historiam illic præcedēti cap. 15. docuisse, Festo mortuo succedere Albinum, qui adhuc in via erat, nec mirum, si in hoc casu & interregno, hoc Pontifici non licuerit, quod liceret legibus iterum confirmatis per nouum præsidem, &c.

DE VOTIS.

LOCVS CXXX.

Definitio Voti.



DE Votis acturi, hanc initio statuemus definitionem, vt res, de qua agitur, planior sit. Votum est promissio animi ardenter orantis, Deo facta sponte, de rebus licitis, & pio fine.

Qui votum suscipiunt, Rei voti appellantur, damnati voti: Ac votum primùm concipitur animo, quod apud Hebræos ferè est *neder*: deinde dicitur effundi seu emitti votum, cùm accedit vocis declaratio, qua se homines votiui numini obligant, id propè valet *kiiem* apud Iudæos. Latinè stabilire, effari, facere vota. Denique soluuntur tandem vota, quod est reddere votum: & à voto, ritu quodam absoluuntur ac liberantur, quò pertinet *cherl*. Græci similiter temporibus illa distinguunt.

Nam εὔχειν & εὔχεσθαι apud Græcos dicitur animus secum meditantis obligationem votiuam: εὐχὰς autem ποιεῖσθαι, dum vota facit: vocis contestatione: ἀποδιδόναι verò dum soluit, ac reddit vota: si verò res ex animi succedat sententia, pro qua vota suscepimus, εὐχῇ χρῆσθαι dicimur,

cimur, voto potiri, & compotes voti: sed ad definitionem reuertamur.

Partes definitionis.

In definitione illa sunt membra, quæ nobis in præsentia sunt explicanda. Primùm quis vouere debeat. Deinde cui vota fieri debeant. Tertiò quæ sit votorum materia, & quartò quis illorum finis. De his ita agemus, vt simul ostendamus, quo pacto in his à legitima via exorbitent hodie bona parte votiui homines.

I. Cùm igitur quæri solet, quis voto sese obstringere possit aut debeat? Respondemus, animus ardenter orando propriè vouet aliquid, hoc est, promittit: hinc promissionem ponimus loco generis, quod etiam Canonici faciunt. Magister sententiarum testificationem vocat: sed hæc verborum potiùs est, illa animi. Nec negamus verbis effari votum: sed originē indicamus: ideóque modum addimus animi ardenter orantis, & mox, sponte facta, quæ differentiæ sunt: prior excludit inconsulta vota, posterior coacta. Admonemur his, tota oportere graui de causa suscipi, ac matura deliberatione: in quo cōsentiunt iura Canonica quoque. Et Romę votum nisi authoritate pontificum ac senatus esset comprobatum, irritum habebatur. Sacræ literæ hic etiam examinant personæ vouentis conditionem, hoc est, vt vouens liber sit, alioquin non valere votum, etiam honestè conceptum. Vxoris votum non valebat, nisi approbante marito. Filiæ votum quoque irritum erat, nisi consentiente patre: sic iudicari debet de voto serui, de voto filij nondum emancipati, quorum vota non præscribebant superioris iuri. Sed tamen oportebat mox contradicere voto, postquam enunciatum esset, alioquin & harum personarum vota firma censebantur.

Vota graui de causa suscipienda.

Hodierna vota in eo vehementer peccant, cùm fiant bona parte inconsideratè, nullo ardore orandi adhibito, leuiter concipiuntur, ita mox leuiter persoluuntur. Deinde rarò sponte concipiuntur: sed persuasionibus eorum, ad quos transeunt deuoti, aut superiorum authoritate, quibus hoc negare votiuis non est tutum. Olim nec maritus vxorem, nec parentes liberos ad vota compellabant: concepta autem poterāt infringere: hodie secus fit. Ratio est, quòd illi sciebant religionem non esse in votis positam, quin sine illis salutem à Domino & omnia salutaria consequi possent: nos contrà, si vota efferimus, quasi sine his vel nulla salus esset, aut melior via per vota pateret, quàm extra illa.

Considerādum igitur est voturis: an liceat illis vouere, hoc est, an liberi sint, deinde an possint, ac omnino velint implere quod vouent. Nec enim ludendum est cum Domino, vt fit hodie: cùm voto obstricti, mox dispensationem voti impetrant, ac soluunt, quantùm volunt, ac placet, in suo voto. Dominus Christus dixit de castitate & Eunuchis ad regnum cœlorum, *non omnes capiunt verbum hoc*, & Apostolus de virginibus se præceptum non habere, ideóque nullum est obtrudendum. Sed ad reliqua.

Papistæ dispensatione vota soluūt.

II. Cui sit vouendum: duplici modo hîc peccatur. Ethnici olim idolis & diis falsò dictis vouerunt. Christiani verò nonnulli sanctis, qui & ipsi dij non sunt, vouēt. At soli Deo vouendum esse, ratio & scriptura dictat: ideo in definitione posuimus Deo factam promissionem. Ratio enim manifesta est: ei vouendum est, qui sua natura habet ius in nos aduertendi, violati voti nomine. At solus & vnus id habet Deus, itaque soli vouendum est. Deinde ei vouendū est qui à nobis vota pia exigit, at solus Deus talia exigit, non qui dij non sunt: non sancti, qui hoc nullibi declararunt in scripturis.

Soli Deo vouendū.

Scripturæ in hac quæstione expressæ sunt. Deut. 23. *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud*, alioquin requirendo requiret illud Dominus Deus tuus à te, & erit tibi in peccatum. Cùm enim iubet reddere votum Domino Deo nostro factum, satis indicat reliqua vota, stulta & impia non ligare nos. & Psalm. 76. *vouete & reddite Domino Deo vestro*, non aliis vouere iubet. Psalm. 56. *super me sunt vota tua Deus: reddam gratiarum actionem tibi* Psalm. 66. *reddam tibi vota mea*. Psalm. 116. *vota mea Domino reddam*. Et in summa, scriptura non alium proponit, cui vota sint nuncupanda, quàm ipsum Dominum Deum.

Et sanè sanctis malè nuncupari certum est, cùm dij non sint, & nullibi illa requirant in sacris literis: accedit firmissima etiam ratio ab aduersariis sumpta. Nam Canonicum ius sic etiam definit votum, vt Deo dicat esse factam promissionem: & Magister sententiarum, quòd sit testificatio promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt fieri debet. Quod si sanctis fieri debent, malè definierunt: sin rectè definitum est, vti etiam est, malè illi sanctis vouent. Præterea, sancti cùm sint subiecti & desponsati vni Christo, nullo iure possunt se desponsare, vt illi loquuntur, vllis sanctis: aut enim irrita erit prior desponsatio Christo facta, quod nolunt videri dicere: aut insufficiens est, quod verbis & re ipsa loquuntur: quanquam falsum sit, & alienum à doctrina Christi & Apostolorum.

Sanctis vouere nō licet.

Magis & fœdiùs peccarunt Ethnici hac in re, idolis, statuis, ventis, dæmonibus quoque vota nuncuparunt: ac ita ferax fuit illa ratio, vt singulæ professiones haberent propria numina quibus vouerent: agricolæ, Opi pro fertilitate: Syluano, pro incolumitate boum vota faciebant, nautæ Polluci & Castori, iuuenes horæ: pastores Pani, viatores Herculi, fures Mercurio & Lauernæ, amatores, Veneri & Cupidini. Augustus Imp. Circio quoque vento vouit, ne Galliam perderet, cuius tanta vis erat, vt tecta passim auferret. Calabri Iapygi vento vota faciebant: Athenienses Scironi: Thurij Boreæ: quia Dionysij classem contra ipsos instructam funditus

Propria nomina quibus Ethnici vouebāt.

uertisset. Et Græci ventis omnibus: quòd Xerxis classem dissipassent. Imperatores Romani diuersis numinibus interdum in bello difficili vota nuncupabant: quæ post victoriam reddere solebant. Hæc & similia refutari possunt facilè, cùm illa numina non sint: sed dæmoniaci spiritus, aut muta idola, ad quæ Satan homines à vero Deo reuocat.

Materia votorũ apud Ethnicos.

III. Materia votorum varia est, præsertim apud Ethnicos, quos legimus vouisse templa, ludos, statuas, vestes, coronas ex auro & gemmis, varia sacra, Hecatombas interdum. Dux exercitus gladios, scuta, currus, naues, machinas bellicas, aliaque hostiũ spolia: quæ deinceps in vnum locum congerebant, ac incendebant, Vulcano, Marti, & Palladi, aliisve diis. Interdum decimam partem agricolę etiam Herculi. Pro salute puerorum parentes capillum vouebant, inde conualescentes radebantur. Legimus de Aristotele quòd pro salute Nicanoris ægri, Ioui Seruatori statuam vouerit, & alteram Iunoni Sospitæ.

In sacris literis reperio hostium spolia deuota esse ab Israëlitis. Num. 21. *& vouit Israel votum Domino dicens, si tradendo tradideris populum istum in manum meam, delebo vrbes eius anathemate:* sic deleta est Iericho, Iosu. 6. & quia omnia spolia erant Deo deuota, tanquam fur lapidatur Achan, ibidem capit. 7. sic Agag cum omni præda Amalecitarum deleri debuit. 1. Sam. 15. In nouo Testamento Paulus votum habet Cenchreis, Act. 18. quod reddit Ierosolymis radendo caput, & alia offerendo, Act. 21. 1. Sam. 1. Hanna vouet filium, pro quo orabat Domino. Iud. 11. Iephthe in genere vouet, id quod primò de domo sua illi occurrerit. Leuit. 27. in vota cadunt animalia, tam pura quàm impura: res etiam inanimes, vt domus, sola primogenita illic à voto excipiuntur. Iud. 17. Michæ mater suam pecuniam vouet religioni, ac fit inde idolum apud argentarium.

Iephthe votum illicitum.

Illa ferè est varietas votorum, si materiam consideres: quam nos in definitione limitauimus, addentes, de rebus licitis. Nam Iephthe votum culpatur, matris Michę impium est, quale etiam Iudæorũ Act. 23. qui vouerãt se occisuros Paulum: sic irritum votum erat, si vxor non consentiẽte marito voueret, filij inscijs & reclamãtibus parẽtibus, aut si idolis fieret: alia aliis de causis.

Hìc quæri solet, an quoduis votum solui debeat.

Facile est respondere: non quoduis soluendum esse. Primùm enim primogenita si per imprudentiam vota fuissent, irritum erat votum: sic de filia, vxore, ac similibus personis, quarum vota irrita faciebant parentes, maritus, ac domini. Præterea Michæ votum, vt impiũ taxatur, quia idolum factum est ex illa pecunia. Vnde elicitur, vota ad idola facta, & vsus veræ religioni contrarios, inualida esse.

Quæ vota solui & reuocari possint

Et est hìc eadem ratio voti, quæ & iuramenti: nam vt hoc solui non debet, si sit contra officium, quale fuit Herodis iuramentum, quod magno cum scelere compleuit. Dauidis de occidendo Nabal, quod cum laude reuocauit: sic votum si fit contra officium, cõtra bonos mores, aliisque modis peccat, reuocari debet.

Pia Isidori sententia.

Citatur Isidori pia sententia in iure Canonico: *In malis promißis rescinde fidem, In turpi voto muta decretum: quod incautè vouisti ne facias: impia est promißio, quæ scelere adimpletur.* In hanc sententiam vide plura testimonia collecta à Gratiano, causa 22. quæst. 4. ex Beda, Ambrosio, Augustino, & quibusdam conciliis, &c.

Iustinus Martyr in quæstionibus alicubi citat votum Iephthe, ostendens, quàm sit perniciosum vota temeraria complere. Ac indicat Deum ob id permisisse vt id compleret, quò homines haberent exemplum, ne vnquam sua vota Deo ἀορίστως nuncuparent.

Error Hieronymi.

Itaque falsa est sententia Hieronymi dicentis, *melius esse vouere, quàm votum non præstare.* Nam in malis votis melius est non præstare.

Qualia sunt, primùm si voueamus id quod in potestate nostra non est, quale erat Iudæorum votum de occidendo Paulo. Act. 23. nolebant illi vel edere vel bibere donec occidissent Paulũ: sed quid si Deus non permittat? non videbant stolidi homines in sua manu non esse hoc præstare, donec euentu confunderentur.

Deinde, si pugnet cum voluntate Dei: vt si quis scorto fidem suam obliget: amatores vota sua concipiunt vt succedant amatoria sua consilia, pugnant cum Dei æterna voluntate detestantis scortationem & vagam libidinem.

Tertiò, si cum manifesta iniuria proximi sit coniunctum: quale erat votum Herodis, Iephthe &c. talia sunt cùm vxores contra voluntatem spondent cœlibatum, prætextu castitatis, & parentes voueut filiorum cœlibatum, cum illorum iniuria.

Quartò, si non adsit notoria vtilitas in voto: vt qui certis diebus hos vel illos cibos abiurant.

Quintò: si non vni Deo fiat: sed creaturis, vt sanctis, idolis, vel spiritibus: de quo iam diximus.

Sextò, si impossibilia sint, quæ seruare non possunt vouentes: vt qui castitatem vouent, cùm illis datum nõ sit, his vtique melius est reuocare votũ, quàm polluere se scortatione manifesta.

Vota monastica.

Pertinet huc censura votorum Papalium: nam in materia votorum superstitiosi sunt. Vouent paupertatem quidam, cum in mediis deliciis vitam degant.

Vouent castitatem, cùm tota illorum vita spurca libidine defœdata sit. Obedientiam sui ordi-

ordinis, & subtrahunt se ab obedientia parentum, magistratuum, adeóque ipsius Christi: in quibus sanè ludunt cum mundo, Deum verò ad meritas pœnas prouocant, quas de illorum leuitate sumit.

Damnant eos propria vota, tum quia inconsideratè suscipiuntur, tum quia non Deo vouēt, sed sanctis, tum quòd sibi impossibilia voueant. Denique quòd in his, quæ possent præstare non faciunt: grauissima est Domini sententia de votiuis, redde vota tua Domino: libēter audirem ab eis, quid sit reddere? fortè quantùm placeat & velis: sed id scriptura non fert. *Non tardabis illud reddere, alioquin erit tibi in peccatum:* reddendum igitur est non solùm perfectè, sed promptè & citò: sed quid illi? indulgentiam reddunt, relaxationem, & tamen specie voti se tuentur: quasi vouisse satis esse possit, impletio verò compensetur indulgentia.

Dominus reddi vult votum: quis enim te coëgit vt voueres castitatem? liber eras, & nubere licebat, vxorem ducere poteras, saluus sine voto in matrimonio fieri potuisses, libertatem tibi demis, quam Deus tibi concesserat. Sed dicis, nesciebam imbecillitatem meam, voti pœnitet. Muta igitur decretum, rescinde fidem, Deus non delectatur tuo interitu, non placet ei tua stultitia in voto. Aut enim reddendum est, quod Domino promisisti, aut decretum mutari debet, nullum hìc admitti potest tertium.

IIII. Finis votorum pius esse debet, hoc est, vt ad veram pietatem faciat. Fiet autem eò: si gloriam Domini promoueat: si vtilitatem proximi respiciat. Finis votorū pius esse debet.

Veteris Testamenti vota talia fuēre. In summis periculis ad Deum votis confugiebant, quibus testabantur Deum his solùm posse mederi: talia fuerunt bellica vota. Aliàs vt testarentur animi gratitudinem, quale fuit Iacobi, Genes. 28. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via illa, decimando decimabo tibi omne quod dederis mihi.* Aliàs honesta exercitia corporis, vt ad docendum alios essent habiliores: talia fuēre Nazaræorum vota. Num. 6. Aliàs vt pius sese approbarent: sic Paulus & vouit & votum reddere voluit, Act. 23. vt sese Iudæis suis approbaret. Ratio & finis voti à Paulo redditi.

Hodie qui fines sint votorum nihil attinet dicere: ex factis vtcunque perspici potest finis. Certum est non esse, quos prætexunt: sed otium, licentiam, immunitatem, libidinem, adeó que ventrem ipsum cum Baccho & Venere.

Romani pro salute ciuium, & imperij æternitate publica suscipiebant vota: priuata pro mitiganda ira numinum, restituenda amicorum sanitate, ac similia sibi proponebant: reliqua vota illegitima censebantur, qua in re nostros superant. Vota publica & priuata Romanorum.

Addamus ad finem pauca, quæ ad diuisionem votorum spectant. In sacris video duplicia vota: quædam tempore belli suscipiebantur: & ob id bellica dici possunt, quale est Israelitarum votum. Numer. 21. votum Iephthe, Iud. 11. Sic Rom. Imp. vouebant manubias, hostium templa, statuas numinibus, &c. Alia pacis tempore suscipiebantur ad declinandam inuidiam: quale est Hannæ, 1. Samuelis. Vel ad approbandos bonos mores, vt Pauli, Act. 18. Aut ad declarādam animi gratitudinem, quale est Iacobi, Gen. 28. Dauidis, Psal. 132. Aut ad exercitia virtutum, qualia erant Nazaræorum, Iud. 16. Ierem. 35. Thren. 4. Diuisio votorū.

Deinde à forma diuiduntur in categorica & hypothetica. Categorica dicuntur vota absoluta, quæ sponte aliquid Deo dedicant sine exceptione aut conditione: qualia sunt, quæ Leui. 27. referuntur, & Nazaræorum vota bona parte categorica erant. Pauli in nouo Testamento simplex est affirmatiuum. Iudæorum in Act. 23. absolutum etiam est sine conditione, ideóque magis impium & præsumptuosum. Hypothetica verò dicuntur, quæ conditionem habent annexā: qualia bellica ferè omnia, & Hannæ votum conditionem habet, *si dederis mihi filium*: & Iacobi, Gen. 28. *si Deus fuerit mecum*, &c. Vota categorica. Vota hypothetica.

Est & illa varietas in sacris literis vtiliter obseruata: quod votum aliud redimi possit: aliud verò redimi non possit. Redimi possunt vota multa apud Mosem. Leui. 27. redimi potest homo, domus, & etiam ager, animal immundum, & similia, si vellet votarius: sed certa æstimatione soluendum erat pro re deuota pretium. de quibus vide locum citatum. Non redimi poterat animal mundum, quod omnino offerendum erat, & sacrificandum. Hodie nulla redimibilia sunt apud implacabiles criticos, cùm hanc æquitatem Dominus ipse dictarit. Apud Ethnicos talia etiam multa fuerunt: quæ redimi non possunt, efficiunt ἀναθήματα, quæ apud Hebræos *cherem*, quia non poterant redire ad priorem possessionem: efficiunt etiam καθάρματα, hoc est, deuotos & execrabiles, qualis erat Agag, Iericho, Achan.

Præterea alia perpetua erant, alia temporanea. Perpetua, quæ durabant ad finem vsque vitæ: quale Samsonis & Samuelis, qui ab vtero deuoti Domino, tales manserunt tota vita: huc pertinent vota quæ redimi non poterant. Temporanea verò quę ad tempus durabant: quale Pauli, Act. 18. Nazaræorum quorum disciplina sponte suscepta, Num. 6. ad tempus abstinebant ab omni vino, cæsariem alebant, & ab omni luctu cedebant: tandem certis oblationibus absoluebantur à voto, & pristinum viuendi genus resumebant. Vota perpetua. Temporanea.

Adde & hanc distinctionem, alia fuisse legitima, hoc est, ritè suscepta, à personis liberis, & honesto fine. Alia illegitima, hoc est, non ritè suscepta ideóque infirma. Priora ligabant: hæc vt stulta & malè suscepta non ligabant per se. Num. 30. filia sub potestate parentū, filius nō emācipatus, vxor viuo marito, seruus nōdū libertate donatus: si vouerāt, eorū vota cassari poterāt.

Huc pertinent vota, quæ manifestam habent impietatem: quale Iephthe votum, Herodis iuramentum, Iudæorum in Act. 23. matris Michæ, Iud. 17. quæ omnia reuocari de iure debuerant. Valet hic illa regula: *In malè promissis rescinde fidem. Impium est votum, quod cum scelere adimpletur:* illa varietas in scriptura obseruatur.

Diuisio votorū apud Scholasticos.

Scholastici ferè duplex faciunt. Vnum commune, quod alij vocant necessarium: hoc omnium fidelium est, & in Baptismo suscipitur. Hoc vouemus obedientiam Christo, bonos mores, emendationem vitæ, diligentiam in officio Christiani hominis, renuntiamus diabolo, carni & affectibus, &c. Alterum vocant singulare, quia superiori accedit, singulari quodam consilio: & quia sponte suscipitur, ideò voluntarium dicitur: ac versatur in his quæ ante votum libera nobis erant, ac peccato carebāt: nec etiam tenebamur illa facere, post votum verò ligant. Hoc vel Priuatum est, vel solenne. Illud, quod seorsim à personis concipitur: hoc verò cùm in conspectu totius Ecclesiæ, aut certi alicuius cœtus confirmatur: quo pacto illi loquuntur de suscipiendis ordinibus & ingressu monasteriorum.

Votum fidelium in Baptismo.

Nos illam addimus, quam video Græcis in vsu esse, & sacris etiam literis cōfirmari. Votum vel est θεμιστόν, vel est ἀθέμιστον. Illud, vel commune & necessarium, quo nos Christo obligamus in Baptismo: vel priuatum ac voluntarium, quod nostro arbitrio suscipimus vel ad tempus, vel tota nostra vita, in quo opus est constantia, vt hoc ipsum, quod vouimus, bona fide & ingenuè præstemus.

Ἀθέμιστον de rebus illicitis, malo fine, à personis etiam non sui iuris suscipitur: at hoc mox rescindi debet, postquam cognitum est. Vt si idolis ac creaturis fiat: si impossibilia contineat, si non in nostra potestate, si coactum sit, non liberum, si à personis non liberis conceptum: si res per se sint illicitæ, &c. ad hæc nostra hodie examina vota, &c.

DE BENEDICTIONE.

LOCVS CXXXI.



Enedictio significat bene ominari, bene precari, & animi fauorem studiúmque iuuandi declarare. Idem est Græcis εὐλογεῖν hoc est, εὐφημεῖν, quod interpretantur τὰ καλὰ καὶ πρέποντα λέγειν. Hinc εὐλογία & εὐφημία benedictio, καλὴ λέξις. Cùm Deo tribuitur, significat bona præsentia nouis ornare & confirmare. Cùm verò homini, tum significat animi gratitudinem declarare, laudando, aut promptitudine iuuando, congratulando, bene precando, vt postea patebit.

Benedictio, cum tribuitur Deo & homini significat diuersa. Barac. quid. Benedicere pro blasphemare per antiphrasin.

Apud Heb. *barac* contrariam habet significationem: h. e. significat tam bene quàm malè dicere. Deus enim benedicit rebus à se conditis, hoc est, fauore suo prosequitur & ornat nouis beneficiis quæ reipsa eis confert, & homo bene dicit Deo suo, hoc est, illum laudat & colit. Contrà 1. Reg. 21. scribitur, *benedixit Nabot Domino & Regi:* hoc est, blasphemus fuit in Dominum & Regem, ideo lapidatur vt blasphemus. Et Iob. 1. versu 11. & cap. 2. versu 5. Satan ait, *Si non in faciem benedixerit.* Græci verterunt, εὐλογήσει σε simili antiphrasi, cùm tamen eodem cap. versu. 5. rectiùs verterunt. Illic Iob de filiis suis loquitur: *fortè peccarunt filij mei, & benedixerunt Domino in cordibus suis,* vbi verterunt κακὰ ἐνόησαν, hoc est, mala cogitarunt. Sic Iob 2. versu 9. *benedic Deo & morere: barek Elohim ve met,* quod verterunt, εἰπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον, καὶ τελεύτα, hoc est, Dic verbum contra Dominum, id est, blasphema & maledic, impurus sis & blasphemus in Deum. Similem reperio antiphrasin in græco verbo εὐλογεῖν. Nam annotat Eustath. Homeri interpres sumi aliquando, pro κακολογεῖν, quemadmodum ὑμνεῖν. Εὐλογεῖν, inquit, ἀντεμφαίνει ποτὲ ὕβριν, hoc est, significat aliquando contumeliari. hoc sensu verbum *barac* significat *kelalah* maledictionem, at si Deo tribuatur, significat bonorum priuationē, vel vt Iudæi loquuntur *kelalah megerpha hatob.* Quando homini tribuitur, detestationem significat & execrationem. Quæ omnia ad locum de Maledictionibus pertinent.

Nos benedictionem vocamus *ein segen* à dicendo *vom sagen.* Significat enim nobis benedicere *guts vber einenn sprechenn, guts einenn vnnuschenn guts sagen.* Sic Christus benedixit infantibus. *Ein benedeiung*, est vox barbara è benedictione, vt apud Iudæos germanos *ein beschung.*

Quid sit benedictio.

Benedictio est declaratio fauoris, qua Deus priora dona nouis ornat, homines autem animi promptitudinem pio voto declarant.

Definitio generalis vtcunque naturam benedictionis exprimit, nam cùm vox sit πολύσημα, vna definitione omnes eius significationes exprimi non possunt. Dicimus autem esse fauoris declarationem quia oritur ex amore benedictio, quem verbis aut rebus ipsis declaramus. Verbis affectum hunc declarant homines bene ominando, comprecando, salutando & similibus, adeo vt hypocritæ quoque videri velint sub his benedicēdi formulis amare & bene velle. Deus autē hunc fauorem declarat reipsa, dū suis creaturis benedicit, nihil aliud eis præstat quàm res

ipsas donat, de quibus loquitur benedictio: vt enim Dei loqui est, res ipsas præsentes exhibere, vt *dixit Deus, fiat lux, & erat lux*, sic Dei benedicere est donare aliquid reipsa Gen. 17. vers. 16. Benedicitur Sara, hoc est, reipsa efficitur idonea ad concipiendum filium.

Benedicere pro donare aliquid.

Sic Deus benedixit Noacho & filiis eius Gen. 9. Abrahamo Gen. 12. Isaaco, Iacobo, & deinceps, hoc est, confertur illis Dei fauor, & declarantur publicè amici Dei. Hoc agnoscit Iacob, Gen. 32 *In baculo hoc transiui Iordanem ipsum & nunc factus sum in duas turmas*: hoc est diuina benedictio in me efficax fuit, & re vera Deus, quod in benedictione mihi promisit etiam re ipsa præstitit. Hoc modo non benedicunt homines: sed verbis voluntatem declarant. Est tamen piorum benedictio efficax interdum, quia cum Dei voluntate congruit, vt videbimus infrà.

Diuisio benedictionum.

III. Distinguamus igitur benedictiones, vt res fiat clarior. Referemus omnes ad duo capita. Nam distinguuntur vel ratione benedicentium personarum, vel ratione rerum subiectarum, quæ in benedictionem cadunt. Ad has igitur metas omnes benedictionum species hoc loco referemus.

Quod personas benedicentes attinet triplex nobis emergit benedictionum species. Nam benedicit Deus: benedicit etiam homo & Angeli, benedicit etiã irrationalis Dei creatura. Prima est ἐνεργητική, altera, εὐκτική, tertia δηλευτική, singula videamus.

Dei benedictio.

Deus benedicit ἐνεργητικῶς: ideo Dei benedictio est bonorum præsentiũ cõfirmatio, quæ nouis ornat, & auget cumulatim. Dei benedicere, est dare & donare sua beneficia, homines ornare suo fauore & gratia ἐνεργητικῶς, vt quod rebus creatis benedicit addendo, *Crescite & multiplicamini*: simul dedit vim crescendi, & multiplicationis ipsis rebus, in qua benedictione adhuc perdurat tot rerum species. Hinc pecudum species conseruantur, auium & piscium genera, plantarum differentiæ. Hinc fertilitas terræ, & vis alendi, nutriendi, crescendi. Summa rerũ conseruatio ex illo benedictionis fonte promanat. Ideo Dauid ait, Psal. 104. *Cùm aperueris manum tuam saturantur bono, & cùm absconderis faciem tuam conturbantur.*

Deus nõ nudis verbis, sed effectiuè benedicit.

Iudæi dicunt, benedictio Dei est *tocet hatob* augmentum boni, quos nos diceremus cumulatim ornare donis, significantes Deum, non nudis verbis sed effectiuè benedicere, nouis ornare beneficiis. Græci rem eandem aliis verbis efferũt. εὐλογία Dei est πληθυσμὸς ἀγαθῶν, ἐξ ἑκουσιότητος διδόμενος, hoc est, copia bonorum vltro collata. Cùm enim Deus benedicit, non solet vnum sed multa bona conferre, non parcè, sed cumulatè ornare: nec inuitus, sed sponte, & singulari quodã benefaciendi studio, vt rebus conditis infinita contulit, in fructificatione & multiplicatione: sic fœcunditatem, dominium & similia confert: in benedictione hominis, Genes. 1. vers. 28. Sic in benedictione Noachi, Gen. 9. vers. 1. Hanc vim diuinæ benedictionis, scriptura aliquando reduplicatione verbi exprimit, vt Gen. 22. vers. 17. *Benedicendo benedicam tibi*, quod sumpsit inde Apostolus ad Hebr. 6. versu 14. *Benedicendo benedicam tibi*, hoc est, certo certius fortunatum & felicem te reddam, & amplissimè ornabo te meis donis, quod reipsa præstat: Diuitem facit, hostibus terribilem, apud peregrinos admirabilem, reges illi facit amicos, ornat eum longa vita, sanitate, & quod maximum est sobole benedicta, in qua omes gentes sese fœlices & beatas prædicant. Itaque in Dei benedictionibus, connexa sunt promissio bonorum, & possessio vt dicitur in Psalm. 107. versu 37. *Benedixit eis, & multiplicati sunt valde, nec imminuta sunt pecora eorum.* In hominum benedictionibus non perinde semper.

Subdiuisio.

Porrò Deus non eodem modo benedicit, aliquando enim benedicit mediatè: aliquando verò immediatè: posteriori modo Patriarchis benedixit, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, aliisque infinitis, quibus contulit tam externa quàm interna sua beneficia. Sic rebus conditis immediatè benedixit, id est, contulit vim crescendi & conseruationis.

Propter alium.

Mediatè verò, benedixit Labano propter Iacobum. Gen. 30. & domui Ægypti benedixit propter Ioseph. Gen. 39. hoc est, in horum gratiam illi benefecit, quibus alioquin sua beneficia non erat collaturus. Sic hodie adhuc benedicit Deus Rebuspub. propter pios aliquos, benedicit regnis propter suos electos exules, benedicit mundo propter pios, quos inde ad regnum cœleste colligit.

Per aliũ.

Mediata etiam est benedictio, quia nobis per alium benedicit. Sic electis omnibus benedixit Deus per Filium suum Christum.

Christi.

Huc pertinet speciosa illa benedictio. In semine tuo benedicentur omnes nationes terræ, hoc est, per semen hoc benedicentur à me, & ipsæ in eodem semine beatas sese prædicabunt præ aliis rebus omnibus, in hac re gloriabuntur in primis, quòd in Christo sint benedictæ & electæ, Gen. 22. Gal. 3. Eph. 1. *Benedixit nobis omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, hoc est, per Christum nobis his cœlestes benedictiones applicauit, & gratificatus est. Hæc benedictio omnium benedictionum fons est: huius typus fuit benedictio Sacerdotalis, qua solenniter solebat populo Dei nomine benedicere. Num. 6. *Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui: Leuet Dominus faciem suam super te, & ponat te in pace. Ponet itaque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis.* Quibus significat Dominus solenniter quidem sacerdotem efferre benedictionem: sed illam efficacem esse Dei imperio.

Sacerdos summus.

Et quia per Christum nobis benedicit Deus tanquam summum sacerdotem, & pontificem,

Benedictiones Christi. ideò Christus quoq; vt verus Deus potestatem diuinam in suis benedictionibus expressit. Luc. 9. ver. 16. *quinque panibus & piscibus duobus benedixit*, εὐλόγησεν, quod verbum etiam Marcus in eadem historia cap. 6. versu 41. seruauit, vbi quidam εὐλογεῖν, interpretatur pro εὐχαριστεῖν, vt sit sensus benedixit, hoc est, gratias egit: sed non satis attentè respiciunt personam benedicentis, non enim homo hic nudus benedixit panibus & piscibus, vt non satisfaciat is sensus, gratias Deo egit pro præsenti munere & cibo. Sed is sensus est, Christus benedixit, hoc est, dona præsentia, sua potestate diuina auctiora reddidit, nouum beneficium contulit, nouam gratiam qua priora dona ornaret, & auctiora redderet. Nã quòd pisces & panes alerẽt id iam habebant ex prima Dei benedictione: sed vt quinque solùm panes & duo pisces tantam multitudinem alerent, hoc verè erat nouum beneficium & verè miraculum diuinũ, quod illis Christus contulit hac sua εὐλογία. Itaque aliquid amplius voluit dicere de Christo, quàm quod gratias egisset. Non inficior tamen simul adfuisse hîc quoque εὐχαριστίαν. Sic Dominus Saræ benedixit, Gen. 17. hoc est, priora beneficia confirmat, & simul hoc confert, vt anus contra naturæ cursum idonea sit ad generationem. Ideo Abrahamus commendatur ab Apostolo, Rom. 4. quòd non considerarit emortuam vuluam Saræ: sed Dei potentiam, ac contra spem in spem crediderit, didicerat enim tum Abraham quantum benedictionibus esset tribuendum.

Quid apud Papistas significet benedicere in Cœnæ institutione. In Cœnæ Dominicæ institutione legimus Christum benedixisse apud Mar. 14. εὐλογήσας ἔκλασε, quod pontificij interpretantur per consecrauit: ac benedicere vel consecrare illis est, occulta quadam vi verborum mutare res præsentes, in corpus & sanguinem suum: sed confutat eos historia institutionis, in qua tota, nulla fit miraculi alicuius mentio, quod minimè erant omissuri Euangelistæ, si quod hîc subesset. Deinde proprietas verbi εὐλογεῖν, quod, cùm Deo tribuitur significat præsentia beneficia ornare nouis: nec est necessum, id semper miracula habere coniuncta: vt hic Christus benedicit pani & vino, hoc est, donis addidit noua beneficia: quòd enim panis & vinum alunt, id habent ex prima Dei benedictione: quòd autem symbola sint mortis suæ & mystici corporis sacramenta, symbola sacramentalia, id nouum erat: hactenus

Matt. 26. enim agnus Paschalis mortis Domini typus fuerat, eo typo abolito, noua instituit symbola sacramentalia. Præterea reliqui Euangelistæ, & Apost. Petrus nobis declarant quid sit hic εὐλογεῖν benedicere: qui vno consensu, εὐχαριστήσας verbo sunt vsi, vbi de poculo loquuntur. Et idẽ significare in hoc negotio εὐχαριστεῖν καὶ εὐλογεῖν ex Matth. facilè perspici potest, qui vtroque vtitur. Nam de pane loquens, inquit εὐλογήσας: mox de poculo εὐχαριστήσας, significans benedicere, hic etiam gratias agere. Lucas verò & de pane de poculo, habet verbum εὐχαριστήσας Apost. autem 1. Cor. 11. de pane solum ponit εὐχαριστήσας, quod verbum à communi repetendum est in calicis institutione.

In Cœnæ institutione gratias agere & benedicere idẽ est. Itaque idem est in hac institutione gratias agere & benedicere, quanquam nouum aliquid symbolis externis eueniat: non tamen id, quod illi volunt, sequitur: cùm non possint monstrare quibus verbis illa istorum consecratio contineatur.

Diximus de benedictionibus Dei, hoc est, quid significet vox illa, quando Deo tribuitur. His coniunximus Christi mediatoris benedictiones miraculosas: & sacramentales, quæ miraculo carent. nunc ad hominis benedictiones transeundum est.

Homo benedicit. Hominis benedictiones sunt εὐκτικαὶ, quia magis votum exprimunt, quid homo cupiat & velit, si possit. Si quæ in his est efficacia, à Deo tota pendet. Sed res distinguenda est. Variis enim modis dicitur homo benedicere. Hos sic distinguamus. Vel homo benedicit Deo, vel homo homini, vel aliis rebus. Obiter hic etiam admoneamus, benedicere alicui & benedicere aliquem indifferenter nobis sumi. Sic enim video scripturam quoque loqui, non anxiè seruato discrimine.

Benedicere alicui, & benedicere aliquem indifferẽter sumi potest. Homo igitur dicitur benedicere Deo. Primùm laudando, celebrando nomen eius: quam laudem excitat in nobis sensus & recordatio præteritorum beneficiorum, aut etiam præsentium, ob quæ grati esse volumus, nósque Deo approbare. Psal. 103. *Benedic anima mea Domino*, hoc est, lauda illum, & addit, *nec obliuisceris omnium beneficiorum eius*, significans excitari se recordatione beneficiorum Domini, vt prorumpat in laudes diuini nominis. Hinc dicitur Deus benedictus, hoc est, laudandus, Psal. 106. *& benedictum nomen Domini*. Psal. 113. subsunt tamen hic etiam pia vota, quibus significat quid cupiat, & quid præstare vellet, si posset

Quomodo Deus ab hominibus benedici dicatur. scil. Deum & nomen eius omnibus rebus anteferre, illustrare apud omnes, magnum & augustum reddere in toto mundo. Quo loco obseruandum est, Deum sua natura benedictum esse, nec per se egere nostra aliqua benedictione ad nominis sui celebritatem, sed nos ex officio hoc illius debere maiestati, vt confiteamur hoc nomen omnibus modis & numeris absolutissimè benedictum. Id pulchrè explicat August. in explic. Psal 66. Non augetur, inquit, Deus nostra benedictione, nec minuitur maledictione nostra, qui maledicit domino, is minuitur: qui benedicit Domino, is augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est vt & benedicamus Dominum: illa pluuia, iste fructus est, &c.

2. Gratias agendo. Deinde dicitur homo Deum benedicere, hoc est, adorando, gratias agendo pro acceptis beneficiis. Psal. 100. *Laudate & benedicite*, hoc est, grati sitis, agite gratias pro acceptis beneficiis, adorate illum, & sequẽs est significatio, qua εὐλογεῖν significat εὐχαριστεῖν, & εὐλογία εὐχαριστία. quod manifestum est ex 1. Cor. 14. quandoquidem si benedixeris, εὐλογήσῃς spiritu, *is qui implet*

locum

locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ad tuam gratiarum actionem τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ? vbi expressè εὐλογίαν interpretatur per εὐχαριστίαν.

Atque istæ benedictiones hominum, quibus Deo benedicunt, constant verbis nudis, quibus sese Deo vt gratos approbant, quæ quia ab hypocritis sæpe vsurpantur: ideo addamus tertium benedictionis modum, qui constat vita & moribus. Sic benedicere significat ornare Dei nomen, efficere vt ab aliis benedicatur per nos. Ideo Dauid inquit, *Benedicant & laudent Dominum omnia interiora mea*: significans ad iustam hanc benedictionem totum hominem requiri, vt non solum verbis nomen Dei celebret, sed vita & moribus, hoc est, innocentia vitæ Dei nomé ornet. Sic inquit August. in Psal. 25. quidam voce benedicunt: quidam moribus, &c. Nam vt nomé Domini malè audit inter gentes propter populi flagitiosam vitam: sic bene audit ob vitę innocentiam, quod est benedicere & maledicere, hoc est, efficere vt talia fiant. Obserua diligenter, quomodo hodie moribus benedicamus Domino, certè non aliter quàm Iudæi olim dissolutissimè viuentes. Vita & moribus benedicere Deũ

Secundò homo dicitur homini benedicere. Primùm bene cõprecando, fausta acclamando, quasi dicat, felix & fortunatus sit homo iste. Sic acclamant turbæ Christo, Matt. 21. vers. 9. *Benedictus qui venit in nomine Domini*, hoc est, cumulum benedictionum illi comprecamur, vt felix & fortunatum sit illius regnum. Sic Luc. 1. v. 42. *Benedictus fructus ventris tui*, hoc est, fortunatus, & Maria dicitur benedicta, hoc est, dilecta Deo. Hanc piam comprecationé sequimur aliquando in impositione nominum, vt Benedictus. Homo homini benedicit. I. Cõprecando benedictione Dei. Mat. 21. ver. 9.

Benedictum vocamus, quem Deo benedictum esse cupimus, hoc est, fauore & gratia Dei ornatum: εὐλογημένος enim talem significat. Sic Laban famulum Abrahæ appellat, *ingredere benedicte Domini baruk Iehoua*, quod septuaginta non rectè verterunt εὐλογητὸς κύριος, benedictus sit Dominus. cùm vertendum esset εὐλογητὲ κυρίῳ, vel εὐλογημένε κυρίῳ. *Du gesægneter deß Herrenn* vel qui benedictus es à Domino. Pij omnes benedicti sunt Domini, vtinam verò re & nomine omnes tales simus. 1. In acclamando 2. Impositione nominũ. Gen. 24. ver. 31.

Est etiam huius vsus in salutationibus & valedictionibus. Qui mos antiquissimus est, simúlque piissimus vt scilicet benedicerent in prima statim salutatione quos conuenirent, idémque præstarent abeuntes valedicendo. Sic Gen. 47. v. 7. & 10. Iacob Pharaoni benedicit in accessu, & mox iterum in digressu. Et Psal. 129. v. 8. *Non dicunt prætereuntes, benedictio Domini sit super vos, benedicimus vobis in nomine Domini Iehouæ.* Gen. 31. Laban benedicit filiabus suis abituris, hoc est, valedicendo omnia illis fausta est comprecatus. Luc. 24. v. 51. Christus recedens à suis discipulis in cœlos benedicit illis, hoc est, valedicendo felicia omnia illis est comprecatus, vt felix esset illorum ministerium docendi Euangeliũ. Mos iste ad nos etiam deflexit, vt benedicamus eos quos accedimus aut præterimus, *Gott helff euch*, Deus iuuet vos, *Gott gruß euch*, hoc est, *mach euch greß*, augeat vos, ornet vos suis beneficiis. Sanctissima est benedicẽdi formula, quanquam parum attendamus. 3. Salutando & valedicẽdo

1. Significat enim nos ex animo eis bene cupere, quodq; facturi essemus, si loco Dei staremus.

Deinde illos demum magnos & fortunatos esse, quos Deus sua gratia & fauore extollit & claros reddit. Ideo de primaria causa benedictionum eos admonemus.

3. Et omnes conatus ac labores frustra suscipi, nisi cum timore Domini suscipiantur, vt ab eo expectetur omnis successus. Præterea nobis non deesse animum iuuandi & promouẽdi honestos illorum labores. Atque hæ species benedictionis omnes fiunt comprecando.

II. Grauior & diuinior est benedicendi forma, qua Patres vsi sunt: nã illi Dei spiritu excitati ante morté, benedictiones Dei posteritati denuntiarũt, quibus eos esset ornaturus, siquidem in officio permãserint. Tales sunt benedictiones Iacob. Gen. 49. & Mosis Deut. 28. Leuit. 26. In his benedictionibus confirmantur vetera Dei in ipsos beneficia, vt quòd elegerit eos in Dei populum, quòd dederit eis fœdus suum, quòd promissiones tam spiritualium quàm externarum rerum eis contulerit, demum legem dederit, tutelã certam promiserit, & similia. Deinde illa beneficia nouis ornantur. Sic Moses certam victoriam contra hostes nomine Dei eis promittit, successum in rebus agendis, bona etiam animi, sapientiam, prudentiam: vt maxima sit futura populi huius existimatio apud exteros, contraria his euentura omnia, si non manserint in officio. Quæ omnia experientia confirmauit in eo populo. Tales sunt prædictiones Iacobi prædicentis certissimas benedictiones Domini, & maledictiones, quæ singulas familias Israël consecutæ erant. Tales etiam fuerunt Abrahæ, Isaaci benedictiones ad posteros transituræ, tales etiam Prophetarum. In quibus omnibus benedicere est ἐνθουσιαστικῶς ἀγαθὰ λέγειν, vel ἐνθεαστικῶς εὐφημεῖν, ideo à reliquis distinguendæ sunt. Bene ominando in futurum. Benedictiones patrum.

Tertiò, congratulationem significat benedictio, vt 2. Sam. 8. vers. 10. *Thou Rex filium suum mittit ad Dauid, vt ei benediceret, quòd debellasset Hadarezer*, hoc est, congratularetur Dauidi ob insignem victoriam. Benedicere pro congratulari.

Quartò, benedictio fœdus & pacé videtur significare. 2. Reg. 18. v. 31. Rabsaces inquit ad Iudæos, facite mecum *beracah* benedictionem, & exite ad me, hoc est, fœdus mecum inite, & pacem quam vobis offero admittite. Græci verterunt facite mecum εὐλογίαν.

Quintò, beneficium significat, vt munus, amicitiæ ergò oblatum. Ad Deum si referatur, si-

gnificat gratuita dona quibus suos ornat, hinc phrasis *benedictio Domini super vos*, *benedictio Domini super caput iusti*. Prioris exempla sunt. 1. Reg. 5. vers. 15 *Naaman ait Elisæ, Suscipe quæso benedictionem à seruo tuo*. Gen. 33. v. 11. Iacob fratri suo Esau mittit munus, addens, *Suscipe quæso benedictionem meam*, id est, munus meum. 1. Sam. 25. v. 27. Abigail Dauidi, *Suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua tibi*. 1. Sam. 30. v. 26. Dauid senioribus Iudæ, *Accipite benedictionem de præda hostium Domini*. hinc in nouo Testamento collecta pro pauperibus facta, dicitur, εὐλογία benedictio. 2. Cor. 9. ver. 5.

Benedictio pro beneficio & munere.

Postremò in his benedictionibus quibus homo homini benedicit, consideranda est etiam illa varietas, quòd alia simplex est de rebus externis loquens, quales ferè superiores, alia typica, hoc est, simul res futuras adũbrat, qualis illa, Ge. 14. vers. 19. vbi Melchisedeck benedicit Abrahamo, & in eo Leuitis. Nam hinc Apostolus ad Hebræos 7. vers. 7. Christi sacerdotium præstantius esse docet Aaronico, quia maior minori soleat benedicere. Et simplices benedictiones vel solennes sunt, qualis illa Dauidis 2. Sam. 6. vers. 18. benedicetis populum. Et Solomonis 1. Reg. 8. versu 55. 56. benedictione mittentis populum. Vel priuata, qualis Elizabethę, Luc. 1. & similes.

III. Homo quoque benedicit non solum Deo & homini, sed aliis etiam rebus & laboribus manuum, gregibus, armentis, fructibus terræ, hoc est, benè illis precamur, & vt Deus ista nobis conseruet optamus. Hoc sensu dicitur. 1. Cor. 10. v. 16. *poculum benedictionis cui benedicimus*. Quo loco εὐλογεῖ sumitur pro εὐχαριστεῖν, pij enim Deo gratias agũt in actione Cœnę pro redemptione, quam in filio suo eis exhibuit. Deinde recitantur verba institutionis Christi, Deum laudant, sibi mutuò omnia fœlicia comprecantur, præsentibus etiam donis bene precantur vt Deus illa sumentibus salutaria reddat, vt sint Sacramenta salutis, non condemnationis, quæ est vera consecratio, & benedictio.

Vera cõsecratio & benedictio in vsu Cœnæ.

Ineptum est genus benedictionis, quo hodie benedicunt, aquam, salem, campanas, herbas, terras, & similes res, easque vt benedictas postea reponunt ad singulares vsus, cùm hoc fiat sine scriptura, & sine exemplo pio, sine efficacia quoque, & experientia, nisi accedant Magicæ incantationes, & sunt impius abusus bonæ Dei creaturæ.

Papisticę benedictiones.

I. Post hominis benedictionem, sequuntur Angelorum benedictiones. Benedicunt illi Deo, hoc est, laudant, & celebrant eum Psal. 103. ad finem, *Benedicite Domino Angeli eius virtute præstantes*. Et addit, *qui facitis verbum eius, & auscultatis vocem sermonis eius*: significans quomodo benedicant Deo obedientia scilicet, exequendo illius iussa, defendendo pios in hac vita, puniendo impios, refrænando tyrannos, ministratorij sunt spiritus. Benedicunt iidem etiam hominibus, hoc est, Dei gratiam illis denuntiant, vt Gabriel virgini Mariæ Luc. 1. vers. 28. promissiones eis factas illis confirmant, vt Gen. 32. v. 21. Angelus Iacobo benedicit, & mutat illi nomen: defendunt etiam eos, ac liberant, consolantur alijsque officiis eos iuuant.

Angeli benedicunt.

Sequitur tertium benedictionum genus, quod tribuitur irrationali creaturæ, quæ & ipsa benedicit Dominum Deum creatorem suum Psal. 104. *Benedicite Domino omnia opera eius*. Benedicunt illa, motu suo constanti, quem ex imperio Dei seruant, vt ex eo homines Dei cognitionem hauriant, ab hoc motu non declinant, sed Deo in eo seruiunt constanter. Sic sydera suos seruant motus, Elementa suas facultates, & stationes, animalia bruta, suas actiones, quæ omnia ad Dei laudem cedunt. Omnia sapienter condidit, constanter tuetur, fortiter conseruat. Id conclamat tota mũdi machina, illa benedictio eorum est. Superest alterum caput benedictionum, quo considerantur subiecta, quæ in benedictionem cadunt. Quę vel sunt externæ, vel internæ, & cœlestes, hinc duplex benedictionum genus emergit. Externæ scilicet & internæ.

Irrationalis creatura benedicit Deũ.

Externa

Benedictiones externæ sunt, quæ loquuntur de bonis externis, quales sunt fortunæ bona περιμάχητα, vt loquitur Aristoteles, corporis bona, vt ingenij dotes, quas natura secum adfert.

Terrenę.

Dicuntur benedictiones terrenæ, quales Iudæi in Messiæ promissionibus somniabant, & adhuc ad illas nimiùm respiciunt. De his loquitur Moses Deut. 28. his ornauit Deus Patriarchas, quibus omnia simul dedit, opes, sanitatem, gratiã apud principes, terrorem apud hostes, insuper veram Dei cognitionem, vt in Abrahamo est videre Gen. 24. ver. 35. in oratione serui eius apud Bethuelem. Isaaci benedictio in rebus externis est Gen. 26. ver. 13. 14. & sequentibus.

Communes & generales.

Sed hîc ornat Deus etiam impios, ideò generales, & communes sunt benedictiones, hoc est quæ bonis, & malis perinde contingunt. Ideò ex his non potest coniectura firma sumi gratiæ diuinæ, nã impij, vt plurimùm, opibus, potentia, ingenio plus possunt, quàm pij in hoc mũdo: & quanquam his ornati fuerint Patriarchæ, pauci tamen illi & numero & successione fuerũt: & singuli cum sui temporis impiis Regibus, & potentibus collati, obscuri videbantur externis bonis. Quot impij reges cum Abrahamo vixerunt, quot cum Isaaco, & Iacobo? & quàm illorum fortuna dispar? Quot se potentiores audit Iob, & simul impios nequiores? Interim Deus his etiam suos ornat sæpe, & conseruat inter ipsos impios, vt verè dicere possint quod scribitur Psal. 14. v. 13. *promptuaria nostra plena sunt, eructant ex hoc in illud, oues nostræ fœtæ, boues nostri crassi: non est ruina maceriæ, nec clamor in plateis nostris. Beatus populus cui sic est*. Verùm rarò solet omnia Deus coniungere. Impiis sola externa concedit, piis & electis interdum hæc negat, sed compensat melioribus bonis.

Internæ,

Internæ, & spirituales, & speciales benedictiones sunt in Messia, de vita æterna, & vera Dei cognitione: hac benedictione ornauit posteritatem Abrahæ, Isaaci, Iacobi, populum Iudaicũ, donec Christo nato per Euangelium toti orbi terrarum propositæ sunt, Eph. 1. v. 3. benedictus Deus qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, hoc est, Deus cœlestibus donis nos ornauit. In veteri Testamento sæpe cumulatim vtrunque genus suis contulit, alios separauit, vt Gen. 9. v. 27. Iapheto benedicitur vt dilatetur in terra, hoc est, externa habeat bona. Sem autem vt simul habeat Deum habitantem in tabernaculis suis, id est, vera Dei cognitio huius posteritati promittitur, vt inter eos habitet Deus, quemadmodum postea dictus est habitare in medio populi sui, quem tamen cœli cœlorum non capiunt. Internæ & spirituales benedictiones.

Horum benedictionum omnium fons & caput est Christus Dei filius, in quo & per quem Deus reconciliari humano generi voluit: ideo in æternis quoque benedictionibus ad hoc benedictum semen est semper respiciendum. De his Gen. 12. 18. 22. 26. & 28. Sed de his copiosiùs in loco de promissionibus diuinis. Benedictionum omnium fós Christus.

IIII. Hic iam quæri solet, vnde vim, & efficaciam habeant patrum benedictiones. Respondeo, facilè hoc intelligi posse, si causas benedictionum consideremus. Efficiens primaria benedictionum omnium causa, est Deus, qui cumulatè, & absolutè potest semper priora bona nouis ornare benedictionibus. Sic origo benedictionum ad Deum refertur, Gen. 1. vbi benedixit rebus creatis cap. 2. *benedixit diei septimo*, Noacho, Gen. 9. & sancti veteris Testamẽti in successu Deum semper agnouerunt authorem, imò in benedictionibus non tam suos labores, quàm Domini gratiam fatentur. Sic Iacob, Gen. 33. v. 11. ait, *quia gratificatus est mihi Deus*. Et in Patrum benedictionibus semper Dei fit mentio, Gen. 24. *Dominus Abrahamo benedixit in cunctis*. Prou. 10. *benedictio Domini diuites facit*. De causis benedictionum. 1. Efficiens. Certitudo ad Deum refertur ad què Sancti suas benedictiones retulerunt.

Accedunt postea adiuuantes causæ, vel organicæ, labor, industria, vigilia, cura, quibus tanquam organis Deus vtitur. Sic Patriarchæ rem pecuariam diligenter exercuerunt, aluerunt familiam, coluerunt agros, interim fatentur, Dominus benedixit nobis: significantes euentum, & successum à solo Deo pendere.

Sic quoque hominum benedictiones interdum sunt efficaces, quatenus à Deo proficiscuntur. Id fatemur ipsa salutandi formula *Gott helff euch, Gott gruß euch*, significantes nos Dei nomine ista proferre, cuius solius sit addere efficaciam. Ideò piorum hominum salutationes magni sunt faciendæ, tanquam à Deo dictatæ, quibus ipse Deus nos velit ornare: hinc videmus, Gen. 27. Iacobum & Esau magna contentione ambire benedictiones patris Isaac, quia nouerant has parentum comprecationes pias non esse vanas, sed à Deo inspirari, & dictari, quas euentus postea confirmaret. Contrà videmus maledictiones, & imprecationes piorum virorũ sæpe ratas fieri, vt Noachi de Cham, Gen. 9. quam Dominus habet ratam, & seruum facit fratrum suorũ. 2. Reg. 2. v. 24. Elisæ maledictio rata est, aggrediuntur enim vrsæ, & lacerant petulantes pueros. Ex quo constat sanctorũ benedictiones, & maledictiones à Deo gubernari & ratificari. Cõtrà impiorũ benedictiones irritæ sunt, vt etiã maledictiones illorum nõ sint metuendæ. Hinc Bileam inquit, Num. 23. *quomodo maledicam, cui non maledixit Dominus?* & Psal. 109. *Illi maledicũt, tu Domine contrà benedices*. Vulgò dicimus *kantzenn bettgãg nit zu himmel*, hoc est, impiorũ vota nõ esse rata apud Deũ. Tales sunt hodie bona parte benedictiones, & maledictiones Papę. Gen. 49. ver. 25. de Ioseph. psal 67. v. 56 benedicat nobis Deus noster Ps. 115. ver. 12. Benedicat domui Israel. Ps. 21. ver. 4. preuenisti enim benedictio.

Materialis causa benedictionum est bonum aliquod: quale est triplex bonorum genus, corporis, fortunæ, & animi. Deinde cœlestia bona, quę in Christo nobis promisit Deus Pater. Denique semen illud benedictum hîc considerandum est, in eo enim valent, & ratæ sunt omnes benedictiones, & sunt *Ita*, & *Amen*. hinc in eo omnes nationes terræ benedicentur. q. d. non soli Iudæi in eo benedicentur, sed omnes nationes, hoc est vnicum hoc organum est salutis, nec aliud nomen sub cœlo est, in quo possint ad gratiam Dei redire. Itaque hoc fundamentum est omnium benedictionum piarum. Forma benedictionum est modus diuersus in ipso hominum genere, aliter enim benedicit Deus Ioseph: aliter Abrahamo, aliter Labano, aliter Iacobo, aliter Ismaëli, & Esau, aliter Isaaco & Iacobo, aliter Apostolis Christus, & aliter infãtibus, aliter Zachæo, aliter Lazaro, aliter Iobo, aliter Dauidi, deinde ad formam pertinet successio benedictionis, benedictio seminis promissi, Euæ primò, deinde deriuata ad Abrahamum, Dauidem, demùmque in Christo exhibiti: quam ideam *vidit Abraham, & gauisus est*, testante domino Christo. Materialis. Forma.

Finis benedictionum est declaratio diuini fauoris, item excitare in nobis sensum gratitudinis, vt aliis benefaciamus, simus liberales, humani, benefici, & diuinorum beneficiorum memores. Vltimus demum finis, est ipsa vita æterna, quam concedat nobis Deus benedictus, per Christum, Amen. Finis.

DE MALEDICTIONE.

LOCVS CXXXII.



MALEDICTIO originem traxit ex peccato. Nam mox post lapsum primorum parentum, declaratio pœnarum facta est, nouo sermonis genere, quod Adamo insuetum fuit. Serpenti dicitur *arur atta micol habehemah* maledictus tu præ omni iumento. Et in Heuæ sententia quamuis vox *arur* non reperiatur: tamen pœnæ consequentes ex maledictione sunt. In Adæ pœnis expresse repetitur. maledicta terra propter te, &c. Hæ pœnæ indies latiùs dilatæ sunt, nam peccatum vires sumpsit, magis magísque indies propagatum est. Quare maledictio peccati comes est & sempiternus testis, quòd peccatum Deo displiceat, quòd res sit εὐταξίαν Dei corrumpens & ordinem à Deo institutum. Hinc sæpè repetuntur in posteris, præsertim impiorum. De Cain. Gen. 4. *& iam maledictus tu de terra*. De Cham impio erga Noachum patrem. *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis*, &c. Repetuntur postea sæpè à Mose, à Prophetis, aliisque piis vt constet mundo æterna Dei sententia contra transgressionem.

Origo maledictionis.

Habent Hebræi duo præcipuè vocabula quibus exprimitur. *arur* ab *ar* & *arar*, quod significat maledicere. Græci ferè semper vertunt per ἐπικατάρατον, vt est videre in citatis locis, significat autem dignum exitio.

Kalal fermè idem significat. Originem duxit à *kal* quod est Leue. Nam peccatum στερητικὸν quiddam est, boni priuatio. Hinc peccati condemnatio annihilationem quandam significat. Deinde quia contemptus mandati diuini attenuauit Dei authoritatem. Hinc Iudæi nostri vertunt *ein verlichterung*. Vt in illo loco Deut. 21. *cikilelat elohim talu dam ein verlichterung gottes der gehangen*. Addunt, cùm homo sit conditus ad imaginem Dei, suspensus domino Deo suo sit ignominia. Quod quàm sit firmum illi videant, tantùm ob id affero, vt de voce melius constet. Græci verterunt, ὅτι κεκατηραμένος ὑπὸ θεοῦ πᾶς ὁ κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου. Apostolus tamen ad Gal. 3. vertit per ἐπικατάρατος.

In hac significatione etiam sumitur aliquando *barac*, vt in Iob. cap. 1. Satan inquit de Iobo affligendo: nisi te in faciem benedixerit *im logal paneca iebharec*. Vbi quidam per ἀντίφρασιν statuunt benedicere pro blasphemare, quod tamen Hebræis est *naatz*. D. Hieron. à meliori parte dici vult. Sic 1. lib. Reg. cap. 21. Naboth lapidatur, *quasi benedixerit Deum & Regem*. Iob 2. *benedic*, hoc est, maledic Deo, *& morere*. Hac significatione sæpius occurrit. Iudæi vertunt *straffen*.

Benedicere sumitur aliquando pro maledicere per antiphrasin.

Græci ἀρὰν & κατάραν vocant. Hinc ἀρὰς δεινὰς, & ἀρὰς τελώδεις appellāt diras imprecationes. Latini promiscuè Maledictionem, imprecationem & diras appellant.

Duplices maledictiones.

Sunt Maledictiones illæ duplices. Aliæ peccato pœnas decernunt, aut prædicunt, ipsæ sine peccato cùm sint. Aliæ per se peccatum sunt, & impotentia animi, aut corrupto iudicio in alios statuunt sine certa causa.

Prioris generis sunt Maledictiones Dei, de quibus dixi initiò. Nam Deus cùm sit sine peccato, pœnas decernit peccatoribus: sic Adæ, Euæ, serpenti, mox Caino. Huc pertinet generalis maledictio, quæ in totum humanum genus valuit.

Huc spectant etiam Christi fulmina contra Scribas & Pharisæos passim in sacris literis, inprimis autem Matt. 23. Vbi octies Væ istud dirum contra eos intonat. Hypocritas, cæcos, stultos, ὄφεις & γεννήματα ἐχιδνῶν appellans, quo nihil videtur Christus maiori stomacho, & iustiori indignatione protulisse.

Imprecationes Mosis contra transgressores Legis.

Pertinent etiam huc patrum & sanctorum imprecationes, quales sunt Prophetarum & Apostolorum. Deut. 28. prolixus est catalogus imprecationum à Mose positus contra transgressores legis, in monte Ebal. Iosue. 6 execratio habetur contra restauratorem Ierichuntis, quæ statuitur à Iosua. Ea impletur & vires habet in Hiele. 1. Reg. 16 qui eam restaurauit. Helias duos quinquagenarios cum militibus deuouet vt igni absumantur cœlitus. 2. Reg. 1. Iacob execratur furorem Simeonis & Leui, Gen. 49. Dauid in eo genere imprecationis frequens fuit. Psa. 28. vers. 4. *ten lahem cephalaamuceroan mangalelehem*, redde illis secundum opus illorum, & secundum malitiam operum illorum: secundum opus manuum illorum, da eis: redde talionem ipsorum illis: Psal. 69 *fiat mensa eorum in laqueum eis, in retributiones & in offendiculum. Obscurentur oculi illorum, ne videant: & lumbos eorum fac semper labascere. Effunde super eos iram tuam*, &c. Psalm. 109. à versu 6. vsque ad 20. diræ sunt imprecationes contra hostes suos. *Sint dies eius pauci.* Item *fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua*, &c. Et Psalm. 139. dicit, *consummato odio, odi illos*, &c. In nouo Testamento similia habes. Ioann. Baptista Pharisæos & Sadducæos vocat γεννήματα ἐχιδνῶν. Et Paulus 2. Timoth. 4. de Alexandro, *reddat illi Dominus iuxta opera sua*. Et 1. Tim. 1. ait quòd Hymenæum & Alexandrum tradiderit Satanæ, vt discant non maledicere. In Actis, Petrus Ananiam cū vxore subitanea morte percussit, cap. 5. & cap. 23. Paulus dicit ad Ananiam: *percussurus est te Deus paries dealbate*.

De his

De his omnibus generibus imprecationum facile est respondere. Diuinæ maledictiones iustæ sunt, quia pœnæ sunt peccati: & ob id extare eas voluit Deus, vt esset perpetuum testimonium, peccatum Deo nulla ratione placere. Hinc priuatim peccato maledicit, & publicè: vt est Deut. 27.

1. Vtilitas diuinarum maledictionum.

Deinde vt & nos discamus seriò peccatum fugere, & odisse, vel maledictionis metu. Nam constat diuinas maledictiones non esse nudas imprecationes ex impotenti affectu profectas: sed simul actu affligunt diras pœnas, & spoliant bonis promissis, vt est videre in primis parentibus, in Caino, & aliis.

3. Demum multi inemendabiles sunt, quos suas pœnas vel sic nouisse vtile est, vt illi sint inexcusabiles, & alij discant metuere Dominum, & parere amicis obiurgationibus. Sic Pharisæi indies duriores facti ex Christi colloquiis, tanquam audire debuerunt illa προσφωνήματα, hypocritæ, μωροὶ, τυφλοὶ, οὐαὶ ὑμῖν, ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν, &c. Talibus diris non perfudit emendabiles: sed reprobos solùm, quos sciuit in impietate sua morituros.

1. Quòd verò sanctorum imprecationes attinet, vt Apostolorum & Prophetarum: dicendum, statuendum de his esse, vt de aliis factis specialibus. Quæ ad imitationem nemo pius facilè trahet. Singulare est quòd Paulus Alexandrum Satanæ tradit: Petrus Ananiam morti. Sic singularia, quòd Dauid hostibus Dei singulari quodam spiritu maledicit. Quare vt alij heroici motus ad exemplum non pertinent: ita nec in imprecationibus faciles debemus esse imitatores.

Singularia imprecationum exempla non sunt imitāda.

Deinde suam etiam habent vtilitatem hæ imprecationes.

Nam primò ostendunt quantum Deo debeamus, summam nimirum obedientiam: ita vt declarati ad interitum etiam à piis perfecto odio damnentur. Ieremias cùm diu pro populo orasset: tamen contra reprobos ita procedit, *ne propitieris iniquitati illorum*, cap. 18.

Præterea monstrant piorum imprecationes, hærere in natura adhuc primæuum malum à serpente inductum.

Item quia efficaces adhuc sunt sanctorum imprecationes, ostendunt esse flagella Dei: & quòd irato Deo eueniant, gentes etiam agnouerunt. Hinc ab eis diræ, quasi irato Deo, dirum quiddā prænuntient. Vergilius more poëtico geminas pestes facit, & Ioui ait assistere his versibus:

Ratio nominis diræ. Aeneid. 12.

Dicuntur geminæ pestes, cognomine diræ,
Quas & tartaream, nox intempesta Megæram,
Vno, eodémque tulit partu, paribúsque reuinxit
Serpentum spiris, ventosásque addidit alas.
Hæ Iouis ad solium, sæuíque in limine regis
Apparent, acuúntque metum mortalibus ægris,
Si quando lethum horrificum, morbósque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat vrbes.

Porrò quòd hic obiici solet, quomodo huiusmodi sanctorum imprecationes & diræ consistant cum dicto Christi. Mat. 5 *diligite inimicos vestros*, &c. Respondemus sanctorum iustas imprecationes non pugnare cum illo dicto. Nam dilectio Dei illa prior est, & ex illa formari debet dilectio proximi. Cùm igitur Dei gloria id postulat, meritò debet huic cedere amor inimicorum. Ac tum demum rectè diliguntur proximi, cùm ad gloriam Dei ille amor refertur.

Quæstio. Responsio.

Dilectio proximi ad Dei gloriam referri debet.

2. Deinde Deus singulari spiritu illis sæpe patefecit, aliquos hic perdendos. Quare eodem spiritu duce, illi non tam infligunt, quàm prædicunt futura mala, vt vel alij eo corrigantur.

3. Præterea, commeriti sunt talia impij, & quia dilexerunt maledictioné, hanc tanquam indumentum induant. Huc pertinent hi, qui à piis sese segregando, maledictionem incurrunt. Vt Merotz ciuitas magna maledicitur, quia contra Siseram, se non coniunxerat populo Dei, Iudicum. 5. Adde quòd sit peccatum quoddam in spiritum Sanctum, pro quo orandum non est. Rectè igitur & in loco, & in certis personis, suóque tempore execrationes illæ sunt adhibitæ: & ob id non facilè ad exemplum trahendæ.

Peccatū in spiritum sanctum.

Et quanquam diræ illæ non afferant causas, cur aliquid eueniat: sed enuntiant tantùm euentura, nisi prouideris, vt testatur etiam Cicero. Tamen vt plurimùm valent in posteris. Sic posteritas Cham maledictionem patris tulit. Et recitat D. Augustinus exemplum memorabile de septem fratribus ac tribus sororibus, quibus maledictio matris inhæserit, vt toto corpore concuterentur tremuli. Ex his Paulus cum Palladia sorore in Hipponensi Ecclesia præsente Augustino, precibus fidelium curati sunt. Vide lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 8.

Et Iacob mirificè metuit ne deprehensus in fraude accipiat pro benedictione maledictionem ab Isaaco patre.

Hactenus de diuinis execrationibus. Superest tertium genus etiam, quod impiis tribuit scriptura. Hoc diximus ex cæco iudicio & impotentia animi prodire. Cæci iudicij erat maledictio Saulis, cùm maledicit gustantes toto die cibum, cùm profuisset exercitui, vt ait Ionathas, gustare mel in sylua, vt resumptis viribus hostes persequerentur. 1. Sam. 14. Impotentia animi erat, sed insigni malitia coniuncta. Quòd Semei maledicit Dauid in fuga. 2. Sam. 16. ob hanc dat pœnas, 1. Reg. 2. Tales impiæ voces fuerunt Pharisæorum contra Christum: Hymenæi & Alexandri contra Paulum, &c.

Maledictio Saulis ex iudicio cæco profecta.

Huc pertinent diræ execrationes hodiernæ. Quibus leui de causa extrema quæque imprecantur homines sibi mutuò. Valde horrendum est tales audire voces, & metuendæ sunt. De his intellige dictum Apostoli, Tit.3. μηδένα βλασφημεῖν. Et Rom.12. εὐλογεῖτε καὶ μὴ καταρᾶσθε.

Imprecatio Atheij tribuni in Crassum.

Pertinent huc impiæ gentiliũ execrationes, quæ tamen singulari Dei permissione in malo valuerũt. Vt Oedipi imprecatio in suis posteris. Et Atteij Tribuni in Crassum: quas diras Plutarchus in vita Crassi refert ita, Atteius in vrbẽ citato gradu accurrens in via, per quam Crassus iter facturus erat, succensam cratem constituit, cúmque ad eum locum Crassus peruenisset: assistens Atteius, ac sacra quædam ac libationes faciens, diras admodum, atque horrendas execrationes obnuntiauit, deos quosdam inauditos anteà, & horrendos nomine appellans. Has imprecationes, Romani Diras appellant, vt iam quasi vetustate obsoletas, hanc vim retinere aiunt, vt qui illis obnoxius fiat, grauissimas pœnas dare cogatur, vt maximo infortunio affici necesse sit, &c. Idem citat Cicero in diuinat.

DE EXCOMMVNICATIONE.

LOCVS CXXXIIII.

Definitio ministerij.



QVÆSTIO de exclusione necessaria & vtilis est, vel eo nomine, quòd pars sit ministerij Ecclesiastici. Nam cùm dicimus Ministerium est ordinaria functio Ecclesię, posita in docendo sanam doctrinam in sacramentorum & disciplinę morum administratione, ad certam & euidentem Ecclesię vtilitatem: definitio quidem rectè colligi videtur ex partibus officij illius: qua non solùm nouisse, sed ad ministrare vtiliter oportet. Quemadmodum igitur doctrina sana vtiliter est proponenda, & sacramenta cum fructu sunt administranda, ita quoque disciplina morum negligi minimè debet, quæ sola quæritur in excommunicatione pia & Christiana. De hac igitur agemus in præsentia, præsertim cùm nobis iusta illius sit oblata occasio. Ac primùm, quibus nominibus proponatur hodie, tum ex Scriptura, tum ex vsu loquentium ea de re.

Disciplina morũ pars ministerij.

I. Quibus nominibus proponatur.

Potestas clauiũ dicitur à Scriptura, quæ disciplinam morũ complectitur, vt impœnitentes audiant peccata sua ita displicere Domino, vt nisi maturè mores corrigãt, nulla illis sit portio in vita æterna: pœnitentes verò audiant salubrem consolationem de remissione peccatorum.

Minister peccatũ ligare dicitur quia denuntiat hoc ipsum prius à Deo ligatum.

Ac specialiùs dicitur ligare peccatũ: quod non debet eò rapi, quasi priuato affectu, ob quodlibet delictum, possit minister tradere Satanæ & extorres reddere: sed quòd iam separatos à Deo denũtiat minister: & ligat hoc ipsũ quod priùs Deus ligauit, testante scriptura. Sic accipi debet verbũ ligandi, Mat.16.18. Ioan.20. Hodie disciplinam morum vocant, nec malè, cùm εὐταξίαν ecclesiæ solùm respiciat: deinde infausta nomina & exosa voluerunt declinare.

Quid sit excommunicare.

Nam quòd excommunicationem vocarunt, res quidem eadem fuit: sed tyrannide & abusu vnà cum nomine, odiosum & inuisum negotium ipsum est redditum. Est autem per se Excommunicare, nihil aliud, quàm extra communionẽ ponere: hoc est, vsu rerum communium inter fideles priuare: quanquam hoc postea sit tractum ad Cœnam Domini, quam communionem specialiter vocarunt: vt illi dicerentur excommunicati, quibus Cœna Domini negata esset. Sed Scriptura tota conuersatione tales semouet, ita vt ne Aue quidem illis dicas.

Ecclesia rationẽ habet familiæ.

Exclusio nõ dissimili ratione dicitur. Nã cùm Ecclesia Christi, rationẽ habeat familiæ & domus, dicuntur excludi, qui in hac familia ineptiùs sese gerũt, quemadmodũ paterfamiliàs iubet in sua familia excludi pro foribus seruos aut filios non frugi, quos tamẽ non vult foris inedia & frigore perire: sed vt ad modestiã & bonos redeant mores. Separatio etiã & Abstentio dicitur.

Bannum etiam appellarunt, à Longobardis in Italiam illatis peregrinis vocibus. Nã in vsu est Germanis etiamnũ illa vox, in sequestrandis rebus, & eximẽdis ab vsu publico. Ita sylua dicitur in Banno, in qua non licet cædere ligna, *ein verbannet holtz*. Vineæ in autumno, banno seruantur ad iustam maturitatem: Banno tandem soluto inducuntur vindemiatores. hîc dicũt, *der ban ist vss, der ban ist gemacht*, &c.

Bannire hac significatione est sequestrare & vsibus publicis ac priuatis eximere. Hinc transtulerunt ad proscriptiones personales, & ad alia edicta publica: sic rebelles banniti dicuntur, hoc est, proscripti publico edicto.

Porrò cùm proscriptiones istæ eriperentur magistratibus politicis, & transferrentur ad forum Ecclesiasticum, factum est vt omnis excommunicatio qualicunque de causa facta, diceretur Bannum. Hinc notissima omnibus nationibus vox *der Bann*.

Anathema quid significet.

Græca Ecclesia in vsu habuit ἀνάθεμα, vt est videre in libro Conciliorum, & apud Chrysost. ac Euseb. aliósque. Significat autem extremam detestationem, piaculum, & fœdam rem: quales erant apud gentes deuoti homines diis Manibus. Vsus videtur sumptus ex epist. ad Rom.9. vbi

pro

pro fratribus Apostolus optat fieri anathema: & 1. Cor. 12. hinc verbum Ecclesię ἀναθεματίζειν hoc est, excommunicare. Hinc etiam Romani pontifices anathematis fulmina acceperunt, quòd peregrina vox plus ponderis habere, & sonantior esse videretur.

Ἀφορισμὸς dicebatur antiquitus, vt est videre in Canonibus Apostolicis: quæ vox significat separationem, in qua significatione dicit Apostolus 2. Cor. 7. Exite de medio illorum καὶ ἀφορίσθητε & separemini.

Apud Ioannem cap. 9. 12. & 16. dicitur exclusus ἀποσυνάγωγος γενέσθαι, hoc est, alienus à cœtu publico fieri. Tales reliquis Iudæis erant abominabiles & inuisi, donec reconciliarentur. capit. 9. inquit iam constitutum fuisse à Iudæis, vt si quis illum fateretur esse Christum ἀποσυνάγωγος γένηται, hoc est, è synagoga eiiceretur cap. 12. ex principibus multos credidisse, non tamen confessos, ne fierent ἀποσυνάγωγοι. & cap. 16. facient vos ἀποσυναγώγους, hoc est, extorres & indignos illorum cœtibus. Hinc ἀποσυναγωγία dici potest. In veteri Testaméto est *masger* clausura: nam exclusus apud Mosem, constringebatur quasi compedibus multis legibus. Præterea certo delicto constrictus, detinebatur, sub pœna ad quam obstringebatur. Exemplum habes Num. 12. vbi Maria soror Mosis ob crimen rebellionis excluditur Dei mandato, septem diebus extra castra, *Concludatur septem diebus foris. Cherem* apud Hebr. est anathema, hoc est, pœna diuinitus inflicta, vt Mal. 4. ne veniam & percutiam terram *cherem*, hoc est, anathemate. Significat eadem dictio, res Deo consecratas, & ab vsu publico sequestratas, vt dicitur de spoliis Ierichuntis, quòd Achan acceperit *min hacherem*, hoc est de spoliis anathemate damnatis à Domino.

Excluditur Maria soror Mosis extra castra septẽ diebus.

II. Origo rei.

Diximus de vocibus vsurpatis in hac re, dicendum etiam de re ipsa. Vsum huius rei peruetustum esse satis patet ex historiis tam sacris, quàm prophanis. Nã omnes gentes pietatis hãc esse curã iudicarũt, reprobos à rerũ sacrarũ communione coercere. Author est Liuius, quòd Romę matronæ nobiles, à sacris Pudicitiæ deæ exclusérint Virginiã, quòd homini plebeio nupsisset.

Vsus excommunicationis peruetustus.

Et Iulius Cæsar refert libro 6. belli Gallici, quòd apud Gallos, Druidæ rerum sacrarum pręsides soliti sint excommunicare rebelles: Quæ pœna inquit, apud eos est grauissima: quibus ita interdictum est, ij numero impiorum, & sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt: aditum eorum sermoné nque defugiunt: ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus ius redditur: neque honos vllus communicatur.

Ex communicatio apud Ethnicos.

Ex quibus satis potest colligi disciplinæ huius formam semper in mundo fuisse vsurpatam: sed his sunt vetustiores sacræ historiæ.

Gene. 4. Cain post homicidium eiicitur à Conspectu Domini, & ab Ecclesia fideliũ: & in rei memoriam, additur illi signum. Ante hunc, priùs eiecti sunt primi parentes ex paradiso, post peccatum: quæ species videtur excommunicationis.

Origo & vsus excommunicationis in Caino.

Sub Mose frequens fuit, vt impuri à cœtibus publicis abstinerent, vt Mirian Nume. 12. cuius vestigia sunt in nouo Testaméto, Ioan 9 12. & 16. Nã quanuis ab improbis tum administraretur illa disciplina: tamen argumentũ est antiquitatis, & olim fuisse honestũ ac vtile institutum.

Hanc corruptelam Christus correxit, cùm ad suam ecclesiam, disciplinam hanc retraxit. Matth. 16. 18. Ioann. 20. Apostoli quoq; laudabiliter ea sunt vsi, vt est. 1. Corinth. 5 1. Timoth 5.

Post tempora Apostolorum, testatur historia ecclesiastica, illius fuisse vsum inter fideles etiam sub impiis magistratibus. Post à imperatoribus conuersis ad fidem, mansit illius seueritas, vt est videre in historia Theodosij Imperatoris, qui excommunicatus fuit Medionali ab Ambrosio: & in historia Stilliconis, cuius scribam seueriter idem Ambrosius exclusit.

Ambrosius Theodosium Imperatorẽ ex cõmunicauit.

In conciliis sic damnati sunt Archihæresiarchæ, qualis fuit Arrius, Nestorius, Samosatenus, Nouatus, &c. Atque iis temporibus salua adhuc fuit illa disciplinæ morum formula. Postquàm verò cœptum est de primatu rixari, Romani Pontifices vt reliquos competitores reprimerẽt, relicta salutari hac medicina, terrificum fulmen concutere cœperunt.

II. Quid sit excommunicatio.

Definiunt suo more scholastici, quos nolo in præsentia adducere. Rem, vt per se honesta est & instituta à Domino, describemus copiosiùs, vt excludamus abusus.

Excommunicatio est, alicuius professi religionem nostram, à consortio fidelium, in sacris & prophanis rebus exclusio, facta in nomine & virtute Christi, per ordinarios ecclesiæ ministros consentiente reliqua Ecclesia, & facta emendandi peccatoris causa, & ad liberandam à contagione peccati Ecclesiam.

Definitio ex cõmunicationis.

Definitio illustris est. Complectitur enim præcipuas huius loci circunstantias, vt, 1. quis sit excommunicandus. 2. à quibus rebus excludatur. 3. quis sit illius author. 4. quæ illius forma. 5. per quos fieri debeat. 7. quis sit illius ordinarius finis. His addemus caput etiam illud, an hodie commodè possit instituti. De his dicemus ordine, si priùs diuisioné explicuerimus. Cùm enim in schola versemur, vtile est has methodi partes non intermittere.

III. Diuisio excommunicationis.

Distinguunt in maiorem, quæ propriè sit anathema, & Papæ reseruata, separans à fidelium communione, vsu sacramẽtorum, templo, & ipso cœlo. Illa interdũ solennis est, in qua lumi-

Diuisio excõmunicatio-

nis multiplex. naribus extinctis & in terram proiectis, volunt, homines gratia Dei & donis Spiritus sancti spoliatos significare.

Minorem quæ ab aliis etiam personis ecclesiasticis fiat,& sacramentis solùm priuat. De his vide scholasticos, & Antoninum 3 parte. Tit.24.capi.1.& Tit.23.capi.5.de minore par. 3. Tit.25. cap.1.&c.

Ex sacris literis bipartita est. Vna bona quæ à Deo originem habet, & à Christo confirmata fuit. Hac Cain exclusus fuit, Gen.4. Mirian, Num.12. confirmatur à Christo, Matth. 16.18. Ioa. 20. illa est quæ ab Apostolis est vsurpata,& à nobis priùs descripta.

Mala, quam sibi vendicarunt Pharisæi, Ioan.9.12.16. hac damnati sunt passim Apostoli,& pij martyres: talia sunt pontificum fulmina sub nomine indignationis Petri & Pauli Apostolorũ diuulgata. Est & illa distinctio. Alia excommunicatio est externa, quæ formalis dici potest,& communis tam bonis quàm malis: ideóque sæpe errat, vt non excludendos separet,& excludendos retineat. hac reiicitur cæcus à Christo curatus, Ioann.9. & hoc obseruarunt pōtificij quoque, vnde constituerunt in hac causa duas claues. Vnam errantem, aliam collimantem.

Excommunicatio externa.

Errans clauis est, quæ indignos vexat. hanc arripuerunt, relicta veritatis claue.

Excommunicatio interna.

Alia interna est, qua singuli se excludunt primùm à Deo per sua scelera. Deinde etiam communione externa fidelium se indignos reddunt. Hanc iam factam esse, externa exclusio solùm declarat,& quærit quomodo restitui possit frater enormiter delinquens.

Alia diuisio.

Diuidamus igitur à capite ad hunc modum. Excommunicatio alia est ciuilis, alia Ecclesiastica. Ciuilis quæ exercetur in rebus politicis contra delinquentes,& hæc est, vel Imperialis, qua rebelles ab Imper. proscribuntur, vt superiori anno 1567. Grumbachius,& anno 1546. à Carolo quinto Landgrauius,& alij principes Euangelici. Suprema est Imperij pœna, quam vocant *acht vnd über acht*, vel municipalis, qua vtuntur certæ Respublicæ. Talis est nostra excommunicatio ciuilis Bernæ *die keistump*, qua extra ciuitatem pelluntur. talis in tribubus exercetur, *vvanman ein die stuben verbutet*: talis inter artifices, *so man einem das handuuerck verbutet, alle ehrlichen peselsz hafften*, interdum *vuer vnd erloß*, quæ est capitis imminutio à morte parum distans,&c.

Successit illa ciuilis excommunicatio in locũ deportationis, qua olim Imperatores vsi sunt. Sic sanctus Ioannes in Pathmon fuit relegatus,& Ouidius in Pontum: quæ erat difficilis ratio, facilior est Imperij proscriptio. Atque illa propriè dicenda erat Bannus.

Ecclesiastica autem iam est interna & externa,& hæc bona vel mala, de quibus membris iã diximus. Nobis hîc negotium est, de bona illa & laudabili externa disciplina, quæ medicina, nõ interitus est: de illa dicamus igitur secundùm partes definitionis à nobis propositæ.

V. Definitionis explicatio.

Disciplina excõmunicationis ad domesticos Dei solũ pertinet.

Superest vt ad definitionem reuertamur, ac quæstiones explicemus, quæ in ea moueri possunt. Primùm hîc quæri solet, quis sit excommunicandus.

I. Quis est excommunicandus?

Respondemus ex definitione posita, is qui professus religionem nostram, flagitiosè tamen viuit. Nam disciplina hæc ad domesticos Dei pertinet: cum Iudæis, Turcis, aliisque infidelibus aliter agendum: qui cùm nunquam fuerint de Ecclesia Christi, non possunt dici excludi: sed vt appellat Apostolus foris sunt, ideóque Dei iudicio relinquuntur. ac quòd ad professos religionem solùm pertineat, apertè testatur Apostolus. 1. Cor.5. *si quis, cùm frater appellatur, fuerit scortator, aut auarus, aut idololatra, aut conuitiator, aut ebrius, aut raptor, cum tali ne cibũ capiatis. Quid enim ad me, de his qui foris sunt iudicare? nónne de his qui intus sunt iudicatis? eos verò qui foris sunt iudicabit Deus.*

Excommunicatio versatur circa peccata notoria.

Ex quo constat primùm inter fratres eiusdem religionis exerceri debere.

Deinde manifesta & notoria esse oportere scelera. Qualia recẽsuit, scortationẽ, idololatriã, ebrietatem,&c. Sic ad Gal.1. *qui aliud Euangelium annuntiarit, sit anathema.* Vbi excludit hereticum, qui erroneam affert doctrinam. Et ad Tit. 3. *hæreticum post vnam aut alteram admonitionem vita.* Vbi heresis aperta est, illa damnanda est separatione. Et ad Eph.5. manifesta recenset crimina. *Scitis quòd omnis scortator, aut immundus, aut auarus, aut idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.* Ad Gal.5. *manifesta sunt opera carnis,*&c. *Qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.*

Tertiò hîc obseruetur, vt is solus excludatur qui peccauit, ne reliqua familia, aut subditi etiam in vnius inuidiam excludantur. Qua in re peccat pōtificius Bannus, qui damnat, non solùm personam delinquentem, sed alias etiam, vt domesticos, subditos. Augustinus grauiter obiurgat Auxilium, quòd non solùm Classicianum spectabilem virum anathemate damnasset, sed etiam domesticos eius: ac ostendit non oportere filios plecti in peccato parentum.

Quartò vt excommunicentur præsentes, hoc est, qui sunt de Ecclesia nostra, ne ius hoc alias inuadat Ecclesias. Ita tempore Cypriani excommunicauit Cyprianus eos qui in Africa erãt in sua Ecclesia, nec ius hoc concedebat Romano Episcopo: ideóque si Romam venirent, remittebantur in Africam, vt ibi reciperentur, vbi fuerant separati. Hodie verò omnes vbique terrarum

rum pro arbitrio suo excommunicat & recipit Papa, tam præsentes, quàm absentes, causa etiā sæpe non inspecta, non monitos, non auditos, qui sanè abusus est manifestus. Abusus excommunicationis in papatu.

2. A quibus rebus excommunicetur.

In definitione habemus, *à consortio fidelium, in sacris & prophanis rebus.* Consortium intelligimus externum commercium, vt intelligamus Excommunicationem hanc non excludere nos à Deo. Nam peccatum cuiusque illud primitus excommunicat peccatorem à Deo, vt videre est, in Adæ historia, in Caini, & similium. semper interna excommunicatio separans à consortio Dei præcedit: hinc externa Ecclesiæ disciplina accedens testatur, illam præcessisse. Quare excommunicatio externa quædam est media. Interdum collimat, hoc est, iustè infligitur, & declarat damnabiliter viuentes. Interdum verò non collimat, sed errans est clauis, ideóq. non potest obesse, cùm ita bannitus non sit prius per scelera à Deo separatus & fidelium corpore. Deinde vitari debet, in rebus sacris, hoc est, Cœna Domini, Baptismo, & in rebus prophanis, vt conuictus, cōgressus, quæ sine iactura & periculo vitæ possunt illi negari. Hinc est, quòd Christus iusserit habere tanquam Ethnicum. Nam illi sacris nostris non communicant. Et secunda epistola Ioan. *Si quis venerit ad vos & hanc doctrinam non affert, nec recipiatis eum in domum, nec Aue ei dixeritis.* 1. Cor. 5. *ne cibum capiatis cum illo.* 2. Thessal. 3. *ne commercium habeatis cum illo, vt pudore suffundatur.* Interna excōmunicatio externā præcedit

Tertullianus in Apol. cap. 39. indicat etiam suo seculo, ab oratione, conuentu, commercio sacro fuisse submotos tales. Cypriani ætate sacra Cœna illis negabatur, vnde Abstentos dixit, sermone 6. de Oratione Dominica. Hunc panem dari nobis quotidie oramus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis sumimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes, à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, &c.

3. Quis author.

Suprà de origine dixi, indicans à Deo indictam fuisse hanc disciplinam, quam in Adamo & Caino exercuit, mox per Mosem in populo suo stabiliuit. Demum Christus Filius Dei eandem Ecclesiæ suæ commendauit, Matth. 16. 18. Ioan. 20. Mox Apostoli ea sunt vsi, ne putes mansisse hanc doctrinam in chartis & sola traditione, sine vsu. Act. 5. Petrus seueriter illa vtitur in Anania & Sapphira. 1. Cor. 5. incestus authoritate Pauli punitur excommunicādo. 1. Timoth. 1. Alexander & Hymenæus traduntur Satanæ, vt discant non maledicere: ad Rom. 16. mandat, vt declinent ab illis, qui offendicula ponūt. Postea vsi sunt illi pij Episcopi, vt videre est apud Tertul. Apolog. cap. 39. Cyprianum, epist. 2. lib. 1. epist. 14. lib. 3. alijsque locis. August. Hieron. &c. Author excommunicationis Deus.

4. Forma excommunicationis.

Non laboramus, qualis semper in Ecclesia fuerit singulis temporibus formula vsurpata: sed qualem sacræ literæ proponant. Hanc Dominus præscribit. Matth. 18. vt primùm admoneatur peccator priuatim: hinc Apostolus Tit. 3. etiam in hæretico vitando, admonitionis priùs factæ meminit. ad Gal. 6. spiritu lenitatis id fieri iubet. 2. Thes. 3. monendos vt fratres. Deinde si nihil ita proficias primus est gradus, idem tentare adiuncto vno vel altero fratre: quòd si ne sic succedat, dicendum Ecclesiæ. Hinc tandem ad vltimum hoc remedium procedendum est, vt fiat ἀφορισμὸς, qui debet fieri in nomine, & virtute Christi: nam is author est illius disciplinæ, & dixit, quę ligaueritis super terram, erūt ligata in cœlo, &c. Tertullianus inquit, iudicatur magno cum pondere, vt apud certos, de Dei conspectu: summúmque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis sacri commercij relegetur, &c. Quare in illius promulgatione Christi authoritas semper expressa fuit. Formā excōmunicationis à Christo præscripta.

Ac quia errare potest, serò & tardè ad id procedēdum esse consulit Augustinus: nam vt in membris humani corporis omnia priùs tentantur, priusquam ad sectionem deueniatur: sic in resecandis Christi membris omnia priùs tentanda sunt: sic non aliter, res Domino committi debet, & scabiosum pecus ad tempus arcendum. Simile.

5. Per quos administrari debat.

Ex definitione respondemus: per ordinarios ministros, consentiente reliqua Ecclesia. Ministros ordinarios volumus, quia nisi legitima illorum sit vocatio, irrita erit disciplina morum. Christus enim illam Apostolis tradidit, & ob id legitimis successoribus, proinde quos legitima successio remouet, frustra hîc laborant. Deinde vt disciplina à ministris tanquam ministris administretur, hoc est, ministerio, non imperio illa vtantur: qua in re quantùm peccetur in Papatu, non attinet hîc dicere.

Addimus consentiente reliqua Ecclesia, ne suo arbitrio minister hîc dominium velit exercere. Christus Matth. 18. iubet dicere Ecclesiæ non ministro solùm: & Paulus noluit sua vnius authoritate excludi incestuosum hominem, sed Corinthiaca Ecclesia congregata, 1. Cor. 5. In vsu excōmunicationis Ecclęsiæ consensus requiritur.

Cyprianus ad populum refert si qui recipiendi sint, idem faciens indubiè in excommunicandis, epist. 16. lib. 3 præsentibus & iudicantibus vobis excommunicabuntur singula: sic alibi pro lapsis, vt illis detur pax intercedit apud plebem. Tertull. Apolog. cap. 39. inquit, præsident probati quique seniores, honorem iustum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio vlla res Dei constat, &c.

6. Quis sit illius finis.

Varij fines excõmunicationis.

Huc pertinet extrema clausula definitionis, qua dicimus: facta peccatoris emendandi causa, & vt Ecclesia liberetur à contagione peccati. Dum enim medicina esse debet, emendationẽ errantis quæret, à qua si aberret frustrà suscipitur. 2. Theſſ. 3. vt pudore suffusus emendetur, 1. Cor. 6. ad interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Deinde prodest reliquæ Ecclesiæ, dum à contagione liberatur, ne boni inficiantur illius conuersatione. 1. Cor. 6. *An nescitis quod modicum fermenti, totam conspersionem inficit?* sic 1. Timoth. 1. *vt reliqui timorem habeant.* Ponitur etiam improbis repagulum, ne ita licentiosè peccent, & bonis insultent. Pij quoque sanctiùs viuunt, virtutis amore, & eò liberiùs si pietati paratam defensionem videant. Item cauetur offendiculum apud exteros, ne nomen Domini malè audiat. Rom. 2. & 2 Pet. 2. *hi sunt per quos via veritatis blasphematur.* Aliis prosunt exempla. Vitatur ira Domini: sic enim constitutum est, vt dum sunt inter homines, qui scelera puniunt, Deus parcit: cæterùm cùm desinunt homines punire, Deus solet, vt testatur exemplum Sodomorum, Diluuij, Dauidis & aliorum: hinc 1. Cor. 11. dicit Apostolus, *si nos ipsos iudicaremus, non à Domino essemus iudicati.* Adde quòd pœna temporali interdum vitamus pœnas æternas: nam pœnitentiam agentes sub exclusione, recipiuntur in consortium fidelium: contrà vbi disciplinæ nulla est ratio, de peccato in peccatum homines prolabuntur, sine monitore: hinc tandem exitium timendum est.

Restituitur etiam interior communicatio cũ Deo, ex qua excidit peccator suo peccato, &c.

7. An hodie restitui possit.

Vsus excõmunicationis videtur hodie impossibilis his rationibus.

Sunt qui disciplinam hanc etiam hodie reducere velint, in eámque rem toti incumbant. Alij in eo videntur desperare. Et quanquam desperandum non putem, tamen perquam arduum iudico, nec non impossibile præsentibus moribus, colla submittere eiusmodi disciplinæ. Rationes habeo.

Primùm quòd res optima inuisa & execrabilis sit reddita, pessimo abusu Papistico: mera enim fuit psychotyrannis & carnificina conscientiarum: vnde effectum est, vt nomen Banni execrabile sit redditum, vt olim tyrannorum.

Accedit periculum: nam paucis res illa tutò committi potest: mox solet subrepere dominandi studium, & sub prætextu pietatis luunt pœnas ob priuata odia, aut dogmata, vel talia. Ac negari non potest, hanc vnam fuisse viam ad principatum Romanis Pontificibus: hoc enim fulmine percusserunt primùm reliquos Episcopos æmulos & competitores in primatu. Hinc in Monarchas & Imperatores idem conuerterunt: quare studiosè cauendum est, ne prætextu disciplinæ simile clam subrepat.

Magistratus iugum non admittunt, timent honoribus, licentiam amant: & qui pij sunt suspectum habent nomen hoc, ne irrepat in subsellia senatoria.

Multis esset intollerabilis, nam quid fieret bonæ parti, si excommunicandi essent ebrij, adulteri, blasphemi, &c. Quibus sceleribus nec non aliis grauioribus infecti multi inficiuntur.

Vulgus quoque & plebs dissolutior: maior pars corruptissima est: quòd si res apud populũ sit agenda, habebit peccator patronos, qui in gratiam personæ pallient vitia, excusabunt, bonã partem suffragiis facilè superabit.

Accedunt exempla eorum, qui idem conati, cum risu destitere, aut quibus pessimè cessit: magno studio in Germaniæ quibusdam Ecclesiis instituta fuit: sed cecidit in spongiam, natus ridiculus mus.

Accedit periculum schismatis: nam his moribus non video quomodo sine maximo malo possit institui. Ideóque placet adhuc Augustini sententia, qui iudicat non esse instituendam, vt maius periculum inde sit metuendum. Vide lib. 3. contra epist. Parm. cap. 2. Hoc metu tulit Cyprianus malos coëpiscopos, & se ab illis non separauit, quos indubiè maluisset separare ab Ecclesia, si cum vtilitate fieri potuisset. Eodem metu Irenæus Victorem Romanum Episcop. monuit, ne facilè damnaret Asianos, ob Paschæ celebrationẽ: & fortasse vtilius fuisset, Orientales Ecclesias in vnitate retentas: nam fulmine anathematis percussæ nunquam deinceps ad concordiam redierunt. Nec videri debet hic Augustini timor inanis: scriptura ipsa testis est oportere omnia in Ecclesia fieri ad ædificationem: quare disciplina in primis hunc scopum debet respicere.

Deinde qui hæc dicunt non sunt istos motus experti. Augustinus cum Donatistis, Manichæis, aliisque sectis exercitatus, vsu edoctus facilè vidit quid posset prodesse, vel secus. Idem de Cypriano dici potest, ideóque iustum illorum iudico timorem.

Nec est illa quoque vox prudentis hominis: satiùs est habere minores Ecclesias, quàm tam magnas & amplas, quæ tamen contaminatæ sint, & vndique pollutæ: non prudens (dico) vox est. Satiùs enim est, habere amplas Ecclesias vtvt contaminatas, quàm nullas: ex amplis non statim fiunt nullæ: sed ex paruis nullæ mox fiunt. Hoc ipsum iudiciũ perdidit Orientales Ecclesias: quòd Papa existimaret satis amplam fore Ecclesiam in Europa, si maximè Asia vtpote corrupta Ecclesia excluderetur: ita factum est, vt ex ampla & corrupta Ecclesia, facta sit minor nec melior. Ita tandẽ importunitate præsidum imminuitur Ecclesia, vt demum migret tota in exilium

exilium Turcicum. Quare danda erat opera vt quàm amplissimæ essent, vtut corruptas nobis obtruderet necessitas. Nec illa dico, quòd approbem corruptelas: sed quod de visu approbamus hîc poterat habere locum, satius est vnoculum esse, quàm planè cæcum: ita sanè conduceret corruptas Asiæ Ecclesias retentas, quàm planè amissas. Concordiã & pacem Dominus nobis reliquit in tesseram, quòd simus illius discipuli & filij Dei: hanc igitur curã non debemus seponere quoties sermo est de excommunicatione. Interea nõ desperandũ esse libẽter fateor, dabit posterior ætas tractabiliores fortè animas, mitiora pectora, quàm nostra habent secula.

Interim dum caremus externa hac disciplina, non desunt ἀντιβαλλόμενα, vt vocant medici.

Primùm Magistratus pius suis legibus retinet in officio ordines hominũ, & excludit gladio, laqueo, aliísque suppliciis sceleratos. Minora delicta exilio, capitis imminutione, infamia, &c.

Deinde reformatæ Ecclesiæ Consistoria habent, quæ si vigerent, vt sunt instituta, malis obex poneretur: sed, vt alia, ita hæc pars friget.

Ministri interim denuntiant quotidie illam exclusionis formulam: qui talia agunt, non habent partem in regno cœlorum. Maxima in his omnibus est consolatio, quòd Deus suam exercet excommunicationem: prodit hypocritas, malè perdit in hac vita multos extremè confusos, tandem etiam declarabit seriò à cœtu fidelium separatos.

Piis interea relictus est gemitus & luctus, qui non desinent Deum exorare pro meliori rerum conditione. Quid piis agẽdum in hoc mundi senecta.

DE HONORANDIS PARENTIBVS.

LOCVS CXXXIIII.



NECESSARIA est doctrina de bonis moribus in Ecclesia: nam fidei professio sine vitæ innocentia constare non potest. Ideò diligenter admonendi sunt homines, vt illa coniungãt in hac vita, fidem scilicet & bonos mores. Ideò beatos dicit Dominus Christus suos discipulos, si intelligẽtes fecerint ista: & Apostolus passim post disputationes de fide, mores informat piorum, vt est videre in epist. ad Rom. ad Galat. ad Ephes.

Huius doctrinæ præcipua pars est, quæ loquitur de officiis liberorum erga parentes: nam si in hac obedientia rectè instituti fuerint, sperandum est bonos, & frugi euasuros Christianos. Qui parentes rectè colit, sperandum est erga fratres Christianos omnes fore pium, in magistratum non seditiosum, in proximum non iniurium. Itaque diligenter admonenda est iuuentus sui officij. Seminarium est Ecclesiæ & Reip. ideò in singulis vitæ conditionibus si frugi homines habere velimus, in iuuentute fingendi erũt: quæ diligentia fortè his temporibus magis necessaria est, cùm iuuentutis maior sit in dies & petulantia & contumacia. Qui parentes rectè colit pius erit in fratres Christianos.

Audiant igitur adolescentes attentè & diligenter in præsentia, ea quæ breuiter in Apostolo nuper perstrinximus.

Primùm quid nomine parentum, & honorandi verbo intelligatur. Deinde quare sint honorandi. 3. quo gradu honorandi. 4. Possítne causa esse idonea, propter quam non sint honorandi. 5. Qui transgressores, & quæ eorum pœna sit. Parẽtes qui dicãtur.

I. Parentes intelligimus propriè ipsos genitores patrem & matrem, quos Græci γεννήτορας vocant γονεῖς, τίκοντας, τοκέας. Iurisconsulti parentum nomine latiùs vtuntur interdum, auum, proauum, & reliquos omnes ascendentes vtriusque sexus in superiori cognatione comprehendentes. Sic filios intelligimus propriè parentum sobolem, quamuis nepotes eadem voce sæpe intelligant iurisconsulti. Sed qui in natiuos parentes pius est, & officiosus, idem maioribus omnibus debita officia non negabit.

Parentum nomine etiam tutores, præceptores, affines, amici, magistratus, & omnes superiores honesta interpretatione sæpe intelliguntur. Verùm nos hîc τὸ ῥητὸν sequimur, & parentes intelligemus eos solùm qui te genuerunt. Nam de obedientia præstanda magistratui, præceptoribus, curatoribus similibúsque officiis, alij sunt & speciales loci. Honorare quid significet.

Honorare autem significat debitã reuerentiam exhibere: obsequi, inseruire: honestè & reuerenter de ipsis & sentire & iudicare, famam ac fortunas eorum tueri. Itaque honoris nomine, complectitur dilectionem, beneuolentiam, obseruantiam, defensionem, vitæ necessaria, vt alant, si res postulet, curẽt, adsint in omni fortuna. Summa, omnia officia pietatis eis exhibeãt, de quo mox plura.

II. Quare autem sint honorandi, si inquirat aliquis. Primùm ius naturæ plures subministrabit rationes. Ipsa enim nominis ratio illius nos admonet: filij enim dicimur ἀπὸ τῆς φιλίας quòd liberorum erga parẽtes arctissima debeat esse coniunctio. Quæ autem erit amicitia, nisi omni officiorum genere parentes colamus? certè nulla. Quare vt respondeamus filiorum nomini; honor debitus illis semper est deferendus. Eodem modo liberos appellarunt veteres Ab etymologia. Cur filij dicantur liberi.

honestissimo titulo, quasi liberali ingenio præditos, veréque libertate dignos, qui non essent seruili & barbaro ingenio deformati: quales sunt omnes ingrati, contemptores parentum & similes. Similes titulos huius ætatis videmus in reliquis linguis, qui officium debitum subindicant. Græci, υἱοὺς videntur appellasse ἐκ τοῦ ὕω quod est βρέχω, irrigo, reficio, refocillo, quia filij, natura iubente debēt esse recreatio parentum, τοῦ πατρὸς, καὶ τῆς μητρὸς εὐφρασία, lætitia ac vtile gaudium parentibus, à quo non abludit altera ratio eorum, qui à φύω deriuant. Cùm enim sint φύτωμα h.e. soboles & planta parentum, vtique fructus ex eis ad parentes in primis redire debet: sic τόκος dicuntur, partus seu vsura, vt intelligant ad parentes ex liberis iure naturali, tanquam ex sorte pertinere fructum, non minùs quàm ex pecunia deposita, vsura.

Hebræi ab ædificando maluerunt filium denominare, vt sit quasi ædificium parentis; baculus senectutis, pro qua voce Chaldæi *bar*, quæ significat & filium & frumentum, item purum & castum, significantes liberos alimenta debere parentibus, eósque tum demum verè esse puros si illa officia diligenter præstiterint. Ab eadem voce dicitur *boria*. h.e. baculus cui sese committunt senes, quo se regunt, quo innituntur. Ex qua proprietate, in scriptura dicitur baculus senectutis. Itaque monstra naturæ sint oportet, quæ parentibus debita officia negant, non secus quàm illi, qui contra formam humanam, conuerso more procreantur, quos ne leges quidem ciuiles liberorum nomine dignentur.

Filius baculus senectutis.

Deinde persona parentum id postulat: pepererunt nos, vnde parentes dicti. Genuerūt nos, vnde genitores: debent autem effectus suis causis, quod sunt. Itaque nisi parentes essent, nos esse non poteramus. Agnoscamus igitur originem nostram, & organa per quæ in hunc mundum nati sumus, eísque debita officia diligenter præstemus.

Nec solùm vt esses, organa fuerunt: sed simul laboribus ac sumptibus aluerunt: benefactoribus in genere omnibus gratitudinem debemus: ideo maximis benefactoribus maximam gratiam: inter hos autem parentes esse, nemo est qui dubitet. Itaque omnia humanitatis officia illis discamus deferre, vnde illud apud Græcos argumentum fluxit αὐτὸς δὲ τραφεὶς τῶν φυσάντων ὑπὸ, καλῶς τὸν αὐτὸν ἔρανον αὐτοῖσι νέμει, hoc est, cùm sis ipse à parentibus nutritus, par est vt idem præmium illis rependas. Ergo & tibi sunt alendi, quemadmodum ipsi te aluerunt, valet enim in omni amicitia prouerbium, ξείνια πολλὰ λαβὼν, ξείνια πολλὰ δόθι: si acceperis multa munera, multa quoque dato. Præterea nos olim facti parentes, nonne idem nobis præstari cupimus? nimirum vt filij nostri nos omni reuerentia alant? Itaque idem nostris præstemus progenitoribus, valet enim naturæ regula: Quod tibi fieri vis alteri feceris, vt & illa, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Itaque prudēter Isocrates Dæmonico consuluit, talem te parentibus præsta tuis, quales se tibi tuos liberos præstare optares. Et certè docet nos experientia, Deum ita punire improbitatem liberorum, vt similem austeritatem & impietatem postea in suis experiantur liberis, qualem ipsi suis parentibus exhibuerunt.

Isocratis cōcilium de honorandis parentibus

Nec solum vitæ nostræ sunt organa, nec victum solum dedere, sed alia infinita nobis contulerunt, libertatem, fortunas, institutionem, seminaria pietatis, patriam, & quicquid possidemus: adeo vt parentum in liberos incomparabilia sunt officia, quæ diligenter quoque explicarunt Ethnici, Plato & alij, in primis Socrates apud Xenophontem lib. 2. apom. Quas curas & molestias in educandis, item alia beneficia in ornandis nobis, seriò debent adolescentes expendere, vt gratiam discāt referre parentibus. Ingratos certū est Deo ac hominibus esse odiosos: nō enim abest à crimine iniuriarū ingratitudo, quæ crescit oppositis beneficiis: quæ quātò maiora sunt, tātò ingratitudo fœdior est & sceleratior. Iā satis constat beneficiorū paternorum eam esse dignitatem, vt omnia omniū amicorū beneficia superent. Itaq; fœdissima est, & omnibus odiosissima hæc ingratitudinis species, si quis parentes defraudet debita reuerentia.

Exemplum Coriolani.

Contrà ab omnibus commendatur pietas in parentes. Celebratur in historiis Coriolanus qui in gratiam matris, condonauit iniurias Romanis, quas non in gratiam Senatus aut sacerdotum donaturus erat. Filia quæ matrem vberibus suis lactauit in carcere. Cimonis filia, quæ & ipsa patrem in carcere vberibus suis aluit. Apud poëtas Æneæ passim prædicatur pietas & similium, quæ laus ad virtutis imitationem excitare debet.

Cimonis filiæ pietas.

Sed etiam Deo charos nos reddit, quod philosophi & poëtæ ethnici libenter fatentur. Quomodo enim Deo chari non essent virtutis studiosi? Euripides inquit ὅστις τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει, ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος, quisquis parentes in vita honorat, ille & viuens & moriens diis amicus est. Congruunt his præcepta prudentum virorum. Pythagoræ doctrina est in aureis suis carminibus, τοὺς δὲ γονεῖς τιμᾶ, parentes honora.

Quæ omnia si penitus consideremus, ex ipsa naturæ lege fluunt, de qua eleganter dixit Valerius Maximus, Prima & optima rerum natura pietatis est magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo vsu literarum indigens, propriis ac tacitis viribus charitatem parentum liberorum pectoribus infudit.

Hæc quidem rectè dicuntur de colendis parentibus, & talia sunt, quæ ethnicum mouerent hominē, qui laudis studio duceretur, & naturæ piæ non repugnaret. Verùm nos qui Christum didicimus, maiora & augustiora habemus argumenta. Sciant ergo adolescentes honorandos parentes eo maximè nomine, quòd Deus hoc ita iusserit. *Honora patrem tuum & matrem tuam.*

Quicquid

Quicquid enim Deus iubet, sine exceptione homini faciendum est, vt iubet: & præcepta Dei negligere, grande peccatũ est. Naturæ autem lex tum demum valet, si cum Dei mandato congruat. Deinde hoc idem in nouo Testamento reperitur sine omni exceptione, Eph. 9. *filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est.* Coloss. 3. *filij obedite genitoribus vestris, hoc enim placet Domino.*

Præterea in parẽtibus colitur Deus, quod videtur Apostolus ad Eph. 6. innuere, cùm iubet in Domino obedire, quasi dicat, tum demum rectè coletis parentes si in his respiciatis ad Dei præceptum & Deum ipsum, propter quem parentes colendi sunt, quemadmodũ in magistratu respicimus Deum, in eo colendo Deum veneramur. Sic Greci dixerunt οἱ γονεῖς θεῶν ἡμῖν εἰκόνες. Parentes, deorum sunt nobis imagines. Certè sunt Dei vicarij nobis in terra. Est quoque hoc primarium præceptum Dei in secunda tabula. Nam post Dei cultum, parentibus proximã debemus obedientiam: ideo Apostolus etiam vocauit primũ præceptum in promissione. Eph. 6. Ideo huic in primis est inuigilandum, ne ad hoc vllo modo peccemus. In parentibus colitur Deus. Parentes sunt nobis deorum imagines.

Item habet hoc præceptum promissiones vitæ longæ, quod & dictũ sit quidem Iudæis primùm ingressuris terram promissionis, quos Deus voluit alacres ad iter reddere: attamen negari non potest vitam longęuam donum Dei esse, cum vita simpliciter illius donum sit. Ideo Apostolus etiam simpliciter hãc promissionem ad Eph. 6. repetit, *vt sis longæuus in terra*, non addens, quam Dominus tuus tibi daturus sit, vt Moses fecerat. Nam Moses seruiens præsenti negotio, Iudæos docet, ipsos terram Canaam, Dei mandato ingredi iam, quamdiu etiam sunt possessuri in longa etiam senecta & florenti, si has Domini leges studiosè seruent.

Apostolus autem in genere totam terram Domini esse, in qua vbique longæuitas donum Domini sit, in his qui colunt parentes suos.

Huc pertinent aliæ Domini benedictiones, quibus pios filios ornat, vt quod opibus ornat, honoribus, rerum successu, sapientia, prudentia, aliisque virtutibus, de quibus longum sit disserere.

Denique considerent diligẽter grauissimas comminationes, & pœnas quas Dominus comminatur violatoribus parentũ. Moses dixit, Qui maledixit patri aut matri suæ morte moriatur.

III. Explicandum nobis est quo gradu sint honorandi. Plures sunt honorum gradus, quemadmodum meritorum ad quæ referuntur honores.

Primus ad Deum spectat, quem supra omnia honorare debemus. Ideo decalogus primùm loquitur de colendo Deo. Is in omnibus primas tenet, vt creator, conseruator, defensor & redemptor. Post Deum, proximus honor parentibus debetur. Potest autem vterque honor aut reuerentia facilè simul consistere vt & Deum colas supra omnia, & simul parentes post Deum. Sin casus ferat vt in eadem causa adcontraria vocent, vtique Deus sequendus est. Christus ait, Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem, plusquam me, non est me dignus.* Deus igitur sine comparatione, semper & vbique diligendus est, & colendus summo honore, parẽtes verò post Deum demum, quia Deo plus debemus simpliciter quàm homini. Parentes post Deũ colendi.

Verùm hic consideramus subordinatam reuerentiam, quæ Deo tribuit, quod suum est, & parentibus simul suam gratiam. Hic docet nos Deus, & natura, theologia & philosophia, grauiter de parentibus sentire, quod Hebræi quoque verbo *cabed* expresserunt in decalogi præcepto de honorandis parentibus loquente. Significat enim illis honorare grauiter sentire, ornare & authoritate munire, quos solemus sic affectos etiam latinè graues vocare viros, & dignitatem illorum grauitatem appellamus. Itaque quod Gręci dicunt, νόμος ἰσοθέους γονεῦσι τίμας νέμει, Lex pares Diis honores decernit parentibus. Item illud θεὸς μέγιστος τοῖς φρονοῦσιν γονεῖς, Deus maximus sunt liberis prudentibus parentes. Hæc & similia dicta de subordinata dignitate interpretari oportet. Non enim patitur Deus in suum thronum collocari parentes, nec par cum Deo, patri vbique debetur dignitas.

Huc pertinent diuersi gradus honoris, vt verbis audientem sese præstare parentibus quod Græci dicunt πείθεσθαι λόγῳ πατρὸς καὶ ἀνάγκη παισὶ πείθεσθαι λόγῳ, i. necesse est filiis vt patris audiant verbo.

Iuuare re in senio & paupertate, de qua re vide Platonem 11. libro, νομ. & Xenophon. lib. 2. ἀπομνημ.

Tueri contra vim & iniurias, quod de Africano & Manlio scribit. Valer. Max. Ex præsenti vitæ periculo eripere, quale de Ænea scribit Virgil. qui Anchisen ex Troiæ incendio liberauit, Agaue Cadmum senem, Philonomus & Callias suos singuli parentes ex incendio Ætnæ, de quibus Ælianus.

Victu necessario, vestitu, lecto, domo, similibúsque eis prospicere, subleuare, gestare infirmos, quod Cyconias præstare suis parentibus scribunt, vt habet lex Cyconiarum apud Aristoph. vt exprimuntur in prouerb. ἀντιπελαργεῖν. Scribit Ælianus lib. 3. cap. 24. Alexandrum illum Myadium philosophum, dixisse Cyconias in senio ad Oceanitidas insulas volare, vbi in homines conuertuntur, ob pietatem in parentes. Nec putat Ælianus fabulam esse, aut mentitum tantum philosophum. Itaque omnia libenter pro parentibus præstabunt filij, etiam vt pro illis moriantur, si casus ferat: quod Poëta quidam dixit, γεννητήρων ἕκατι κατθανεῖν καλόν. pro Exemplum ciconiarũ imitandum.

parentibus mori honestum est, & rectè: quia pro patria, pro liberis & amicis aliquando mori honestum est.

IIII. Quæsitum est aliquando, possit ne casus esse, in quo parentes non sint honorandi: & reperti sunt, qui dicerent non semper & omni causa honorandos esse, vt si infames sint, vitiis manifestis dediti, ad quæ filios etiam inuitent, mala alia consilia dent, duri etiam sint, & indignis modis liberos tractent, ab honestis arceant.

Honorādi etiam impij parentes à filiis quatenus sunt parentes.

Cæterùm nihil horum tanti est, quin semper honorandos putemus parentes. Nam lex sine exceptione dicit, honora patrem tuum: hoc valet etiam de infami, de duro & intractabili, ebrio, scortatore, adultero, adde blasphemo & impio, Pater est, ergo honorandus est: nec latebat Deum legislatorem, fore impios aliquando piorum filiorum parentes. Interim legem simpliciter dedit, *Honora patrem tuum*. Itaque honorandus est & iuuandus quoad fieri potest, sed illo discrimine vt filij boni in patre impio honorent, quia pater est, non honorent in illo vitia, iuuent patrem, non vt impium: ab impietate modestè dehortentur, interim ament: illius infamiam tegant, vitia modestè corrigant: si ad impia inuitet, honestè recusent & de melioribus edoceant: sin nolit edoceri, Deo plus quàm homini eos debere pronunciabunt. Neque mox non honorat, qui Deum plus honorat, sed subordinati dicuntur esse honores, vt parentum honor non impediat Dei honorem. Honorat qui in re honesta iuuat quando oportet, & vt oportet, non honorat qui in re honesta non iuuat. Itaque in re inhonesta non iuuans non potest dici nō honorare: sed potius honorat. Nā idē valeret, In re honesta iuuare est honorare, & in re inhonesta non iuuare est honorare, vt illæ, in re honesta non iuuare, est negare debitā reuerentiā, igitur in re inhonesta iuuare, est negare quoque debitam reuerentiamparentibus.

Stob. 458. ex Musonio.

Neque valet ad excusandum factum. Pater iussit: ergo rectè à me factum est: cùm nemo cogatur malè imperata contra Deum facere: prætextus ille peccandi esset.

Quod de duritie Parentum dicitur, minùs firmum est: nam vt lex impios parentes non excludit, sic nec duros. Nec mouenda à Christianis erat illa quæstio, cùm Ethnici agnorint duris etiam parendum esse. Græci dicunt ἀγνώμονι πατρὶ καθάπερ δυσηρῷ νόμῳ συμπειστέον, duro Patri tanquam duræ legi parendum est: fieri enim potest vt tales nobis videantur, qui reuera tales non sint. Deinde si maximè tales sint, seueritas fortè necessaria est propter rem domesticam aut alias circunstantias, qualis est filiorum pigritia & tarditas, quæ seueritatem postulat. Interim frugi filij est boni consulere, & honorare suos parentes. Val. Max. illustre refert exemplum de Manlio Torquato, de quo ait, Commendabilis est pietas, quæ mansuetis parentibus præstatur: Sed Manlius quò horridiorem Patrem habuit, hoc periculo eius laudabilius subuenit, qui ad eum diligendum præter naturalem amorem, nullo indulgentiæ blandimento inuitatus fuerat. De hac re vide Socratem disputantem in 2. lib. ἀπομνη. apud Xenophontem.

Exemplū Manlij Torquati.

Scribit Pindarus Chironem Vlyssi hoc dedisse præceptum olim κρονίδαν σέβεσθαι, Deum colere & hoc honore nunquam spoliare parentes. Idē, nos semper loquamur vt Dei præceptum.

V. Vltimo loco dicemus breuiter de præcepti huius violatoribus, Item quæ sit constituta pœna. Multis modis violatur. Nam primum qui vitæ negant necessaria, in hanc regulam peccant. Deinde, qui obloquuntur honesta mandantibus. Qui etiam maledicunt parentibus. Qui parentum bonis nocent. Qui ignominia afficiunt, in summa qui quocunq; modo sunt immorigeri. Item qui clàm de illis leuiter sentiunt apud se.

I. His accensendi sunt seductores & corruptores iuuentutis, quorum sodalitio filij contumaces & immorigeri efficiuntur, quales sunt helluones, otiosi & lurcones, pondera telluris inutilia, qui inuitis parentibus iuuenes secum trahunt ad otium & ad compotationes, vagantur noctu, die stertunt, & nocturnam edormiunt crapulam.

Matt. 15.

Item qui sub specie religionis aliò transferunt res parentibus advictum & amictum necessarias, quales erant tempore Christi, qui docebant filios respondere parentibus *korban*, quo significabant res illas Deo dicatas & consecratas, quibus parentes erant alendi, quo ait mandatum Dei de honorandis parentibus, irritum esse factum, propter traditionem illorum. Talia hodie sunt vota Monastica, in quibus omnis cura parentum sub specie religionis abiuranda est, adeo vt siue ægrotent, siue esuriant, moriantur etiam, frigore pereant, eos non curent. Reuera illud est Dei præceptum propter hominum traditionem, irritum facere.

Error iuris canonici.

Item hic peccant, qui matrimonia copulāt inuitis & insciis parentibus, cum illa sine parentum consensu non debeant esse rata. Hunc consensum ius Canonicum sustulit, & honorarium non necessarium ad iustum matrimonium esse dicit. Quæ diligenter perpendant adolescentes, ne temerè in his rebus peccent.

Pœna.

Pœna grauis semper violatoribus constituta fuit, & adhuc est in Rep. bene constituta. Lex Domini est: Morte moriatur qui maledixerit parētibus suis. Exod. 21. Veteri iure Romano, ipsis parentibus ius erat in vitam immorigeri filij: tanta erat potestas patris: cui tamen iuri Imperatores paulatim detraxerunt, ad æquitatem mitiorem reducentes, vt parentibus saltē honesta castigatio relicta sit, & ad summū exhæredatio, quæ etiam hodie durat, præsertim si prodigi sint & sua dilapidēt. Interdum secundū legem Mosis capite plectitur, vt si blasphemus sit in parētes, eos verberet, aliisve modis indignè tractet. Si vita spoliet, vt Parricidæ discerpuntur igni-

tur ignitis forcipibus: quale dirum spectaculum vidimus in misero iuuene ante annos quatuor in *Trachseluuad*. Si parentes nollent alere, ex veteri iure vinciebantur filij, *Filij parentes alant aut vinciantur*. Hæc diligẽter considerent adolescentes, ac Deum orent vt cogitationes ipsorũ regat Spiritu suo, ne vllo modo, tam pij mandati præuaricatores reperiantur, Amen.

DE MAGISTRATV,

LOCVS CXXXV.



DVO genera hominum hodie magistratum impugnant. Prius ordinum confusionem secum trahit, nullum enim locum ne inter pios quidem, ei relinquit: hi quia libertatem in rebus externis quærunt, Libertini dicti sunt, armarunt isti rusticam plebem patrum memoria contra suos magistratus, & hodie ex Anabaptistis hoc dogma multi tuentur. Hostes magistratus.

Posterius genus hominum, quod magistratum impugnat, sunt põtificij & clerici. Vtuntur illi iuris & pietatis prætextu: non enim simpliciter tollũt magistratum, sed à suis humeris tantùm illius iugum excutiunt, adeóque contra magistratus & principes agunt, vt ipsi titulum hunc & gradum possideant, &, si quos in eo gradu relinquunt, sibi tamen subiiciunt, adeò vt politicus magistratus, respectu Laicorum quidem, sit magistratus: respectu verò Episcoporum, sacerdotum, &c. idem sit subiectus atque subditus.

Contra vtrosque fortiter pugnat Apostolus Paulus ad Rom. 13. Quem locum quia præ manibus habemus, seorsim etiam de hac quæstione contra vtrosque agemus, rem hinc exorsi.

Scriptura magistratũ passim honestissimis nominibus ornat & commendat, ex quibus colligi debet ordinem istum rebus humanis esse necessarium. In veteri Testamento dicuntur dij. Exod. 22. *diis non maledices*, quod quid sit mox explicat, *& principem in populo tuo non blasphemabis*. Psal. 82. *Deus stat in congregatione magna & in medio deorũ iudicat*, & ibidem in persona Dei ait. *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes*. Magistratus igitur Deus est in terris, nõ natura, sed officio, quasi dicas vicariũ Dei, quod Ethnici dixerũt imaginẽ Dei esse in hoc mundo magistratũ. Ordo magistratus rebus humanis necessarius.

Esa. 49. Ecclesiam Christi ornans, inter alia ait, reges fore illius alumnos, & reginas nutrices: quo indicat magistratum hospitia exhibiturum passim in mundo fidelibus Christi, quod in primis ad officium illius pertinet. Apostolus ad Rom. 13. vocat διάκονον θεοῦ, λειτουργὸν θεοῦ, quia Dei seruus est & munus suũ inter homines exequitur Dei mandato, ministrat etiam subditis quia Deus iussit dispensare ius, lites dirimere, iudicare causas, tueri bonos, punire scelera: hinc ἔκδικος dicitur, hoc est, vindex, quia pœnis persequitur malos, διαταγὴ & τάξις Dei dicitur à causa efficiente, quia hunc ordinem instituit Deus, non homines, ἐξουσία etiã dicitur ὑπερέχουσα itẽ ἄρχοντες, quia supremum dignitatis & potestatis gradum habet in ciuilibus cœtibus. Petrus vocauit ἀνθρωπίνην κτίσιν, hoc est, ordinationẽ humanam, non quòd ab hominibus sit introducta sine Dei mandato, sed quòd Deo authore, ad hominũ vtilitatẽ sit constituta: quia enim hominibus in primis cõducibile est, habere ordinarios magistratus, inde ordinatio humana dicitur. Reges Ecclesiæ alumni.

Hæc animaduertit etiam ratio hominis in Ethnicis, ideò speciosis nominibus passim ornantur ποιμένες λαῶν, pastores populorum ex Homero cogniti sunt.

Σωτῆρες dicuntur apud Plat. qua voce in veteri Testamento quoque ornantur, φύλακες etiam in genere dicuntur & ἐπίκουροι. Aristoteles vocauit νόμον ἔμψυχον legem animatam, quemadmodum legem scriptam dixit, mutum magistratum. Speciosis nominibus ornatur magistratus apud Ethnicos.

Latini Senatores, à senio, & ab authoritate vocarunt Patres conscriptos, quia vt pater in familia præest, sic magistratus ciuibus salutaria procurat, & verè patres sunt boni magistratus. Ex quibus perspici potest, necessarium esse rebus humanis magistratum politicum. Senatores à senio dicti.

Definiatur hinc magistratus. Magistratus est ordinatio diuina ad defensionem bonorum & vindictam malorum, secundùm iustitiæ & æquitatis regulam. Definitio.

Definitio ex cap. 13. ad Rom. probari potest, vbi inquit non est potestas, nisi à Deo instituta: item Dei est διαταγὴ, & διάκονος Dei & λειτουργὸς Dei: quæ omnia nobis Deum authorem indicant: quod in definitione additur ad defensionẽ bonorum, & vindictam malorum, ad finem pertinet, & officium magistratus declarat. Addimus secundùm iustitiæ & æquitatis regulam, quæ formam declarant: metas enim & limites non debet egredi: has metas Deus posuit, & leges bene constitutæ easdem retinent. Sed quia definitio ex causis constat, pleniùs ordinem causarum declaremus.

Efficiens causa, hoc est, author verus & antiquissimus institutor est Deus, & natura. Deus, quia in paradiso inter res cõditas mox hominẽ præfecit & paradiso, & animalibus cæteris, piscibus, volatilibus & reliquis, vt his dominaretur: syderibus Solẽ & Lunam præfecit, illum diei & luci, hanc nocti & tenebris. Et Gen. 4. Cainum munit signo quodam, ne quis illum occidat, Deus causa efficiens magistratus.

& addit præceptum, qui occiderit Cain, septuplum vindicabitur, quod per ordinarium magistratum, vel ipsum Deum fieri debuit: non enim cuiuis hoc licuit. Genes. 9. Noacho & posteris suis iterum confertur potestas in reliquas naturas, scil. animalia: & homo donatur priuilegio, ne sanguis illius effundatur: quod qui fecerit, capitali supplicio affici debet: quo perspicuè confirmatur magistratus.

Exod. 18. instituuntur magistratus à Mose: quod consilium quamuis à Iethro ortum sit, tamé Dominus approbat.

Num. 11. vbi spiritum illis confert propheticum. Dan. 2. Deus est, qui abiicit reges & instituit reges. Rom. 13 non est potestas nisi à Deo.

In omnibus opus est ductore.

Natura etiam, quæ opus Dei est, hoc dictat. Sapiens insipientibus consulere debet, validus ęgris, ita in omnibus cœtibus opus est ductore & rectore: in bello res sine ductore confieri non potest: in pace ordine opus est: in re domestica, à nutu patrisfamiliàs omnes pendent, is imperat tanquam rex, serui herum agnoscunt, liberi patrem, vxor dominum, quæ reuera nomina magistratuum sunt: hinc patres conscripti sunt dicti senatores, quòd patres essent patriæ. Apes regé agnoscunt & sequũtur: grues ordinis ductorem habent, & noctu excubias agunt dispositis ordinibus. Bellua marina Balæna ductorem agnoscit & rectorem: hæc similia ex natura petita, declarant institutum de magistratibus diuino & naturali iure introductum.

Apes & Grues ordinis ductoré habent.

Huc pertinet organæ causæ, hoc est, per quos eligi magistratus debeant: nam satis est Dei authoritatem proferre ad eius approbationem, interim per homines eliguntur, vt Moses elegit septuaginta seniores ad gubernationem totius populi, eos Deus confirmat in hac dignitate collato etiam ampliore Spiritu sancto. Idem Moses elegit Iosuam successorem, Num. 27. Domino iubente. Primus rex Saul à Samuele, ab eodem mox Dauid vngitur reiecto Saule. Pertinet igitur hoc ius eligẽdi magistratus ad eos, qui successores subditis debent, vel ad ipsos subditos, qui sibi creant bono & vtili fine magistratum: sic populus Romæ & equites creabant magistratus, milites sibi deligebant Imperatorem.

Causa Materialis.

Materialis causa est, persona idonea ad magistratum: non enim ex quolibet ligno Mercurius rectè fit.

Quales deligi debeant ad magistratum.

Vtile igitur diligenter considerare, quales deligantur. Moses eos breuiter depingit Exod. 18. vt timentes Dei sint. 2. Veritatis studiosi. 3. Osores auaritiæ & munerum. 4. Potentes, hoc est, authoritate præditi: similia propè habes Deut. 1. Vbi sapientes, prudentes & eruditos deposcit: hac de re disputationes sunt eruditæ apud Philosophos, in Politicis apud Arist. in libris de Repub. & legibus apud Platonem, apud Xenophontem & alios.

Natura hũc delectũ dictat. Nam oues non quáuis sequũtur oué, sed arieté potius fortiorem, armenta taurum, quia præsidium aliquod quærunt: sic in magistratu necessarius erat delectus.

Formalis causa.

Formalis causa, in definitione expressa est, quia dicimus esse ordinationem Dei in rebus humanis. hæc dixit Apostol. ad Rom. 13 cùm diceret τεταγμένον esse à Deo, & διαταγὴν Dei, de quibus in efficiente causa iam diximus, quatenus tamen ordinatio est, huc pertinet. Deinde formam etiam exprimit, quod in definitione diximus, secundùm iustitiæ, & æquitatis regulam: his enim metis describitur illius potestas, vt iustitiam seruet in præmiis ac pœnis, æquitatem etiam in mitigandis interdum pœnis: non enim semper iure stricto decernit: nam summum ius, summa fit sæpe iniuria.

Tres sunt species magistratuum.

Huc pertinent species magistratuum, de quibus disserunt Plato & Aristoteles. Tres sunt laudabiles. Regnum Aristocratia, Democratia. His oppositę sunt tres vituperabiles, Tyrannis, Oligarchia & Ochlocratia: de quibus fortè nihil attinet hic pluribus agere.

Alia distinctio magistratuum.

Est & illa distinctio, alius magistratus merum habet imperium, quem superiorem vocant. Ita Cæsar, Rex, Imperator, Dictator, Senatus, populus, merum habent imperium. Alius non merum habet, sed grauiores causas, cognitioni superioris debet reseruare: vt Præsides prouinciarum ad Senatum & Imp. multa referunt. Alius etiam magistratus est belli, alius pacis, &c.

Finis.

Magistratus custos vtriusque tabulæ.

Finis magistratuum colligi potest ex definitione, scilicet pax publica, & conseruatio religionis, ad quæ duo capita omnes leges ciuiles accommodantur: hinc nascitur vindicta malorum, defensio bonorum, præmia virtutum, pœnæ scelerum. Custos enim est vtriusque tabulæ: verã religionem plantare debet, & dilectionem erga proximum: eliminare quicquid istis contrariũ sese offert: huc pertinet consideratio de officio magistratuum, quæ tractatio ad ministros Ecclesiarum pertinet, vt probè explicent officia & fines magistratibus, ne putent se ad otium & ad opes corradendas vocari in eam dignitatem, néve sui & ventris sint custodes, sed vno oculo Deũ, altero subditos respiciant: de quibus vide libellum Philip. Melanth. de officio principum.

Pugnans & contrarium magistratui est ἀναρχία & στάσις, hoc est, perturbatio ordinis & seditio, quæ duo vitia inducuntur primùm ab his qui in genere magistratum omnem damnant. Deinde qui prætextu donationum, iugum illius excutiunt: de illis dixi initio, & nunc pauca hic addemus.

Contra Anabaptistas igitur faciunt illa omnia, de quibus hactenus diximus, quibus addimus.

1. Pet. 2. vers. 13. *subditi estote omni humanæ ordinationi propter Dominum, siue regi vt superiori, siue præsidibus vt ab eo missis*: quæ doctrina consentit cum illa quæ est ad Rom. 13.

1.Tim.2.2.orare iubet pro regibus,& quibusuis in eminentia constitutis, quod vtique non faceret,si præesse aliis,vel parere magistratibus cum pietate Christiana pugnaret.

Tit.3 vers.1 *suggere illis,vt sese submittant principibus & potestatibus,& obtemperent*, quod præceptum omnino ad sanctos pertinet.

Et Christus paruit.Matt.17.soluit tributum Cæsari.& Matth.22.*Cæsari iubet reddi quod sit Cæsaris,& Deo quod est Dei*:distributa esse indicat piorum officia, alia Deo debent,alia magistratibus,quæ tamen non pugnant:sed dicuntur esse subordinata.

Verùm hîc mox quærunt,malísne & impiis magistratibus quoque sit obediendum? Respondemus distinctione,si nihil iubeat contra pietatem & bonos mores,vtique illi, vt vt impio, parendum esse.Nam illius impietas nos non liberat ab ordinaria obedientia,imò cùm sit Dei flagellum,per eum Deus exequitur suam voluntatem:parendum igitur in ciuilibus negotiis. Accedit Christi exemplum,qui Romano magistratui paruit,ac soluit tributum, quamuis impius esset, & violenter occupassent Romani Iudæorum regnum. Et Paulus sub eodem imperio constitutus paruit,& Ecclesiæ Romanæ præcepit vt obedirent, Roman. 13. cùm Nero tamen flagitiosissimè viueret,& multa administraret.Sed & Petrus 1.epist.2.iubet etiam seruos obedire malis dominis,discolis.Et Ieremias præcepit Iudæis vt Babyloniis obediant, imò pro salute regis orent,quia sint in illius pace habituri pacem,hoc est,quia sit Ecclesiæ daturus hospitium: quæ res non parui est facienda. Errat in his terris Ecclesia Christi: qui illi præbet hospitium, qualis qualis sit,gratitudinem pij eidem debent.

Impiis magistratibus in ciuilibus negotiis parendũ.

Sed excipiunt,libidinosè viuunt,& nequiter administrant Remp.Respond. non ob id sequi quod illi volunt.Nam licet Nero flagitiosissimè vixerit,tamen imperium illius Paulus non renuit:imò ad illum ipsum prouocauit.Sic Commodus impiè vixit,Phocas similiter: pij tamen illius imperio non sese opposuerunt:deinde non sequitur,persona impia est:ergo officium quoque malum est.Nam in ministerio idem sequeretur:sed quis tibi dabit colligenti,Iudas impius fuit Apostolus,ergo Apostolatus simpliciter impius est?nec illi colligunt aliter:magistratus aliqui mali sunt,ergo officium etiam illorum malum est: nego, est enim distinguendum officiũ à personis.In his multa hærent sæpe scelera,quæ officium tamen per se non inquinant. Malis opponant bonos magistratus,& in bonis virtutes ipsis vitiis,vt in Dauide,quamuis scelera quędam occurrant,tamen splendidas virtutes habes,vt veram pœnitentiam,agnitionem Dei,pacis curam,tutelam veræ pietatis & similes.In malis verò magistratibus quoque commoda quædam occurrunt,pax publica seruatur,castigãtur mali per malos,bonis concedũtur latibula,& quamuis aliqui ad pœnas rapiuntur,fit tamen id reliquorum bono, vt habeant exempla constantiæ.Sæpe etiam boni è malorum manibus liberantur,etiam per impios magistratus,vt Paulus authoritate Romani magistratus eripitur Iudæis in Actis:& cùm apud præsides, non satis esset tutus,ad ipsum Neronem prouocat,cuius authoritate eripitur ab insidiis,& Romam missus liberiùs causam dicit apud Neronem, ac faciliùs ab ipso absoluitur,quàm factum esset in Syria.

Officiũ est distinguendũ à personis.

Quod igitur illud dicunt, Vitia illa impij magistratus non esse à Deo,libenter damus: dent illi vicissim,magistratum impium tamen à Deo dari,vel ob peccata & malitiam subditorum, quæ si considerarent,non tam iniqui essent magistratibus,præsertim piis.

Sed addunt,non præsunt secundùm Dei voluntatem,cùm iustè non agant.Respondeo,Verum quidem est,malos non respicere voluntatem Dei, hoc est,non seruare metas à Deo positas,nec sua consilia attemperant ad Dei consilium, vt alio fine ipsi agant, alio per eos Deus agat.Interim non est causa efficiens,vt obedientiam in ciuilibus pernegent.Nam si contra Dei cultum iubeant,tum certum est,valere regulam,Deo oportet plus obedire quàm hominibus.

Quòd si pergat magistratus euertere Rempub.& bonos mores, cum legibus bene constitutis,viri boni omnibus modis laborare debent,vt Reip.status conseruetur:sin eripitur violẽter, vel in deterius mutatur,cogitemus scelera hominum id promeruisse.

Hoc sanè argumentum magni ponderis est,in oculis etiam sapientissimorũ. Romanæ Reip. status conuellitur à Cæsare,magno dolore id spectant optimi quique, Pompeius,Cato,Cicero,aliíque:sed non satis explicare possunt causas,cur Deus id permittat. Scriptura nos docet, Deum malum dare principem propter populi scelera.Id cogitandum est,in huiusmodi mutationibus Rerũpub.Interim magistratus nunquam deest,nec sancti se illi opponunt:sequuntur Dei consilia.In euersione Iudaici Regni,iam à Persis,iam à Babyloniis,nunc à Græcis,nunc Romanis eadem causa agitata est, pauci prudentiores attendebant consilium Domini punientis Iudæorum scelera,ideò ad pacem eos cohortati sunt,vt Ieremias,Daniel.Ioan.Baptista,Apostoli postmodum & alij.

Deus dat malos principes propter populi scelera.

Sed dicũt,Ethnicus est.Respondeo nihil impedit,quẽ tibi Dominus dedit magistratũ, hunc cole,eíq; obedi,nisi honestis rationib⁹ sedẽ mutare possis,quod in primis est curandũ.Interim dũ officij ratione nõ licet deserere suos, obedientia præstãda est. Id docent nos exẽpla Christi, Apostolorũ,Martyrũ,Ecclesiæ primitiuæ,adeò vt ne militiã detractarint Christiani sub impiis Imperatoribus,cõtra externos hostes:multò igitur magis Christianis principib.est præstandũ.

Quomodo Paulus prohibeat litigare apud magistrat. Ethnicos

Et quod Apostolus 1. Cor. 6. prohibet ne lites agant coram Ethnicis magistratibus, rectè dicitur, nec id tamen huc pertinet. Non enim obedientiam impugnat: sed iubet à litibus abstinere: præsertim cùm duo haberent amplissima remedia: prius, vt iniurias pij à piis illatas ferrēt: vel, si id displiceret, de cœtu Ecclesiæ, vel minimos constituerent controuersiarum suarum arbitros: quod multò laudabiliùs fuisset, quàm contendere coram Ethnicis magistratibus. Hæc ad illorum argumenta pertinent, qui in totum magistratum tollere conantur: quò pertinent etiam illa quæ ad hunc locum congessimus in Examine Theologico, quem locum vide.

Reliquum est, vt ostendamus, Clericos quoque obedientiā ciuili magistratui debere. Contra quos statuimus tanquam fundamentum scripturam ad Rom. 13. *Omnis anima subdita sit potestatibus supereminētibus*: hoc est, omnis homo, loquitur enim de homine in genere per synecdochen. An non clerici homines sunt, & ipse Papa homo est? itaque illos omnes ligat hoc præceptum: quia vniuersaliter omnibus datur, & datur sine exceptione.

Papa magistratui subditus.

Doceāt igitur vel se homines non esse, vel obediāt magistratui in rebus ciuilibus. Sed dicunt se non obedire magistratui, sed suo Ecclesiastico, Papæ scil. & Episcopis, ideò non teneri duobus magistratibus, vt simul Papæ, & ciuili obedire debeant magistratui. Cui respondemus non ob id eos liberari ab hac regula Pauli ad Rom. 13. omnis anima, &c. quia loquitur ibi de ciuili magistratu, cuius obedientia necessaria est, quia præcipitur à Paulo. Ideò huic parendum in ciuilibus, præsertim cùm ciuilium administratio non sit Papæ.

Aaroni Mosi ciuili magistratui debuit obedire.

In veteri Testamento eadem fuit ratio obseruata. Pontifices enim & sacerdotes non exemit functio ab obedientia ciuili: sed Aaron pontifex necessariò debuit obedire Mosi, ciuili magistratui: imò ab eodem fuit seueriter castigatus in causa religionis, cùm aureum vitulum conflasset. Hoc ita obseruatum est, vt Prophetæ quoque in ciuilibus, non sacerdotibus & pontificibus, sed politico magistratui obedirent.

In nouo idem videmus, Christus præceptor noster & sanctissimus Dei filius magistratum agnouit, eique obediuit in ciuilibus, nec sanctitatis nomine, quod tamen poterat, voluit se eximere. Idem Paulus præstitit, & Petrus fecit & faciendum præcepit. Quales igitur sunt illius imitatores, qui ab illius exemplo & præcepto recedunt?

Papa in clerum dominatum non habet.

Et Petrus manifestè prohibet Episcopis ne dominatum in clericum sibi vsurpent. 1. Pet. 5. q. d. hoc ad politicum magistratum pertinere, non ad Ecclesiæ ministros.

Christus de hac re, inquit Apostolis, *principes Gentium dominantur eis, vos verò non sic*, Matt. 20. Luc. 22. Marc. 10. q. d. docendo sese exerceant non dominando, relinquant principibus imperia: ipsi doceant, id quod fecerunt.

Christi exemplum illustre est, qui quæsitus ad regnum fugit. Ioan. 6. Nostri sponte se offerunt, imò intrudunt, & rapiunt regna. Hæc satis indicant, quo iure obedientiam magistratuū ciuilium in totum excusserint.

Christus munus docendi non gladium Petro commisit.

Addimus illud quod Petro & successoribus eius Christus non commiserit gladium, sed claues, hoc est, munus docendi, non gubernandi: & Petrus stringēdo gladium etiam pro Christo, audiuit, *conde gladium tuum*: & esto habeat gladium, tamen condere debet. h. e. illo non vti.

Locus hic postularet confutationem argumentorum quæ pro se clerici afferunt & pontifices, sed in alium locum commodiorem reseruabimus eam quæstionem. Diu agitata est quæstio de Maioritate, de qua re extant elegantissimæ epistolæ contrariæ Friderici Imperatoris, & Adriani Papæ, circa annum Domini 1155. De eadem re vide Constantini donationem, & quæ contra eam scripsit Valla, Huttenus, Lutherus, Nicolaus Cusanus, Antoninus in suo Speculo historiali. Cathalanus Canonici Iuris doctor. Item huc pertinet decretum Bonifacij octaui, quod inter extrauagantes, habetur, de Maioritate, &c. quæ suo loco erunt excutienda.

DE OBEDIENTIA.
LOCVS CXXXVI.

Quid sit.



OBEDIENTIA est promptitudo animi Deo, & hominibus debita officia deferens. Promptitudo dicitur, quia non oportet esse coacta officia & vi extorta, sed sponte & ab animo hilari prodire, nam honestate parendi delectari debet, defert autem solùm debita officia, h. e. quæ non pugnant cum honestate: vt cùm pater adolescentem iubet prostituere pudorem, non obedire debet, cùm officiū hoc cum honestate pugnet. Apostolus Petrus respondet, *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.*

Græci vocant eam ὑπακοὴν, quasi audientiam, ac describunt quòd sit ὑποταγὴ παντελὴς ἰδίου θελήματος. Est enim in hac virtute, quædam animi submissio, voluntatem suam, alterius iudicio attemperans. Nam cùm non omnes pariter sapiamus, natura tandē, vsu & experientia docuit, alios aliis parēre.

Originem

Originem primam à natura habet. Ratio enim dictat Menelaum tanquam prudentiorem debere præesse, Thersitē autem, vt furiosè loquentem, obtemperare. Margites dicitur non vltra quinque potuisse numerare: non igitur idoneus fuit negotiationibus & officiis publicis.

Causæ. Naturæ.

Accedit ratio iudicans de rei honestate, nam prudentes etiam obseruant in aliis dexteritatem consiliorum, ac in multis cedunt etiam inferioribus: sic Alexander obedit Aristoteli in multis, quia iudicat sapientiorem, hinc Xenophontis est sententia, *tum facilè obedituros subditos principibus, si iudicarint prudentiores, melio res, paratiores ad omnia, quàm sint ipsi.*

Ratio honesti. Iudiciū & existimatio.

Confirmauit hoc iudicium in hominibus experientia. nam viderunt homines longo vsu, vtile esse peritioribus obedire, vt in mari, non ditissimo obediunt, sed peritissimo naucleto: sic in bello optimo duci: in morbo, peritissimo medico.

Experiētia.

Atque hæc laudata & secundum naturam est obedientia, in qua causæ sunt, præcepti honestas, vtilitas facti, cui assentitur animus, hinc voluntas incitatur ab obtemperandum.

Sic quidem loquuntur ferè de eo negotio philosophi. Sacræ literæ paulò firmiùs nobis proponunt obedientiæ causas. Nam non tam quia vtile est obedire iubent: sed quia Deus iussit, Deus enim omnibus ordinibus obedientiam aliquam præcepit, filiis, vt obediant parentibus: seruis, vt Dominis etiam morosioribus: vxoribus vt obediant maritis: subditis, vt magistratibus etiam infidelibus: magistratibus autem vt Deo suo creatori: reliquis in genere, si quid homines exigant pugnans cum Dei voluntate, Deo oportere plus obedire, quàm hominibus.

Causæ secundum sacras scripturas. 1. Deus iussit.

Deinde accedit donum spiritus Sancti, sine quo obedientia non rectè potest præstari. Ac quāuis politica præstetur, vtcunque duce natura, tamen vera obedientia, quam Deo debemus, sine spiritu Dei ne quidem inchoari potest: naturæ enim donum esset potiùs quàm Dei, quod sanè derogat gloriæ creatoris.

2. Spiritus Sanctus.

Tertiò voluntas mouetur à spiritu Sancto, vt deinceps rei honestate, & authoritate Dei permota, velit & optet obedire, & cum non possit in omnibus sese accommodare diuinę voluntati, doleat certè.

3. Voluntas consentiens.

Meminerimus ergo cur sit hæc virtus inter Christianos necessaria. Obedire debemus, quia Deus mandauit, cuius præceptum negligere piaculum est: deinde ista honestissima est, quam honestatem etiam ratio complecti potest: demum quia testimonium est spiritus Sancti regnantis in nobis, cuius nos decet esse viua tēpla: adde quia omnimoda subiectio à nobis requiritur, quia ad plenū accommodetur nostra voluntas Dei volūtati, debet enim esse παντελὴς ὑποταγή.

Accedunt deinde fines elegantissimi, quos decet considerare, vt est honor & gloria Dei, cuius amore omnia decet facere pios, vt glorificetur Pater vester qui est in cœlis: deinde vt pax nobis sit cum Deo, qui in his est legislator, vt pax cum propria conscientia, quæ nos accusat, nisi obediamus. Præterea vt approbemus nos viris bonis, quorum iudicio nobis videmus esse opus, vt cōsequamur beneuolentiā, ἀντιφίλησιν à quib⁹ diligi volumus, & nobis videm⁹ esse vtile.

Finalis causa.

Ac parit illa consideratio animum ad parendum faciliorem & flexibiliorem, præsertim cùm obseruantur nostris oculis exempla, in quibus videmus, quanta sit tranquillitas inter eos, qui & honesta præcipiunt & promptè obediunt. Quàm elegans est εὐταξία in Repub. vbi de animi sunt affecti, & in Ecclesia, cum vtrinque studia sic moderamur! Suauissima est societas Angelorum, vbi illa regnat parendi alacritas: vt inter Adamum, Euam, & creatorem conuersatio erat iucunda, pudorem & metum nesciens, dum obedirent bene monenti primi homines.

Effecta.

Nam cum illa obedientia naturali, reliquæ omnes concurrebant virtutes. Verus ibi erat Dei cultus, vera adoratio, liber etiam accessus, & colloquia familiaria sine rubore: ingenij erat adhuc candor, integritas, acumen ad quæuis percipienda & intelligenda: ita sanè res habet in piis post lapsum vbi hilaris est obedientia, omnia bona concurrunt, obedientem da, omnia videris dedisse, ingenio erit candidus, non fraudulentus, hilaris, gratus Deo & hominibus, charus omnibus, colet Deum toto pectore, hominibus tribuet, quantùm honestè ab illo possunt requirere, omnia omnibus fiet.

Cognata.

Contrà videas mala contumaciæ, camarinam malorum dixeris. Augiæ stabulum non tantas sordes, quàm hæc mala, suppeditat, nunquam illa facit καθῆκον suum. Interdum submittit se hypocrisi quadam & ad oculum inseruit, quod genus officij ὀφθαλμοδουλείαν vocat scriptura. Interdum sortis pertæsa assurgit, criminatur superiorem, lædit maiestatem & personam præpositi. Vide quàm hæc sint fœda exempla, quòd Absalon insurgit contra regem pium principem & patrem? Rechab in Isboseth, quem Deus illi dederat Dominum: Nabal in Dauidem maledicta spargit: Certè damnamus illos adhuc demortuos, de quibus talia legimus: nonne meliùs illis consuluisset Homericus ille versiculus?

Pugnantia. Defectus ὑπόκρισις. Excessus στάσις.

Ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πίθεσθαι ἄμεινον, sed obedite vos: nam parere melius est: Quæ enim hinc malorū seges enata est? ἀναρχία & ἀταξία rerū omnium, qua nihil est pernitiosius rebus humanis: post se enim trahit seditionem, faces ciuiles, quales Roma vidit ex iisdem initiis. Lacædemonij cum suis seruis obedientiam recusantibus. Germania rusticanos habuit tumultus nō alia de causa, quàm quia obedire tædebat: nec est necessum clades publicas cōmemorare.

Hanc inobedientiam Deus seueriter punit vt est videre in Adamo, in Semei, in Saule, &c. Veturius senator non cedens de via tribunoplebis, securi percutitur: debuit enim magistra-

Exemplū punit

tæ inobedientiæ. Materia. 1. in qua 2. ex qua 3. circa quam. Diuisio. Species obedientiæ.

tui vel honoris ergo cedere, &c. ac prolixum esset mala priuata persequi. Discamus nos assuefacere, vt animi nostri honestati consentire libenter velint, & intueamur mandatum Dei, ex quo fluit honestas illa, sic libenter superioribus debita officia deferemus. Diximus de definitione, & causas obiter explicuimus ex philosophia, & sacris literis: proponamus nũc gradus quoque obedientiæ, vt videamus quàm sit illa multiplex.

Primus obediẽtiæ gradus meritò Deo tribuitur, quo omnis creatura suo conditori parére debet: atque hæc constans mansit in creatura irrationali, cœlo, syderibus, terra, brutis, elementis. Seruant enim constantissimè illas leges, quas Deus eis imposuit, & tandiu, donec author ille Deus aliud iusserit. Ita ignis vrit semper Dei lege, pueros tamen Danielis non lædit, quia Deus aliud iubebat. Sol cursum suum constanter seruat: tamen ad preces Iosuæ subsistit: & Ezechia postulante retrocedit Dei imperio: hinc temporum constans vicissitudo, elementorum pugnantium elegans concordia, ac totius consensus admirabilis.

Angelorum bonorum.

Mansit enim constans obedientia illa in rationali creatura particulari. Nam Angeli boni spiritus, manserunt morigeri Deo conditori: *hinc ministratorij spiritus sunt ad obsequium Dei parati.* Mali ab hac æterna regula recesserunt per inobedientiam: hinc peccato, contumacia, hypocrisi, quæ omnia cum obedientia pugnant, mirificè delectantur.

Durabilis obedientia.

Restituitur etiam in dies cœtus fidelium in vitam ęternam, qui eandem obedientiam perfectè præstat: nam qui hinc ad vitam beatam, emigrant, in cœlis cum electis Angelis, nihil à voluntate Dei alienum committunt deinceps: carent enim omni peccato & sunt summè beati.

Atque in his tribus gradibus durabilis est obedientia erga Deum, in Angelis & beatis, in æternum: vtraque temporis discrepans sortita principium.

Angeli enim boni, ab origine creationis suæ: homines verò, beati post transitum ex hac vita vtroque fine caret: mundi verò vtrinque, fine & principio est inclusa: sub hac forma, obedientia restituta præstantiori forma, perfectior etiam dabitur obedientia.

Interrupta obedientia. Obedientia inchoata.

Alia est obedientia Deo debita, interrupta, quæ constans non mansit: qualis in his vitæ miseriis præstatur Domino, atque hæc est, vel inchoata vel perfecta.

Inchoatam dico, quæ habet propositum bonum, cupere & velle Deo obedire, velle conseruare puritatem conscientiæ, nolle irritare vel dicto vel facto Deum suum: in hac, est propositum approbans honesta, & damnans vitia, deinde volũtas consentiens recto iudicio: demum spes, quæ videt promissiones extare de condonatione peccatorum, hinc excitatur animus ad nouam obedientiam.

Perfecta obedientia.

Perfectam hic appello obedientiam, non quam nos hic præstemus, aut præstare possimus: sed quam à nobis requirit Deus. Quod nos enim attinet vix inchoatam habemus etiam piissimi in hoc mundo, quam tamen commendat, & laudat scriptura, ac Deus eam gratam habet.

Cur requiratur.

Perfecta igitur est, quam à nobis postulat Deus. Deut. 6. Diliges Dominũ Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua, & totis viribus tuis: in quibus verbis totum hominẽ (quantus quantus est) sibi subiicit, vt diligat Deum perfectè, fiduciam in illum reponat, non partim in Deum & partim in homines & opes: sed totaliter in Deum: summè etiam Deum timeat, supra omnes vel tyrannos, vel hostes: supra omnia timeri vult, plus quàm ignis & ferrũ: omnem spem in se transferri vult, nullũ in præsidia humana. *Maledictus qui confidit in homine:* toto pectore coli vult. Hæc perfecta est obediẽtia, quam in hac corrupta natura à nobis requirit, vt videamus quantùm à perfectione absimus, & quàm fœlix status fuerit primorum parentum, qui ante lapsum illa præstare poterant: & quanta sit futura piorum perfectio in cœlis, qui hæc ita præstabunt, ideoq; ad illam pij aspirant indies, damnant sua studia, dicta, mores: agnoscunt lapsus & quotidianam imbecillitatem, ac orant, *Libera nos Domine ex mortali hoc corpore,* &c.

2. Obedire hominibus. Duplex obedientia hominibus debita.

Secundus obedientiæ gradus est, quo debita officia præstamus hominibus: debemus enim obedire magistratui, parentibus, præceptoribus, aliísque honesta iubentibus.

Sit igitur obedientia hæc gemina, alia œconomica, alia verò politica. Oeconomica complectitur domestica imperia, quibus parére in familia oportet. Politica præscribit ciuibus officia, præstanda magistratui.

I. Oeconomicæ species sunt, obedientia vxoris erga maritum, quæ leges habet coniugij.

Altera obedientia liberorum erga parentes domi & foris: huc pertinet obedientia erga præceptores, parentum enim loco sunt: & iudicio Alexandri Magni plura à præceptoribus bona accipimus, quàm à parentibus: cùm hi vitæ solùm dant initium: at illi vt benè & honestè viuamus, talis orphanorum erga tutores, clientum erga patronos pios obedientia.

Seruorũ in Dominos obedientia.

Tertia seruorum erga dominos: ac seruorum nomine, reliqui omnes domestici intelligũtur. In his ordinibus necessaria est obedientia propter εὐταξίαν, nam sine ordine non possent subsistere. Philosophi dixerunt in his inesse formam imperij, & elogiis elegantibus ornarunt. In coniugio dixerunt esse imperium Aristrocraticum: liberæ enim sunt voces inter vxorem & maritum, vt in libera Repub. dicebat ille, oportet liberas esse linguas. Consulit maritus vxori, & vxor marito, ambo rei domesticæ sine coactione, vt fit in Aristocratia.

Parentum imperium in liberos dixerunt esse μοναρχικόν, soli enim dominantur illis, & pleno iure in rebus honestis, vt Rex in regno suo. In seruos autem imperium esse τυραννικόν, nam

sordida

sordida officia illis imperant, quæ nec maritus vxori, nec pater liberis imperat. Præterea ius habet in corpora seruorum, licebat enim vendere, in pistrinum retrudere, ad metalla damnare, interdum loris cædere ad necem, quæ Tyrannica sunt.

Politicæ obedientiæ species sunt, quæ singulis magistratibus sua defert officia debita. Æschili dictum esse aiunt, ἄλλος ἀλλῇ πρὸς πόλιν τεταγμένος, quo significauit non omnes idoneos esse ad quamuis Rempub. Alius enim melius obedire potest Regi, alius Consuli in libera repub. qui Regis imperium non ferret. Alius etiam tyranni imperium ferre potest. Pertinent huc igitur officia publica, & species Reipub. in quibus singuli sciunt, quibus tanquam superioribus debeant parêre & cedere. Consuli in libera Repub. singuli ciues & senatores cedunt de via, obediunt in rebus honestis. Contrà, Consul omnibus etiam ciuibus aut maiori parti in sententia cedit, in Regno non sic, minus in Tyrannide. Species politicæ obedientiæ.

Hanc moderationem parendi commendat ratio & scriptura ipsa. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit:* sic 1. Pet. 2. *Regibus etiam obedire iubet.* Reliqui ordines etiam habent præceptum obediendi, vxores, liberi, & serui. Eph. 6. Coloss. 3. Tit. 2. Ex quibus locis forma obedientiæ colligi potest: vt sit ἀνυπόκριτος, fiat bono proposito & fine, hilari animo.

Quæri hic solet, quousque debeat extendi obedientia? Anne semper & in omnibus, & cuiuis Domino obedire oporteat?

Respondemus, quòd personas dominantes attinet, omnibus sanè obedientiam debemus, quibus Deus ius aliquod in nos concessit, sic Ieremias iubet Iudæos pacificè obedire Babylonijs, & orare pro Babylone, quia in pace eius, ipsi quoque sint habituri pacem: & D. Petrus iubet obedire dominis non solùm bonis, sed etiam σκολιοῖς, & Paul. ad Rom. simpliciter potestatibus iubet obedire. Ratio est, *quia nulla est potestas, nisi à Deo,* hoc est, omnis potestas vel magistratus est à Deo, ergo omni magistratui obediendum est, non solùm pio, sed etiam impio: ita Seneca inquit, Æquum atque iniquum imperium Regis feras. Senecæ dictum.

Sciant ergo pij etiam malis magistratibus esse parendum. Nam Deus malos etiam dat principes ad puniendos malè feriatos subditos.

Deinde quod mandata attinet distingui debent politica, à causis religionis, quod politica onera attinet, certè obedientiam debemus, modò nihil præcipiatur impossibile, & supra vires nostras. In religionis autem negotio quandiu nihil impium & pugnans cum Dei lege præcipit, vtique obedire debemus: sin cum Deo cœperit pugnare, & impia præcipere, quæ professionem nominis Christi & veritatis lædunt, sequenda est Petri sententia, Deo oportet magis obedire quàm hominibus.

Atque hucusque pij martyres, & Apostoli obedientiam præstiterunt hominibus, vt semper Deo plus iudicarint esse tribuendum: eadem nobis meta debet proposita esse.

Verùm in eo res hæret, ne illo prætextu eludamus debitam obedientiam, vt solent homines libertatis nimiùm auidi, quales inter catabaptistas reperti sunt, qui ad quæuis ista solebant allegare.

Tractarunt similem quæstionem Philosophi: An per omnia, obediendum sit parentibus? Respondent non malè: si iubeant ἃ μὴ προσήκει δρᾶν, aut prohibeant ἃ προσήκει, non mox obtemperandum: non enim debent occasionem dare liberis ad peccandum: imò censent non esse inobedientem qui talia recusat. Elegans est Musonij cum adolescente disquisitio, vt est apud Stobæum, in qua illa sunt verba. Itaque siue patris, siue magistratus, siue Domini præceptis, mala, iniusta, turpia imperantis, non obsequens quis fuerit; nequaquam inobediens est, vt etiam neque iniustè, neque perperam facit: verùm ille duntaxat immoriger est, qui benè, honestè, vtiliterque imperata negligit, & non obtemperat, &c.

DE TRIBVTIS.

LOCVS CXXXVII.



TRIBVTA, census & vectigalia promiscuè in eadē materia sumuntur, quanquam aliquod in his sit discrimen. Nam si Iureconsultis credimus, Tributa de solo & bonis immobilibus penduntur: Vectigal de mercibus, & rebus quæ importantur, & exportantur vrbibus. Quamuis sint fundi etiam vectigales, quos Respub. locat municipibus, ex quibus certum pensitant vectigal. Census ex existimatione bonorum omnium, aut in singula capita agitur. In censu ætas spectatur, vt docet Vlpian. lib. 10. Tit. 15. ff. Noui Græci non eodem pacto distinguunt voces has, φόρος, τέλος, κῆνσος. Nam φόρος ἐκ τοῦ φέρειν, hinc φόρος vectigal. Illud à ferendo: hoc à vectando. Tamē φόρος, aiunt, soluitur ὑπὲρ τῆς γῆς, vt sit tributum, quod ex fundis prædiis, agris soluitur. Τέλος autem ἐκ τῆς ἐμπορίας, hoc est, ex mercibus. Hinc τέλη εἰσαγωγικά, hoc est, vectigalia ex rebus quæ importantur in regionem. Et τέλη ἐξαγωγικά, id est, pro rebus quæ exportantur ex regione. Erat olim Distinctio vocum.

pars octaua. Vt est, ff. noui lib. 1. Tit. 3. κῆνσος latina vox est, quam quia per e scribimus (census) rectè per η, Græcè scribitur, quanquam Varinus κινσὸν scribendum iudicet. Habetur latina hæc vox Matth. 17. & 22. in græco, vt & aliæ alibi reperiuntur.

Matthæus hebraicus duas alias voces habet, *mas* & *terumah*, *mas* dissolutionem significat, vt Esa. 19. *vmas bekirbi*. Et confractio in medio mei. Hinc *masach* tributum, pensio spontanea, quæ consueuit pendi domino. Tamen principum & regum pensio *mas* rectè dicitur, quia priuatos loculos exhaurit, & dissipat facultates. Aut quod melius fortasse fuerit, tollit iram & dissipat principum indignationem, cùm hilariter & sponte pensitant. Cùm pro oblatione, quæ domino offertur, accipitur, tum placet eorum sententia, qui pro sufficientia accipiunt vocem *mas & masach*. vt Deut. 16. ver. 10. secũdum sufficientiam spontaneã manus tuæ. Hieron. habet oblationem spontaneam. Sed annotat R. Schelomo *masah* esse *dai* sufficiens. Et Targum *dai* per *masah* exponit Deut. 15. Quod eò libentius accipio, quòd dominus in spontanea oblatione etiam tenui censu est contentus, sufficit vel teruncius. Paupercula in Gazophylacium mittit minuta duo, & plus contulisse dicitur, quàm alij, Luc. 21.

Terumah Domini est oblatio, quæ coram Domino eleuabatur, vnde nomen inuenit. Matthæus vtraque voce pro tributo seu censu est vsus.

Definitio tributi. Sit nobis in præsentia Tributum, iusta pensio ex priuatis facultatibus, ad communem Reip. vsum magistratui collata. Iustam dicimus, quia & modum non excedit, & pietati est conformis. Magistratui autem conferendam ad Reip. vsum vt finem & scopum statuimus, id quo reliquos etiam fines comprehensos volumus. Ex priuatis colligi facultatibus indicant onera hæc ad subditos pertinere, quorum est publica grauamina ferre, propter dominum, qui res humanas hoc pacto in ordine vult retinere.

Hæc pensio vel adæquatur bonis. Vt pro facultatum copia alij plus, alij minus soluant: ita Cyrenius Augusti nomine venit in Iudæam vniuersorum depretiaturus substantiam. Ioseph Antiq. lib. 18. cap. 1.

Vectigal Tributũ bonorum. Et hæc bonorum æstimatio vel mobilium est importandorũ aut exportandorum in regiones. Hinc vectigalium illa octaua portio, ex qua ipsi exactores & milites stationarij, octauarij dicti sunt, quia octauam partem exigebant. Vel est immobilium, vt ex fundo, agro, prædio, domo, villa, tributum.

Aut adæquatur non bonis, sed corporibus & personis, idque vel loci ratione, vt in pontibus, nauibus, traiectu fluminum, ingressu vrbium, villarum, Tributum penditur. Vel adæquatur vniuersaliter capitibus censis, quæ in censum certa ætate transeunt. Sic Iudæi supra annos 20. dimidium siclum pendebant templo Ierosolymis. Exod. 30. quem censum postea Imperatores transtulerunt ad pensionem Capitolij Romæ. Hac lege Christus cum Petro in censum iuit in Capernaum. Matth. 17.

Tributum per sonarum

Iam ergo expendamus, iustum ne sit & pietati consonum tributa soluere? Qui rem iniquam æstimant, duplices sunt. Alij per se & absolutè indignum iudicãt Christianos & renatos & libertate donatos in hanc miseram detrudi conditionem, vt seruiant & tributis exhauriantur. Alij, non quidem impium iudicant onera illa ferre & persoluere: verùm seipsos hisce eximunt oneribus prætextu iuris. Priores simplicitate quadam peccant, aut etiam pertinacia impudentia, quemadmodum Iudei indignum cẽsebant populum Dei, Ethnico magistratui tributarium esse, qui iure diuino & humano liber esse debebat. Matt. 22. Posteriores indulgẽtia principum: priuilegiis & iuris diuini authoritate conãtur sese his eximere: sic vt illi nemini tributarij sint: alios autem mortales omnes sibi vectigales contendunt esse.

Contra Immunitatem Papæ & suorum. Nos in singulorum rationes nolumus iam accuratiùs inquirere. Solùm hoc docebimus, Magistratui ordinario eidémque politico, omnes subditos cuiuscunque ordinis, iure soluere ordinaria tributa, cùm res postulat. Ex quo primùm concidunt Libertini, qui perperam, Euangelij prætextu, hæc onera criminantur. Deinde homines religiosi, qui religionis nomine immunes sese contendunt esse.

Tributa authore Deo instituta. Primùm, Authore Deo introducta sunt tributa in veteri populo. Exod. 30. Rem ergo honestam esse necessum est.

2. Deinde, optimè constituta Respub. his nunquàm carere potuit, tam in veteri quàm in nouo fœdere: nec vlla apud gentes bene instituta Respub. reperta est, quæ his oneribus carere potuerit. Et quanquam de Druidibus scribat Cæsar, eos tributa nõ dedisse: tamen nec agros possedisse, nec aliquam ordinatæ Reipub. formam habuisse, Plinius non obscurè indicat.

3. Christiana professio non tollit ordinationes politicas, & cùm tributa dare, sit politica ordinatio, facilè colligi potest, id à professione Christiana non tolli.

Maior facilè declarari potest ex 1. Cor. 7. vt quemque vocauit Deus, ita maneat: seruus vocatus es, &c. & Matt. 22. *Reddite Cæsari, quod Cæsaris est*. Et Luc. 3. Ioan. Baptista publicanos, qui tributorum sunt exactores, non iussit stationem deserere: sed ne ampliùs quàm ipsis ordinatũ esset, exigerent.

4. Præterea scandala non necessaria sunt piis in primis vitanda, quemadmodum Apostolus ad Rom. 14. de cibo loquitur in quo non sunt amanda scãdala, vel edẽdo, vel abstinẽdo. Sed

Tributa

Tributa recusare, scandala parit non necessaria: quod testatur Christus dum ait, *ne scandalizemus eos*, Matth. 7. Argumentum vim habet à iure dilectionis.

5. Item exemplo Christi, qui & pro se & pro Petro persoluit tributum, cùm iure debiti potuisset esse liber, noluit, ac maluit iure dilectionis vti, quò exemplum haberemus, quid Christi amantibus faciendum esset in his casibus. Christus noluit esse immunis, cùm posset: ergo multò minùs nos esse cupiamus, cùm nullo iure liberi simus. Quod exemplum præcipuè facit contra clericos: Christus dedit & Petrus dedit tributa. Ergo posteros Christi & vicarios Petri tributa soluere par est. In Petro enim & in Christo decimati sunt, quemadmodũ Leui in Abrahamo. **Christus tributum persoluit.**

6. Accedunt alia sanctorum exempla. Abrahami, qui Melchizedecho soluit tributum: Principum Israëlis: populi Dei: Iosephi & Mariæ in nouo Testamento, Luc. 2. nulla igitur est ratio cur immunitatem ab his publicis oneribus quæramus. **Abrahamus tributum soluit.**

7. Inuitare debet nos, aut potiùs ruborem nobis incutere Christi hilaritas & promptitudo in soluẽdo. Non differt donec exigatur à Petro, aut moneatur, sed præueniens offert sponte quod iure negare poterat.

8. Adde quòd cùm non haberet: tamen liberaliter depromit è mari. Piscem monstrat Petro, qui exhibiturus sit staterem pro vtroque sufficientem. Quo docet oportere in eiusmodi oneribus non solùm hilarem & promptum esse: sed etiam confidentem: hoc est, optimè sperare de Dei benedictione. Tantùm abest vt destituatur Christus, vt etiam mare & ipsi pisces suppeditent: ita pius cogitabit reliquos tuos labores fortunatiores reddet Dominus, benedicet conatibus tuis, imperabit ipsis elementis, vt te iuuent.

9. Insuper, Christus in his authorem Deum respicit, non Romanos, aut exactores Ethnicos. Quòd si gentili & impio soluit Christus, idque quòd Dei esset ordinatio, qua fronte nos subtrahemus non Ethnico, sed Christiano magistratui? Quòd verò Christus in hoc Deum authorem respexerit, ostendit eius argumentum. Filij possunt esse liberi in tributis suorum parẽtum & paterno regno. Ego sum Filius Dei: Ergo in hoc suo tributo imposito suo populo ab ipso Deo, poteram esse liber. Alioquin argumentum non facit ad rem, nisi regem Deum patrem intelligas, qui author fuit tributi illius apud Iud. Exod. 30.

10. Suadet hoc etiam ius naturæ, quod tibi fieri velis, alteri etiam feceris: sed velis iuuari alterius facultatibus, cum res postulat: Quare ex tuis etiam par est conferre ad tuendos & alios & teipsum.

11. Nec decet pios in his rebus esse morosos, cùm sine iactura pietatis id possint. Ioan. 18. Inquit Christus, Regnum suum non esse de hoc mundo, hoc est, non esse externum & politicum. Nam si esset tale, non posses seruire Christo, vt aliis politicis constitutionibus. Verùm cùm non sit de hoc mundo, ostendit nihil ad pietatem facere, nec quicquam illi detrahere in quacunque Repub. verseris, modò sis pius. Huc facit Pauli sententia Rom. 14. *Regnum Dei non esse cibum & potum*, hoc est, in illis externis non consistit. Quare propter illa non debemus tumultuari. **Regnum Christi nõ est externũ & politicũ.**

12. Accedunt præcepta præcipua, quæ obedientiam magistratui debitam mandant. Quæ includunt etiam hoc membrum de censibus & tributis Eph. 6. Tit. 3. quæ cum tributa non eximant, nulla est ratio, cur illa recusemus.

13. Et Rom. 13. nominatim tributa imperantur. *Reddite omnibus, quod debetur. Cui tributum, tributum: Cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*, nihil sanè clariùs dici potest.

14. Et, ne diuerticula quæramus in vita & moribus principum, Petrus etiam iubet prauis dominis parere. 1. Pet. 2. ac grauem appendit causam, *propter conscientiam*. Quòd si ergo malis etiam: Ergo in tributo exigendo quoque. Itaque plus obedientiæ debeo pio magistratui, si petat tributum. Et idem domini docet exemplum.

15. Prudentes homines rem esse necessariam experientia & vsu didicerunt. Nam Reip. robur in eo consistit, sine quo nec consistere, ne administrari potest. Hinc Cic. neruos Reipub. dixit, quæ sententia ab Vlpiano in codice repetita est. **Tributa sunt neruí Reip.**

16. Nec est boni ciuis immunitatem prætexere in communi onere, cuius vtilitas ad ipsum etiam pertingat. Quẽmadmodum in communi naui qui deferuntur, si qui nauticos labores recusare pergant imminente periculo: hominum illud est astutorum, & omnia ad suam vtilitatẽ conuertentium. Vt iudicat Aristoteles. 5. Polit.

Nos Christi exemplum, & Pauli iudicium amplectamur & obediamus non solùm propter iram, sed multò magis propter conscientiam: hoc est, non tam vt pœnas effugiamus, quas magistratus iure diuino contra rebelles instituere potest, quàm vt conscientiæ satisfaciamus corã Domino. Illos verò qui immunitatibus sese his subtrahunt, non aliter quàm Herculem ab Argonautis, cùm labores nauticos communiter ferre recusaret, relinquendos, imò de naui si non præcipitandos, certè excludendos esse censeo.

Diximus rationes, quibus adducti iustum & pietati consonum esse iudicamus tributa soluere. Ex quo iam & illud confectum est, Iustè & piè magistratum posse illa exigere.

In quo tribus modis peccari potest. Primùm si citra causam & facilè imperentur. Nam id nõ ampliùs prouidi magistratus est: sed ad tyrani mores pertinet. Quare meminerint magistratus **Quom. magistratus piè & iustè solutionẽ tributo-**

...rum exigere possit. Tiberij dictum.

istius, quod de Rege dixit Seneca in quadam epistola, *Non esse tutum illum regem, à quo nihil sit tutum.* Hinc seditiones oriri dicere voluit, si rapaces sint & sine causa exigant. Scitum est apud Suetonium Tiberij dictum, Boni pastoris non esse deglubere: sed tondere pecus. Et Alexand. Magnus solitus erat dicere se odisse olitorem, qui herbas radicitus conuelleret. Voluerunt indicare modum oportere esse in exactionibus principum.

Qui sint, aut debeant esse à tributis immunes. Pontificij ex manifesta scortatione tributa colligunt.

Deinde si tollantur, vnde non oportet. Christus asserit filios regum in paternis tributis liberos esse, conferre tamen illis licet. Quæstio est de iure debiti & honesti, quòd ad authores tributorum attinet. Eximit quosdam pietas: alios paupertas: alios turpitudo. Orphanos, pupillos, viduas eximit vt plurimum paupertas: tamen Reipub. non detrectant operam suam conferre. Turpitudo eximit homines improbos. Vt à scortis tributa colligere, non minùs debet probrosum videri, quàm à latronibus & furibus: quandoquidem scortorũ lupanaria non minùs lege Domini prohibita sunt, quàm homicidium, aliáque scelera. Viderint igitur, qua honestate sese ornent Pontificij, qui dum legitimis tributis sese subtrahunt: tamen ex adulterio, & manifesta scortatione quæstum & tributa comportant. Huc pertinet tributa ex rebus sordidis, vt ex latrinis, lotio, &c. Quod Vespasiano datum est. Cuius est illud: Bonus odor lucri ex re qualibet: verùm sic pius magistratus cogitare non debet.

Tertiò. Si aliò conuertantur quàm ad honestos fines. Quale est tueri patriam, consulere vtilitati publicæ, prospicere annonæ, paci, salubritati, aliísque malis propulsandis, quæ patriam communem possunt lædere. Debent enim cogitare sese habere limitatum ius administrationis, non plenaria præesse authoritate. Meminerint se esse Christianos, à quibus in primis iustum iudicium requiritur. Et quia ipsi dominum habeant, cui olim sint grauem reddituri rationem suę administrationis, &c. Sed non est nostri instituti hic de magistratus officio disserere, tantùm de honestate tributorum, quòd subditos concernit.

DE SEDITIONE.

LOCVS CXXXVIII.



ACTORVM cap. 21. seditio Hierosolymis concitatur ab Asianis Iudæis contra Paulum, idque nulla iusta de causa: nec eo sunt contenti: sed diuum Paulũ seditionis reum conantur peragere: qui locus vberiorem huius mali postulat explicationem.

Ideóque iam dicemus, quid seditio sit: quæ sint eius genera, quæ item causæ veræ: quæ olim pœna à seditiosis irrogata: quæ item propria, quę remedia huic malo saluabriter adhibenda perspicuè, quoad fieri potest enarrabimus.

Seditio Latinis pari ratione dici videtur quæ Græcis στάσις. Nam στάσιν dixerunt ab ἱστάσθαι, hoc est, subsistendo, & renitendo: hinc Plato in Cratyl. dixit, στάσις ἀπόφασις τοῦ ἰέναι βούλεται εἶναι, διὰ δὲ τὸν καλλωπισμὸν στάσις ὠνόμασται, & quanquam illic stationem motui contrariam describat: tamen indubitatum est διχοστασίαν quoque à στάσεως nomine venire. Ideò autem στάσις dicitur, quia in seditione partes partibus obnituntur firmiter, adeò vt animi cedere nesciant. Hinc Pindar. vocat στάσιν ἀντιάνειραν quæ viros inter sese hostiliter committit, vt nemo cedere velit. Latini ita seditionem à sedendo dixerunt: quia obfirmati animi iam sententias suas insidentes suo iudicio non dubitant armis, clamoribus, & quocunque modo possint tueri.

Latini seditionē à sedēdo dixerūt.

Nec obstat quòd Iurisconsulti dicunt: seditio, quasi seorsim itio dicitur, quòd in diuersum abeant, trahántque alios. Nam hoc posterius est & forma seditionis quædam, cùm sententia, obfirmata & insidens animo iam concepta sit, & secessionem fecerit: conuenit etiam cum re. Nam qui secessionem instituunt aliis exclusis simul sedent, deliberant, ac sese confirmant, vt quouis velo sese tueri velint.

Porrò seditionem Latini olim propriè vocabant, quando tribunitiis clamoribus populus cõtra magistratum concitaretur. Iurisconsulti tamen hanc vocant, quando quoquomodo statum Reipub. labefactare conantur rebelles.

Definitio seditionis.

Statuamus igitur hanc definitionem. Seditio est discordia multitudinis vnitæ suis legibus, contra ordinarios magistratus, manu ac vi rem gerens.

Plato in sophista ferè sic rem exprimit: στάσις ἐστι διαφθορὰ τοῦ φύσει συγγενοῦς ἐκ τινος διαφορᾶς, & in politicis ἡ ἐπὶ τοῦ οἰκείου ἔχθρα, hoc est, domestica inimicitia, & alibi, στάσις ἐμφύλιος ἔχθρα, hoc est, intestinum dissidium.

Discrimen inter bellũ & seditionem.

Nos discordiã diximus, quasi genus notantes: id Græcis ἔχθρα est & διαφθορὰ Platoni. Deinde addimus differentiam, quòd sit multitudinis, quo differt ab rixa & lite: quæ est vnius contra vnum, aut inter paucos de rebus priuatis. Quòd autem addimus multitudinem hanc vnitã esse suis legibus, distinguimus seditionem à bello: quia bellum discordia est contra externos, quos nullæ leges nobis coniungunt in vnum corpus. Sic plato quoque 5. Polit. distinguit bellum & seditionem: dissidium in Repub. domesticum seditio dicitur: contra exteros autem bellum dicitur

citur. Et in sua definitione Plato in sophista addidit φύσει συγγενοῦς: quales Græci inter se, qui dissidentes στασιάζειν propriè dicuntur, contra Barbaros autem πολεμίζειν. Sic Heluetiorum Respub. dissidens στασιαστική dicitur: contra externos autem πολεμική.

Genera illius varia sunt. Aut enim in religionis causa oritur seditio, quæ priore dicitur quibusdam Schisma, secta, vel sectio: quanquam sine aperta seditione frequenter oboriatur schisma in religione. Aut in rebus ciuilibus, quæ est factio ac conspiratio. Atque hæc est vel togata, vel est armata: illa domi ac in pace instituitur, positis semel armis: hæc inter arma à militibus contra duces suos, aut socios, aut patriam suscipitur. Togata variis de causis suscipitur, aut studio dominandi inter competitores, aut æmulatione honorum, inuidia, pudore, metu pœnarum aliisve de causis. Idque vt plurimum à potentibus. A populo verò, vel ære alieno oppresso, tyrannide præsidum, vitiis magistratuum, quæ diu impunita, populus tandem conatur punire: spes libertatis & sinistra de libertate opinio, excitare solet populares ad motus ciuiles: qualis rustico bello fuit excitata à malis doctoribus libertatis Christianæ. Ciuilium seditionum exempla habes in Absalone contra patrem Dauidem, in Adonia & Siba. Iud. 11. Ephraimitæ contra Iphtach seditiosè insurgunt. Varia genera seditionis.

In causa religionis seditiosi sunt Core, Dathan, Abiran, contra Mosen, Iudæi Asiani contra Paulum Act. 21.

Est etiam illa distinctio: quòd seditio alia vnum petit, alia plures. Vnum, si principem ordinarium maiestatis læsæ crimen est, & rei maiestatis hinc dicuntur, qui in salutem principis conspirant: quod Romani Imperatores sæpe experti sint. Plures interdum petit, qui deliquisse aut aliis intolerabiles videntur, quos de medio tollere sibi iustum & tutum iudicant. Alia distinctio nis.

Militaris seditio in exercitu & castris fit: aliàs contra Imperatorem, quo genere ferè omnes Romani principes occubuere. Contra socios, qui diuersæ sunt linguæ, aut moribus ac vitæ genere ab aliis dissident. Contra patriam, qualis Cæsaris exercitus in Gallia: huc pertinent perduelles, qui cum hostibus patriæ conspirant in detrimentum eius.

Omnis seditio etiam duas habet partes. Vna est quæ defendit leges & iure patriæ, quæ non vi sed legibus agendum contendit, atque hæc pars optima est. Seditiosis enim sese pro salute patriæ opponit, & sedare conatur pro viribus: vacat hæc pars interdum culpa: interdum habet intra se etiam qui authores fuerunt, & materiam seditioni dedêre.

Altera pars seditionis rea est, & ob id inexcusabilis, quæ nō satis iustis de causis ad vim concurrit. Cùm vltima ista remedia non solùm periculosa sint: sed omnibus modis detestanda.

Causæ seditionum promanant ex inæqualitate. Ita Plato in 6. de legibus à contrario id probat, παλαιός, inquit, λόγος verus est, ἰσότης τὴν φιλότητα ἀπεργάζεται. Itaque ἀνισότης στάσιν efficit: hinc nimiam paupertatem, & nimias opes in Repub. cauendas esse docet: quòd hinc facilè materia seditionum sumatur. Causæ seditionū.

Aristoteles ferè eodem pacto de causis disserit, lib. 5. Polit. eas tamen explicatiùs digerit, Nam tres ordines constituit causarum. Aliæ sunt, vt efficientes, ex animorum constitutione promanantes. Aliæ vt materia, qualis est honor, lucrum, excellentia, despectus, metus, vltra modum alios præire, & similia. Aliæ se habent vt finis: atque hæc singula pro diuersitate Reipub. variant quoque, de quibus consulendus est Aristot. citato lib. cap. 2. 3. 4 & sequentibus.

Studium dominandi Græcos sæpe multis seditionibus attriuit. Illustre habes illius exemplū in Corcyręis apud Thucyd. quam seditionem singulari diligentia descripsit. Romæ eadem causa mutatus est Imperij status in Monarchiam.

Libido & tyrannis primos reges Romæ eiecit sumptis armis contra Tarquinios.

Nexus & æs alienum plebem contra patres aliquoties armauit. Cuius habes exemplum elegans apud Liuium Dec. 1. lib. 2. & lib. 6. anno vrbis 256. Et apud Val. Max. lib. 9. cap. 7.

Interdum non causa, vt causa arripitur ad seditionem concitandam. Nam qui rebus nouandis incumbunt, conatibus suis prætextum honestum quærunt, ne vim palàm videantur facere. Sic Ephraimitæ contemptos se dicunt à Iephthe, Iud. 11. Iudæi Asiani Paulum criminãtur, quòd Gentes induxerit in templum, contra Mosen doceat, &c. quæ omnia speciem veri solùm habebant, cùm per se conficta essent mendacia.

Proprium huic malo est, honestas facti causas comminisci: quæ dum interdum subsunt, factū tamen per se non possunt excusare, nisi vi & potentia armetur. Hinc accedunt alia, quæ formam illius depingunt: qualia sunt populum conuocare sine iussione ordinarij Magistratus, leges publicas violare: vtilitatem patriæ corrumpere, sæuire in quosuis, quibus factio displicet: non parcere liberis, parentibus, amicis, qualia apud Corcyræos contigere, vt est apud Thucyd.

In Actis, Iudaica seditio fermè ista habet. Confusionem, quod postea dicuntur, *commouere totam vrbem*, hinc populi concursus: inde vociferari, & mox alij aliud clamabant, hoc est, confusus & sine iudicio clamor erat. Opinio pro ratione valet, falsum pro vero: *nam Trophimū opinantur in templum ductum esse*, quod non erat. *Iniicere manus:* manus iniiciunt Paulo innocēti, trahunt ad supplicium indemnatum: quærunt quomodo occidant. Accedunt impiæ postulationes quoque, *tolle tolle, non est dignus vt viuat*, &c.

Illa breuiter complexus est Vergilius, lib. 1. Æneid.

Ac velati magno in populo, cùm sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Iámque faces, & saxa volant, furor arma ministrat.

Remedia seditionum. Remedia seditionum gemina sunt. Alia ante seditionē quasi προφυλακτικά, quæ precauent ne facilè seditio populum inuadat. In qua re prudentia ac vigilantia magistratuum præcipua virtus est. Curandum enim illis vt leges patriæ bene constitutæ in vigore retineantur: æqualitas seruetur ordinum, in pœnis non sit respectus personarum, ne detur venia coruis, vexet censura columbas. In præmiis virtutum, nemo contemni videatur. Sit honor benefactis & pietati, scelerati reprimantur. In primis vt dissidia inter potentes maturè dissoluantur: nam discordia procerum factiones alit.

Sunt etiā singulis formis Reipub. sua propria remedia, de quibus cōsule Aristot. lib 5. Polit.

In ipsis verò seditionibus iam obortis, periculosa sunt remedia. Plurimùm tum valet viri moderati grauitas: de quo Vergilius dixit,

Tum pietate grauem & meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Exempla facilè historiæ suppeditant. In Act. 19. scriba Ephesinum populum seditiosum graui oratione mitigat. Romæ P. Seruilius populum oratione blanda sedat. Idem postea facit Menenius Agrippa. vide Liuium, Dec. 1.

In hac re solertia opus est, vt apposito argumento res proponatur. Menenius eleganti Apologo populo proponit, quàm perniciosa res sit in Repub. discordia: sic orator ille Byzantius, cùm obesus & crasso esset corpore, ideóque rideretur, hoc ipsum arripuit in argumentum pacificationis. Nam vxorem sibi domi esse dicebat, multò obesiorem, ambos tamen concordes vnum capere & quidem modicum lectum, discordes verò ne totam quidem domum ferre, &c. Pind. Pyth. 4. Epod. 12. ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ φαυλοτέροις, ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἕσσαι, δυσπαλές. Facile est etiam malis vrbem turbare, sed in locum suum restituere difficile. (Byzantij orationis lepidum dictum.)

Aliàs vi opus est contra seditiosos, vt in Act. 21. centurio armata manu furori Iudæorum eripit Paulum. Iphtach Ephraimitas seditiosos, quos oratione non poterat mitigare, ferro compescit. Dauid Absalonem bello persequitur. Ita quidem componi potest cùm melior pars superior est in seditione.

Interdum vt maius caueatur malum, tradendi sunt ad supplicium certi, quos expetunt, horum sanguine saturantur & expiatur seditio: quod bonos sæpe viros, & innocentes haurit.

Pœna seditionis grauissima apud omnes Gentes habita est. De qua extat lex in Codice iuris. T. 30. de seditiosis. L. 1. Si quis contra euidentissimam iussionem suscipere plebem, & aduersus publicam disciplinam, defendere fortasse tentauerit, mulctam grauissimam sustinebit.

Quo loco mulctam grauissimam interpretantur capitalem pœnam: quia mortis pœna grauissima est.

Quidam tamen mulctam grauissimam accipiunt, pro qualitate personæ: aliquando enim seditiosi suspensi sunt furca, aliquando bestiis obiecti, aliàs in insulas deportati, quod in additionibus annotarunt. Romani seditiosos milites decimabant, quod Crassum quoque fecisse in fugitiuis scribit Plutarchus.

In sacris literis atroces habentur pœnæ seditiosorum. Absalon ab arbore suspensus occiditur ob seditionem commotam contra Dauidem patrem. Tribus Ephraim bello ferè deletur eadem de causa. Dathan & Abiran terra dehiscit, Core cum sociis igni consumitur. Seba & Adonias quoque miserè pereunt. Quibus exemplis Dominus voluit depingere, quàm seueriter animaduertat in eos, qui pacem publicam sine iustis causis perturbant.

DE INIVRIA PROPVLSANDA.

LOCVS CXXXIX.



Erronea opinio. VLGATA est hodie, vt & olim, quæstio, quatenus pij vim & iniuriam perferre debeant, ad quam non omnes eodem respondent modo. Sunt qui putent omni iniuriæ cedendum esse, adeò vt grassatori non sese opponerent, euersuro rem domesticam, latroni erepturo cum bonis vitam, nebuloni vxoris & liberorum pudicitiam violaturo, & si quid atrocius dici vel cogitari potest. Adamantina dicas pectora: stupida certè, & quæ omnē hominis sensum exuerint: fortè cum Stoicis etiam commiserationem inter malos connumerabunt affectus, cùm Christus & Scriptura, imò Deus ipse, misericordiam nobis commendet, nec deleri à nobis velit, quos semel nostræ curæ immiserit. (Stoici cō miserationem inter malos affectus connumerabant.)

Deinde magna ignominia onerant Ecclesiam isti homines, cùm omnem defensionem planè

illi

illi adimant, ex quo nihil, quàm extrema ἀταξία in rebus humanis orirerur: quis enim modus esset grassandi, si omni iniuriæ piis cedendum sit? Olim calumniabantur Ecclesiam Christi, Porphyrius, Iulianus & similes, quòd doctrina Euangelij etiam ordinaria tolleret iudicia. Mera quidem erat calumnia, orta tamen videtur ex simili κακοζηλίᾳ, qua hodie multi feruntur: ideóque repellenda est hæc calumnia ab Ecclesia Christi. Calumnia Porphyrij & similiũ.

Alij nimis laxè de hac re & sentiunt & loquuntur: homines iniuriarum impatientes & malè Christiani: de quauis re mox ad tribunalia conuolant, parati etiam propria manu se vindicare & vlcisci: quos cogitare oportebat pios ad ferendam iniuriam semper paratiores esse, quàm ad inferendam. Tertull. ait, Christianorum magis esse proprium occidi, quàm occidere, hoc fortassè illi non credent, sciant tamen philosophum Socratem saniùs de hac re pronuntiasse, qui si necessum foret, malebat iniurias perferre quàm inferre. Socratis pia sententia.

Nos nostram dicemus sententiam, quandoquidem Apost. ad Rom. 12. eius nobis planam dedit occasionem. Ac vt ad quæstionem multiplicem rectiùs respondeamus, priùs constituemus iniuriæ definitionem, ac partitionem.

I. Iniuriã & vim appellamus, omne id, quo ius alterius læditur, siue dicto, siue facto, gestu, scriptóve contingat. Socrates apud Platonem in Hippia minore ait τὸ ἀδικεῖν esse κακὰ ποιεῖν. Est enim per se de genere mali iniuria: facere iniuriam malum est, & pati iniuriam alio respectu quoque malum est: illud, per se & sua natura: hoc, respectu pœnæ: calamitosum enim est iniuria opprimi. Quid sit iniuria.

II. Ex quo efficitur, iniuriam esse multiplicem: apud Iurisconsultos quadruplex est. Nam vel dicto committitur iniuria, vt cùm maledicto vir bonus laceratur, quod genus apud eos dicitur ὕβρις contumelia. Deinde facto admittitur, vt grassator eripit facultates viatori per vim. Tertiò gestu, vt cùm habitum & mores probrosè alterius imitantur homines ad contemptum personæ. Quartò scripto, quò pertinent famosi libelli, dicteria, scommata clàm sparsa. Hæc ferè est Iurisperitorum distinctio. Multiplex iniuria.

Græci duo illius genera constituunt: aliud enim est ἀδίκημα ἑκούσιον, quod sponte scienter & volenter admittitur, quæ ferè sola hodie iniuria dicitur. Aliud genus est ἀκούσιον ἀδίκημα, quæ non eo fine admittitur vt lædat alium, sed habet ignorantiæ aliquam excusationem: hanc distinctionem habet Plato περὶ νομ. θ.

Est & illa distinctio, vt alia sit vniuersalis, quæ vniuersali iustitiæ opposita est, quæ non vno modo lædit ius alterius, sed infinitis, qualis est ferè Tyrannica gubernatio, in qua scelera infinita comprehensa sunt.

Alia particularis, qua singulariter proximus læditur, vt furtum, res alienas tollit.

Nostri sic distinguunt, vt alia sit publica qua magistratus innocentes opprimunt. Alia priuata, qua singuli singulos lædunt. Cui addendum censeo: publica, hoc est, vel vtrinque est publica, vt & faciens & patiens publicam gerat personam, vt cùm Rex Regem, Respub. aliam Remp. inuadit. Vel altera parte solùm est publica, vt cùm magistratus subditos, vel suos vel alienos malè tractat, siue id fiat prætextu aliquo legis violatæ, vel religionis nomine, siue alio quocunque tandem modo. Alia distinctio.

IIII. Nũc cùm queri solet, liceátne Christiano vim & iniuriã repellere, respõdemus, licere. Quæstio.

Ac primùm si Magistratus Magistratui molestus sit, officij ratione defensionem necessariam debet suscipere: hoc enim nomine institutus est Magistratus, Exod. 18. Deut. 1. Rom. 13.

Deinde si Magistratus alienis subditis iniuriam faciat, subditi sui Magistratus præsidiũ implorare & possunt & debent. Illius enim est tueri orphanos & omnes eos, quos Deus illius patrocinio commisit, quos sine magno scelere non potest negligere.

Sin autem Magistratus adeò sit impius, vt suis subditis non vereatur iniuriam facere, vel prętextu ciuili, vel pietatis nomine, hanc iniuriam propulsare violenter non censemus pietati esse conforme. Modestã defensio quidem erit concessã, si modò locum habere possit: sed armis se tueri contra ordinarium magistratum non concedimus. Armis se tueri aduersus ordinariũ magistratum non licet.

Primùm, quia nemo sibi per seditionem & cędes contra ordinarium magistratum opitulari debet. Quòd si qui hoc fecerunt, & feliciter successit, non tamen rapiendum ad imitationem & exemplum, cùm de voluntate Dei incerti simus. Seditiosos passim malè excipit scriptura, Dathan, Corch, Abirã cõtra Mosen: Brutũ, Cassiũ, cõtra Cęsarem: euẽtus docet malè cõsuli patriæ.

Deinde scriptura nullibi huius rei nobis fecit potestatẽ, nec Deus ipse: sed malis principibus etiam parere iubet: sin contra Deum quid iubent, Deo quidem magis, quàm hominibus obedire iubet: non tamen concedit ad arma confugere contra ordinarium magistratum. Vnde Dauid Saulem, cùm posset, noluit occidere, quia erat magistratus.

Accedit Christi exemplum, qui iniuriam ordinarij magistratus tulit patienter, nec manu vindicare permisit, cùm posset in sui defensionem legiones angelorum accersere.

Et Petrus, manifestè malis magistratibus obedire iubet, hoc est, iniurias proprij magistratus patienter ferre.

Christus etiam Petrum iussit gladium recondere, non alia ratione, quàm quòd iniuria proficisceretur à proprio magistratu.

Accedit Ecclesiæ Christi fortuna & mos, quæ semper creuit non resistendo, sed tolerando. Ideóque Tertul. in Apol. ait proprium esse Christianis magis occidi, quàm occidere. Hæc fortuna pietatis nos ad tolerantiã animosos reddere debet. Etenim vnius innocẽtis viri mors infinitis commodis ornat Ecclesiam, cum seditiosi contra ordinarios magistratus crimine nõ careãt.

Tertull. Propriũ est Christianis magis occidi quàm occidere.

Itaque publicas iniurias nullo pacto priuatis vindicandas aut persequendas esse manu propria cẽsemus. Sed potiùs cogitandum nobis, infinitis modis etiam atrociora nos commeritos: & si quæ in his est nostra innocentia hac ornandam esse veritatis professionem.

Superest quartum iniuriarum genus, quo priuati priuatis sunt molesti. Hoc quoque genus admittit honestam defensionem: attamen pij vt ad offendendum pigri sunt, sic quoque non facilè ad defensionem violentam procedent. Omnes vias priùs tentabunt declinandi, tam iniuriã quàm defensionem, quæ si omnia sint frustrà attentata, inuitus tandem nec etiam lædendi animo, ad sui defensionem accedet.

Duplex iniuriarũ species.

Duplex enim est hæc iniuriarum species: alia res ipsas quas possidemus petit, sine vitæ & famæ periculo, in qua multa concedet pius, de iure etiam suo cedet, ignoscet, condonabit, verbis admonebit, addo etiam, vt salua maneat charitas, de suo largietur, petenti tunicam offeret etiã pallium, (hactenus enim Christus nos procedere iussit) siquidem res aliter componi non possit. Alia est cum extremo periculo vitæ coniuncta, in qua sæpe accidit, vt celeritas moram non admittat, sed paratam requirat defensionem, quæ vt necessaria, ita iusta quoque est.

Defensio necessaria iusta est his rationibus.

Primùm enim Deus piis non adimit in regeneratione ipsum affectum sui & suorum, sed potiùs ardentiorem efficit: hinc in sanctis commiseratio, misericordia, amor erga parentes, liberos, coniuges, fratres, amicos, multò est ardentior, quàm in impiis.

Cùm igitur natura renata quoque sui defensionem dictet, manifestum est, eam piis esse iure diuino quoque concessam.

Deinde Christus piis concedit fugam, qua declinent pericula imminentia, concedenda igitur defensio, cùm fugam mora excludat, quid enim interest vtrum fugiendo declinent latronis manus, an verò resistendo ipsum cohibeam à furore? præsertim si id sine illius læsione fiat.

Tertiò tuendi nobis etiam sunt, quos Deus nobis commisit, vt sunt liberi, vxor, domestici, quos sine grandi scelere & impietate non potes libidini grassatoris permittere.

Quartò, Magistratus ideò ordinatus est, vt subsidio sit oppressis. Gladium enim gerit in bonum benefacienti: & in metum, his qui mala faciunt, Rom. 13. licet igitur illius opem implorare, alioquin frustrà esset institutus quod absurdum est. Deus enim & natura nihil frustrà agunt.

Quintò, Deus vult hunc mundum quandiu durabit, legibus regi & administrari: non est Deus ἀταξίας, sed potius εὐταξίας, leges igitur semper ad finem vsque durabunt: durabit igitur illarum etiam vsus, qui est positus in puniendis malis & honorandis bonis, id fit dum opem illius & defensionem contra improbos imploramus.

Denique, in iniuriis priuatis simul periclitatur sæpe vel ipsa fama boni viri, (sine qua pij quoque esse non possunt, nec debent,) vel ipsa veritas ac pietas, vel gloria Dei, ad cuius gloriam nõ solùm defensionem apertam, sed nos ipsos quoque debemus totos.

Hic nobis sese opponunt, qui Christianam tolerantiam sic dilatant, vt quæuis etiam ferre, quouis tempore & loco cogatur pius, damnántque defensionem omnem, his ferè rationibus.

Obiectiones contra iustam piorum defensionem.

Primùm Apostolus ad Rom. 12. præcipit sanctis, ne malum pro malo reddant. Respondemus, id etiam nos velle in defensione necessaria seruari à piis. Si enim defensio longiùs prouehatur, & studio lædendi alterum instituatur, vtique peccari manifestum est: aliud enim est se tueri & sua, & aliud alium lædere: piis satis est se tueri. Deinde defensio institui potest studio emendandi, vt aduersarius intelligat se peccare, quod dum obtinere possumus, bono afficiemus proximum, vt errore liberetur. Sin pertinax est, & scienter iniuriam facit, illam depellere possumus non studio lædendi: itaque malum minimè pro malo redditur.

Vt sanè curandum est nobis, vt non solùm nos nulli faciamus iniuriam, sed etiam quoad fieri potest alios impediamus ab iniuria inferenda, quod qui præstant Plato quoque censuit eos ampliùs quàm duplici honore dignos. Ex quo manifestum est, diuisa esse tempore & natura, malum pro malo reddere, & se suáque contra vim tueri.

Deinde ex eodem capite adducitur, *non vlciscentes vos, sed date locum iræ.* Diximus in loci illius explicatione, quid sit dare locum iræ, scilicet non facilè commoueri, & alterius furori quoque cedere. Non se vlcisci verò priuatam vindictam tollit, qua nostras iniurias manu propria persequimur: hoc lex etiam prohibet: non autem prohibet defensionem necessariam, aut iuris querelam. Nam cùm vltio sit Dei, indicat ad quem deferri debeat querela, ad Deum scil. cuius cùm sit vicarius pius magistratus, illius interest de iniuria cognoscere & tueri bonos.

Tertiò. 1. Cor. 6. *Cur non potius fertis iniuriam? & omnino defectus est inter vos,* &c. Rectè quidem Apostolus obiurgat Corinthios, quòd litigarent pij cum impiis idque apud iudices infideles, quæ res non mediocrem infamiam veritati conciliabat, quemadmodum si hodie Christiani lites suas deferrent ad Turcicos præsides, id meritò omnes damnarent: sed dum hoc damnatur in circumstantiis, facilè constat defensionem piis apud pios iudices constitui posse. Itaque hæc facilia refutatu videntur.

Validiora

Validiora sunt quæ ex cap.5. Matt.depromunt. Nam illic Christus petenti tunicam, pallium etiam iubet dare. Quod vt commodè interpretarentur quidam dixerunt esse consilium perfectioribus datum: quibus non astipulamur, quia manifesta sunt præcipiētis verba. Ideóque mandatum est, & secundùm regulam dilectionis vim habet, vt quiduis potius faciamus & concedamus, quàm charitas rumpatur. Nam absolutè hanc Christi mentem non esse, constat ex ipsius exemplo. Ibidē præcipit vt percutienti alteram etiam obuertas maxillam, id non præstitit percussori, sed reprehendit potiùs illius petulantiam, *Si malè sum locutus, testare de malo*: sic Paulus, *percutiat te Deus, paries dealbate*, &c.

Pia interpretatio loci Mat.5.

Simile etiam illud est, *Ne resistatis malo*: quod verum est suo sensu, ne scil. talionis iure velim mala repēsare, sed faciles ad ignoscendum, tardi ad iram & vindictam, omnes occasiones quæramus mitigandi hostem, quæ dum frustra tentantur, tanquam ad extremum remedium tādem est procedendum. Vide comment. nostra in cap.5. Matth.

Additur etiam illud, lædi charitatis regulam defensione suscepta. Cui respondemus, illam læsam iam ab aduersario: nec rumpi à defensore sui iuris: cùm per aduersarium stet, quò minùs pax non seruetur. Deinde dilectio proximi regi debet dilectione Dei, quæ dum in inferenda iniuria læditur, nostra salua esse non potest. Præterea defensio non lædit regulam dilectionis, cùm aduersario monstret suum peccatum, & vt emendetur elaboret: simúlque stare possunt amor proximi & vindicta vel defensio. Sic Moses intimè dilexit populum Israël, attamē seuerus contra eundem fuit, quoties delinqueret: & Paulus iniuriam Iudæorum vt declinaret, ad Cæsarem prouocauit: ad tribunal etiam Cæsaris noluit donari Iudæis. Christus etiam Ecclesiæ indicari iniurias tandem voluit.

Simul stare possunt dilectio proximi & vindicta.

Sed excipiunt, Deus est qui illas calamitates tibi immittit. Itaque videberis Dei voluntati resistere depellendo iniurias: si te velit seruatum seruabit bene sine tua opera.

Nimis stupidi sunt qui hoc seriò vrgent: quid si enim Deus ob id inferat, vt prodatur mea constantia? & num medicina ideò non vtimur, quia constat morbos à Deo immitti? Itaque & idem Deus mōstrat remedia, quibus nos pro tempore vti vult. Sic idem Deus quidem permittit nos iniuria affici, sed idem monstrat salutaria remedia per ordinarium magistratū, aut si moram nō admittat furor inimici, vim vi depellere, in quibus semper pij seruabunt modum, quem charitas & Spiritus sanctus dictabit.

Simile.

Attamen, inquiunt, iniuria per se est de genere mali, non igitur faciendum malum, vt bonum eueniat.

Negamus id: nam de iniuria non simpliciter, sed quatenus eam propulsare licet, agimus. Vt igitur detur per se iniuriam facere malum esse, detur etiam pati iniuriam malum esse, hoc est, miserum & calamitosum, quis tamē non videt defensionem & propulsationē, contra illa mala, bonam esse posse? quis enim ignorat venena esse mala? peius etiam propinare? pessimum etiam sub specie remedij suppeditare? attamen nemo simul est, qui nesciat antipharmaca eò esse meliora, quantò venenum est peius. Itaque rectissimè videtur dixisse etiam Socrates ille, quem dum Polus interrogasset, mallétne ferre an potiùs inferre iniuriam, respondit, se quidē neutrum optare, sin necessum foret alterutrum eligere, eligerem potius iniuriam ferre quam inferre alteri. Vedebat enim vtrumque malum esse hoc natura: mali enim est, velle nocere alteri & natura iubet ne alteri feceris, quod tibi fieri non vis. Hoc verò conditione malum est, hoc est, res est misera ἀδικεῖσθαι, & calamitosum opprimi iniuria. Sed est præter illa duo tertiū, quod non malum est, sed mali remedium, defensio scil. honesta & legitima. Quare argumentum Socratis rectiùs valet, non oportet ἀνταδικεῖν, hoc est, referre iniuriam: ratio est, quia ἁπλῶς non oportet ἀδικεῖν: simpliciter non est facienda iniuria, igitur referenda non est: sed non perinde sequitur, referenda non est iniuria, ergo propulsanda non est? quemadmodum non est vicissim propinandum venenum, ergo cauendum non est, aut repellendum non est aliquo antipharmaco.

DE IRA IN QVOS CADAT, &c.
LOCVS CXL.



SCRIPTVRA passim iram Deo tribuit, & alia quoque παθήματα: quærendū igitur hoc loco, an Deo competat & quomodo. Ac primùm in Deum cadere iram negarunt Philosophi, negauit & Epicurus & Stoici: quod vt concedimus, tamen rationes illorum minimè probamus.

1. Thess.

Epicuri rationes apud Ciceronē diluuntur, & apud Lactantium cap. 8. Extat illius memorabilis illa sententia. *Non bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.* Ratio eius est, quòd vacet dolore, & quia alienum est à præstanti natura, alteri velle nocere: sed respondemus non statim cum dolore coniunctam esse omnem iram: præsertim in natura præstantissima, in qua officium iræ administrari poterat sine dolore, quemadmodum in persona boni iudicis, pœna de sceleribus sumi potest sine aliqua animi commotione. De-

Epic. senten.

Non semper cum dolore coniuncta est ira.

inde nocendi studium non rectè accommodatur iræ, cuius potiùs est punire scelera, commerita & iusta pœna.

Stoicorũ

Stoici acerbiùs contra iram & alios quoque affectus loquuntur, qui ne viro prudenti illam concedunt: quibus breuiter respondemus, agnoscere ipsos in Deo gratiam: cur igitur non iram quoque? & in viro forti iustam pœnarũ executionem, cur igitur non motum animi ad tales pœnas? Et cùm in Deo gratiam erga bonos agnoscant, omnino cogi illos, in Deo iram contra sceleratos agnoscere: alioquin tollent sua principia, nisi gratiam, commiserationem & similia tollant de numero affectuum. Id cum non fecerint: sequitur affectuum eandem esse rationẽ. Ex quo perspicuum est philosophos non benè se expedire in hac quæstione.

Quomodo ira in Deum cadat.

Vera igitur hæc sententia est, in Deum sua natura, & propriè iram non cadere: sed de illo dici humano more.

Hinc rei hanc afferimus rationem, quia natura Dei non ferat iram, cum sit simplicissima quædam & purissima mens in quam nulli affectus recumbunt. Est etiam ἀπαθὴς, ἀναλλοίωτος, hoc est, alienis ab affectibus, & minimè alterabilis ἀσύγχυτος confusioni minimè obnoxius: quæ omnia si vera sunt de Deo, vt sunt, consequens est, vt fateamur, per se & simpliciter iram in Deũ minimè cadere. Accedit altera ratio à natura iræ, quę sequitur sui generis naturã. Cùm enim sit de numero τῶν παθῶν, vt fatentur omnes, consequitur iram in subiecto efficere ἀλλοῖον. Nam omne πάθος efficit alterationem in suo subiecto: ira autem πάθος est, ex quo concluditur illã efficere alterationem sed id Dei naturæ repugnat. quare in Deum non potest cadere.

Ratio cur ira propriè in Deo non cadat.

Hãc sententiam confirmat D. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Eph. In Deo inquit, non sunt perturbationes animi computandæ, vt in nobis: quia in illo moderata omnia & ordinata sunt & pœna qua peccatores corriguntur nostris vocibus appellatur. Nos verò cum irascimur, perturbamur, & furore rapti nostri esse desinimus.

Et Aug. in Enchiridio, cum Deus irasci dicitur, non eius significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis, sed ex humanis moribus translato vocabulo, vindicta eius, quæ non nisi iusta est: iræ nomen accipit.

Et Hieronymus in epistola quadam ad Cypr. iram sic Dei explicat. Ira Dei dicitur, non quod Deus vlciscatur iratus: sed quod patientibus pœnas iratus esse videatur. Quid enim in nos ex persuasione descendit: in illo ex iudicio & ex veritate est.

Definitio iræ in Deo.

Definimus igitur iram Dei, esse æternam & sibi semper similem contra peccatum sententiã. Hæc sententia, dicitur pœna dum in effectum erumpit, vt vindicta, ira quoque in scriptura, quia pro more irati hominis Deus nobiscum agit.

Hinc dicimur iræ Filij Ephes. 2. quia in his pœnis nati sumus, sic Rom. 9. vasa iræ, quia in hac executione pœnarum non solùm malos opprimit, sed malorum opera vtitur, tanquam instrumentis idoneis ad hãc vindictam. 1. Thess. 1. dicitur, nos per Christum seruari ab ira futura, hoc est, à pœnis istis contra peccatum constitutis: beneficio Christi conseruamur. vt 1. Thess. 2. de Iudæis reprobis dicitur, quòd in eos venerit ira in finem, hoc est, finaliter in eos istæ pœnæ effunduntur, quia Christum reprobarunt.

Sic dicitur Psal. 2. *loquetur ad eos in ira*. Col. 3. Eph. 5. dicitur, *ira Dei venire in filios contumaciæ*, & his infinita alia similia dicuntur.

Anthropomorphitæ Hæretici.

Diximus in quem non cadat ira propriè: in Deum scilicet: eidem tamen tribui per quandam ἀνθρωποπάθειαν. Hinc rectè damnati sunt Hæretici, olim Anthropomorphitæ dicti, qui de Deo omnia simpliciter accipiebant, vt in scripturis proponuntur.

In hominem propriè cadit ira.

Dicamus igitur in quos cadat, in hominem propriè, eóque magis quantò est à gratia Dei alienior: nam tales non solùm premit ira Dei, hoc est, illa sententia æterna contra peccatum: sed ipsi quoque variis affectibus magis indulgent: irascuntur ipsi Deo: impatienter ferunt omnia: bonos odio persequuntur: iræ laxant habenas sine modo: vnde inter opera carnis posita est. Coloss. 3.

Inter opera carnis.

1. Et ad Eph. 4. ac alibi passim damnatur. In sanctis tamen quoque locum habet vt mox dicemus. Priùs declarandus est nobis hominis proprium esse hunc animi motum in genere. hoc inde declaramus, quia nomina ab humanis partibus indita habent.

2. Et apud Hebræos *aph* dicitur à naribus, quia in his ira hominis, & in tota quoque facie in primis sese prodit.

Apud nos Germanos *zorenn* dicitur, quia per aures hauritur illius causa mouens, quæ illapsa ad animum, motus illos concitat. Non placet eorum sententia, qui sumunt originem à *zerren*, qui quidem iræ fructus sæpe est, & obuia quæque lacerat & rumpit, quod sonat vox *zerren* sed orthographia repugnat, rectè enim scribitur *zornn* & *zorenn* ira.

Origo nominis.

Apud Græcos ὀργὴ significat ἀλλοίωσιν quandam. Origo enim est ὀρέγω quod est appeto, conor, quanquam alij ab ὀρῶ quod est διεγείρω deriuant: sed & hæc vox alloiosin significat. Et Aristoteles in definitione iræ posuit generis loco ὄρεξιν, significans iram esse origine sua nil aliud quam ὄρεξιν, quæ in homine & bestiis propriè locum habet. Hinc puto factum, vt Græci ὀργὴν, non solùm pro ira accipiãt: sed pro omnibus moribus, & ingenio interdũ satis doloso. Sic loquitur Pindarus Pyth. 2. ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπεκῶν ἴκελοι, moribus admodum vulpibus similes. Et

apud

apud eundem legitur, μείλιχος ὀργά, hoc est, suauis mos. Sunt alia etiam apud Græcos vocabula, quæ alterationem significant hominis in hoc affectu, qualia, θυμός, χόλος, μῆνις, κότος. Et Grammatici quidam priora duo, hoc est, θυμὸν & χόλον synonima faciunt cum ὀργῇ: tamen non est obscurum eorum discrimen, nam θυμὸς significat impetum animi ex motu sanguinis, nam θύειν est ὁρμᾶν & αἷμα sanguis, hinc θυμὸς dicitur, quasi θύαιμος. Huc pertinet medicorum definitio, qui dicunt iram esse sanguinis ebullitionem circa præcordia. Χόλος autẽ à cholera manifestam habet denominationem, hoc est, à bilioso humore, in quo tanquam propria materia delitescit: is humor excitatus, totum corpus sua amaritudine alterat. Conueniunt tamen omnia hæc tria in eo, quòd initia commotionis propriè videantur. Μῆνις autem & κότος magis de habitu videantur dici, nam μένειν & κεῖσθαι, permanere & durare significant, quæ diuturnam iram declarant. Iræ definitio secundum medicos

2. Præterea definitiones iræ ad hominis motum in hoc affectu commodatæ sunt, non ad Dei naturam.

1. Vt quod Cic. ait 4. Tusc. Ira est vlciscendi libido, hominis desiderium expressit, contra eum qui læsisse videri poterat.

2. Sic quod Aristoteles dicit 2. Rhet. cap. 2. ὀργὴ ἐστιν ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν. Ira est vltionis cupiditas ex dolore, quem quis concipit ex eo quòd se contemni doleat.

Nihil in hac definitione est, quod propriè Deo possit accommodari: optimè autem hominis motum explicant, cuius proprium est dolere, appetere vindictam, offensam interpretari, &c.

3. Minus ad Deum spectare potest Augustini definitio, quæ extat in epistola 116. Ira est turbulentus appetitus auferendi ea quæ fœlicitatem actionis impediunt.

4. Lactantij, propiùs accedit: quæ habetur cap. 17. de ira Dei: Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. Tamen in Deo propriè motus talis non est: quia sibi semper est similis, nec mutatur vllo modo, quod Malach. 3. manifeste scribitur: *Ego Dominus & non mutor*. Quod etiam Moses prior de Deo affirmauit: *Non est Deus, vt homo, vt mentiatur, aut vt filius hominis, vt mutetur.* Lactantij definitio iræ in Deo.

Quibus in locis mutationem accipio pro alteratione qualicunque, quæ solet hominibus aliquando obrepere. Sensus enim est, Deum semper sibi constare, nullóque modo à natura sua variare quicquam.

Statuamus igitur iram esse duplicem. Priorem Diuinam vocemus, sed per anthropopathian sic dictam, quia homines à Deo puniti de Deo loqui solent, vt de homine irato, atque illa semper est iustissima & æquissima, sine omni commotione administrata. Diuisio.

2. Altera humana est, & propriè quod dicitur, est animi quædam perturbatio, eáque tum laudata, tum, vt plurimùm damnata.

Laudabilis est, si causa iusta subsit: si à fine non aberret, & modũ non transgrediatur. Qualis fuit in Mose, Phinees, Petro, aliísque sanctis, vt Helia, Helisæo, ac alijs. Laudabilis.

1. Et posse honestam iram in homine esse, ostendit Dauid Psalm. 4 *irascimini, & nolite peccare*, quod declarat aliud esse irasci, & aliud peccare. Aug. de ciuitate Dei. lib. 9. cap. 5.

Deinde, causa irę potest esse iustissima, vt quod irascitur Moses populo, iustam habet causam, quia fecerunt vitulum aureum. Phinees suæ iræ causam habet, manifestum in Dei populo flagitium scortatoris.

3. Finis etiam bonus est: hoc est, punire scelera: promouere virtutem. Itaque irasci pio concessum est.

4. Et Deo iustorum ira placet, vt Phinees, Heliæ, Mosis, & similium. Itaque non simpliciter omnis ira in vitio est.

Honestæ ac iustæ iræ clarissimum habemus exemplum in Filio Dei, qui irascitur Iudæis, factóque flagello eos à templo repellit, qui motus non caruit alteratione, sed quia idem fuit Dei Filius, ideo hosce motus synceros potuit admittere sine omni peccato: quia verus tamen fuit homo, hominũ more incaduit, & incaluit sanguis circa præcordia: sed hoc Dei Filio soli datũ est.

In nobis igitur, vt plurimùm, omnium ira peccatũ est: quia semper aliquid næui adhæret. Aut enim nimiùm citò commouemur, aut diutius quàm par est retinemus, aut modum in puniẽdo excedimus, aut alia ratione peccamus. Hinc iræ species, vt plurimum ab excessu denominãtur, vt est ὀργιλότης facilitas ad iram, quæ non satis graui de causa commouetur. 2. ἀκροχολία, quæ à summa & tenuissima bile efferuescit. 3. πικρότης amaritudo in retinẽda ira. 4. χαλεπότης, difficultas in placando, implacabilitas, θυμὸς iracundia, μῆνις furor, χόλος biliositas, quæ omnia videntur excessum denotare. Vituperata.

Quæ eò faciunt, vt iram discamus frænare. Rectè dixit Aristo. Ira vt milite, non vt duce vtẽdum est: rationem enim impedit hic motus, lædit etiam valetudinem, & vitæ hominis obest, vt videre est in heroicis sæpe viris. Hercules sese præcipitauit in cauernas Æthnæ: Aiacem ira ad furorem mortémque deducit: alios alijs casibus, vel sustulit, vel summis miserijs obruit. De ira moderanda.

Et certè motus irati hominis valde turpis est, titubat lingua, micant oculi, facies pallet, manus tremunt, totúmque corpus quasi sedibus suis commouetur, quæ sine læsione valetudinis accidere non possunt: hinc mania, paralysis, phrenesis, aliáque mala, homini sæpe accidunt.

Nam malum hoc, nisi resistamus, penetrat imas medullas. Et vt Virg. dixit,

Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet.

Remedium. Ideo sæpe quæsitum est remedium contra iram, nec aliud consultius dari potest, quàm causas iræ commodè vitare: quòd si inuiti trahamur in hanc palæstram, cauendum est vt omnibus modis iram moderemur, quocunque tandem id modo fieri possit. Aristotelis est admonitio παύει ὀργὴν ὁ χρόνος, tempore mitigatur ira, hoc quidem verum est: sed malo iam accepto, non sine damno sapimus. Mallem ante commotionem remoram dari posse.

Causæ. Addamus ad finem huic loco etiam causarum explicationem, quòd fortè non fuerit alienum ab instituto nostro.

Efficiens. Efficiens causa in definitione Aristotelis expressa est ὀλιγωρία: contemptus, quò pertinent reliquæ occasiones mouentes, vt irrisio, offensio, &c.

2. Materia. Materia à medicis rectius explicatur. Excitatur enim in bile flaua, quæ calore suo ebullit in folliculo fellis, & effusus iste humor acrimonia sua vellicat ac mordet partes vicinas cordi, quod irritatur & excitat vitales spiritus & sanguinem & vindictam. Ista bilis, si subtilis sit & acris, irritabiles efficit homines: sin admisceatur atra bilis, tardior quidem est ira, sed durabilior, vt videre est in heroicis viris, in quibus sanguis est melancholicus, hinc ira illorum intollerabilis & diuturna fit, ac sæpe in furorem finitur, vt diximus de Hercule & Aiace.

3. Forma. Forma, gradibus rectè distinguitur. Nam μῆνις & κότος durantem significat iram. Θύμος & χόλος potiùs vitium est in moribus positum. Omnibus autem communis est forma, quòd cor excitatum à felle incalescit, ac calore suo incēdit etiam circumfusum sanguinem, ac spiritus, vitales: vnde etiam cerebrum irritatur seséque effundit in toto corporis habitu, vnde animi tumor perspicitur in membris, quia facies efficitur varia, oculi micāt, lingua variat vocem, similiáque sui motus prodit argumenta, de quibus consulendi sunt Medici & Philosophi.

DE VINDICTA.
LOCVS CXLI.

Definitio. VINDICTA est, per quam vis & iniuria, & omnino omne, quod obfuturum est defendendo, aut vlciscendo propulsatur.

Sic quidem definit August. in questio. 83. sed est desumpta ex Cicerone, nam in libro de Inuentione ad verbum definitio illa habetur. Vsi sunt eadem definitione Scholastici, sed detorta & corrupta, vt est videre in Antonino.

Ad quā virtutē spectet. Porrò Cicero iustitiæ speciem facit: ac virtutem quandam fortitudini cognatam, cuius excessus sit sæuitia, iuris rigor: defectus verò sui neglectus: medium verò vindicatio, quæ pro loco, tempore, persona, aliísque circunstantiis rectè & piè exigat pœnas à delinquente.

Materia. Materia subiecta est quicquid obesse vel nocere potest, vt est vis aperta: dum latro viatorem inuadit, vim vi repellit, & ordinarium magistratum inuocat cōtra grassatorem: sic iniuria, siue re, siue verbo inferatur: re violatur corpus, bona, amici: verbo autem violatur fama, nomē, existimatio publica. Vindicantur autem duplici modo: aut enim defendendo, hoc est, priusquam rapiantur: ita vis propulsatur contra latronem, grassatorem, prædonem: sic fines defenduntur contra incursiones hostiles.

Aut iam facta iniuria est, quam non propulsamus, sed vlciscimur: sic res repetitum ibant veteres Romani: & in ciuilibus actionibus lege talionis apud Iudæos postulabatur ad pœnas, author iniuriarum: vt quantum abstulisset restitueret: aut quantum intulisset ipse pateretur.

Questio. Hæc ratio vindictæ erat apud veteres. Hodie res est in controuersiam reuocata, licitáne sit, nécne vindicta? Ac libenter fatemur in hac re peccari à multis.

Primùm, peccant hîc in excessu, qui sine modo omnem vindictam approbant: quo vitio videntur Iudæi laborasse, qui ex lege talionis Deu. 19. nihil non licere sibi credebant. *Oculum pro oculo, dentem pro dente:* sic de reliquis. Quanquam lex illa expressè modum præscribebat vlciscendæ iniuriæ: ne scil. plus exigerent, quàm fuissent passi. Sic discipuli Christi Luc. 9. exemplum Heliæ perperam sibi applicabant: *Vis dicamus, vt descendat ignis cœlitus & deuoret illos quemadmodum fecit Helias, &c.*

Charitas regula vindicandi studiū tēperare debet. Sic peccant hic, qui prætextu iuris naturalis, ad quæuis obiiciunt, Vim vi repellere licet: quasi nulla sit charitatis regula, quæ vindicandi studium possit & debeat temperare.

Ad defectum verò peccant hic Anabaptistæ: qui dilectionis ius ita extollunt: vt vindictæ nullus planè relinquatur locus nec priuatis nec publicis personis. Tollunt illi è manibus magistratus gladium, otiosum munus hoc reddunt & inutile in Ecclesia Christi. Priuatos verò hi stupidos & Stoicos efficiunt: vt interfici liberos, diripi domum, ferro & igni omnia vastari videant sine condolentia, sine propulsandi conatu. Quid illi, nisi lapidem, fungum, & stipitem hominem efficiunt?

Quare ad sacras literas confugiamus, vt hinc, quid nobis in hac quæstione statuendum & sequendum sit, discamus.

Ethni-

Ethnicum enim est ad quamuis offensam excandescere, & pœnas expedire: Est verò contra pietatem, suo vitio & affectata socordia, suos seque ipsum negligere, nullóque pacto vllam propulsare vim.

Primùm sacræ literæ honestū genus vindictæ nobis proponunt, quo Deus est vsus ab initio mundi, & ad finem vsque eadem vtitur, adeóque vtetur, Quando insolito mundo pœnæ immittuntur, sine consilio & opera hominis. Cuius exempla sunt horrēda, diluuij inundatio, Sodomorum miseranda conflagratio, Pharaonis submersio: Iudæ strangulatio: Iuliani iaculum è nubibus acceptum, Arrii mors in cloaca. 1. Diuina Vindicta

Hanc diuinam nominemus vindictam, quia insolita est, &, ob certa & atrocia scelera à Deo immittitur. Ita tandem mundus totus pœnas dabit suo conditori Deo. Et in priuatis hominibus, interdum locum habet, qui vrgente Deo ob certa crimina in seipsos animaduertunt, aut desperatione, horrendo modo, vitam finiunt. Vindicta diuina.

Hæc & similia exempla eo diligentiùs sunt proponenda & inculcanda mundo, vt homines discant metuere Dominum: qui vt omnia videt, ita de occultis & abditis etiam iudicat. Elegans est, quod Iustinus ex Philemone citat. Ἐστιν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ᾽ ὁρᾷ. Est vindictæ oculus qui omnia tuetur. Cui consonum est illud Hesiodi πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς, καὶ πάντα νοήσας. Iouis oculus videns omnia & omnia intelligens.

Secundò, proponit scriptura nobis aliud vindictæ genus, quo magistratus ordinarius vtitur, qui sontes pœnis afficit: & bonos ab iniuria tuetur. Et quanquam in his agat Deus, tamen quia homines agere videtur: ideò hoc genus ab Anabaptistis carpi & damnari solet. Primùm enim genus manifestius est, quàm vt censurā admittat. Quòd igitur & hæc species sit honesta, & pia, hinc constare potest. 2. Vindicta magistratus.

Primùm, quia magistratus à Deo ordinatus est: cuius proprium est officium defendere bonos, & punire malos: hinc dij in scriptura dicuntur. Ac ne excipiant, veteris illa esse Testamenti, habes in nouo idem. Rom. 13. *Vindex est ad iram, ei qui quod malum est, fecerit.* Hinc pœnarum genera pro delictorum diuersitate, quæ nihil aliud quàm vltio & vindicta sunt impiæ vitæ.

Deinde sine vindicta pax publica conseruari non potest. Cuius cùm sit custos magistratus, necessario hoc cauterio interdum vtitur.

3. Et in primitiua Ecclesia videmus Ananiam cum vxore à Petro subitanea morte plecti, punit mendacium quod voluit Spiritui sancto facere in terrorem aliis, Act. 5.

4. Similiter Paulus, 1. Cor. 5. Satanæ iubet tradi illum, qui incestum commiserat. & 1. Tim. 1. Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit, vt discant non maledicere. Quæ exempla non solùm approbant magistratum: sed vindictam certo casu confirmant.

Primùm enim politica scelera punienda sunt, secundum Dei præceptum, *Auferes malum de medio tui, vt alij id audientes timeant: vt non adiiciant facere, secundum rem hanc malam.* Deinde ad vindicandam ignominiam Euangelij, vtile erat talia edi exempla, vt constaret de veritate promissionis Christi, quod scilicet spiritum veritatis accepissent Apostoli, qui illos edocuisset omnia. Adde quòd careret Ecclesia magistratu, qui tueretur bonos & puniret improbos: cuius officio fungitur in Apostolis, Spiritus sanctus. Nec opus est dicere, à magistratu multa imprudenter administrari, vt principes multa libidinosè & improbè, ne dicam tyrannicè administrent. Nam aliud est de persona loqui, aliud de officio. Quærimus hîc quid debeat fieri iure diuino & humano, non quid fiat, seu per errorem, seu libidinem. damnandi sunt isti casus: vt quod Naboth obiicitur morti sub specie blasphemiæ, cùm alio modo vineam Achab extorquere non posset: Manasses in Esaiam crudeliter decernit: Dauid in Vriam libidinosè. Damnanda sunt & deploranda talia exempla. Interea cùm quæritur de iure vindictæ, negari non potest, quin ius illud à Deo magistratui sit commissum. Et, si quid hic etiam peccet magistratus, damnari debet, nec ob id, officium & ius vltionis tolli. Quærimus enim quid fieri debeat, non quid fiat. laudabilis est clementia in magistratu, quæ cum iustitia sit coniuncta: rigorem tamen atrocitas criminum sæpe requirit. Obiectio Anabaptistarum. Laudabilis clementia magistratus quæ cum iustitia sit coniuncta.

Athanasius in Apologia sua laudat Constantij Imperatoris lenitatem, quòd ad aduersariorum accusationem, non festinanter ad supplicium Athanasium postularit, sed expectarit delati defensionē: quod Græci etiam admonent: cùm dicunt ἀμφοῖν ἀκούειν: & de Alexandro qui solitus sit alterā aurem defensori retinere. Hæc moderatio piis magistratibus diligenter est obseruanda: ne plus credatur accusatori de iniuria conquerenti, quàm iustum sit: & ne plus patiatur qui iniuriam fecit, quàm intulerit, &c.

Superest tertius vindictæ gradus, hoc est, cùm priuati priuatim suas prosequuntur iniurias. Hanc prohibitam esse libenter concedo, hoc est, ne ipsi sua manu vltionem petant: sed apud ordinarium magistratum de iniuria conquerantur: vt iure agant de iniuria illata. 3. Vindicta priuata.

1. De hac specie intelligi debent verba Christi, Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*, Nec pugnat dilectio inimici cum actione iuris: quemadmodum in principe non pugnat sententia de pœna, cum dilectione proximi: diligendus enim ita est & proximus & inimicus, vt Deus supra vtrumque diligatur. Deinde non patrocinari debet sceleribus dilectio. diligendus est proximus, vt simul vitia odisse possis.

2. Sic ad Rom. 12. *nulli malum pro malo reddentes*: & citat illud, *Mihi vindicta, & ego retribuam.* & ad Heb. 10. eadem sententia repetitur, vt Deut. 32. Docet Apost. non oportere malo animo cum proximo agere, studio vindictæ, sed studio potiùs emendandi aduersarium: quod fieri potest apud ordinarium magistratum. In priuata vindicta non perinde, nam irati & concitati animi argumentum est, manu propria vindicare se velle.

3. Et quod vtrobique additur ex Deut. 32. argumenti vim habet. Vult enim dicere alienum eos inuadere munus, qui priuatim vlcisci sese cupiunt, quasi dicat, tibi plus nocebis hoc pacto, tollis Deo ius suum: & arripis gladium, qui tibi traditus non est: sed Deo & magistratui hoc officium debuisti relinquere: & quomodo vindicabit te Deus & magistratus de manibus aduersarij, cùm tuipse hoc coneris præstare? metuendum certè tibi est, ne grauiorem in te vindictam Dei prouoces.

4. In eadem epist. ad Rom. 12. aliud est huius rei argumentum. Nam vt doceat non oportere nos auidos esse vindictæ, adfert illam plausibilem sententiam, *Carbones ignitos coaceruabis in caput illius*, quasi dicat, ignoscendo plus oberis aduersario. Quemadmodum atrocissimè videbitur is se vltus, qui hosti possit carbones ignitos in caput coaceruare: sic pij ignoscendo, diligendo, benefaciendo, Deo relinquunt omne iudicium de iniuria. Videberis igitur speciosissimè te vltus, si priuatus tu, non solùm abstineas ab omni iniuria: sed affectus etiam malè, bonum pro malo reddas.

Vltio laudanda.

5. Ad hunc modum se pios videmus gessisse. Stephanus in Act. 7. orat pro inimicis & lapidantibus ipsum, *Domine ne statuas hoc ipsis in peccatum.* Et saluator Christus, Luc. 23. pro Iudæis qui in cruce illum affigunt, *Nesciunt quid faciant.* Hæc lenitas sanctorum nobis erat imitanda in causis priuatis, ne ita faciles essemus ad vindictam & vltionem priuatam. Prouocat nos ad eandem Dei patris clementia, qui tam malos quàm bonos fert, & solem suum finit oriri super bonos & malos. Piorum martyrum sanguis bona parte adhuc inultus iacet, Christi neglectus adhuc reposcit vindictam, & ipse Christus nondum vindicatus est: & tu vis vindicari.

Notandũ Salomonis Prouerbiũ.

Hæc eò faciunt, vt discamus patienter ferre priuatas iniurias: & dolendum est philosophos in hac re candidiùs & magis christianè disputasse, de fereda iniuria, quam bona pars Christiani nominis sapiant. Christiani hominis vox apud Salomonem in Prouerb. 24. *Ne dicas, quemadmodum fecit mihi, ita faciam ei.*

1. Porrò hic non tollitur ius apud ordinarium magistratum conquerẽdi de iniuria, & vindicandi suam innocẽtiam. Nam leges de iniuria, & de actionibus forensibus, frustra à Mose essent scriptæ populo Dei.

Deinde cùm Euangelij doctrina, politicum magistratum non abroget, palàm est, officia illa ciuilia salua manere, vt est accusare, defendere, iure agere, iudicem conuenire, conqueri de iniuria, iudicare, ferre sententias, & similia.

3. Præterea sanctos illo iure vsos esse legimus, sine reprehensione Spiritus sancti.

1. Paulus in Act. 25. ab iniquo iudice Felice, qui eum Iudæis volebat donare, prouocat ad tribunal Cæsaris. Et idem Paulus innocentiam suam vindicat verbis Act. 23. *Paries dealbate, percutiat te Deus.*

2. Et Christus seruator mitissimus non dubitat de iniuria conqueri, & æquitatem in iudice requirere. Ioan. 18. *Si malè locutus sum, testare de malo: sin benè cur me cædis?*

3. Et in Apoc. cap. 6. animæ sub altari vindictam postulant, dicentes: *Vsque quo Domine, qui es sanctus & verax, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?*

Statuendum igitur est, legitimè repeti posse vindictam: nec à religione Christiana esse alienum, vt vel magistratus pro officij ratione bonos ab iniuria vindicet: vel boni iniuria affecti, de iniuria apud magistratum conquerantur, ac iure prosequantur ius suum.

DE FERENDIS INIVRIIS HOMINI Christiano.

LOCVS CXLII.

Priuata consideratio.



DVPLEX est iniuriarum consideratio: vna iuris, altera voluntatis. Iuris est, quã disputatur: quatenus homini pio, propulsare iniurias liceat, cadit hæc in priuatam & publicam. Priuatis enim concedit natura, quæ dictat, vim vi repellere licet, & Christus qui iussit tempore necessitatis non habentem, emere gladium. & Apostoli exemplum, qui prouocauit à corrupto iudicio, ad superius tribunal. Debemus interdum etiam hoc proximo, vt ab errore illum liberemus, ac prohibeamus, ne grauiùs in nos peccet, quantum per nos fieri potest. Publica autem est, quatenus Deus Magistratui commisit omnium iniuriarum, tam priuatarum quàm publicarum, vindictam. Ideo enim gladiũ à Domino habet, vt custos sit pacis, & defensor Ecclesiæ, in his terris quærentis hospi-

Publica. Rom. 13.

tia, nec

tia, nec alij digniores sunt patrocinio Magistratuum, ipsis Christi membris, his solis pacem publicam dedit Dominus pro his filius Dei mortuus est. Videat igitur Magistratus quibus pacem & defensionem concedat, ne quando audiat querelas sanctorum, quos neglexerit officio publico. Verè enim in illos dici potest, Qui non defendit, nec obsistit iniuriæ, dum potest: tam est in vitio, quàm si parentes, amicos, aut patriam deserat. Verùm de his suis egimus locis. Cic. off.

Alia est consideratio iniuriarum, huius loci propria, qua non quid possit, sed quid velit expenditur, non enim semper vtitur summo iure: sed animum ad crucem præparabit, tanquam bonus athleta, & in paruis de viribus suis experimenta faciet, quantùm pro Christo aliquando ferre possit: quo animo admissurus sit exilium, spectabit in rei domesticæ iactura: infamiam an ferre possit, in honorem contemptu, mortem an possit adire, pro veritatis confessione, docebit exilij tolerantia, qui enim minora tolerare non potest, quomodo maiora feret? Itaque sic cogitabit pius homo, non semper quod iure licet publico, sed quod officij & pietatis nomine debes sequendum esse. Ad has cogitationes, si animos poterimus applicare, confecta nobis res est, & bona parte obtinuimus, valebunt tribunalia, deseretur forum, otiosi erunt iudices, frigebunt tabulæ, stomachabuntur causidici, conclamabit mundi Theatrum, hæresis, hæresis, sed quid? dum otiũ rebus damus, negotium incurrimus. Verùm cogitare debemus, cum piis nos agere: isti, cũ omnibus pacẽ seruabũt, quantùm ad ipsos attinet: hi cogitabũt, cur nõ potius iniuriã fertis, cur non magis damnum accipitis? securus igitur sit mundus, & homines seculi huius: sine peccatorum suorum iactura hæc dicimus: non enim tam sum absurdus, vt his persuadere velim ne iniuriam faciant: sed apud pios dico, vos verò non sic, vos iniuriam ferre parati estote,

Nõ quod possumus iure publico: sed quod pietatis nomine debemus sequendum est.

Perfer & obdura, labor hic tibi proderit olim:
Dimidium facti, qui benè cepit, habet.

Sed vt consueta vtamur docendi ratione, tria hic docebimus.

Primùm in pios cadere iniuriam.

Alterum, quas ferre, quam propulsare expediat.

Tertium, vt se in his erigere possit, certa & firma consolatione.

1. Disputarunt Stoici contentiosè in sapientem non cadere iniurias, inani verborum honore potius illum exornantes, quàm ab iniuriis in tuto collocantes: fatentur enim, sapientem interim excidere patria, spoliari fortunis, amittere liberos, coniugem, vitam ipsam posse, per iniurias malorum: quomodo igitur in sapientem non cadit iniuria, quem nudat modis omnibus: quem euertit? quem vt spectaculum in theatro circumducit, risui & ludibrio exponit? tandémque è medio tollit? quod si dicerent tentari quidem ab iniuria, infractum tamen perdurare in omni fortuna, tolerabilem dicerent sententiam: quicquid enim in sapientem proteruè, petulãter, & superbè tentatur, frustra tentatur. Verùm, dum ne in illum cadere etiam dicant, certè verbis negant: quod vsu concedunt. Nam propterea in parietem pila non cecidit, quia resilit? num in scopulos propterea fluctus non incidunt, quia non elidunt? Adamas obnitentia quæque durissima frangit: sed num ideo ferrum in eum nunquam cadit? durãt corpuscula quędam in igne, quod & de Salamandræ pilis fabulantur, sed ideóne non aduruntur, quia non exuruntur?

Absurda Stoicorũ opinio.

Simile.

Certè insulsus est disputator, qui illa neget: non sic loquitur de suis victoriis miles: non negat se telis hostium fuisse petitum, sed fortiter perdurasse dicit. Itaque in illum & coniecta sunt, & ceciderunt hostium tela: sed quid dicet? non refert quam multa in me coniecta sint tela, sed quam fuerim inuictus.

Dicant ergo idem de sapiente suo Stoici, & nos de pio homine Christiano: tentari scilicet ab iniuriis, infinitis modis, infractum tamen perdurare in his malis omnibus, Dei quadam singulari gratia.

Primùm enim teste huius habemus ipsam experientiã, cui reclamatione insani hominis est. Ecclesia Christi cruci & ærumnis subiecta est in his terris: nec aliquo merito, quanquam certis de causis: iniuria igitur est, quicquid in pios impij tentant. Christus Dei Filius in his terris opprobria mundi tulit, Apostoli infensissimum mundum habuerunt. Adeò vt Apostolus Paulus dicat factos καθάρματα, & περίψημα mundi: historiæ Patriarcharum, Prophetarũ, ac martyrum Christi plenæ sunt malis sanctorum: dicant iam mihi, dum sancti illa patiuntur, iuréne an iniuria patiantur? si Dei iudicia respicias, fortè non deerit causa, cur merito aliquo suo etiam talia patiantur pij: sed non de eo iam nobis sermo est, verùm quo iure, quave iniuria, impij talia inferant: si iure inferunt, iure pij patiuntur, nulla igitur illis fit iniuria: vbi igitur illorum innocentia? vbi martyrij corona? vbi apud Deum gloria? quid à fure, latrone, sicario, different, quem meritò ad crucem duci conclamant etiam pij?

Aut superest piis sua innocentia: patiuntur igitur illi, non iure, nullo suo merito, si hostes respicias, conuitiis affecti: benè precantur, persecutionem passi, sustinent. Iniuria igitur est, quòd impij illis inferunt, & illud patiuntur: superest igitur eos iniuriam pati: quandoquidem iure non patiuntur.

Deinde Christus hoc fore prædixit. In mundo inquit pressuram habebitis. & apud Matt. 10. *in Synagogis flagellabunt vos, eritis exosi omnibus mortalibus propter nomen meum, qui verò perdurarit vsque ad finem, hic saluus erit.* Patiuntur igitur iniuriam sancti. Ioan. 6.

Tertiò, patientibus vita æterna promittitur, & his fortè solis. Matth. 5. *Beati persecutionem passi*, cadit igitur in eos iniuria.

Iniuria est iuris priuatio vel quod iure caret.

Quartò, natura iniuriarū hoc manifestè euincit. Cùm.n. iniuria dicatur iuris priuatio, manifestū est hãc in pios cadere, ab impiis illatam. Id ita accipe: Latini priuatiuè dixerunt iniuriam, quasi dicat, sine iure factum aliquod, seu quod iure caret, respectu agentis, vt grassator viatori eripit pecuniam, cùm non habeat facti huius causam iustam, latro simul adimit vitam, postulatus ad causam dicendam, non habet quo se iure defendat: iniuria igitur definitur id commisisse. sic Græci ἀδικίαν vocarunt, pari ratione: quia iustitia careat factum: deinde quia patiens ius suum violenter in re subiecta perdit: hæc iniuria est.

Proficiscitur autem iniuria illa, à voluntate & studio nocendi alteri: rem aggreditur manu seu lingua: & nocet quantùm potest. Calumniatur maledicus: fur expilat domum: incendiarius domum euertit: latro vitam eripit: tyrannus cruciat: saturatur voluntas: patitur iustus: iniuria igitur est, vel ipsorum impiorum confessione. Nec volo hic mihi obganniant, illum constanter perdurare, nec verorum bonorum quicquam amittere. Rectè quidem hoc dicitur, sed extra oleas: non enim nobis quæstio est, de animi bonis, quæ iniuriam non ita facilè patiuntur: sed de rebus iniuriæ subiectis: aut dicant illi nobis, quæ tandem bona sub iniuriam cadant: si dicãt animi bona, mentiuntur proprio testimonio, cùm illa etiam post mortem salua maneant: sin fortunæ & corporis bona, causam suam produnt. Et reuera sola ista sunt, quæ rapit iniuria, reliqua in tuto posita sunt, quò nec tyrannus, nec vllus grassator aut carnifex penetrare potest.

Bona animi in tuto sunt.

Quòd verò perdurant sub iniuriis, nihil adimit voluntati nocentis, nihil detrahit inferenti, finem optatum assequitur aduersarius. Nam ex patrimonio sanctorum ditatur, corpora vastat ferro & igni, hoc voluit: non præsumpsit in animas sæuire, stultum enim hoc foret.

5. Addamus istis hoc etiam, solos pios esse, qui accipiant iniuriam, tantùmque abest, vt in eos non cadat: vt soli hi sint iniuriis subiecti. quid enim impius iniuriâ patitur, omnibus malis dignissimus: iniuriam solus facit impius, studio & voluntate nocendi præditus. Ergò solus pius illam fert, cùm nocendi voluntate careat, non autem ferendi caret voluntate: non igitur faciet pius iniuriam: à quo abest animus nocendi: & solus fert iniuriam, quia solus animum ferendi possidet.

Solus pius fert iniuriã. & solus impius facit iniuriam.

Ex quo & illud efficitur, solus impius est, qui iniuriam facit, quia solus hūc animum ex quo prodit iniuria, possidet: & contrà solus impius est, qui iniuriam nunquam patitur, neque recipit: quia quicquid patitur, iure optimo & merito iustissimo patitur.

Hæc disciplina Christi est & Apostolorum. Hinc D. Petrus pios hortatur, ne patiantur vt fures & latrones: illi enim iure patiuntur ob facinora, quicquid hic patiuntur, pij contrà innocenter pati debent, pro veritatis & nominis Christi confessione.

Stoici.

Hic nobis sese opponunt totis viribus Stoici, quos tamen facile est, à linea depellere. dicunt enim parum ad rem, & ἀσύστατα multa habent: quale illud est, quod iam dissoluimus. Iustus constans perdurat, nec vincitur malis. Ergo in illum non cadit iniuria: nos ideo, in ipsum cadere dicimus, quia vinci non potest: quàm mox enim victus fuerit, desinit in illum cadere iniuria: desinit enim esse iniuria, & desinit obiectum iniuriæ: quo sublato, actio iniuriosa desinit, sed iuris induit iam formam.

2. Sed clariùs hoc apparet: Quod lædit, validius esse oportet, eo quod læditur: sed impietas pietate non est validior, vt nec vitium virtute: igitur hanc lædere non potest. Respondeo speciosum hoc quidem videri, sed infirmum, imò falsum est, si rem attentius consideres. Primùm enim sumit quod falsum est: deinde vera falsis malè connectit. Verùm enim est virtutem vitio validiorem esse, & pietatem impietate robustiorem, adde constantiorem durabiliorémque esse: hæc per se vera sunt: falsa autem assumit, validius à debiliori non potest lædi. quis enim hoc tibi dabit? num veritas à mendacio lædi non potest? cur igitur temporis filia? cur in tenebris aliquandiu latitat? cur affligitur? Hector à Patroclo multis modis inferiore, læditur, Aiax ab Vlysse, cui fortitudine nulla ratione conferri poterat: sed veriora assumamus. Deus Opt. Max. nónne ab hominibus læditur, offenditur, conuitiis & blasphemiis conspurcatur indignis modis nomen eius: sed dicas, non euertitur. rectè, sed quid ad rem? satis est ad præsentem causam ostendisse vim lædendi esse in debilioribus causis, vt veritas à mendacio, re debiliori, læditur, Deus ab homine. Itaque falsa est connexio, id quod lædit validius est, eo quod læditur, pietas validior est impietate, virtus vitio validior est, veritas mendacio validior est, Deus homine validior, ergò pietas ab impietate lædi non potest, virtus à vitio non potest, veritas à mendacio non potest, Deus ab homine non potest. Dicant hic nobis quid velint per verbum (lædere) intelligere: si affligere offendere, consentiunt nobiscum, sed falsum dicunt. sin lædere illis sit euertere, verùm quidem suo modo dicunt, sed in re quæsita non manent.

Falsa cõnexio.

Constringamus igitur eos breuiter hoc modo, & quidem proprio argumento. Id quod lædit validius est eo, quod læditur, quatenus & quandiu lædit: Sed mendacium veritatem lædit, Ergo validius est, quatenus & quandiu lædit.

Perspicua est collectio, nec habet vllū sophisma: lædit enim ad tempus solùm, deinde in speciem lædit, reuera non euertit veritatem: sed ab eadem mox erūpente ex tenebris opprimitur.

3. Aliud

3. Aliud affert Seneca. Impius mihi infert iniuriam, sed non est necessum me ideo mox etiam accepisse. Ego verò miror, si possit agens esse sine patiente: hoc quidem concedo. Aduersarius te vult lædere, non tamen necessum est, te velle lædi. Itaque in voluntatibus non est par consequentiæ necessitas. Hic me vult iniuriâ quadam afficere: ergo mox ego cogor velle subire. Tu vis, ego nolo, non pugnant illa: sed agentium & patientium alia est ratio: dato agente, necesse est vt des etiam patiens. Ille facit iniuriam, ergo necesse est aliquem esse qui ferat eandem iniuriam. Oppositorum enim hæc lex est, vt dato agente, necessariò concedatur oppositum patiens. Quod si ita colligat, Nemo est qui inferat iniuriam bono viro. Ergò in bonum virum nulla cadit iniuria, firma esset collectio similiter, vir bonus nullam fert iniuriam. Ergo nemo est qui inferat. similiter: nihil est agens: ergo nullum est patiens. Item nullum patiens, ergò nullum est agens. Legitimam habent consequentiam. Sic illa necessariam habent consequentiam. Athenienses Socrati inferunt iniuriam, ergo oportet vt Socrates ferat iniuriam, nisi enim ferret, adeóque reciperet, illi inferre non possent. Optima collectio.

4. Iustus sua iustitia priuari non potest per impios. Ergò in illum non cadit iniuria, nego posterius: non potest priuari, sed lędi potest. Deinde iniuria non cadit solùm in animi bona, sed cadit magis in corporis & fortunæ bona. Animi bona verè in sapiente ἀχώριςα sunt: sic in electis Dei vita æterna, veri cognitio, vera adoratio, confessio Christi, inseparabilia manent. Potiùs vita à corpore discedit, quàm illa bona animi deserant: ideò in ærumnis superant. Interim non desinit etiã iniuria, quod impij in eo cõmittunt: ideò quod Stilpon philosophus interrogatus à Demetrio, respondit, aut imperfectum erat, aut sapientis viri moderatio. Amiserat Stilpon, patriam, patrimonium, & filias, rogat illum Demetrius, nunquid amisisset? respondit Philosophus, nihil amisi, omnia namque mea mecum habeo: piè quidem & moderatè in rebus aduersis: sed filiæ amissæ non tuæ erant? & patria tibi nulla fuerat? & patrimonium alienum prius possederas? non concedet, opinor. Et quę sunt omnia illa tua, quę tecum habes? virtutem dices? ac de hoc non interrogabat Demetrius: sed de patria, filiabus, & patrimonio tuo. Itaque vel aliud respondisse, fatendum est, quam sit rogatus, vel moderationem viri sapientis interpretabimur. Si enim verum est quod fateris, te nihil amisisse: & amisisti ea quæ prius possidebas, iniustè igitur possidebas, adeò vt te possedisse fateri pudeat: sin iustè possidebas, & amisisti, iniustè fecit Demetrius te his spoliando: & illo inferente, tu iniuriam perpessus es. Stilpon Philosophus. Demetrius.

II. Diximus iniuriam cadere in pios, adeóque hosce solos, solúmque ab impiis fieri, & in impium non posse cadere iniuriam, vt à pio non potest inferri. Quę tamen non Stoicorum more defendimus aut disputamus. Superest vt secundo iam loco disseramus de genere iniuriarum, hoc est, quas oporteat ferre, aut secus: non enim omni sensu priuandus est pius homo, vt tanquam stipes & caudex ad omnia, vbique & semper sileat, & vt clitellarium iumentum omnibus iniuriis dorsum subiiciat. dicet aliquando cur me cedis? si malè feci, testare de malo, hoc est, iure mecum experire. Item paries dealbate quare contra officium tuum me tractas? Magistratus es, cur non mihi ius reddis? & similia. Quas igitur iniurias feret? paucis accipe.

Primùm, quas propulsare non possit, has patienter ferat oportet: nec est quod hic cauilleris necessitatis legem. Fateor, id verum est. cogitur ferre, fortè alias non laturus, rectè & illud: attamen in eo etiam laudabiliter versabitur, quia patienter, quia modestè, quia cum gratiarũ actione, coram Domino ista omnia feret. Contrà, impius in iisdem calamitatibus versabitur summa cum impatientia.

Deinde, quas propulsare quidem posset, sed non satis iusto medio. Itaque hic multa videbit sibi ferenda, quàm propulsanda. huc pertinet, quod habet. 1. Corinth. 6. litigare coram impio iudice non concedit, & addit, *cur non potius fertis iniuriam?* nisi igitur detur pius iudex, potius ferenda est iniuria: ne professio pietatis risui & ludibrio exponatur: fieri tamen potest, vt apud Ethnicum iudicem ius tuũ meliùs persequaris, quàm apud tuæ professionis iudicem: sed in eo casu tuæ professionis, iudex impius est quoque, adeò vt illius tribunal debeas vitare quoque: sin piorum nulla sit copia, & prorsus agendum sit, Ethnicus non denegatur, vt qui hodie sub Turcis degunt, ad tribunalia Turcica coguntur causas agere, quia priuata iudicia illis non cõcedũtur. In his igitur præstat omnia potiùs ferre, quàm experiri, vt re ipsa comprobetur Christianismi professio: quod potius in ferendo, quàm in inferendo sit posita: & reuera in his casibus sępe vtiliora sunt exempla ferentium iniuriam, quàm depellentium. Corã infideli iudice litigare Paulus non cõcedit.

Tertiò, quas sine offendiculo fratris non possis depellere: nam omnia ad ædificationem fieri debent: quòd si destruat iniuriarum actio, vtique pius illam intermittet. Nam hæc regula, omnium rerum indifferentium est, vt nisi ædificent, intermitti rectiùs possint, quam vsurpari.

4. Denique, si sine iniuria rei domesticæ, si citra iacturam nominis & famæ, possit ferri, summa, si suadeat pietas, si charitatis regula requirat, feret. multa enim concessa sunt, quæ tamẽ nõ mox suscipiet pius homo. Interdum mora iniurias mitigat, aut saltem leuiores facit, aut minor iniuria feretur, ne actione in grauiorem incidat.

III. Superest vt ostendamus, quomodo sese in ferendis iniuriis gerat pius homo, vt certa & firma consolatione in causa potiore sese erigat.

Primùm hic firmissimum est argumentum, mandatum Christi, qui iubet suos mala bono

compensare, legem talionis tollit, ne malum pro malo referamus. idque vita & moribus comprobauit.

Deinde idem habet Apostolorum doctrina. Rom. 12. *nolite vlcisci vos ipsos, malum pro malo reddentes, pacem seruate cum omnibus, quantum in vobis est.* 1 Cor. 6 *Cur non potius fertis, & accipitis iniuriam,* &c.

3. Cogitabit, expedire potius animo recta monenti obedire. Est autem pij hominis animus minimè ad nocendum comparatus. Vt improbi est, velle nocere: sic probi est, nec nocere velle, nec improbitate certare, nec inferre iniuriam. Quemadmodum in beneficiis ratio se habet, dare beneficium, & reddere beneficium, vtrunque est laudabile. Sic in iniuriis dare & reddere, vtrunque improbum est.

4. Prӕterea cōsiderabit, quod seipsum non possit vindicare, cum nec arte, nec natura formatus sit ad exercēdas iniurias. Itaque præstat te cedere malis, quā opponēdo molē aggrauare.

5. Impar etiam certamen est: probus non eandem cum improbo artem didicit: non eodem vsus est magistro: non iisdem certaminibus sese exercuit: non ad eundem finem collimat.

6. Accedit diuina protectio. Etenim si capilli nostri numerati sunt, nec cadit passerculus sine Patris voluntate: quid de se pij æstimabūt? Certum apud eos erit, authores iniuriarum pessimè perituros: id exempla declarant tragica. Herodis, Pilati, Iudæ, & apud Ethnicos Theomachi, omnes miserè interierunt. Pindarus grauiter inquit, βία δὲ καὶ μεγάλαυχον ἔσφαλεν ἐν χρόνῳ, hoc est, iniuria quidē arrogantem, noxæ dedit suo tempore. hæc non mediocris consolatio est.

Pind. pyth. 8. Seneca. Gellius. Valler. Max.

7. Et finis statui debet litium: cauendúmque est, ne noua aliam excipiat: id non melius, quā tolerando fieri potest. Sic consulit Seneca, iniuriarum remedium, est obliuio: & Gellij est dictū Veterem iniuriam ferendo, vires nouam. Et Valer. Max. speciosius aliquando iniuriæ beneficiis vincuntur.

8. Sin vera bona consideres, amplior erit consolatio: videbis enim irritum esse conatum aduersarij, spoliare te tuis bonis non potest, quæ omnia in tuto sunt, pietas, fides, iustitia, vita æterna, & similia, omnia firma sunt, μόνιμα & ἀχώριστα. Sæuiat vt velit, nemo de manu Christi suos potest rapere. Sin dicas interim tolli bona fortunæ & corporis: cogitabis illa sua natura esse πτερωμένα: tamen in piorum oculis non tanti momenti, vt de his velint pugnare, nisi publica ratio pudoris & famæ id requirat, vt tueri vxoris pudicitiam non dubitabit, familiæ salutem & similia: interim sciet paupertatem à Deo esse, sed illud demum esse verum exilium & paupertatem grauissimam si reprobetur à Deo, opes illæ externæ, bonæ quidem sunt: sed interdum vt chartæ lusoriæ negligendę erunt: mors verò ipsa naturę debetur, non igitur nimiùm tristabitur, si pro Christi gloria immineat.

Exempla ethnicorum. Christianos monere debent ad contemptum mundi.

9. Et sanè ista cogitatio commouit Ethnicos, vt turpe sit Christianos in hac palæstra superari. Crates sponte potuit in gratiam philosophiæ, abiicere opes, dicendo, abite opes in profūdum: satius est vt mergam vos, quàm à vobis mergar. & Christianus non poterit, pro gloria Christi vel publico bono opes contemnere? Cleantes maledico poëtæ ignoscere potuit deorū exemplo, & Christianus non poterit, Christi exemplo? Achilles Homericus ignominia affectus à Græcis, potest se reuocare, *Cogito à iustitia Iouis honorari*, & Christianus non idem cogitabit? Socrates audire potuit placidè Aristophanem coram sese traducentem μετεωρῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, &c. Christianus tam mollis est, vt nulla maledicta ferre sustineat? Anitum & Melitum hostes capitales, non est vltus: imò exclamans dixit, Socratem tollere possunt, perdere nō possunt: & pius nihil tale dicere poterit? Pudeat nos nominis Christiani, nisi altiores rebus in aduersis declarauerimus animos. Et Seneca exclamat, viri boni est, scire pati, non facere iniuriam, & nos in omni causa & leui, tribunalia defatigabimus? Vtique nobis eueniet, quod his qui fuliginosum aliquod corpus complectuntur, fieri non potest, quin tales immundi fuligine discedant. Ita sanè, si vindictæ studio cum improbis congrediamur, cúmque eis pariter volutemur, discedemus ex arena inquinati eadem fuligine.

Renocemus igitur nos sub iniuriis, & tanquam in propria palæstra nos exerceamus, cogitātes illud Pindaricum, *Iustitia murus arduus est, quē non obliquis doli viis ingreditur hominum genus.*

DE SVPPLICIIS.
LOCVS CXLIII.



SVPPLICIA ferè dicuntur capitales pœnæ: tamen hic intelligamus pœnam quamuis, qua ob delictū quis afficitur. Sic enim de vtroque commodè dicemus.

Supplicium à supplicādo vel à supplendo dictū.

Ac supplicium dici volunt à supplicando, hoc est, precando, quòd in deprecandis pœnis homines supplices esse solent: aut quia prisca paupertas ac simplicitas ex noxiorum bonis in supplicationibus deorum sacra facere consueuerat. Nunc enim mulcta in ærarium referri: sed in aras deorū, tanquā anathemata solebat. Fortasse rectiùs dicetur à supplendo: quia in his iniuriarū & fraudis quædā fit cōpensatio & suppletio.

Pœnæ

Pœnæ vox ab Oſcis ſumpta quibuſdam videtur:nam quod Latini mulctã, Oſci pœnam dicebant. Varronis eſt ſententia à pendendo dici,quia punitus dicitur pendere pœnas.Idem alibi à ponendo deſumit,quod qua ratione fiat,viderint ipſi,qui illa approbant.

Pœna à pendẽdo

Græcam vocem eſſe non dubium eſt.Cuius rei firmum eſt argumentum,quòd paſſim Græcis authoribus in ſimili ſignificatione eſt in vſu,vt apud Platonem,Ariſtotelem.Pind.Olym.2. Epod.3.docens quæ pœnæ maneant improbos poſt mortẽ,inquit ἀπάλαμνοι φρένες ποινὰς ἔτισαν,iniuſtæ mentes pœnas dant.Sed & orthographia manifeſtè hoc indicat, nec abſurdũ eſt ſi dicamus Oſcos illos Italię populos à Gręcis vocem illã habuiſſe, quemadmodum alias multas.

Dicitur igitur ποινὴ Græcis, quaſi πόνος. moleſta enim eſt peccatorum mulcta, præſertim ſi accedant tormenta,per quæ confeſſio ſæpe eſt extorquenda, & mortis exquiſita ſupplicia. Quę nos quoque à Græcis mutuantes vocem appellamus *pyn*, hinc verbum *pynigen*, pro tormentis extorquere confeſſionẽ,aut inſolito mortis genere macerare:qualia martyrum ſunt ſupplicia.

Vocabulum pœnæ à Græcis ortũ.

Euſtath.Homeri interpres deriuat à verbo πένω,quod ſignificat grauiter laboro,& affligor. Iliad.Σ. ait ποινὴν ſimpliciter eſſe ἀμοιβὴν ἀπὸ τοῦ πόνου,ſed & πόνος, hoc eſt labor à πένομαι deriuatur. Alibi dicit ἐκ τοῦ φόνου dictam eſſe, vt ſit ποινὴ quaſi φοινή τις οὖσα. ὡς διὰ φόνον διδομένη. nec malè,quia tum ſignificat certam ſpeciem ſupplicij,hoc eſt,ἐκδίκησιν ὑπὲρ τοῦ φόνου.

Hinc duplici modo definiunt Græci pœnam. Aut enim eſt ποινὴ ἁμαρτήματος ἐκδίκησις κατὰ νόμους,hoc eſt,delicti ſecundùm leges vindicta : quo ſanè modo generale eſt vocabulum, omniũ delictorum reprehenſiones continens. Sic Iuriſconſulti de pœnis loquuntur, Aut eſt τιμωρία ὑπὲρ τοῦ φόνου,quo pacto ſolam ſpeciem exprimit,hoc eſt,capitalem pœnam.

Duplex definitio pœnæ apud Græcos.

Latini pro genere vtuntur,cùm definienda eſt pœna. Vt ſit pœna ſatisfactio debita, quam lex aut magiſtratus ordinarius imponit pro delicto.

Et in hac ſignificatione ſuppliciũ accipitur à Cicerone,dum id definit, Supplicium eſt pœna peccati. Sic nos initio definiuimus,Supplicium eſt,quo quis ob delictum afficitur.

Quid ſuppliciũ apud Cicero.

Pœnarum genera quatuor ſunt. Aut enim bonorum eſt,quæ mulcta dicitur,olim enim pecuniæ pœna mulcta dicebatur,& pecunia à pecude cenſebatur,boue ſcilicet aut oue.

Aut eſt relegationis, quæ dicitur exilium, deportatio ad inſulas, ad metalla,&c. hodie *leiſtung,vervvyſen mit dem Eid,ſtat vnd land verbietnen*:igni & aqua interdicere.

Aut eſt membrorum mutilatio:qualis eſt talionis, manum pro manu,pedem pro pede. Hodie blaſphemis præſcinditur lingua,fures auribus mutilantur,&c.

Aut demum ſunt capitales:quò pertinent mortis diuerſa ſupplicia.

Reperio apud alios octo pœnarum genera,quę Iuriſconſulti quoque explicant:ſcilicet damnum,vincula,verbera,talionem,ignominiam,exilium,ſeruitutem,& mortem:de quibus conſule iura.

Octo pœnarũ genera.

A fine diſtribuuntur in tria genera. Nã pœna omnis(modo legitima ſit)infligitur vel emendãdi peccatoris gratia,vt is melior fiat:aut defendẽdi cauſa læſum,vt illius ſalus & dignitas integra maneat:aut vt ſtatuatur exemplum aliis,vt alieno malo diſcant ſapere. Primum genus νουθεσία dici poteſt:alterum τιμωρία, tertium παράδειγμα:hanc ferè ſequitur Plato in ſua Repub.

Addamus nos illam ex ſacris literis,cui etiam congruunt hiſtoriarum diuerſa exempla. Supplicium aliud ordinarium eſt,aliud,extraordinarium.

Diuiſio ſupplicij.

Ordinaria dico,quæ legibus conſtituta ſunt:& ad delicta quandam habent rationem. Primi quidem homines,ſine legibus in ſceleratos animaduerterunt:ſed inductæ ſunt tandem leges, vt modus ſtatueretur licentiæ:deinde vt pœna iuſta eſſet,non ſæuitia potius tyrannica. Itaque bene conſtitutæ Reſp.ſecundùm leges de pœnis ac ſuppliciis decernũt. Si noui incidant caſus, de quibus lex nulla extat,ex æquo & bono pronuntiant.

Moſes in tanto legum numero quatuor ſolum relinquit Iudæis capitalium pœnarum genera,ſcilicet ſtrangulationem,lapidationem,combuſtionem,& decollationem.

Extraordinaria ſunt, quæ leges non habent: ſed arbitrio magiſtratuum imponuntur, aut ipſius Dei.

Itaque dicamus hoc genus ſuppliciorum geminum eſſe. Nam hoc vel Deus imponit immediatè,ſingulari quadam vindicta,(& extraordinaria illa dicimus, quia Deus legibus non eſt ſubiectus,ſed liberè agit:) aut magiſtratus pro arbitrio talia imponunt.

Humana ſupplicia extraordinaria bipartita ſunt. Nam quædam moderationem habent ac iuris regulam. Vt quod Iſraëlitæ Adonibezek captũ mutilant præſcindendo illi pollices,Iud. 1. Quia ipſe tali pœna priùs affecerat plures Reges:itaque legẽ talionis cogitur agnoſcere:talia ſæpe neceſſaria ſunt in nouis delictorum caſibus.

Quædã verò arbitraria ſunt & crudelia,qualia ſunt Herodis in infantes Bethlehẽ Iudæorũ in Stephanum. Huc pertinent martyrum ſupplicia, quòd beſtiis obiecti, igni abſumpti, oleo ſubmerſi feruido,arboribus in diuerſa redeuntibus diſcerpti,aliiſque mille modis laniati. Similia ſunt crudelitatis exempla, Neronis, Mithridatis,qui matrem,fratrem, & liberos crudeliter de medio tulére. Xerxes Pythij filium chariſſimum diſcerpi iubet. Tamerlanes Scythæ Turcarum regem bello captum ferrea cauea incluſum circunducit ſecum ad oſtentationem,&c. talia fuerunt Phalaridis ſupplicia taurina. Crudelia iſta ſunt,humanitatis enim nullam habent

Exempla crudelitatis.

rationem, quæ suadet in pœnis oportere esse modum, & respectum quędam ad delicti magnitudinem: ac potiùs imminuẽdas esse pœnas, quàm augendas, ne summũ ius fiat summa iniuria.

Hic iam quæri solet, an venia aliqua delictis dari rectè possit. Stoici hoc acriter pernegant, afferentes veniam dare, & peccatores non sua culpa deliquisse putare, vnius & eiusdem esse, putare pœnas legibus constitutas nimiùm seueras esse. Ideóque in puniendo nihil remittendum de rigore bono viro. Senecæ eadem sententia: sapiens, inquit, nihil faciet quod non debet: nihil etiam prætermittet, quod debet. Ideóque pœnam, quam exigere debet non donabit. similia passim reperiuntur apud sectatores illius sectæ.

Stoicorũ opinio contra pœnarũ relaxationem.

Quibus nos respondemus, vtilem esse doctrinam περὶ συγγνώμης, καὶ ἐπιεικείας. Nam multi casus sese offerunt, de quibus lex non extat, in quibus vir prudens non rigidissimas leges adhibebit: sed æquiores. Deinde humanitas requirit aliter puniendum voluntarium facinus, aliter coactum: & lapsum per imprudentiam, quàm eum qui destinato consilio commissus est. Et rigor summi iuris sæpe summam iniuriam parturit. Deinde accedit Dei exemplum, cui cum possit omnes meritò pœnis extremis dedere, tamen misericordiæ memor non quid nos simus commeriti, sed quid clementiæ suæ magnitudo dictat, sequitur. Quod verò illi dicũt, Deo hoc licere per se, vt qui nullis sit astrictus legibus, nos id libenter admittimus: sed non obseruant illi, argumentum hinc cõfirmari magis, quàm debilitetur. Nam si Deus ille Opt. Max. labe omni carens, nos sua mancipia non punit eo rigore, quo eramus commeriti: sed ἐπιείκειαν quandam adhibet: quid nobis inter nos mutuò faciendum censes?

Sed illi excipiunt: non simpliciter Deus veniam dat nostris peccatis: quin illa puniat aliquo modo in filio suo, quem dedit in pretium redemptionis nostræ. Respondemus, hoc ipsum συγγνώμης esse firmissimum argumentum. Nec nos dicimus peccatis simpliciter veniam esse dandam, adeò vt nulla afficiantur pœna: sed de mitigatione loquimur, quòd illa certis necessariò adhibeatur, & vtiliter etiam à viro prudenti, contra quàm Stoici censent.

Tertiò, non satis distinguunt personas in hac quæstione. Nam quod de Deo diximus, idem de priuatis hominibus suo quodam modo dici potest. Deus enim, vt diximus, absolutè veniam dat quibus, & quoties vult, quia legi non est adstrictus. Sic priuatis hominibus ignoscendũ est delinquentibus in se, hoc ipso quia Deus iussit. Christus enim vindictam priuatam sustulit, ac iussit vt admonitione fraterna essemus contenti: quòd si in pertinacem incidas, iussit Ecclesiæ indicare, quę deinceps suos habet gradus, quibus in animaduertendo procedit. Quare, in priuatis, veniæ concessio non solùm laudabilis, sed etiam necessaria est.

Sed de magistratibus & principibus, adeóque his omnibus penes quos iudicia publica consistunt.

Respondemus, si de omnibus casibus leges extarent, viderentur aliquid dicere: nunc verò cùm infiniti sint reseruati iudicis æquitati, quid faciet aliud, quàm quod humanitatis ratio interdum dictat? In fame furatur quis panem, nec erat vnde emeret: alius petulanter fores alterius perfregit ac furatur pecuniam: quid faciet hic iudex? Stoicus fortè vtrunque pari afficiet pœna: sed ἐπιείκεια distinguet pœnam, vt scelera distincta sunt. Quare voluntario facinori veniam dari aliquam non oportet: secus autem in his quæ necessitas aliqua circunstans, aut alia conditio quædam mitigat. Nec illa recusant Stoici quoque: sed quæstionis statum hic permutant: nam quæ de venia nos disputamus, ad clementiam illi transferunt: quasi aliquid intersit, clementiáne an venia pœna mitigetur. Quod Seneca quoque animaduertens tandem inquit, de verbo controuersia est, de re quidem conuenit.

Quid facturus iudex in casibus, vbi leges nõ extant.

Statuamus igitur veniam interdum in delictis vtiliter adhiberi, interdum ἐπιεικείᾳ pœnas mitigari posse.

Superest illa quæstio, an ob alterius delictum alius puniri possit? Sunt qui hoc concedant. Nam Adami posteritas, ob peccatum Adæ, pœnis subiecta est. Sodomitarum quoque infantes cum parentibus puniti sunt. Ierichuntis, Chananæorũ similiter. Et Dominus ipse pronuntiat, *Ego sum Deus Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me.* Ex quibus effici videtur, posteros qui non peccasse videntur, puniri ob aliena, hoc est, maiorum suorum delicta. Sic Agathocles Ithacensibus respondebat, se illorum agros populari, quòd illorum rex olim Vlysses in Sicilia pastorem excæcauisset: Corcyræis verò, quia vestri maiores Vlyssem hospitio exceperant: quod nihil aliud erat, quàm filios punire propter maiorum errores.

His nos respondemus hac distinctione adhibita. Alia ratio est iudicij diuini: alia humani. Nam in foro Dei, etiam filij parentum scelera luunt ita, vt ipsi interim non sint immunes à peccato, Et Dominus cum pronuntiat se visitaturum iniquitatem parentum in filios, manifestè addit, *eorum qui oderunt me*: & à contrario subiicit, *faciens autem misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* q. d. diuinitus solùm puniri impiam posteritatem, quæ parentum sceleribus est inquinata: quòd si boni ex malis nascantur filij his non obesse parentum impietatem. Et hanc esse mentem illius præcepti manifestè colligitur ex Ezech. cap. 18 *filius non portabit iniquitatem patris*, &c. vbi quæstio illa diffusè est explicata. Vide August. T. 4. fol. 708. in quæstionibus vet. Test. cap. 14. & 13. Et T. 3. fol. 168. in Enchirid. cap. est. 46.

Quomodo filij ob parentũ scelera puniãtur.

Quod

Quòd si obiicias Sodomorum infantes. Respondemus illos quidem cum maioribus impiis periisse, sed non sine propria quoque iniquitate. Nã infans etiam vnius diei non purus est coram Domino. Et Dauid testatur se in peccatis & natum & conceptum esse. Quo dato, facile est colligere infantes quosuis, ne dicam Sodomorum, iure diuino perire: massa enim tota est infecta ab origine. Nec refert hic actúne peccarint nec ne: alioquin mors quoque illis in infantia non irrogari posset, cùm & illa peccati sit pœna. Fatemur igitur Dominum iustum esse in omnibus iudiciis suis: nec solùm iustè ab eo puniri adultos: sed etiam infantes.

Iustè à Deo puniuntur infantes.

Sed in foro humano alia est ratio: hic non fert filius innocens patris iniquitatem. Sic rectè dixit Hieronymus, *vicariam pœnam nemo cogitur subire*. Et in iure ciuili extat expressa lex tit. 47. l. 22. C. cuius verba sunt. Sancimus ibi esse pœnam, vbi & noxa est, propinquos, notos, familiares procul à calumnia submouemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec. n. affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos tenant authores, nec vlteriùs progrediatur metus, quàm reperitur delictum: & hoc singulis quibuscunque iudicibus intimetur.

Huic legi astipulatur Dei cum Iudæis disputatio apud Ezech. 18. *anima quæ peccauerit, illa morietur & filius non portabit iniquitatem patris*, &c. Ideóque in bene constitutis Rebuspub. scelleratorum hominum filij non puniuntur. Et sæpe ex funesta familia præstantes viri oriuntur, qualis Pericles ex domo scelesta: qualia exempla in sacris quoque occurrunt. Itaque rectè Bion videtur dixisse, non minùs esse ridiculum filios propter parentum scelera punire, quàm si medicus, patre ægrotante, filio potionem propinaret. Rectè quidem dum boni & frugi sunt: quòd si verò patrissent, tum & propter sua & propter parentum scelera, duplici nomine digni sunt, qui pereant. Quod sæpe accidit in imperiis diuina quadam vltione. Herodotus scribit Crœsum, qui fuit quintus à Gyge Lydorum rex, pœnas dedisse, quòd per fraudem Heraclidis fuisset surreptum imperium: id fecerat Gyges, non tamen caruit culpa Crœsus. Sic Deus lento pede procedit ad pœnas. Hinc dictũ est eos laneos habere pedes, & deorum molas tardè molere. expectat enim Deus emendationem delictorum, &c.

In foro humano filius innocens non fert patris iniquitatem.

Cur deorũ lanei pedes dicti.

DE POENIS.

LOCVS CXLIIII.

1



POENA si Varroni credimus lib. 4. de lingua Latina, à puniendo vel ponendo deriuatur. Punit enim quæ quisquam commisit, & delictis certa est posita pœna, quam lex requirit à transgressoribus. Alij à pendendo desumunt, hoc est, soluendo, quia luit & soluit delicta.

Ratio nominis.

Mihi placet eorum sententia qui græcam vocem aiant esse, Nam ποινὴ græcis est quod latinis pœna. vnde nos etiam habemus *pen* & *byn. pen* vocamus multam. *byn* verò cruciatum pœnarum, ποινὴ græcis vsitata est vox in hac significatione, vt apud Pind. εἰ δέ μιν ἔχοι τις, οἰδέτω τὸ μέλλον, ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδε, αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες ποινὰς ἔτισαν: τὰ δ' ἐν τᾷδε διὸς ἀρχᾷ ἀλιτρὰ, κατὰ γᾶς δικάζει τις, ἐχθρᾷ λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ. Sensum reddam. Si verò quis habet opes, sciat id quod futurum est quod iniustæ mentes hic morientium, mox pœnas dant, & scelera quæ hic in hoc Iouis imperio fiunt, sub terra iudicat hostili necessitate sententiam.

Hinc sunt illæ phrases τίνειν ποινὰς, ἀποτίνειν τίσιν, διδόναι ἐκδίκησιν, τίνειν δίκην.

Porrò quæ sit ratio græcæ vocis, Eustath. rectè explicat, ποινὴν scilicet dici ἀπὸ τοῦ πόνου, ὅπερ ἐστὶν ἐπαινετῆς ἐνεργείας, hoc est, à labore deriuari, quòd sit honestæ actionis: voluit dicere, pœnam laudatam esse actionem respectu iudicis, qui secundum leges, illam à reo postulat, quo sensu fundamentum habet in actione: cui hoc potest addi hic, quod à labore dicatur ποινὴ, quia ærumnosum ac miserum est pœnas subire, &c. Idem tamen author alibi deriuat à πένω & φονῶ occido.

II. Definitur in genere pœna, quòd sit noxæ vindicta, Nomen enim generale est, omnium delictorum castigationem continens.

Definitio pœnæ.

Græci dicunt quod sit ἐκδίκησις ἁμαρτήματος, item ἀντισήκωμα, hoc est, compensatio.

Augustinus ait, Pœna propriè est læsio, quæ punit & vindicat, quod quisque commisit.

Platonis est lib. 5. de legibus, τιμωρία ἐστὶ ἀδικίας ἀκόλουθος πάθη. h. e. iniustitiæ consequens affectio. Genus posuit ex passione, quia peccatori ærumnosum est ferre pœnas, ideo supra diximus pœnam Græcis à labore rectius dici propter peccatorem, quàm propter iudicem, cuius actio laudata est ex pœnarum requisitione, quo respiciens Eustath. laudatam definiuit actionem. Nos sic definiamus. Pœna est castigatio Dei iusta, corrigentis hominum inobedientiam, vel hic, vel deinceps, vel etiam vtróque tempore.

De vera & falsa pœnitentia Tom. 4.

Definitionem sumimus ex relatiuis, quia enim pœna est peccati pœna, ideo fundamentum accipimus, ex actione, ac Deum vindicem constituimus: cuius actio in executione pœnarum nõ potest nõ esse iusta, terminus est punitio, h. e. peccatoris passio: vt pro dignitate cõmissi, patiatur aliquid: ideo diximus suprà ποινὴν græcis significare ἀντισήκωμα, hoc est, cõpensationem,

Variæ pœnarũ species.

III. Species pœnarum variè instituuntur.

1. Apud Iuriscons. enumerantur ex veteri iure octo pœnarũ species, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, seruitus & mors.

2. Apud Philos. magis vsurpata est illa partitio, pœnam aut esse νουθεσίαν, hoc est, amicam correctionẽ quæ verbis fit, sine ampliori damno. Aliam esse τιμωρίαν, quæ damnum habet adiunctum, aut esse παράδειγμα, cui annexa est ignominia.

3. August. illa est lib. 21. de ciuit. Dei. cap. 13. Alij puniuntur nunc tantùm, alij tunc, alij denique & nunc & tunc puniuntur. Sed deest quartum membrum in hac distinctione, scil. eorum qui nec nunc nec tunc puniuntur. Itaque quatuor illa membra in duo recidunt hoc modo. Alij hîc tantùm puniuntur, alij nec hîc, nec post hanc vitam, quæ duo electorum sunt. Reliqua duo ad reprobos spectant, quorum aliis pœnæ differuntur in futurum seculum: aliis hic initium habent, continuabuntur autem post hanc vitam.

Pœnæ præsentis vitæ & futuræ.

4. Sic igitur distinguamus pœnas. Respectu temporis, pœnæ duplices sunt, aliæ huius vitæ ac temporis: aliæ post mortem demum metuendæ.

Huius vitæ pœnæ temporales dicuntur, ac sunt bipartitæ, aut enim hic puniuntur boni, aut reprobi. Bonos intelligo electos, Reprobos verò damnandos.

Ac quod electos attinet iustæ quoq; sunt illorũ pœnæ quod Deũ gubernatorẽ illarũ attinet.

1. Differunt autem gradibus, aliæ enim sunt nudæ quædam correctiones, hoc est, παιδεύσεις, vt in Dauide corrigitur præsumptio, adulterium, dubitatio, & similia delicta, exilio, seditione, peste, aliisque modis. Talia sunt exercitia crucis.

2. Aut sunt μαρτύρια, hoc est, testimonia confessionis, & obedientię, quam Deo debẽt. Hinc Martyres dicuntur, & mortes illorum Martyria, quia testimonium veritati exhibuerunt, quòd sanguine & vita confirmarũt. Impiorum verò & damnatorum pœnę, planè sunt παραδείγματα, vt in Caino, Sodomitis, Saule, Iuda & similibus. Statuit enim in his seueritatis suæ exempla Dominus, quibus declarat quale iudicium maneat impœnitentes. Ac sunt piorum quoque calamitates παραδείγματα, sed demonstrãt quid nobis sequendum sit in confessione ac constantia sub cruce. Vide locum de cruce.

Pœnarum igitur in summa duplex est ratio. Aliæ huius vitæ, aliæ futuræ. De huius vitæ pœnis quæri solet, an omnes à Deo gubernentur, an vero quodam casu eueniant.

1. Quæstio an casu eueniant.

Epicuri, Plinij, aliorúmque hominum est sententia, casu illas errare: & excogitatas ab hominibus, vt mundum metu pœnarum, & numinis terrore in eo ordine continerent.

Nos quidem fatemur, homines etiam pios multas calamitates sibi accersere peccato suo, & imprudentia: tamen in his etiam malis pœnarum Deus euentum & modum gubernat. Itaque sic statuamus, Nullas planè pœnas seu calamitates euenire tam impiis quã piis in hac vita, quin certo Dei consilio gubernentur, adeóque omnis casus ac temeritas ab his procul abest.

Deus omnium calamitatum author.

Primùm enim scriptura omnes has calamitates ad Deum authorem refert, vt Amos 3. cap. *nõ est malum in vrbe, quod non fecerit Dominus.* Quo loco, malum de pœnis omnes interpretantur, vt sit sensus, nullas esse calamitates pœnales in vrbibus, quin Deum habeãt authorem. Ex quo efficitur nullas casu errare.

Deinde Ioël. cap. 1. locustas, erucas & similes pestes vocat exercitum Domini, quia illa militãt contra hominum peccata. Nec grassantur alibi, quàm quò eos immiserit. Ex quo etiam illud manifestum fit, famem, pestem, & similia à Deo gubernari, & certo consilio immitti.

3. Accedũt exempla, vt in Caini pœnis, Dominus inducitur iudex & actor, sic in diluuij historia, in Sodomorum clade, & similibus pœnis, Dominus malorum est moderator.

4. In definitione quoque expressimus, Dei esse hanc castigationem, & quidem iustam: quòd sic intelligimus, Deo authore & moderatore illa accidere.

Omnis pœna peccatũ habet antecedẽs.

5. Et in ratione nominis addimus, Omnem pœnam habere peccatum quoddam antecedens, quod est causa mouens. Hinc Iurisconsulti quoque dicunt pœnam non esse sine fraude, hoc est, sine peccato: fraudem autem sine pœna esse posse: hoc est, pœna semper respicit peccatum antecedens: peccatum autem interdum caret sua debita pœna: quæ si vera sunt, omnium pœnarum reddi potest ratio, scil. peccatum aliquod, siue hoc sit notorium, siue occultum. Si autem reddi potest ratio procul abest casus, quia is dominatur in his, vbi ratio deest.

Finis. Plato in Protagora.

6. Plato etiam dicit omnium pœnarũ vtilem esse finem. Primùm enim punitur peccator, ne amplius peccet. Deinde vt alij suo exemplo fiant cautiores. Et in Gorgia quoque, punitum oportere reddi meliorem, & alteri prodesse exemplo, ne in easdem cadat pœnas. Quod si dicas impios non reddi meliores vllis pœnis, ideóque finem hunc non retineri, Respondemus si illi sanari non possunt, tamen aliis prodesse exempla pœnarum: ideo Plato rectè constituit duplex peccatorum genus.

Plato li. 5. de legibus.

Quidã peccatores sunt ἰάσιμοι, sanabiles, qui admoniti pœnis facilè emendãtur. Alij ἀνίατοι insanabiles, οἱ τὰ ἔσχατα hoc est, extrema quæque perpetrant, quales sunt tyranni, de quibus inquit, τὰ μέγιστα, ὀδυνηρότατα καὶ φοβερώτατα πάθη πάσχοντας τὸν ἀεὶ χρόνον, qui perpetuas, maximas, crudelissimas, & maximè horrẽdas pœnas patiuntur. Qualis est Sisyphus, Tantalus, & alij apud inferos. Itaque in quibusdam alter finis obtinetur. h. e. vt atrocitas pœnarum æternarum aliquos

quos alieno exemplo corrigat. In quibusdam verò finis vterque monstrari potest, hoc est, vt & ipsi corrigantur & aliis exemplo prosit pœna.

Si de piis excipias, quos pœnæ immeritò obruant, & præter meritum affligant, ideóque his casu, non Deo volente immitti.

Respondemus homines quidem in eo errare sæpe, quòd bonos malè, & malos benè tractet, interim Dei consilio bonis quoque mala omnia euenire: si enim numerati sunt capilli: cur non vitæ dies? cur non omnis illorum fortuna, cum aduersa, tum prospera? Itaque sic statuamus, omnes homines consilio Dei in hac vita certis affici pœnis, adeóque id verum esse: Boni bono fine affliguntur, mali suo quidem exitio æterno, interim quoque fine bono ad stabiliendam iustitiam Dei, & odium contra peccatum.

Superest, vt de pœnis post hanc vitam agamus.

IIII. Primùm hic considerandum est, ad quod spectent. Respondemus si natura nostra consideretur, illas ad nos omnes spectare. Ratio est, quia omnes in pœna æterna nascimur, quam ex Adamo omnes habemus tanquam debitum primæ transgressionis. Et si aliqui ex hac eximuntur, totum hoc esse gratiæ, quæ quidem nulli est debita, sed gratuita omnibus, vt gratia verè sit, quod dicitur gratia. Hinc est quod Apost. ad Rom. 3. dicit, *Omnes peccauerunt, & egent gratia Dei.* Et ad Eph. 2 *Natura sumus filij iræ.* quæ ratio nos omnes subiicit pœnis æternis, quòd naturam attinet. Si autem spectetur gratia Mediatoris, Filij Dei, tum iustæ pœnæ ad solos damnatos spectabunt, vt inquit August. episto. 28. Omnes qui sine hac gratia Saluatoris, in qualibet corporis ætate de corpore exeunt, in vltimo iudicio recipiunt corpus ad pœnam. Ad quos.

Deinde quæri solet qualis sit hæc pœna. Respondemus humano ingenio inexplicabilem esse, adeo vt nulla vnquam dira Martyrum supplicia tanta sint excogitata, quæ his vllo modo respondere possint. Scriptura tamen vocibus humanis satis atroces facit, vt quod ignem vocat, quo nil est voracius: tenebras, quibus nihil est tristius, fletum, stridorem dētium, vermem semper arrodentem & similia. Et hinc rotas, serpentes, sitim, cruciatus, laniatus vulturum, carnificinas, apud inferos quoque indicibiles expresserūt. Pindarus vocat πόνον ἀπροσόρατον, hoc est, cruciatum visu quoque intolerabilem. Qualis sit futura pœna reproborū post hāc vitam.

In his malis, nonnulli gradus quosdam excogitarunt: quod figmentum alibi refutauimus, cùm de igne purgatorio ageremus. Ex Patribus quidā reperti sunt qui pœnas has ad conscientiam peccatorum tantùm referrent, quam scriptura ignem & vermem vocet, & quia conscientia mille testium est, sola etiam semper metuitur à sceleratis, adeo vt quāuis aliquando tyrannos fortuna liberet à pœnis externis, tamen eosdem non possit liberare à metu. Alij tamen ad corporis quoque tormenta trahunt, quæ impij sensuri sint. Et iusta videtur ratio, cùm anima non sine corpore peccarit, par est vt corpus cum anima pœnas luat. Vide Hieron. in cap. 66. Esaiæ, & Aug. lib. 21. Ciuitat. cap. 9.

3. Porrò quæstio hic magna oboritur, An æternæ sint futuræ pœnæ, an vero aliquando tandem finiendæ.

De quo respondemus de eo statuere non esse humani iudicij. Deus est qui leges dedit, & in quem peccatum est commissum, huius solius est de pœna, qualis, quantáque cuique culpæ esse debeat, statuere. Itaque humana ratio frustra hîc sibi blanditur. Æternum igitur fore cruciatum statuendum est, quia Scriptura hoc dicit 2. Thes. 1. v. 9. *Interitus æternus* dicitur. Matth. 18 v. 8. πῦρ αἰώνιον dicitur. Sic Marc. 9. v. 43. & 44. *ignis inextinguibilis.* Et in Apocal. 14. v. 11. *Cruciatus illorum ascendet in secula seculorum.* Et apud Esa. 66. *vermis illorum non morietur*, & alia his similia, quæ euidenter euincunt pœnas has fore æternas. Pœnæ reproborū æternæ.

Hanc veram sententiam qui impugnarunt, alij aliis rationibus & argumentis vsi sunt.

Origenes & illum secuti amplitudinem misericordiæ Diuinæ causati sunt, quam nos libenter infinitam, & multis modis peccatum superare dicimus. Sed eadem misericordia, iustitia est munita, adeo vt non omnibus peccatis in genere exposita sit misericordia, sed iis demum quæ vera pœnitentia deflentur. Interim iustitia Dei manet salua, vt irascatur peccato, eíque nunquam reconcilietur in reprobis & contumacibus, qui Deum vel non norunt vel Euangelio non credunt. Nec possunt superiora testimonia subsistere, quod scil. ignis inextinguibilis sit, & vermis nunquam moriatur. Itaque nunquam finientur. 1. Origenes.

Afferunt alia argumenta ex Philosophia deprópta, quale est à natura corporum in hac corrupta natura, quo vtitur Cicero lib. 3. de natura Deorum, Omne corpus quod dolorē recipit, mori potest, Dolent autem illic corpora: Ergo mori poterunt. Respondemus falsum esse complexum illud in futura vita, quia illic donabuntur corpora immortalitate, ideo de illis non statuendum est, secundùm naturam corporum huius vitæ. Argumētum Ciceronis infirmū.

Deinde addimus hoc quoque, corporis non esse proprium dolere, sed animæ potius, Ratio est, quia corpus ab anima separatum non dolet. Itaque animæ potiùs proprium est dolere, quemadmodum sentire. Dolet autem in corpore vt organo, ideo Physicum corpus organicum statuunt Philosophi, quia anima eo vt organo vtitur. Non propriè dolet corpus sed anima.

Ex quo etiam illud effici potest, dolorem sentire non esse argumentum corruptionis. Causa est, quia anima sentit & dolet manens immortalis. Itaque non valet argumentum, Dolet, Ergo

mori potest, quia de anima planè falsum est, Cur ergo de corporibus post hanc vitam valeret?

Addunt etiam hoc, Pœna non debet esse maior ipso delicto, sed delicta temporalia sunt: Ergo etiam pœna non potest in æternum extendi. Respondemus maiorem falsam esse, nam in ciuilibus quoque pœnis non seruatur hæc æqualitas.

Nam latro vna hora occidit viatorem, qui tamen multis horis cruciatur, itaque hîc non quęrenda est temporis æqualitas, sed potiùs expendenda est sceleris grauitas.

Colligamus igitur potiùs sic, Deus semper irascitur impœnitentium peccatis, Ergo semper punientur: Item, dolor semper durabit: Igitur corpora semper sentire dolorem poterunt.

Alij opinati sunt Sanctorum intercessione omnes tandem esse liberandos, quos confutat Augustinus lib. 21. Ciuit. cap. 24.

Alij Sacramentorum dignitate tolli posse pœnas, quos idem confutat capite 25.

Sic eleemosynis expiari posse, quos cap. 27. refutat & alios similes errores, quos quia satis abundè iis capitibus confutauit, ideo huic loco finem imponemus.

DE VIRGINITATE.
LOCVS CXLV.



RIA reperio vocabula, quibus Hebræi virginem exprimunt *nagnara*, *betula*, *gnalma*.

1. Ex quibus *nagnara* dicitur à *nagnar* iuuene, cuius radix est *nignen* significans, velociter se mouit, nam ætati huic imprimis conuenit concitatus motus, agiles sunt adolescentes & virgines, si ad animum referas mobiles quoque affectibus, quos Græci εὐκινήτους vocant.

2. Significat eadem dictio, seruum, ministrum, cuius propria est virtus in officio expeditum & agilem esse, & filium qui parentibus omnem obedientiam debet.

3. Hinc per metaphoram dicitur *nagnar* puer, non tam ætate, quàm iudicio, quales græcis dicuntur νήπιοι, & Latinis infantes ac pueri. Hinc est quod Aristo. dixit non tam referre an auditor Ethicus, annis vel iudicio puer sit: significans in senes interdum cadere hoc vitium. Con-
[1. Ethi.] gruit hoc etiam virgini, quæ *nagnara* dicitur, tum ab ætate, in qua agilitas corporis & animi dominatur, tum ab animi simplicitate, quia minimè curiosa & astuta laudatur virgo, videtur enim talis aliena à corruptione.

2. *Bethula* dicitur virgo, indubiè à *bat*, hoc est, filia seu *bathal* quod significat idem quod *batal* otiosus fuit, quia virgini otium competit, & immunitas à cura rei domesticæ, ac rebus venereis, à quibus cessat, hoc est, otiosa est & secura. Hinc *bethule* signa virginitatis, Deu. 22. ver. 15. Proferant parentes scil. puellæ linteum in quo conspici possint sanguinis guttæ, quæ sunt *bethule*, hoc est, signa virginitatis.

3. *Gnalma*, virgo, quia abscondebantur, hoc est, domi retinebantur ne euagarentur, & id quidem toto tempore, imprimis autem quantò nuptiis viciniores erant, nam periculosum est tales euagari, quod testatur exemplum Dinæ. Id græcis in more fuisse etiam testatur carmen
[Exemplum Dinæ.] παρθένον δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι, μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσσῃς, κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσι. h. e. virginem custodi bene munitis thalamis, nec illam vsque ad nuptias ante domum conspici patiaris. forma, res custoditu difficilis est filiorum parentibus.

Deinde, competit illis hæc ratio, quia tectæ h. e. incognitæ debent esse maritis, vt enim maritata cognoscitur, & detegitur à marito: Sic virgo *alma* hoc est, bene tecta, minimè denudata adhuc. De virgine nondum nupta expressè dicitur. Gen. 24. de Rebecca. Et Exod. 2. vers. 8. de sorore Mosis, iuit *haalma* & vocauit matrem infantis, sic accipi debet Esa. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, hoc est, nondum nupta, quæ viro nondum cohabitat. Nam miraculum ibi describitur, ideo nouitate rei omnes excitat, Ecce, & addit emphaticè articulum *ha*, inde apud Ier. 31. dicitur, *Res noua quam Dominus sit facturus.* quibus omnibus non esset opus, si *alma*
[Alma.] hic iuuenculam significaret, quæ posset esse etiam non virgo. Ideo Græci hic rectè verterunt παρθένον, vt emphasim seruarent, quoque dixerunt ἰδοὺ ἡ παρθένος. Iudæi certè harum vocum discrimen eodem pacto annotarunt vt *nagnara* dicatur ratione ætatis, nec sit ideo necessum, simul virginem esse. *Bethula* verò ratione virginitatis, vt non sit opus iuuenculam esse, sed anus etiam modo casta sit, sic dicitur. *Gnalma* autem vtrunque complectitur, & virginitatis florem, & ætatis. Itaq; aptissimè Isaias matrē Messiæ non *nagnara*, nec *bethule*, *sed gnalma* vocauit, quia iuuencula & simul castissima debuit esse virgo.

Apud Græcos παρθένος dicitur si credimus Grāmaticis παρὰ τὸ παραθέειν τῇ μητρὶ, quia forma matres vt plurimū excellunt, deinde optabiliores sunt ad matrimoniū. Alij διὰ τὸ παρακαθέειν τὴν ἡλικείαν, hoc est, quia ætatem infantilem egressæ sint, significantes παρθένον illam dici quæ nubilis esse possit. Eustath. aliam affert rationem in λ. Odyss. παρθένος inquit dicitur ἡ ἐστερημένη τοῦ θεῖσθαι ἤγουν θηλάζειν, hoc est, quæ nondum lactat.

[Virgo di] Latini virginem à vigore ætatis, hoc est, à velociore ætate vocarunt. Est autem vigor & flos ætatis

ætatis circa annos nubiles, sed quid si à viro dicatur, vt virago, hinc per crasin virgo, quasi viro iam apta. Qualis apud Græcos μελλανδρα propriè dicitur, hoc est, virum expectans.

citur à vigore ætatis, vel à viro.

II. Hinc deriuata est virginitas, hoc est, castitas corporis & animi. August. definit, quòd sit in carne corruptibili, incorruptibilis meditatio. Nos sic definimus, virginitas est animi virtus Dei dono quibusdam concessa ad libidines frænandas, vt casto corpore & animo meliùs pietati vacare possint. Animi virtutem dicimus, quia est virginitas quædam infantiæ in qua singuli nascuntur, de qua non possumus iudicare, quid possimus & velimus, donec ætate succedente tentationes & incendia carnis suborta fuerint. Donum autem Dei asserimus causam efficientem notantes veram, quanuis enim natura nascamur virgines, tamen non durat illa virginitas, nisi in his qui habilem à Deo accipiunt ad castitatem naturam. Ac donum esse ostendit manifestè Apost. 1. Cor. 7. vers. 7. Libidines autem frænare debet, quia obiectum huius virtutis est libido, quæ in vitio est, & respicit tam corporis pollutionem quàm animæ.

Definitio virginitatis.

Causa efficiens.

Proinde Augustinus rectè reprehendit eos qui castitatem definiebant, quòd esset cohibitio libidinum corporis. Ratio est quia libido etiam animi est, quam & ipsam cohibet castitas. Ideo addimus in definitione ad veram virginitatem requiri castum pariter corpus & animum, quod probatur testimonio Apost. 1. Cor. 7. *vt sit sancta corpore & spiritu.*

Quod vltimo loco addimus, ad finem pertinet virginitatis, qui est Deo meliùs vacare, quod Apostolus dixit decenter & indiuulsè adhærere Domino.

Ex his, de causarum ordine iudicari potest. Efficiens causa est Dei donum, quod Apostolus dixit. 1. Cor. 7. Et Dominus Christus. *Non omnes capiunt verbum hoc:* & agnoscit August. epist. 89. *Nemo potest esse continens nisi Deus det:* & in solutionibus quæstionum Hilarij, quæst. 1. *nemo potest esse continens nisi Deus det.* Iubet ergo continentiam per legem, dat per gratiam. Iubet per literam, dat per spiritum. Forma est animi virtus, hoc est, certus habitus, in quo voluntas sic obtemperat rationi, vt libidini constanter resistat.

Forma.

Materia est libido tam corporis quàm animi, hoc est, venerea tentatio, qua corpus polluitur, & illius cogitatio, qua animus inficitur, & idololatria seu cultus idololatricus: vtrunque tam corpus quàm animum inquinamus.

Materia.

Finis est, sanctiùs vacare Deo: hoc est, pietate, oratione, vita, moribus, officio, rectiùs inseruiuire Deo & proximo.

Finis.

III. Christus, Matth. 26. diuidit virgines in prudentes & stolidas.

Diuisio.

1. Prudentes sunt quæ sponsum vigilanter & prudenter expectant, illíque occurrunt, instructæ rebus necessariis, hoc est, oleo, quæ fidem declarat, & dilectionem. Stolidæ autem quæ oscitanter eum expectant, & occurrunt: non instructæ: carent enim oleo, hoc est, vera fide & dilectione. Ex quo intelligimus, virginitatem aliam esse veram, aliam verò hypocriticam.

2. Veram describit Augustinus Psal. 17. Quæ est virginitas? integra fides, solida spes, & syncera charitas. Tales virgines habemus Apocal. 14. *quæ sequuntur agnum,* & 2. Cor. 11. Corinthiorum Ecclesiam Christo destinauit vt castam virginem.

Alia definitio virginitatis.

3. Communis est illa diuisio, aliam esse corporis, aliam animi. Corporis est quæ illibatum retinet corpus, caret nuptiis, & omni congressu venereo, de qua loquitur 1. Cor. 7. de virginib. autem, præceptum non habeo. Animi autem dicitur mentis castitas, non solùm à rebus venereis, ab idololatria & similibus quę scortationem specialē inducunt, quò pertinet locus 2. Cor. 11. iam citatus. Hieronymus in Apolog. distinguit in primam & secundam. Prima est quam à natiuitate habemus, sic omnes virgines nascimur. Secunda autem quam dat secunda natiuitas, hoc est, regeneratio, eáque tum ad corpus, tum ad animum refertur.

Tom. 3.

Apostolus 1. Corinth. 7. duas integrales facit virginitatis partes, vt sit casta corpore & spiritu, quasi diceret, non satis esse profiteri virginitatem corporis, nisi mens etiam libera sit à venereo congressu.

Addamus nos hanc etiam distinctionem. In sacris literis aliquando propriè dicitur de castitate corporis: aliquando metaphoricè de animæ integritate: exempla iam suprà vtriusque indicauimus.

Quando per metaphoram sumitur, vel sanctis tribuitur, ídque vel vni membro Christi, vel toti corpori. Vni membro, vt 1. Cor. 7. Apostolus omnes optat esse, vt ipse erat, virgo. De tota autem Ecclesia. 2. Cor. 7. *Desponsaui vos vni viro, vt castam virginem,* & Apocal. 14. *Virgines sunt, & sequuntur agnum.* Continet hæc virginitas maritatas fœminas, & vxoratos viros, de quo vide August. Serm. 23. in Euang. secundùm Matth.

Tom. 10.

Aliquando abusiuè dicitur de aliis cœtibus qui ad Ecclesiam Christi non poterant accenseri, vt Esa. 47. *Babel virgo dicitur.* Ierem. 46. *Ægyptus*, & similia exempla alibi occurrunt. Fortè talia regna virgines dicuntur, quia imperium tenebant tum, nondum euersa erant, amisso autē imperio, virginitatis nomen amittunt, Esa. 37. Filia Sion virgo dicitur, *Subsannabit te Virgo filia Sion:* sed alia ibi reddi potest ratio, quòd vni Deo, & cultu vero esset desponsata, vt virgo vni sponso. Sed mittamus ista.

Cur regna virginitatis dicūtur.

IIII. Quæri hîc solet, an corporis virginitas rectè exigatur ab his, qui religione sese obstringunt, hoc est, an votum virginitatis licitum sit. Respondemus peccari hic multis modis.

De voto

Virginitatis an sit licitū.

Primùm, quia votum hoc sine respectu imponitur omnibus: deinde quod insolubile maneat, quanuis experientia doceat, obstrictos voto tali minimè habere donum virginitatis. Denique quod in speciem tantùm seruatur, putántque satis esse abstinere à coniugio ac nuptiis: interim scortantur, ac libidinem explent. Accedit atrocissimus error, quo interim meritum sub hoc prætextu quærunt apud Deum.

Contra votum igitur hoc, primùm ponimus Apostoli sententiã, qua ostendit non esse præcepti, sed consilij, 1. Cor. 7. *de virginibus non habeo præceptum.* Malè igitur nostri faciunt, præcipiendo potiùs quàm consulendo. Deinde quia ibidem scribitur: *Si nupserit, non peccat*, id professis religionem dicit: quare non debet his vt lex imponi. Tertiò, quia status ille per se, nos non commendat Domino. Alioquin omnes virgines Deo placerent, quòd falsum est: imò superba virginitas ne hominibus placere potest. Hinc August. grauiter dicit, Melius est humile coniugium quàm superba virginitas.

Donum etiam Dei est, ideo omnes ad vnam regulam alligari non possunt, quia donum in his dissimile est. 1. Corinth. 3. aut igitur eligant solum doni capaces, aut votum imponatur non insolubile.

In veteri lege nullum datum est virginitatis præceptum.

Deus quoque suo populo non dederat præceptum aliquod virginitatis. Mirari ergo possis, cur nouæ Ecclesiæ sub Christo imponatur: quòd si dicas tum valuisse præceptum multiplicationis, iam verò castitatis: id non aliud est quàm petere principiũ. Quærimus enim cur iam valere debeat castitatis regula: nec satisfacit tum non valuisse propter Messiam, cuius natiuitas expectabatur adhuc, quem singuli optabant ex se nasci. Ratio est, quia promissio illius ad lineã Dauidis solum pertinebat, cùm interim omnes tribus pari vterentur lege propagationis.

Et Apostolus non vult vt cedat ad laqueum, hoc est, vt plus periculi quàm commodi sit hinc metuendum. Est ergo in quibusdam magis laqueus: ideo his non debet imponi.

In matrimonio quoque casti esse possunt. Hinc casta Ecclesia, quæ maritatas habet, & vxoratos, vt ait August. & idem, Quæ est virginitas, miraris? integra fides, solida spes & syncera dilectio.

In multis etiam finis virginitatis non potest retineri, sed amittitur. Qui donũ enim non habent non possunt decentius & commodius Domino adhærere, imò impediunt in eo cursum, igitur is non debuit indiscriminatim imponi votum. Hinc Apost. ad vitandam turpitudinem ac infamiam concedit, vt si quis suæ virgini turpe iudicarit sic manere, vt eam elocet, &c. plura vide in loco cœlibatus & matrimonij ministrorum.

Excipiunt illi hoc loco, primùm quod Apostolus hortatur ad illam. 1. Cor. 7. *Volo omnes esse vt ego sum.* Negamus hoc, nam verbum θέλω hoc loco non est imperantis sed optantis. Ad quid enim diceret mox, *sed quisque suum habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic*, si simpliciter omnes sibi similes vellet esse? pugnaret sibi Apostolus. Non enim præcipit omnibus vt illi similes simus, sed optat potius. Deinde cur optat, διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην, quia ad persecutiones expeditiores erant soluti quàm coniugati. Tolle necessitatem hanc, hoc est, Da pacẽ Ecclesiæ, & non erit, cur omnes tales esse oporteat.

Soluti ad persecutiones sunt expeditiores quã coniugati.

Deinde Christus, Matth. 19. *ait quosdam se castrare propter regnum Dei.* id illos non iuuat: vera enim virginitas id præstat, sed ab illa quàm sint remoti hodie declarant, quia votum non seruant, non prædicatur fœlix qui bene cœpit, sed qui perdurauit vsque ad finem. Seruent igitur virginitatem & concedemus quòd propter regnum Dei se castrarint.

Sed ait ibidem Dominus Christus, alios natura esse Eunuchos, alios, quos vis hominum tales faciat. Quid si ex illo postremo sint genere, quos nec natura nec voluntas, sed vis hominum castrauit?

Addunt ex Apostolo, Virgo curat quæ Dei sunt, nupta verò quæ sunt mundi.

Respond. Apostoli argumentum ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ concludere.

Petrus enim vxoratus nõ curauit ea quæ sunt mundi, & contrà impuri monachi in cœlibatu, cùm scortantur, non curant quæ sunt Dei. De veris virginibus igitur concludit argumentum. Illæ seriò curant quæ Dei sunt. Hinc Petrus 1. epist. 3. Patrum vxores non dubitat sanctas appellare.

4. Sed inquiunt, melius tamen facit non elocans, quàm is qui elocat.

Quo sensu dictio melius accipi debeat.

Respondeo melius dici respectu temporum, quæ plena erant periculis διὰ τὴν ἐνεστῶσαν ἀνάγκην. Alioquin status ille nos per se Deo commendaret, quod falsum est. Vide locum, vt à nobis 1. Cor. 7. explicatus est.

Casta virginitas sine Dei dono seruari non potest.

5. Ad finem remedia virginitatis repetamus. vt enim castè seruetur casta virginitas, sciendum est in primis hoc donum esse Dei sine quo omnis conatus frustra suscipitur, adeo vt castrati etiam sine dono, virgines non maneant.

Id ideo verum est, vt Hieronymo quoque displiceat virgo tabernaria, & quæ institorias exercet artes. Nescio, inquit, an corpore, certè spiritu suo virginem non permanere. Quid igitur dices de his quos vis hominum castrat? Certè quod corpore non animo peccãt. Itaque diligenter quisque se probet, quantum per gratiam præstare possit.

Deinde rarus sit egressus, corrumpunt bonos mores colloquia praua. Vide Hieron. epist. 67.

Ter-

Tertull. de velandis virginibus,& in exhortatione ad castitatem.

3. Addunt moderatum cibum,vt venter nunquam sit expletus. Quotidiana ieiunia & refectionem quæ saturitatem nesciat. Hieron.epist.44.

4. Admonuit D.Hieronymus,ne vinum quoque gustent. Nam vinum veneno esse sponsæ Christi, Vinum & adolescentia,inquit,duplex incendium voluptatis, quid oleum flammæ adijciemus? quid ardenti corpusculo fomenta ignis ministramus? In his si exerceat se is qui virginitatem Dei non hominum consilio profitetur,indubiè sentiet illa non modicam afferre vim continentiæ. vide August. Hieron. Tertull.

DE COELIBATV.

LOCVS CXLVI.



DE Cœlibatu acturi,illa tria excutiemus. Primùm,an sit res præcepti. Deinde ad quos pertineat. Tertiò, quomodo se habeat ad matrimonium,detrahátne ei, nec ne. Ad ista hoc vtemur ingressu. Cœlibatum esse vitæ statum extra legitimũ matrimonium,qui in totum omni consuetudine muliebris concubitus careat, adeò vt & corpore & spiritu castitatem conseruet,veréque, quod scribit Apostolus, curet illa quæ Domini sunt, & non illa quæ mundi. Hic verus est cœlibatus. Eius proprium bonum est virginitas. & quanquam solum in cœlibatu conseruari possit, attamen non solæ virgines cœlibes sunt:cum viduos & viduas etiam complectatur. Castitas verò ἁγνότης generalis est. Nam in matrimonio quoque castitas esse potest, cum virginitas & cœlibatus esse non possit,si modo matrimonium est re,quod nomine dicitur. Definitio cœlibatus

1. Ex quibus efficitur non satis esse ad cœlibatus defensionem,vitam illi extra matrimonium assignare,sed mentis integritatem necessariam esse. Hinc Augustinus alibi inquit, Quid prodest integra caro,mente corrupta? melius est humile coniugium, quàm superba virginitas. Psal.22. Et libro de continentia:Sine dubio angustius eam metiuntur, qui solas libidines corporales cohibere definiunt:meliùs profectò illi,qui non addunt corporis,sed generaliter libidinem regendam dicunt,ad continentiam pertinere:nec tantùm est corporis,sed & animi. Cap.13.

Itaque hodie grauiùs peccant,qui ad cœlibatus defensionem satis esse dicũt, carere honesto coniugio:interim scortari & libidinari impunè permittentes. Sed illa tria concurrant oportet: carere matrimonio,deinde castum retinere corpus ab omni scortatoris specie. Denique spiritum quoque integrum & mentem retinere impollutam. Hic demum Deo gratissimus est cœlibatus,& virginitas cuius corona immarcescibilis est in cœlis reposita. His ita constitutis, pergamus ad ea quæ constituimus. Ad verũ cœlibatum tria concurrere debent.

Ac primùm dicimus rem non esse,præcepti certi,sed cuiusque arbitrio & electioni relictam: quæ electio tamen se suámque voluntatem ad modulum proprij doni examinare debet. Non esse præceptum cœlibatum.

I. Ac præcepti non esse,inde probamus:quia in veteri Testamento, cœlibatus nulli statui præceptus est,non sacerdotibus,non pontificibus,non prophetis,non regibus,non laicis. Igitur in genere de cœlibatu seruando alicui hominum ordini,tum non extabat præceptum.

Deinde in nouo Testamento,Christus liberum relinquit. Matt.19. *non omnes capiunt verbum hoc,qui potest capere,capiat:* non præcepit Apostolis, futuris ministris Euangelij, non reliquis suis sectatoribus,sed qui potest capere capiat:relinquatur igitur liberum, & qui potest capiat. Liberũ esse oportet cœlibatum.

Tertiò, Apostolus,1.Cor. 7. cùm de virginibus & cœlibatu agere expressè dicit: *Praeceptum Domini non habeo,sed consilium do*, vel pronuntio quod sentio: non est igitur ἐπιταγὴ, sed est γνώμη, hoc est, sententia ex æquo & bono, quod dicimus salubre consilium,certis personis propter certas causas accommodatum.

Quartò,idem Apostolus.1.Tim.5. viduis non præcipit viduitatem, sed vt irreprehensibiles sint:hoc igitur præstent:quòd nisi possint aut velint,habent mandatum Apostoli ibidem,vers. 14. *iuniores autem volo vt nubant*,eodem pacto mandat ad Tit.cap. 2.castitatem enim illic ab eis requirit vt sint ἁγναὶ,quod si non possint, vult esse ὑπάνδρους, hoc est, in honesto matrimonio viris legitimis subditas.

Itaque ex veteri & nouo Testamento non potest demõstrari cœlibatum diuinitus esse præceptum alicui hominum ordini. Nulli hominum ordini præceptus est cœlibatus.

II. Proximum est, vt videamus ad quos pertineat cœlibatus. Quamuis enim præceptum non sit, verum tamen est donum esse Dei ,& rarum quidem, interim esse quosdam qui id capiant.

Hodie qui hoc argumentum defendunt,omnibus sacerdotibus tanquam necessarium præceptum imponunt,vt nulli sacra administrare liceat nisi cœlibi. Nos contra dicimus,cœlibatum paucorum esse,nec referre laici ne sint, an clerici. Si roges, quinã isti pauci sunt? Respon- Sacerdotibus papisticis

præcipitur cœlibatus item Dei verbo.

deo, eos esse, qui donum illius habent: in his fortè ratio erit præcepti, in reliquis minimè. Ac quod non promiscuè omnes sint ad cœlibatum cogendi, hinc constat.

1. Christus Matth.19. inquit, *Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere capiat.* Sunt igitur qui non capiunt, imò nec possunt, si maximè velint. Ac dicat nobis aliquis, quinam sint illi, non omnes: laicine an etiam sacerdotes? vtique & sacerdotes. Experiētia enim clamat non omnes sacerdotes capere verbum hoc, peccant igitur in sententiam Christi, qui cœlibatum ab his exigunt, qui illum nec possunt capere, nec à Christo ad eum capiendum compelluntur.

Non omnes, sed pauci dono cœlibatus ornantur.

Deinde rem esse liberam, & proprij iudicij, Christus ibidem declarat. *Qui potest capere capiat,* non præcepit Dominus, sed in medio relinquit, hoc est, certos quosdam hoc dono ornatos esse significat, qui soli hoc verbum capere possunt.

Tertiò, Apostolus.1.Cor.7. fatetur se non habere præceptum de virginibus seruādis, hoc est, nihil quod vniuersaliter omnibus hic mandet. Cùm enim, inquit, præceptū Domini non habeo, intelligo vniuersale: nam particulare fortè habebat: qui enim donum cœlibatus habet, vtique hinc mandat, vt eo dono vtatur, nec se illo indignum reddat.

Quartò, ibidem inquit Apostolus, *quisque proprium donum habet à Deo, vnus sic, alius verò ita.* ex quo efficitur, nō vnū omnib⁹ imponendū, ratio, quia diuersitas doni, diuersitatē vitæ efficit.

Quintò, Apostolus bonum æstimat sic esse, propter instantem necessitatem: hanc si tollas, nō erit locus consilio: tolli autem potest in multis: nam illa necessitas non impediuit Petrum, aliósque Apostolos qui vxorati fuêre, non Nazianzenum, non alios infinitos, &c.

Sextò, libera est apud Apostolum vtriusque electio, 1.Cor.7. *alligatus es vxori, ne quæras solutionem, & si duxeris vxorem, non peccasti. Virgo etiam si nupserit, non peccauit:* itaque vniuersale non est statuendum decretum.

1.Cor.7.17. 7. Quisque ambulare debet, vt illi partitus est Deus & quisque in ea vocatione, qua vocauit illum Dominus, manere debet. At non omnes ad cœlibatum vocauit, non omnibus sacerdotibus hunc dedit. Peccant igitur in sua propria dona, qui aliter ambulare volunt.

1.Cor.7.35. 8. Apostolus accommodat consilium suum ad commodum auditorum. at qui donum virginitatis non habent, his commodum esse non potest: incidunt enim in tētationes, in flammas quas ferre non possunt.

9. Apostolus consilium suum tanti non facit, vt velit piis inijcere laqueum, hoc est, in periculum scortationis & similium scelerum deducere. Quare virginitas nulli debet simpliciter esse laqueus: est autem illis laqueus quos scortatores facit, cùm possent sine peccato esse mariti: & saluari, cum in virginitate ficta damnentur.

10. A fine idem efficitur: nam cœlibatus finis est, vt Deo decentiùs & rectiùs adhæreant homines: quo sublato, tollitur vsus cœlibatus. At quanta pars hodie in professione castitatis, nec decenter, nec indiuulsè Domino adhæret? imò petulantia, libidine, & scortationibus, nomen Domini, ignominia aggrauant?

Hoc efficit vniuersale castitatis votum, quod promiscuè omnibus imponi solet. Nec ista dicimus in odium castitatis: sed vt ostendamus rem esse paucorum, & cuiusque arbitrio relinquendam.

Plures olim cœlibes cū pietatis arderet studiū, & persecutiones frequentiores.

Ac reperiuntur semper pij, qui illo dono laudabiliter vtuntur: olim etiam frequentius fuit inter Christianos, cùm pietatis arderet adhuc studium, & crebræ persecutiones fideles exercerent. Hodie rariùs, quia illius abusus irrepsit, qui donum etiam facit odiosum. attamen in ministerio reperiuntur boni viri, qui cœlibem vitam piè colunt, & matronæ honestæ defunctis prioribus maritis reliquam vitam in perpetuo degunt cœlibatu: noui & virgines, quę virginitatem castè amplectuntur, vt viuant etiam sine omni periculo scortationis. Ioanna Martina totam ętatem ad extremam senectam in virginitate confecit, cum non deessent nubendi occasiones, &c. sed pergamus ad reliqua.

III. Restat vt cœlibatum cum nuptiis committamus, nam grauis illa quæstio est, & pridem agitata in Ecclesia, nec dum satis explicata.

Qui Hęretici damnarint nuptias.

1. Olim reperti sunt homines, qui hunc statum tanti facerent, vt nuptias non minùs ac scortationem damnarent: quales fuere Montanistæ, Tatiani, Encratitæ, & similes quos damnauit Ecclesia.

2. Ab his non multum recessit Tertullianus, in libro de velandis virginibus, nam illic contumeliam communem vocat legitimum matrimonium. & libro de Monogamia secundas nuptias passim damnat. Vnde hunc librum hæreticum vocat etiam D. Hieronymus.

3. Sed nec ipse Hieronymus multò commodiùs hoc argumentum tractat. vt liquet ex his quæ contra Iouinianum, & in Apologia scripsit. sæpe enim prouehitur argumentando vt nuptias simpliciter damnet: vt cum dicit, Oro te quale bonum est, quod orare prohibet? Item quale nunc bonū illud est, quod conditione deterioris conceditur? quibus non obscurè negat bonū esse, & secundas nuptias illa sententia apertè damnat. Primus Adā monogamus fuit, secundus agamus: qui digamiam probant, exhibeant tertium Adamum, quem sequantur. Quasi verò digamia probari non possit, nisi exhibeatur tertius Adam. Sed nec in Apologia satis sibi constat, tanta fuit cœlibatus admiratio.

Error Hieronymi.

4. Hodie

4. Hodie Monachi in eadem versantur arena, qui sacra tantum dignè administrari dicunt ab his qui cœlibem agant vitam. Sed deterior est horum conditio, quòd laudant virginitatem, quam non seruant.

Tertulliano & Hieronymo venia dari poterat, cum castissimè vixerint, nec aliud laudarint, quàm quod vita & moribus expresserunt.

1. Sed nostri quid? Ebrij loquuntur de ieiunio, inter scorta & adulteria commendant virginitatem, Curios simulant, & Bacchanalia viuunt. grauius igitur est horum peccatum, quando nec vita nec verbis philosophantur.

2. Deinde illa duo sic comparant, vt cœlibatus bonum meritorium sit, matrimonium nihil habeat meriti. Ita inferius bonum in nuptiis est superius in cœlibatu: grauiùs fortè Encratitæ qui vt bonum malo conferebant. Attamen commune omnibus est, quod conferendo nuptiis quantum possunt detrahunt, & quicquid in commendationem virginitatis afferũt, mox in ignominiam matrimonij torquent. Castitas monastica.

Sed recta ratio dictat, bona diuersa conferri posse, sine alterius ignominia: non statim malũ est, quod ab alio bono diuersum est, nec inferius altero mox, quod alio respectu non commendatur: sic confertur eloquentia cum philosophia, sine alterius ignominia, quia quoduis in suo genere excellit. Ita de matrimonio & cœlibatu statuendum esse iudico, vtrunque esse de genere bonorum, & quoduis in suo dono excellere, sine alterius iniuria. Hoc illis non satis est, sed pressius volunt agere, & maiora cum minoribus conferre. In quo quàm inepti sint, argumenta illorum produnt, quæ bona quidem parte à Hieronymo mutuantur & Tertulliano.

Primùm aiunt cœlibes à multis molestiis huius vitæ liberi sunt, quibus coniuges grauantur. Igitur melior est hic status vitæ. Argumentum hoc vrget. Tertull. & Hieronymus, sed nihil efficit, quia his molestiis multis, quibus illi liberi sunt, possumus alias molestias itidẽ multas opponere quibus coniuges liberi sunt, & grauantur cœlibes, vt quòd flammas sentiunt, quibus non facilè possunt mederi, quòd infinitis tentationibus subiecti sint, quas non sentit matrimonium, quod oblectationibus infinitis carent, quibus Deus ornauit matrimonium, quæ singula petenda sunt ex encomiasticis locis. Argumenta. Cœlibes non carẽt molestiis.

Deinde carere molestiis non efficit rem per se meliorem: cùm quies, per se non sit melior actione: imò actio præstat quiete, vt vita præstat morte, tantò præstat molestiis fortiter resistere: & inuictum perdurare: præstat omni carentia malorum: vita ipsa est actio: quomodo igitur isti somniant vitam inertẽ, quæ careat omnibus molestiis? vbi virtutes ergo? quæ non nisi in aduersis probantur? Et vbi laus erit virginitatis si desint certamina? dent igitur matrimonij non minimam dignitatem in eo positam esse, quod molestias perferat: aut aliunde quærant sui cœlibatus encomia, quàm ex tolerantia certaminum.

Deinde aiunt, in cœlibatu esse ideam quandam vitæ æternæ, quia illic non locus erit matrimonio, non nubent nec vxores ducent sancti, sed erũt similes Angelis Dei. Speciosè quidẽ hoc afferunt, sed num melior est cœlibatus? si hæc conditio solius esset vitę beatæ, aliquid dicerent. nunc cum impij quoque in æterna damnatione hoc ipsum sint habituri: cur illi hoc ex altero seculo ad pręsentem vitam trahunt? Si dicam, matrimonium fœlicissimus est status, quia impiis post hanc vitam negabitur, ridebunt fortè me, cùm eodem cærituri sint electi. Concedant ergo mihi vt pari iure agam contra eos. Cœlibatus non præstat matrimonio, hac ratione, quia electi in vita æterna cœlibes erunt. Ratio mea est, quia impij etiam erunt cœlibes: quid ergo habent? nisi aliquid cum bonis & malis commune? Matt. 24. Arguta ratiocinatio.

3. Sed donum est cœlibatus: fateor, sed coniugium quoque donum est: & addo, rarius donum esse cœlibatum: quæ raritas tamen non mox efficit, quiddam melius, sed potius difficilius.

4. Apostolus Paulus vult omnes esse, vt ipse est, hoc est, in optimo statu viuere, fuit autem is cœlebs.

Respondeo votum hoc fuisse Apostoli, sed rei impossibilis: ideóque mox ab ipso Apostolo correctum: *sed quisque proprium donum habet:* contra hoc donum speciale, Apostolus non vult valere suum votum.

Deinde non satis constat, etiam apud Theologos, an Paulus fuerit cœlebs, cum sint grauissimi authores qui affirment Paulum vxorem habuisse, in qua sententia est Clemens ille Alexandrinus, & alij. Itaque dubio sensu de Apostoli cœlibatu nihil efficiunt. Clemens Alexandrinus affirmat Paulum vxorem habuisse.

5. Bonum est mulierem non tangere: ergo malum est tangere, nihil enim bono contrariũ quàm malum. Si autem malum est, & ignoscitur, ideo conceditur, ne malo quid deterius fiat. Quale autem bonum est, quod conditione deterioris conceditur.

Argumentum Hieronymi est in quo mirificè exultat, sed ineptè. Primùm enim ludit in propositione indefinita.

Respondeat enim nobis, bonum est homini mulierem non tangere: cui homini bonum est? Omni ne, an cuidam? omni non dicet, quia obstat dictum Christi, *non omnes capiunt verbum hoc*, si non omnes capiunt, ergo quidam solùm capiunt. Quanta igitur illa propositio, bonum est homini mulierem non tangere? Particularis necessaria: confecta res est. cuidam bonum est non tangere, sed illæ non pugnans, nec sibi non contradicunt. Sensus enim est, cuidam bonum

Cuidam bonu est cœlibatus,cuidam nō. Triplex bonum. Non mox malum est quod bonum non est.

est cœlibatus,cuidam bonum non est.

Deinde aliud est vitium Hieronymi,quod bonum malo opponit,tanquam immediatè, nam bonum καλόν,Apostolo est συμφέρον,quod patet ex versu 35.eiusdem capitis.Sic Latinis bonū,aliàs vtile significat,aliàs honestum,aliàs suaue.Sic bonum vtile,non rectè cùm malo, sed cum incommodo confertur.Præterea non mox malum est,quod bonum non est: sunt enim media quædam,quæ nec bona,nec mala,nisi ex vsu dici possunt,vt notum est.

6. Tolle fornicationes,tum non dicetur,*quisque vxorem suam habeat.*Respondeo,rectè hoc dici:sed dicat mihi Hieronymus in quibus tolli possunt scortationes?omnibus ne? nō sanè,tolli enim natura non potest nec debet.nisi igitur velit pugnare cum natura, fatebitur infinitos esse,sic natura comparatos,vt,nolint velint,remedium scortationis cogantur quærere in matrimonio,quia donum virginitatis non habent.Itaque nihil efficit:esto,tolle scortationes, sed tolle honestè,nec dicet Apost.quisque vxorem suam habeat, hoc in Hieronymo locum habet, in Petro non habet locum.

Deinde simili argumento,illi euerto suum cœlibatum,tolle circunstantem necessitatem, & non dicet,bonum iudico homini sic esse.sed ludere id magis est, quàm seriò agere.

7. Apostolus non dicit,quisque propter fornicationes ducat vxorem,sed habeat, scilicet quam habuit,antequam crederet.

Respōdeo,falsum esse hunc sensum Paulo assutum:quod euincitur hinc,quia hoc pacto post fidem susceptam non liceret vxorem ducere,quod falsum est:quia de fidelibus loquitur,*qui dat nuptum,bene facit.*Deinde quomodo haberi potest vxor,nisi ducta? an vt hodie monachi & sacrifici habent vxores sed non legitimè ductas,hoc est,scorta,quæ alunt?sed quæ illa est argutia?

8. Oro te inquit Hieronymus,quale bonum est,quod orare prohibet? quod corpus Christi accipere non permittit?quandiu impleo mariti officium non impleo Christiani. Vides quò prouehatur noster Hieronymus.matrimonium sic deprimit,vt illi vix relinquat locū inter bona,& quare?quia orare prohibet.quis hoc dicit?Hieronymus,Apostolus non dicit:& ascendit, Corpus Christi accipere non permittit,ne hoc dicit Apostolus:amplius, quandiu impleo mariti officium,non impleo Christiani.Sic nec Apostolus,nec Petrus,nec tota loquitur scriptura. Itaque omnia hęc negamus.Matrimonium non prohibet orationem,imò illam sanctè exercet. matrimonium non excludit à corpore Christi,& matrimonium Christiani officiū multis modis implet,alendo,instituendo,educando,adde generando,propagando,&c.

Error Hieronymi.

9. Matrimonium est indulgentia,cœlibatus autem præceptum. Respondeo, suprà iam ostendisse nos cœlibatus nullum mōstrari posse præceptum. Itaque hic impingit Hieronymus, quod verò profert loco probationis, id totū est,*vobis* inquit Apostolus,*parco.* quomodo parcit electis?concedendo matrimonium? non:quomodo enim parceret in re per se & Dei authoritate licita:sed parcit non enumerans omnia matrimonij incommoda:hoc enim si fecisset,videri poterat dissuadere matrimoniū.Itaq; rectè dicit,*ego verò vobis parco*,q.d.liberum vobis relinquo matrimonium,ac id vt commodius fiat,nolo omnia illius incommoda commemorare.

Quomodo parcit Apostolus.

Deinde idem facit in altero loco.hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum pręceptum,malè refert indulgentiam ad matrimonium, cum Apostolus cōsilium suum de separatione à thoro coniugali,precum & ieiunij causa, & coitione iterū in vnum, ne tentet eos Satan,hoc loquatur,quasi dicat:si fortè potestis diutius abstinere,vobis liberū est,non præcipio.Sed vnde ille probabit cœlibatum esse præcepti?non potest:vt vt se torqueat.

Paralogismus.

10. Castrati accipiunt mercedem regni cœlorū,ergo qui castrati non sunt, non accipiunt. respicit ad locum Matt.19.Sed peccat in conuersione propositionis indefinitæ.Soli castrati accipiunt mercedem: ergo non castrati,non accipiunt,verum diceret.Exclusiua enim particula vim haberet vniuersalis redactæ ad vnam speciem. Sed Christus non dixit, solos Eunuchos hanc mercedem accipere:sic enim excluderet omnes maritos, quod noluit: sed castrati accipiunt, & non castrati quoque accipiunt.Itaque nulla est prærogatiua cœlibatus. Videat ipse Hieronymus ineptias suas.

11. Nuptiæ terram,virginitas paradisum complet.Ineptum est,& vanum præconium.Primùm enim nuptiæ cum terram complent simul paradisum implent, vnde enim virgo, nisi ex matrimonio?Deinde virginitati non soli competit,nec semper implere paradisum:implet aliquando nec sola,sed nuptiæ simul implent, & sterilis sæpe est virginitas:quæ in cœlis non habet fructum,nec coronam,arrogans est & superba, inferos complens.non oportuit igitur argumentum sumere ab eo,quod non soli,nec semper competit.

12. Semper orandum,ergo semper matrimonio carendum. quia Apostolus dicit, nisi propter preces & ieiunium.Respondeo,perinde est ac si dicam semper est orandum,ergo nunquā comedendum,nunquam dormiendum,& fortè melius connecteretur:semper est orādum, Ergo semper est vigilandum,& nunquam dormiendum, quia oratio non nisi à vigilantibus fit. Contrà orare possunt edentes etiam & mariti & coniuges:inepta igitur est consequentia.Porrò confirmatio consequentis insulsa est,quia Apostolus loquitur de precibus statis ac solennibus,non de communibus:solennes à tota Ecclesia indicebantur certis de causis, vt in persecutione,in peste,bello,fame,&c.in tali casu voluit ad tempus separari coniuges, sed postea in

vnum

vnũ redire: ineptè igitur & hoc sequitur. Propter solennes preces separari debent, ergo semper: quia Apostolus manifestè præcipit, vt in vnum iterum conueniant. Probandum igitur Hieronymo, preces in matrimonio piè non fieri. Deinde Apostolum hic loqui de omni forma orandi, nec solum de statis precibus.

Propter solennes preces vult Paulus coniuges ad tẽpus separari.

13. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt*, item, *templum Spiritus sancti estis*, & similia. Vide quæ absurda sumantur: in carne esse, his est in matrimonio esse, & in matrimonio esse, idem quod Deo non placere. Probent in carne esse, significare in matrimonio esse, cùm scriptura carnales affectus vitiosos hoc titulo notet, quales sunt in hominibus nondum renatis, & quid absurdius? Soli igitur cœlibes placent Deo: id si sit absurdum, vt est, sequitur necessariò in carne esse, non significare in matrimonio esse: quia multi in matrimonio placuerunt Deo, vt Abraham, Adam, Prophetæ, reges pij, Petrus, Philippus, & infiniti alij in matrimonio. Itaque fumum isti vendunt, & vana quadam verborum pompa commendant suum cœlibatum, ad matrimonij ignominiam.

Similiter dici potest ad posterius testimonium, templum Spiritus sancti sunt etiam mariti, qui perinde casti esse possunt, vt volunt, ac cœlibes, & fortè templum hoc Spiritus sancti castius conseruant, quàm multi vana virginitatis specie.

14. *Qui vxorem duxit, curat ea quæ sunt mundi: cœlebs autem ea quæ sunt Domini.* Item *virgo curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu.*

Argumentum Apostoli est, ὡς ἐπὶ τὸ πλύ. Nam argumẽtatur ab eo vt res solet euenire: sed interim non negat, maritos etiam curare ea quæ Domini sunt, & maritatas matronas idẽ præstare, verùm suadens cœlibem vitam propter instantes necessitates, indicat cõmoda parata. Deinde Apostolus significat, tales debere esse virgines: ac vtinam hodie tales essent corpore & spiritu sanctæ, quemadmodum hoc externa professione testãtur. oportebat esse castas: sed cum bona parte non sint, nec esse velint, quid iuuat eas præconium Pauli. Petrus sanctas vocat etiam vxores Patriarcharum. Itaque sanctitatis titulus coniugio quoque debetur.

Commodius cœlebs curat ea quæ sunt Domini.

Sãctitatis titulus cõiugio debetur.

Percurri bonam partem argumentorũ, præsertim quæ profert Hieronymus, & alij ex ipso: vt constet quanta vanitate & pompa contemnant matrimonium, quoties suo cœlibatui cõferatur. sunt alia similia, præsertim quæ ex 1. Cor. 7. proferunt. vt quod *afflictionẽ sunt habituri in carne.* Itẽ *quod tẽpus contractum sit*, vt qui habẽt, sint quasi nõ habentes. Itẽ quod dicit, *velim vos sine solicitudine esse*: & similia, quæ facilè eludi possunt: nã temerè & incõsideratè proferũtur.

1. Pro matrimonio illis opponimus non in contemptum honestæ & castæ virginitatis, sed vt par dignitas diuerso respectu eluceat.

Rationes quibus cõmẽdatur matrimonium.

Primùm iudicium Dei conditoris, dicentis *non esse bonum, hominem esse solum*: quæ vox in nouo Testamento correcta non est: solitaria enim vita semper adhuc manet incommoda.

Deinde authoritatem Christi addimus, qui & honorauit matrimonium multis modis & legem coniugij stabiliuit: *quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Tertiò, quia illustre est remedium à Deo ordinatum ad vitandam scortationem. hinc inter dona Dei quoque numeratur. 1. Cor. 7. *quilibet proprium habet donum, vnus sic, alius verò ita*, hoc est, ille virginitatis, hic verò matrimonij.

Quartò, huic vitæ fragili commodior est hic status: non solùm ad conseruationem speciei, sed etiam ad numerum sanctorum complendum. Si enim cœlum compleri suis debet ciuibus, oportet durare matrimonium, cùm scortationes puniturus sit Dominus.

Commoditas etiam in eo est, quòd socia fortunæ, semper omnia reddat leuiora, ridet quidem Hieronymus conseruationis argumentum, attamẽ verum est genus humanũ legitimis mediis in hac vita continuandũ, hoc est, matrimonio, nec scortatione. Elegantes sunt versus Pauli Silentiarij vt vt rideant illi.

Oportet matrimonium durare ad numerum sanctorũ complẽdum.

Καλὰ τὰ παρθενίης κειμήλια. παρθενίη δὲ.
Τὸν βίον ὤλεσεν ἂν πᾶσι φυλαττομένη.
Τοὔνεκα εὐθέσμως ἄλοχον λαβὲ, καὶ τινὰ κόσμῳ
Δὸς βροτὸν ἀντὶ σέθεν, φεῦγε δὲ μαχλοσύνην.

Pulcher est virginitatis thesaurus, virginitas tamen vitã perderet si ab omnibus seruaretur. Idcirco legitimè vxorẽ duc, & aliquẽ mũdo da hominẽ tui loco, fuge autẽ scortationem.

Quintò, frequentius bonum est, & boni conditio præcipua est, vt quantò communius, sit tantò melius. præstat igitur vnum alteri, sed diuerso respectu.

Bonum quò cõmunius eò melius.

6. Præceptum Apostoli est, *propter scortationem quisque vxorem suam habeat, & qualibet maritum suum habeat.*

7. Ab Hebr. 13. dicitur τίμιος γάμος ἐν πᾶσι, *scortatores autem puniet Dominus.*

8. Minor hic lapsus est, possunt enim casti etiam esse coniuges, si donum accedat: sed in cœlibatu nullum concessum est remedium, si flammæ fiant intolerabiles. Et experientia docet difficile esse formam custodire. κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τοκέεσσι. forma difficilis custoditu est liberorum parentibus.

9. Non tanti fit cœlibatus à Paulo: quin eo deserto possit vxor marito reconciliari, & illius prætextu concedit deserere matrimonium.

10. Prætextus quoque nullus vel religionis, vel imparis coniugij diuortiū facit. Itaque primus gradus in hac vita tribui videtur mātrimonio, quia reliquis neglectis hic status ligat.

11. Firma est & regula, cuique ambulandū vt illum vocauit Dominus, & vt ei partitus est Dominus. Itaque par est matrimonium cœlibatui, quia pari gradu donū est, & pari gradu vocatio dicitur, & pari gradu obediētiā requirit, & pari gradu violari prohibetur. Cōtineamus igitur nos in hac moderatione, & agnoscamus dona Domini, his vtamur ad illius gloriā: absit arrogantia & nimia admiratio: ne ex donis in hypocrisin cadamus, & vmbras potius admiremur, quàm veras donorū ideas: meminerit Domini castus maritus, & virgo curet serio quę domini sunt, & corpore & spiritu castitatem seruet, ne corpore virgo, animo scortetur, &c.

DE MATRIMONIO.
LOCVS CXLVII.

MOLESTIÆ coniugij effecerunt, vt in quæstionem res tandem venerit, ducendáne esset viro bono vxor, nec ne? & sanè adhuc sub iudice multis videtur pendêre controuersia. Notum est Biantis dicterium, si duxeris καλὴν, habebis κοινὴν sin duxeris αἰσχρὰν, habebis ποινήν. Et Thales matri dicitur respondisse οὔπω καιρός, adultior idem dixit οὐκέτι καιρός. Ita elusit, nullum sibi videri tempus matrimonio idoneum: Petulantiùs inuidiam eius auxerunt Poëtæ. Ex quo numero est illud Hipponactis. Δύ' ἡμέραι γυναικός ἐστιν ἥδισται, ὅταν γαμῇ τις κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν. Et illud Cheremonis. Γυναῖκα θάπτειν κρεῖττόν ἐστιν ἢ γαμεῖν. Sed & Apostoli. Matth. 19. dicunt οὐ συμφέρει γαμῆσαι. Verùm id non dixerat saluator: sed vt ad institutum domini castè seruaretur matrimonium. Hinc effectum est, vt de maritandis ordinibus seriò actū sit sæpius à viris prudentibus. Quale est Metelli Numidici consilium, quod citat Gel. & Iulius Cæsar, item Augustus Cæsar prudenter Reipub. consuluerūt, vt castum seruaretur matrimonium. Idem testatur codex iuris, cuius in hac re essent saluberrimæ leges, nisi à Canonico iure essent suppressæ. Ac de matrimonij laudibus, commodis, ac necessitate alij satis dixerunt. Nos ad locos consuetos pauca ex omni materia reuocabimus. Sic enim fontes meliùs inspici poterunt. Expendatur ergo hoc ordine negotium.

Matrimoniū à matre dicitur. Coniugium à cōmuni iugo.

Matrimoniū vocarunt à matre, quòd ob id potissimū nubere debeat mulier, vt mater fiat: coniugium verò à communi iugo, quo maritus vxori iungitur. Nam status iste coniugatos, tanquam iugo subiectos requirit. Nuptiæ dicuntur à nubendo, quòd noua sponsa, pudoris ergo, sese nuberet, hoc est, obuelaret. Cuius exemplum habes in Rebecca. Gen. 24.

Γάμον Græci vocarūt, quasi δάμον παρὰ τὸ δαμάζειν domare, hinc virgines ἀδάμαστοι παρθένοι dicūtur, id est, indomitæ virgines. Eustath. ait, παρὰ τὸ δεδμῆσθαι ἀλλήλοις τοὺς συζύγους. Quia sibi deuincti sunt, quia iugati sunt, σύζυγοι sunt ὁμόζυγοι coniuges. Annotat idem γαμῆσαι esse mariti, qui dicitur γυναῖκα λαβεῖν. Γαμῆσαι autem parentum esse, qui dicuntur γυναῖκα δοῦναι.

Definitio

Definiunt Iurisconsulti Matrimonium (*Inst. lib. 1. Tit. 9. de pat. pot. Pandect. lib. 23. Tit. 2. Nuptiæ sunt coniunctio maris & fœminæ: consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris cōmunicatio*) vt sit viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens. Definiunt à materia & forma. Materia est, quia inter virum & mulierem est, quo excluditur alterius etiam speciei societas. Coniunctio dicitur propter consensum, non propter cohabitationē. Coniugale pactum de præsenti verbis expressum coniungit matrimonium. Forma est indiuidua vitæ consuetudo: quia inuiolabile debet esse ad mortē vsque: tamen graui de causa leges permittunt, vt diximus in loco de diuortio. De quibus vide digestum, Codicem & Nouellas, quę inter se differunt, & iura omnium etiam à Canonicis constitutionibus discrepant.

Altera definitio.

Theologi hodie sic definiunt. Vt sit coniūctio viri & vxoris instituta à Deo certis legibus ad conseruationem certæ sobolis. Superiori nō dissimilis est, nisi quòd omnes causas pleniùs exprimit. Efficiens, Deus est. Materia, & maritus & vxor. Forma, certis legibus. Finis, conseruatio legitimæ & certæ sobolis, quæ extra matrimonium certa esse non potest.

Græcè sic definiri potest, Γάμος ἐστὶ συζυγία, aut συνοίκησις ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς νομίμως πρὸς τὴν παιδοποιΐαν.

Ex his definitionibus iam facilè est de causis ordine pronuntiare, quas expediemus post diuisionem, quæ sic instituatur.

Diuisio.

Matrimonium aliud est legitimum, quod dictis definitionibus commodè respōdet. Aliud illegitimum, quod aliqua parte discrepat. Legitimum est vel internum & æternum, quale est inter Christum & Ecclesiam Eph. 5. Vel est externum & temporaneum, quod inter personas contrahitur non prohibitorum graduum. Deinde certo ordine & ritu. Deniq; consensu certo & libero vtriusq; partis. Hinc enim sponsa materfamilias redditur, & trāsit in bona & nomen spōsi. Illegitimum, quod cum mādato Dei & legibus pugnat: ac peccat hoc vel in gradibus prohibitis: vel quia clandestinis contractibus conciliatur contra parentum voluntatem: vel quia plures eodem tempore admittuntur, vt in bigamia & polygamia. De gradibus prohibitis vide Mosen Leuit. 18. Cod. iuris Ciuil. lib. 5. Tit. de incestis & inutilibus nuptiis, & in-

stit. Iust

1. Tit. 10. de nuptiis. Et in Pand. lib. 23. Tit. 2. de ritu nuptiarum.

Causæ matrimonij ex definitionibus colliguntur. Primùm efficiens est Deus. Genes. 2. vbi prima habetur institutio. 1. Cor. 7. *Coniugatis autem præcipio, non ego imò Dominus: vxor à marito non discedat, si discesserit, viro reconcilietur, aut maneat innupta*, &c. vbi Dei dicitur præceptum. Et Mat 19. *Quæ Deus coniunxit, homo ne separet*. Prouer. 19. *Domus, diuitiæ à parentibus: à domino autem prudens vxor.* Causæ. Efficiens 1. Deus

Huc pertinet mandatum Dei: *non bonum est hominem esse solum*, & in nouo: *Propter scortationem vitandam, quilibet habeat vxorem suam.* 1. Corinth. 7. & Christus Ioann. 2. ornat sua præsentia nuptias. 2. Mandatum.

Pertinet etiam huc ius naturæ, quod cum lege Dei consentit, & iubet saluti perpetuæ ac posteritati consulere honestis rationibus. Cuius imaginem in columbis, in turturibus videre est. Et iura vetera habuere pœnas contra cœlibē, qualis est Lycurgi, qua à ludis publicis arcebantur, & hyeme nudi forum circumire cogebantur. Romana etiam iura actionem contra cœlibem habuere. 3. Natura. Contra cœlibatū

Materialis causa est ἀνὴρ καὶ γυνή. Ostenditur autem hic vnum vnius debere esse coniugē. Pluralitas enim hic admitti non potest vno eodémque tempore. Deinde vt in suo maneat ordine homo. Materia.

Formalis causa consistit in contractu & contestatione, aut celebritate coniugij. Quò pertinet consensus parentum, quem tanti fecerunt antiquitus, vt primum illi tribuerent locum. 1. Hinc conditio de præsenti. 2. qui nexus est coniugum. 3. Inde spōsalitia. 4. Hinc nuptiæ, hoc est, celebritas ipsa, post anacalypteria, die post nuptias, quo iam sponsa reuelatur, & offeruntur munera. Inde est cohabitatio, thorus communis, res domestica communis. Vnde Pandect. lib. 23. Tit. 2. de ritu nuptiarum. Forma.

1. Finalis causa coniugij certa soboles & legitimi hæredes. Sic Demosthenes eleganter distinguit legitimum matrimonium à concubinatu & vaga libidine, inquiens. Meretrices ἑταίρας voluptatis gratia habemus: concubinas παλλακὰς autem ad quotidianum corporis cultum. Vxores autem γυναῖκας, τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. Vt liberos legitimos gignamus, & rei domesticæ fidam obseruatricem. Finis Demosthenes cōtra Neærā

Deinde ad finem pertinet auxilium mutuum, cuius respectu dixit dominus: *faciamus ei adiutorium*, Auxilium vitæ non impedimenta afferre iubet.

Item quod Apostolus ait: ad vitandam scortationem & vagam libidinem. Addant pij, Ecclesiæ, propagationem, vt illam augeant, ornent, & vt habeant per quos veram Dei notitiam ad posteros transmittant.

1. Effecta. Fines in coniugio cùm prosperè succedunt ad effecta deinceps pertinent. Vt habere elegantem & certam sobolem. Huc pertinet τεκνοτροφία cura de alendis pueris. Effecta. Mutua pignora.

Deinde res domestica augetur, benedicit enim honestis nuptiis Christus, vino ornauit in Cana Galilææ, Ioan. 2. Ac quotidie aliquid addit Deus, hodie vxorem, mox liberos, inde rei domesticæ augmentum, domum, &c. Infœlicibus matrimoniis contra fit.

Tertiò, auxilium mutuum in omni fortuna. In secundis rebus socia est, quę congratulatur: in aduersis socia est, vt auxilium & consilium præstet. Quò facit quod ex Euripide citatur. Συμπαθὴς vxor.

Γυνὴ ἐν κακοῖσι καὶ νόσοις πόσει
Ἥδιστόν ἐστι, δώματ' ἢν οἰκῇ καλῶς
Ὀργήν τε πραΰνουσα, καὶ δυσθυμίας.

Ψυχὴν μεθιστᾶσα. Vxor marito in malis & moribus suauissima est, domū si rectè inhabitet, iram mitigat, & à tristitia animum auertit.

4. Conseruatur genus humanum honestis & legitimis mediis, quod extra matrimonium fieri non potest. Conseruatur genus humanū per matrimonium

5. Sunt etiam familiæ certæ de hæredibus, honesti & boni viri norunt quos habeant successores, non dubitandum est de sobole. Quod fit in confusione & vaga libidine.

Sunt etiam honestiores mores in ordinario matrimonio, quàm extrà illud. Honestè educantur liberi de quibus certi sumus: negliguntur magis, de quibus dubitandum est.

Matrimonium autem eius est beneficium, quòd scortationem sic euitare possunt, naturæ æstuantiores, in quibus donum castitatis non est. Quare commodum hoc magni est faciendum, quod peccato sic cauere possumus.

Et res ipsa docet dissolutos sæpe in matrimonio corrigi sedulæ vxoris opera. Validū enim est philtrū honesti amoris. Rectè dixit Euripides οἰκοφθόρον ἄνδρα κωλύει γυνὴ ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα, καὶ σώζει δόμους: i. bona vxor coniugata cohibet virum familiæ corruptorē seruátque domos. Qui honestos viros Reipub. procreabant honoribus publicis ornabantur.

Et est laus honesta εὐτεκνία, nec potest illis par referri gratia, qui honestos viros Reip. procreant. Et Romæ aliquando, cui tres erant liberi, vacatio muneris, cui plures, libertas donabatur. Idē Lacones seruarunt. Et honores publicos Romani veteres non nisi parentibus plurium liberorum, comitiis publicis dedere. Semperque mariti & pluriū liberorum parentes in omni negotio, pauciores liberos habentibus, & sine vxore degentibus antelati fuere.

Cognata matrimonio sunt, quæ tanquam comites sequuntur & circumstant. Huc in primis pertinent ærumnæ, molestiæ, & calamitates coniugij.

Crux igitur in primis hunc etiam statum exercet. Ioan. 2. in nuptiis deficit vinum, initia crucis erant. Et Ouid. ait: *dos sunt vxoria lites.* Confirmant id exempla Iobi, quem irridet propria vxor. Et Dauid à Michol vxore irridetur. Socrates suam habet Xantippen. Quæ exempla alij inspicientes damnarunt nuptias, homines temerarij. Cùm Socrates rogatus cur ferret Xantippen, diceret se ita molestias etiam fori discere patienter ferre. Et quemadmodum Socrati, Crateti & Aristoteli non fuerunt impedimento in philosophia: sic Dauidi, Iobo, Mosi, Iosepho non fuere impedimento in vera religione: ita Petro, Iacobo, Spiridoni in Euangelij doctrina obstaculo non fuerunt. Homines sumus nimis molles, vituperamus nuptias, adulteriis & scortationibus interea polluimus Remp. & Ecclesiam.

Lepidum Socratis dictum.

Necessitas & indigentia mutui auxilij huc etiam referri potest: quanquam ad causas impellentes pertineat. Susarionis scitum est dicterium apud Stobæum. Κακὸν γυναῖκες ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται οὐκ ἔστιν οἰκεῖν ἄνευ κακοῦ. mulieres sunt malum, sed tamen, ô ciues, non licet habitare sine malo. Agnouit Metellus Numidicus eandem necessitatem molestiarum, quæ bonorum maiorum gratia sit perferenda. Si sine vxore possemus Quirites esse: omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis satis commodè, nec sine illis vllo modo viui possit: saluti perpetuæ potiùs, quàm breui voluptati est consulendum. Et quòd Biantis attinet, ἀντιστρέφοντα syllogismum, satis ostendit Phauorinus ille Gellianus non consequi. Cùm inter καλὴν & αἰσχρὰν demonstrarit esse mediam formam vxoriam, quam Ennius statã, Gellius modestam & modicam appellat. Sed & Pittacus ille sapiens inuertit. Si pulchram duxeris, non habebis ποινὴν: si αἰσχρὰν non habebis κοινήν.

3. Castitas coniugalis præcipuum ornamentum est matrimonij. Exemplum habes in Iosepho & Maria castissimis coniugibus. Sic Apost. propter preces & ieiunium concedit coniuges ad tempus separari. iubet autem mox iterum conuenire, ne tententur à satana. Casti igitur & sunt & esse possunt pij coniuges.

Casti esse possunt pij coniuges.

4. Inest singularis etiam στοργὴ coniugibus, diligimus sobolem, aliásque res, nulla tamen huic conferri potest dilectio. Non auri nec regni tanta est voluptas eximia, ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ, καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς, γνώμη δικαία καὶ φρονοῦσα τἀνδίκα, quanta est boni mariti, & vxoris piæ voluntas iusta, & affecta legitimè.

Hanc comitatur fides coniugalis etiam ad funera durans. Nobilitatum est exemplum Penelopes ab Hom. illo nomine. Et Hipsicratea Mithridatis vxor maritum in exilio sequitur. Portia Bruti vxor mortem mariti sic ægrè fert, vt mori malit, coniectis in os ignitis carbonibus. Similia & illustria exempla refert Val. Max. lib. 4. cap. 6.

Fides cõiugalis.

Pugnantia sunt legitimi matrimonij, ἀστοργία, odisse coniugem & liberos, qualis Medea sæuiens in maritum & sobolem.

1. Pugnãtia.

Idem odisse muliebrem sexum, quemadmodum Timon simpliciter osor hominum fuit. Hinc dicteria in hunc sexum cõflata sunt. Phocilides mulierem conflatam esse dixit ex cane, sue, equo & apicula. Ex equo inquit, superbiam trahit, ex sue sordes, ex cane rabiem & rixãdi studium, ex apicula autem sedulitatem domesticam, cui tamen insit suus aculeus. Simonides petulantiùs persequitur fabricam mulierum. 1. Aliam simpliciter ex sue factam. 2. aliam ex vulpe. 3. ex cane. 4. ex terra. 5. ex aquis. 6. ex cinere asinino. 7. ex mustella. 8. ex equo. 9. ex simia. 10. ex apicula.

2. Μισογύνης. Dicteria in sexum muliebrem.

3. Furor Anabaptisticus de vaga libidine & communione vxorũ in primis repugnat legitimo matrimonio. Platonis illud fuit commentum: sed Anabaptistæ in Monasterio vrbe documenta eius rei dederũt. In Sodomis idem regnasse testatur historia Lothi, Gen. 19. sic in diluuio, Gen. 5. Historiæ autem testantur, quàm inuisum sit domino id vitium. In Dauide idem est videre. 2. Sam. 12. Troia ob Helenam vastatur. Romæ Reges eiiciuntur simili de causa.

4. Alij matrimonium prohibent prætextu cœlibatus, vti hodie fit. Verùm quàm fœliciter hoc agant, exempla testantur, nec est necessum in his morari.

5. Illicita venus, & modestis auribus non nominanda. Et dolendum est in Christianismo portenta inueniri & ferri, quæ ausint publicè talia commendare: Qualis impius ille Ioan. de Casa publicato libello. Plato in eo rectiùs, qui seueriter damnat exemplo animalium. Deinde lege naturæ. 3. exemplis tragicis. 4. quòd homicidæ sunt humani generis, σπείροντες εἰς πέτρας καὶ λίθους, in lapides & saxa seminant.

6. Adulterium cõtrarium est etiam matrimonio. Nam vt illud vitetur, inductũ est matrimonium. 1. Cor. 7. Et qui copulauit sibi vnam, testabatur hocfacto se ab aliis velle abstinere.

7. Ἄγαμοι huc pertinent, qui cœlibatum præferũt sine dono & causis necessariis. Inde veterum actiones contra ὀψιγαμίαν, qui tardiùs quàm par esset, nuberent. Item contra κακογαμίαν, qui malis sese coniungerent personis. Qualis Laconum fuit lex, quæ statuit mulctã primam non ducenti vxorem. Alteram serò ducẽti. Tertiam etiam & quidem grauissimam, malam ducenti. Et Romæ cœlibes non admittebantur ad magistratum, vt testatur lex de maritandis ordinibus.

Agnos-

Agnoſcamus igitur ſingulare Dei beneficium eſſe rebus humanis additum etiam in ſtatu illo profecto, quod lapſis mox rebus humanis reliquit & confirmauit Dominus, ne ingrati pergamus eſſe Deo & poſteritati. Colamus id piè ad inſtitutũ primæuum Dei. Laudo Theognidis illud οὐδὲν Κύρν' ἀγαθῆς γλυκερώτερον ἐστὶ γυναικός. Μάρτυς ἐγώ, σὺ δ' ἐμοὶ γίνου ἀληθοσύνης. Nihil ô Cyrne ſuauius vxore bona. Cuius ego ſum teſtis, tuque mihi eris veritatis. Ferenda eſt aliqua in vita moleſtia, malo ergo hãc, cui Dominus benedixit, & quæ rebus humanis ſingulariter prodeſt, quam poſteritati debemus, & cuius beneficio nos etiam eſſe cœpimus, &c.

Romæ cœlibe non admittebãtur ad magiſtratũ.

DE MATRIMONIO MINISTRORVM. LOCVS CXLVIII.

DE matrimonio aliàs diximus, in præſentia ſolum id excutiemus: liceat ne ſalua pietate vxorem ducere miniſtro Chriſti: quam rem vt rectius intelligamus, initio oſtendemus, quæ fuerit hominum de hac quæſtione ſemper ſententia. Deinde quid ex verbo Dei ſtatui de eo negotio debeat. Demum rationibus eorum, qui matrimonia ſacerdotibus negant, occurremus.

I. Ac ſententias hominum video ferè ſemper in hoc inclinaſſe, cœlibes melius & rectius rem diuinam adminiſtrare, quàm vxoratos. id vnde natum ſit non video: niſi quòd iudicarint, religionem caſtè & ſanctè peragendam eſſe, quia Deus non minus religioſis operibus, quàm ſacrificiis caſtis delectaretur. Vt igitur caſtos haberent præſides ſacrorum, cœlibes eſſe voluerunt.

Hinc Ægyptij Sacerdotes ἄγαμοι erant: & Sacerdotes matris deorum, vt cœlibes eſſent, Samia teſta ſibi virilia amputabant: alij herbis quibuſdam ſoliti ſunt emaſculari. Hierophantæ apud Athenienſes cicutæ potione caſtrabantur: & in Theſmophoriis, matronæ folia viticis ſubſternebant, vt caſtitatem ſeruarent: & Cybeles ſacerdotes hinc Galli, & ſummus inter eos Archigallus dicebatur, quòd Galli, hoc eſt, caſtrati haberentur. Apud Myſos ſacerdotes anymphi erant, & Romæ aiunt Numæ inſtitutum fuiſſe, à carnibus & coniugio abſtinere ſacerdotes. notæ ſunt hiſtoriæ Veſtalium virginum, quæ amiſſa pudicitia viuæ defodiebantur.

Sacerdotes Ethnicorum.

II. Hæc ferè Ethnicorum omnium fuit perſuaſio, ſed ſacræ literæ aliud nobis proponũt iudicium, quod quia Dei voce promulgatum eſt, meritò debet præualere omnium hominum iudiciis.

Veſtales virgines.

1. Deus in ſuo populo, ſacerdotes voluit honeſto matrimonio copulatos eſſe, nec inferioris ordinis ſolùm, ſed ſummum pontificem quoque: qui tamen quotidie manè & veſperi rebus diuinis debebant eſſe intenti. Itaque caſtitatem & religionem in rebus diuinis peragendis non impedit matrimonium.

2. Prætereà Deus non alios admiſit ſacerdotes in ſuo populo, quàm qui ex ſacerdotibus legitimo matrimonio eſſent nati: adeò vt ex ſucceſſione carnali maluerit potiùs ſacerdotium conſeruari, quàm per cœlibes, cùm dubium non ſit multis hoc donum tum etiam contigiſſe.

In veteri lege ſacerdotes honeſto vtebãtur matrimonio.

3. Et in nouo Teſtamento eandem rationẽ ſecutus eſt Dominus Chriſtus. Nam Apoſtolos non cœlibes omnes: ſed vxoratos plures vocauit, cum licuiſſet omnes cœlibes vocare, nec defuiſſet copia, aut etiam facultas cõferendi donum cœlibatus. Sed nec vxores illis ademit, nec dono nouo caſtitatis ornauit, nec cœlibes omnes vocauit: ex quo efficitur matrimoniũ non impedire curſum religionis. Petrum vxoratum vocauit ad Apoſtolatũ, qui Ioannem cœlibem, ſed non Ioannem Petro vxorato prætulit: imò neglecto cœlibe, claues Petro tradidit: quod defenſores primatus conueniebat potius dicere, quàm nos.

Chriſtus Apoſtolos non omnes cœlibes vocauit.

4. Hunc morem ſeruauit primitiua Eccleſia, vt in electione miniſtrorum nulla haberetur ratio cœlibatus. Si cætera adeſſent, quæ in miniſtro requiruntur, matrimonium nõ impediebat: & tamen illi ſemper docebant quotidie, proponebant cœtui verbum Dei, frequens etiam erat communicatio Cœnæ.

5. In Synodo Niceda Paphnutius cœlebs & confeſſor grauiter ſuaſit Concilio, ne ſacerdotibus negarent matrimonia: & eius ſententia, vt ſcripturæ conformis obtinuit. vide hiſto. Tripart. lib. 2. cap. 14.

Anno Dom. 327. Phaphnutij pia ſententia.

6. Græcæ Eccleſiæ illum morem ſemper retinuerunt, contra Romanorũ decreta, & adhuc hodie ſi quos habẽt in religione ſacerdotes ſub Turca, mariti ſunt. Sic apud Perſas Chriſtiani ſacerdotes mariti eſſe poſſunt, & Septentrionales populi, quanquam multis modis corruptam habeant Chriſti religionem: hæc tamen retinuerunt ex traditione veterum, ſacerdoti licere vxorem habere.

7. Et Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. doctrinam dæmoniorum vocat prohibere matrimoniũ.

8. Apoſtolus Paulus 1. Cor. 9. hanc poteſtatem ſibi quoque arrogat, vt poſſit, modo velit, vxorem ſororem circunducere, quod ipſum faciebant reliqui Apoſtoli, & fratres Chriſti, & ipſe Cephas.

9. In canone Apoſtolico. 1. Tim 3. inter alia habetur, vt ſit vnius vxoris maritus: quod tamẽ non ideo citatur, quaſi neceſſarium putemus habere vxorẽ: ſed eo nomine ſaltem, vt cõ-

ſtet rem liberam eſſe, habere vxorem. Prohiberi autem ſub Euangelio Iudæorum more, plures vno tempore habere. Interim ſi quis miniſter caſtè poſſit viuere, idē faciat ad exemplum Ioannis, Paphnutij confeſſoris, & ſimilium, interea in reliquis non damnet nuptias.

10. Et ſanè adhibitio matrimonij talis eſt, vt miniſtris facilè quoque applicari poſſit. Eſt enim mariti & vxoris honeſta copulatio, ab ipſo Deo inſtituta ſine exceptione ſacerdotum. quod ſi arcendi hinc eſſent, Deus in exceptione de eo loquutus fuiſſet. ſed in Gen. 2. ca. in genere inſtituitur, & à domino Mat. 19. confirmatur, ſine omni exceptione. quos autem Deus non ſubmouit ab vſu rei bene inſtitutæ, homines etiam ſubmouere non debent.

Panormitani ſentētia pro matrimonio ſacerdotum.

11. Hæc ſententia adeo firma eſt, vt inter pontificios ſemper repertì ſint, qui idem contēderunt. Sanè Panormitanus non poſtremus iuris pontificij aſſertor, ingenuè contendit ſacerdotibus dandas eſſe vxores. quem conſule, capit. Cum olim.

III. Diximus quid de quæſtione hac ſtatuendum ſit, ſecundum ſacras literas. Nunc breuiter rationibus quibuſdam occurramus.

Primùm inquiunt, lex de cōiugio data eſt quidem diuinitus hominibus: ſed non ideo mox ad omnes pertinet. Nam agricultura res diuinitus inſtituta eſt: non tamen ſequitur ideo omnes oportere eſſe agricolas. Reſpondeo, rectè hoc dici nec aliud nos contendere, quàm quod ſimilitudo illa infert. de licito vt iure nobis contentio eſt, quemadmodum igitur agricultura res licita eſt ex diuina inſtitutione, quanuis non omnes teneantur eſſe agricolæ: ſic matrimonium dicimus rem eſſe omnibus liberam, ex Dei inſtitutione, interim non eſt neceſſarium, vt omnes ſint vxorati, & maritatæ.

Non debent Pontificij aliquid contra Dei verbum ſtatuere.

Deinde addunt, ſed Eccleſia grauibus de cauſis ſic ordinauit, & ordinationē hanc confirmarunt pontifices, in primis, Syricius, & Innocentius tempore Auguſtini, Hieron. Sed meminiſſe eos oportuit, illorum poteſtatem ſtatuendi de rebus ad religionē ſpectantibus fuiſſe limitandam verbo Dei: nec enim illis permiſſum fuit contra verbū Dei ſtatuere, & quomodo non videbuntur plus voluiſſe ſapere ipſo Deo, & Filio Dei Chriſto, qui cōtra verbum Dei, & contra factum Chriſti, ſubmouerunt a miniſterio vxoratos? ſupra diximus Dominum vxoratos elegiſſe, illi remouent. Deus in genere omnibus conceſſit, illi contrahunt. Nō oportebat plus Deo velle ſapere, quaſi verò Dominus miniſterio non ſatis benè proſpexerit, & Paulus nō viderit damna illa, quæ oculati iſti proferunt.

Præterea quanuis illi ſancierint ita: attamen ſemper eſt reclamatum ab Orientalibus. vide diſtin. 28. cap. Diaconi.

3. Quod proferunt exempla miniſtrorum in cœlibatu caſtiſſimè viuentium, vt Hieronymi, Paphnutij & ſimiliū, nihil iuuat cauſam. Agnoſcimus enim inter Prophetas aliquos fuiſſe ſine vxoribus. Concedimus etiam Paulum vxorem non habuiſſe, ſi omnino ita velint, nam de Ioanne certius eſt: ſed quid tum? opponimus contraria exempla, Petri, reliquorum Apoſtolorum, Philippi, Matthæi, &c.

Votū impium vel impoſſibile eſt reſcindēdū.

4. At votum ſeruandum erat. Reſpondemus pro qualitate voti. Primùm enim votum nō debebat temerè concipi: in quo illi peccant: vna regula omnes Clericos metiuntur. Deinde ſi conceptum ſit, & deprehendatur vel impium, vel impoſſibile, reſcindi debet: hinc illud apud ſententiarios, muta decretum, reſcinde fidem. Et Cypriani iudicium eſt de virginibus, ſi cōtinere non poſſunt, aut volunt, nubant. Et Auguſtini ſententia eſt, melius eſt humile coniugium, quàm arrogans virginitas.

5. Citant canonem Apoſtolicum, qui eſt numero 17. Sed malè citatur tam à Fabro, quàm ab Eckio. Nam canon ita habet, ὁ δύσι γάμοις συμπλακείς, hoc eſt, qui duobus matrimoniis implicitus fuerit, agit enim contra digamos vno & eodem tempore. Nam in hanc ſententiā habes quintum canonem. Epiſcopus vel presbyter, aut diaconus vxorem ſuā non abiiciat prætextu pudicitiæ: ſin abiecerit, ſeparetur, perſeuerans autē deponatur vel priuetur. Ex quo maniſeſtiſſimum eſt miniſtris matrimonia etiam cōceſſa authoritate canonum Apoſtolicorum.

6. Sed eſt neceſſaria caſtitas in re diuina. Et hoc cōcedimus. Verùm in eo errāt, quod matrimonio nullam concedunt caſtitatem: malè ſanè de matrimonio iudicantes, tanquam de re impura. Sanctiùs de illo pronuntiauit Tertullianus de cultu fœminarum. Omnis inquit maritus caſtitatis exactor eſt. & quanta fuerit virorum Chriſtianorum caſtitas etiam in matrimonio, vide Apolog. cap. 9. Deinde peſſimus eſt ille etiā error, & minimè ferendus, quod cùm caſtitatem tanti faciant, illam tamen non ſeruant, ne extra matrimonium. Ferrem ſanè cœlibes miniſtros, modo re & nomine cœlibes eſſent. Viuant tam caſtè vt videri volunt, viuant vt vixit Paphnutius, & Hieronymus, & Bernardus & ſimiles, quos imitari volunt: non ſcortētur, non alant concubinas, non ſequantur proſtibula, & libenter admittam quod de caſtitate dicunt. Et ſanè magna eſt impudentia caſtitatem prætexi, à minimè caſtis, &c.

DE

DE ADVLTERIO.
LOCVS CXLIX.

PHARISÆI Christū de pœna Adulterij interrogant: non quòd hæc non extaret: sed quia tentare volunt. Simul tamen produnt statum Reipub. qui dum ad formam Mosis deberet administrari: ea relicta formula, passim scorta in Israele & adulteri impunè oberrant: quemadmodum cōtra legem Domini quoque mendici passim in Iudæa oberrant. Et quia semel recessum est ab auita seueritate, de pœna adulterij quærunt, quum tamen ne puniri prorsus adulteram vellent: ita omnia in peius ruunt, vt adultera tandem nec accusatores, nec condemnatores inueniat.

Dicemus igitur de pœna illius hic aliquantò vberiùs, vt constet, quàm sit perniciosum Rebuspub. hoc vitium. Non facilè legas euersas vrbes, regna, imperia, Resp. nisi cooperante adulterij quoque crimine: quæ si omnia vellemus attingere, dies nos potiùs deficiat quàm oratio. Quàm perniciosum sit Reipub. adulteriū

I. Adulterium dicitur propriè cùm coniugatus vel coniugata peccat contra fidem thori. Stuprum vitium quod virgini infertur. Incestus autem cum iuncta sanguine vel affinitate. His omnibus tanquam genus addi potest Scortatio, quæ complectitur omnem vagum & illicitum amorem. Definitiō adulterij.

II. Μοιχεία dicitur, quasi μὴ οἶκος. Nam familias confundit, illegitimâ sobole, interdū etiam dissipat & euertit, vt Priami familia, Menelai domus, Agamemnonis, &c. Vel dicitur ab οἰχῶμαι, hoc est, peregre abeo: hoc est, diuerto ad aliū thorum, qui concessus non est: aut certè, quòd adulteri studiosè obseruent discedentes domo maritos, vt illi subrepant: sic irrepsit Ægystus apud Clytemnestram. Magni principes interdū si nolint à domo discedere mariti sub specie officij ablegant eos, vt Dauid Vriam: & de Cōradino Imperatore legitur, quòd comitem Casertanum, honoris specie ablegauerit, vt illius vxore abuteretur interim. Alij magis tyrannicè sæuiunt, rapiunt, & maritos occidunt: à quo non fuit alienus Dauid: Regibus & nobilibus consuetæ sunt artes. Exempla adulterij.

Latini Adulterium vocant, quasi ad alterum thorum, quò semper respicit adulter. Adulterare tamen est falsa pro veris affingere, vt adulteratæ claues, quæ à veris effictæ sunt. Ratio nominis.

III. Definiamus ita. Adulterium est species scortationis, qua peccat coniugatus, vel cōiugata contra fidem thori. Scortationem genus ponimus adulterij, quæ cùm extra matrimonium etiam fiat, adulterium ab ea separatur, quòd contra fidem thori committatur. Quòd si simplex maneat, nomen hoc retinet: sin lædat sanguinem & affinitatem, Incestus acquirit nomen. In virginem peccans stuprum committere, liber cùm libera scortari dicitur propriè. Species sic accipe. Definitio rei.

IIII. Primùm maritata cum vxorato adulterium committit. Vt Dauid cum Bethsaba vxore Vriæ 2. Sam. 11. Est hæc φθορὰ τῆς ὑπάνδρου, hoc est, vitium maritatæ illatum. Species adulterij.

2. Coniugatus cum vidua: quæ dicitur φθορὰ πρὸς χήραν. Semiramus vidua passim quosuis admisit vxoratos, etiam milites formosiores. Iuda cùm Thamar iam vidua Genes. 38. quamuis incestus hic sit commissus, nec simpliciter adulterium: nam Thamar vxor fuerat ipsius Er, & Onan filiorum Iuda.

3. Vxoratus cum puella, φθορὰ πρὸς παρθένον. Hoc vitio laborarunt principes vt olim, ita hodie. Hercules post ordinariam vxorē, plurimas rapuit virgines, vna nocte dicitur quinquaginta vitiasse, etiā proposito præmio. Proculus Imperator vxoratus, Sarmaticas virgines cētū sibi seruauit bello captas, quas oēs intra dies quindecim corrupit, vt scribit Sabellicus, &c.

4. Liber cum maritata. Paris vxorem Menelai Helenam rapuit. Ægystus adulter factus cum Clytemnestra Agamemnonis vxore. Gyges liber cum vxore Regis Lydorum, vt refert Plato de Repub.

Est & hæc diuisio non inutilis. Adulterium aliud simplex est, quod scil. simpliciter fit cum maritata muliere: vt Sallustij cum vxore Annij Milonis, Cæsaris cum Sulpitij vxore Posthumia, eiusdem cum Lollia Gabinij vxore, cum Tertullia Crassi, & Seruilia Matre Bruti &c. Alia diuisio.

Aliud non simplex, sed alia habet coniuncta scelera, vt Dauidis habet coniūctum homicidium & raptum. Iudæ habet coniūctum incestum. Paridis raptū, Procli, Herculis stuprū, &c.

Est & illa distinctio vtilis consideratione. Adulterium aliud est facti, aliud iuris seu æstimationis. Adulterium facti vel iuris.

Facti appello, quod re ipsa & opere perpetratur. Qualia sunt exempla priùs adducta. Iuris autē dico, quod licet facto non cōmittatur, iure tamen reputatur quasi factum, æstimatione tale est. Nam scriptura non solùm facti adulterium prohibet, ac punit: sed etiam appetitum: quò pertinet lex Mosis Exod. 20. non concupisces vxorem proximi tui: & Christi lex Matt. 5. qui aspexerit vxorem alterius, ad concupiscendum eam, iam adulterium cum ea commisit in corde suo, &c. De speciebus ita dictum sit, ad quas facilè est reliquos casus accommodare, si qui occurrunt vel in prophanis, vel sacris literis.

V. Cæterùm de pœna huius flagitij in primis nobis erat dicendū.Nam hinc facilè constare poterit quàm sit inuisum Deo peccatum hoc.Et cùm de eo alij aliud semper statuerint: (nam alij capitalem pœnam voluére: alij pecuniariam: alij liberum permisére, vt corruptæ Respub.)ideóque nos totam hanc rem de pœnis in tria hæc capita conferemus.

De pœnis adulterij.

Primùm de ordinariis pœnis agemus:quò referimus pœnas à Deo contra hoc flagitiū constitutas:deinde quas pij magistratus & sapientes viri apud Gentes posuére.

2. Alterum de insolitis pœnis quibus Deus in hoc animaduertit, quoties homines qui punirent aut non erant,aut non vellent.

3. Tertium de priuata animaduersione, qua coniuges, aut parentes in suis idem crimen sunt vlti. Quæ omnia diuina quadam vltione contra adulterium immissa sunt, & in ipsius detestationem posteritati prodita.

Ac quod attinet pœnas ordinarias, meritò hic diuina constitutio primum habet locum. Illa est capitalis,Leuit.20.*vir qui mœchatus fuerit cum vxore viri,qui,inquam,fornicatus fuerit cum vxore proximi sui,morte interficiatur,tam adulter quàm adultera*: sic quidem simplex adulterium seuerissimè punit Moses. Aliter si in virginem committatur.Nam Exod.22. *qui stuprum intulit virgini,illam ducere debet in vxorem,vel si parentibus puellæ non placet,dotem numerare debet, pro dote virginum.*

Circunstātia adulterium grauius reddit.

Cæterùm si filia fuerit sacerdotis,grauiùs animaduertit.Nam Leuit.21.adultera filia sacerdotis exuri iubetur.Ratio est,inquit,quia prophanauit patrem suum,hoc est,crimen hoc redūdat in patris sacerdotis ignominiam,& inde, ad veræ Religionis ipsiúsque Dei infamiam. Voluit enim Dominus præsides Religionis semper castiùs viuere in cæterorum exemplum: quod etiam hodie in ministerio seruandum erat.

In nouo Testamento lex illa non est renouata: nec Christus aut Apostoli quicquam noui pronuntiarunt.Christus certè cùm adulteram interrogaret,*nemo te condemnauit*: videtur integrum reliquisse iudici bono, vt pro rei magnitudine in hâc statueret secundùm legem Mosis.Id cùm factum non sit,relinquit eam liberam à pœna,illud addens,ne deinceps peccaret. Nam Euangeliū nō agit de corporalibus pœnis,nec Christus venerat,vt Respub. ordinaret, aut corruptas emendaret leges.Apost.Paul.1.Cor.6.pœnas pronuntiat:quòd tales nō habeāt locum in regno cœlorū,nec erretis fratres,nec scortatores,nec idololatræ,nec adulteri, nec molles,nec ἀρσενοκοῖται,nec fures,nec auari,nec ebrij,nec maledici,nec raptores, accipient hæreditatem regni Dei. Atque hæc pœna firma & fixa manet,vtvt homines conniueant.

Leges ciuiles adulteriū gladio puniunt.

Leges ciuiles secundùm legem Iuliam de adulteriis,gladio puniunt. vt est Inst.lib.4. Tit. 18.§.Item lex Iulia.Hanc pœnam ratam habet Imp.in codice lib.19.Tit.9.ad legem Iuliam de adult.Hanc tamen legem ius Canonicum correxit vt alia multa,sine causa,ad quæstu magis quàm pudicitiam accommodando leges.Nam ius Canon.cum adulteram iubet in monasterium retrudere,quam intra biennium viro recipere licet,quo trāsancto,vel viro priusquam reduceret ream,mortuo,adultera tonsa,monastico habitu suscepto,ibi dū viuit permaneat: duabus partibus propriæ substantiæ liberis applicandis,tertia monasterio:si liberos non habet,parentibus tertia pars applicabitur, duæ monasterio:si nec parentes extent, omnis eius substantia,monasterio acquiritur.vt est in Cod.lib.9.ex Authenticis repetitum.

Meliùs constituerunt Gentilium sapientes,qui Respub.firmas esse voluerunt.

Diuersæ pœnæ adulterij.

1. Arabes capitali pœna animaduertebant tam in adulterum, quàm adulteram, vt testatur Euseb.de præpar.Euang.lib.6.cap.8.

2. In Tenedo quoque capite plectebantur adulteri.

3. Locri oculos eruebant.

4. Ægyptij naso mutilabāt.Vnde apud nos inualuit mos, vt mater familiâs adulteram aut scortum deprehensum apud maritum,possit si præualeat,nasum illi præscindere.

5. Veteri iure Romano,& Solonis lege quoque conceditur ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehensum occidere impunè.

6. Germanis olim mos fuit,vt maritus deprehensam domo eiiceret,secto capillo verberibus per vicum pelleretur, in rei ignominiam: capitale tamen apud eosdem fuisse testantur iura Saxonum.

Athenis non capitale fuit:tamē satis odiosum & inhonestum,quod declarat genus pœnæ ἀποραφανίδωσις,& παρατιλμος:quo genere expilabantur adulteris pudenda & nates, hinc raphano traiecto ignominiosè tractabantur:ac diuites quidem pecunia sese redimebant, ne illam subirent ignominiam:quòd nisi impetrare possent,sibi fuga consulebant.

II. Alterum genus pœnarum est,diuinitus & singulari exemplo immissum, vt vitij huius enormitas mundo proponi magis posset.Huc pertinent exempla ex historiis, vt Dauidis adulterium Dominus multis modis est vltus:nam qui puniret,non erat inter homines.Paridis & Helenæ adulterium Priamus punire & corrigere poterat, sed cùm nollet, Deus bello decennali & tandem euersione regni punit. Romæ reges eiecti ob adulterium Tarquinij cum Lucretia,quòd cùm pater non puniret,Dominus seditione in populo excitata effecit, vt pater cum filio eiiceretur,hinc etiam Reipub.status mox est immutatus.

Romæ

Romæ etiam postero seculo Decemuiri ob idem crimē sunt eiecti. Nam Appius Claudius decemuir Virginiam honestā puellā per vim rapuit, ob quod status ille mox est immutatus: quæ diuinitus sunt immissa supplicia contra istam libidinem. Et si vitas Cæsarum euoluas, omnes reperies hoc crimine laborasse, aut sanè maiorem partem, qui deinceps omnes miserè perierunt. Talis enim fuit Iulius Cæsar, Domitianus, Nero, Caligula, Commodius, Gordianus, Heliogabalus, Phocas, &c. qui omnes fato singulari huius sceleris dedêre pœnas.

Exemplū diuinæ vltionis in adulteros

III. Adde iam priuatorum hominum iudicia. Nam vtut sibi blandiantur homines in libidine: tamen seuerissimè in deprehensos semper fuit priuatim animaduersum. Annius Milo C. Sallustium historicum in adulterio deprehensum, loris ignominiosè castigauit. Refert Cœlius lib. 11. cap. 25. Hiettum Argiuum deprehensum à se adulterum Molurum occidisse, móxque lata lege confirmatam hanc licentiam, vt singulis id liceret in adulteros.

Refert Ouidius in Ibin, quòd Hippomanes filiam suam Limonem in adulterio deprehensam, equo famelico obiecerit, deuorandam: crudele id quidem, sed flagitiū magnitudine pœnæ inuisum fieri debuit. Romani etiam Imperatores quanquam licentiosè hic peccarent, tamen legibus alios conati sunt coërcere. Vt Iulius Cæsar, cuius nota sunt adulteria cū Posthumia, cum Lollia, Mutia, Seruilia, Iunia, Cleopatra regina Ægypti: vnde per conuitiū, omnium mulierum vir dictus est: tamen legem Iuliam confirmauit, & grauiùs cēsuit in adulteros animaduertendum. Idem fecit Augustus, quamuis cum Liuia, Terentilla, Drusilla, Saluia, adulteria committeret, vt est author Suetonius. Domitianus quoque legem Iuliam, cōtra adulteros renouauit, quamuis ipse Clinopalen exagitaret, & exerceret. Et alij plurimi. Proprio isti se cōdemnarunt iudicio, cùm in aliis impium iudicant, quod ipsi commisêre: id firmissimum est argumentum rem sua natura abominandam: nullus enim adulter in sua adulterium ferre potest, nulla adultera quoque viri adulterium sciens æquo fert animo.

Iulius Cæsar vir omniū mulierum dictus.

Quò facit naturæ vis in animalibus brutis, quæ idem abominantur, vt refert Ælianus de turturibus, palumbis, columbis albis, porphyrione. Memorabile est quod refert de elephāto, qui adulterium in vxore heri sui seuerissime puniuit. vid. lib. 11. cap. 15. de animalibus.

Simile est quod refert lib. 8. cap. 20. de ciconia in Thessalia, quæ Alcinoen mulierem cum seruo adulterij consuetudinem habentem absente marito impetu facto oculis priuauit.

Porrò hodie quæ pœna illis conueniat dubitant multi: quod non aliunde euenit, quàm quod principes & qui alios punire debent fermè isto morbo laborāt: fatale enim hoc peccatum est in familiis principum, regum & in potestate constitutorum. Sunt tamen hodie reformatæ Ecclesiæ, quæ illud capitali pœna afficiāt, vt Geneuæ, apud Saxones, in Palatinatu Rheni. Apud alios ludibrium magis est, quam pœna, vt meritò possis dicere, Vbi nam lex Iulia? dormis, &c

---

DE DIVORTIO.

LOCVS CL.

DIVORTIVM in nouo Testamento appellatur ἀποςάσιον: quasi dicas defectionem. Græci alioquin ἀποςάσιον etiam dixerunt actionem contra ingratos. Et ἀποςασίυ δίκη erat contra eos, qui in periculo Rempub. deseruissent. Vt in bello, fame, peste &c. In peste sane qui sese subtraxisset oneribus publicis, & negotiis ciuilibus, secundum hanc actionem poterat à Respub. submoueri.

1. Græcis ἀποςάσιον.

Verum sacris literis ἀποςάσιον significat diuortium. Vnde illæ sunt phrases, γράψαι ἀποςάσιον, ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα. Quibus nihil aliud, quàm matrimonij cōtracti denotatur separatio.

Hebræi appellant *Sepher hakeritut*, hoc est, libellum succisionis. Nam communio rerum, vitæ consuetudo & similia, quasi succisa per illum tollitur. Dicitur & *gerusch* quasi repudium dicas. Mulierem geruscha appellant abiectam, dimissam. Iudæi hodie *geth* appellant, quia testis sit voluntatis erga dimissam mulierem.

2. Hebræis quid repudium.

Latini diuortium nominarunt, à diuertendo, quòd diuertant, hoc est, discedant. Aliis placet à diuersitate mentium denominatum. Quo significatur animo iam matrimonium displicere, & causas rumpendi illud quæri.

3. Latinis diuortiū Pandect. lib. 24. Tit. 2. de diuortiis est Caij sententia

Diuortium porrò & repudium, quanquam pro eodem reperiam sumi apud Iurisconsultos promiscuè: tamen placet quibusdam illud discrimen. Vt diuortium propriè sit inter virum & vxorem: Repudium verò dicatur sponsæ remitti, & in vxoris personam non videtur cadere. Sponsa igitur nondum facta vxor ob rem pudendam repulsa, repudium tulisse dicitur.

Diuortiū & repudiū quid differant? Repudiū vnde dictum?

Hæc de voce admonere libuit, vt intelligant adolescentes vnde petita sit, & quid eo nomine significetur.

Expendamus etiam paucis definitionem. Diuortium aiūt esse ordinariam viri & mulieris separationem. Ordinaria separatio cūm dicitur, intelligatur oportere subesse iustas dimissionis causas, ne sine causa factum possit videri. Quod de Valeria dicit M. Cælius Ciceroni scribens: Paula Valeria soror Triarij diuortium sine causa, quo die vir è prouincia venturus erat,

Quid sit diuortiũ? Cic.l.8 epist.7. An fieri debeat, hoc est, an sit honestum. Diuortia Romæ. Ad Attic. 20.6. In Philippicis.

fecit. Deinde vt apud ordinarium magistratum fiat, non enim vt consensu matrimoniũ contrahitur: ita solo consensu legitimè dici potest dirimi. Videndum ergo nobis deinceps, an diuortium legitimè fieri possit, hoc est, an iuris diuini & humani sit semel acceptam dimittere. Deinde si constet rem per se honestam esse, & legibus permissam: quæ sint eius iustæ & legitimæ causæ, tum apud veteres habitæ, tum quibus hodie de causis matrimonium permittatur tanquam extremo remedio & quidem dolendo dirimi.

Ac quod vsum eius attinet, cõsensus ferè omnium nationum illi authoritatem fecit. Hinc legibus ciuilibus roboratum est. Nec solùm humani iuris: sed & diuini habet patrocinium.

Apud Romanos primus Carbilius Ruga vxorẽ dicitur repudiasse cùm ex illa vitio corporis liberos nequisset suscipere. Deinceps res ita visa est facilis, vt creberrimus fuerit Romæ eius vsus. Hinc leguntur apud Cic. Lentuli cũ Metella, Antonij cũ Mima diuortia. Mimã exegit: illam suas res sibi habere iussit, quàm spectatus ciuis? cuius ex omni vita, nihil est honestius, quàm quòd cum Mima fecit diuortium. Cluentiæ etiam & Melini diuortium subitum est in Oratione pro Cluentio. Imperatores postea legibus hanc rem limitarunt. Eadẽ fuit cõsuetudo Græcis in repudiandis vxoribus. Hinc inter Solonis decreta lex est, vt qui vxorem exturbasset, hoc est, diuortium fecisset, dotem illi restitueret.

Germani

Veteres Germani diuortia ignorasse videntur, apud quos moris erat, vt semel cum nupta transigeretur, cum qua etiam senescendum erat, neque à viro diuertere, neque post obitum alteri nubere permittebatur.

Iudæi.

Apud Iudæos mos nimium frequens fuit etiam primis patrum seculis, quod ex Christi sententia colligi potest Matth.19. Moses *ad duritiem cordis vestri permisit vobis repudiare vxores vestras: sed ab initio non fuit sic.* Porrò quòd Moses permiserit, vide locum Deut.24. vbi lex repudij habetur & formula eius declaratur.

Hinc igitur patet rem esse iuris tam diuini quàm humani, siquidẽ de eo leges extant apud Mosen, & Imperatorum decisiones. Verùm legum ratio videtur non tam necessitas, quàm temeraria leuitas. Necessitatis quidem erat aliqua ratio, si consideremus muliebrem sexum. Nam illis conducibilibus erat semel dimitti, quàm in perpetuum malè tractari, aut etiam in vitæ discrimine versari. Leuitatis verò ratio erat longe maxima penes maritos, qui nulla non de causa repudiare nitebantur. Erat igitur illa temeritas refrænanda.

Iustæ causæ veteribus Romanis.

Primùm diuortij causæ iustæ apud priscos Romanos fuerũt pauciores, & magna ex parte tales, quæ hodie inter leues connumerari facilè queant. Nam leges Romuli non permittebãt vxori virum relinquere & cum alio copulari. Viro etiam nisi vxor 1. in adulterio. 2. aut veneficio. 3. clauium adulteratione deprehensa foret. 4. aut nisi vinum biberet, nulli diuertere sinebant. Qui aliter dissidium fecisset, bona viri ad vxorẽ deuolui voluere. Hęc Romana erat tum seueritas & morum integritas, à qua nos hodie quantum absimus vel ex eo perspici potest, quòd causæ illæ repudij leues hodie æstimantur, excepto veneficio & adulterio. At vinũ bibere vel ad ebrietatem, hodie matronis est gloriosum multis in locis.

Lege 8. consensu & in authenticis Coll.4. de nuptiis Cõst. mitiores. Si igitur secundum.

Deinde plures addidere Imperatores. Eas ex lib.5. codicis. Tit.17. de repudiis huc afferemus. Ita enim cum nostris hodie vsurpatis conferri possunt meliùs. Sic igitur habet §. Si qua igitur 1. maritum suum adulterum. 2. aut homicidam. 3. aut veneficum. 4. vel certè contra nostrũ Imperium aliquid molientem. 5. vel falsitatis crimine condemnatum inuenerit. 6. si sepulchrorũ dissolutorem. 7. si sacris ædibus aliquid subtrahentem. 8. si latronem. 9. vel latronum susceptorem. 10. vel abactorem. 11. plagiarium: 12. vel ad contemptum sui, domúsve suæ, ipsa inspiciente cum impudicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem. 13. si suæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio simili modo insidiantem. 14. si se verberibus quæ ingenuis aliena sunt afficientem probauerit: tunc repudij auxilio vti, necessariam ei permittimus libertatem. His quidem de causis vxori licebat diuertere à marito.

Et in authen. Col.4. de nuptiis. Const. mitiores. §. rursus.

Porrò maritus contra vxorem easdem habebat ferè causas, quas ibidem recẽset codex his verbis. Vir quoque pari fine claudetur, nec licebit ei, sine causis apertiùs designatis propriã repudiare iugalem, nec vllo modo expellat, nisi 1. adulterã. 2. vel veneficam. 3. aut homicidã. 4. aut plagiariam. 5. aut sepulchrorum dissolutricem: 6. aut ex sacris ędibus aliquid subtrahentẽ: 7. aut latronum fautricem: 8. aut extraneorum virorum se ignorante vel volente conuiuia appetentem. 9. aut ipso inuito sine iusto & probabili causa foris pernoctantẽ: 10. nisi circensibus vel theatralibus ludis vel arenarum spectaculis in ipsis locis, in quibus hęc assolent celebrari se prohibente gaudentem: 11. vel nisi sibi veneno, vel gladio, vel alio simili modo insidiatricẽ: 12. vel contra nostrum imperium aliquid machinantibus cõsciam: 13. seu falsitatis crimini se immiscentem inuenerit. 14. aut manus audaces sibi probauerit ingerentẽ. Tunc enim necessariam ei discedendi permittimus facultatem, & causas dissidij legibus comprobare, &c.

Nostri seculi causæ iustæ.

Tertiò nostræ hodie leges & consistoria aliis de causis repudia admittunt. Bona tamẽ parte cum legibus Imperatorum conueniunt: legibus autem diuinis nituntur, & sententia Christi prohibentis leues diuortiorum causas, Matt.5. & 19. Prima igitur causa diuortij est πορνεία adulterium. Sic enim Christus excipit παρεκτὸς λόγυ πορνείας. Huic cõsentit lex codicis. Nam & viro contra vxorem & vxori contra virum hæc permissa est. Præterea adultera secundum

legem

gem domini lapidanda est. Deut.22. magis ergo repudianda. Et leges Romanæ etiam permittunt marito vxorem deprehensam in adulterio interficere, & eum liberant à pœna, quam lex Cornelia de sicariis statuebat, vt patet ex rescripto Imperatorum Marci Antonini & Cōmodi filij. Imò patri quoque eadem potestas datur, vt adulterum simul cùm filia, quam in potestate habet, occidat. Quod Vlpianus mox interpretatur, si in ipsa (inquit) turpitudine filiam deprehenderit, Quod & Labeo & Pompo. approbant, In ipsis rebus venereis deprehensum occidi. Citatur ibi Solonis & Draconis lex, quæ tamen quia Græca fuit, omissa est. Digesti Noui li. 10. Dig. noui l. 10.

Deinde Christus Matth.5. ait, *Quicunque aspexerit vxorem alterius ad concupiscendam eam, iam adulterium cum ea commisit.* Quo sanè Christus ostendit matrimonij dissipationem non esse solum facti externi: sed cordis & ἐπιθυμίας. Hæc vbi hominem possederit, intolerabilē cōuersationem reddit cum coniuge: tandem etiam factum solet plerunque consequi, vt constet tales non à domino coniunctos. Et quia Apostolus. 1. Cor.7. inquit, *propter scortationem vitandam, suam quisque vxorem habeat, & suum quæuis maritum habeat,* solet ad hoc remedium tādem etiam deueniri. Hoc cauetur magis innocenti personæ, vt in futurum non peccet, quàm cōsulatur nocenti, quæ debitam beneuolentiam non præstat compari.

Tertiò, cùm sit euidens matrimonium contrahi propter sobolem, & ad vitandam scortationem: consequi videtur, vt qui ex coniugibus laboret impotentia naturali, matrimonio sit inutilis. Debitam beneuolentiam præstare & officium coniugis non potest obire. Causam diuortij igitur dat. Melius enim est nubere, quàm vri. Et ad scortationem vitandam, quilibet vxorem suam habeat. Hanc causam repudij leges etiam Imperatoriæ, vt est Cod. lib.5. Tit.17. de repudiis L. in causis. Vbi duos annos continuos ab initio matrimonij computare iubet. In auth. Colle.4. de nuptiis, const.1. trienniū computare iubet. Quartò, lepra etiā inter causas reputari solet. Nā cum de illis lex sit Leuit.13. vt soli habitent extra cœtus publicos. Deinde malum sit incurabile, & pura persona, non infici debeat eodem morbo: soboli etiam cautum sit ea lege, ne ex contagiosis contagiosi procreentur: vtique cōsentaneum est personam ab hoc morbo liberam non ligari ad congressum coniugis, cuius morbus iam est notorius. 3. Impotētia. 4. Lepra.

Fuga spontanea & affectata multos etiam separat. Nam cùm inter tales coniuges nulla sit vitæ societas, nulla officiorum matrimonialium communio, nulla sobolis spes, vtique matrimonij nomen amittunt. Adde inter eos esse occasiones scortationis, manifesta etiam adulteria. Leges igitur innocenti & sese continere non valenti repudium concedunt. 5. Fuga affectata.

Sextò Olim deportatio in insulas, aut ad metalla condemnatio soluebat matrimonia. Quāquam in authenticis sit correcta, tanquā insufficiens, similiter aquæ & ignis interdictio. Hodie ea non fit amplius, nisi qui bello capti deportātur. Sed quibus aqua & ignis interdicitur, hoc est, qui capite diminuuntur, hi matrimonij ius amittunt, cùm non possint tutò cohabitare, & infame sit illorum consortium.

7. Si quis etiam ex coniugibus viuente priore cum altero iniret consiliū matrimonij, tū permittebant leges, si res notoria fieret, vt innocenti repudium facere liceret. De ea habes Codic. de repudiis L. Iubemus. §. inter culpas. Et in auth. Coll.4. vbi sic scribitur. Has itaque causas nobis Theodosius explicauit, nos autē ex veteribus sumentes, & alias adiecimus tres. Si enim mulier tanta detineatur nequitia, vt etiam ex studio abortum faciat, virumque contristet, & priuet spe filiorum: Vel, tanta libido est, vt etiam cum viris voluptatis occasione lauetur: Aut etiam dum adhuc constet matrimonium cum viro, ad alios de nuptiis suis loquatur, licentiā datur à nobis viris mittere eis repudia, &c. 1. Studiosè abortū facere. 2. Cum viris lauari, noua moliri matrimonia.

Octauò, si inhumanior existat maritus verberando, vt crudelitas manifesta sit. Nam ita in vitæ periculo posita est vxor. Leges ei subuenire solent, si nulla sit emendationis spes. Hinc ex cod. citari solet illud, si se verberibus, quæ ingenuis aliena sunt, afficientem probauerit.

Huc facit insania, quæ in rabiem manifestam erumpit, quam vinculis coërcere oportet, ne liberis propriis, coniugi, alijsque obuiis noceat: Et morbum constet induratum & incurabilem esse humanæ industriæ. 9. Furor Vide li. 24. Pand. Tit.2. de diuortiis & repudiis. §. Iulianus. 10.

Denique 1. Cor.7. Apostolus scribit de impari coniugio: *quòd si incredulus discedit, discedat.* Non est seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi. Manifesta est causa repudij ex volūtaria distractione. Infidelis maritus cum fideli vxore monere non vult. Separetur ergo. Sic infidelis vxor cum pio marito. Dirimitur igitur matrimonium propter fidem & religionem. Impar. cōiugium.

Hę videntur causæ graues & magni ponderis, propter quas ad hoc vltimum remedium cōfugere solent homines. Nam pij homines præcipuè hoc cauere debent, ne leuitate quadam huc cōpulsi videantur. Nec probanda sunt in ea re veterū exēpla statim: hodie.n. alij sunt mores, alia tempora, alia recepta libertas, & fortasse etiam licentia. C. Sulpitius vxorē dimittit, quia nudo capite foras prodiisset. In ea grauitate & seueritate locū habebat: sed quid hodie facias, vbi publicè ferè receptū est, nudatis conspici vxores capitibus. Sic P. Sēpronius, quia vxor ludos scenicos spectasset se inscio, repudium ei mittit. Hodie vterque sexus spectaculis interest. Hæc & similia temporū & morum corruptela correxit, vt nō possis repudiare vxorem, quia cum liberto fabulātem liberiùs videas, quod scribunt fecisse Antistiū. Quare tardè quidem & serò nec nisi vltima adacti necessitate, ad hoc remedium oportet confugere. Etenim Serò est ad diuort.

tium con fugiendū matrimonium quidem consensu contrahi potest solo.

1. Non autem sic perinde facilè dirimi potest. *Quos enim Deus coniunxit, homo non separet.* Deinde accedit fauor liberorum, qui imperat difficiliorem debere esse matrimonij solutionem. Cùm illa ad liberorum cedat ignominiam & perpetuam turpitudinem.

Præterea dignitas matrimonij tāta esse debet, vt quia Deus fecit duos in carnem vnam, & hominem dixerit non esse bonum esse solum. Argumentum irati Dei iudicemus, si quādo ad illa compellamur remedia. Et certū est nos fateri errores nostros illo facto, quòd inuito Deo coniunxerimus nos, quos Deus non coniunxerit: aut malè nos disiungere, quos coniunctos velit esse Deus.

Accedit Christi authoritas, tam seriò & grauiter statuētis de matrimonio, Matt. 5. 19. Quare reliquis causis non ita facilè debemus credere, minùs etiam plenas iudicare. Cùm solum πορνείαν excipiat Christus.

Adde, quòd naturæ repugnat, eam, quæ vitæ debet esse socia, cū qua diu vixisti, cū qua vna es factus caro, cui te tuáq; omnia cōmisisti: in primis, si inde sit soboles, pignora mutui amoris eam, inquā, dimittere, non nisi grauissimis de causis, & extremis quibusuis priùs tentatis, planè repugnat naturæ: cū nec inter aues, inter animalia vitæ socia ita facilè repudietur, &c.

Quia typus Christi & Ecclesiæ. 6. Huc facit locus Eph. 5. vbi Apost. ad matrimonij commendationem applicat typum Christi & Ecclesiæ. Nam sic ostendit debere inuiolabile esse illud coniugij vinculum, & perpetuum illum amorem, adeóque castum inter coniuges, qualis est Christi respectu suę Ecclesiæ. Mysterium magnum vocat.

7. Leue diuortium multa sequuntur mala. Denique si expendamus incommoda & calamitates discedentium per diuortium, vtique meritò detestabimur hoc remedium, nec minùs inuiti, quàm ægroti amaras sumūt potiones, admittemus. Etenim sine infamia vix potest fieri, aut certè sine aliqua nota inconstantiæ. Et esto illas etiam deesse, dolor tamen & cruciatus aliquis adest, propter cōiugis turpitudinem. Taceo si sint liberi, quanta hos cōsequatur ignominia. Sin planè sint leuia diuortia, tum grauiora consequuntur mala. Nam si Christi expendas dicta. Matth. 5. 19. Ex diuortio leui multa consequuntur adulteria.

Primùm ipsi diuertentes flagitium committunt, dū separant sese temerè. Adulterant enim matrimonium pium.

Deinde maritus nouam ducendo aliud committit adulterium, cùm à priori non habuerit iustam diuertendi rationem.

Tertiò, vxor prior, etiam si adultera non sit, iam tamen constituitur talis dimissa.

Denique qui hanc ducit, etiam committit adulterium. Tanta est colluuies malorum, quoties temerè & qualibet de causa Iudæorum more, ad hoc remedium homines confugiunt.

Hæc promiscuè ad virum & vxorem spectant, cur tardè huc debeant progredi. Ad virum tamen magis. Nam de vxore si loquendum sit, poterant superioribus causis aliæ addi, quæ eius personam magis propriè concernunt.

1. Nam mariti est vxorem alere, tueri, prospicere illi de rebus omnibus.

Deinde vir caput est mulieris, Ephes. 5.

Præterea lex Dei creatoris habet, *Is dominabitur tibi*, Gen. 3.

Adde his, minùs potest falli in liberorum suppositione, cùm facillimum sit vxori hac in re fidem mariti fallere, & ex adulterio conceptos marito quasi legitimè natos enutriendos dare & commendare: & in hac re marito non licet etiā esse suspiciosum. Itaque illud est, quod volumus, marito quidem tardè huc confugiendum: minùs autem in eo negotio permittendum & credendum mulieri, cum minùs habeat iuris in tota sua vita, imò non sui penitus sit iuris, & corporis sui ius, sit in potestate legitimi mariti.

Cod. li. 5. de repudiis. 2. 8. Quare piè & religiosè leges nostri consistorij iubēt extrema quoque experiri, priusquam huc descendatur. Et in hoc eleganter consentiunt cum Iustiniano, qui in Codice infaustum hoc, attamen necessarium auxilium appellat, dum ita scribit. Sicut enim sine iusta causa dissolui matrimonia iusto limite prohibemus: ita aduersa necessitate pressum, vel pressam, quāuis infausto, attamen necessario auxilio cupimus liberari.

DE CHOREIS ET SALTATIONIBVS.
LOCVS CLI.



HERODES apud Matthæum saltatriculam conuiuio adhibet puellam: quæ saltare elegantiùs nouerat, quàm necesse est probæ. Qua re moti, plura nobis dicenda iudicauimus de choreis & saltationibus. Dicemus autem de earum origine ac vsu apud gentes. Deinde quid sacræ literæ de choreis statuant. Denique an homini pio res sit licita, nec ne.

De origine dicemus saltationum, priùs de voce aliquantum philosophati.

Ratio nominis. 1. Χορείαν Græci dicunt ἀπὸ τῆς χαρᾶς, à gaudio, quòd rebus secūdis eius esset præcipuus vsus.

2. Sic ὄρχησιν appellarunt ἀπὸ τοῦ ὀρέγειν, ex quo ὤρεχα, hinc per syncopen ὦρχα, inde ὄρχησις saltatio.

Sin-

Singularis enim est appetitus, & desiderium quoddam amens in eo genere exercitij.

Alij vt rem minùs libidinosam faciant, iudicant dici παρὰ τὸ ὀρέγειν τὰς χεῖρας, quia consertis & extensis manibus fiat. Origo chorearũ

Ad originem autem magis pertinet, dici ὄρχησιν ἀπὸ τῶν ὄρχων. Videntur enim primi Bacchi cultores primitias illi offerendo inter vinearum ordines choros duxisse.

Latini saltationem à saltu, aut potiùs à Saliis Martis sacerdotibus denominarunt. Nã in sacris eius Cymbala concutiebant circum aras, motus quosdam corporis edebant, per vrbẽ etiam interdum cursitabant. Hinc saltus & saltatio, hoc est, corporis cõcinnus motus numeris aptus. Nam πηδᾶν, vt ait Plato, animantes à natura habent: homo autem qui rythmum numeros & harmoniam intelligit, motum corporis concinnitate quadam numerosa exornauit.

Hinc de origine vtcunque iudicari potest. Nam homines sagaces cùm viderent luctum in rebus aduersis certis gestibus corporis & voce querula exprimi: sic gaudium & amorẽ erga res cupitas rebus secundis, voluerũt motu numeroso & harmonico declarare. Accessit rei oblectatio, quæ mentes hominum commouit, & in admirationem rapuit. Hinc Plato rectè dicit Palladem quoque hinc denominatam esse. Quia, πάλλειν καὶ πάλλεσθαι, ὀρχεῖν καὶ ὀρχεῖσθαι καλοῦμεν, & commotionem mentis esse in saltationibus satis declarant tragicæ saltationes, satyricæ debacchationes, comici motus impudici, Baccharum decursitationes. Origo.

Quis autem primus choreas introduxerit vix satis constat. Græci ferè ad Orpheum & Musæum originem referunt. Opinor quòd Musici & Poëtæ fuerint, ac omnia sacra cum saltatione instituerint. Molles saltationes & impudicos gestus ad psallendi normam accommodatos Iones primùm inuenisse dicuntur. Authores Iones.

Phidamon homo nobilis in Delpho apud Pythium delubrum primus choreas instituit circa annum mundi 3920. tempore Gedeonis Hebræi, vt scribit Euseb. in Chronicis. Pyrricham autem saltationem in armis, idem Euseb. Curetibus & Corybantibus tribuit, qui Gnossum condiderunt, circa annum mundi 3656. tempore Mosis.

Apud Latinos Romulus dicitur bellicrepam saltationem in armis instituisse. Idem Salios Marti ordinauit, hinc in sacris adhibitæ. Liuius tamen scribit morem ducendi choreas ab Hetruscis ad Romanos profectum.

Vtvt sit, videmus morem hunc fermè apud omnes nationes inualuisse. Nec potest negari, quin Christiani, à gentiũ seu petulantia seu superstitione, hos mores hauserint. Petulãtia est, quia in otio nulla de causa, animos relaxarunt, non satis honestis rationibus. Superstitio aũt, quia pedibus circa aras ad numeros tripudiare, hymnos canere, cymbala quatere, choros ducere, &c. iudicabãt se numen placare: cum spiritu & pura mẽte, & quiete magis, quàm motu colatur: Delij absque saltatione & musica nullum administrabant sacrum. Sic Curetes sine strepitu & tympanis non faciebãt sacrum. Persæ saltare & equitare præcipua habere studia. Hinc Persicè saltare apud authores passim. Et Artabazus Persas Hystaspæ apud Xenoph. per iocum dicit ὀρχεῖσθαι δεῖ περσικόν, saltandum est Persicé. Lacedæmonij quoque tanquam bello vtilem, vt gressu composito incederẽt, inter quotidianas disciplinas habuere saltationẽ. Epaminondas laudatur inde, quòd & cãtasse & probè saltasse scribatur. Barbaræ etiam nationes saltationes habuere. Indi scribuntur quotidie manè & vesperi cum saltatione Solem Orientẽ & Occidentem salutasse. Fuerũt eius adeo studiosi, vt elephantes quoque ad numeros saltare docerent. Sybaritæ, homines voluptatibus dediti, etiam equos ad saltationem instituere. Apud Latinos satis cõstat, à Priscis tẽporibus Romuli vsque fuisse in vsu: postera ætas illustria eius rei habet exempla. Nã Appius Claudius, Gabinius etiam, M. Cælius, Licinius itẽ Crassus benè saltare gloriæ loco duxere. Antonius Cæsar etiam cùm sacrũ faceret, Heliogabalo mulieres Phœnissas adhibuisse dicitur, quæ in vrbẽ cursitarent, cymbala pulsarẽt & organo musico, circum aras psallerent. Nero non solùm saltauit impudicè, sed mimis sese totum miscuit. Christiani Gẽtiũ petulãtia & superstitione choreas hauserũt. Indorũ superstitio.

Constat hinc saltasse non solùm Græcos & Latinos, sed Barbaros etiam. Adde si placet, elephantes, equos imò * simias, vrsos, canes. Decet enim tam laudati inuenti plurimos esse æmulos.

De origine diximus quantùm ex nominibus ipsis colligi potest, & primis inuẽtoribus, deinde quousque res tandem propagata sit nõ solùm inter homines, sed animalia bruta: de vsu nunc pauca subnectamus. Apud Homerum saltationes, vt etiam musica conuiuiorũ sunt appendices. Sic apud Pheacenses fatetur Rex Alcinous in vsu esse αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε, id mox facto comprobant, Demodoco ad cytharam canente, surgunt κοῦροι πρωθῆβαι δαήμονες ὀρχηθμοῖο: & πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν. Deinde Halius & Laodamas Alcinoi filij leguntur μουνὰξ ὀρχήσασθαι, & ὀρχείσθην δ' ἔπειτα ποτὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ. Vlysses reuersus saltationes instituit domi, vt putent nuptias esse in aula Penelopes. Cantor orditur. μολπῆς τε γλυκερῆς καὶ ἀμύμονος ὀρχηθμοῖο, τοῖσιν δὲ μέγα δῶμα περιστοναχίζετο ποσσὶν, ἀνδρῶν παιζόντων, καλλιζώνων τε γυναικῶν.

Apud Xenoph. lib. 6. exped. post fœdera cum Paphlagonibus, peracto epulo, surgunt Græci ad armatam saltationem. Inducitur etiam saltatricula, quæ aptè Pyrricham saltat.

Socrates aliquoties exercitij gratia saltasse dicitur, ac amicis solitũ dicere: παντὸς εὖ μέρους τῶν

* De simiis refert Strabo lib. 13. in festo Dianæ coloes saltare solitas.

Vsus Odys. 9. 1. In conuiuiis. 2. In nuptiis. 3. In fœderibus & epulis. 4. Exercitij gratia. 5. Ad belli studi-

6. Delectationis gratia.

ὄρχησιν γυμνάσιον. Quò facit quod suprà retulimus de Persis, Laconibus, qui bellicas artes saltando meditabantur.

Musæ apud Hesiodum & Anacreontem animi gratia saltāt. Καλλίκομοι κοῦραι Διός, ὠρχήσαντ' ἐλαφρῶς. Est etiam Pindari Apollo saltator. Quidni saltet etiam Iupiter otiosus, vt saltat camelus? De Ioue saltante ita dicitur alicubi δ' ὀρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: de camelis vt magis credamus, Hebræi ob id *circaroth* appellari contendunt, quòd ob leuem & velocem cursum saltare videantur. Verùm ne Terentius etiam restim ductitans saltet, & occinat nobis Aristophanicus chorus, ὡς ἥδομαι καὶ τέρπομαι καὶ βούλομαι χορεῦσαι ὑφ' ἡδονῆς, reuocemus nos, totā hanc exercitationem quod vsum attinet præcipuè in tribus consistere. Aut enim ad belli studia faciebat ac seria quędam erat imitatio: Aut pacis erat, ac in rebus diuinis cum religione quadam fiebat: Aut denique ludorum quoddam exercitium oblectamenti gratiâ repertum. Huc facit Platonis sententia, qui ὄρχησιν aliam constituit in sua Repub. πολεμικήν, qualis est Pyrriche ἔνοπλος saltatio, quam studiosè iuuentutem docebant Lacones & Persæ. Aliam εἰρηνικὴν constituit & ἐμμέλειαν vocat, cuius sit vsus in sacris. Vtraque γυμναστικῆς est species, & apud eum authorem ἐπαινετή. Tertium deinde genus recenset probrosum & odiosum Platoni, id totum à sua Repub. iubet exulare. In eo numerat genere tragicas, comicas, bacchicas saltationes, quæ non ad liberos homines, sed ad seruos spectent.

Vsus triplex Chorearum.

Alij ὄρχησιν distinguunt in πολεμικὴν, & γελαστικήν. Priorem belli artibus adscribunt: posteriorem & theatris & conuiuiis relinquunt. Ad theatricam pertinet tragica, comica, satyrica, bacchica. Ad conuiualem autem recreatio liberalis, vt appellant, quò pertinet etiam musica. Sed nec hi à nostra sententia alieni sunt: nisi quòd in rebus diuinis nullum videntur ei locum concedere, in quibus tamen præcipuè adhibita sit.

Proderit fortasse etiā partes saltationis subnectere, non puduit illum equitare in arundine longa inter pueros: dabitur igitur nobis quoque venia, si insanire aliquantulùm, præsertim cum ratione, libeat. Plutarchus scribit tres in ea esse partes, φορὰν, σχῆμα, & δεῖξιν. Φορὰ illi motus est corporis ad numeros. σχῆμα habitus & ornatus. Nam personati quādoque saltabant, in quo erat necessum decorum personæ in habitu exprimere, δεῖξις gestus sunt, animi significationem declarātes, & quia sine voce interdum fiebat saltatio, δείξεις tum animi λογισμοὺς exprimebant. Verùm ad philosophiam ista pertinent. Nostræ saltatriculæ duas agnoscunt solùm partes, prior ludionis est musici, qui instrumento musico numeros modulatur, posterior est chori: & est in hoc choragus, qui chori dux est, ἡγούμενος, qualis Carion Aristophanicus μιμούμενος τὸν κύκλωπα, καὶ τοῖν ποδοῖν ὡδὶ παρενσαλεύων. Hunc chorus sequitur κυκλλίζοντες ὑπὸ φιληδίας, diuisa illa sunt officia. Communes deinde habent partes, βάσιν progressum, στροφὴν cōuersionem, στάσιν intercalationem. Has sine rubore nominare possumus: reliquæ sunt quas deposito rubore & fronte appellabis, vt est ἄρσις, θλῆμμα, κίβασις, φίλημα, νεῦσις, ἐρωτικὴ, &c. De vsu nolo plura commemorare, ne videar in arena vsitata versari: permittam hæc illis, qui Iouem saltantem viderunt: ignoscant etiam illi mihi, si extra oleas saltaui. Nam de vsu & origine apud gentes me solùm dicturum receperam.

Tres partes saltationis.

Quid de choreis sacræ literę statuant.

II. Alterum instituti nostri membrum erat, quid sacræ literæ de choreis statuant? In quo breuiores nos esse conuenit. Cùm parciùs de saltationibus agat scriptura. Eccle. 3. inquit, *tempus est lugendi, & tempus saltandi*. Heb. *ngeth rakod* quod Græci verterunt καὶ καιρὸς τοῦ ὀρχήσασθαι. In nouo Testamento, Matth. 11. Luc. 7 clamant pueri sodalibus suis, *Cecinimus vobis tibiis, & non saltastis: cecinimus vobis lugubria, & non planxistis*, &c. Exempla etiam habet saltationum 2. Sam. 6. saltat enim Dauid. Et Dauid *mecharchar saltabat totis viribus coram Domino & cinctus erat ephod lineo*. Græcè est Dauid ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, quòd licet saltationem non exprimat, mox tamen Michol filia Saulis videt Dauidem ὀρχούμενον. Exod. 34. populus canit & ludit circa vitulum aureum, vbi ludere non aliud videtur, quàm saltare 1. Sam. 18. Mulieres, occiso Goliath, choreas agunt. Exod. 15. Maria soror Mosis, submerso Pharaone, organis ludit, & choreas agit cum mulieribus.

Duplices saltationes.

Ex quibus duo colligi possunt. Prius, Saltationes quasdam esse honestas, qualis fuit Dauidis, Mariæ & mulierū Samuelis. Alias verò turpes, quales populi cui Moses grauiter irascitur: & præsentis loci saltatio puellæ. Herodiadis Matth. 14. Posterius est, choreas diuisas fuisse apud veteres ratione sexus, hoc est, vt aliæ fuerint mulierum, aliæ autem virorum. Nam Dauid solus saltat nō cum matronis aut puellis. Sic Maria inter mulieres & cum mulieribus saltat. Herodias etiam sola legitur saltasse. Tales etiam fuisse gentilium ὀρχήσεις bona ex parte apparet. Talis illa Laconica fuit Trichoria dicta, à Tirtæo instituta. In qua Senum erat primus chorus canentium suas virtutes & facinora pro patria & rebus honestis. Alter chorus iuuenum respondentium senibus, sese iam tales esse, quales senes fuerint. Tertius puerorum longè maiora de sese promittentium auditoribus.

Trichoria saltatio Laconum.

Quare non iuuat nostras saltationes veterum exemplum: laudatæ veterum nostris dissimiles sunt: Vitiosę autem nostras quoque secum damnant. Homerus ἀμύμονα appellat ὀρχηθμόν. Non quòd omnis saltatio talis sit: sed vt rectè interpres Eustat. addit διαστέλλων τῆς φαύλης ὀρχήσεως. Nam illud etiam, quòd corporis agilitas sit donū Dei, quod arte perfectius & absolutius

Odyss. 4.

rius redditur: quemadmodum etiam de musica statuendum est. Nam abusu res ita corrupta est, vt donum Dei ampliùs haberi non possit: sed abusus donorum Dei. Quemadmodum vinum in ebrietate non ex natura, sed abusu damnatur.

Si quæ sunt liberalia corporis exercitia: modò malos non inuehant mores, pudicitiam non lædant, offendicula non statuant, in Repub. bene instituta tolerari possunt. Qualia sunt quæ ad rem bellicam instruunt iuuentutem. &c. Qua ratione dānētur saltationes.

III. Iam de nostris saltationibus. An Christiano homini licitæ sint nec ne.

Per se nō esse damnabiles saltationes iam dedimus. Nam Dauidem, Mariam, mulieres illas apud Samuelem non reprehendimus, nec de his agimus saltationibus: sed de illo genere γελαστικῶ, quod conuiuiis, theatris attributum est. Quod genus vniuersum libidinosum, pessimíque est exempli, ideóque meritò damnatur. Per se nō sunt saltationes dānabiles.

Primùm furibundi quodammodo, & concitati animi in libidinem argumentum est. Qualem motum animus quietus non appetit. Est autem status mentis quietus & tranquillus rebus secundis & aduersis quærēdus: Lasciuum autem & libidinosum esse saltantium morem, satis vsu declarant.

Deinde fine bono non instituuntur, non ad gloriam Dei, vti Dauidis, Mariæ, &c. sed ad carnis titillationem, & libidinis fomitem saltant, vt simul esse possint, vt tangere, colloqui, reliqua obscœnè facere. 1. Ioannis cædes finis præsentis est saltationis.

5. Mixtim fiunt confuso sexu, quales veterum non erant. Quòd si pietatis studio fierent à solis viris seorsim, poterāt vsurpari, quod de Syris fidelibus aliqui referūt, qui in templis suis cantu & saltatione Deum celebrant: verùm soli viri seorsim, & seorsim id solæ agunt matronæ & puellæ.

4. Dissolutas reddit & minùs castas matronas ac puellas, fomēta subministrat libidinis, tum ipsis saltantibus, tum spectantibus, vt omnes dimittat proniores ad violandas diuinas leges de castitate, pudicitia, verecundia sermonis & cogitationum. Quātum malorū adferat chorearū vsus.

5. Nō solum autem bonis moribus obsunt: sed quieti publicæ & ad certam vergūt perniciem. Nam vt nascitur saltatio ex vino, compotationibus, lasciuia mentis: sic relinquit post se stupra, cædes, aliáque nefanda, quibus tranquillitas publica perturbatur.

6. Habet & effecta miseranda. Ioannes capite plectitur ob saltatriculam, de quo elegāter Chrysost. Μισθὸς πορνικῆς ὀρχήσεως, saltationis libidinosæ pretium inquit, factum est caput Ioānis. Populus Dei saltat non nisi iam idololatra factus, & mox ingenti cæde saltat ad mortem.

7. Ac sanè infœlicem esse lasciuæ istius saltationis exitum exempla declarant in ipsa natura posita. Scribit Ælianus de pastinacis piscibus, quòd cātu & saltatione à piscatoribus decipiantur ac capiantur. Idem scribit de Thrissis in Ægypto, quæ in lacu Mareotico cantu & saltatione à piscatoribus alliciūtur, & capiuntur. Satan ille piscator nos ita fallit illecebris illis, ac multos putres, magnos malósque sibi coaceruat pisces. Ac satietas tandem esse debebat istius leuitatis. Sed rectè illud Menelai de nobis dici posset paucis immutatis. Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος μολπῆς τε γλυκερῆς, ὧν περ τὶς καὶ μᾶλλον ἐέλδεται ἐξ ἔρον εἶναι ἢ ὀρχηθμοῦ. Χριστιανοὶ δ' ἐόρχήσεως ἀκόρητοι ἔχουσιν. Omniū rerum est satietas & somni & amoris & cantionis suauis. Itémque eorum quæ quis maximè expetit, desiderium auferri. Christiani autem Saltationibus satiari nequeunt. Graues viri semper oderunt hunc morem, nō solùm inter Christianos, sed etiam inter Ethnicos. Ex vtroque genere pauca expendamus exempla. Ex Christianis Theologi veteres magno consensu saltationes improbant: ita vt D. Chrysost. diabolicas non dubitet nominare. Et alibi dicat diabolum vna saltare. Augustinus grauiter inuehitur in corruptos clericorum mores, qui se Choreis miscebant & cum mulierculis saltabant. Meliùs, inquit, tota die foderent, quàm saltarent die Sabbathi.

Lib. 1. cap. 39. Lib. 6. cap 32. Iliad. v. Homil. 56. in Gē. & Hom. 48. In Mat. 14 In Psal. 32.

Sacri Canones grauiter eas prohibuerunt nominatim verò Clericis. Vt est videre in conciliorū libris. Laodicense consiliū choreas in nuptiis prohibet: idē facit Ilerdense concilium.

In decretis extat anathema Zachariæ pontificis contra saltationes noui anni Cal. Ianuarij. cuius verba sunt. Si quis Calendas Ianuarias, ritu Ethnicorum colere, vel aliquid plus noui facere propter nouū annū, aut menses, cum lampadibus: vel epulas in domibus præparare, & per vicos & plateas cantatores & choreas ducere ausus fuerit, anathema esto.

In iure ciuili etiam olim prohibebantur publica lege, vt est videre in Cod. Tit. de feriis, L. dies festos.

Fridericus tertius Imperator solebat dicere se malle febricitare, quàm saltare. Sic de Alberto Imperat. ferunt venationem virilem iudicasse exercitationem, saltare autem muliebrē esse. Et eò ipso Gallos leues iudicabat Alphonsus Siciliæ Rex, quòd choreis indulgerēt eò magis quātò essent ætate prouectiores. Quare & pietas Christiana & grauitas virilis meritò hoc genus exercitij exosum habere debebat, quò facit quòd ex gentibus viri cordatiores & grauiores eos quoque & exemplo & verbis damnarunt. Platonis extat illustre & factum & dictum. Cùm is à Dionysio prouocaretur, vt etiam sumpta purpura saltaret, recusauit dicens οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στόλαν, ἄρρην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄρρενος, non possem fœmineā vestem induere, cùm sin mas ex mare natus. Verùm nos Aristippum magis exprimimus, Æn. Sylvius, de Friderico tertio imperatore.

Plato recusat saltare.

ſaltamus etiam non ſumpta purpura. Inde etiam ὁ νοῦς ὁ σώφρων,& virilis dignitas cum moribus deponitur.

Hiſt.3.ca.14.

Priamus tanquam probrum filiis obiicit ſaltationem. Τοὺς παῖδας ὀνειδίζει ὡς ψεύστας τε καὶ ὀρχηστάς,increpat natos tanquam mendaces & ſaltatores.

Viri ſapiẽtes iudicarunt in choreis certũ eſſe corrupti animi argumentũ

Scipionis Africani ſeueriſſimam habes cenſuram cõtra ſaltationes apud Macrobium,quæ niſi prolixior eſſet huc cõmodè afferri poterat. Iudicabant hi viri ſapientes & graues corrupti animi certum eſſe argumentũ.Hinc in perſonis proſtitutæ pudicitiæ ſaltationes præcipuè notabant.Sic apud Saluſtium inter complices Catilinæ notatur Sempronia mulier, quæ pſallere & ſaltare elegantiùs nouerat,quàm neceſſe eſſet probæ. Apud Cicero. Caſtor Deiotari accuſator,Regi obiecerat inter alia crimina,quòd in conuiuio nudus ſaltaſſet.Sed quanta cura refellitur?quaſi grande,vt eſt,maledictum.Quòd ſi auum ſaltatorẽ habuiſſes, neque eũ virum vnde pudoris exempla petuntur: tamen hoc maledictum minimè in illam ætatem conueniret.Quibus ille ſtudiis ab ineunte ætate ſe imbuerat non ſaltandi,&c.Sic L. Murenã Cato appellauerat ſaltatorem probri loco,Cicero reſpondet maledictum eſſe, ſi verè obiiciatur vehementis accuſatoris:ſin falsò maledici conuitiatoris.Ac dicit non oportere maledictum arripere ex triuio aut ex ſcurrarum aliquo conuicio.Nemo enim ferè ſaltat ſobrius,niſi fortè inſanit:neque in ſolitudine,neque in conuiuio moderato,atque honeſto. Intẽpeſtiui cõuiuij,amœni loci,multarum delitiarum comes eſt extrema ſaltatio.Notũ eſt,quàm idem Cicero acerbè Piſoni ſaltationes obiiciat & tonſam ſaltatricem. Cuius illa ſunt. Cùmque ille nudus in conuiuio ſaltaret:in quo ne tum quidem cùm illum ſuum ſaltatoriũ verſaret orbem,fortunæ rotam pertimeſcebat.Gabinium aduerſarium inſigni contumelia notaturus calamiſtratũ vocat ſaltatorem.Ex quibus facilè conſtat quo loco habita ſit ſaltatio.Memorabile eſt Demadis oratoris factum,quod huc ſpectat.Cùm Philippus Macedo,bene potus ſaltaret cum amicis,& captiuis ſuas miſerias exprobraret,grauiter eum reprehendens Demades inquit,Quid ô Rex cùm fortuna tibi Agamemnonis perſonam induerit, non pudet te factis exprimere Therſiten.Quo Rex commotus mores illos dicitur mutaſſe.

Saltare probri loco duxit Cato.

Graue dictũ Demadis oratoris.

Dixi de ſaltationibus quantùm Ethnicis bonis & Chriſtianis piis tum doctis tum Imperatoribus diſplicuerint. Vnicum addam punitæ ſaltationis illuſtre exemplum.Scribit Crantius apud Traiectum cùm olim turba hominum ſaltaret in ponte,&ſacra interea negligerent.Põte mox rupto circiter hominum 200.periiſſe in flumine.Laudatur Tiberius & Domitianus in hiſtoriis ſingulari diligentia. Quorum prior ſaltatores Roma expulit.Poſterior verò Cæciliũ Rufum ob id ſenatu monuit in cenſura, quòd ſaltaſſet: quorum exemplo noſtri principes & pij magiſtratus ſeueriùs in hanc petulantiam animaduertere deberent,ne pœnæ diuinitus ob hanc Reip. Chriſtianæ diſſolutionem aliquando eſſent metuendæ,&c.

Ex Dione Tiberius & Domitianus.

DE TERRÆMOTV.

LOCVS CLII.

REFERT diuus Lucas Act.16. Petrum ex carcere liberatum terræmotu commouente fundamenta carceris, adeò vt apertæ ſint ianuæ: qua occaſione de terræmotu promiſi me dicturum,præſertim cùm his ipſis menſibus quibus hiſtoriam iſtam explicuimus apud nos inſignis ſit viſus.Debemus autem ſtudioſè & piè huiuſmodi paſſiones in natura contemplari,quandoquidem non ſine certo fine accidunt,quales ſunt cometæ,fulmina,grauiores tempeſtates, terræ concuſſio: & Dominus Chriſtus inter ſigna recenſet nouiſſimi diei, Matth.24.verſu 7.Luc.21.verſ.11. ideóque meminerimus quoties talia vel legimus, vel audimus aut videmus Dei irati teſtimonia eſſe, quibus hominum ingratitudo & impœnitens vita ad emendationem prouocatur, niſi pœnis ipſis tandem velint ſuccumbere.

Qua in re non ſatis diligenter à Philoſophis tractati ſunt eiuſmodi loci,quos ſolùm ad rationes phyſicas applicarunt & methodo Dialectica illuſtrarunt,non retulerunt autem ad eũ finem,quo fiunt & immittuntur talia ſpectacula.

Nos eadem methodo rem proſequemur, ſed de voluntate Dei agentis, quoad fieri poteſt a monebimus.

Ad finem addemus catalogum illuſtrium terræmotuum,quos hinc inde apud probatos authores obſeruabimus.

1. Definiunt Græci hoc modo.

Quid ſit terræmotus Græcis.

Terræ motus eſt tremor terræ factus à vento intus incluſo, & violenter ſeſe extendente per cauernas,eò quòd exitus negetur.Sic ferè definiunt Philoſophi omnes:vt Ariſtoteles,Seneca,Plinius,Pontanus,niſi quòd aliis verbis alius vtatur.

Loquuntur autem de naturalibus motibus,ideò naturales ſolùm explicant cauſas, quas ad definitionẽ cõſtruendã afferũt. Verùm vt eclipſis nõ ſolùm naturalibus oritur cauſis, vt nec cometæ aliáq; ſimilia monſtra:ſic iudicari debet de terræ motibus quoq;:deinde finales cauſas non

ſas non ſatis explicant. Sacræ literæ quoties de terræ motibus loquuntur, Dei iram vt cauſam efficientẽ proponunt: peccata verò hominum tanquam cauſam irritatricem: pœnas autem vt finem: addatur igitur illa definitio.

Terræmotus eſt tremor terræ, effectus quidem tribuitur cauſis naturalibus interdum, qui tamen regitur Dei omnipotentis arbitrio ad declarandas hominibus ſubſequentes pœnas delictorum ſuorum. Alia definitio.

II. In explicatione cauſarum magna fuit olim varietas inter Philoſophos: omnes tamen in hoc fermè conuenerunt, vt putarent cauſas in ipſis elementis quęrendas, nec altiùs hic aſſurgendum putarent. Quo poſito, alij vnum ex elementis: alij duo pluráve: alij omnia ad cauſas efficientes retulerunt.

Thales Mileſius aquam putauit cauſam efficientem, quia terram aquis innatare dixit, quod poſterius ſacris etiam literis conforme eſt, attamen non ob id terræ motus cauſa per ſe eſſe poteſt. Eius ſectatores planiùs rem explicando dixerunt, aquas terram ſubingredi, illícque effici abſconditum quoque mare, flumina ſubterranea, & pelagus inferum, cuius motu incumbens terra agitetur. Cauſæ efficientes terrę motus apud Philoſophos.

Anaxagoras idem philoſophatus eſt de igni, qui terræ incluſus viam quærens, quæ dum non detur, vi exitum apperiat. Huic ſententiæ proximi ſunt qui dicunt ſubterranea loca ſua habere incendia, quæ exeſis rupibus, ruinam aliquando faciunt, vnde hiatus & chaſmata, cùm ſcilicet ruina interna latior eſt: quæ ſi anguſtior fuerit, incumbens terra ſolùm mutatione concutitur, quemadmodum in domo grauiori delapſo pondere omnia conclauia concutiuntur.

Et ſanè negari non poteſt, quin in viſceribus terræ ignis ferueat: ex quo etiam conſequitur vaporem validum & denſum illic congregari, adeò vt tandem vi ſua vel diſcutiat terram incũbentem, vel eãdem ſaltem moueat, quemadmodum circa Veſuuium, & in Sicilia circa Ætnam.

Anaximenes hoc totum ad terram traxit, quòd ſcilicet ipſa ſibi cauſa ſit motuum. Nam intra eius viſcera partes quaſdam corruere dixit vel vetuſtate exeſas vel igni labefactante, aut violentia ſpirituum, quæ partes cadentes cùm magnæ ſint, magno etiam motu eius à quo abſcinduntur, cadunt. Quantò enim plus habent ponderis, tantò tremor erit maior, & ſanè nihil magnum ſine motu loci vicini cadit.

Tandem ad ventos deuentum eſt, qui cùm natura mobiles ſint, & validiſſimè moueant obiecta, celerrimi quoque: hinc tandem magno conſenſu philoſophi ſtatuerunt ventos in cauſa eſſe, quæ ſententia fuit Archeſilai, Theophraſti, Ariſtotelis, & hodie omniũ ferè in philoſophia verſantium. In eo tamen aliquando variatum eſt, quòd alij calidos ventos, alij frigidos, alij humidos, alij ſiccos magis probarent.

Epicurus, vt minùs erraret, iam ſpiritu, iam igne, aliàs aquis, nunc terræ lapſu effici dixit. Idẽ fermè ſecutus eſt ante eum Democritus, Mathematici calore ſolis effici adhuc affirmant.

Itaque vis ſolis cauſa remota eſt efficiens: propinqua verò vapor terræ incluſus. Adiuuantes autem, tum aqua, tum ignis, frigus, calor, terræ denſitas, pondus, obſtructio: leuitas: qua fit vt poſſit luctantibus intus vaporibus reſiſtere. Sol eſt cauſa remota efficiens, & vapor terræ incluſus cauſa propinqua terræ motus.

Ita ſcholis quidem in philoſophicis de hac re diſſerunt: quæ & nos vera eſſe putamus: illud tamen deſiderantes, quòd non altiùs hi aſcendunt: nullam hîc numinis audias mentionem in tot diſputationibus. Terram firmiſſimam moueri, quis vnquam Philoſophus cogitare vel per ſomniũ poterat, niſi experientia priùs hoc ſenſiſſet? & in eo motu ſeruatur certus ordo, cõcinnitas admirabilis, adſunt præſagia, ſubſequũtur certi fines. Regitur igitur à natura rationali, nec ſolùm hic agunt venti & vapores: ſed magis Deus naturæ conditor & gubernator, qui in his operibus in primis eſt agnoſcendus.

Seneca in hanc ſententiam dixit nihil horum Deos facere, nec ira numinum cœlum concuti aut terram: non piè dicitur: at hoc fecerunt, omnes Philoſophi: quare non piè de origine terræ motuũ diſſerunt: tum, quia cauſam illius non ad Dei omnipotentiam referunt, tum quòd irati Dei opus eſſe non explicant. Operum enim finis præcipuè explicari debet, vt intelligatur illorum vſus. Vera cauſa terræmotus eſt Deus naturæ cõditor.

Dicamus igitur Deum efficere hoſce motus, qui vt eſt omnipotens ſolidiſſima quæque mouet, vt homines ad ſui timorem excitet. Mediæ cauſæ poſtea petantur ex natura, nam ad hanc rem vtitur ventis, exhalationibus, ignitis euaporationibus, procellis aquarum, imbribus, &c.

Irritans cauſa eſt, peccatum aliquod ſingulare mortalium, aut diuturna impœnitentia, veritatis oblatæ pertinax excluſio, noua ſubintroducta idololatria, & ſimile aliquod peccatum. Ita ſacræ literæ de terræmotuum cauſis nos admonent. Talis fuit terręmotus ſub Vzia rege, quem prædixit Amos cap. 1. hunc poſtea citauit Zacharias. 14. & illum inter pœnas diuinas recenſet. Ioel item capite. 2. *à facie eius tremuit terra*: quod quid aliud eſt, quàm dicere Deum commouere terram? quod eſt cauſæ efficientis. Mat. 28. v. 2. in reſurrectione Domini adeſt Angelus, & factus eſt terręmotus magnus: ſiue ab ipſo Angelo Dei, vt nonnullis placet, ſiue ab ipſa Chriſti diuinitate, declarantis hunc Ieſum verè Deum & Dei filium eſſe. Apoc. 6. 12. agnus aperit ſigillũ ſextum, & fit terræmotus magnus, aliáque ſigna & prodigia, in fine mundi. Apoc. 8. 5. Angelus accipit thuribulum & impleuit illud igni de altari, & abiecit in terrã: hinc facta ſunt tonitrua,

fulgura & terræmotus. Apocal.16.vers.18.septimus Angelus effudit phialam suam in aërem: & factus est terræmotus magnus,qualis nunquam fuit,ex quo homines fuerũt super terram,&c.

Cæterùm peccata hominum esse causam irritatricem,vel vt loquuntur medici προκαταρκτικὸν αἴτιον illa declarãt exempla,Matth.27.in Passione Domini,terra mouetur in detestationem Iudaici peccati,quod peccatum Domini iram prouocauit. Athalia idola in domum Domini infert,quod peccatum terræmotu proditur. Vzias sumit sibi contra Dei voluntatem ius offerendi thus in domo Domini,sequitur mox terræmotus.

Simile. Quemadmodum igitur vitiosi humores in corpore causa quidem sunt morbi futuri:non tamen mox idẽ morbus sese prodit,nisi diutina corruptela aucti humores,certa occasione morbo viam faciant:ita sentiendum est de peccato. Hoc pœnis diuinis semper quidem causa est, nõ tamen mox pœnę erumpunt:donec indurata malitia nostra,medelam aliam non recipiens,has tandem insolitas,Deo omnipotenti extorquet.

Finis terræmotus apud philosophos. Finis terræmotuum à philosophis cõstituitur ipse effectus,tum propinquior,tum remotior.

Propinquiores effectus sunt,qui in ipso motu contingunt, vt quòd dissipantur ædificia, vel solùm leui motu concutiuntur:quòd absorbet interdũ flumina,aut noua aperit: fontes effundit aut abscondit,&c. Remotiores effectus,vt quòd pestis solet vt plurimum subsequi, morbi alij, vastitas regionibus, clades aliqua & similia. Aliis satis est,finem esse dicere , quòd venti inclusi liberiorem quærant aërem,& exitu vi facto erumpere,id satis esse naturæ,ad sui repurgationem.

Nos rem sic consideremus. Negari non potest , hos motus regi à causa efficiente rationali. Ratio autem certo fine agit. Finis igitur aliquis in terræmotibus subest , ad quem considerandum nos excitat causa primaria hic agens: diximus autem Deum hic præcipuè agere , & agere propter peccata nostra. Itaq; finis motuum est,iram Dei declarare:hãc si consideremus,de fine rectè constituemus.

Verus finis terræ motus. Sic passim sacræ literæ loquuntur de terræmotibus:quòd scilicet sint irati Dei argumentũ.2.Sam.22.*cõmota est terra, & fundamẽta cælorũ mota sunt cùm irasceretur Dominus.* Ita Vziam admonuit peccati, & Zacharias illum citando cap. 14. reuocat populo in memoriam præcipuum finem motuum. In passione Domini incredibilem Iudæorum cæcitatem terræmotus arguit, quod alij spectatores agnoscere potuerunt, qui concussis pectoribus suis dolenter dicebant,verè hic filius Dei erat. Plin.lib.2.cap.84. Roma nunquam tremuit , vt non futuri euentus alicuius id prænuntium esset.

Deinde ad hanc considerationem pertinent effectus sequentes & coniuncti, qui alioquin à fine seiungi solent. Effectus verò isti aut leuiores sunt, aut atrociores. Deinde vel cum motibus coniuncti, vel tempore postea subsequuntur:omnes tamen eò respiciunt, vt iram Domini declarent contra peccata mortalium.

Leuiores effectus terræmotus. Leuiores & coniuncti sunt, quòd villæ passim sine iniuria tremunt, casum minantur, sed mox restituuntur, tessellæ in pauimento loco mouentur, & mox reponuntur, compages in ędificijs dissoluuntur, & statim solidiùs restituũtur.

Atrociores. Atrociores sunt, cùm omnia lõgè latéque subuertit, vrbes haurit, regiones totas vastat, amnes absorbet, nouos exprimit, fontes & thermas aperit, ignes euomit, montes complanat, colles extuberat , insulas efficit, factas absorbet. Tempore Senecæ terræmotus in Pompeiis factus , sexcentarum ouium greges exanimauit:Thera & Therea nouæ insulæ in Ægæo mari emersere eiusdem seculo. In Apocal. 11. vers. 13. decima pars vrbis ex motu corruit, & occisa sunt in eo terræmotu septem millia hominum, reliqui territi sunt & dederũt gloriã Deo. Rectiùs assignauit effectus & causam finalem Ioannes, quàm Seneca vel cęteri Philosophi. Oportebat enim ex his motibus non solum terreri:sed Deo dare gloriam, hoc est , Deum in his agnoscere agentem , fateri peccata nostra, pœnitentiam agere, & conuerti ad Dominum toto pectore. Rectè quidem inquit Seneca, timor communis effectus est, cuius vim auget raritas:natura enim percellitur repẽtino motu, præsertim si consideremus solidissimum elemẽtum moueri, cui reliqua omnia incumbunt: non autem satis illud, quòd de instabilitate rerum humanarum nos admoneat. Cur enim illa instabilitas rerum humanarũ? peccati fructus est: itaque reuertamur ad prima & Deo tribuamus hic gloriam. Agnoscamus peccatum nostrum, iram Domini, futuras pœnas, quæ solent, vt plurimum, hosce motus atrociores subsequi.

Notanda historia. Ante Ierosolymam planè euersam, tradũt authores, crebros fuisse motus in illis regionibus. Euersam vrbem quoties conati sunt restituere, terræmotibus noctu euersum est, quicquid interdiu construxissent : certissimum fuit iræ diuinæ argumentum, & damnatæ vrbis.

III. Diximus de definitione, & causis terræmotuum, consideremus etiam species illorum motuum.

Plin.lib.2.cap.82. In duo genera digessit species, quas prius cap.80. recensuerat. Primùm genus tutius vocat, qualis est vibratio, cùm motus vibrat crispante ædificiorum crepitu : & cùm intumescit assurgens , alternóque motu residet:innoxium , & cùm currentia tecta, contrario ictu arietant, quoniam alter motus, alteri renititur. Alterum periculosius, qualis est inclinatio, & impulsio in vnam partem.

Seneca ex Possidonio duas species recenset : succussionem, & inclinationem: addit ipse tertiam, tremorem.

Aristote-

Ariſtoteles in libello de mundo plures habet,quas breuiter indicabimus. Prima ſpecies eſt. Ε'πικλιντης inclinatio Poſſidonij.Plinio ruina vel caſus quando in vnam partem vis mali ſeſe impellit.Hoc genere proſternuntur vrbes,auertunt flumina.Vt refert Plinius Punico bello ad Thraſimenum lacum dimicantes Pœni & Romani motum non ſenſerunt, quo tamen per Italiam vrbes euerſæ ſint,auersíque curſu rapidi amnes,montes lapſu ingenti proruerint.

2. Βραστὴ feruefcens ſurſum & deorſum,inſtar aquæ bullientis, pulſus, agitatio,ſuccuſſio dicitur:quo concuſſum eſt Friburgum Briſgoiæ,anno 1509.

3. Χασματίας,hiatus quando terra dehiſcit,quo genere Cyllene concuſſa eſt tempore Midæ regis,autore Plutarcho.Sipylus quoque Ariſt.lib.2.Met.8.& Liguſtica regio.

4. Ρηκτὴς,ruptor cùm terra ſubſidet, vel inſtar montis intumeſcit, qua ſpecie Liparcorum vrbs in cineres redacta eſt,Hiera inſula concuſſa,Heraclea Ponti.

5. Ω'στὴς truſor,pulſor,qui euertit vno impulſu in vnam partem omnia.

6. Παλματίας concuſſor,vibratio eſt,cùm inſtar haſtæ ædificia concutiuntur, & in diuerſas partes diſſipat,vel reſtituit:apud Senecam tremor eſt,quam ſpeciem Poſſidonij duabus addidit.

7. Μυκητίας,mugitus,cùm valido ſonitu terram quatit, quanquam fit ſæpe terræ mugitus ſine motu,cùm ſpiritus debilior eſt,quàm vt moueat:voluitur tamen in eius viſceribus & impingit ad cauernas valido impetu: ſic à forma diſtinxit.

Addamus hanc diſtinctionem quoque.Alius terræmotus naturalis eſt:quales hactenus ferè indicauimus,in quibus cauſæ naturales poſſunt monſtrari,quarum opera Deus mouet,certis tamen de cauſis,terræ partes. Duplex terræmotus.

Alius non eſt naturalis,hoc eſt,in quo Deus ſua potentia mouet interdum fundamenta terræ ſine mediis:ſed quia vult & iubet,ideò tremiſcit: quales fiunt in ſanctorum gratiam, ad liberandos pios & terrẽdos impios,vt Act.16 Petrus ex carcere liberatur terræmotu priùs apertis oſtiis.Et miraculoſum fuiſſe inde perſpici poteſt.Quia fit media nocte,cùm naturales fiant vt plurimùm manè & veſperi.Deinde concuſſit fundamenta, cùm naturales in profundo minùs ſentiantur,quàm in altioribus ædificiorum locis. Hinc Plinius remedia dixit inuenta eſſe cõtra hos motus,loca ſubterranea &cryptas : adde quòd naturales,aut vaſtãt loca concuſſa,vt cùm validiores ſunt,aut diuulſa reſtituũt & coaptãt in locũ ſuum:at miraculoſi non ita. Vaſtãt quidem ſæpe,nec claudunt iterum, emota non reſtituunt aliquo contrario motu : qualis fuit ille Petri,oſtia & portas carceris aperit, vt Petro eſſet locus abeundi:nec reſtituit aperta,&c. Miraculoſus terræmotus

IIII. De tempore horum motuum Philoſophi cõſentiunt, fieri eos vt plurimùm, verno tempore & autumno:raró hybernis diebus, quos vacare tali periculo maiores credidiſſe inquit Seneca. Et Plinius lib.2. cap.70. autumno & vere terræ crebriùs mouentur, ſicut fiunt fulmina:& noctu ſæpius quàm interdiu:maximi autem motus exiſtunt matutini veſpertiníque,ſed propinqua voce. Quo tẽpore fieri ſolet phyſicus terræmotus.

V. Loca ſubiecta huic malo, dixerunt marina, paluſtria, fluminum tractus cauernoſos, montoſa quoque: ſumma experientia tandem docuit, nihil ſatis munitum eſſe contra hanc Domini vim.Inde Plinius fatetur exploratum ſibi eſſe Alpes Appenninũmq; ſæpius tremuiſſe.

VI. Signa prognoſtica quædam animaduerſa ſunt,quemadmodum in aliis tempeſtatibus: quæ partim ad cauſas adiuuantes pertinent:partim ad coniuncta,qualia ſunt,mali aſpectus ſyderum,præſertim Saturni & Martis: tranquillitas aëris, quia vis ſpirituum,quæ concitare ſolet ventos inferna ſede detinetur.Suffrigidior aër:tenuis nubecula ſub veſperam: aquæ turbidiores in puteis:ex quo Pherecydes prędixit motum Plin.2.cap.79.Cicero de Diuinat.ſonitus etiam & mugitus ſæpe præceſſit:ventis ſcilicet inter ſe tumultuantibus in abditis terræ: quod Vergilius dixit.

Sub pedibus mugire ſolum, & iuga celſa moueri.

Caligo ſolis ſæpe animaduerſa eſt,& aues pauidæ ſederunt. Helices & Buris commotionem præceſſit columna ignis immenſi,vt ex Calliſthene refert Seneca.Ex his & ſimilibus interdum prædici poſſunt futuri terræmotus:aliàs vi quadam diuina prædicuntur,qualis fuit quem prædixit Amos,duobus annis antequam eueniret: & Anaximander Lacedæmoniis prædixit vt cuſto dirent vrbem & tecta, imminere enim terræmotum:quo motu vrbs tota corruit, & bona pars Taygeti montis,&c. Ex cauſis naturalibus prædici poſſunt futuri terræmotus.

Iſta quidem in explicandis motibus terræ conſiderari ſolent apud Phyſicos:quæ nunc in noſtro propoſito exemplo expendamus.

Anno 1569.die 6. Aprilis leuis motus concuſsit Bernam & vicina loca. Signa eius præceſſerunt, hyemis tepidior conſtitutio, ver quoque humidum fuit, pluuiis crebris animaduerſa à multis ſæpius poſt occaſum ſolis tenuis in longũ porrecta nebula.Eo ipſo die quo accidit,ſumma fuit aëris tranquillitas ab ortu ſolis,prope ad meridiem vſque. Berna leui motu concuſſa.

Hinc motus ſubſecutus hora nona,ante meridiem trãquillo aëre: leuis autem fuit, criſpante(vt ait Plinius) ædificiorum crepitu:diuelli videbantur coagmentationes parietum & trabium,quæ mox in locum appoſitè redibant.Comitabatur motum iſtum ſonitus validus,tanquam pręteruolantium turmatim auiũ.Qui in altioribus erant ędium locis validiſſimum ſen-

ſerunt motum, in plateis minùs ſenſerunt, moueri tamen ædificia vidére & ſonitum audiuerunt tranquillo aëre. In cellis ſubterraneis qui fuerunt nihil ſenſiſſe ſe affirmant.

Duratio non magna fuit, at multa peruaſit loca: nam eodem tempore conſtat motam eſſe Bernam, Thunum, Stefisburgum, Blumenſtein, & loca interiecta plurima. Et quod admiratione dignum eſt, vtranque ripam fluminis concuſſit, cùm alioquin, vt eſt obſeruatum, fluminum tractu ſoleat finiri motus: ex quo colligi poteſt profundiſſimum fuiſſe illius ortum. Circa lacum Thunenſem vtrinque bonam partem littoralem mouit: ſed & valles proximas ſubiit, & vicini montes tremuére, quòd obſeruatum ſit, lapides inde præcipites ruere, & auditi ſunt longè mugitus ab his qui circa montana habitarũt, cùm eſſet aëris conſtãs tranquillitas. Vnde probabile eſt per mõtana validiùs ſęuiiſſe, ac ſenſim languidiùs in planicies dilatatũ euanuiſſe.

Nulla incommoda intulit, nihil proſtrauit, non fœdos halitus etiam ſecum traxit: homines tamen in ipſo motu attonitos reddidit, qui in ædibus erant procurrebant caſum metuentes, alij in ſuperiora aſcendebant, cauſam inquiſituri, qui ſuperiùs, deſcendebant, ignari tanti tumultus. In publicum multi confluebant, vt fit non perſpectis rerum cauſis: mirabilis fuit vaſorum crepitatio, tinnitus vitrorum, ſubſultatio populorum: talia in ipſo motu audita ſunt. Secuta eſt æſtas admodum varia, aut ardores validiſſimi, aut frigus intenſum, adeò vt aëris nulla temperies manſerit, ſinguli menſes egelidas pluuias habuere in planiciebus, iidem in montibus copioſas niues: mox verſa vice ardor ſolis validiſſimus in alterum extremum inclinauit. Annus tamen fertilis fuit, annona, vino, glandibus, aliiſque frugibus, pomis, pyris, &c. deſinéte æſtate, peſtis quibuſdam locis ſæuire incepit iterum.

Legatus Ducis Sabaudiæ coram Senatu Bernenſi hoc motu in dicẽda ſententia prępeditus fuit.

Tentata eſt hoc ipſo tempore pacificatio inter Ducem Sabaudiæ & Geneuenſes à Bernatibus, ſine magno ſucceſſu, cuius rei fuit argumentum, quòd hora ipſa tremoris iſtius caſu factũ ſit, vt in Senatum intromiſſus legatus Ducis, præpeditus ſit in dicenda ſententia ipſo motu. Actio poſtea tota æſtate durauit, re tandem infecta diſceſſum eſt. Dominus fortè non vult, & ſuæ voluntatis hoc iniecit ſignum.

Exempla terræmotuum.

1. Scilia ab Italia auulſa eſt terræmotu, Seneca authore.
2. Hiſpania ab Africa eodem authore.
3. Helice & Buris ſubuerſæ terræmotu, Idem.
4. Athalantha inſula bona parte ſubuerſa, idem ex Thucydide.
5. Sidonia motu periit, idem ex Poſſidonio.
6. Oſſam ab Olympo auulſit terræmotus, immiſſo Peneo flumine, qui paludes Theſſaliæ exſiccauit.
7. Ladonem fluuium motus effudit inter Elim & Megalopolin.
8. Delus tremuit circa bellum Peloponneſiacum, aliàs immota Pindaro, quæ prius etiam tremuerat ante Helices & Buris interitum, Seneca ex Calliſthene.
9. In Chalcide ingens motus: ex quo loco dirupto, ventus per multos dies flauit.
10. Viuente Seneca, Herculanenſis oppidi pars corruit, & Neapolis proſtrata eſt, & Pompeij Campaniæ vrbs.
11. Brenno Delphicum templum oppugnante, tantus incidit terræmotus, tempeſtate, imbribus, grandine mixtus, vt Galli ferè oppreſſi ſint.
12. Bello Punico, quo ad Thraſimenum pugnatum eſt, eo, inquam, anno, nuntiatus eſt motus terræ. Plin.
13. In pugna ad Thraſimenum lacum ingens fuit motus, quo oppida quędam vaſtata ſunt. Tantus autẽ pugnantium fuit ardor, vt nec Romani nec Pœni eum ſenſerint. Plin. lib. 2. cap. 84.
14. In Lybia horrendus fuit, quo centum vrbes ſimul corruerunt. Citat illum Auguſt. lib. 2. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ.
15. Memorabilis fuit Vziæ regis terræmotus, tum quia biennio ante prædictus fuit ab Amos Propheta, tum quòd regem Deus ſingulariter punierit, quem citat Hieron. & Euſeb. lib. 6. cap. 18. ex Ioſepho: quòd vrgentibus eum ſacerdotibus, vt ex templo abiret, neque contra Deum peccaret: ille iratus, ſit illis comminatus mortem, niſi quieſcerent, interea motus quidã terram concuſſit, diſciſſóque templo, ſplendor quidam ingens illuxit, qui regis faciem inuaſit, vt ſubitò in lepram inciderit. Et ante vrbem in Eroge, montis partem abruptam, per quatuor ſtadia deuolutam, aditus ad hortos regios, ipſóſque hortos obturaſſe.
16. Dominicæ paſſionis terræmotus etiam inſignis eſt, qui ad miraculoſa Dei opera referri debet ſimpliciter, Auguſtinus teſtatur lib. 2. de mirab. ſacræ ſcripturæ, illo ſubuerſas eſſe vndecim ciuitates in Thracia. Et Euſebius ex Phlegone ſcriptore veteri citat, eodem in Bithynia Nicenæ vrbis multas domos ſubuerſas eſſe.

Anno Domini 20. tredecim vrbes corruerũt terræmotu in Aſia. Epheſus, Magneſia, Sardis, Moſthene, Megalechytra, Cæſarea, Philadelphia, Hymmolus, Themis, Cumæ, Myrrhina, Apollonia, & Diahircania.

Anno 66. in Aſia tres vrbes, Laodicea, Hierapolis, & Coloſſæ: bella ingentia ſecuta ſunt.

Anno 79. in Cypro tres vrbes corruerunt, teſte Euſebio.

Anno 107.

Anno 107. in Asia iterum quatuor vrbes subuersæ sunt. Elea, Myrrhina, Pytanæ, & Cumæ. Et Græciæ vrbes duæ, Opuntiorum & Oritarum.

Anno 116. Antiochia penè tota subuersa est motu terræ.

Anno 306. Apud Tyrum & Sidonem horribiliter concussa est terra, qua populus innumerabilis est oppressus.

Anno 369. Plurimi terræmotus passim, mare littus egressum, in Sicilia, aliisque insulis, vrbes & populos deleuit. Euseb. Sub Valentiniano persecutio orta, vide Hieronymum.

Anno 373. Nicea funditus est euersa terræmotu, teste Euseb. in Chronicis.

Anno 400. Multis locis terræmotus, inde bella.

Anno 453. Inter alia prodigia etiam annuntiati terræ motus varij passim.

Anno 556. Constantinopolis per decem dies horrendum in modum concussa est, magna hominum clade.

Anno 801. Sub Carolo Magno in Germania passim circa Rhenum concussio, ex qua effecta dira lues pestilentialis.

Anno 824. Sub Ludouico Caroli magni filio, per Germaniam varij terræmotus.

Anno 829. Per Germaniam & Galliam terræmotus & validus ventus, qui Aquisgrani tectũ plumbeum diuæ virginis dissipauit, arbores euertit, ædificia multa prostrauit.

Anno 841. VVirtzburgum vicies tremuit magno detrimento.

Anno 855. Meguntiæ mœnia, & templum sancti Vrbani terræmotu corruerunt: quem alij referunt ad annum Domini 858. Collapsæ sunt hoc terræmotu per Germaniam multæ arces.

870. Moguntia iterum tremuit.

880. Moguntia denuò quassata.

Anno 944. Per mensem Maium horrendi terræmotus auditi.

Anno 983. Beneuentum & Capua concussæ.

1000. Inter alia prodigia terrifica, nuntiati etiam terræmotus.

1021. Basilea penè euersa terræmotu, templum & quædam ædificia Rhenum præcipitata. Templum ab Imperatore Henrico restitutum, sed 14. passibus remotius à Rheno, vt tutum esset ab illo malo.

1062. In Februario iterum nuntiatus, quem motum excepit magna pestis.

1117. In Ianuario in Germania diuersis locis, subsecuta sunt bella intestina inter Francones & Sueuos, pœnæ diuinitus immissæ iudicantur publicè.

1120. Flammæ eruperunt concussa priùs terra, quibus sunt multi oppressi.

1171. Passim annuntiati, præsertim ex Syria, & Sicilia, vbi diu nutarunt multæ vrbes, quædam etiam magna strage populorum corruerunt. Christiani tum Ierosolymam tenebant, sed à Syris affliguntur, & inter Fridericum primum & Alexandr. 3. Pontificem intestina bella exarserunt.

1233. Terræmotum exceperunt bella.

1277. Per mensem Iunium duodecies tremuit, quos secuta est hyems supra modum gelida.

1295. Constantia ad lacum Rheni, vna die 19. tremuit, hinc tempestates & venti, quibus omnia in lacu pessundata sunt.

1356. Tel vt alij annotarunt anno 1354. die 18. Octobris sub vesperam Basilea decies tremuit: corruit illo motu magna pars vrbis, ipsum templum, & mœnia cum aliis turribus, oppressit homines circiter 100. eodem terræmotu euersæ sunt arces plus minus 60. Liechtenstal olim oppidum corruisse tum putatur. Sequenti anno, hoc est, 1357. rediit ille tremor, ac templum iterum euertit, quod restituit Episcopus Ioannes Sefi de Münsingen. Loca vicina quoque afflixit, vt Argentinam, vbi sæpe concursum est ad tentoria, extra mœnia propter metum futuri mali.

Iterum Basileæ templum tremuit, vt lapides inde præcipitarit.

1380. Prima Iunij terræmotus fuit, quem excepit bellum, pestis, fames.

1384. Mense Martio in agro Bernensi, quo tempore Burgeorffium concessit in potestatem dominorum Bernatum.

1416. Mense Iulio Basilea iterum concussa est.

1428. In Decembri iterum Basilea tremuit: subsequitur postea anno 1431. concilium Basiliense.

1444. Die 30. Nouembris manè iterum tremor Basileam concussit.

1456. In Campania vrbes præcipuæ omnes, cum oppidis aliis multis concussæ, plures funditus perierunt.

1508. Inter dura hyemis etiam terræmotus & inundationes fuêre per Germaniã & Italiam.

1509. Prima Nouembr. Friburgum Brisgoiæ tremuit.

1521. Mediolanum tremuit, quo multi perditi sunt.

1533. In Nouembri Episcopi cella tremuit, quo tremore, terra de monte decidens obruit fluuij alueum ruina, vt in lacum stagnaret, tandem sine detrimento alueum iterum aperuit.

Mox in Decembri Basilea ter tremuit die 27. Decembr.

1534. In Octobri Tigurum tremuit & vicina loca die 12.

1551. In Hispania terræmotus circiter 200.domos euertit.

1560. Caragnani motus tanquam quadrigæ sonantis auditus est. Eodē anno 13 Decembr. Viennæ Austriæ terra tremuit,& cœlum passim ardere visum.

1569. Die sexta Aprilis hora nona, tremuit Berna & vicina loca ad vtrāque fluminis ripam ad duo milliaria,leui ædificiorum crispatione cum sonitu prætervolantium turmatim auium.

Locus Pausaniæ lib.7 de Helice & Buri,explicans eruditè causas & species terræmotuum.

Quin & Homerus Helices & Heliconij Neptuni mentionem versibus inseruit suis.

Interiecto deinde tempore,cùm Achæi supplices à templo abstractos trucidassent,non fuit lenta, aut segnis Dei ad pœnam exposcendam ira. Ingens enim terræ, ac repentinus motus, non ipsa tantùm mœnia,& ædificiorum superficiem subuertit,sed vrbis etiam totius aream ita obruit,vt ne vestigia quidem vlla posteris agnoscenda relinquerentur. Et antè quidem toties labes huiusmodi aliqua insignior facta est,quæ terrā longè latèque concusserit, præcesserunt certa quædam diuinitus rerum miracula:perpetui imbres:diuturnæ siccitates: tepidæ hyemes: æstate anni solis orbis vel caligine obductus,vel incensus rutilo,vel subatro liuidus fuit colore: fontes exiccati:ventorum turbines,quocunque vehemētiùs irrupissent,prævalidas arbores radicitus conuellerunt.Iam verò ignes longo flammarum tractu per cœlum discurrêre. Siderum etiam non antè conspectæ formæ sæpe hominibus pauorem incussêre. Densiores præterea ab ima terra halitus erupêre.Tam multis prodigiis antequam terræ tam violenti motus euenirēt, homines præmonitos dij voluêre.Huius tantæ motionis,non vnam nobis quasi formam,aut simplex genus,ij quibus iampridem hæc inuestigare curæ fuit,& eorum discipuli,ac sectatores prodidere:pluribus enim modis tremente terra,affici quæ moueantur animaduertere.

Leuissima est omnium motio(si quid tamen leue esse possit in tam atroci malo)quoties quę in partem vnā impulsa fuerint,& propè iam solo æquata,obnitens ab imo contrarius quidam motus subrigat & restituat. Videre itaque est,cùm terra in hunc modum mouerit,columnas à recto statu iam penè humi deiectas, erigi, & distractas parietum partes denuo coagmētari,trabes etiam loco dimotas in pristinam sedem reponi. Adhæc fistulas, & qui fastigio ducendis aquis defodiuntur tubulos,si fortè conuulsi discesserint,ad vnguem rursus compingi,vt non aptiùs fabrorum arte cohærere posse videantur.Diuersus est ab hoc impetus,quo irruente,nulla est tectorum aut mœnium tam firma superficies, quæ non corruat, ac sternatur, æquè ac si fuisset bellicis tormentis labefactata.

Omnium est in hoc genere perniciosissimus ille motus,quē cum vitali spiritu similitudinem Simile. quandam habere autumant. Sicuti enim ille, febris vi è corporis intimis quasi penetralibus quandoque erumpens,tum alibi,tum verò maximè in venis,quæ circa articulū eum sunt quo extremum brachiū cum manu coniungitur,motus vehementiores ciet: ita propemodum terræ cauernis inclusum spiritum, dum sibi eruptionem molitur, ædificiorum fundamenta magno impetu subruere:non alio fermè modo,quàm terram talpæ subpellentes egerant. Atque hac quidem sæuientis veluti terræ trepidatione adeò quasi absorpta mœnia,domósq; subsidere,vt nulla ferè reliqua fiant habitaculorum vestigia. Hoc vastitatis genere perculsam ab imo solo Helicen memorant:accessisse verò & alteram huiuscemodi cladem: maris eluuione hyeme anni Helicen totam circumquaque incinctam, ipsúmque Neptuni lucum ita inundatione obrutum,vt vix summa extarent arborum cacumina.

Quo factum est,vt repente cùm terræ motione violentissima,tum verò effusiùs maris æstu stagnante,vrbs tota cum omni ciuium numero pessum ierit. Talis & vrbem,quæ fuit olim in Sipylo monte, casus deleuit:& sic fuit ille aperientis se terræ hiatus: ac motus quidem ipsius labefactata defluentes aquæ portum effecêre in extremis eius voraginis faucibus,cui nunc Saloe nomen.Et sanè in eo portu cernebantur eius vrbis ruinæ priusquam omnia torrentiū limo obducerentur.

Ruinæ etiam quædam Helices eminent, ea facie, qua esse consueuerunt,quæ marinis exesa sunt aquis.Ob violatos quidem supplices implacabilem esse numinis iram,non Helices modò exitium,sed alia etiam talium euentorum exempla documento esse possunt. Extat enim Dodoniæ Iouis oraculum Atheniensibus Aphidantis ætate redditum,quo supplices sacrosanctos esse debere his versibus monentur.

Ara tibi Eumenidum fumans,& curia Martis.
Sint cordi:huc bello domiti nam fortè Lacones
Suppliciter tristes venient:tu proiice tela.
Supplicibus parcens,diuûm quos iura tuentur.

Hæc redierunt in memoriam Græcis, cùm essent Peloponnesij Athenas adorti, regnante Codro Melanthi filio: tunc enim ex Attica reliquæ Peloponnesiorum copiæ retrocesserunt audita Codri morte,cognitóque mortis genere. Neque enim vlla fuit victoriæ reliqua spes, cùm ex Delphici Apollinis responso se Cordus deuouisset. Ibi qui è Spartanis intra portas irruperant,vbi se destitutos animaduerterunt à suis nocte ea delituerunt.Iam verò cùm illuxisset,& in eos Atheniensium ex omni vrbis parte concursus fieret, ad aras dearum, quæ Seueræ appellan-

appellantur, in Areopagum se receperunt. Et tunc quidē incolumes dimissi sunt: post aliquot deinde annos cùm iidem magistratus eos, qui cum Cylone in arcem ad Mineruæ supplices confugerant, violassent, & ipsi & omnes eorum posteri violatæ per cedē religionis damnati, obnoxij deæ fuere. Lacedæmonij etiam cùm in eos viros sæuiissent, qui supplices in templum Neptuni quod ad Tænarum est, euaserant, Sparta tam vehementibus, támque crebris terrę impulsibus concussa est, vt nulla propè domus ruinæ expers fuerit.

Deleta est ad internecionem Helice, Asteo Athenis summum magistratum gerente, Olympiadis primæ & centesimæ anno quarto, qua Damon Thurius victor primùm renunciatus est.

DE MORTE.
LOCVS CLIII.

PLVRA nobis de morte sunt dicenda, quæ in explicatione apud Marcum intermisimus.

1. Dicendum autem ideò duxi plușcula, quòd D. Iesus Christus occasionem det, cùm dicat filiam Iairi non mortuam, sed dormire.

Deinde, quòd in hoc negotio tempori inseruiemus, quia mortis non est rata mentio, vt ex consideratione eius erigamus animos.

3. Etenim illa commentatio ad hominem propriè pertinet, eius enim interest quomodo moriatur: hinc in definitione hominis eius mentio fieri solet, animal rationale mortale. Rectè igitur faciet homo, si hanc suæ definitionis portionem probè expenderit.

4. Accedit maxima illa causa, quia Christiani sumus, ad quos propriè illa spectat meditatio. Celebris est Platonis sententia, quòd philosophia sit μελέτη τȣ̃ θανάτȣ. & paulò superius οἱ ὀρθῶς φιλοσοφȣ̃ντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, qui rectè philosophantur de morte cogitant.

Nos spolium hoc meritò gentili Philosophiæ detrahimus, ac Christianismo dedicamus, vt deinceps dicamus χριστιανίζειν ἐστὶ μελετᾷν τὸ ὀρθῶς ἀποθνήσκειν, & χριστιανισμὸς ἐστὶ μελέτη τȣ̃ θανάτȣ. Christianismus est mortis meditatio.

Porrò debet hæc tota commentatio ad consolationem facere, vt hanc Domini in nos sententiam, æquo & læto animo excipiamus, nec patiamur gentiles in hac palæstra nos superasse. Eleganter dixit Seneca, Læti dicamus vixi, & quem dedit cursum fortuna peregi. Elegantius autem dixit Simeon, *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Elegans Senecæ sentētia. Suauis est Horatij sententia, Ibimus, ibimus, vtcunque pręcedes, supremum carpere iter, comites parati. Suauior autem Apostoli sentētia. *cupio dissolui & esse cum Christo.* Nam in veris terroribus mortis pleniora illa sunt. Proponunt Christum vnicum portum salutis: admonent de voluntate Dei erga nos, de deletis causis mortis, aliáque quibus suffulcire debemus nostram infirmitatem. Habet tamen res ipsa quoque, reconditas consolationes in natura depositas, de quibus ordine in præsentia admonebimus.

Primùm θάνατον Græci non sine ratione videntur dixisse, quasi dicat, ἄνω εἰς θεὸν φερόμενον, & θανεῖν quasi ἀνὰ θεεῖν. Itaque mors reducit nos ad Deum, à quo in hunc mundum sumus peregrinatum missi, reuocat nos ad viam, vt sensus colligamus, & cū Deo rationes conficiamus. Dicitur τελευτὴ, quasi τελετὴ initiatio, & τελευτᾷν. q. d. τελετᾷν & τελεῖσθαι, hoc est initiare. Sic per mortem consecramur iterum Deo initiamur ad vitam æternam: quo admonemur vt compositè viuamus, quò mors nos in timore Domini reperiat, vt verè sit quod dicitur mors τελετὴ, hoc est, initiatio. Prophani enim post hanc vitam audient θύρας δὲ βέβηλοι, à foribus procul esse Prophani: initiati erunt ad dextram, qui audient beatam illam vocem, *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui.* Prophani autem, *Abite maledicti,* &c. Quare boni ominis sunt illa nomina, & ad cōsolationem vertenda. Ac vide hîc obiter quanta sit hominis cæcitas: horrescimus ad memoriā θανάτȣ aut τελευτῆς: contrà, deosculamur generationis & vitæ nomina, quę si expendas inauspicata statim sese produnt, quid enim βίος nisi βία. h. e. vis & molestia? quid σῶμα, nisi σῆμα, quid δέμας nisi δεσμὸς, quid γένεσις nisi εἰς γῆν νεῦσις, h. e. in terram demersio & nutatio? Quare voces cautè obseruemus, ne nobis imprudētibus imponant, & auspicatas sine ratione abominemur.

Origo nominis secundū Græcos.

Vitæ nomina si expendantur inauspicata sese produnt.

Sed expende Hebræos quoque, apud quos mors dicitur *mauet* & *met*. Verùm inspice non somnolenter mysterium, si vocem inuertas habes *tum* & *tam*, quod denotat perfectum & innocentiam. sic Noa perfectus dicitur Gen. 6 & Abraham perfectus debuit esse coram Domino Gen. 17. Mors igitur imperfectionem claudit: dum hîc viuimus, nocentes sumus: manent enim peccati reliquiæ: imperfecti sumus: ex parte enim hic cognoscimus: post hanc vitam de facie ad faciem contemplabimur: non dominabitur ampliùs nobis peccatū, morbus, paupertas, fames, & quicquid in hac vita nobis constat: dicitur & *geuigah* quo exprimitur mors sine doloribus & morbo obueniens, qualis est interdum in senibus, qui, vti faculam, efflant animam sine dolore. Hic status manet nos, post illam mortem, cum morte terminantur dolores & morbi.

Latini à mora videntur dixisse mortem, quo significarunt moram hic necti, tanquam per diuersoria, quibus excipimur, vt aduenæ viatores: adde quòd finis vitæ nos moretur. Mors à mora.

Catul. lib. 1. Eglog. 10.

Vbique enim expectat nos, & tacitò clàm venit illa pede. Mors moratur nos, & quid tu segnis illam non moraris? tolle moras, iuuat ire paratis.

2. Definitione.

Expende mecum etiam ὁρισμὸς aliquot, vt assuescamus æquo tandem ferre animo, quod necessitas nobis imponit. Socratem in hac re libenter audio, post sacras literas: nam re ipsa testatus est, quàm minimè mortem formidaret.

Apud Platonem illa tribuitur ei descriptio, quòd θάνατος sit μετοίκησις τῆς ψυχῆς ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, animæ migratio ex hoc loco in alium: ex quo constat nos hic per mortem solùm mutare hospitium, domus locata est, quam locator abs te reposcit, ac iubet te in aliam migrare. Itidem inquit, quòd sit ἀποδημία, hoc est, peregrinatio, vtique domus illa noua amœnissima est, non ita caduca, non ruinosa vt hæc præsens. Nunc tegulæ rumpuntur: nunc parietes diuelluntur, tectum diffluit, columnæ nutant, fundamenta putrescunt, fons obstruitur: quid iubent illa, nisi emigrare? Sic corpus nostrum habitaculum est animæ, in quo dum obseruas defluos crines, lippientes oculos, obstrui stomachum, nutare genua, &c. quid illa, nisi vt colligas sarcinas, & emigres ex domo ruinosa? Et piè Socrates afficitur harum rerum contemplatione, vt exclamet, Si illa ita sunt, πολλάκις ἐθέλω τεθνᾶναι, multoties mori cupio.

Per mortem mutamus hospitiũ.

Idẽ in Phædone sic definit, quod sit λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος, & in Gorgia δυοῖν πραγμάτοιν διάλυσιν ἀπ' ἀλλήλοιν. (appellat) τῆς ψυχῆς καὶ σώματος: quibus docet in morte non esse interitũ, vt Epicurus improbè somniauit: sed esse διάλυσιν, esse χωρισμὸν: hoc est, rerũ hic solùm est separatio, anima ad cœlestia colligitur, corpus suis restituitur elemẽtis, ad suum vsq; tẽpus. Et quanquam veras causas non explicet, iucundum tamen est, apud hominem gentilem illa legere. Pleniorem expendamus definitionem in causarum explicatione.

Epicuri falsa opinio.

9. à Diuisione.

Transeamus ad diuisionem. Philosophi veriores, qualis est Plato & Platonici, triplicem agnoscunt mortem: prima communis est, nota vulgo, quò pertinet illud Horat. Omne capax, mouet vrna nomen, & de qua dicitur, Adam mortuus est: Ita Seth, Enos, Kenam. & in diluuio omne reptile, quod repit super terram, &c.

Altera mors, qua anima vitiis immersa statum suum amittit, & degenerat à suo conditore: quò pertinet Cyrcæa illa fabula, in qua dicuntur socij Vlyssis in sues, lupos, vrsos, &c. mutati.

Vis καθαρτικὴ id est, purgatoria.

Tertia quoque ad animam pertinet, est autem honesta & omnibus modis affectanda: nã anima per hãc à corpore soluitur: ita vt αἰσθήσει σωματικῇ: non afficiatur: sed in corpore viuo peregrinetur extra corpus, sua agat ad quæ nata est, in veritatis contẽplatione tota sese oblectet, & seriò occupetur, hoc studium est veræ philosophiæ: & ob id puto, toties Platonẽ affirmare philosophiam mortis esse meditationem: imò qui aliter agãt non esse philosophos, sed potiùs φιλοσωμάτους, φιλοτίμους, φιλοχρημάτους, aut quiduis potiùs quàm veri philosophi nomen tueri.

Archimedis historia.

Et quantùm possit veri contemplatio, satis norunt, qui in ea sese exercuerunt. Exemplo res etiam intelligi potest: de Archimede proditum est, quòd intentus speculationibus Mathematicis non obseruarit capi vrbem, & in his à milite deprehensus, ac interrogatus, nihil aliud respondeerit, quàm, Noli mihi perturbare figuras, &c. ita in veri contemplatione intentissimè anima illius peregrinabatur.

Illa triplex de inde est. 1. naturalis. 2. accidẽtaria, & 3. violenta.

Sacræ literæ non dissimilem admittunt mortis diuisionem: est enim temporanea, quam Ioan. in Apocal. primam appellat: communis illa est bonis & malis, solus Helias ereptus est, & quos aduentus Domini in hac vita deprehendit. 1. Cor. 15. Altera est æterna mors Ioanni in Apoc. dicta secunda. Impiorum illa propria est, de qua dicitur, *mors peccatorum pessima.* &, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat*: sic moriuntur Iudas, Pharisæi, omnésque reprobi.

Tertia propria est sanctorum, qua à peccatis moriuntur Christo. sic Apostolus ad Gal. 2. cap. inquit *se mortuum legi, vt Deo viueret.* & . Gal. 3. *Mortificate membra vestra terrestria,* &c. *sic mundo crucifixus est, & mundus illi*, hoc est nil illis negotij est inuicem, nulla delectatio, nulla cognatio.

Quid mundo mori.

Quartum genus addidere monachi, mundo mori, hoc est, ingredi claustra & professionem monasticæ vitæ. Sed meminerint mundo mori esse opera mundi abnegare, qualia sunt scortatio, arrogantia, obtrectatio, alea, &c. & quicquid operũ carnis est. Quare ipsi viderint cui mortui magis sint in hac professione, Christo ne, an mundo?

Quintò, ciuiliter mortui dicuntur etiam Iurisconsultis: qui de gradu deciderunt, libertatem amiserunt, boni viri nomen non retinuerunt, quos appellamus *Erloß*.

In explicandis causis τοῦ θανάτου, non satis sese explicare possunt Philosophi: nam peccati initium ignorant & quomodo ingressa sit mors in mundum nesciunt.

4. à Causarum consideratione.

Simpliciter mortis causas quærunt in materia subiecta: in qua inuenerunt, qualitates pugnantes, quarum συζυγία manet, quandiu neutra alteram opprimit, ac quia εὐκρασία vitæ conseruatrix est, δυσκρασία mortem inducit: in primis autem à frigido & sicco oritur, quæ vitæ sunt contrariæ qualitates. Mors ipsa inde frigida & sicca dicitur, quia tales morientes redduntur: tollitur illis qualitatibus αἴσθησις σωματικὴ, qui ἀφανισμὸς mortem inducit.

Medici non aliter. Vnde Galenus mortem dicit esse Σβέσιν τῆς ἐμφύτου θερμασίας, hoc est innati caloris extinctionem, opprimitur enim is vel sensim exhalat.

Definitione.

Mors illa naturalis est, cuius exemplum videmus in plantis, quæ habent suum incrementum ad statum

ad statum vsque gradum, quem si assequuntur flaccescunt, & spŏte marcescunt tandem: ita in homine accidit, ac in plantis *μαρασμὸν* appellant: in animantibus propriè *θάνατον*, vtrinque tollitur calor natiuus & humor radicalis. Hinc olim Græci mortuos *ἀλίβαντας* vocabant, quia humore carerent, quem *λιβάδα* nominant.

tio Mo- sis secun dum Ga lenum.

Eodem pacto causas mortis inquirunt, in morte accidentaria, quæ ex morbis oritur: quorũ materia est in *δυσκρασίᾳ*. Tandem ascendunt ad fati dispositionem, cuius nutu ordo hic rebus sit impositus. Sic Pythag. ait *θανεῖν πέπρωται ἅπασιν*.

Hos sequuntur poetæ & oratores. Anacreontis est *θανεῖν μ' ἔδει κἂν μὴ θέλω*. Et Menandro tribuitur versiculus, *βροτοῖσιν ἅπασι καταθανεῖν ὀφείλεται*. Isocrat. ad Demon. ait, *τὸ τελευτῆσαι πάντως ἡ πεπρωμένη κατέκρινεν: τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἡ φύσις ἀπένειμεν*, mors vniuersaliter fatum decreuit omnibus: honestè mori natura proprium fecit virorum bonorum.

Verùm sacræ literæ nos docent veram mortis causam, quæ est peccatum. Genes. 2. *de ligno autem scientiæ boni & mali non comedes: in die enim qua ederis de illo, morte morieris*, hoc est, certò morieris, hinc de Adamo dicitur, Gen. 5. quòd mortuus sit, nam cùm peccasset: peccati pœnas subire debuit, sic Apostol. Rom. 5. ait, *per peccatum mors ingressa est*. & Rom. 6. stipendium peccati mors. 1. Corinth. 15. *per hominem mors*. Causæ mortis igitur sunt. Satan suasor peccati: ipse homo consentiens: peccatum per quod recessit à lege Dei: hinc nata mors est.

Peccatũ vera Mortis causa.

Sit igitur mors, pœna à Deo mortalium generi imposita, propter transgressionem, qua anima à corpore recedit, ad idem suo tempore reditura. Sciamus mortem esse pœnam, non simpliciter *χωρισμὸν*, *διάλυσιν* & *ἀποδημίαν*. i. separationem, dissolutionem & migrationem, vt discamus odisse peccatum, ac agnoscamus seueritatem iræ diuinæ contra peccatum: nam publica lex est in omne mortalium genus.

Vera Definitio mortis.

Ac necessitatem quidẽ agnouerunt gentes vsu edoctæ: sic Pindarus ait *θνάσκομεν ὁμῶς ἅπαντες*. & in Nemeis. 7. Epod. 1. *ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου πάρα σᾶμα νέονται*, diues & pauper ad mortis sepulchrum proficiscuntur, & in eadem *ἀλλὰ κοινὸν ἔρχεται κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον ἐν καὶ δοκέοντα*, id est, sed communis venit fluctus mortis, & cadit in non expectantẽ, & in expectantem: elegantissimè dixit hic idem Pind. Si quis diues sit formosus & robustus: tamen *θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη: καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος*. i. meminerit contrahere membra mortalia & mori omnes terra indutos.

Hinc fortè appellarunt mortem *ἀναιδέα*, hoc est, impudentem quòd nemini parcat.

Illa necessitas non satis habet consolationis, nisi quia præstat socios habere pœnarum: addatur ergo ei notitia firmior: quòd vis mortis & authoritas sit sublata. 1. Corin. 15. & Hebr. 2. de Christo dicitur, *vt per mortem aboleret eum qui mortis haberet imperium*, hoc est, diabolum. 1. Cor. 15. *Vbi tuus ô mors aculeus? vbi tua, inferne, victoria*, &c.

Et quia pœna à Deo est imposita: sequitur eandem à Deo quoque regi: ita vt certos fines grassandi habeat: quò pertinet non solùm, quòd inuito Deo nemo moritur: sed etiam quando ille vult, & vt vult, singulis est moriendum.

Hector ille Homericus ad Andromacen vxorem inquit, *οὐ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει* i. nullus horum me præter fatum in orcum proiecit. eleganter quidem ad consolandam mulierem: sed nescit numeratos capillos quoque, ex quibus nullus defluit sine patris voluntate: item quod in ipsa morte à Deo curẽtur boni: & quòd pretiosa sit in oculis Domini mors sanctorũ.

A fine quoque non est difficile ostendere verè Christiano viro mortem non esse timendam: nam mors per se, huius vitæ occupationes solum terminat, in quo sanè suauissima est consolatio. Mors est finis malorum, metuenda igitur non est serio Christiano. Expenderũt hic Philosophi vitæ huius miserias, quas non licet, nisi morte, effugere. exempla vide apud Platonem & Ciceronem in Tusc. quæst. Sic eleganter inquit Anacreon, *ἀπό μοι θανεῖν γένοιτ', οὐ γὰρ ἂν ἄλλη λύσις ἐκ πόνων γένοιτ' οὐδαμὰ τῶνδε*. i. vtinam mori mihi contingat: neque enim aliunde possunt hi labores finiri.

Finis.

Etenim quandiu in hac sumus vita, morbi nos circunstant vel mille, mille quoque aliunde pericula, accedunt errores & fortunæ casus, à nobis quoque scelera, quæ deinceps detestamur: frigus, æstus, fames, paupertas: in auro metuenda venena: hæc vno fasce tollit hora mortis. Hinc splendidæ fluunt illæ voces in mortis commendationẽ. Euripid. *τὸ γὰρ θανεῖν κακῶν μέγιστον φάρμακον*. i. mors malorum maximum remedium. & Sophocl. *ἀλλ' ἔστι ὁ θάνατος λοῖσθος ἰατρὸς νόσων*, morborum vltimus medicus mors. & quod ex Sophocl. citatur. *λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θάνατος ἐστί*. portus est mortalibus ipsa mors. Demosth. de corona ait, *πέρας τοῦ βίου ἅπασι θάνατος*. i. terminus vitæ omnibus est mors. Quæ omnia eò respiciunt, vt intelligamus morte corporali finiri solùm externas vitæ huius miserias. Quod si Tyrannus non potest aliud, quàm sæuire in corpus, & mors est corporis, tantùm corporis tollit mala. hinc Christus dicit discipulis, *Ne metuatis ab his qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*, &c.

Morborum vltimus medicus mors.

A cognatis. Morti nihil similius quàm somnus, quem tamen nemo fugit, ne mali quidem, imò vt pharmacum certissimum contra labores & ærumnas omnes appetimus. idem de morte sentire debent boni viri.

Somnus imago mortis.

Hinc Christus puellam dormire ait, quæ mortua fuerat. Mar. 5. Matt. 9. & de Lazaro, *Amicus noster dormit.*

Homerus Iliad. 14. itidem fratres facit. ἔνθ' ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο, quem versum exponens Eustath. inquit, quia ἀναπαύουσι καὶ ἀφρακτεῖν ποιοῦσιν ἀμφότεροι. ad quam sententiam adducit Mnesimachi Comici poëtæ elegans dicterium, ὕπνος τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια, quasi dicat, somnus breue est mysterium mortis.

Apud Lacones simulachra somni & mortis erãt coniuncta.

Plato οἷον ὕπνον, hoc est, similẽ somno, vel quasi somnum dixit. Et Pausanias in Laconicis scribit apud Lacones vtrinque tanquã fratribus simulachra fuisse posita. Simile est quod de Gorgia Leontino refert Ælianus.

A consequentibus mortem. Mors suos habet comites, qui huc emigrantes nos excipiunt. Ac quales discedimus, tales istinc reperiemus contubernales, de bonis autem nobis sermo est. Hi meliora post hanc vitã consequuntur bona, ad meliora transeunt. Itaque non est illis magnopere metuenda: deteriora bona cum præstãtioribus commutabimus libenter, æterna pro caducis, quò facit Pindaricum illud ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ τελευτάσομεν, stabili cum bono hanc vitã commutabimus. Illud bonum ἀτειρὲς, sacræ literæ explicant vitam æternam, consortium Angelorum, cœtus fidelium, conspectum Dei & quicquid ad πολίτευμα illud cœleste pertinet.

Cur Socrates libenter mori velit.

Socrates profitetur se libenter moriturum, vt possit videre illos cœtus veterum heroum, inter quos Orpheus, Hesiodus, Homerus, &c. quid nos fideles? non vtique: sed illos cœtus Prophetarum, agmina martyrum, Apostolos, Christum ipsum in sua carne, in sua gloria, ad dextram Dei Patris.

Elegans simile de morte.

Etenim è vita excedimus tanquam è comœdia, quam licet auidè expectemus, tamen promptè excedimus: eòque magis in hac fabula humanæ vitæ præstandum est: sumus enim non solùm spectatores: sed etiam actores: personam aliquam hîc repræsentamus. Histrio industrius non spectat quàm longam proponat fabulam, sed quàm benè personas repræsentet: sic non refert quandiu: sed quàm benè viuamus & commodè finiamus ipsam: decet initia benè agere, ἐπίλογον etiam commodè inferre, ac catastrophen appositè addere.

Admiranda sunt gentilium quædam in hac re exempla. Socrates certè moriturus altum dormit: ita securè videtur ad mortem accedere.

Cleombrotus se præcipitat.

Cleombrotus, vt refert Cicero, lecto Platonis libro, sese de muro præcipitauit in mare, vt liceret illi ad eum statum accedere: & idẽ narrat, Egesiam Cyrenacium ita disseruisse de contemnenda morte, vt multi sponte sese interimerent: vt Ptolæmeus rex illi interdixerit, ne ampliùs talia in schola proponeret.

Sunt illa quidem minimè laudanda: nam homicidium est, sibi ipsi inferre manus, & rectè docuit Socrates inuito Domino non esse emigrandum: tuenda est statio, in hac vita. Tamen ruborem Christianis extorquere debent: qui ita timidè & negligenter se ad hoc speciosissimum spectaculum præparant: nuptias adituri, peregrè abituri studiosè præparant sese: ad hanc profectionem non te præparabis? adeundus est orbis iudex, vide quo affectu sis appariturus, qua spe, qua fide, &c.

DE SEPVLTVRA.

LOCVS CXXIX.



NITIO appellationes quasdam ad sepulturam spectantes annotabimus: nec enim inutilis est harũ obseruatio hominibus præsertim studiosis. Σῆμα & μνῆμα fermè eadem dicitur ratione: prius ὅτι σημαίνει τινὰ τεθάφθαι, posterius verò ὅτι τὴν μνήμην τοῦ ποτὲ ζῶντος ἀνακινεῖ. Σῆμα tamen dicunt esse τὸ ἐπανάστημα χαματῶδες ὑπὲρ τοῦ τάφου: dicunt Græci σῆμα χέυειν, & Homerus χέειν σῆμα pro τυμβοχοεῖν fossam egerere, & immisso cadauere iniicere terram. Sophocles dixit μνημεῖον ψυχῆς Ὀρέστου, monimentum animæ Orestis. τάφος idem & τύμβος, illud à θάπτειν, hoc à τύφεσθαι: κενοτάφιον dicunt sepulchrum sine cadauere, μὴ ἔχον νεκρὸν, quale est apud Vergil. 3. Æneid. πολυάνδριον commune sepulchrum multis bello cæsis, quale erigunt Græci apud Hom. Iliad. 7.

Sepulchrum est cubile sanctorum dormientiũ.

Χῶμα etiam pro sepulchro sumitur, & ἀναχωματισμὸς ἡ γῆ ἐπὶ νεκροῖς χεομένη, terra mortuis superinfusa. Locum ipsum suaui appellatione dicimus cœmiterium, κοιμητήριον dicũt Græci, quasi dormitorium dicas: admonemur cubile hoc esse dormientium sanctorum, non verè mortuorum, &c.

Origo sepulturæ.

Origo sepeliendi mortuos vnà cum primis hominibus videtur initium sumpsisse, quanuis eius ritus, & mentio post diluuium primum inducatur in sacris literis, in historia Abrahæ, Gen. 15. *Et tu venies ad patres tuos in pace, sepelieris in canicie & bona, &c.*

1. Mouit homines ipsa pietas, quam amicis & ipsi humanitati debemus, vt hoc extremum ad testificandum amorem defunctis exhiberent officium.

2. Accedit communis sensus, qui dictat eos, quos in vita dilexerimus, post funera etiam aliquo ho-

quo honore prosequendos: hinc omnes gentes, quas non barbaries corrupit & alienos ab omni humanitate effecit, aliquam sepulturæ rationem habuerunt.

3. Natura etiam insitum est, vt viui defunctorum cadauera horreant, & auersentur, itaque ad leniendos dolores, ab oculis remouendos curarunt.

4. Adde quòd ipse fœtor non patitur eos diu cum viuis detineri. Fluunt ipsæ rationes ex ciuilitate & honestate publica, quam dictat ratio communis etiam in Ethnico homine.

5. Fideles istis addunt iustiores rationes: nam ad testificandam spem resurrectionis, hi in primis commouentur, vt honorificè defunctos sepeliant: quam rationem sancti patres videtur secuti, qui cadauera vncta & ex cauatis tumulis sepeliebant.

6. Præterea hic non tam defunctis, quàm posteris consulitur: nam qui superstites manent in sepultura, & fidem testantur, & spem resurrectionis, ac virtutum defunctorum recordatione ad pietatem confirmatiores accedebant.

7. Item admonemur de sorte & conditione nostra, paulò post tales nos fore, vt de pœnitentia maturè consultemus.

8. Hanc ciuilitatem sanctorum confirmauit Dei sententia, qui inter temporalia bona, huius etiam interdum meminit, suis non defore honestam sepulturam: item reprobis, inter alias pœnas, hanc ignominiam denuntiat, carituros honesto & optato sepulchro. His causis iudico tum apud Ethnicos, tum verò in Ecclesia Dei mansisse sepeliendi curam.

Ac errant hic vehementer scholastici, qui inter alia adducunt nouum dogma, sepulchra ob id reperta, vt pro defunctis fiant ad illorum tumulos preces: nam nihil tale in exemplis sanctorum veteris Testamenti legitur: nec Christi doctrina aut Apostolorum, quicquam tale nos docet. Quòd afferunt patrum sententias, iudicamus illas non debere quicquam sacris præiudicare, nec ampliùs probare, quàm quatenus cum doctrina Apostolorum consentiunt: sed de illo in exequiis plura dicemus.

Diximus de origine, cuius iustas assignauimus rationes: ex quibus statuatur iam illa propositio, pietati veræ admodum est conforme, operam dare vt sui quàm honestissimè sepeliantur.

1. Id primùm inde constat, quòd cura sepeliendis amicis impensa, pietatis est pars: pietati ergo conforme est, honestè suos sepelire.

2. Deinde honestum est nos fidem nostram declarare, & inhumanitatem barbaram exēplo nostro detestari: laudantur ob id Galeaditæ, quòd Saulis & Ionathæ corpora terræ mādassent: testati erant illo facto, fidem quam regi ordinario debebant, & professionem veram, vindicantes corpora illorum ab impiorum illusionibus.

3. Et quod diximus de præmio, exemplis constat. Abrahæ promittitur sepultura cum canicie bona, Gen. 15. Iosiæ quoque 2. Reg. 22.

4. Sic contra carere sepultura, singularis est pœna, quam Dominus rebellibus comminatur, Ioakim malus rex, singulari maledictione sepeliendus est sepultura asini, Ierem. 22. Ipsi Achaz negatur communio sepulchrorum regum Israël: quod ad impij regis ignominiā pertinet. Quare cùm Dominus inter pœnas suas habeat carere sepulchro interdum, & contrà, inter præmia quæ suis interdum promittit sepulchro potiri, credendum est omnino pietati valdè esse conforme operam dare vt nostri honestè sepeliantur.

5. Accedunt his exēpla honestissima Patriarcharum, quos nihil in hac re alienū à vera pietate commisisse certum est. Gen. 23. Abraham piè tumulat Saram suam, ad quam rem emit prædium ab Ephrone Hettæo. Idem Abrahā mox à filiis suis Isaac & Ismaële sepelitur. Debora nutrix Rebeccæ, sepelitur honestè in Bethel: mox eodem capite, Rachel in via Ephratæ, ad quod sepulchrum erecta fuit statua à Iacobo, quæ durauit ad tempora Mosis: eodem capite Isaac. 180. annos natus, moritur & sepelitur honorificè ab Esau & Iacobo. Sed & Christus Dominus noster suo exemplo sepulturæ honestatem approbauit, dum à Nicodemo & Iosepho viris primariis, & in primario sepulchro, honesto apparatu condi voluit.

Altera propositio. Interea si malorum iniquitate bonis negetur sepultura, vt illis hæc res nō nocet: sic improbis etiam speciosa sepultura non prodest. Duo in hac sentētia complectimur, bonis nihil boni ad salutem & perfectam fœlicitatem detrahi, si negetur illis per tyrannos tumulus: deinde improbos nihilo esse fœliciores, si vel splendidissimè sepeliantur. Ex quibus tertium fluit, sepulturam per se nihil ad defunctorum fœlicitatem facere.

Primùm inde constat, quòd beatitudo non sit tale quiddam, quod externa requirat, vt est cibus, potus, sepulchrum honestum, aut ignobile, seu nullum: sed est animi cum Deo pacificatio, qui suis est vera & omnimoda *αὐτάρκεια*: hinc *Elschadai* dicitur Hebræis. Quòd si dicas ad corporum honorem vel ignominiam tumulum facere, quòd corpora etiam ad beatitudinem spectent: & ob id si non animæ, corpora tamen infeliciora sint negata sepultura.

Respondemus corporum etiam felicitatem in his non esse sitam: quandoquidem maiori maiestate resurgent, quorum cineres in mille plagas mundi dispersi sunt: declarabitur enim sic potentia Domini restituentis corporibus singulis suas partes debitas, ex abditissimis etiam mūdi sinubus. Quia ergo ad Dei gloriam facit martyrum suorum cineres dispergi in profluētes, aut aliis modis deleri, & illi ipsi quod statum resurrectionis attinet, hac re nihil impediuntur à sua

Ratio sepulturæ apud fideles.

Fidelibus honesta sepultura Dei est benedictio.

Falsa causa.

Carere sepultura singularis est pœna.

Christus suo exēplo sepulturæ honestatem approbauit.

Sepultura per se nihil ad felicitatē defunctorum facit.

corporum gloria & maiestate: consequens est nihil boni ad veram fœlicitatem & salutem illis detrahi. Deinde cùm illorum capilli etiam numerati sint, & nullus cadat sine patris voluntate, vtique Deus non ferret, si pars aliqua in his esset posita ad salutem necessaria.

Mali nihil iuuantur splendida sepultura.

Alterum verò, quòd mali nihil iuuentur splendida etiam sepultura, inde constat, quòd scriptura testetur singulos accepturos, prout fecerint: improbos ergo & impœnitentes sua supplicia adire est firmum, quantumuis sepeliantur. Deinde, à contrario id intelligi potest: nam si boni prohibiti à sepultura, nihilo sunt infœliciores: sequitur malos ex concessa sepultura non fore eò fœliciores. Item si piis vile sepulchrum non obest: ergo impiis sumptuosum non prodest: quod affirmat etiam Augustinus: *nec aliquid nocet fidelibus negata corporibus sepultura, nec si exhibeatur aliquid infidelibus prodest.*

Quæ circa mortuorum corpora fiunt magis sunt solatia viuorũ qui subsidia mortuorum.

In quæstionibus super Genesin idem scribit. Fidelium debet ista esse securitas: vbicunq. corpora eorũ sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabie relinquātur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideò vel minùs integra, vel minùs gloriosa in eorum resurrectione futura. Si excipias, cur ergo tāta cura fuit sāctis illa res, vt honestè sepelirētur? Respōdebimus cũ Augustino, magis viuorũ illa esse solatia, quàm subsidia mortuorũ: nec rectè oratio cōuertitur, si negata sepulchra curari non debent, ideo concessa etiam contemnenda esse.

Si tyrannus sepulchrum neget, rectè exclamabit pius, *Facilis iactura sepulchri:* & illud,

Libera fortuna mors est, capit omnia tellus,
Quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet vrnam, &c.

at in pace, & cùm licet, volet cum piis sepeliri. Ioseph voluit ex Ægypto reduci in terram promissam, vt illic cum sanctis patribus conderetur. Constat igitur ex his tertium illud.

1. *Tumulum per se nihil facere ad mortuorum fœlicitatem.*

Tertia propositio: hoc aut illo loco sepeliri, nihil interest ad fœlicitatem: id iam ex superioribus constare potest, nam si planè non sepeliri non abroget fœlicitati, ergo hoc aut illo loco condi nihil ad fœlicitatem attinet. Cui accedit, quòd veteres sancti singuli fermè sua haberent sepulchra in hortis, in priuatis prædiis: vt constat ex historia Christi sepulti in horto priuato, & Abraham in prædio habet sepulturam, qua vsus est Isaac & Iacob. Posteri singuli singulas habuere, cùm vnica spelunca tāto piorum numero non sufficerent. Romæ etiam extra vrbem sepeliebantur: in locis priuatis habebant familiæ suas sepulturas: tandem etiam loco publico, serò tandem in vrbe cœptum est sepeliri & principibus tantùm: tandem etiam in priuatas ædes recepta sunt sepulchra.

Redditur hic ratio cur ad basilicas martyrũ veteres defūctos sepelierint.

Christiani rebus tandem constitutis pacificè, ad Basilicas martyrum sepeliebant defunctos: quod ideo factum videri potest, quòd ad basilicas martyrum fierent preces, & conciones: ac si quæ ingrueret persecutio, defunctorum exemplo & constantia, sese inuicem ad constantiam in fide & professione excitabant, ad quam rem incitabant eos præsentia martyrum sepulchra.

Quòd autem affirmat Augustinus defunctorum spiritus rectè commendari à posteris, nonnullos etiam iuuari commendatos ipsis martyribus, ad quorum basilicas sepulta sint corpora: id totum sine scriptura dicit. Deinde illud discrimen, quòd in hac vita viuentes alij promeruerint, vt post mortem prodessent hæ commendationes, alij non promeruerint: de suo induxit etiam Augustinus: meritum omne, scriptura præsenti vitæ tribuit, & apud Christum quæri debet: post excessum ex hac vita, non est ampliùs locus seu pœnitendi, seu promerendi, per se, minùs per alios: sed tempus est coronandi & puniendi. Quòd addit mox, traditionem hanc esse Ecclesiæ, vt à posteris commendetur spiritus defunctorũ ipsis martyribus: fateri potest esse quidē traditionem, sed de illo genere, quæ careat verbo Dei: quomodo autē introducta sit, ipsi viderint: scriptura nihil tale nos docet: debent autē traditiones eatenus valere, quatenus robur & fundamentũ ex scriptura habēt: præscriptio. n. temporis errores nō excusat, imò aggrauat.

Præscriptio temporis errores nō excusat.

Quarta propositio. Non minùs videntur Christiani quoque interdum deliquisse in sepulturæ negotio quàm ipsi Ethnici.

Ferini mores Ethnicorum.

De abusu breuiter discemus. peccatur hîc ad dextrā & ad sinistrā: ad dextrā, qui nimiũ tribuũt & impendũt: ad sinistrā qui contēptiùs illa & sordidiùs iudicant: quò pertinēt barbarici mores circa defunctorũ corpora tractāda. Historiæ tradunt quasdam barbaras fuisse gentes, quę auibus abiiciant cadauera, & vulturibus, & feris. Bachi dicũtur ad hoc ipsum aluisse canes, quos sepulchrales ob id vocarint. Lothophagi defūctos in mare abiiciebāt. Hircani quoq; volucribus & canibus abiiciebāt: aliæ gētes in eam degenerarũt barbariē, vt viui defunctorũ epularentur carnes, ipsi hominũ sepulchra effecti, quod de Messagetis, Sabæis & Troglodytis proditũ est: de quo refert D. Hieronymus lib. 2. cōtra Iouinianum, Messagetę, inquit, & Derbices miserrimos putāt, qui ęgrotatione moriātur: & parētes, cognatos, propinquos, cùm ad senectā venerint, iugulatos deuorāt, rectius esse ducētes, vt à se potiùs, quàm à vermib. comedātur. Tibareni, quos dilexerint, senes suspendunt in patibulis, Hircani volucribus & canibus semiuiuos proiiciũt, Caspij iisdem bestiis mortuos, Scythæ eos, qui à defunctis amati sunt, viuos infodiunt cum ossibus mortuorum, Bachi canibus ad hoc ipsum nutritis obiiciunt senes, quod cùm Alexandri præfectus Nicanor emendare voluisset, penè amisit prouinciam. Plura huius feritatis reperies exempla apud Strabonem, Cœlium, Alexandrum ab Alexandro, & recentiores scriptores noni or-

ui orbis & nauigationum marinarum, quibus nouæ insulæ repertæ sunt.

Inter philosophos, Cynici quoque contemptim curam sepulturæ æstimarunt, de Diogene notum est, auibus & canibus iubente sese exponi, & cùm amici admonerent de laniatione, respondit, Apponite mihi baculum, vt canes & aues abigam: idem Menippum fecisse dicunt. Theodorus Cyrenensis idem fermè Lysimacho regi respondit, sed habuit ille fortasse iustam causam cõtemnendi sepulturam: minitabatur illi rex crucem & alia extrema: respondit philosophus, Illa tuis purpuratis minitare, Theodori nihil interest humi ne, an in sublimi putrescat. Ista leuitas pios non decet: religiosè de funeribus & sepulturis iudicare debemus, nec est contemnenda illa cura.

Sic ad sinistram homines peccant. Ad dextram verò abusus propriè locum habent. Primùm hic peccant, nimis sumptuosè illa curant. *Abusus sepulturæ duplex per defectũ & per excessum.*

1. Gentium singulare hoc fuit studium. Syri & Ægyptij medicata corpora loculis sumptuosè condebant, vngebantur, præstantissimis odoribus: magnis sumptibus etiam addebantur interdum pyramides, tituli, aliáque. Alij aurum, argentum, ornamenta quoque pretiosissima simul sepeliebant: qui mos apud Reges Iudæorum inualuisse etiam videtur. Hinc belli tempore effringebantur sepulchra, corpora defunctorum dissipabantur, quod idem Ieremias Regibus Iuda prædicit. cap. 8. Romani hunc luxum posteà secuti sunt in funeribus publicis: primitus Romæ, terra solebant condi corpora: mox Sylla violatis ossibus Marij ad Anienem, cremari cadauera præcipit, fortè, vt est credibile, talionem metuens: hinc repertæ vrnæ, quibus cineres componerentur: mox statuæ, epitaphia addebantur, epulum publicum, & conciones funebres, quibus laudes immodicæ recitabantur, & virtutes hominis defuncti. Christiani quoque hunc morem vt sint imitati, facilè est videre.

2. Deinde peccatur ab his qui superstitiosè illa procurãt: vt sunt qui saluti aliquid decedere iudicant, si non humentur, aut non consecrata terra tegãtur. Poëtarũ figmentũ fuit animas excludi apud inferos, & sedem quietam non posse habere, nisi priùs corpora tegantur terra. Et apud Vergil. pœnæ statuũtur insepultis. Quæ opinio Christianos quoq; tenet, vt putent nonnulli oberrare animas, & apparere viuis, cõqueri de tormentis, petere effossiones, transportationes, ritum & pompam funebrem: sic tandem animas quiescere. Superstitio illa est, arte Satanæ inuecta. Quò pertinet superstitio humandi in loca sacra. Omnis locus Deo sacer est: & in hac re, politica debet seruari honesta, sine superstitione. Romani maiorum sepulchris erãt contenti, in quæ tamen aliquando peregrina inferebantur cadauera, vt de Ennio qui Scipionum sepulchris creditus est humatus. Pythagorici suum ritum peculiarem habebant, populi foliis & myrthi, funus ornabant: sic M. Cato condi voluit, fortasè in fauorem sectæ: Christiani in papatu, in templis, & circa templa, quæ loca omnia priùs consecrantur certo ritu. *Superstitiosa sepultura.* *Superstitio humandi in loca sacra.*

3. Demum peccatur hic, quæstu: nam res docet in papatu funera ad quæstum esse accommodata: hinc templa ipsa κοιμητήρια facta sunt. Hanc rem concilia aliquando correxerunt: episcopis tamen & magnatibus concessum est in templis condi, quæ res cùm lucrosa inciperet esse, patefecit diuitibus in templis omnia loca: hinc sepulchra hæreditaria in templis, & qui plus numerat, honestiori loco sepelitur. Non tamẽ est de ratione templorũ, sepultura: suprà iam dixi cur primi Christiani rebus meliùs constitutis ad Basilicas martyrũ instituerint sepulchra, &c.

DE LVCTV PRO DEFVNCTIS. LOCVS CLV.



Hristus inquit Luc. 8. *Nolite flere, non enim est mortua puella sed dormit.* quam sententiam nonnulli sic accipiunt, quasi Christiano homini, omnis in funere suorum luctus sit interdictus. Homines certè duri, quibus æs triplex circa pectora & σιδήρεος χάλκεον ἀμφὶς ἴθυσι, dixeris. De Crasso produnt historiæ, illum in vita semel risisse. vnde Agelasti nomen: & Socratem testatur Xantippe, semper eodem vultu visum. *Crassus semel in vita risit.*

Nostri verò seueriores, quos ridere videas, & vultum etiam mutare: luctum tamẽ in Christianorum etiam funere constanter pernegent.

Dicamus ergo de luctu. An scil. Christiano & pio homini prohibitum sit suos moderatè deflere mortuos. Cic. 3. Tusc. quæstionum, luctum ait esse ægritudinem, ex eius, qui nobis charus fuit interitu acerbo. Non malè quidem, sed pro religione Christiana duriùs. Nam interitum non placet hîc nominare, nec admittere, ne videamur deflere nostros, quemadmodum illi, qui spem non habent. Reliqua non malè rem explicant. Tamen sententiam ita forsan expressiùs dicemus. *Apud Ciceronem quid sit luctus.*

Luctus est ægritudo & squalor susceptus ex eius, qui nobis charus fuit, morte. In qua definitione ægritudinem ad animum referimus, ne sit in luctu hypocrisis, squalorem verò ad externa doloris indicia, quale est, mutare vestem, pullatum esse, incessu, voce, gestu etiam significare dolorem. In his omnibus pius homo pro tempore & personæ suæ dignitate, nihil præter decorum committet. *Alia definitio.*

Suscipitur autem luctus necessaria de causa, nimirum eius, qui charus nobis fuit. Non vtique propter ipsum quem amisimus: sed potiùs propter nos, qui superstites mansimus: quia bono sumus orbati: quia Ecclesia etiam inde damnum patitur, quia priuatim eo deteriùs nos abituros aduertimus.

Species. Hinc luctus aliàs priuatim suscipitur, vt Iacob filium suum Ioseph luget, aliàs publicè à toto cœtu: sic Mosen lugent Israëlitę: Aaronem itidem & alios pios principes in populo Dei. ita Syracusani publicè Timoleonem optimè meritum lugent, Sicyonij suum Aratum, &c.

Deinde luctus aliàs seriò suscipitur, hoc est, à quo abest hypocrisis, & in quo nihil præter decorum committitur. Alias simulanter & ficto animo, ad ostentationem, quæstum, vanam gloriam, aliáve concilianda comparatus, qualis est gentilium luctus, qui spem de resurrectione non habent: eorum etiam, qui conducti pretio lugent, & qui (vt poëta ait) oculos vt fleuerit erudiere suos. Tale nihil in piorum luctu, concedimus: sed ad emendationem & ædificationem totum spectare affirmamus.

1. Præceptum. Quòd igitur piis sit concessus luctus inde constare potest. Primùm luctus res talis est quæ per se concessa non solum est à Deo, sed in loco etiam præcepta & mandata, vt sine graui peccato negligi non possit. Hinc Prophetę passim in clade publica, in bello, fame, peste, luctum instituere. Ac idem ad funera pertinere constat manifestè, quòd Dominus Leuit. 21. præceptum dat quibus funeribus interesse sacerdotes deberent, & quibus abesse. Pollui scriptura dicit, luctui sese concedere: & Apostol. ad Rom. 12. præcipit vt fleamus cum flentibus. quo expressè pietatis officium commendat, sese fratribus dolentibus accommodare.

2. Exempla vtriusque Testamẽti. Deinde in hac causa plurima sunt & illustrissima exempla, quæ non decet damnare ignorantiæ aut peccati alicuius. Abraham Saram suam luget in Hebron. Gen. 23. Iacob Iosephum multis annis defleuit, Gen. 37. ac, si credimus interpretibus, durauit hic luctus vsque ad recognitionem Iosephi superstitis ad annos scil. 22. Iuda & Ierusalem deflent Iosiã: & Ieremias Propheta lugubre illi componit carmen. 2. Par. 35. Dauid Abnerum deflet publico instituto luctu. 1. Sam. 4. Aaronem Israëlitæ in deserto lugent 30. diebus. Num. 20. Mosen etiam totidem diebus idem populus, Deut. 34. Iudith verò diebus septem à toto populo, Iudith. 17. Et in nouo Testamento huius rei extant exempla. Fideles Stephanum lapidatum lugent publicè, vt apparet. Act. 8. Et sorores Lazari flent, & ipse quoque Christus, Ioan. 11. &c. & similibus exemplis plena est scriptura. Cùm igitur fideles veteris Testamenti vsu approbarint luctum, in nouo itidem, Christus quoque non solum lugentes non obiurgauit, sed suo exẽplo approbauit: statuendum est, quod rei veritas postulat, pium esse officium lugere moderatè defunctos.

3. Pœna non defleri. Præterea sacræ literæ inter pœnas referunt, non defleri, vti, negari alicui sepulturam, abiici inter pecudes, aut asini sepultura sepeliri. Quare ex contrario sequitur defleri suo loco, rem esse honestam. Exemplum huius rei illustre est apud Ezech. 24. vbi Prophetę mandatur, ne faciat luctum in funere propriæ vxoris: vt hinc doceat rebelles Iudæos illos ita perituros, vt non superstes sit, qui illos defleat. Similia legas multa exempla in sacris, quæ breuitatis gratia hîc prætterimus.

4. Accedit rei honestas, quæ sua natura officium hoc commẽdat. Gratos enim erga Deum nos declarare debemus, dum bona exhibet: dùm eadẽ à nobis subtrahit, submitti animo æquũ est. Quę submissio interdum fructuosior est, si mores & gestus ad idem accommodentur, seruata tamen personæ dignitate.

Hæc prima est sententia de luctu piè iudicãtium, quam paucis etiam approbauimus. Superest vt alteram paucis excutiamus. Habet illa nobiles defensores inter Philosophos, Stoicos, homines acutos, & magni iudicij, vita & moribus graues, in doloribus verò nec non inuictos, & Marpesia caute duriores.

Stoici luctũ damnant.

Defendunt isti ἀπάθειαν, & muliebre interpretantur sese luctui dedere, contrahi animo, & submittere dolori. De Thracibus etiam scribũt aliqui, quòd cantu mortuos prosequantur. Herodotus in Terpsich. certè scribit de Trausis, quos Causios & Causianos esse puto, quòd natos luctu excipiant, mortuos verò lætitia prosequantur. De Massiliẽsibus quoque idem proditum est, conuiuiis ornare funera, non fletu. Romanæ historiæ quædam habent illustria exempla neglecti luctus. Q. Maximus filio consulari amisso, non luxit. L. Paulus duos paucis diebus amisit sine luctu. M. Cato etiam filio prætore designato, nulla luctus ædidit signa.

Complures inter ethnicos cantu nõ luctu mortuos sunt prosecuti. Philosophi non pauci à luctu pro mortuis abstinuerunt.

De philosophis exẽpla proferre non est necessum. Nota sunt, in primis Anaxagoræ, Xenophontis, Dionis & Antigoni. Anaxagoras cùm duorum filiorum mortem accepisset, nihil aliud respondit, quàm, Scio eos mortales esse natos. Xenophõ in sacrificio solum deposuit coronam, quam tamen mox resumpsit, audiens Gryllum filium fortiter pugnando occubuisse. Dion verò cùm de tecto delapsus filius mortuus esset, ab incepto opere tamen non destitit, quod tum casu præ manibus habebat. Antigonus etiam non mutato vultu filium laudauit, quòd vt fortis miles occubuisset.

His & similibus exemplis suam ornant sententiam Stoici, vt plausibilem suam efficiant ἀπάθειαν. Cæterùm nobis non simpliciter cum Philosophis res est: & confutati pridem sunt à Peripateticis.

Vim

Vim illi naturæ inferunt, cùm eam omni affectu humanitatis spoliant, & hominem non hominem esse finunt, sed lapidem & stipitē. Deinde malè ipsi damnant στοργὰς, quas non solum natura impressit, sed Deus mandat, qualis est amor liberorum, parentū & hominū alio aliquo vinculo necessitudinis charorum: quos affectus non ideò probamus solùm, quòd omne genus animantum hosce approbat: sed quia scriptura eosdem præcipit, & in renatis hominibus eosdem manere videmus: ideóque rectè mihi videtur Cyrillus hanc sententiam ferinā & durā appellare.

Vim naturæ inferunt qui luctum pro mortuis improbant.

Sed quod nostri hodie nobis hîc obiiciunt expendamus. Aiunt enim scripturam prohibere luctum. 1. Thes. 4. *De his autem qui obdormierunt, ne doleatis, vt cæteri qui spem non habent.* Respōd. locum esse manifestum, nec tàm illos tueri, quam planè euertere. Non vult dolere nos, vt cæteros qui spem non habent: vult ergo nos dolere, vt eos qui spem habent. Luctus igitur concessus est: quia certo modo conceditur: & forma in eo est expressa, *secundum spem*, Sententia enim Apostoli est, non esse lugēdos gētiliter, ethnico more: quod in Ecclesia Thessalonicēsi videtur mansisse. Ac manifestus est abusus, & nota petulans turpitudo, quæ in gētilium luctu committebatur, de quo mox dicemus.

Damnatur ab Apostolo luctus more ethnico declaratus.

Addunt hîc aduersarij, lugentes resistere Dei voluntati, cùm Deus mori omnino voluerit, quos nos luctu prosequimur: ideóque peccare nos grauiter in Dei decretum, & nobis ipsis, quoque nos contrà ire, cùm petimus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.*

Sed facilis est solutio. Deus qui voluit illos mori, idem voluit à nobis seruari officia humanitatis: idem voluit agnosci suam manum, idē voluit nos esse gratos. Nec rectè sequitur: Deus voluit illos mori, ergo non sunt lugendi: sic enim tollas etiam sepulturam. Imò potiùs sequitur: Deus eos mori voluit: ergo deflendi sunt, nisi singulari mandato id prohibeatur, aut conditio personæ id non admittat. Id ita intelligemus fortè clariùs. In luctu primùm expendi debet causa mortis, quæ vtique ex Dei voluntate pendet: sed ingressa est mors non eadem voluntate, sed ex peccato: quod Deus puniens addidit præmium illud, mortem scilicet, & ei adhærēs stipendium, diuersa morborum genera. Lugentes igitur, quoties vident morte ereptum quem dilexerant, admonentur de peccati magnitudine, de ira Domini, de pœnis ipsis, quas Deus humano generi imposuit, quæ sanè meditatio iustum incutit dolorem: ideóque meritò damnatur hic sententia Solonis, cui cum deploranti mortem filij, quidam dixisset eum flendo nihil proficere, respondet ob id ipsum se lugere, quòd res humanæ in eas angustias essent retrutæ. Non rectè lugebat ille. Pij quidem agnoscunt illas angustias: sed causam expendunt, peccatū ipsum, & Domini aduersus illud iram: & ex eo emendandæ vitæ occasiones deprecandi peccatum, approbandi sese Deo. Deinde expendant pij lugentes, malum vel damnum quod ex morte illius ad ipsos pertingit. Priuantur amico: vxore alius: alius liberis: filio suauissimo alius: malum vtique est: quia cum persona consilium, auxilium, subsidium quoque subtrahitur: malum vtique est, quia nocens, quia incommodum, quia tristis solitudo, quia res domestica pessundatur, cōmoditas securiùs viuendi euanescit. Cogitabunt ergo suo etiam vitio promeritos vt amitterēt amicos. Nam si bonorum præsentia conseruantur Respublicæ interdum integræ: & illorum absentia corrumpuntur: magis igitur bonorum opera viuunt: & ob id mali si pergamus esse, in pœnas, vitæ & morum orbamur charissimis. Dignum igitur est vt deploremus nostram sortem, mores nostros & vitæ petulantiam aliquo fræno discamus moderari. Tertiò iusta est lugendi etiam ratio ob ipsam defuncti personam. Nam si frugi extitit bonę spei, aut iam priuatim vel publicè vtilis nobis vel Ecclesiæ, aut Reipub. dignum est, vt deploremus iacturam tanti boni amissi, & cogitemus pœnas esse, quicquid diuinitus nobis immittitur. Sin malus & in ignorantia mortuus, nobísque charus extitit, grauis est ratio cur lugeamus, ob hoc ipsum quia in veri ignorantia hinc excessit. 1. Sam. 15. legimus de Samuele, qui luget Saulem impiū redditū & à Deo iam abiectū, multò igitur magis mali lugendi sunt, quoties in malitia eos mori aduertimus. sic Apostolus 2. Cor. 12. testatur se impœnitentes lugere. Quid ergo faciemus amicis & benefactoribus, quos ad frugem non potuimus pertrahere? Relinquendi sunt Domini quidē iudicio, nostrum tamen est humanitatis esse memores, & animi testari affectum.

Absurda collectio.

Mors nos admonet de magnitudine peccati.

Solonis sententia.

Rationes pro luctu.

Tertia superest sententia in hac quæstione: eorum scilicet qui nimis sese demittunt, & sese in omnem lugendi soluunt formam: quod sanè muliebre est & contra decorum personæ ac pietatis Christianæ prioribus sunt hi prorsus contrarij. Nam vt illi ἀπάθειαν sequuntur: ita hi dici possunt δυσπάθειαν sequi: illi in defectum peccant, hi contrà in excessu nimis indulgent luctui. Medij intra vtrósque incedunt pij κατὰ τὴν εὐπάθειαν suos deplorantes mortuos.

Muliebre est & contra decorū personæ sese nimis luctu dimittere.

Plenæ sunt his tragœdiæ. Electra fratris assidet lecto, lugens ita, vt incuset etiam naturam, ὢ μέγα κακόν. Iocasta seipsam interficit impatiens doloris. Niobe ex luctu, lapidea facta est. Hecuba in carnem versa. Bellerophon solitudines petit,

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Sic enim ex Homero Cic. vertit. Sed & historiæ talia habent exempla. Asinius Pollio in conuiuio palàm luget. Pericles amisso filio Paralo, fracto animo & nimis muliebriter luxit, contra personæ suæ dignitatem.

Luctus immoderatus.

Hæc indigna sunt, & meritò vitanda piis hominibus: nam personæ dignitatem lędunt, deinde moribus obsunt: demùm palàm prohibita sunt.

Ac fatemur quidem, in loco & pro rei dignitate maiorem esse luctum: tamen moderandus est ad regulam pietatis: vt in sexu muliebri plus loci habet luctus, & interdum iustis rationibus continuatur: vt quod de Artemisia Mausoli Regis Cariæ vxore dicit Cicero, quòd tota sua vita in luctu permanserit. Ita contrà in loco & certis de causis interdum planè omnis videtur excludi luctus: quale refert exemplum Hieronymus, de Melanea, quæ marito & simul duobus filiis ne lachrymam quidem emisit: imò ad pedes Christi prouoluta arridens dixit. Expeditius tibi seruitura sum Domine: quia tanto me onere liberasti.

Artemisia vxor regis Cariæ, tota vita in luctu permansit.

Rara sunt exempla, magni animi in contemnendo luctu: sed ob id regulam non faciũt, cùm sint infinita exempla indulgentium luctui, & honestè quidem. Porrò illam effœminatã lugendi consuetudinem palàm sacræ literæ prohibent. Deut. 14. *Non ponetis vobis caluitium, nec lacerabitis vos propter mortuum.* Quo mandato, Dominus ethnicum illum luctum à suis voluit remouere, & Apostolus cùm iuberet ne lugerent Thessalonicenses demortuos, tanquam illi qui spem non habent.

Ac considera hìc obiter, quomodo hi sunt lugere soliti qui spem non habent.

Tonsura in luctu.

Primùm in luctu tonsi inducuntur. Tyndareus Spartanus in luctu filiæ Clytemnestræ pulla gerens pallia inducitur ab Euripide, rasura ob filiam lugubri rasus. Admetus in funere Alcestes, omnes Thessalos radi iubet, equos etiam iubatos detondere. Archelaus Rex Macedonum Euripidem poëtam tonsus quoque luxisse dicitur. Teucer Aiacem etiam tonsus deflet apud Sophoclem, & Achilles suum Patroclum rasus luget. Sic apud Romanos, matres in filiorum luctu radebantur, & sorores suo capillo ornabant fratrum funera: quod & Græci factitarunt. nam Helena comam propriam mittit ad sepulchrum sororis apud Euripidem.

Deinde accedebant lugubres voces publicè complorantium, quod sanè præter decorum fiebat. Inde illa apud Hom. toties κλαίειν, οἰμώζειν, δάκρυα χέειν. Achilles sanè Iliad. ψ publicè luget præter personæ decorũ, & græcos milites ad idem hortatur. Πάτροκλον κλαίωμεν: & mox, οἱ δ' ᾤμωξαν ἀολλέες ἦρχε δ' Ἀχιλλεύς. Vide, dux militaris publicè orditur luctum: mox ad mare descendit βαρὺ στενάχων, & capillis ornãt funus θριξὶ πάντα νέκυν καταείνυον: & ipse Achilles ἐν χερσὶ κόμην ἑτάροιο φίλοιο θῆκεν.

Conductæ mulieres ad lugendũ.

Tertiò addebant alia quæ luctũ facerent tristiorẽ: nam conductas quasdam adhibebãt mulieres, quas Latini præficas dicunt. Hæ næniam funebrẽ concinebant: his accedebant interdum mimi, qui mores etiam exprimerent defuncti: tibias quoq; & phrygium modulum, qui ad luctum magis erat compositus. Hoc modo virtutes defuncti recitabantur: &, si quid in patriam, vel priuatos cõtulisset, leniùs illa dicebatur cantio, & qui eam celebrabant apio coronati erãt.

Crudelis ratio lugendi.

Quartò, nefanda magis alij addebãt. De Scythis scribit Herodotus in Melpon. quòd crinem tonderẽt, manum etiam sinistrã sagittis traiicerẽt. Crudelis erat ista lugẽdi ratio, cum effusione sanguinis coniũcta: quod Dominus prohibuit in suo populo, Leuit. 14. *Nõ lacerabitis vos.*

5. Sed nec his finis erat: progressum est hinc ad occisionem & homicidia. Nam Scythæ in Regio funere in Regis honorem occidebant vnam ex pellicibus, agasonem, coquum, tabellarium: forsan ne incomitatus ad inferos transiret Rex. Anno reuertente nobiles iuuenes 50. & totidem generosos equos. Ita illi luctum augebant: quod ipsum quoque in Indis nonnulli referunt. Illa indubiè artibus & fraude Satanæ instituta sunt, qui sanguine humano & homicidio in primis delectatur, inde homicida à Christo dicitur.

Alexandri magni luctus dãnandus.

Hi fermè ritus fuere lugentiũ apud Ethnicos, quibus tamen alij alia quoque addidere, insano potiùs furore, quàm ratione constanti: quale est quod de Alexandro magno scribit Ælianus quod in funere Hephestionis non solum se & exercitum raderet: sed muros etiam arcis Ecbatanæ dirueret, ita impotenti luctu ferebatur in defunctum: furere illud est magis, & cum ratione insanire, quàm luctu funus honestare.

6. Verùm idem Alexander seipsum insania superabat: qui nõ solum erga homines, ita muliebriter sese effundit in omnem lugendi formam, verùm etiam suum Bucephalum luctu prosequitur, funere ornat, sepultura honestat, & insuper vrbem in rei memoriam cõstruit. Et quid de Crasso dicemus qui murenã piscem mortuum luxit, & funere atque exequiis cohonestauit?

Crassi luctus.

Porrò gentes ita modum excessere in luctu. Hodie qui Christiani nominis sunt, non multò his inferiores reperiuntur: de quo nihil attinet hic dicere. Solum istud addemus, hosce mores à gentibus ad Iudęos quoque peruenisse: cuius rei locuples testis est D. Hieronymus, qui in cap. 6. Ieremiæ testatur, suo adhuc seculo, moris inter Iudæos fuisse, vt caluitium facerent, & inciderent lacertos in luctu.

Cæterùm prohibitum esse iam diximus ex cap. 18. Deut. debuit enim hic populus vt religione, ita ritu & moribus ab omnibus distinctus esse nationibus. Fœdum insuper est, & hominis dignitatem lædit: coniuncta est magna hypocrisis: sumptus inutilis fit, alitur impietas & superstitio: crudelis est etiam humani sanguinis effusio. Ideóque magnis viris sæpè displicuit, etiam apud gentes Cicero sanè grauiter reprehendit in 3. Tusc. hinc varia inquiens & detestabilia genera lugendi, pædores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, femorum, capitis percussiones. Et de Bione idem refert Cic. solitum reprehendere istos mores hoc dicterio. Illos perinde facere, quasi caluitio leuaretur mœror.

Cicero damnat luctum immoderatũ.

Socrates sine fletu sepeliri voluit: Pomp. Atticus etiam sine pompa funerari: fecerũt idẽ alij. Socrates Pomp. Atticus.

Dauid deponit luctum vnà cum filij morte. 2. Sam. 12. & Ecclesiasticus grauiter inquit cap. 34. *Mortuo non proderis, & tibi ipsi malefacies.* Quare moderatè vt in aliis omnibus sese etiam hic gerent pij.

Primùm gestus moderatus, ne muliebriter cõtra grauitatem Christiani hominis quicquam admittant. Deinde in vestitu non apparebit hypocrisis, aut ostentatio magis, quàm dolor. Pullata veste vsi sunt veteres Romani: Iudęi squallida veste & sacco. Spartani Regem in cãdida veste apertóque capite lugebant. Idem reliqui Gręci fecere, & Romani in funere clari viri: parentum tamen funera filij & clientes veste pulla efferebant. Sed in hac re patrius mos regulam dictabit, modò decorum seruetur.

Tertiò, quæ speciem habent impietatis & superstitionis vitabunt: quale est alios ad lugendum conducere: sacra nefanda præstare, litare cruore humano & similia, quæ ipsa humanitas detestatur.

Quartò, ne fiat superstitione: quasi illa defuncto prosint, quæ sententia hodie multorum detinet animos, defunctos iuuari luctu superstitum, & quicquid illis officij præstetur prodesse. In hac sentẽtia Augustinus quoque hæret: sed pluris apud nos debet esse scripturę iudiciũ, & piorum hominum sententia. Ecclesiasticus apertè inquit, *Huic non proderis & tibi ipsi malefacis.* & Dauid ait de suo filio defuncto, *Non redibit ad me, sed ego vadam potius ad eum*: volens ostendere sine causa continuari luctum. Et scitũ est Stesichori hac de re carmen: *ἀτελέστατα καὶ ἀμήχανα τοὺς θανόντας κλαίειν.* Quòd autem in Ecclesia veteri, proferre consuetum sit nomina mortuorum, non hunc sensum habebat, vt crederent homines, defunctis illa prodesse: quanquam hinc enata sit illa opinio: sed vt posteritas exemplo piorum martyrum consolationem acciperet, & ad constantiam sese excitarent, cuius rei locuples testis est ipse Epiphanius: qui scribit proferri nomina mortuorum, vt præsentes credant, quòd hi qui decessere, viuunt, & non sunt nulli: sed sunt & viuunt apud Deum: & quòd spes sit, orãtibus pro fratribus qui in peregrinatione sunt, &c. Quibus verbis apertè indicat duabus de causis illorum celebrari memoriam. Primùm vt viui testentur mortuos apud Christum viuere. Deinde, vt occasio sit orandi pro fratribus viuentibus, qui eandem experiri debent aleam mortis, quos dicit adhuc in peregrinatione esse.

Cur in Ecclesia veteri defunctorũ nomina publicè proferre cõsuetũ erat.

Qui mos adhuc durat in nostris etiam Ecclesiis, vt defunctorum proferantur nomina ante concionem, cum breui exhortatione, vt & ipsi horæ mortis simus memores & ad eam maturè nos præparemus, ne imparatos opprimat. Sed posteri cùm viderent, rem esse quæstuosam, persuasere auditoribus, defunctis illa mirificè prodesse: quod eò facilius obtinebant, quòd Gentes ad Christum conuersæ sua natura ad hanc opinionem inclinarent.

Nam vt ex Cicerone apparet, inter reliquas causas luctus, etiam hanc habebant, quod gratũ sese mortuis facere putarent, si grauiter illos lugerent. Item quòd existimarent diis sese faciliùs satisfacturos, &c. Et apud Hom. Patrocli vmbra ab Achille exequias postulat, vt ab aliis animabus non arceantur.

Θάπτέ με ὅττι τάχιστα, πύλας ἀΐδαο περήσω.
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων.
Οὐδέ με πως μίσγεσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν.
Sepeli me quàm celerrimè: portas autem Orci penetrabo.
Procul me summouent animæ, manes laborantium.
Neque sinunt me misceri super fluuium.

Polydori quoque vmbra errat, donec honestatur funere, apud Eurip. Ita quidem res inter Christianos eò deuenere, vt defunctis arbitrentur prodesse: cùm prima institutione totum hoc institutum ad posteritatis vtilitatem spectet.

Sextò, in tempore quoque errari solet, vt diutius quàm par sit protrahatur. Ecclesiastici cap. 22. legimus luctus mortui septem dies: quo videtur affirmare, tum receptam consuetudinem: quasi septem dies luxerint defunctos: tamẽ magnos viros diutiùs luxere, vt Mosen & Aaronem 30. diebus, Iudith tamen 7. diebus est defleta cap. 17. Non igitur præscribi potest tempus. Hodie magni nominis viri à suis luctu ornãtur ad anni spatium. Alij ad dimidium, vestem pullam deponunt. Admetus Alcesten lugendam toto anno imperat. Ægyptij 72. diebus regem lugebant, Iacobum deflent Ægyptij 70. diebus: Ioseph autem cum suis postquam in terram Canaan trãsportassent luctum facit 7. dierum Gen. 50.

Romani ad menses continuabant luctum: ídque in primis viduę præstabant: nec priùs honestè poterant ad nouas transire nuptias, ne soboles dubia & incerta redderetur &c. Sed in his vt aliis omnibus, pij etiam in luctu modum seruabunt.

DE VANITATE CREATVRARVM.

LOCVS CLVI.



MAGNA est electorum dignitas, non solùm quòd illis omnia ad bonum cooperantur: sed etiam quia omnia illis subseruiunt, & tanquam Domino condolent. Hinc Apostolus confirmaturus nos in patientia, exemplum totius creaturæ proponit ad Rom. 8. *quòd omnis creatura vnà ingemiscit, & vnà parturit ad hoc vsque tempus.* Itē *quòd vanitati subiecta sit*, à qua non possit priùs liberari, quàm gloria filiorum Dei fuerit reuelata, tum enim & ipsam liberandam à seruitute corruptionis: quæ qualia sint à multis sæpe dubitatum est. Nos vt rem explicatè doceamus, ostendemus omnem creaturam verè corruptioni esse subiectam: deinde qualis sit futura eiusdem restitutio.

Quod prius attinet membrum, videndum est quid creaturæ nomine intelligendum sit. Secundò, quæ sit illa vanitas cui subiecta est. Tertiò quibus de causis illi sit subiecta. Quartò, quomodo hoc ad omnem spectet. His explicatis de Restitutione agemus, quòd scil. sit melior conditio expectanda in tota creatura. Deinde quando hæc sit futura. Tertiò quomodo. Quartò ad quem vsum sit factura.

Quid nomine creaturæ intelligi debeat.

I. Ac creaturæ nomine hic accipimus, id quod propriè significat, hoc est, mundi machinam cum suis partibus, cœlum, terram, elementa, & illorum rectores angelos. Primùm enim κτίσις illa nobis significat: cum solus Deus Opt. Max. ex illius censu secludatur, & vocem hanc non solùm Græci seruarunt: sed interpretatio Syriaca, quæ habet *berietha*, quod Hebraicè diceres *haberiah*. Deinde quòd constanter hac voce in illo argumento quater vtitur, indubiè alia voce permutaturus, nisi creata in genere intelligeret. Accedit quòd Ambrosius aliique nónulli veterum, & recentiorum ferè omnes per creaturam, hāc mundi machinam intelligunt, cui per Prosopopeiam tribuatur condolentia & affectus parturiendi, ad exprimendum desiderium, ad quod sua natura omnia creata feruntur, nec tamen eò sine hominis perfectione possunt pertingere. Ideóque hominis tanquam creaturarum principis liberationem magno desiderio expectant: in illius enim restitutione, tota creatura restituetur suæ integritati.

Glossa Lyranni de homine solùm intelligit, adeóque de piis solùm: cuius illa verba sunt, *creatura sunt boni, qui in creatione Dei manserunt vel quia sunt causa omnium.* Item *creatura est homo non amans ista caduca, patienter tamen ferens, sciens Deum subiecisse ad conseruationem humilitatis, liberabitur autem à cura quærendi victum & alia quibus seruitur nostra mortalitati.* Quibus Lyrannus manifestè indicat, se non aliter hic creaturam accipere, quàm electos, & vt ipse loquitur omnes præcedentes patres, vsque ad Christi aduentum, qui anxiè restitutionem filiorum Dei expectent.

Sed huic interpretationi repugnat primùm ipse locus præsens, in quo scribitur, omnis creatura vnà ingemiscit. & simul parturit ad hoc vsque tempus: non satis distinctè loqueretur Apostolus si de solis piis loquens, vniuersaliter omnem creaturam proponeret. Deinde vox creaturæ in sacris literis vniuersaliter posita non de sanctis tantùm dicitur, nisi additione specifica, s. nouæ creaturæ: sed nec noua creatura omnis rectè dicitur creatura: *vt in Christo Iesu, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed noua creatura.* & 2. Cor 5. *si qua est in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce noua facta sunt omnia.* Accedit quòd cōsolatio hic sit instituta nouæ creaturæ, ad cuius confirmationem adducit exemplum reliquæ creaturæ irrationalis, quæ condoleat sub malis & ipsa pressa. Cùm enim propter hominem sit maledictioni subiecta, ab eadem liberari non potest, nisi priùs restituto homine.

Creatura irrationalis ob peccatū hominis maledictioni subiecta.

Augúst. lib. quæst. octogintatrium, quæstione 97 de homine in genere interpretatur, quòd putet absurdum esse, gemitum & desiderium tribuere irrationali creaturæ: & ait, omnis creatura in homine est, quia intelligit spiritu, & sentit anima, & localiter corpore mouetur. Sed meminisse oportuit, sermonem esse non quid in homine sit: sed quid omnis creatura extra hominem in hominis gratiam patiatur, nec hanc vtilitatem affectat Apostolica simplicitas: nam ad patientiam cohortaturus, exempla statuit eis ob oculos, primùm filij Dei, cum quo si patiātur glorificabuntur: deinde, creaturæ, quæ in hominis gratiam maledictioni sit subiecta: tertiò Apostolorum & aliorum piorum, qui primitias Spiritus sancti habebant, quæ communio afflictionum mirificè faciebat ad tolerantiæ & patientiæ studium. Adde quòd de impiis planè intelligi non possit, cùm electis non solùm non condoleant sub cruce: sed magno gaudio spectarét plenarium eorum interitum.

Totum dicitur respectu partium omne respectu specierū.

Deinde addit idem Augustin. Apostolum non dicere totam, sed omnem. Quasi verò hoc causam iuuet totam dicere potiùs vel omnem. Græcè scribitur πᾶσα κτίσις, & singulari quidem prudentia, quia de speciebus loquitur naturæ, non de partibus. Notum enim est totum dici respectu partium: Omne, respectu specierum. Itaque cùm omnem dixerit creaturam, de speciebus locus est intelligendus, facítque magis contra sensum illum, quàm si dixisset tota ὅλη κτίσις.

Præterea

Præterea additur & hoc argumentum ibidem: liberandam dixit à seruitute interitus, quò illos cecidisse qui in cœlis agunt vitam beatissimam non possumus credere. Miror verò si de illis intelligi non possit: si enim defunctos sanctos intelligit, quomodo illi non expectant suorum corporum restitutionem, sine quibus beatissimam vitam agere non possunt? quibus dum caret meritò sub seruitute interitus eo respectu dici possunt. Sin de Sanctis angelis loquitur, certum est illos gaudere semper pœnitentibus peccatoribus: quibus dum seruiunt, quid impedit, de illis etiam accipi, ratione ministerij, non naturæ? Addimus etiam illud Apostolum non dicere interitum, sed seruitutem φθορᾶς, hoc est, corruptionis: quia renouatio arguit inesse rebus omnibus quiddam corruptibile, quod opus habeat restitutione.

Hæc breuiùs de Augustini rationibus quæ alij intacta reliquêre: sed & ipse Augustinus sese aliquatulum corrigit. Tamen (inquit) nihil temerè confirmandum est: sed pia diligentia verba diuina etiam atque etiam sunt tractanda, ne fortè quæ cōgemiscit, & dolet, & vanitati subiecta est, possit aliquo modo alio intelligi, vt de summis angelis, quandiu nostræ infirmitati, iussu Domini nostri, opitulantur, non impiè possit existimari.

Vidit enim de Angelis etiam legi affectus in sacris literis & ministeria, quorum respectu condolentia & gemitus & desideriū restituendæ humanæ naturæ ab illis non potest alienū videri.

II. Ματαιότης vanitas est, corruptio & mortalitas cui sublunaria omnia subiecta sunt, habent enim fluxam & mutabilem naturam, quæ supra lunam sunt, licet sinceriori natura sint prædita: tamen dubium non est, quin aliquid boni accessurum sit post vniuersi restitutionem, quod de Sole & Luna scriptura testatur. De angelis verò sanctis, colligi potest, quia ministerio nostro liberabuntur: sed Apostolus satis dilucidè se explicat, quid sit ματαιότης scilicet, δουλεία φθορᾶς, cui omnis creatura subiecta est, vel naturæ corruptibilitate, vel ministerio & officio. Μάταιον Græcè & Latinè vanum dicitur, quod finem etiam non assequitur, quod expectationē fallit, quæ etiam huic loco non malè competunt: sed quia Apostolus vocem interpretatur per φθοράν, accipiamus ματαιότητα esse φθοράν vel illius certè seruitutem qualis qualis sit.

Quomodo etiam ipsi Angeli à seruitute liberabūtur.

III. Proximum igitur est, vt consideremus quomodo & quibus de causis creatura sit subiecta vanitati.

Primùm quia caduca est illius natura & mortalis, φθαρτὸν enim est quicquid hic inferior mundus habet.

Deinde subiecta est etiam natura ista confusioni. quod de occupationibus humanis dixit Dauid, Psal. 39. *certè vanitas omnis homo.* In elementis verò, terra, aqua, aëre & igni ingens est inconstantia: terra nunc sterilis, & iners nouercam sese præbet nascentibus, nunc hilari fœcunditate omnia ornat. Aqua alia submergit loca, alia de nouo effert: aër nunc tempestatibus omnia perturbat, modò serenus est. Inde micat ignis, aliáque dira præsagia: vt rectè dixerit Ecclesiastes, *vanitas vanitatum, omnia vanitas.*

Nec solùm istis alterationibus omnia subiecta sunt: verùm etiam impiis inseruire coguntur. Omnes alit eadem terra, omnes etiam tandem recipit in gremium tam bonos, quàm malos: ita aërem communiter haurimus pij & impij. Hinc Christus ait. Deus pater sinit Solem suum oriri super bonos & malos: cœlum fœcundum reddit impij agrum, perinde atque iusti, cùm verissimum sit solos pios dignos illis beneficiis.

Præterea cùm hæc visibilia in primis seruiāt nobis, vt Deum inuisibilem inde cognoscamus vide quot modis à scopo aberrent: frustrà tanti præceptores minimè muti operam suam insumunt, desudant incassum in nobis erudiendis & conuertendis ad Deum creatorem nostrum. Nam hominum malitia semper in contrarium eunte, fit, vt frustra librum istum Dei manu scriptum intueamur. Atque illa non minima est vanitas, quando pij præceptores oleum & operam perdunt.

Mundus liber est manus Dei scriptus.

Accedit, quòd eadem creatura, sæpe ob peccata nostra, nobiscum luit pœnam. Id exemplis nō vulgaribus, dici potest, Adamo peccāte tota terra cū peccatore dānatur, cum ipsa nihil peccasset, nisi fortè quòd peccatori latebras dederat, & nō subitò obruerat: sic in diluuio totus cōcutitur orbis, non suo aliquo, sed hominū scelere ad id raptus. Sodomorum peccato, totus ille amœnissimus hortus Dei vastatur: in Ægypti plagis, terra, aqua, aër corrūpitur. Et Moses Deut. 28. Leuit. 26. cœlum ferreum comminatur impiis, quæ sanè ingens est vanitas, cui tota natura rerum cogitur seruire, non alia ratione, nisi quòd hominis summæ vanitati omnia subseruiūt.

Adamo peccante tota terra damnatur.

Et natura ipsa rerum in creaturis in eo quoque in vanum laborat, quia finem immortalitatis his suis laboribus non assequitur: meditatur quidem tota creatura immortalitatem specierum per suffectionem indiuiduorum perennē: sed frustra hoc ipsum fit, cùm species & indiuidua aduentu Domini dissoluenda sint: &, alio modo, qui Deo notus est, refici omnia debeant.

Adde istis, vanitatis insigne argumentum, quod ex mundi partibus sumi potest. Terra crebris mutationibus subiecta, alibi subsidit influente mari, alibi emergit consumptis humorib. Homerus 4 Odyss. testatur à Pharo suo seculo in continentem Ægypti, noctis & diei cursum fuisse: quod tamen spatium nunc continenti est coniunctū. Herodotus testis est, mare quondā suprà Memphim, ad Æthiopum vsque montes omnia occupasse, à quibus hodie procul abest, Et Luc. lib. 10. ait mare Dianæ Ephesinæ templum alluisse: & tradunt Historici, Ætnam in

Ex vanitate partiū mundi colligitur totius vanitas.

Sicilia,& Parnassum nauigantibus non amplius videri tam procul in mari. Et in Olympo olim literæ in arena scriptæ integrę manebant toto anno, quod in cineribus Athos montis quoque obseruatum olim fuisse Solinus author est: hodie tamen tempestatibus omnia in his turbari authores tradunt. Ex quarum mutationum consideratione olim multi eò deuenêre ex philosophis, vt dicerent mundum sensim ad sui interitum ruere: & verè quidem, quanquam hos confutare conetur Aristoteles ad finem lib.1. Meteororum.

IIII. Sed quomodo ad omnem creaturam hoc pertinet? Cùm cœlestia corpora pura sint, & naturam habeant perfectam, deinde beati Angeli nulla laborent vanitate?

Respondemus vniuersalem esse Apostoli sententiam, quam tutò sequi possumus sine aliqua absurditate: non enim illum latuit, quæ esset cœlestium corporum puritas, & Angelorum immortalitas: non tamen veritus est dicere πᾶσα κτίσις, loquitur autem de speciebus creatis, quibus hoc competit, quanquam fortè non omnibus indiuiduis. Sic Ecclesiastes persequitur vanitatem mundi huius, *Vanitas vanitatum, omnia vanitas:* quæ de sublunari mundo facilè intelligi possunt. De cœlestibus autem inde constat, quia perfectio illorum non tanta est, quin accessionem sit admissura: hinc cœlum nouum, Solem, Lunam promittunt Prophetæ, & Christus inquit, *virtutes cœlorum mouebuntur.* & apud Marc.13 *Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorem suum, stellæ cœli cadent, & virtutes quæ in cœlis sunt concutientur.* Quibus affectionibus debilitas illorum corporum declaratur, quam ad Domini aduentum deponent, & vt Esaias ait, *erit Lux lunæ & lux Solis septempliciter auctior.* Itaque illorum natura perfectiorem admittet conditionem, quam dum nondum habent, & subseruiunt hominibus promiscuè bonis & malis, vanitati subiecta sunt. Hinc per prosopopeiam illis tribuitur simul ingemiscere, simul parturire, quia sub communi onere premuntur, quemadmodum parturiens mulier in horas singulas expectat sobolem. Pari ratione illis tribuitur ἀποκαραδοκία, anxia & solicita expectatio, quam intentis oculis speculantur, quemadmodum vigil de specula studiosè obseruat euentus. Et nota est scripturæ phrasis, quæ solet cœli syderibus Soli ac Lunæ tribuere affectus intelligentis creaturæ. Psal.149 *laudate eum cœli cœlorum: laudate eum Sol & Luna.* Psal.104. cognouit *Sol occasum suum.* Deut.32. Esa.1. *audite cœli vt loquar.* Psal.50. *cœli annuntiabunt iustitiam tuam.* Ierem.2. *obstupescite cœli super hoc,* &c. & his similia, quibus ratio & sensus tribuitur irrationali & mutæ creaturę cœlestium corporum. Hæc de phrasi. Sed vanitatis argumentum dixi esse imperfectionem, quòd sub Domini aduentum perfectiora sint reddenda quàm sint nunc, quod Iob quoq; testatur cap.15. *cœli quoque non sunt mundi in oculis eius, quantò magis abominabilis est vir, qui velut aquam bibit iniquitatem?* Deinde ante lapsum hominis perfectior fuit illorum corporum natura, quæ dum est imminuta, vanitati etiam subiecta sunt: quò facit quod à Mathematicis obseruatum legimus, Solis cursum sensim atteri, adeò, vt à tēporibus Ptolomæi, ad nostrausque, vicinior terræ sit 9976. milliaribus Germanicis.

Simile.

Porrò de Angelis quomodo accipi possit vanitas, non satis apertum est: ac multis absurdum videtur. Sed res plana est. Primùm enim seruire eos rebus mundanis & homini, certum est ex sacris literis. Gen.16. Agar Angelum Domini habet monitorem. Gen.48. Iacob fatetur Angelum Domini liberasse eum. 19. Lotho subseruiunt Angeli. Luc.16 Lazarus portatur ab Angelis in sinum Abrahæ. & Mat.18 infantes suos habent Angelos, qui vident faciem Dei quotidie. In Daniele quoque Angeli prouinciis præsunt, quas regunt iussu Domini: sic orbes cœlestes intorquent & alia ministeria obeunt. Exequuntur quoque seueras Dei pœnas, vt in Sodomis iidē Angeli liberant Lothum & delent Sodomitas: hoc ministerio quia aliquando abdicabuntur, nūc dum his fungūtur muneribus, vanitati subiecti sunt, nō quidē natura sua, sed seruitio.

Angeli vanitati sunt subiecti non natura sua sed seruitio.

Porrò quòd hic dicunt alij illa non ad beatos Angelos spectare, quorum sedes extra mundū collocantur. Nos respondemus, sedes illorum quidem extra mundum esse posse: attamen non extra numerum creaturæ: creati enim sunt. Itaque aliquo respectu tenet illos subiectos vanitas, quia homini inseruiunt omnium vanissimo ídque conatu sæpe irrito.

Nec multum refert an πᾶσα, vertas omnis, vel quæuis, cùm nota illa loquatur de speciebus vt diximus, & in his necessariò angelica venit natura intelligenda: cùm & ipsa sit res creata. Non tamen vanitati subiicitur vt homo: is enim natura sua vanitas est. Angeli quia huic custodes & ministri additi sunt, rectores orbium cœlestium & prouinciarum. Præterea aduentus Domini indubiè illis afferet pleniorem vel naturæ conditionem, vel notitiam rerum, vel gaudij plenitudinem, cùm in Christo omnia quæ in cœlis & terra sunt, perficienda sint.

Malorum angelorum alia est ratio: quia illi vanitati subiecti sunt, quanquam cum electis nō condoleant & parturiant, quandoquidem spem liberationis non habent: sed metum maioris supplicij. Vanitas tamen eos premit, quòd à Deo conditore suo desciuerunt, ac inutiles redditi sunt.

De vanitate creaturæ diximus, cui subiecta est diuersis de causis, alię etiam alio respectu: nūc superest vt de restitutione quoque agamus.

Quam appellamus hic restitutionem, Apostolus vocat liberationem, respicit enim seruitutem, cui non volens subdita est. Ac quòd melior conditio creaturæ sit expectanda, declarat locus Apostoli Rom.8. *quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem filiorum*

Dei.

Dei 2. Pet. 3. *Qui verò iam sunt cœli, & terra, eodem sermone repositi, seruantur igni, in diem iudicij & interitus impiorum hominum,* & ver. 10. *veniet dies Domini vt fur in nocte, in qua cœli transibunt, & elementa æstuantia soluentur, & terra, quæq; in ea sunt opera exurentur.* & ver. 13. *cœlos nouos & terram nouam secundum promissum expectamus.* Apoc. 21. *vidi cœlum nouum & terram nouam, primum enim cœlum, & prima terra abierant, & mare non amplius extabat.* 1. Cor. 7. v. 13 *figura mundi huius transit* Esa. 65. *Ecce enim ego creo cœlos nouos & terram nouam, nec commemorabuntur priora.* Esa. 13. *Lux Lunæ erit vt lux Solis: & lux Solis erit septempliciter aucta.* Psal. 102. *opus manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt: tu autem manebis, omnes vt vestis veterascẽt, quasi indumentum mutabis eos, & mutabuntur.* Ex quibus colligitur formam meliorem toti naturæ sperandam esse.

Forma melior toti naturę est speranda.

Quando autem restituenda sit, scriptura docet, scil. ad aduentum Domini Iesu Christi, qui suscitabit corpora nostra ex puluere terræ, & naturæ faciem restituet. 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. de his vide locum de interitu mundi.

Quomodo. De modo, pluscula diximus in loco de interitu mundi quoque. Stoici per ignem destruendum hunc mundum, quæ etiam Empedoclis & Heracliti sententia fuit: à Beroso eadẽ fluxit, Scholastici per ignem elementarem futurum dixêre, alij de radiis solaribus conflandum: rectiùs alij, à facie Domini venientis ad iudicium præcessurum: sed incerta est illa de secretis diuinis coniectura. August. lib. 20. ciuit. 16. neminem scire posse affirmat, nisi cui fortè Deus reuelarit: & Magister sententiarum nihil certi se statuere posse affirmat, dist. 48. lib. 4. & rectè quidem, quandoquidem scripturis destituimur.

Ita de vsu dicimus, quem futurum, omnium nobilissimum, tum dicemus, cùm illius fructum perceperimus: nunc nec mente concipere, nec lingua eloqui posse quemquam rear.

DE INTERITV MVNDI.

LOCVS CLVII.



E mundi interitu, pauca nobis adhuc dicenda pro rei occasione. Ac cùm sit multiplex loci huius materia (nam & à Physicis, & Mathematicis, ac Theologis copiosè tractatur) nos ad ista tria nostra conferemus. Primùm quòd sit interiturus: Deinde quomodo: Tertiò, quando hic mundi casus sit rebus conditis superuenturus.

Porrò mundi nomine intelligimus τὸ πᾶν seu τὸ ὅλον: nam alij κόσμον solum vocarunt, τὸ ὑπὸ σελήνην μόνον, hoc est, eam regionem quæ infra lunam est: quicquid autem supra esset, vocarunt οὐρανόν. Stoici etiam induxerunt differentiam inter τὸ πᾶν & τὸ ὅλον. πᾶν enim vocarunt τὸ ἄπειρον σὺν τῷ κενῷ, infinitum cum vacuo, & in hoc vniuerso locarunt mũdum, vt partem τοῦ παντός. ὅλον autem dixerunt ipsum κόσμον, χωρὶς τοῦ κενοῦ. mundum sine vacuo.

Diogenes etiam distinxit τὸ πᾶν à mundo, vt τὸ πᾶν diceret ἄπειρον, τὸν δὲ κόσμον πεπερασμένον. Et Theologis notum est mundum dici fecem & sentinam malorum, quem princeps mũdi pro arbitrio suo regit, & impellit ad vitia. Quæ nos singula relinquimus suis locis. De mundo loquimur, vt vetus habet consuetudo. Plato in Timæo promiscuè κόσμον οὐρανὸν τὸ πᾶν appellat. Et Pythagoras, qui primus dicitur hoc vsus nomine, κόσμον dixit ipsam περιοχὴν τῶν ὅλων. Sic Latini mundum sæpè accipiunt, cuius partes extremæ sint cœlum & terra. Quare οὐρανὸς μέρος ἐστὶ τοῦ κόσμου.

Mundi partes cœlum & terra.

Proclus dici mundum iudicat ὡς κοσμούμενον καὶ πληρούμενον ἀεὶ ἀπὸ τῶν ὄντως ὄντων, hoc est, quia semper reficiatur & exornetur à veris entibus, hoc est, ab ipsa prima causa efficiente semper retineatur & reficiatur per partes. Ab elegãtia dici certum videtur esse, seu illa sit in rerum εὐταξία, seu multiplici rerum varietate, aut & in motus harmonia, aut rerum vsu, quo munda sunt vtilia & commoda ad eum finem facientia, propter quem res condita est. Sic de rebus conditis loquitur Moses. Gen. 1. *& vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde bona.* Itaque quia mundus ordinem pulcherrimum habet rerum varietate mixtum: deinde quia prudentissimum clamat suum esse authorem, κόσμος dicitur. Sic proculus ait κόσμος ὀρθῶς εἴρηται κάλλιστος, καὶ ὁ δημιουργὸς αἰτιῶν ἄριστος, mundus rectè dicitur pulcherrimus, & opifex causarum optimus.

Mundus ab elegãtia sic dictus est.

An verò aliud sit mundi nomẽ, quod Proclus ἄρρητον, καὶ ἀφθέγκτον vocat, solísque τοῖς θεοῖς γνώριμον, non æstimo nobis hîc curiosè inquirendum, quemadmodum omnia perfectè intelligemus in eius restitutione, vbi perfectior erit rerum cognitio, perfectior Dei contemplatio, sermo etiam & hominis lingua absolutior: ita rerum ipsa vocabula tum magis intelligimus, & experientia docebit, qua lingua, quibus vocabulis res singulas simus appellaturi. Maneant igitur illa sic indiscussa.

An sit igitur hic mundus interiturus, multi dubitarunt. Peripatetici omnes, inter quos princeps est Aristoteles, in libris de cœlo, & 8. Phys. mundum æternum esse contendit, hoc est, qui

Aristoteles mundum in-

terituru negauit.

nec cœperit, nec sit finem habiturus. Tamen discrimen aliquod statuit. Nam mundus superior illi simpliciter est ἄφθαρτος: sublunaris autem corruptioni obnoxius: qui tamen indiuiduorum perennitate æternus etiam sit. In hac sententia Galenus etiam est, qui de mundo iudicandū putat secundùm experientiam: Semper ita stetit, sic igitur perdurabit. Ac vt Manilius scribit. *Non alium videre patres, aliúmve nepotes aspiciēt.* Xenophanes etiam vt refert Plutarchus, & Galenus in hist. Philos. ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον τὸν κόσμον esse dixit.

Inepta collectio.

Apud Latinos Plinius hanc sententiam etiam tuetur, æternum, immensum neque genitum, neque interiturum vnquam asserens.

Auerroes homo apher & sectator Aristotelis, præceptoris sui vestigia ingreditur, is lib. 1. de cœlo contra eos agit, qui creationem statuūt. Idem declarauit in commentariis super octauum Physicorum, vbi argumenta Aristotelis explicat & tuetur. Plenissimè autem hanc sententiam tuetur in disputationibus suis: inter quas prima est de æternitate mundi: in qua solutiones Algazelis contra argumenta philosophorum, Auerrois noua confutatione diluit & conuellit, ad stabiliendam Aristotelis sententiam de mundi æternitate.

Multi Philosophi mundum interiturum affirmarunt.

His primùm opponimus tanquam Philosophis, Philosophos, Pythagoram, Stoicos, Epicurum etiam, si velint admittere, Platonē, quem vt sanctum in Philosophia respuere non possunt. Latinis Latinum Senecam, qui vnus pro multis est.

Deinde rationibus illorū prophanis opponimus enunciata diuina: nam quid de Deo rebúsque conditis sit credendum, nulla ratio nouit melius, nec vllus syllogismus concludet rectius, quàm ipse Deus, & quibus ipse sui notitiam reuelauit. Is per sanctos Prophetas & Apostolos, in primis autem per filium suum locutus est, mundum & conditum & interiturum. Quare id ita esse, & nobis omnino defendēdum, debemus indubitanter credere. Ac vt ex multis pauca proferamus, Moses locuples huius rei testis est, qui creationis opus descripserit. Prophetæ eum secuti, Deum creatorem statuunt cœli & terræ, vt Esa. 42. *creans cœlos & extendens eos.* Idem 45. *Dominus creans cœlos*, &c. Amos. 4. *creans ventos, & annuntians homini futura.* Psal. 148. *mandauit & creata sunt.* Loquuntur etiam de interitu: vt in cataclysmo typum interituri mundi Moses descripsit. Pleniùs tamen Christus in nouo Testamento. Matt. 5. 24. *cœlum & terra interibunt: verba autem mea non præteribunt.* Et Matth. 25. de fine mundi agit copiosiùs & 3. *Sic erit in consummatione seculi.* 28. *Ecce vobiscum sum vsque in consummationem seculi.* Rom. 8. 1. *ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* 1. Pet. 4. *rerum omnium finis imminet.* Apoc. 21. *de terra noua & cœlo nouo legimus.* 2. Pet. 3. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4. aliis locis passim confirmatur. Ex quibus hoc conficitur: q. Deus per suos ministros sanctos mundo reuelauit, hoc verum esse necessum est. Sed mundum esse γενητὸν καὶ φθαρτὸν Deus per sanctos suos patefecit. Ergo κόσμον εἶναι φθαρτὸν καὶ γενητὸν credendum est.

Cataclysmus fuit typus interituri mundi.

His iam non malè subnectimus Philosophorum pias rationes, qui de creatione mundi, simúlque de interitu aliquid vidisse & intellexisse videntur. Inter quos est facilè princeps Plato. De quo ausi sunt quidam veteres asserere, non procul abesse, quin Christianus esset. Et quod præsens concernit argumentum, sic de creatione mundi loquitur, vt Eusebius alibi non dubitet affirmare, eum illa ex Mose habere: ac peregrinatum esse in Ægyptum, certum est ex illius vita, illic autem relicta esse scripta Mosis credibile est, quæ per Iudæos & Ægyptios vltrò citróque commeantes, in Ægyptum deferri facilè potuerunt. Apud hunc Platonem totus dialogus Timæus scatet argumentis creationis. In primis dilucidè & eleganter de ea loquitur fol. 477. ὁρατὸς γὰρ inquit, ἁπτός τ' ἐστι, καὶ σῶμα ἔχων· πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά· τὰ δὲ αἰσθητά δόξῃ περιληπτὰ μετὰ αἰσθήσεως γιγνόμενα καὶ γεννητὰ ἐφάνη i. videri & tangi potest, corporéque præditus est: illa autem omnia sensilia sunt, quæ autem sensilia sunt facta apparent, &c. Ex quibus verbis multa dependēt argumenta vt est videre apud eius interpretem Proclū. Nam primùm satis concludit. Πᾶν τὸ ὁρατὸν ἁπτὸν καὶ σῶμα ἔχον, γενητὸν καὶ φθαρτὸν ἐστι· κόσμος ὁρατός, ἁπτός ἐστι, καὶ σῶμα ἔχει. Itaque γενητὸς καὶ φθαρτὸς ἐστι. i. quicquid videtur, tangitur & corporatum est corrūpi potest: mundus videri & tangi potest, & corpus habet: ergo factus & corruptioni obnoxius est.

Laus Platonis qui mūdi æternitatē negauit.

Deinde cùm habeat σύνθεσιν ἐκ πλειόνων καὶ ἀνομοίων, ἣν ἀναγκαῖον εἰς ἄλλην αἰτίαν τῆς ὑποστάσεως ἀναπέμπειν αὐτοῦ πρεσβυτέραν. Nā quod æternum debet esse, simplex est. Compositio ipsa indicat res principia habere, tum quod materialem causam attinet, tum efficientem. De efficiente sic colligitur. Omne σύνθετον, aliūde συντίθεται· κόσμος est σύνθετον. ergo aliunde compositus est. Hæc causa Platoni dicitur πατήρ, ποιητής, & κοσμοποιητής. De materiali facilè colligi potest, cùm contrariorum compositio requirat simplicia ex quibus compositum constat.

Quod æternū est simplex est.

Quòd autem hic Platonici afferunt, mundum esse factum seu creatum κατὰ τὸ εἶδος. i. secundum speciē κατὰ δὲ τὴν τιθήνην. i. secundùm nutricationē ἀγένητον esse, falsum est. Nā cùm nō esset, non indigebat nutricatione, quod enim simpliciter aliquādo non fuit, id nec κατὰ τὴν τιθήνην fuit: dāt autē fuisse aliquod æternitatis, in quo mundus non fuerit. Vbi ergo nutricatio eius, vbi gubernatio & conseruatio? At dicunt ideā fuisse semper ab æterno: id quidē facilè concedimus, imò

Idea mūdi fuit ab æter-

amplius

amplius aliquid, ipsum mundum in oculis Domini præsentem semper fuisse & esse, cùm illi nihil sit præteritum, nihil futurum, totum præsens. Sed quid illud huc? Sermo est de opere creationis, in quo illi dant mundum cœpisse & nominatim κατὰ τὸ εἶδος, hoc est, secundum hanc formam visibilem.

no:imo mundus ipse coram oculis Domini semper fuit præsens.

Quòd autem interiturus etiam sit, ex iisdem fundamentis conficitur. Nam quod aliunde compositum est, & motus causam aliũde habet: id durabile est ad voluntatem opificis sui. Agit enim is volũtate libera non coacta, vt naturalia in suis actionibus, aut vt Stoici finxerunt necessariam cohærentiam causarũ. Mundus est ἑτεροκίνητον hoc est, aliunde regitur, mouetur: est etiam ἑτεροσυνεκτικόν, hoc est, aliunde conseruatur, & illa prima causa regens & conseruans liberè agit. Ergo subtrahente manum operi, necessum est totum collabi.

Hic Proclus respondet vim æternitatis in futurum accepisse ἀπὸ τῆς αἰτίας ποιητικῆς. ὡς γὰρ κινεῖται ἐκεῖθεν, οὕτω καὶ γίγνεται, καὶ ἀεὶ γίγνεται, πᾶν γὰρ τὸ ἐξ ἀκινήτου γινόμενον αἰτίας ἀκίνητον ἔλαχε φύσιν. i. a causa efficiente. Quemadmodum mouetur ob illa, sic etiam factus est, & semper factus est. Quod enim ex causa immota immotam naturam habet. In quo primùm quæri potest, vnde hoc illi constabat, quòd causa prima vim æternitatis huius mundo dederit? de hoc iudicandũ est ex voluntate causæ ipsius & opificis, hæc voluntas patefacta est in Prophetis & sacris literis: sed id pro ratione affert, quod causa sit æterna & motor æternus, & ob id opificium fore æternum. Respondemus opificem illum ἀκίνητον agere voluntate libera. nec est absurdum primam causam æternam esse: reliqua autem πάντα sint γενητὰ καὶ φθαρτά. Ac Platonis sententia satis esset aperta, nisi ab interpretibus multoties aliò traheretur. Manifestè loquitur Plato de Deo conditore, tanquam opifice, qui deliberet, ex quo satis constat liberam eum illi tribuere agendi facultatem, & quia causa boni est, Deum πατέρα appellat, quia author omnium, ποιητήν. quòd verò ait Genesin hanc mixtam esse ἐκ τοῦ νοῦ καὶ ἀνάγκης, non eò pertinet, quasi necessariò sic agat in conseruando perpetuò mundo, sed est necessitas hic voluntas, quæ inducit rebus necessitatem, *dixit & facta sunt*, necessariò secuta est materia conditorem, & assumpsit formas quas iussit, idque eo sic iubente. Demùm rectè colligi potest ex Aristotelis propositione mundum interiturum. Nam dum statuit verum esse πᾶν σῶμα πεπερασμένον, οὐκ ἔχειν δύναμιν ἄπειρον. i. corpus omne finitum non habere vim infinitam, facilè inferri potest, quod tale est, esse φθαρτόν. Mundus talis est, hoc est, nõ habet δύναμιν ἄπειρον, quia est πεπερασμένον σῶμα, ergo est, φθαρτός.

Ista argumẽta Augustinus quæst. 28. veteris Testamenti videtur cõplexus, cuius verba sunt,

Rationes physicæ de interitu mundi.

Res æterna diuersitatem abhorret, cùm sit, nec tactu, nec visu capienda, vtpote incorporalis: hic autem passioni obnoxius est, quia & aqua repugnat igni, & ignis si amplius fuerit superat aquam, & terra cum sit natura arida & frigida patitur incendium, quasi res corporalis. Itaque inconueniens est, mundum æternum dicere, quem cùm videmus passioni subiectum, & per secula senectute deficere, credimus & finiri.

Demũ à partium consideratione facilè constabit hunc mundum interiturum aliquando totum. nam terras videmus mutari & corrumpi, alias ab inundatione aquarum, alias incendiis & ardoribus solis: quædam etiam vetustate quadam consenescunt & collabuntur. de Ætna scribunt, non ampliùs tantum videri nauigantibus maria, atque olim. Sic de Parnasso, & in Olympo non ampliùs seruantur literæ inconcussæ in arena scriptæ, vt olim in multis locis maria recedunt: vt de Ægypto scribunt: aliis locis exundat, vt totas vrbes, integras prouincias submergat. alibi terræ motibus subsidunt montes, rumpuntur petræ, absorbentur aut auertuntur flumina, quid illa nisi interituri aliquando mundi argumenta? Et, si Mathematicis credimus, orbium cœlestium non est amplius illa constitutio, quæ olim, non iisdem spatiis distat à nobis Sol, quibus olim. Tradunt ἐκκεντρότητα Solis, hoc est, interuallum, quo à centro mundi, id est, terra distat minorem esse ferè quarta parte quàm fuerit Ptolemæi seculo: ex quo colligũt Solem hodie nobis viciniorem esse milliaribus Germanicis 9976. Quòd si tanta est mutatio superioris mundi, quid de hoc nostro dicemus? Ac firmum sanè hoc sit argumentum interitus. Senecta vexat mundum, in qua singulæ partes aliquam sentiunt debilitatem, in plantis minor virtus, in animalibus languidiores vires, minor ætas. Superest igitur vt breui finem huius domicilij expectemus.

Sol hodie nobis est longè vicinior, quam Ptolomæi seculo.

Hactenus indicauimus τὸ ὅτι, quòd mundus interiturus sit. Quòd porrò attinet ad rationes Aristotelis, quibus lib. 8. Phys. & 1. de cœlo vtitur ad confirmandam mundi æternitatem, ab aliis video esse copiosè responsum, quare in his nolo hic operam insumere. Idem dici potest de argumentis Auerrois, hominis Barbari & insulsi. Tantùm illud hic moneo, apud Aristotelem ἀγένητον dici ratione duplici. Primùm quod non cœpit ordine naturali, vbi nõ est γένεσις naturalis, hoc est, præcedens materia & causæ naturales, quales in generatione natura postulat. Hoc pacto facilè dari potest mundũ esse ἀγένητον. Non enim cœpit naturali ratione: quia nulla præiacẽte materia est conditus, In Genesi naturali, opus est materia præcedente, & motu ex contrario in contrarium. Deinde alio modo dicitur ἀγένητον, quod prorsus non cœpit. Sic Deus solus est ἀγένητος. hoc pacto disputatur hîc de mũdi origine: & Aristoteles affirmat esse ἀγένητον, hoc est, quòd nunquam cœperit esse, semper autẽ fuerit cum primo motore ne esset otiosus. Nos contrà dicimus mundum esse γενητόν, hoc est, habuisse initium τοῦ εἶναι: & habiturũ finem

Mundus non cœpit naturali ratione.

durationis. Naturaliter igitur non est genitus: qui tamen esse cœpit cum tempore, de quo copiosiùs Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei. cap. 16. & contra Manichæ. de Genesi.

Stoici mundum per ignẽ interiturum censuerunt.

Altera pars nostri instituti est. Quomodo mundus sit interiturus.

Stoici vt est apud Cic. per ignem, mundum corrumpendum censuerunt. Idem de illis refert Galenus in historia Philos. hāc sententiam secutus etiam est Heraclitus vt est apud Themistiū Aristotelis interpretem. Seneca in naturalibus quæst. lib 3. per aquas periturum mundum censet. Hanc inundationem eleganter & prolixè describit: in quo, id est admiratione dignum, in homine alioquin Ethnico, quòd affirmat in eo nouo mūdo restituto post diluuium, illum hominem esse restituendum, qui sit inscius scelerum, & melioribus auspicijs natus. Vtque tales erimus post resurrectionem puri & integri. Durabit tamen contra illius sententiam illa innocentia, nec subrepet amplius nequitia. Priorem sententiam sequitur maior pars tam ex Philosophis, quàm ex Theologis. De Philosophis iam dixi, eos sequuntur Mathematici, qui certo syderum concursu incendium orbis excitant. Sententia illa à Beroso fluxit, qui referente Seneca, tempus etiam ausus est assignare conflagrationi: arsura terrena contendit, quando omnia sydera, quę nunc diuersos agunt cursus, in Cancrum conuenerint. Sic sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per orbes omnium possit: Inundationem futuram quando eadem syderum turba in Capricornum conuenerit &c.

Quom. sit futura hæc mūdi cōflagratio secundum scholasticos.

Scholastici de illo igne etiam dissident. Alij elemētum ignis ex concauo lunæ globo descensurum, vt repurget reliqua tria elementa. Alij ex radiis solaribus producunt incendium, quod primùm in media plaga aëris excitandum sit, coeuntibus illuc ardentissimis & densissimis radiis solis, quasi in speculum, &c. Magister sententiarum inquit, ignem hunc præcessurum faciē Domini, quo comburetur facies mundi huius, & peribit cœlum & terra: non secundum substātiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur, & cœlum quidem aëreum non æthereum: tantùm enim ascendet ignis, quantùm ascenderunt aquæ in diluuio. Similia ferè habet Augu. lib. 20. Ciui. cap. 18. & 16. Tamē cap. 16 videtur negare hominem scire posse, nisi cui spiritus diuinus ostēdit: eius verba sunt: *Qui ignis huiusmodi, & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus diuinus ostendit.* Et hanc sententiam sequi arbitror esse tutiùs, quàm scrupulosè inquirere. D. Petrus simpliciter ait seruari mundum igni in diem iudicij. 2. Pet. 3. quæ vera esse certum est: qualis autem sit futurus ignis & vnde educendus, & quomodo conseruandi sancti ab illo incēdio catholico, item quousque ascensurus, Deo iudici relinquamus eius curam. Ad cœlos etiam pertinere renouationem certum videtur: quia Apoc. 21. mentio est cœli noui, vti & terræ. & Esa. 66. Non solum *Eretz hachadascha*: sed etiā *haschamaim hachadaschim* promittuntur. Ac scio scholasticos de cœlis aëreis interpretari: sed cùm nulli in aëre sint, sed in æthere, déque orbibus planetarum dicantur, viderint ipsi quomodo tueantur hanc suam interpretationem, &c.

Et in præsenti loco illa etiam quæstio excutienda, an ille interitus ad substantiam pertineat, an solum ad formam?

Theologi & Philosophi in hoc videntur consentire, illam φθορὰν non esse referendam ad οὐσίαν: sed esse solius formæ, quæ sententia probanda est.

Mundus est interiturus nō secūdum substantiam sed secūdum formam tantum.

Scholastici ad qualitates referunt non ad substantiam: non enim corrūpetur natura mundi sic, vt in nihilum iterum redigatur: sed à vanitate cui subiectus est, liberabitur, est enim mundus damnatus propter hominis peccatum, qui per se in Deum creatorem non peccauerat, quare post expiationem peccati, statuto tempore redibit illi pristinus honos, maximè autem inferioribus corporibus, quæ sunt in sublunari mundo: nam illa magis corruptioni subiecta sunt. Hāc fermè sententiam habet magister sententiarum etiam lib. 4. dist. 47. Sed habet eam ex Augustino, qui lib. 20. capur. 16. de ciuit. ait, mundana conflagratione, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardēdo penitus interibunt: atque ipsa substantia, eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant. Vt scilicet mundus in melius innouatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis. & cap. 14. eiusdem libri, mutatione rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus. Vnde ait Apostolus, *præterit enim figura huius mundi, volo vos sine sollicitudine esse*, figura ergo præterit, non natura. Et lib. de dogmat. eccl. ait, Elementa, id est, cœlum & terra, non credamus abolēda per ignem: sed in melius commutanda. Figurā quoque mundi, hoc est, imaginem, non substantiam transituram. Etenim post renouationem & expiationem, nomina cœli & terrę manent, quæ substantiam partium præcipuarum mundi exprimunt. Deinde nullibi scriptura exprimit substantiæ interitum. Præterea sanctorum corpora in loco erunt, quæ non nisi in mundo sunt. Adde quòd homo, cuius peccato miseria hæc mundū inuoluit, non planè deletur, sed innouatur, corporibus etiam ad pristinam innocentiam, vel æternas & corporales pœnas reseruatis. Itaq; mūdus qui non peccauit minùs interibit, quòd ad substantiam attinet.

Optima collectio.

Veniamus ad tertiam partem. Quando hic mundus finem habiturus sit?

Mathematici magnum quendam annū constituerunt, vt est apud Cic. post quem omnia sydera ad sua redirent principia, atque tum mundi finem adesse. Balbus apud Cic. ait, quæ cōuersio quàm

sio quàm longa sit, magna est quæstio: esse verò certam, & definitam necessum est. Macrobius ex Physicorum sententia, definit hunc annum magnum, quem ipse mundanum appellat, ex quindecim millibus annorum solarium.

Aliis placet hunc annum mundanum constare ex 36000. reuolutionibus solis: aliis aliud placet. Omnes tamen in eo consentiũt, multa intercedere annorum millia: & omnium syderum, eodem, vnde profecta sunt, fore ad vnum tempus reuersionem.

Plato in Critia dialogo, ait nouem millia annorum à rebus Atlanticis ad sua tempora fluxisse. Diluuio interea vel potius multis diluuiis mũdũ vastatũ esse. Nam ante bellũ illud Atlanticũ veteres fuisse Athenas, quæ habuerint homines iustissimos: his deletis nouas & deteriores conditas: has eodem pacto olim delendas. Inter Christianos reperti sunt etiam homines, qui pari temeritate in his luderent. Nam refert Augustinus, quosdam pronuntiasse ab ascensione Domini, vsque ad eius vltimum aduentũ compleri 400. annos, alios 500. alios etiam mille tantum annos: quos omnes cõfutauit temporũ series. Extat oraculũ domus Rabbi Heliæ, de mũdi duratione, cui plurimùm omnes tribuũt. Sex millibus annis stabit mũdus, duobus millibus inane, duobus millibus lex, & duobus millibus Messias, postea finis. Fluxerũt autẽ ab orbe condito, vsq; ad hũc præsentem annũ 1566. anni, vt placet eruditis. 5521. Ex quo colligi potest, quantùm vespera mundi processerit. Illa supputatio eò fuit hactenus plausibilior, quòd sex diebus mundus sit conditus: septimus sit Sabbathum Domini, in quo numero typus est æterni Sabbathismi, qui sequitur sex illos durationis dies. In hac sententia est etiam D. Hieronymus in explanatione Psal. 89. vbi scribit, Ego arbitror ex hoc loco, & ex epistola quæ nomine Petri Apostoli inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorũ tantum credatur subsistere: & postea venire septenariũ numerũ, & octonariũ in quo verus exercetur Sabbathismus, & circũcisionis puritas redditur, &c.

Oraculũ Heliæ de mũdi duratione.

Secundũ Hieronymũ mũd⁹ sex annorũ millibus est duraturus.

Fuerunt nostro seculo multi, qui conati sunt certum indicare annum, vt Hosiander, Siphelius: sed delusi sunt, & Catabaptistarum spiritus in eo deprehenditur erroneus. Apud nos nihil est frequentius, quàm prædicere diem Domini. Præterito anno homo fanaticus *Burghans* dictus, eundem multis persuasit ex reuelationibus diuinis. Reperit tamen illa vanitas, quòd diceret etiam in mendacio deprehensa, deprecationibus fidelium eũdem prærogari adhuc. Verùm Satan qui delectatur mendaciis & seductionibus hos spiritus erroris inspirat.

Nos rectissimè ad totam actionem respondere possumus secundum Augustinum, Importunè omnino illud quæri. Si enim hoc nobis nosse prodesset, à quo meliùs quàm ab ipso Deo magistro interrogantibus discipulis disceretur? non enim siluerunt id apud eum: sed à præsente quæsierunt dicentes: Domine, si hoc in tempore repræsentabis regnum Israël? At ille, non est, inquit, vestrum nosse tempora, quæ pater in sua posuit potestate, non vtique illi de hora, vel die, vel anno: sed de tempore interrogauerant, quando illud accepere respõsum. Frustra igitur annos qui huic seculo remanent, computare, ac definire conamur, cùm hoc scire non esse nostrum, ex ore veritatis audiamus.

Subsistamus ergo hic, nec in arcana Dei inquiramus contra eius volũtatem. Tamen vt constaret nobis de rei certitudine, & Christi erga nos pia & fraterna cura, aliquid nobis in hac quæstione reliquit. Primùm decurtandos dies illos, propter electos: quare non complebitur numerus annorũ, qui alioquin ad consummationem seculi erat deputatus. Deinde idem Christus hoc adiecit, vt dum tempus nobis scire non licet: signa tamen rei aliqua extarent, ex quorũ cursu nobis de euentu liceret coniicere. In quo sanè declarauit quàm sit nostri amans, & quanti nostri salutem faciat. Constituit autem illa signa partim cognita, iámque sensibus nostris familiaria, partim insolita quædam, ac quasi naturæ monstris nos officij nostri admonuit. Nam quẽadmodum vlcera, frequentésque corporum morbi, distorta, luxatáque membra, præsagia sunt mox sequentis mortis, sic illa portenta stupenda, & signa insolita, tanquam vlcera totius orbis, ac annui morbi mundi occasum dissolutionémque prædicunt.

Nec illud nouum est: iam ab antiquo Dominus per signa cũ suis fidelissimis egit. Noacho pacem confirmauit per Iridem, quam tamen natura etiam prius fuisse affirmant eruditi. Ezechiæ confirmatur sanitas & vitæ propagatio, recessu solis & vmbræ Esa. 58.

Nos igitur de interitu mundi, eodem modo confirmat Christus. Scopus eius est vt vigilemus, ac in spem liberationis nostræ erigamus capita nostra.

Signa hæc in ordinem aliquem hic dirigemus. Sũt illa sic connexa, vt quædam præcedant extremum diem, mox autem ipsa dies consequatur, & diem ipsum sui effectus comitabuntur.

Hinc signorum triplex est ratio, quædam enim sunt ἡγούμενα, quæ rem proximè antecedunt. Quædam cum re erunt coniuncta: alia demum rem comitabuntur, quæ dici possunt ἑπόμενα. Et ita rem esse infallibile est: non satis autem homini tutum signa in hanc classem distributa enumerare. Nam quæ cum re coniũcta putamus fore, eadem antecedentia esse poterũt. Et quæ multi inter antecedentia enumerant, res ipsa fortasse, cum interitu coniũget. Summa tamen & signorum numerus apud Matth. 24. Luc. 21. Mar. 13. descriptus est ab ipso Domino, quibus adde illa quæ 2. Thess. 2. & 1. Thess. 4. 1. Cor. 15. leguntur.

1. Ex illis ἡγούμενα iudicamus, quòd seductores multi hunc interitum præcedent. 2. bellici

rumores.3.pestis. 4. fames. 5. terræ motus.6.bonorum persecutio.7.offendiculum publicum.8. catholica corruptela.9.charitatis interitus. 10.Euangelij diuulgatio.11.securitas mundi.12.terror & metus inter homines,quod refert Lucas.13.maris & aquarum exundatio & illuuies.

2. Coniuncta cum negotio arbitror illa,Sol obscurabitur.2 lunæ defectus.3. stellarum casus. 4. virtutum cœlorum commotio. 5.signum filij hominis. 6.planctus impiorum. 7. filius hominis in nubibus cœli.8.amissio Angelorum ad congregandos electos suos.

3. Adde his,Antichristi reuelationē,quam conficiet spiritu oris sui.2.Thess.2. ἐπόμενα sunt duo insignia,quæ ad officium Christi iudicis spectabunt.Vita æterna,quam bonis,vt possessionem pridem paratam tradet. Alterum,pœnæ æternæ,quibus damnandi sunt reprobi.Dominus Iesus Christus det vt vera fide illi occurramus in illa die tremenda, &c.Amen.

DE NOVISSIMO IVDICIO.

LOCVS CLVIII.



DE Iudicio vltimo acturi,hūc seruabimus ordinē.Primò quòd sit aliquod tale futurū iudiciū.deinde quādo sit futurū.*III*.vbi.*IIII*.qua form.*V*.quis futur⁹ iudex. *VI*.qui sint iudicādi.de quibus agemus secundū scripturas seruata Christiana sobrietate & modestia.μηδὲν φρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν: ἀλλὰ φρονοῦντες εἰς τὸ σωφρονεῖν.

1. Quòd igitur iudicium nouissimū sit futurū,passim scriptura testatur.Esa. 13.Dies Domini insanabilis furoris & iræ à Propheta prædicitur Ioel.2. *Dies Domini magnus & valdè terribilis,dies tenebrarum & caliginis*,&c.In nouo verò luculentissima sunt testimonia. Mat.24.25. Mar.13.1. Cor.15.1. Thes.42. Thess.1. Deinde scriptura passim de interitu mundi & impiorum vaticinatur, quæ non possunt sine iudicio nouissimo impleri: nisi cum Epicureo placeat delirare casu superuenturum mundo interitum:sed nouimus consilio Dei stabilitum hoc vniuersum, & verbo Domini conseruari in præsentem vsque diem: quare consequens est Domini consilio eundem interire suo tempore.

Ne hominum scelera impunita maneāt, Ratio dictat superesse iudicium quoddā generale.

2. Præterea in hac vita non omnia scelera puniuntur:multa etiam occulta manent.Pharao quidem pœnas dedit in hac vita, sic Iulianus miserè periit, Herodes etiam & Pilatus, Iudas & Arrius. Interea multi impij Tyranni diutissimè vixere,longè latèque propagant impietatem, qualis in populo Dei Manasses impiissimus.Achab,aliique inter gentes quantò quisque immanior & ferocior, tantò fœlicior visus est,vt videre est in Græcorum imperio:mox in Romano, & hodie in Turcico. Priuati etiā homines multis in libidinibus & sceleribus moriuntur, sine aliqua notabili pœna.Quare ratio ipsa dictat superesse iudicium quoddam generale,in quo illa examinentur & patefiant.

Sors piorum iniquissima si spe futuri iudicij nō esset sufful ta.

3. Similiter,bonorum sors iniquissima esset,nisi hac spe essent suffulti: quotidie illi trucidantur,& quasi oues mactationi destinatæ laniantur,Esaias dissecatur, Ieremias lapidatur ab ingratis Iudæis,Ioannes caput præbet saltatriculæ mercedem,aliis alij tolluntur malis,quæ horum foret sors?quanta miseria?quæ infelicitas?Necessarium igitur est, vt statuamus iudicium certū & infallibile superesse,in quo mali malè pereant:boni autem pietatis accipiāt mercedē.

4. Et quomodo constaret Christi sententia,nisi iudicium illud sit infallibile?inquit Christus Luc.8.*Non est occultum quod non sit manifestum futurum:* sic Apost.1.Cor.3.*Cuiusque opus manifestabitur*.Rom.2. *Iudicabit Deus occulta:* quæ omnia cum non fiant in hac vita, cogitare debemus superesse momentum,in quo hæc omnia sub censuram sunt reuocanda.

Exempla seueritatis diuinę in hac vita nos monefaciunt de nouissimo iudicio.

5. Et quanquam sit magna Domini lenitas in tolerandis impiis,quos ad pœnitentiam inuitat:tamen ne securitas mundi planè impunita foret in hac vita,reliquit exempla aliqua seueritatis diuinæ erga impios, quę nos monerent de nouissimo iudicio:qualis est diluuij historia, in qua nobis imago vltimi iudicij est proposita:perit totus mundus,Noachi familia excepta, quæ in nauicula seruatur verbo Domini:sic Ecclesia Christi sola seruabitur in illa generali immutatione rerum.Ita Sodomorum interitus admonet, superesse Deum iudicem,qui sit puniturus generali iudicio,quæ impunita hic mansere.Hinc D.August.lib.22.cap. 41. contra Faustum Manichæum,eleganter inquit,Loth iustus & hospitalis in Sodomis,& ab omni Sodomitarum contaminatione purus atque integer,ex illo incendio,quod erat similitudo futuri iudicij,meruit saluus euadere,typum gestans corporis Christi quod in omnib. sanctis, & nunc inter iniquos,atque impios gemit:quorum factis non cōsentit, & à quorum commixtione in seculi fine liberabitur,illis damnatis supplicio ignis æterni, &c.

Eodem pacto abiectio & euersio Iudaicæ politiæ memorabile est exemplum iudicij nouissimi. Fuit is populus selectus ex omnibus nationibus mundi, in possessionem & hæreditatem Domini,vt est Psal.134.Esa.16.*Hæreditas mea Israel*.Iere.10. *Israel virga hæreditatis eius:* attamen cùm Prophetis non obedirent abiecti sunt, facti prouerbium & fabulæ cunctis gentibus, per Assyrios & Babylonios conuulsi,vt prædixerat Ioel.1.Esa.13.demùm per Romanos plena vastatione deleti.

Et quod

Et quod Christi cognitionem attinet, cæcitas illos ex parte quoq; apprehendit, vt est Rom. 11. Porrò quia exemplum præbent iudicij nouissimi, Apostolus ante aduentum illius diei conuertendos prædixit, vt sic totus Israel saluus fiat.

Accedit his omnibus testimonium gentilium scriptorũ: mirãdum enim est Dei iudiciũ, qui, vt de aliis multis, ita de nouissimo iudicio, quasi per somniũ quædã præuidêre aut apud sacros scriptores lecta deprauarũt, & ad fabulas transtulere, tamen vtile est ista quoque considerare. Nota est Platonicorum sententia de interitu mundi & censura animarum apud inferos, quod maiori licentia poëtæ persecuti sunt, Hinc apud Ouid. libr. 1. Metamorphos. de Ioue ait,

Sentẽtia platonicorũ de interitu mundi.

Esse quoque in fatis, reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Et apud Lucanũ lib. 1. Pharsal. supremam quandam horam statuit esse, qua omnia collabantur.

-- sic cùm compage soluta.
Sæcula tot mundi suprema coegerit hora.
Antiquum repetens iterum chaos omnia mistis
Sydera syderibus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellúsque extendere littora nolet,
Excutiétque fretum, fratri contraria Phœbe,
Ibit & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totáque discors
Machina diuulsi turbabit fœdera mundi.

Hic mundi interitus non casu, non fortuitò eueniet rebus: sed certo Dei conditoris consilio. Ideóque non potest abesse iudicium Dei, ab operis renouatione: quod etiamsi non intellexerint, tamen vtcunque viderunt euenturum.

Sybillini versus manifestè etiam cum mundi interitu coniungũt iudicium Dei & regis Christi: inter quos illi sunt memorabiles, ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων, σάρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι καὶ κόσμον ἅπαντα, hoc est, veniet autem cœlitus rex in secula mansurus, qui carnem omnẽ præsens iudicabit & mũdum vniuersum. Et infra ἥξουσι δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆος ἅπαντες, id est, venient autem ad tribunal Dei regis omnes.

Et suprà de nouissimo iudicio ait καὶ πάσας μορφὰς πολυπενθέας εἰς κρίσιν ἄξει, & omnes formas multi luctus in iudicium aget.

Hæc diligenter animis nostris imprimamus, ne hominibus impiis detur locus, qui rident illa, tanquàm poëticas fabulas. apud Sophon. cap. 1. impij dicunt, *Non faciet benè Dominus, nec faciet malè*, quod est bonis præmia & malis pœnas tollere. Ita quidem mundus securè peccaret, sine metu iudicij diuini, ita 2. Pet. 3. *Vbi est dies Domini*, clamãt: *siquidem ex quo patres mortui sunt, omnia sic perdurant*: Et Matth. 22. Sadducæi expresse diem & iudicium Domini negant. Nos cõtrà, sciamus superesse pœnas malis, remunerationem bonis expectandam, esse iudicium quoq; quod omnia secreta reuelabit.

Qui negãt iudiciũ vltimum.

Memorabilis est sententia Ecclesiastæ, *Lætare iuuenis in iuuẽtute tua, & cordi tuo benè sit in diebus adolescentiæ tuæ: ambula in viis cordis tui, atque in intuitu oculorum tuorum scito quod propter omnia ista adducet te Deus in iudicium.*

2. Quando autẽ futurum sit hoc iudiciũ alij aliis rationibus conati sunt explicare. Veteres Iudæi Eliæ oraculum secuti duobus millibus annorum post Messiæ exhibitionem censuere: quo sanè calculo non procul hodie à consummatione mũdi abessemus, cùm iam fluat annus 1567. ab incarnatione Filij Dei. D. Augustinus in explicat. Psalm. 6 indicat quosdam supputasse annos ab Adamo, hoc est, condito mũdo, septem millia, quibus elapsis futurum esset iudicium illud generale. Verba illius sunt.

Quando futurũ sit nouissimũ iudicium.

De octaua hic videtur obscurũ, Nam cætera in hoc titulo manifestiora sunt. Visum est enim nonnullis diem iudicij significare, hoc est, tempus aduentus Domini nostri, quo venturus est iudicare viuos & mortuos.

Qui aduentus computatis annis ab Adam post 7000. annorum, tanquam septem dies transeant: deinde illud tempus tanquam dies octauus aduenit, &c. Idem August. lib. 18. cap. 53. de Ciuit. Dei indicat alios ab Ascensione Domini statuisse 400. alios 1000. annos vsque ad eius vltimum aduentum, &c. Hodie etiam luserunt ingenia in hac quæstione vt diximus in loco de interitu mundi.

Rectè nos secundum Augustinum respondemus, importunè illud omnino quæri, dicente Domino Matth. 24 *De die autem & hora illa, nemo scit, ne Angeli quidem in cœlo, sed Pater meus solus*, & Marc. 13. *De die illo ac tempore nemo nouit, ne Angeli quidem, qui in cœlo sunt, nec ipse Filius, sed solus Pater.* & Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora, & articulos temporum* 1. Thess. 5. *Vt fur in nocte, ita venturus dicitur.*

Importuna est quæstio de tẽpore iudicij nouissimi.

Primùm igitur incerta est hora iudicij quia nullibi est patefacta in sacris literis. deinde incertitudo hæc ad solos homines & Angelos pertinet: hi enim propriè & per se ignorant ista mométa, Deus autem propriè & per se nouit, & quidem solus, quoniam in sua retinuit potestate,

& de termino isto pleno iure, prorogando, aut contrahendo statuit.

Christus quomodo nesciat horam iudicij. Cæterùm hic quæri solet, cur etiam Filius nescire dicatur, vt est apud Mar. cap. 13. Respondet Augustinus, id ita dictum esse: quia per Filium homines hoc non discunt: non quod apud se, ipse non nouerit: sed secũdum illam locutionem, Tentat vos Dominus Deus vester vt sciat, id est, scire faciat vos, vt Exurge Domine, id est, fac nos exurgere: cum ergo ita dicatur, nescire Filium hunc diem, non quòd nesciat: sed quòd nescire faciat eos, quibus hoc non expedit scire, id est, non eis hoc ostendat.

Sic in enarratione Psal. 36. quia in illius magisterio non erat, vt per eum sciretur à nobis. Neque enim aliquid scit Pater, quod Filius nesciat: cùm ipsa scientia Patris ille sit, quia sapientia est eius: sed quia scire nobis non proderat, quod quidem ille nouerat qui nos docere venerat, non tamen hoc, quod nobis scire non proderat, non solum sicut magister aliquid docuit: sed sicut magister aliquid non docuit: &c.

Ad eundem modum, hunc nodum soluit D. Hieronymus, vt est videre in 3. cap. Oseæ. Filius ideò ignorare se dicit, quia nobis non expedit discere. Aliis alia soluendi via placet: hominem scilicet Christum verè ignorasse, quemadmodũ idem verè mortuus est, & alios affectus humanos suscepit, peccato semper excepto, & quia futuri ignorantia non ex peccato fluit, ideóque non absurdum esse, Christum hominem verè ignorasse horam iudicij. Sic Angeli eandem ignorant, qui tamen sine peccato sunt: sed homini modesto satisfacere poterit Augustini & Hieronymi sententia.

Christus quaten⁹ homo, diem iudicij ignorare dicitur.

Tertiò, ita etiam incerta est hora illa, vt à nobis perscrutari non possit, nec debeat. Non potest, quia humano ingenio obex positus est, in sola Patris esse potestate, quò caligans acies humani ingenij nõ potest penetrare. Non debet etiam à nobis perscrutari, quia damnosum, quia non licet Deo prohibente.

Simile. Quartò, etiam si ignoremus, & quidem vtiliter, tamen maturè addisci ab omnibus. In hac quidẽ vita boni ex Christi coniecturis, satis habent argumenti non procul abesse, quemadmodum flauescente arista, colonus colligit pro foribus adesse messem. Impij verò, etiamsi illa contemnãt, attamen in agone mortis, illius iudicij præludia addiscunt, dum conscientia damnans, Satan accusans, anima metu pœnarum horrore percellitur. Imò in vita ipsa multi hanc scholam ingrediuntur sano corpore, quos diuina vrget ira & scelerum magnitudo ad desperationem compellit: exempla huius rei non obscura dari possent.

Notanda August. sentẽtia. Elegãter inquit Augustinus epist. 80. Tunc enim cuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die: ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus: imparatũ autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies.

3. Vbi sit futurum? Parciùs in hac quæstione lusere ingenia Christiana. Nam scriptura perspicua est, in aëre & nubibus iudicem Christum venturum, & sanctos illi obuiam rapiendos. Quare iudicij locus is erit, qui iudicis Christi, sanctorum Angelorum, Apostolorum, martyrum, Patriarcharum aliorúmque sanctorum capax sit, simúlque damnandorum turbam capiat, vt damnationis sententiam audiant.

De loco Iudicij. Iudęi iudicij locum designant vallem Iosaphath, quia de eo videtur apertiùs loqui Ioël, cap. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosaphath, & disceptabo cum eis ibi, pro populo meo*: & eodem cap. infrà, *Consurgent & ascendent omnes gentes in vallem Iosaphath, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu*, &c.

Iudæi pertinaciter ad temporalia rapiunt locum illum totum, quòd Messias sit in hac valle deuicturus omnes gentes, éasque damnaturus, & in resurrectione iustorum in eadem iudicaturus impios, cum bonis verò ibidem celebraturus conuiuia.

Somniant magnum quendam bouem *behemot*, qui ad illud conuiuium à Deo creatus alitur: & Leuiathan iam pridem occisum & sale conditum, & vinum de paradiso bibendum: sic illi vitam æternam metiuntur. de Behemoth & Leuiathan vid. Iob. 40.

Locus Iudicij futuri soli Deo notus. Cæterum vallis Iosaphath dicitur vallis iudicij, & verum quidem esse potest, Ierosolymis huius nominis esse vallem ad Orientalem templi portam: tamen Domini iudicium nouissimũ non obscurè adumbrat, qui conuentus maior futurus est, quàm vt illic peragi possit. Quemadmodum tempus soli Deo notum est: ita prouidebit sibi etiam locum idoneum ad hunc cœtum iudicandum.

4. Forma iudicij. Futura est illa longè speciosissima & augustissima: quam nulla ratio complecti, nulla eloquentia verbis consequi, nulla lingua exprimere potest: tamen sacræ literę vt aliquid hac de re posteritati relinquerent, sub idæa iustissimi & augustissimi iudicij illud proponunt.

Inter homines iudicia illa solent esse admirationi, in quibus iudicis quædam est visenda maiestas, in congregando authoritas, in discernendo acumen & prudentia, in pronuntiando demum æquitas & iustitia.

Maiestas Christi iudicis. Hæc in nouissimo illo iudicio prodidere, sic apud Matth. cap. 25. Maiestas iudicis est expressa: *veniet enim in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo*. Item, *Tunc sedebit super sedem gloria sua*.

Authori-

Authoritas verò mandandi, Et congregabuntur ante eum omnes gentes.

Prudentia in discernendo, *Separabit alteros ab alteris*, vt pastor segregat oues ab hœdis, & oues ad dextram, hœdos ad sinistram statuet.

In pronuntiando æquitas. *Tunc dicet Rex his qui à dextris sunt, Venite benedicti Patris mei* &c. *his verò qui à sinistris sunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Apud Matth. 24. Forma est expressa venientis. *Apparebit signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute & gloria multa, & mittet Angelos suos cum tuba voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum,* Marc. 13. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, cum potestate multa & gloria: Tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ vsque ad summum cœli.*

In transfiguratione in monte Thabor, maiestas Domini iudicis eleganter proposita est, Matth. 17. Mar. 9. Luc. 9. vestitus candidus & refulgens, species vultus eius alia, in summa quicquid humile & abiectum, id totum deponitur. Luc. 21. *Virtutes cœlorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate & gloria magna.* & Luc. 9. *Cum venerit in maiestate sua & patris, sanctorúmque Angelorum.* Apo. 20. *Vidi thronum magnum & candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cœlum, locus non est inuentus eis, & vidi mortuos magnos & pusillos,* &c. Malach. 3. sedenti conflatori comparat, qui conflat & emundat argentum suum. 1. Cor. 3. *Cuiusque opus manifestũ erit: dies. n. declarabit, & cuiusque opus quale sit, ignis probabit.* 1. Thess. 4. modum exprimit resurrectionis ante iudicium: Primùm Christus descendet de cœlo cum hortatu & voce Archangeli, ac tuba Dei: hinc mortui resurgent: tertiò viui simul cũ sanctis resuscitatis rapientur in nubes in occursum Domini in aëra: &c. 1. Cor. 15. *Canet tuba, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur.* 2. Thess. 1. *Tum reuelabitur Dominus Iesus de cœlo, cum Angelis potentiæ suæ, cum incendio flammæ, qui infligit vltionem iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent, interitum æternum, à facie Domini & à gloria fortitudinis illius, cùm venerit vt glorificetur in sanctis suis,* &c. in Daniele cap. 7. *Etiam in nubibus cœli venit filius hominis, & datur illi potestas, gloria & regnum, omnes populi, nationes & linguæ seruient illi: potestas illius æterna, quæ non auferetur ab illo, & regnum eius non corrumpetur,* &c. Modus resurrectionis generalis ante iudicium.

Sic forma iudicij proponitur per Angelos: ignem, maiestatem iudicis, authoritatem, prudentiam in discernendo, æquitatem in pronuntiando.

Sed pertinet huc etiam persona accusatoris, qui aliàs vermis, aliàs aduersarius, aliàs consciẽtia dicitur: huius officium & personam scitè expressit Augustinus in oratione contra Iudæos, Paganos & Arrianos. Astabunt, inquit, omnes animæ, vt referat quæque secundum ea, quę per corpus gessit, siue bonum siue malum: præstò enim erit aduersarius Diabolus: recitabũtur verba professionis nostræ: & si talis inuentus fuerit quispiam, vt debitor ex hac vita migret, exultabit ille aduersarius in conspectu seuerissimi iudicis, superiorem se esse reclamans, agénsque talem causam, apud talem iudicem: Æquissimè (inquit) iudex iudica: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ, iudica meum esse qui tuus esse noluit: meus est, mecum damnandus est. post renunciationem, vt quid inuasit pannos meos? quid apud eum impudicitia faciebat? Cui ipse renuntiauerat? quid intemperantia? quid auaritia? quid ira? quid superbia? quid cætera mea, &c.

Et tractatu de rectitudine catholicæ conuersationis eleganter introducit Christum iudicẽ conquerentem de damnatorum ingratitudine, enumerans quæ & quanta pro mortalium genere subierit, &c.

V. Quis futurus Iudex? Christus Dominus & Rex iudicio huic præsidebit: cuius rei testimonium habemus in Symbolo Apostol. *Qui venturus est iudicare viuos & mortuos:* & Apostol. 2. Tim. 4. *Obtestor te coram Domino Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos in apparitione sua,* &c. Ioan. 5. *Omne iudicium Filio dedit.* Matth. 25. *Cùm venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum illo, sedebit super sedẽ.* &c. Act. 17. Paulus Athenis docens, ait Deũ constituisse diem: in quo iudicaturus sit orbem terrarum cum iustitia, per eum virum, per quem decreuerat, fide præstita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis, &c. Act. 10. Petrus ait, *Hic est ille iudex constitutus à Deo viuorum & mortuorum.* 1. Pet. 4. *Reddent rationem ei qui paratus est iudicare viuos & mortuos.* Christus futurus iudex.

In veteri Testamento, Rex dicitur & simpliciter Deus. Psal. 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis,* hoc est, Christo Filio Dei, & Dan. 7. *Antiquus dierum Filio hominis tradit ei potestatem, gloriam & regnum:* & paulò suprà idem Daniel inquit, *Antiquus dierum sedit, cuius indumentum erat candidum sicut nix, & pilus capitis eius sicut lana pura, thronus eius rutilabat sicut ignis: & rotæ eius ardebant vt ignis,* &c.

Porrò indicat scriptura sanctos quoque iudicaturos cum Christo, sic 1. Corinth. 6. *An nescitis quòd Angelos sumus iudicaturi?* & Esa. 3. *Veniet ad iudicium cum senioribus populi,* hoc est, electis & fidelibus. Et Christus Matth. 19. promittit Apostolis, quòd sint sessuri super 12. thronis, & iudicaturi duodecim tribus Israël: Magna hæc est sanctorum dignitas, quòd Christi consortes sunt, & hostium suorum futuri iudices: ne ergo polluamus hanc dignitatem nostram. Quod sancti sint iudicaturi.

Hanc rem Sybillini versus quoque exprimunt non malè, quales illi sunt,

Ἥξει δ' ἐν νεφέλῃ πρὸς ἄφθιτος, ἄφθιτος αὐτός.

Ἐν δόξῃ Χριστὸς σὺν ἀμύμοσιν ἀγγελτῆρσιν, καὶ καθίσει μεγάλως ἐπὶ δεξιᾷ βήματι κρίνων, &c. hoc est, veniet autem in nube ad incorruptum, & ipse incorruptus in gloria Christus cum irreprehensibilibus Angelis, & sedebit magnificè ad dextram in solio iudicans vitam piorum, & mores impiorum. veniet & Moses, &c. aliíque sancti quos recēset Sybilla. Et infra describit expressè quis futurus iudex, nimirum Σωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεὺς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν: Seruator immortalis, rex, qui pro nobis passus est, &c.

VI. Qui sint iudicandi. Mortalium genus vniuersum, hî Domino Deo creatori suo sistetur, rationes daturum vitæ actæ. Scriptura viuos & mortuos appellat: qui non omnes moriētur, sed deprehendet aduentus ille quosdam in vita superstites, qui immutabuntur. Sic in Symbolo habemus, Iudicare viuos & mortuos. Fuerunt tamen, qui dicerēt viuos & mortuos esse, iustos & peccatores. Ita August. cap. 8. de dogm. Eccles. scribit de Diodoro quodam, qui viuos iustos, mortuos peccatores interpretabatur: quam interpretationem ibidem reprehendit. In Enchirid. autem ad Laurent. cap. 5. eandem adducit sine reprehensione: verba illius sunt: Duobus autem modis accipi potest, quòd viuos & mortuos iudicabit, siue vt viuos intelligamus, quos hic nondum mortuos, sed adhuc in ista carne viuentes, inuēturus est eius aduentus: Mortuos autem, qui de corpore prinsquam veniat, exière, vel exituri sunt: siue viuos iustos, mortuos autem iniustos, quoniam iusti quoque iudicabuntur, &c.

Quid per viuos & mortuos intelligi debeat.

Simplicior est prior sententia, & secundùm eam, videtur Symbolum Apostolorum loqui, & scriptura. 1. Cor. 15. Apostolus ait, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*, loquitur de morte corporali, non de iniustis, sed iustis etiam corpore mortuis. sic, Canet tuba & mortui resurgent incorruptibiles: his opponit viuentes in genere tam bonos quàm malos, Et nos immutabimur, hoc est, omnes qui reperientur in hac vita superstites. sic 1. Thess. 4. dormiētes mortuos corpore simpliciter appellat, & viuos simpliciter superstites in aduētu Domini.

Scriptura aliàs aliis comparationibus exprimit: vt per virgines prudentes & stultas, per zizaniam & triticum, per bonos pisces & putres, per oues & hœdos, bonos & malos indiscriminatim, siue viuant, siue mortui sint in aduentu Domini.

Quomodo boni sint iudicandi.

Sed quæri hic solet, quomodo boni etiam sint iudicandi, cùm pij iudicaturi sint cum Christo. Matth. 19. Ioan. 5. 1. Corinth. 6. & supra ex Esa. 3. attulimus, *Veniet ad iudicium cum senioribus populi*.

Verùm scire debemus iudicari interdum accipi in malam partem, hoc est, pro eo quod est puniri. sic iudicium interdum condemnationem significat. sic non iudicantur nec in iudicium venient iusti. Ioan. 5. *qui mala fecerunt prodibunt, in resurrectione iudicij*, hoc est, condemnationis. Sed iudicium est quoque censura Domini, absoluens iustos, & hæredes vitæ æternæ declarās. Iudicari similiter absolui & iustum pronuntiari: ita boni in iudicium venient, & iudicabuntur boni, hoc est, absoluentur ab illa ignominia qua oppressit eos mundus.

Iudicabūtur boni: id est, absoluētur ab ignominia & iusti declarabuntur.

Non sunt igitur sibi contraria, cùm de piis dicitur, iudicaturos cum Christo, & simul iudicādos. Nam Apostolus expressè loquitur, *Omnes statuemur ad tribunal Christi*, Rom. 14. & mox, *Vnusquisque de seipso rationem reddet Deo*: id facient tam pij quàm impij. & 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, vt reportet vnusquisque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod facit, siue bonum siue malum.*

Ac de piis facilis erit ratio: nam habent Christum, conscientiam propriam, testem suæ electionis & patrimonij cœlestis: de impiis verò, quia conscientiam habent damnantem, Christū iratum, Satanam accusatorem: tota iudicij seueritas contra illos faciet, quos simul pij iudicabunt & damnabunt cum Christo. 2. Pet. 2. *Dominus iniustos in diem iudicij puniendos seruat*. Apocal. 6. *Dicent montibus, cadite super nos.*

Primùm igitur boni iudicandi sunt, qui absoluti iudices quoque erunt: deinde impij, quos pœnæ grauitas damnabit: & hac partitione omnes comprehenduntur homines viui ac mortui. Ideóque in Apocal. 20. videt Ioannes mortuos magnos & pusillos, dat mare etiā mortuos suos, & infernus suos mortuos, item Mors ipsa reddit mortuos suos, hoc est, omnes quibuscunque tandem modis sublati ex hac vita, iudicio huic sistentur.

Quomodo iudicandi sint mali spiritus.

Tertiò iudicandi sunt etiam hîc mali Spiritus. Satā ipse cum vniuerso suo comitatu diabolico. Mat. 25. ignis dicitur paratus diabolo & Angelis suis. 2. Pet. 2. *Catenis noctis in tartarum præcipitauit seruandos in iudicium*. 1. Cor. 6. *An nescitis, quòd Angelos iudicabimus?* & in epist. Iudæ, *Angelos qui non seruauerant suam originem, sed reliquerant suum domicilium, ad iudicium magni illius diei, vinculis æternis sub caligine seruauit.*

Iudicandi hi sunt tanquam authores defectionis, & ruinæ humani generis.

Quartò, pertinet hoc iudicium etiam ad irrationalem creaturam, cœlum & terram & quicquid in eis continetur. 2. Pet. 3. Cœlum & terra seruantur igni in diem iudicij & perditionis impiorū hominū. Esa. 66. *Cœli noui & terra noua promittitur*. Hinc ad Rom. 8. *Omnis creatura congemiscit, & expectat, vt palam fiant filij Dei, subiecta est autem vanitati non volens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis*, &c.

Quintò,

Quintò, in primis huc pertinet Antichristus. Thess. 2. *quem Dominus conficit spiritu oris sui, & abolebit claritate aduentus sui.* Ideóque diuerso morbo ad iudicium illi omnes pertinent, creatura tota repurgabitur, pij absoluentur, impij damnabuntur. Satan vt author malorum omnium in barathrum detrudetur, Antichristus vt filius perditionis, Christíque hostis oppositus, ab ipso Christo conficietur, & vt vetus Antichristus declaratus eiicietur in pœnas quas promeruit.

Porrò, quæ peccata hic sint excutiēda manifestum est ex scriptura. Dominus Christus Mat. 12 inquit, *de omni verbo otioso*: & Apostolus Rom. 14. *Vnusquisque de seipso rationem reddet Deo.* 2. Cor. 5. *Omnes oportet manifestari, vt quisque reportet secundum id quod fecit, siue bonum siue malū.*

Augustinus cap. 39. de salut. docum. ait, In quibus actibus quisque homo inuentus fuerit, in his iudicabitur, quando exierit de corpore.

Nec ob id cogitare debemus, quòd vltima tantùm in censuram sint ventura, sed paratos nos esse vult omni momento, ne mors nos imparatos deprehendat. Nam qui in agone imparati sunt, de his ægrè sperari potest fœlix resurrectio. Ideóque & Dominus Christus ait, *Qui perseuerarit vsque ad finem, saluus erit.*

DE PARADISO.

LOCVS CLIX.

PARADISVM sacræ literæ vocant *gan*, hortum, vt Gen. 2. vers. 8. *& plantauit Dominus Deus gan hortum in Eden.* & versu 9. *& lignum vitæ in medio hagan horti*, & vers. 10. *& fluuius exibat de Eden ad irrigandum hagan* & vers. 15. *& accepit Dominus Deus hominem & posuit eum began gneden in hortum Eden*, Gen. 13. vers. 10. *Dicitur hortus Domini*: tractum Iordanis ante vastatam Sodomam *fuisse cegan Iehoua tanquam hortum Domini.*

In Ezechiele cap. 31. *gan elohim hortus Dei*, vers. 8. & 9. *ligna Eden quæ sunt in horto Dei.* Item vers. 15. & 18. capit. 28. *In Eden horto Dei*, iterum vers. 15 & 18. capit. 28. *In Eden horto Dei fuisti.* Ac quod vocem *gan* attinet, manifesta est ratio, illam scilicet dici à *ganan*, nam dages in Nun manens in plurali & affixis additis, est argumento duplicandam esse literam, significat autem *ganam* protegere, defendere, custodire. Nam primus ille hortus, homini traditus erat, vt illum custodiret, & post lapsum custodia eius commissa est angelis: vt hodie horti impensiùs muniuntur & custodiuntur reliquis prædij partibus. Origo nominis.

Est tamen alia ratio cur dicitur *gan* hortus, nimirum ab euentu, vocāt enim Heb. *ganah*, turpe peccatum & impudentiam, & quia homines in illo horto primùm turpiter Dei mandatum violarunt, locus ipse in quo peccatum est commissum *gan* quasi *gana* dictus est.

In voce Eden non perinde constat. Græci interpretantur per τροφὴν, vt Varinus, Hierony. delitias & voluptatem. Symmachus teste Hieronymo paradisum florentem tradidit in quæst. genes. Vox ipsa voluptatem significat. Gen. 18. vers. 12. Sara ridens dicit, *Cum senuerim eritne mihi Edenah, voluptas?* Itaque ab amœnitate & voluptate dicitur hortus Eden. Aben Ezra tamen Eden locum vel regionem interpretatur *bemakom schenikra Eden*, in loco qui dicitur Eden. Et sanè verba Geneseos regionem significare videntur cap. 2. v. 8. *& plantauit Dominus Deus hortum in Eden.* & capit. 4. *Cain habitat in terra Nod ad Orientem Eden.* Es. 37. vers. 12. manifestè pro loco ponitur dictio Eden: sed fortè nihil impedit paradisum in regione Eden fuisse plantatum quæ ab amœnitate nomen habuerit.

De paradisi appellatione alias diximus in Hortensij lemmatibus, ac Persicam esse ex Polluce ostendimus, cui accedit quod Græci scriptores, ea vtantur, cùm de rebus Orientalium loquuntur, vt Xenophon, & Plutarchus in Demetrio. Sacræ literæ serò illam vocem receperunt, vt in Canticis capit. 4. Ecclesiaste capit. 2. Nehemiæ 2. Et cum vox constet quatuor radicalibus literis, facile est animaduertere illam apud Hebr. etiam peregrinam esse. Persæ igitur ampliores hortos, paradisos vocabant, quales erant Cyri, Solomonis, & similium: in quibus non solùm herbæ & arbores, sed viuaria quoque essent, hoc est, feræ alerentur, vt apri, cerui, lepores, &c. Nos vocamus differenter, *ein direngartten, lustgarten.*

Hebræi certè eodem ferè pacto vocem explicant *maacalschagedolim boalne*, in quo nascūtur arbores fructiferæ.

II. Paradisi igitur nomen, non idem semper nobis significabit. Primùm enim constat in sacris literis eo nobis proponi terrenum quendam amœnissimum locum manu Dei plantatū, de quo postea.

Deinde homines, ad illius primi imitationem, vt quandam vmbram, hortos elegantiores & regios, paradisos vocarunt, quales Cyri fueruntin Babil. & hodie nobilium quorundam ampliores horti, paradisi dicuntur, à quibus paradisea poma denominata sunt præcocia, odore, sapore, & gratia præstātissima, quę in singulis ferè hortis plantantur: quo iure illa paradisea ap- Paradisea poma.

pellantur, eodem singuli horti paradisi vocari possunt, saltem arbores complectantur.

Græci enim hanc distinctionem obseruarunt vt paradisus sit pomerium δένδρα ἥμερα ἔχων. adsint etiam interdum viuaria, quod Gellio placuit, κῆπος autem τῶν δένδρων ἡμέρων καὶ τῶν λαχάνων, hoc est, locus cultus, pomarium & olera complectēs, *ein bæmgartten vnd krouttgatten*, ἄλσος verò solum sit τῶν ἀγρίων δένδρων.

Ἕλος autem λιμνώδης καὶ καλαμώδης palustris & arundinibus consistens locus, *ein mosz*. λειμὼν denique locus est δίυγρος ἀνθηρὰν ἔχων πόαν irriguus, florentem cespitem germinans, *ein matten*.

Ecclesia paraditus dicitur.

Ecclesiastici scriptores paradisum vocant sæpe ipsam Ecclesiam, vt Tertul. li. 2. aduersus Marcionem, translatus in paradisum iam tum de mundo in Ecclesiam, & Augustinus lib. 11. cap. 25. de Genesi ad literam, & lib. 12. cap. 28. probat ex cap. 4. Cant. Ecclesiam dici paradisum.

Apud eosdem scriptores, cœlestis fœlicitas paradisus dicitur. Hiero. ad Dar. Paradisus est terra viuentium diuitiarum & bonorum Dei, quam primus Adam perdidit, & secundus Adam inuenit.

Christus clauis paradisi.

Huius paradisi clauis est sanguis Christi. Augustinus lib. 2 capit. 9. de Genes. cõtra Manich. paradisi nomine beatitudinem hominis significari scribit, & cap. 14. eiusdem libri, beatam vitam significat, & epistola 57. vbi habes discrimen de paradiso illo, de quo dixit Christus latroni, *Hodie mecum eris in paradiso*. Ad huius cœlestis paradisi imaginem, Ethnici confinxerunt suos Elysios campos, & fortunatas insulas, de quibus si libet aspice quæ vertat Zetzes in Hesiodum, de quo diximus etiam in Pindari explicatione.

His addamus aliorum diuisiones. Catabaptistæ duplicem constituunt paradisum apud Iudæos, pro duplici scil. hominis conditione, corporali & spirituali, alterum cœlestem, alterũ terrenum, geminos mundos significantes, visibilem & inuisibilem: illum nobis præsentem, hunc verò nobis futurum.

Scholastici scriptores, qui Thomã sequuntur, triplicem habent paradisum, terrenum, cœlestem & spiritualem: de quibus vide 1. p. q. 102, &c. Aug. libro 8. cap. 1. de Genesi ad literam, iudicat triplicem fuisse sententiam de paradiso in Ecclesia Domini agitatam. Alij enim solùm historicè de eo disserebant. Alij contrà solùm allegoricè explosa historica narratione, quales fuerunt Seleuciani, qui visibilem paradisum in totum negabant. Alij denique omnium rectissimè de eo disserebant, corporalem scilicet paradisum ad mysticos sensus applicantes, quod ex Aug. repetiit postea magister senten. vt est videre lib. 2. dist. 17. Hinc postea factum est, vt in allegoriis de paradiso, alij aliter senserint. Aug. qui historicum agnoscit paradisum in allegoriam mutat, lib. 12. de Gene. ad lit. cap. 34. inquit, lætitia bonæ conscientię in homine paradisus est. De ciuita. Dei lib. 13. paradisus est vita beatorum: ligna eius omnes vtiles disciplinæ, lignorum fructus, mores piorum, lignum vitæ, sapientia, idem lib. 12. Ciuit. cap. 20. duplicem constituit, corporalem in quo lignum vitæ fuit, specialem in quo sapientia Dei.

Lætitia bonæ cõscientiæ paradisus est.

Alibi passim ad Ecclesiam transfert allegoriam, vt lib. 2. contra literas Petiliani, quod tunc paradisus, hoc nunc Ecclesia, &, Sicut autem per verba Dei nouimus vbi sit plantatus paradisus, sic per verba Christi vbi sit Ecclesia didicimus. Et lib. 4. contra Donatistas. Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem eius baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam, neminē, vel percipere vel tenere &c. Aliter de Ecclesia & paradiso loquitur Gregorius, cuius. 4. flumina facit quatuor virtutes, quibus terra commadescit, prudentiam, temperantiam, fortitudinem, Iustitiam. Irenęus lib. 5. cap. 17. suas etiam habet allegorias de Ecclesia & paradiso. Athanasius quoque paradisum figuratè dictum Mosi ait, allegoriam tamen non explicat. Adamiani meritò explosi sunt, qui suam Ecclesiam solum paradisum vocabant, nudi orabant, communicabant, Adami vitam exprimentes in paradiso, neglecta innocentia: de quibus vide Aug. de hæresibus.

II. Diximus de paradiso, quatenus de eo variant sententiæ, & vsus loquendi, quę omnia ad diuisiones pertinent. Nunc de terreno paradiso persequamur sententiam, non enim instituti nostri est omnes omnium allegorias explicare.

Error Origenis.

Terrenum paradisum negarũt olim Seleuciani, vt diximus ex Aug. Et Origen. lib. 4. περὶ ἀρχῶν, planè historicum paradisum tollit: cuius sunt illa verba. Quis verò ita idiota inuenitur, vt putet Deum velut hominem quendam agricolam, plantasse arbores in paradiso in Eden? quē diligenter confutauit Epiphanius, contra Origenistas scribens, & in Ancorato, vbi diffusè & validis rationibus illam sententiam explodit: quę eò respiciunt vt intelligamus historiam Mosis non esse allegoriis subuertendam. Manichæi quoque paradisum non alium intelligebant quàm totum mundum: plantas eius esse concupiscentias carnis, quæ confutantur ab Epiphanio quoque. Chrysostom. hom. 13. in Gen. ait, ideo à Mose expressum nomen & locum, ne daretur locus allegoriis & fabulis eorum, qui dicunt nullum esse in terris paradisum, sed in cœlo. Et diuus Hieronymus in cap. 10. Danielis scribens, grauiter eos reprehendit, qui solas allegorias in paradisi historia quærebant. Itaque statuamus veram esse huius historiam, & hortum talē in terris reuera extitisse. Vbi verò fuerit, & an adhuc extet, nõ perinde facile est explicare.

Vbi fuerit.

Nam alibi vbique terrarũ diffundunt paradisum, ac horti nomine intelligunt totam terram: quæ sententia tamen ferri non potest: quia Deus ex terra in certum locum transtulit hominem,

minem, tanquam augustiorem sedẽ & elegantiorẽ. Alij certum locum intelligunt quidẽ, sed in eo labor est, vt indicetur. Hic autẽ mirè variãt sententiæ. Alij enim altissimis montibus cõstituũt, alij sub lunari circulo, quæ regio nec flatus sentit ventorũ nec imbres. Hãc sententiã sequitur Magister sentẽ. qui ait positũ esse in parte orientali longo interiacente spatio vel maris vel terræ à regionibus quas incolunt homines, seorsum, & in alto sitũ, vsque ad lunarẽ circulum pertingentem, vnde nec aquę diluuij illuc peruenerunt. Talẽ quandã beatissimã terrã Socrates apud Platonem commemorat in Phædone, sed quomodo ex illo orbe, tãto interuallo seiuncto in nostrum delabuntur, nota paradisi flumina, Ganges, Euphrates, Nilus, Pison. Itaque absurdum est credere ad lunæ circulum hunc amœnitatis locum fuisse positum.

Paradisus non fuit vtiqueter rarũ diffusus Socratis opinio.

Alij sub æquinoctiali circulo constituunt, & flammei gladij nomine zonam torridã reddi, quæ per Solis conuersiones versatilis dicatur, ad quam sententiam videtur Tertul. accedere in Apol. cap. 43. vbi inquit esse locum diuinæ amœnitatis, recipiendis sanctorũ spiritibus destinatum materia quadam ignea illius zonæ à notitia orbis communis segregatum, cuius fidẽ Elysij campi occuparint. Cui sententiæ obstat, quòd sub zona illa torrida passim loca sint habitabilia deprehensa terra marique, nec tamẽ hortus ille repertus à curiositate humana. Idẽ dici potest his, qui hortum istum collocant extra tropicos: passim lustrata est terra, vbique habitabilis deprehensa, nullibi autem hortus iste monstrari potest. Nicephorus lib. 9. cap. 19. locũ paradisi in Oriente sub æquinoctiali esse affirmat ex Theophili sententia, qui illa loca accesserit, coniecturam faciens ex Hyphasi flumine qui sit Pison, quod flumẽ suas aquas ex aduerso Taprobanæ insulę in Oceanum exoneret, ac afferat Caryophilum siue fructum, siue florem, quam arborem paradisi credunt incolæ. Atque illi omnes in eo consentiunt, quòd vidẽtur asserere hunc hortum adhuc extare, quibus minimè subscribo.

Primùm enim cum hominis gratia fuerit cõditus, quo peccante, suo cultore priuatus est, homine inde eiecto. Deinde cùm in terris nullibi reperiatur, certum est, diluuio generali vastatum fuisse: ad illa vsque tempora ab Angelis fuit custoditus, vt nec homines, nec animantes illuc accederent: post diluuium nihil tale amplius legimus: & cùm totus orbis tanta diligentia sit perlustratus, intra & extra tropicos, deprehensa tandem illius essent vestigia.

Terrestris paradisus Adami amplius non extat.

Veniamus igitur ad eos qui terrenum agnoscunt & vastatum concedunt per diluuiũ, probabiliter loquuntur hic, illi qui circa Mesopotamiam locum illius designãt, inter Iudæam & Arabiam, maximè circa Babylonem & Seleuciam, vbi Tigris & Euphrates concursu suo cõstituũt quatuor flumina. supra Babylonem enim vno recipiuntur alueo, & infrà iterum separantur in duo flumina: quæ possunt non modo intelligi quatuor capita, cui accedit singularis adhuc loci illius fertilitas. Sed habet hæc sententia quoque quibus euerti possit. Minus probabilis est Illyrici sententia, qui ex Thalia Herodoti, locum hodie protulit, de Aces flumine; apud Chorsenos & Hircanos. locum vide lib. 3. Herodoti.

Statuamus igitur hortum huc reuera in terris plantatum fuisse omnium elegantissimo & saluberrimo loco, præterea diluuio vastatum probabile esse, nec vlla hactenus satis firma vel coniectura, vel experientia locum illius in terris potuisse demonstrari. Ex quo efficitur quęstionem hanc de loco paradisi sine iactura fidei posse a nobis ignorari, vt alia multa in scripturis mysteria Dei.

Quærendũ etiã est, quando sit conditus. Deũ authorẽ indubitatò habet dicente scriptura, *& plantauit Dominus Deus hortum in Eden*, hinc hortus Dei dicitur, & paradisus Dei, Ezech. 28. & 31. Iudæi fere omnes, dicunt ante mundum conditum esse, sic Onkelos vertit vocem, *mikedem* antea, hoc est, *milikdamim*, à principio. Latina quoque versio videtur hunc sensum sequi. Plantauerat autem Dominus Deus à principio, hoc est, ante mundum conditum: hunc sensum Magister sententiarum sequitur: vt D. Hieronymus, in quæst. heb. in Genes. ostendit vocẽ *mikedem* Aquilã vertisse ἀπ' ἀρχῆς, quod ipse Hieronymus ab exordio sit interpretatus Theodor. verò ἐν τοῖς πρώτοις, Symmachus ἐκ πρώτης: quod & ipsum non Orientem, sed principium significat. Ex quo manifestissimè comprobatur, quòd priusquam cœlum & terrã Deus faceret, paradisum antea condiderat, sicut & legitur in Heb. *plantauerat autem Deus paradisum in Eden à principio.*

Quando conditur.

Verùm sententia illa Hieronymi non firma est, cùm vox illa *mikedem* significet etiam ab Oriente, quam sententiã Aben Ezra sequitur & alij, deinde si maximè vertatur à principio, non tamen sequitur ante mundum conditum, factum fuisse paradisum: sed sensus esse potest, prius iam fuisse paratum hunc hortum, ante hominem, non tamen exprimi certum tempus. Rabi Schelomo ait tertia die conditum fuisse, repeti autem postea in historia hominis quòd illius gratia esset cõditus, nec alibi cõmodiùs notari posset, quò facit Aben Ezræ quoq; explicatio, qui interpretatur *vcebar nitanggan bemakomschemikra Eden*, & prius plantauerat hortum in loco qui dicitur Eden. Difficile est in his sententiis iudicium: certũ tamen mihi est ante hominem conditum: an verò tertia die, vel ante ipsum mundũ, statui non potest ex scriptura. Mihi probabilius videtur, post reliqua omnia, ante tamen hominem conditum fuisse, hoc est, adornatum & selectum hũc locum ex tota terra: vt esset quædam regia amœnissima, & saluberrima aula, in qua homo nõ otiosè, sed voluptè vitam duceret honestissimis labori-

Hortus à Deo fuit plantatus ante ho-

mine cō-ditū sed non ante mundum cōditum.

bus non defatigaretur, sed potius reficeretur. Iudæorum sententia de Gan Eden, locū haberet de paradiso cœlesti, hoc est, de vita æterna, cuius typus fuit hortus ille terrenus. Paradisus cœlestis vita æterna est & regnum illud Dei, quod iustis paratum est ab exordio mundi, Mat. 25. & Eph. 4. *antequam iacerentur fundamenta mundi*. Verùm Iudæi crassiores sunt, quàm vt hūc sensum ferant. Intelligunt Gan Eden terrenum hortum, in quo adhuc Elias & Enoch cum aliis sanctis viuāt. Si pergas eos vrgere, qui ergo fiat vt omni terra perlustrata nemo illius vestigia deprehenderit, respondent quosdam illuc quidem peruenisse, nullum verò inde velle digredi, propter incredibiles voluptates. vaniora alij afferunt, quæ non est opus hic recēsere.

Itaque dicimus non posse de tempore præcisè constitui, quemadmodum nec de loco illius horti, quia scriptura has circunstantias non expressit.

Ornatus.

Quartò explicandus est nobis etiam ornatus paradisi terreni, instructissimum fuisse, & felicitatis ipsum copiæ cornu, certissimum est: de quo scribit Lactantius libr. 2. cap. 13. Deus hominem posuit in paradiso, idest in horto fœcundissimo & amœnissimo, quem in partibus Orientis omni genere ligni arborúmque conseruit, vt ex eorū variis fructibus aleretur expérsque omnium laborū summa deuotione seruiret. Græci dicūt fuisse βασίλειόν τι ἐν ᾧ ἄνθρωπος διαιτώμενος μακαρίαν καὶ πανολβίαν ἔζη ζωήν, καὶ οὗτος ὁ θεῖος παράδεισος θεοῦ χερσὶν πεφυτευμένος. i. Regium quid in quo homo degens fœlicem & modis omnib. beatam vitam viuebat: & diuinus eiusmodi paradisus est Dei manibus consitus, postea addunt qualis fuerit, εὐκραὴς ἀέρι λεπτοτάτῳ, καὶ καθαρωτάτῳ, περιλαμπόμενος ἀειθάλεσι κομῶν, εὐωδίας πλήρης, φωτὸς ἔμπλεος, ὥρας ἁπάσης, καὶ κάλλους ὑπερβαίνων ἔννοιαν, optime tēperatus, aere tenuissimo & purissimo refulgens, semper virens, plenus suaui odore & limine superans omnem, quæ possit cogitari, pulchritudinem.

Ad imaginem paradisi ethnici finxerunt suos cāpos elysios & fortunatas insulas.

Hanc fœlicitatem horti illius cùm à maioribus audiuisset posteritas ad fabulas transtulit, quales sunt narrationes de Elysio campo & de fortunatis insulis apud Zetzem, & de horto Alcinoi apud Homerum, quæ quomodo fidem paradisi occuparint, vide Tertul. in Apolog. & Iustinum in sermone parænetico ad Græcos, & passim scriptores Ecclesiasticos. Nicestratus suum paradisum in Oriente sic quoque exornat, de quo sic scribit: Paradisum quem extremū mare Orientale alluit, cùm totius Oriētis pulcherrimus & purissimus sit, cœlum lætissimum, amœnissimúmque habens, & aquis pellucidissimis rigetur, satis constat incomparabili præstantia omnia gignere & ferre meliora.

Verùm his missis, amœnitatem eius & præstantiam ex sacris literis proponemus. Huc primùm referimus, quòd Deo authore ad singularem hominis mansionem ac habitaculū sit destinatus, & homine adhuc integro & puro, in quo haberet Angelos Dei contubernales, ipsúmque Deum familiarem monitorem.

Quæ & qualis fuerit amœnitas & præstātia huius horti.

Deinde quòd horti illius finis esset, pura & sine peccato voluptas.

Tertiò, quòd haberet, αὐτάρκειαν plenā vitæ beatæ quod scriptura dixit, *Et fecit germinare Dominus Deus de terra omnem arborem delectabilem visu, & bonam ad cibum, & arborem vitæ in medio horti, & arborem scientiæ boni & mali.*

Quartò, quòd simul esset irriguus, versu 10. *& fluuius egrediebatur de Eden, vt irrigaret hortū, & inde diuidebatur, & fiebat in quatuor capita.*

Quintò, quòd post lapsum hominis Deus tanta diligentia hortū muniuit ne isthuc aliquādo rediret homo, Gen. 3. ad finem, *& posuit à plaga Orientali horti Eden Cherubim & laminam gladij versatilis ad custodiendam viam ad arborem vitæ*, hoc est, Angelos custodes posuit cū gladiis strictis & fulgentibus. *lahat* significat flaminam & laminam. Aben Ezra ait habuisse duo ora, quo exprimitur gladius vtrinque acutus. Hæc mihi videntur in primis ad hortum & illius ornatum pertinere. Ex quibus in primis admirabiles sunt plantæ eius, & fons hortum irrigans, de quibus pauca subiiciemus.

Plantę paradisi ad vtilitatē & voluptatem à Deo sunt creatæ. Duæ arbores homini interdictæ.

Plantas paradisi, scriptura ad duo capita refert, vtilitatis & voluptatis erat, quod Dominus ibi plantauerat omnem arborem, *tob leecol* bonam ad cibum, prospexerat enim dominus de victu affluenter. Voluptatis autem fuit, quòd præter istas plantas, aliæ essent, quæ ad oculorum delectationem facerent, quod scriptura dixit, *colguetz nechmad lemarre*, hoc est, omnem arborē desiderabilē visu, Græci ὡραῖον εἰς ὅρασιν. Nihil igitur deerat, quod ad honestā & liberalem faceret voluptatem. Ex tanto ornatu duas refert scriptura arbores homini interdictas, arborem scientiæ boni & mali, ac arborem vitæ. Arbor vitæ dici videtur, quasi viuax & immortalis arbor, quod Hebræi sic intelligunt, vescentibus de fructu eius, longæuam vitam potuisse prolongare, aut hanc cum immortali commutare, quod illi dicunt, *Elun pirio. noten beobela chaym arucah*, hoc est, arbor illa suo fructu dare poterat vescentibus, vitæ prolongationem. Magister sententiarum ex Beda interpretatur, quòd corpus stabili sanitate perpetua soliditate firmaretur, nec vlla infirmitate, aut ætatis imbecillitate in deterius laberetur.

Scriptura certè ob id Adamum expulsum dicit, ne scilicet de arbore vitæ comederet, ac inde in æternum viueret. Vnde certum est vitæ prorogationē huic fructui tributā fuisse.

Arbor scientiæ boni &

Gnetz hadanguat, Lignum scientiæ boni & mali, ab euentu dictum est, quam sententiam habet etiam Magister sententiarum ex Augustino. Ab euentu inquit, qui postea sequutus est, quia

est, quia homo experiendo didicit, quid interesset inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ. mali ab euentu sic dicta est.

Hanc sententiam etiam ex Heb. sequuntur Onkelos & Targum Ierosolymitanum, referēte D. Fagio, Arborem cuius fructum manducantes cognoscunt inter bonum & malum *ben tob varang*. Alij mirè hic variant. Putarunt aliqui, huic arbori fuisse insitam vim medicam, quia Gen. cap. 3. dicitur, *quod Eua viderit, quod desider atum esset oculorum*, hoc est salutiferum oculis, vel quod sanitas esset oculis. Alij quòd fructus eius pepererit appetitum coeūdi. Hinc fuisse quod post esum pomi illius, mox genitalia mēbra cœperint obuelare, quos tamē, seniores Iudæi quoque redarguunt. Alij etiam asserunt sic dictam arborem quòd eius esu accesserat homini liberum arbitrium, quod quidem Diuinum sit quiddam: homini verò malum esse propter conscientiam malam: mihi placet Augustini sententia, quam primo loco recensui.

Superest vt explicemus fontem quo irrigabatur hortus Gen. 2. 10. Et fluuius egrediebatur de Eden vt irrigaret hortum, & inde diuidebatur & erat in quatuor capita.

Flumen vocat scriptura, quia in prima scaturigine mox curreret copiosè, quod apud Heb. est *nahar*. Quatuor capita intelligit vnius fontis, vt hinc manantis vno alueo fluminis quatuor fluminis brachia. Vnum enim flumen mox quatuor de se riuos dedit.

Pison Hieronymus interpretatur Gangen Indiæ flu. Idem sequitur Eusebius, Ioseph. lib. 1. cap. 2. Antiquitatum dixit à Græcis vocari Getha. Nicephorus lib. 9 cap. 19. probabiliter ait Hyphasin esse. Iudæi ferè omnes Nilum intelligunt, pro quibus facit nominis ratio *pascha*, significat crescere, & extendere, quod facit Nilus irrigans Ægyptum. Significat etiam *paschetab* linum, cuius magna copia est ad Nilum, Esai. 19. & qui operatur in lino confundetur.

Gichon, latini Nilum interpretantur, qui Ægyptum & Æthiopiam circuit. Iudæi, præsertim Aben Ezra, ait flumen esse prope terram Israel. de quo 1. Reg. 1. & ducetis illum ad Gichō. Sed repugnat huic sententiæ, quòd Gichon illic sit locus intra vrbem Ierusalem, quo loco Solomon in Regem est euectus, quod non conuenit paradisi flumini, nomen enim habet à *nagach*, quòd magno impetu feratur & obuia quæque tāquam cornu ferire videatur. Iosephus quoque Nilum vertit lib. 4. cap. 2. Antiq. Græci appellant inquit, Nilum.

Chidekel Tigris ferè ab omnibus redditum, & septuaginta habēt Tigris. Iosephus inquit significare aliquid acutum & augustum. R S. verò rationem nominis hanc reddit quia aquæ illius sint, *chadim vekolim* hoc est, claræ & leues.

Prath sine controuersia est Euphrates Assyriæ fluuius. 70. εὐφράτης, quasi dicat euphrat, huperat, iste est prat. hinc ex duabus dictionibus coaluit nomen, apud Græcos & Latinos Euphrates. Iosephus interpretatur florem vel dispersionem.

De his paradisi aquis, varias excogitarūt allegorias, Hieronymus de baptismo aliquādo interpretatur. Alibi de quatuor Euangelistis, alias aliter, quod reliqui etiā faciunt interpretes.

Explicanda hic nobis etiam erat illa quæstio. In quémnam paradisum raptū se dicat Apostolus. 2. Cor. 12. & vnáne, an sint duæ distinctæ visiones? Id faciemus breuiter. Mihi placet sententia illa quæ de cœlesti paradiso locum accipit: nam illo, Heliam, Enochū, Mosem, aliosque sanctos viuere indubitanter credo. An sit verò locus in terris, vel aëris regione qui paradisi amœnitatem adhuc retineat, illícque viuat Helias & Enoch, incertum mihi est. Certius verò quod supra diximus, hortum illum cum omni terra diluuio vastatum. Hoc posito igitur locum Apostoli accipio de vna eadémque visione, vt idem illic sit tertium cœlum & paradisus. Interim non ignoro Epiphanij iudicium. Nam is contra Origenistas scribens, duas distinctas facit visiones, quod non vno sermonis compendio cœlum & paradisum coniunxerit, id quod inde probat quia Apostolus notanter addito dicit articulo εἰς τὸν παράδεισον: de Cœlo autem non ita sed simpliciter ἕως τρίτου οὐρανοῦ. Verùm mihi sanè nullum hoc videtur argumētum: imo ad causam potiùs facit, si dicas posterius lucem priorē afferre κατ' ἑρμήνειαν. Qui d. n. sit tertiū cœlū, notissima voce paradisi explicat. Ne autē terrenum somnies locum, Cœli nomen impedit. Itaque cœlestem paradisum accipio, & vnam visionem: & Apostoli narratio sic est attemperata, vt continua serie idem videatur repetere, &c. Sed finem hic dicendi tandem faciemus. De paradiso vide Basilium, & hymnum Aug. &c.

Quomodo intelligi debeat locus Apostoli de suo raptu in paradisum.

DE REGNO COELORUM.

LOCUS CLX.

SIGNIFICAT regnum cœlorum, sacris literis, interdum statum electorum post hanc vitam: in quo segregati nō solùm ab impiis hypocritis, sed repurgati ab omni peccato & affectu peccandi, ad plenum à Deo in cœlis regentur. Hinc regnum cœlorum, quod cœlesti modo perfectos ciues requirat, dicitur.

Variæ significationes regni cœlorum.

Deinde significat cœtum militantem in hac vita, qui mixtus est ex bonis & malis. Quod adūbrauit Christus similitudinibus agri scatentis lolio, reticuli dominici, in quo

cum bonis piscibus sordes sunt mixtæ. Dicitur hic cœtus regnum cœlorum & regnum Dei. Quia à Deo regitur, & cœlesti modo administratur spiritualiter. Præterea quòd hi qui in eum cœtũ transiuere, ad cœlestia aspirant, illa meditantur & docẽt alios, contẽptis mũdi negotiis.

Præterea significat tempus dispensationis nati Christi & coram mundo reuelati. Sic Ioannes clamauit dicens, *Pœnitentiam agite, in propinquo enim est regnum cœlorum*, hoc est, salutare illud tempus, in quo natus filius Dei mundo debuit innotescere, in quo vera salutis ratio & iustificationis doceri debuit.

Est etiam regnum cœlorũ doctrina & prædicatio Euãgelij, cuius beneficio homines ad Dei cognitionem & veritatis perueniunt. Eius vis & natura declaratur per parabolam sinapis & fermenti Euangelici.

Est & ipsa Dei cognitio regnum Dei appellata in parabola thesauri absconditi in agro, cuius gratia homo vendit omnia quæ habet.

Denique externa professio Christianismi dicitur regnum cœlorum, vel regnum Dei. Vt, regnum Dei non est in cibo & potu.

Quid sit. Ex his constat non vnam huic loco asignari posse definitionem: sed pro significationis diuersitate, aliis atque aliis modis rem esse describendam. Ad secundam notationem hæc pertinet definitio. Regnum cœlorum est Ecclesia Christi in hoc seculo mixta bonis & malis, ad finem vsque mundi durãs propter salutẽ electorũ. Definitio satis est illustris. Nã de causis nos admonet: nec obscurè ẽt partes proponit. De diuisione priùs dicamus: inde causas expedem*.

Diuisio. Regnum cœlorum de quo nobis sermo est, duplex est in vniuersum. Aut enim est ipsa Dei Ecclesia, seu populus Dei aut est eidem populo inseruiẽs Dei donum. Prius, hoc est, Ecclesia, duplex est. Nam purum est hoc regnum vel impurum. Purum est & verè cœleste post hanc vitam in vita beata, in qua de facie ad faciem Deum videbimus & agnoscemus. Impurum aũt in hoc seculo oberrat hoc regnum, ac impurum quidem non propter se: sed aliud. Nam quia mixtos habet hypocritas, quemadmodum ager dominicus habet æra, habet zizanias, & quẽadmodum sagena Euangelica habet sordes: ita hic cœtus impurus dicitur. Deinde quia ipsi fideles nondum sunt ad plenum defecati, nondum affectibus liberati: sed cum carne & sanguine indies luctantur, rectè impurum, hoc est, nondum purum dicitur, regnum hoc.

Posterius verò, hoc est, regnum, vt est Dei donum eidem Ecclesiæ inseruiẽs, quod complectitur reliqua significata, vt est Dei cognitio, prædicatio veritatis, manifestatio filij Dei, & externa fidelium professio.

Bonis & malis cõstat militans Ecclesia, & cur. Admonet autem nos definitio hunc cœtum militantem ex duabus cõstare partibus. Nam cùm mixtum sit regnũ ex diuersis nec vnius generis, misceri est necessum. Cœtus ex solis bonis constans mixtus dici non potest: sic malignantiũ Ecclesia solos malos continẽs purè mala est, nec dicitur rectè mixta. Boni igitur & mali in hoc regno simul continentur. Cur velit bonos extare in eo, parata ratio est. Ad hos .n. regnũ cœlorum perfectum spectat, cùm sint hęredes cœlestium bonorum. Quare in his terris eos colligi vult, & specimen dare futuræ integritatis sub spe & patientia. Cur verò malos velit esse, ratio est, vt extẽt exempla iræ. Cur autem eosdem commixtos velit esse, & non potiùs separatim, vt in futura vita, ratio est, vt sint exercitia fidei & inuocationis, vt discant pij agnoscere debilitatem suam, vt ęstiment magnitudinem beneficiorum Dei, & meriti Christi, quæ singula discunt, dum cum malis quotidie ipsis est confligendum.

Causæ. Expedamus causas huius regni. Efficiens regni cœlorũ causa est Deus trinus & vnus. Deus pater vt conditor, Filius Christus vt redemptor & administrator, Spiritus sanctus vt consolator & gubernator ciuiũ regni huius. Accedunt causæ organicæ & adiuuantes, boni ministri, qui docendo regnum hoc dilatant. Sic Paulus ad Illyricum vsque dilatauit, Bartholomęus ad Ægyptios, Thomas ad Indos, alij ad alias nationes. Nam post ascẽsionem Domini apparet Apostolos mansisse in Iudæa ad annos fermè 12. quo tempore inter Iudæos ad plenum est propagatum regnum cœlorum, vt excusari illius tẽporis Iudæi non possint. Deinde facta dispersione Apostolorũ 15. Iulij, vt perhibent historię, alij aliò migrarunt. Lazarus resuscitatus dicitur docuisse Massilię. Nathanael apud Bituriges in Gallia. Trophimus Arelati in Narbonensi Gallia. Clemẽs apud Mediomatrices. In Germania dicũtur docuisse Marcus Pauli discipulus, Argentinæ & Coloniæ: Crescens, Moguntiæ, Lucius Cyreneus, Simonis illius qui Christo portauit crucem, filius, ad Danubium diuulgauit Euangelium in Augusta Tiberina, *zu Regenspurg*. Sic ex Eusebio & Auentino docti colligunt. Et quia regnum hoc mixtũ est, vtile fuerit etiam obseruare quomodo satan sua zizania propagare soleat. Nã ad organicas causas etiã illa pertinet consideratio. Et in Euangelica parabola non solùm est ἄνθρωπος ὁ σπείρων bonum semen: sed inducitur etiam ὁ ἐχθρός, qui nocte serit malignas & nocentes herbas. In quo operæpretium sit obseruare inimicum vigilantem esse & occupatum, dum domestici patrisfamilias dormiunt: admonemur satanam nullas occasiones negligere: contrà, bonos multa deperdere sua negligentia, dum non satis sunt circumspecti & cauti.

Forma. Ad formam pertinet Regni illius communis fortuna, qua conseruatur & crescit bonum & malum semen, impar successus est, malorum seges fortunatior videtur. Nã inter discipulos

paucos

paucos constitit hoc regnum ad tẽpus,& inter eos tamen admodum infirmos, adde his proditorem commixtum. Deinde propagato vtcunque regno, statim vnà subortæ sunt hæreses & mille sectæ: accessit demum hypocrisis malum nocentissimum, & studium dominandi in Ecclesia, rixa de primatu. Hinc fulmina excommunicationis, licentia statuendi, abrogandi, indulgendi, aliáque infinita, quæ contemplanti Ecclesiæ faciem & statum facilè occurrunt. Manet tamen inter tot noxias herbas triticum, & durat ad tempus messis, in quo varia est catastrophe, ad veram formam pertinens.

Materia huius regni ex duplici genere ciuium constat, alij simulati & titulo tenus. Nã qui aperti sunt hostes & nomẽ Christi respuũt, membra etiã nõ sunt externi huius cœtus. Ideam huius rei expressit dominus in parabola zizaniorũ. Itẽ parabola verriculi. Itẽ in natura terræ quadruplici. Nam ager bonus est, qui triticũ vt excepit, ita profert vbertim: sed est & solũ lapidosum & petricosum, vbi semen radices non põt agere. Est & spinosum aliud, in quo suffocatur semẽ bonum, denique via attritũ, vbi volucres diripiunt semina. Sic fit tãdem, vt quartum semen bonũ consequatur solũ. Zizania reliquũ occupauit, spinæ & sentes, lapides & petræ. Spinæ hæreses sunt, Zizania improbi mores & vita, petræ corda indurata pertinacia animi, & durities mentis, quæ nescit locum veritati dare. Primi generis sunt sectæ omnium seculorum, quæ pietatis prætextu vtuntur, vt Arrius, Eutyches, & nostro seculo Catabaptistarum doctores & choriphæi. Alterius generis sunt Athei, Epicurei sub titulo nominis Christi viuentes. Tertij autem indurati & reprobi, in spiritum Sanctum peccantes. Materia. Explicatio parabolæ de semine, Matt.13.

Finis. Cõsiderari debet Regni cœlorum finis. Primùm cur talem statum huius regni Deus velit esse & manere in mundo. Deinde quis sit tandem exitus eius.

1. Scopus cuius respectu Deus vult Ecclesiam sic esse mixtam, est, vt simus vigilantiores cognito hoste. Ideóque tanta diligentia exprimitur inimicus homo, eius studium in ferendo, fœlicitas lolij crescentis, admiratio domesticorum, sententia patrisfamilias dicentis, *inimicus homo id fecit*, Cognoscendus ergo nobis non solùm diligenter hostis ille: sed insuper vigilanter nobis est cauendus & impediendi conatus illius sedulò.

Deinde vt agnoscamus Ecclesiæ conditionem & statum in hoc mundo. Militantis est & in statione & excubiis indies perdurantis.

Tertiò facit eò etiam, vt agnoscas φιλανθρωπίαν Dei, qui in gratiam modici tritici parcit etiam infinitis zizaniis. Discant homines agnoscere, cuius beneficio & gratia perdurent. In vnius boni viri gratiam Deus infinitis malis parcit. De improbis cecinit Hesiodus. Πολλάκι δὲ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. Sæpe vniuersa ciuitas malum ob virum punitur. Sic cõtrà pietas nos docet ob virum bonum, vel vnum, seruari innumeros. Historia Sodomorum docet ob paucos totam multitudinem seruari potuisse. Daniel in Babylone, Ioseph in Ægypto, bona pars sunt conseruatorum regnorum illorum.

4. Facit etiam eò, vt discamus quàm simus ὀλιγόπιστοι, quàm facilè nos transuersos agat Satan, nisi Dominus nos sua manu subleuet & tueatur.

Obseruare etiam licet hîc progressum in diuersis & pugnantibus partibus. Vtrisque propositum est crescere & promouere sua. In bonis crescit spes, fides, tolerantia in afflictionibus, consolatio in defensione: in malis audacia, temeritas, sectæ, scelera, odium contra bonos, studium opprimendi, insultatio, contumelia. Effecta.

Verùm cõsolatione plenus est finis, hoc est, exitus rei. Is est collectio zizaniorum, paratur ignis, iniiciuntur, concremãtur. Boni autem colliguntur in horreum domini. Illa tanquã vasa iræ: hi vt vasa gloriæ. Huc facit filij hominis sententia, & vox in nouissimo iudicio, *Venite vos, abite vos*, &c.

Cognata sunt. 1. Miscella ista bonorum & malorum in eodẽ cœtu. 2. satanæ doctrina sparsa per sua organa & pessima exempla morum. 3. doctrina Christi docens facienda, & prohibens contraria, mõstrat illa zizania, & vitare docet. 4. dormiunt homines & ministri vt plurimùm. Sic locum inimico dant. 5. corruptelis quidem postea condolent doctores: sed nimiùm serò. 6. longanimitas domini præcipientis ne vi corporali ante tẽpus tollantur è medio zizania. Locus dandus est, vt impleant mensuram iniquitatis mali. Cognata

Pugnantia. In hoc regni statu tria sunt præcipuè pugnantia. Pugnãtia

Primùm cum natura eius pugnat, puram fingere Ecclesiam in hoc mundo. Quod dogma quidam ex Catabaptistis tutati sunt, & adhuc aliqui tuentur. Id fieri non posse status regni huius declarat, nec cogitandum nobis, cùm Dei ordini repugnet.

Secundò, qui dissolutè viuunt quoque pugnant cum hoc regni statu. Non vult enim Deus nos dormire, cùm hosti inde detur occasio seminandi mala.

Tertiò repugnant huic statui quoque illorum studium, & curiosa solicitudo qui cupiunt & consultant, suadéntque euellere noxias herbas immaturè, quales sunt qui vi & armis vtuntur non in loco, &c.

DE PVRGATORIO.

LOCVS CLXI.

DE Purgatorio acturi,hoc ordine rem tractabimus. Primùm quid dicant Purgatorium esse.Deinde vbi sit collocatum. Tertiò quomodo ex sacris literis confirmetur.Quartò quàm commodè affirmetur ex philosophorũ & poëtarum placitis.Demum quod tandem sit verum Christianorum hominum Purgatorium, quo expiant culpam & pœnam plenariè. Ita tandem constabit quàm malè hactenus de eo disputatum & traditum sit in scholis & Ecclesia.

Quid sit. Ac quod rem concernit,Purgatorium aiũt esse locum medium inter ęternam fœlicitatem, & supplicium damnatorum,in quo qui sint,sunt extremi vtriusque participes. Ita quidem tria distincta nobis proponunt loca,cœlum,inferos,& inter hæc,medium Purgatorium.

2. Alij dicunt:Est satisfactio , quæ post mortem à defunctorum animis pro peccato penditur.Hi non tàm locũ describunt,quàm vtilitatem illius. Nam duplicem constituunt satisfactionem,vnam in hac vita:alteram post hanc vitam in Purgatorio.

Summa Angelica inquit,est pœna grauissima,minor tamen,quàm infernalis.opinor pœna illi dicitur,quia non pro culpa,sed pro pœna diluenda tantùm est institutum.

Prima definitio eò mala est,quia tria constituit loca, cùm sacræ literæ tãtùm cœlos norint & infernum,post hanc vitam,dextrum & sinistrum : quemadmodum totum mortalium cœtum in hœdos & oues partitur. Matth. 25. sinistris & dextris solum loquitur Rex ille gloriæ , & virgines solùm prudentes & stolidæ sunt. Ager dominicus solùm zizaniam & triticum fert:rete euangelicũ,bonos & malos pisces,nullos intermedios capit.Non debuit igitur locus tertius induci sine certo Dei verbo.Quod quàm vere dicatur, audi Augustinũ disserentẽ cõtra Pelagianos lib.5.Tertiũ locũ ignoramus penitùs,imò nec esse in scripturis sanctis inuenimus.Finge Pelagiane locũ ex officina dogmatis tui,vbi alieni à Christi gratia,vitã requiei & gloriæ possidere paruuli possint.Pelagianos euertit,quòd malè negarẽt infantibus baptismum,quia tertius nullus dari potest locus inter cœlum & inferos post hanc vitam. Pari argumento exploditur Purgatorium : quia tertius non est locus inter vitam beatam, & damnationem.

(Aug. purgatoriũ ignorauit)

Altera definitio eò mala est,quia satisfactionem transfert in futurum seculũ:seu post mortem defunctorum.Primùm enim tempus gratiæ solùm in hac est vita , iuxta Apostoli sententiam,Gal.6.*Dum tempus habemus operemur bonum*:quod D.Hieron.explicans ait, tẽpus sementis,tempus est præsens,& vita quã currimus:in hac licet nobis quod volumus seminare, cùm ista vita transierit,operandi tempus aufertur.Et Augustinus,In futuro solum est remuneratio & condemnatio:hic autem soluuntur aut ligantur peccata Et Cyprianus expressè inquit quando hinc excessum fuerit, nullus pœnitentiæ locus , nullus satisfactionis effectus relinquitur.Et Christus hoc ipsum docet exemplo latronis cui dicit , *Hodie mecum eris in Paradiso*.& Ioan.5.ait,*Qui credit in eum,&c.de morte transit in vitam*.

(2.Definitio refutatur. Tempus gratię est solum in hac vita. Pia Cypriani sententia.)

Statuamus ergo,bonos hinc transire ad vitam æternã,malos contrà,ad damnationẽ æternam:nec esse vllum locum pœnitentiæ,postquam semel mortui fuerimus. Præterea nocẽs est illa opinio,cùm homines securos faciat,quasi post mortẽ pœnitentiã agere possint, etiã si in hac vita illam negligãt. Tertia definitio perniciosa est,quia culpã hic solùm remitti affirmat: pœnas autem elui in Purgatorio:sic autẽ meritũ Christi imperfectũ est:& Deus,cùm peccatorem recipit in gratiam:non solùm culpã,sed pœnam remittit.Contrà illi culpã condonari: aiũt:sed pœnas soluendas in Purgatorio.Accedit illud quòd ne ipsi,in hac doctrina persistũt. Nam vtvt dicant pœnas in Purgatorio tantùm deleri: tamen affirmãt satisfactionem Purgatorij interdum valere etiam contra peccata mortalia,quæ omnia euacuant Christi meritum.

II. Audiamus etiam vbi tãdem collocatum sit illud Purgatorium. Thomas collocat illud in visceribus terræ proximè infernum:idem alij multi faciunt:opinor, vt meliùs curari à malis spiritibus possit.

(Vbi collocent papistæ suũ purgatorium.)

Alcuius autem quidam monachus in aëre affirmat esse,& ita diffusum,vt omnes etiã sanctissimi per id transire debeant,priusquam cœlos intrent.In qua sentẽtia magna est impietas. Nam ipsi martyres eximunt è Purgatorio,non potest igitur illic esse,nec oportet sanctissimis illa retia tendere,& de Christo quid dicet Alc.Ascensurus cœlos in illudne incidit?at peccatoribus est constructum,qui cum in Christo nulla habeant vestigia,quomodo absurdum imò impium non est illuc transferre Purgatorium?

Antoninus & alij nonnulli de loco dubitant,& rectè quidem:ideóque vocãt quoddã Purgatorium extraordinariæ locationis.Nam duplex illi comminiscuntur: aliud commune omnium:aliud extraordinarium:quod scil.Deus pro clementia sua designat aliis inde:vt alios in aquis,alios in glacie,alios in igni:quosdã in balneis,alios in stabulis,alios alibi ad certos purgari

gari dies. In horum sententias si inquiras, solùm audies apparitiones quibus totum hoc confirmatur. Quare totum hoc relinquatur suis authoribus: & quia ipsi etiam de loco eius dubitant, nullum esse sciamus. Non enim res tanta, in tanta hæreret obscuritate. Fabulosa opinio purgatorij.

III. Reliquum est vt expendamus loca scripturæ, ex quibus id esse confirmant. Quibus argumentis suum purgatorium cõfirment.

Primùm Lucæ verba cap. 12. pro se rapiunt. *Da operam vt libereris ab aduersario tuo in via, ne protrahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, exactor conijciat te in carcerem, dico tibi non exibis inde, donec vltimum etiam minutum reddas.*

R. Primùm verba per se nullam faciunt mentionem Purgatorij: neque enim ignis, nec Purgatorij hic vllam audis mentionem: sed de studio impendendo, vt libereris ab aduersario in via, priusquam ad iudicem sit deuentum. ac proponit grauissima pericula, quæ metuenda sunt, iuris aleam subituro: ex quo nihil aliud sequitur, quàm oportere concordiæ esse studiosos & pacis & reconciliationis amantes: quod sanè studiũ eò magis à piis requiritur, cùm id sit necessarium in ciuilibus causis: dubia enim est iuris alea vt belli. Bona causa sæpius opprimitur, contrahes infamiam, dolores, amittes sortem, & mulctam & alia multa quæ poteras in via cum aduersario componere, mitius potest is de sorte & summa aliquid condonare, quod iudex non faciet, vitabis mulctam & carceres, quæ irrogantur victo: da ergo operam vt amicè transigas: hic genuinus & literalis sensus, nihil ad Purgatorium facit.

Sed excipiunt per allegoriam accipienda esse de Purgatorio. Consideremus igitur, an possint allegoricῶς sic intelligi. Primùm Christus hic per parabolas nõ loquutur, sed aperto dicendi genere, hortatur suos ad studium reconciliationis. Deinde si nobis placet affingere allegoriam, oportet illam esse perspicuam, & cum verbis Christi minimè pugnare. Esto enim aduersarius sit Satan, carcer sit Purgatorium, minutum vltimum, si satisfactio, vide quàm malè cohæreant. Christus iubet operam dare vt liberemur hic ab aduersario, hoc est, Satana, & apud Mat. 5. iubet operam dare vt liberemur hic ab aduersario, hoc est, Satana & apud Mat. 5. iubet vt simus illi beneuoli: oportebit ergo nos beneuolos esse Satanæ, & sic ab eo liberabimur in via, hoc est, in præsenti vita: & quis vnquam reconciliationem cum Satana docuit? nulla enim cognatio Christo cum Belial. Deinde cùm peruentum est in carcerem, non exibis donec soluas, τὸ λεπτὸν τὸ ἔσχατον. postulat solutionem à quouis sui debiti: non admittit alterius satisfactionem, non ergo de Purgatorio intelligi cõmodè possunt. Tertiò abutũtur phrasi scripturæ in hac allegoria. Nam cùm præscindat omnem veniæ spem, *Non exibis inde, donec solueris* τὸ ἔσχατον λεπτόν, inferunt, ergo solui potest, & egressus est sperandus: cum potiùs concludat: ergo non solui potest, nec patet egressus, quia semper soluẽdum est, & exolui nunquã potest. Apud Matt. cap. 1. de Ioseph & Maria dicebatur, Et nõ cognouit eam donec peperisset filium suum primogenitum. ἕως ἄν, ita hic ἕως οὗ, donec. Heluid. inferebat, ergo posteà cognouit eã, ita hi inferũt, ergo posteà solutio erit & egressus: sed falluntur. Vt enim illic perpetua Mariæ virginitas manet integra: ita hic perpetua manet debiti solutio, sine spe egrediẽdi: frustra igitur hinc construunt Purgatoriũ. Sed & hoc pugnãs hic afferũt in hac allegoria. Christus expressè hic loquitur de culpa. Nam qui in causa succumbit, & est inferior, is solet mancipari carceribus: at Purgatorium pro culpa non satisfacit, sed pro pœna solum: & qui moriũtur, cũ spe, & in fide decedere debent, quòd sit illius remissa culpa: aliàs non possunt spem de salute habere. Quare coacta est allegoria, malè cohærens cum verbis, ex quibus sumitur: pessimè etiam accommodata præsenti quæstioni. Hoc animaduertens Augustinus interpretatur hunc locũ, donec solueris eodem pacto, vt illum Mat. 1. *donec peperit*, hoc est, nũquam exibis: ac de pœnis æternis loqui Christum affirmat.

Nõ est allegoria.

Arguta collectio

Donec sæpe pro nũquam accipitur.

D. Hierony. etiam allegoricum sensum hic repudiat, & interpretatur locum de concordia seruãda in hac vita. Et Beda (citante Aquinate) interpretatur carcerem, infernum, vbi nulla est liberatio: cuius verba sunt. Vbi, quia semper soluere pœnas patiendo, sed nunquam persoluendo, veniam consequi non poterit, nunquam inde exibit: sed cum terribilissimo serpẽte diabolo perpetuas pœnas luet. Dubia igitur est allegoria: quibus omnibus addimus hunc colophonem: allegoriam etiam perspicuam nihil probare: decet enim perspicua habere verba in constituendis confirmationibus dogmatum.

2. Matth. 12. & Luc. 12. Christus agens de peccato in Spiritum sanctum, irremissibile illud facit in hoc & futuro seculo. Ex eo cõcludũt: sunt ergo alia peccata remissibilia hic & in futuro seculo. Sed quàm malè id sequatur, perspici potest ita. Est quoddam peccatũ hic & illic irremissibile: ergo est etiã quoddã hic & illic remissibile. Consequens quia nulla connexione necessaria cohæret, & conuersio etiam mala cùm sit, nihil faciunt: sed locus apud Lucã simpliciter sine distributione habet, *Non remittetur ei*: quæ verba αὐθεντικῶς Matthæus explicuit distributione facta, neque hic, neque in futuro seculo: quasi dicat, alia peccata remittuntur hìc, vt peccatum in filium hominis: vt illud ne hic quidem: consequens ergo est, nec in futuro remitti. Si enim leuiora hic remitterentur, grauiora autem illic possent remitti, superesset aliqua spes malis: at contrà sequitur: hìc solùm alia remittuntur peccata, illud autem grauissimum peccatum in Spiritum sanctum, non solùm hic non remittitur, sed nec illic quidem: ergo caueri eò diligentiùs debet.

Absurda collectio scholasticorum.

3. Luc.16.de Lazaro & diuite historia est,ex qua Purgatorium construūt. Verùm apertè illud tollit,nam duo tātum agnoscit loca,sinum Abrahæ,in quo Lazarus est,& infernū,in quo diues torquetur:nullus est medius locus,nisi χάσμα quoddam , in quo nullæ sunt animæ: sed est διάστημα solùm,vt nulli pateat transitus.Inane igitur erit Purgatorium. Deinde diuiti negatur omnis expiatio,omne auxilium ab Abrahamo & Lazaro.Præterea,diuespro se, aut pro mortuis,nulla petit officia,sed pro viuis solùm est sollicitus: quæ omnia Purgatorio repugnant.Adde quòd solùm parabolica sit narratio,nō historia:sed etiamsi des historiā esse,nihil iuuat Purgatorium.D.Iustinus Martyr ex historia illa.Luc.16. colligit doctrinam Purgatorio planè pugnantem:quòd scil. hominibus non sit speranda aliqua redemptio , postquam semel hinc emigrauerint.Nam quæstione 60.cùm moueretur illud, quomodo singuli in sua forma essent resurrecturi?Iustinus certas assignat causas,ac tandem ita concludit, doctrinam hanc haberi,τοῦ μὴ δύνασθαι μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον τῆς ψυχῆς κατὰ πρόνοιαν τινὰ, ἢ σπουδὴν ὠφελείας τινὸς τυχεῖν τοὺς ἀνθρώπους:postquàm anima ex corpore excesserit, nulla cura studiore posse homines commodum vllum consequi:quæ sanè genuina & vera est loci illius sententia.

Iustini Martyris pia cōtra Purgatorium sententia.

4. Sequitur locus 1.Cor.3.*si cuius opus exustum fuit, damnum patietur,ipse autem saluus fiet,sed tanquam per ignem.*

Respond.Certum est allegoricè hìc ignem poni, cùm priùs de doctrina ministrorum esset locutus per allegoriam ædificantium,& superstruentium aurum,argentū, pretiosos lapides, lignum,stipulā,&c.quæ omnia ad diuersas doctrinas retulit.Quare examen & probatio doctrinarum hic ignis erit.Restat igitur nihil directè hinc inferri posse pro Purgatorio constituēdo.Ac quod attinet ad interpretationem loci illius,verum quidē est alios aliū hic intelligere ignem,tamen sensum literæ video esse de examine doctrinarum.q.d.nō est satis nobis, placere nostra dogmata,aut etiam hominibus arridere:sed esse necessum,vt censuram diuini iudicij etiam ferre possint. Ac certum est. q.d. Augustinus hunc ignem communem debere esse bonis & malis.ideóq; Purgatorius ille esse non potest:minùs gehennæ ignis vt vult Chrysostomus.nam dura est & coacta interpretatio,ipse autem saluus erit,hoc est,in gehennæ tormentis nonconsumitur,sed manet saluus quo ad esse,sed pœnis semper cruciatur.Apostolus enim vult dicere quosdā superstruere fundamento posito,quod est Christus,paleas & stipulas,hoc est,aliena à veritate,quæ censuram iudicij diuini non possunt ferre.ideóque illa exurentur per ignem illum diuini iudicij.Ipse autem minister seu doctor non dānabitur propterea,quia mansit in fundamento,Christo,opus autē suum videbit exuri.quia humanitùs quędam affinxit,& saluabitur quasi per ignem,hoc est,pudorem iustum,quòd videt sua damnari,& errore se ductū,alios eadē docuisse.Augustinus lib.21.deCiuit.Dei,c.16.affert huius loci quadruplicē explicationē.Primùm per ignem hunc intelligi posse præsentes afflictiones& dolores,quos capiunt homines ex amissione bonorum,quæ tamen nomine Christi deserunt, licet dolenter:qui dolor non malè dicitur ignis.2.de igni diei Domini,qui per ignem reuelabitur:in quo boni persistent,videbunt autem multa exuri & damnari,quæ approbarunt.3.de intermedio tēpore à morte,vsque ad nouissimū iudiciū,quo tēpore,quædam delicta puniantur,sed dubitanter eā proponi,inquiens,non redarguo , quia forsan verū est.4.de Antichristi tribulationibus,cuius tempora bonos probabunt,tanquam ignis ardētissimus.In hac opinionum varietate hoc seruādum iubet,vt ignem intelligamus hic,bonis & malis cōmunem: qui est vt diximus censura diuini examinis,quo doctrina ministrorum probatur aut dānatur.

Vera & Germana interpretatio loci Apost.

Quadruplex explicatio eiusdem loci ex August.

5. Apocal.14.*Beati mortui,qui in Domino moriuntur,nunc & iam dixit spiritus , vt requiescant à laboribus suis,opera autem illorum sequuntur eos.*Locus hic totus de felicitate piorum loquitur, qui in Domino moriuntur,sed quid hinc ad purgationem faciet ? Excipiunt quia opera illorum sequuntur illos,hoc est,quæ alij pro illis faciunt,quasi hoc sit sequi opera illorum. Bonos sua sequuntur opera,dum obtinent quod sperarunt , & assequūtur pro quo tot ærumnas pertulere : quales sunt pij martyres qui sanguinem pro Christo effudere , hos sequuntur sua opera,hoc est,non frustra laborarunt,non in vanum cucurrerunt.

6. Philip.2.*In nomine Iesu omne genu se flectat,cælestium & terrestrium,ac inferorum,* quasi hic ternarius flectentium genua non possit subsistere nisi detur Purgatorium.flectunt genua Christo cœlestes Spiritus & sancti in vita æterna : idem faciunt pij in terra adorantes Christum:idem facient Satan & damnati spiritus cum impiis omnibus in nouissimo iudicio, non quidem adorantes Christum,sed agnoscentes iudicem:credunt enim & contremiscunt, hoc est,non colunt Christum,quem tamen coguntur fateri filium Dei,& iudicem suum,&c.Reliqua noui Testamenti loca eadem facilitate explicari possunt,vt planè perspicuum sit , nihil præsidij hinc redire ad defensores Purgatorij.

Alia obiectio Papistica. Respōsio

Videamus si quid ex veteri Testamento præsidij habeant. Primùm vt ex nouo Testamento accommodant,quæ speciem habent aliquam,sic veteris Testamenti præsidio aperto destituti,applicant quæ vtcunque speciem aliquam habere videntur.

1. Psal.66.*per ignem & aquam transiuimus.* Loquitur Psalmus de afflictionibus populi Dei, ex quibus tandem eos liberauit,& in terram sanctam duxit:quæ afflictiones etiā de Ecclesia & omnibus piis possunt intelligi: sed quæ est necessitas ignem & aquā hìc de Purgatorio intelli-

Loci scripturæ veteris Testamenti

telligere? certè res sunt pugnantes ignis & aqua: ideóque de eodē subiecto intelligi non possunt. Præterea ignis est afflictionum in hac terra, nihil ergo ad Purgatorium.

2. Zach. 9. mentio fit putei in quo non sit aqua, lacus sine aqua. Lacus iste à quibusdam est infernus, ex quo sumus sanguine Christi redēpti. Qui purgatorio fauent de limbo patrum intelligunt, in quo etiam fuerit diues ille cum Abrahamo colloquens, Luc. 16.

qui bus abutūtur Papistæ pro confirmatione supurgatorij.

Verba Zach. sunt, *Etiam tu in sanguine testamenti tui dimisisti vinctos tuos, de lacu in quo non est aqua.* Iudæi quidem sanguinem testamenti intelligunt sanguinem circumcisionis: alij fœdus in monte Sina initum & cōfirmatum sanguine animalium. Ita dimisit Deus vinctos suos, hoc est, Iudæos ex Ægypto, quæ lacus est, in quo non erat aqua.

Verùm quia cum Christianis nobis est res: sanguinem testamenti opinor nō intelligent alium, quàm Christi sanguinem, quem effudit in salutem omniū credentium: nā aperta est prophetia de Christo: In hoc ergo sanguine dimisit vinctos suos, hoc est, electos, de lacu in quo non erat aqua. h. e. de potestate Satanæ. Nam statum mortalium afflictum per similitudinem explicat. Qui in Orientalibus regionibus fuere, testantur adhuc foueas haberi & cisternas aridas quibus detinentur captiui. dicit ergo nos calamitosos fuisse & miseros seruos diaboli, qui nos mancipia habuerit non aliter, ac si quis in lacu detineat captiuos, & ex tyrannide nos liberabit suo sanguine Filius Dei. Magna autem impietas est hanc gloriam redemptionis à Christo ad purgatorium transferre, ex quo non sanguine Christi, sed satisfactionibus hominum animæ finguntur liberari, &c. Tertium est ex Tobia. 4. *panem tuum, & vinum tuum, super sepulturam iusti constitue*, vt scil pauperes inde refecti, pro defuncti salute Deum deprecētur. Poterat simpliciter argumentum reiici, quia sumitur ex libro, qui est extra canonem. Notum autem est, oportere ex canonica scriptura peti testimonia ad probandum aut confutandū aliquod dogma religionis. Tamen eo omisso, videbimus quam malè eo testimonio vtantur. Primùm Tobias pater vir sanctus instruit filium in pietate, quam à patribus hauserat, & nusquā reperiuntur patres veteris Testamenti meminisse purgatorij in funeribus aut luctu pro mortuis, non potuit igitur de eo filium suum hic instituere: deinde verba hoc non sonant. Textus ita habet, Non sit durum in oculis tuis panem tuum & vinum tuū effundere super sepulchra iustorum *gnal kibre tsedakim*: quòd igitur de suo addūt, vt pauperes inde refecti, pro defuncti salute Deum deprecētur, vanū est & alienum à scopo Tobiæ. Sed hoc vult, filium exemplum paternum imitari, non solùm in facienda eleemosyna, sed in sepeliendis clam occisis bonis viris: quos pater solebat noctu sepelire ipse, vel per alios curari vt suis sumptibus sepelirentur, vt cōstat ex c. 1. Effundere igitur panem & vinum super sepulturam iustorum, est sumptus facere, ne insepulti maneant, quod tum fiebat in Niniue. Præterea impij Iudæi hoc ipsum sic interpretabantur, vt est cap. 2. deridebant enim ipsum etiam cognati sui. Iste nō sollicitus est pro anima sua, quia adhuc sepelit mortuos. Contra hanc ignominiam munit filium, ne patiatur sese deterreri vel metu Assyriorum, vel subsannatione malorum Iudæorū, sed pergat patris imitari exemplum. ideóque rectè inquit, Ne tibi durum videatur. habebat enim metum periculi & ruborem ex subsannatione suorum aduersa, & quòd ait super sepulturam iustorū: notum est Hebræis *gnal* significare in gratiam aliquid fieri: ac si dicat non sit tibi durum in gratiam sepulturæ iustorum sumptus facere, dare panem & vinum vt sepeliantur.

Impietas Papisticæ doctrinæ

Quo sensu Tobias filio præceperit vt panem & vinū effunderet super sepulchra iustorum

Alij iustos intelligunt pauperes viuentes, vt sit sensus, da panem & vinum vt à sepulchro præserues eos, ne fame pereant: nam si non paueris, videberis occidisse. Sed ne sic quicquam hinc Purgatoria habebunt patrocinij. Et hanc posteriorem sententiam expressè Græci innuunt: verterunt enim sic ἔκχεον τοὺς ἄρτους σοῦ ἐπὶ τὸν τάφον τῶν δικαίων, καὶ μὴ δὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς, effunde panes tuos supra sepulchrum iustorū, & ne des peccatoribus, significantes eleemosynam dandam bonis, non impiis.

Quartò superest locus 2. Machab. 12. de Iuda Machabæo, qui Ierosolymā mittit duo millia drachmarū pro defunctorū memoria faciēda. Respondemus his quod solēt iurisconsulti dicere. *Rerum veritas non debet erroribus gestorum vitiari.* Et quia hic locus rem cōmendat quæ cum scriptura pugnat, meritò irritus censeri debet. Porrò de resurrectione simpliciter loquitur, quæ res illi videtur occasionem dedisse missionis illius. Nā apud interfectos reperit argumēta idololatriæ, quam rem ægrè tulit, sed de salute illorum non desperauit, tamen vt viuos ab illo scelere expiaret & testaretur displicere illis defunctorū idololatriam, munus illud misisse videtur, quod author historiæ postea detorsit ad satisfactionem peccati illorum. Verùm quia liber est extra canonem, & speciale habet factum, cuius nō extat exemplum in sacris literis, meritò repudiatur. Diximus de præcipuis locis quæ ex scriptura solēt adducere ad confirmādum Purgatorium. Præter scripturas, habent patres, qui idem concedunt, imò ad credēdum vrgent. de quibus paucula præsertim de Augustino, quæ hic lacerant: de reliquis nolo in præsentia quicquam dicere, quam, *Veritati consuetudinem non præiudicare.*

Respōsio ad locum ab exēplo Iudæ Machab. desumptu.

Augustinus quidem aliquoties id affirmat: vt de Gen. contra Manich. lib. 2. cap. 20. & de vera & falsa pœnit. cap. 18. vbi & de grauitate ignis illius disserit, & lib. 21. De Ciuit. ca. 23. affirmat quosdam pœnas temporales ferre post hanc vitam, & cap. 26. non redarguo, inquit, quia forsan verum est.

Argumēta scholasticorum ex patribus pro purgatorio.

Sed his locis & similibus opponendos censemus alios ex eodē Augustino, in quibus ipsum vel negat vel dubitanter inducit: vt lib. 5. contra Pelagianos. Tertiū locum ignoramus, inquit, imò nec esse in scripturis sanctis inuenimus: finge Pelagiane locū ex officina dogmatis tui.

Et in Enchirid. cap. 67. ait eos, qui diuturno non tamē æterno igni puniri tradūt quosdam, falli humana quadam beneuolentia: nam scriptura diuina aliud, consulta, respondet.

Et in quæst. vtriusque testamenti non dubitat dicere, in futuro solùm esse remunerationē & condemnationem: hic autem aut soluuntur aut ligantur peccata: sic dubitanter hanc quęstionem de Purgatorio infert in Enchirid. cap. 69. item de fide & operibus cap. 16. & in quæstione prima Dulcitij. tale aliquid post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrū ita sit quęri pōt. Ex quibus perspici potest dubitasse, & ipsum Augustinum, sed quia recēs erat quæstio & à multis acriter vrgebatur, aliàs concedit, aliàs dubitat: interdū causa ita postulante palàm negat. Et sanè apparet ante tempora Augustini planè fuisse ignoratum Purgatorium: sed quia veteres in exequiis habebant conuentus in quibus habebantur conciones, & orationes, fiebant eleemosynæ, & defunctis lætam comprecabantur resurrectionem, posteri malè hanc cō suetudinem ad preces pro defunctis applicarunt, quibus peior subsequens ætas orta est, quæ Purgatorium inde comminisceretur. Ac veteris illius consuetudinis manifestum est indiciū apud Papistas. Nam illi in officiis mortuorum, quę vigilias appellant, nullam faciunt mentionem Purgatorij, sed resurrectionis solum & magnitudinis peccatorum: *Libera me Domine*, canunt, *de morte illa æterna in die illa tremenda*, &c. & *de profundis libera me*, clamant, non ex Purgatorio, &c.

IIII. Sequitur vt alia firmamenta Purgatorij videamus. Ex sacris malè astruitur: & patres illi malè patrocinantur. Si res poëtis & Philosophis committeretur, pleniora haberi possent testimonia.

Poëtæ & philosophi purgatoriū fingunt.

Notum est plura fuisse καθαρισμῶν genera: homicidium purgabatur flumine bis septies abluendo: & Theseus post occisos Pallantis filios purgationis causa è Trœzeniis abiit. Et Adrastus ad Crœsum regem profugit, vt purgaretur à cæde. Pastor etiā oues solebat purgare, sulphure, herba sabina & lauro igne succensis, ac circum ouilia suffiebat, cúmque sacro carmine milio & libo cū lacte & sapa, Palideæ sacra faciebat. Romæ exercitus solebat purgari sue, oue & tauro. Hos & similes mores frequenter inuenias apud Ethnicos scriptores. Ac fiebat omnis purgatio vel per aërem, vel per ignem, vel aquam.

Sed vt ad nostra veniamus: Purgatorium optimè depictum habes apud Vergil. 6. Æneid. vbi Anchises ita loquitur,

Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitúsque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterúmque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes, exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus,
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem purúmque relinquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Quibus sanè non poterat meliùs exprimi ratio Purgatorij. Et Pindarus græcus Poeta in Olymp. 2. affirmat ter lustratos demum apud inferos peruenire ad Saturni illam vrbem in Beatorum insulis, quam Tyrsin vocari dicit.

Hinc Purgatorio vehementer fauerunt etiam Philosophi, in primis Pythagorici & Platonici. De Platone satis constat ex dialogo Phædone, & Axiocho, vbi defunctos peruenire scribit εἰς ἄδηλον τόπον καὶ ὑπόγειον, in locum inconspicuum & subterraneum, ac inde tandem fluminibus inferni purgari, priusquam perueniant in campos Elysios.

Ex quibus sanè constat Purgatorium nihil aliud esse, quàm poetarum & philosophorū figmentum: quibus hoc debent, eius defensores Christiani.


Interea verè pij suum habent Purgatoriū in sanguine Christi, qui sanguis, nostrū est Purgatorium. Vnica enim est satisfactio peccatis nostris, mors Christi, de qua rectè dicitur ad Heb. 1. δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. i. per se purgationem faciens nostrorum peccatorum & Heb. 9. æternam λύτρωσιν. i. redemptionem reperit & 1. Timo. 2. *semetipsum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus.* Hoc sufficiens est purgandi genus, vt non sit opus illo fabuloso.

Habent viri boni etiam sua Purgatoria in hac vita, ærumnas & ἀλγήματα, & fortasse alij Socraticam Xantippen, &c.

DE INFER-

DE INFERNO ET POENIS INFERNI.

LOCVS CLXII.


QVEM Latini infernum, Orcum & Auernum appellant: eum Græci ᾅδην vel ταρταρον: hebræi tophet scheol ghebinnom vocant.

Infernus dicitur quia infra sit, vt supernus qui supra, voluerunt enim inferos & superos non solum vitę conditione: sed locis habitaculis distinguere. Sic videtur Cic. adstruere, in terram enim cadétibus corporibus, hisque humo tectis, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Infernus

2. Orcus autem ab vrgendo, quia omnes ad mortem sollicitet & vrgeat, nisi placeat dici orcum quasi ὅρκον quia dij per hunc soliti fuerint iurare. Orcus.

3. Auernus, notus est ex historiis lacus Auernus in sinu Baiano, quem Cæsar repurgauit: aqua eius adeò grauem exhalante odorem, vt superuolantes aues necaret: nomen inde videri potest tractum esse, quia auibus sit aduersus. Inde pro inferno sumitur Latinis poëtis, vt est apud Vergil. Æneid. 6. *Facilis descensus Auerni, at reuocare gradum*, &c. Auernus

1. Apud Græcos ᾅδης dicitur infernus, in qua voce explicanda alij alias afferunt rationes. Plerisque dici placet, παρὰ τὸ μὴ ὁρᾶσθαι, quasi dicas ὃν οὐκ ἔστιν ἰδεῖν, etenim ἀόρατος rectè dici potest, quia est ἀφεγγής: hinc *sine Sole domus*. At fortè meliùs est, quòd mortuos oculis viuentium, subtrahit, & in occulto esse vult, quò facit Græca sententia, διὰ τὸ ἀφανεῖς ποιεῖν τοὺς ὑπὸ γῆν γενομένους, quia facit vt non appareant ij qui sunt sub terra. ᾅδης.

2. Aliis placet ab ἄω sumere, quod est πνέω, quasi viuentibus spiritum largiatur, aut fortasse, quia omnia mortis halitus perflat & perspirat.

3. Antiphrasin quidam in hac dictione obseruant, ἥδω notum est Græcis, hinc ἀΐδης: inde ᾅδης ἀντιφραστικῶς, ὅτι οὐδεὶς ἥδεται καὶ χαίρει, qua ratione & Charon nauta infernalis dicitur. ᾅδης igitur, hoc est, ἀΐδης, dicitur, hoc est, ἀτερπής tristis & luctuosus.

4. Quidam fine antiphrasi ᾅδην, quasi ἀνδάνον vocant, quia tandem placeat, in morte nimirum, vbi de vita est desperatum.

5. Platonis alia est sententia apud quem Socrates ᾅδην ait esse σοφιστὴν eloquétissimum & φιλόσοφον sic dictum, ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ εἰδέναι. Etenim nemo, inquit, vult inde huc redire, sed illius sermonibus demulcetur & detinetur. Equidem quòd nemo huc reuertatur nō tam volūtatis, quam necessitatis est. Ita magnus est sophista, multos enim decepit illius princeps: & omniscius eatenus quidem est, quòd mirè sit artifex, & nouit omnia, non tam bona quàm mala, dicatur ergo ᾅδης ἀπὸ τοῦ εἰδέναι πάντα κακά, quòd mala omnia norit & in primis τὰς κολάσεις, pœnas.

1. Τάρταρος autem dicitur, aut, ὅτι τείρει, hoc est, δαμάζει ἅπαντα, domat omnia. Etenim omnibus inicit mortis vincula, & quod ligat conatur sine spe reditus detinere, in quo sanè est custos valde oculatus & vigilans.

2. Non est illa etiam sententia absurda, ὅτι ταράττει ἅπαντα. i. turbat omnia: est enim rerū istic confusio, perturbatio, & inter emigrantes quoque ex hac vita summam instituit confusionem, dum summos imis æquat.

3. Aut certè ταράττει, hoc est, terret viuentes, quis enim non ad eius mentionem contristetur, acerba eius memoria est. Pauidos ergo facit, & inde nomen consecutus est.

4. Eustath. physicam affert rationé, ὅτι τετάρακται, inquit, καὶ κατέψυκται: hoc est, quia frigore enecat & rigidus est vel egelidus: mors enim frigore sensim succedit, excluso vitali calore: hinc locus ille inferorum dicitur ἀνήλιος καὶ ἀφώτιστος. i. solis & luminis expers, & ob id ψυχρότατος: i. frigidissimus ob quam causam etiam Hom. & Hesiodus sępius appellant ἠερόεντα, hoc est, tenebrosum. Et inde etiam Græcis verbum deductum, ταρταρίζει, quod est σφόδρα ῥιγῶν, vehementer rigere, quod vsuuenit his, qui metu subito rigescunt & frigore horrent quasi congelati.

Apud Hebræos *scheol* dicitur, apta ratione à postulando, omnes enim postulat & vocat: *æquo pede pulsat pauperum tabernas, regumque turres*: quia igitur petax est & insatiabilis, auarus & inexplebilis *scheol* dicitur, qua significatione rectè sumitur pro sepulchro. Gen. 37. *quia descendam lugens ad filium meum scheolah ad infernum*: hoc est, sepulchrum, & ca. 42. *deducetis caniciem meam in tristitia scheolah ad infernum*, hoc est ad sepulchrum: his & similibus locis exponitur vox illa pro *kebere* etiam ab Hebræis. Infernus pro sepulchro.

2. Aliàs κατὰ μεταφορὰν *scheol* aduersa quæque significat, quibus viui in his terris vexantur. Sic Dauid conqueritur *cheble scheol sebabuni*, *funes inferni circundederunt me*, de Saule aliisque grauissimis hostibus loquens: & Hanna fatetur vtrunque à Domino procedere εὐτυχήματα & ἀτυχήματα. *Dominus occidit & viuificat, deducit ad infernum & reducit*, &c.

3. Porrò pro perditione sumi & loco damnatorum qui iræ diuinæ seueritatem sentiūt, argumento possunt esse. Psalm. 49. de impiis loquens, vt oues *lischeol in inferno deponuntur*, mors Infernus pro loco damnatorum.

illos pascit, & mox, *infernus scheol habitaculum eius.* In Numeris de Chore, Datan, & Abiram non simpliciter de sepulchro videtur loqui cùm inquit, & descenderunt viui *scheolah ad infernum.* In Iobo tanquam de loco damnatorum eius fit mentio. sic in Esaia, & hinc inde in Psalm. de quo non plura. *Topheth* dicitur à strepitu & confusione: est enim *toph* tympanū, quo vtebantur in impiis Moloch sacrificiis, de quo 2. Reg. 23. de Iosia pio rege, qui locum illum & ritum vastauit. hinc *topheth* pro inferis, vt est apud Esa. 30. ad finē, *quia parata est ab heri tophetah*, h. e. *Gehenna etiam pro rege est præparata, depressit ipsam, dilatauit eam incendium eius ignis, & ligna multa, flatus Domini, tanquam torrens sulphuris succendit eam.* Luculenta est descriptio tanquam loci certi: ac primùm iudicio diuino paratum ait esse hunc carcerem, deinde in locis inferioribus esse positum, præterea amplum, capacem, & spatiosum, forma etiam expressa est, quo indicibiles pœnæ proponuntur: adde perpetuum, quia ligna non desunt, fortasse impiorum animæ & corpora loco carbonum, & lignorum futura. In Iobo fit mētio *topheth*, sed pro gaudio exponitur, Constituit me prouerbium populorum, qui ante eram *topheth*, hoc est, tympanum, lætitia vel gaudium. in eodem *scheol* dicitur pro sepulchro.

Animæ & corpora impiorū loco lignorum & carbonum sunt futura in inferno.

Ghehinnom dicitur Gehenna. Fuit is quidem locus Ierosolymis in prædio viri cuiusdā Hinnom dicti, in quo sacra Moloch idolo faciebāt Iudæi. Vnde & *topheth* à strepitu dictus est. Iosias contaminato loco, cadauera eò proiici iussit. Hinc vsurpari cœpit Iudæis pro damnatorū loco, & inferno. ac vt illi dicunt *makom lemetim*, &c. Sunt etiam alia apud Hebræos inferni nomina, vt *abdon* perditio, *borschechith* puteus perditionis vel vastationis. *borschaon* puteus tumultus. *tit haiauen* lutum fecis, *tsalmaueth* vmbra mortis. *eretz tachtith* terra inferior, de quibus copiose & eleganter disputat Galatinus lib. 6. cap. 7. quæ non attinet huc transferre.

Vbi sit infernus aut locus dānatorū.

Expendamus vbi nam sit: Latini inferiorem attribuūt illi locum, dum infernum, inferos, & inferna appellant: sic omnes authores de eo loquūtur. His consentit sacræ Scripturæ phrasis, & authoritas, loquitur enim de loco illius, tanquam de descensu, de profundo, qui infrà sit. Quibus accedunt alia testimonia. Deut. 32. inquit Moses in persona Domini, *Ignis succensus fuit in ira mea, & arsit vsque ad infernum inferiorē scheol tachtith*, quod simpliciter nō pōt de sepulchris intelligi. Et Prouerb. 15. *semita vitæ sursum est ad erudiendū, vt declinet ab inferno, qui infra est. mischeol matah* apud Esa. 38. Ezechias inquit, *quia infernus non confitebitur tibi, nec mors laudabit te, non expectabunt descendentes in puteum veritatem iuxta*, &c. Et Psal. 86. *Quia misericordia tua magna est super me, & liberasti animam meam de inferno inferiori mischeol tachtith*, & Prouerb. 9. *& nescit, quòd mortui sunt ibi, in profundis inferni vocati eius, baamake scheol in conuallibus inferni*, &c.

Græci scriptores etiā subterranea loca inferis assignāt. Homerus quidē vltra Oceanū cōstituit ad occasū solis, apud quē Circe Vlyssi ita loquitur ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ ἂν δὴ νηὶ δι᾽ ὠκεανοῖο περήσῃς, Et mox à sterilitate locū describit, ἔνθα μακραί τ᾽ αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι: idē tamē author expressiùs definit locū libro θ. inquiēs βαθύτατον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον. ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδός: τόσσον ἔνερθ᾽ ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης. Quod videtur ab Hesiodo habere, si quidē is sit antiquior. Nam Hesiodus in Theogonia ait, τόσσον ἔνερθ᾽ ὑπὸ γῆς ὅσον οὐρανός ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης. ἶσον γάρ τ᾽ ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα. Vbique fermè idē author subterraneū facit, vt in illo. τάρταρά τ᾽ ἠερόεντα. μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης. Et in illo ἰφθίμου τ᾽ ἀΐδεω ὃς ὑπὸ χθονὶ δώματα ναίει. Eustat. scholiastes Homeri ait, αὐτὸς τόπος σκοτεινὸς ὑπὸ γῆν ἀφανής, ἀφορισμένος ψυχαῖς. Et alibi τόπος ἐστιν ὑπόγειος καὶ κεκρυμμένος. Apud Lucianum quoque eodem pacto pronūtiatur, nam cōstituit τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθύν, μέγαν, καὶ πολύχωρον, ζοφερόν, καὶ ἀνήλιον, locum sub terra profundum, ingentem & vastum, tenebrosum & sole carentem.

Quibusdam placet hæc fabulosa appellare, & infernum esse, quicquid nos à Deo separat, & vt ait Hieron. quicquid inter fratres diuidit. Sic infernus erit iram Dei sentire, maledictum esse à conspectu Dei exulare. Et sanè vbicunque sint damnati, ibi infernus est. Verùm illi non intelligunt fortasse, non tolli per illa quin locus certus sit, istis destinatus. Prætereà cum resurrectura sint non solum piorum, sed impiorum corpora, necessum est hunc damnatorum certo loco detineri. Adde quòd inter Lazarum in sinu Abrahæ quiescentem, & diuitem in inferno tortum, magnum dicatur esse χάσμα.

Necesse est cœtū damnatorū certo loco detineri.

Quare placet patrum sententia, qui certum locum his designatum esse affirmant, vt videre est apud Augustinum epist. 57, ad Dardanum, & 99. ad Euodium, & lib. 12. de Genesi ad literam quæst. 33. Et apud Hieronymum multis locis.

Quid sit infernus.

Sit igitur infernus certus locus abditus, remotus à gratia Dei, ideóque Deo inuisus, receptaculum damnatorum, Satanæ eiúsque membris reseruatus. Certū locum dicimus, quia cœlum & terra noua sanctorū erunt habitacula, ideóque ex his locis procul exulabunt impij: deinde quia scriptura χάσμα inter hosce ponit. Hesiodus etiam infernū ait esse μέγα χάσμα. Remotum à gratia Dei, omne pœnarum genus complectitur, quod tum animæ, tum corpora sentient. Receptaculum damnatorum, satanæ eiúsque membris reseruatum esse, cōplectitur certum cœtum, ad quem hæ pœnæ & is locus spectat, vt enim vita æterna suum habet cœtum: ita infernus quoque suos habet complices, ne putemus nuda esse sine rebus nomina, quemdamodum multi conantur hæc extenuare

Ad ista

Ad ista loca inferiorum, descendisse ante Christi aduentum etiam patriarchas, & in genere mortales omnes, plerique voluerunt patrum: in qua sententia video Hieronymum esse: qui scribit in epistolam ad Ephesios ca. 4. ita. Inferiora autem terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noster, saluatorque descendit: vt sanctorum animas, quæ ibi tenebantur inclusę, secum ad cœlos victor abduceret, &c. Idem in commentariis super Ecclesiastem cap. 3. ait, ante aduentum Christi omnia ad inferos pariter ducebantur. Vnde & Iacob ad inferos descensurum se dicit: & Iob, pios & impios in inferno queritur retentari: & Euangelium Chaos magnum interpositum apud inferos: & Abrahamum cum Lazaro, & diuitem in suppliciis esse testatur. Et reuera antequam flammeam illam rotam, & igneam romphęam adparadisifores, Christus cum latrone reseraret, clausa erant cœlestia, &c. Et in cap. 9. Eccles. ait, Nota vt Samuelem quoque verè in inferno credas fuisse: & ante aduentum Christi, quanuis sanctos, omnes inferni lege detentos, &c.

Et Epist. 3. ante Christum, Abraham apud inferos, post Christum latro in paradiso, &c.

Galatinus copiosius idem argumentum tractat. lib. 6. cap. 7. 8. 9. & 10. in quibus multa ex scripturis non male explicat, eum inspicito.

Hodie scio multos in eo versari, vt ostendant totum hoc de descensu ad inferos ad sensum iræ diuinæ pertinere: de quo egimus in loco de descensu Christi ad inferos. Iam satis sit ostēdisse infernum certum esse locum, & certi cœtus, & non esse alienum à scriptura & fide orthodoxa, dicere Christum quoque descendisse ad inferos. De quo verecundè interdum dubitare videtur Augustinus, & fateri ignorantiam suam: alias tamen expresse dicit, secundum animā Christum fuisse apud inferos, secundum corpus verò in sepulchro.


Lutherus etiam dubitat de loco. 2. Petr. c. 3. quomodo intelligi debeat. Vide Luth. in cap. 7. initio fere.

Superest vt de pœnis paucula addamus. De his iudicari potest vtcūque ex dictis Apostolorum & Prophetarum, in primis autem ex ore ipsius Christi: qui Mat. 25. κόλασιν αἰώνιον. i. punitionē æternā appellat: & Mat. 24. illic erit ploratus & stridor dentiū, atroces & ineffabiles exprimens pœnas. Matth. 22. dicitur σκότος ἐξώτερον, tenebræ exteriores: illic erit fletus & stridor dentium, Matth. 13. κάμινος τοῦ πυρός. caminus ignis, vbi erit ploratus & stridor dentium. Apocal. 16. stagnum ignis ardens sulphure: & Apocal. 22. ignis æternus. Apoc. 9. abyssus in quem mittitur draco. Apoc. 20. &c. Ex his & similibus testimoniis, colligimus ferè duo. Primùm atroces fore istas pœnas: deinde æternas quoque. Ac de atrocitate nos satis admonent tenebrarum appellatio, planctus, fletus, camini ignis, &c. Quæ enim inter homines extrema & atrocissima sunt pœnarum genera, his solent implicari malis.

Quales futuræ infernę pœnæ.

Quòd autem futuræ sint etiam æternæ, contrà quàm putarint olim Misericordes dicti doctores, hinc constat, quòd bonorum est æterna fœlicitas: oportet ergo etiam malorum æternā esse miseriam. Deinde quia angusta est in via ad vitam, & pauci, qui eā ingrediuntur, requirit id etiam iustitię diuinæ regula. Adde quòd scriptura sic de pœnis loquitur, Mat. 3. *non habet remissionem*. Mar. 9. *ignis inextinguibilis*. Huc facit locus. Esa. 34. Deut. 12. Apocal. 20 &c.

DE SECVNDO ADVENTV CHRISTI. LOCVS CLXIII.



DE aduentu Domini triplex reperitur opinionum varietas. Alij enim hoc totum quod de aduentu Domini dicitur irrident: Alij contrà scrupulosè inquirunt in eius momenta: Tertij denique sentiunt rectè. De his igitur tribus hic agemus, reliqua alis locis relicturi.

Triplex opinio de secundo aduentu Christi.

I. Qui irrident hanc historiam, in defectu peccant, securitate quadam & negligentia affectata, res ad salutem necessarias contemnentes, quod vitium scriptura vocat ἀσφάλειαν securitatem minimè in loco adhibitam. Christus vocat Ignorantiam, hoc est, crassam & affectatam inscitiam rerum, quas scire oportebat. Petrus tales vocat ἐμπαίκτας, illusores, quia non solùm securè ista rident, sed eos qui istas curant contemnunt, eis insultant, & superbe subsanniant. Exemplum istorum habemus in Sadducæis Matth. 22. negantium resurrectionem, & od id quoque non alium Messiæ aduentum ad Iudicium agnoscunt præter quendam carnalem ex Patrum traditione. Horum voces sunt expressæ. 2. Pet. 3. v. 4. *vbi est promissio aduentus eius? nam ex quo mortui sunt Patres omnia sic subsistunt ab initio creationis?* Sed hoc reprimet repentinus interitus, cum dixerint, Pax & securitas. 1. Thess. 5. v. 1. Apud Sophoniam quoque cap. 1. *clamant impij. Non fecit bene nec malè Dominus.* Et Micheæ. 3. *frustra seruitur Domino*, hoc est, vt Hebræi loquuntur *en din, veen daiin* non est Iudicium, nec præmium.

Ad hanc classem pertinent Ethnicorum sententiæ de mundi æternitate, qui ab experiētia argumentantur, semper durauit hactenus. Ergo finem non habebit. Sed hos confutat D. Petrus 2. ca. 3. diluuij historia. Ex hoc fonte manauit illud Manilij,

Ethnici somniāt æternitatem mūdi.

Non alium videre patres, aliúmve nepotes
Aspicient. Vide locum de interitu mundi & de nouissimo Iudicio.

Hic illis opponimus τὸ ὅτι, quod sumimus ex oraculis Dei & filij eius Iesu Christi, qui promittit suum ad nos reditum in nouissimo tēpore. Et Angeli quoque Acto. 1. affirmant illū sic rediturum. Igitur constanter sic est credendum. Pertinent huc testimonia Christi Mat. 24. 25.

Nomina. Mar.13. Et Apostoli Pauli 1.Cor.15.1.Thess.5.2.Thess.1.& 2.& in veteri Testamento Esa.13. diẽ Domini vocat iræ & furoris. Et Ioel.ca.2. *Dies Domini magnus & terribilis, dies tenebrarum & caliginis.* Et Mich.3. *dies aduentus eius.* Apostolus quoque 1.Cor.1.v.8. *diem Domini vocat.* Ibidẽ

1 Dies. 2. Reuelatio. 3. Præsentia. vers.7. dicitur ἀποκάλυψις *reuelatio.* Alibi παρουσία *quasi præsentia.* & 1.Th.3.v.13. & eiusdẽm ca. 4.v.15.1.Thess.5.v.23.2.Thess.2.v 1.& 8. Iacob.5.v.7.& 8. Alibi dicitur ἐπιφάνεια, vt 1.Timoth.6. v.14.2.Tim 4.v.8. ad Titum.2.v.13.& alibi sæpius.

Huius nominis Chrysostomus reddit rationem tomo 4. dicitur aduentus ipse, Græco vocabulo ἐπιφάνεια, quòd scilicet appareat desuper ac supernè oriatur. Inquiramus igitur, inquit, quæ sursum sunt.

Rideant igitur isti otiosi & mundani homines vtvt velint: nos firmiter inhæreamus Christi, Angelorum ac Apostolorum testimoniis, Christum aliquando rediturum ad Iudiciũ quẽadmodum quoque idem fatemur in Symbolo Apostolorum.

II. Diximus de defectu, hoc est, de securitate contemnentium historiam aduentus Domini: dicamus nunc de excessu. Hoc vitium dicitur Curiositas, quæ est inquisitio in res non

Curiositas quid sit. necessarias & ad nos nil pertinentes. Horum semper fuit magna varietas, ludit.n. miris modis ingenium hominis in rerum absurdarũ inquisitione. Hos omnes referamus ad istos tres causarum ordines, Spiritum, Sermonem, & ementitam authoritatem. Sic enim scribit Apostolus 2.ad Thess.2.v.2. Siue per Spiritum, siue per Sermonem, siue per Epistolam quasi per nos scriptam. Quibus verbis tres causas errorũ notat, πνεῦμα, λόγον, & ἐπιστολὴν, quæ dicere liceat, reuelationem, ratiocinationẽ & authoritatẽ. πνεῦμα significat reuelationes secretiores, quas

Error reuelationũ de aduẽtu Christi secundo. dictat Spiritus mendax, vel homines curiosi fingunt sibi. Exẽpla huius refert Augustinus lib. 18. de Ciuitate, capite 53 quosdam ab Ascensione Domini constituisse Annos 400. ad vltimum aduentum. Alij vt ibidem refert, 500. constituerunt. Quidam 1000. sed omnes elusit ipsa temporum experientia. Similes reuelationes noster *Burg hans* protulit anno 1555. & aliquot cõsequentibus, qui nihil aliud habuit ad patrocinium sententiæ suæ, quàm Dominum, sibi ita reuelasse. Talia multa exempla protulit Anabaptistarum cœtus.

II. Secundi ordinis sunt, qui non reuelationes, sed ratiocinationes proferunt, λόγῳ isti

Error ratiocinationis. nituntur, & speciem sæpe habent demonstrationis, cùm non sit. Talis illorum fuit opinio qui sex millibus annorum duraturum dixerunt mundum. Ratiocinatio fuit solers: quia totidem, hoc est, sex diebus conditus esset mundus. Et Petrus manifestè dicit, diem vnum esse vt mille annos, & mille annos vt diem vnum 2.Petri 3. ex quo efficiũt. Ergo sex millibus annorum du-

Chiliastæ rabit, hinc septimus millenarius sabbatismi erit, vnde longius progressi Chiliastæ in nouum errorem inciderunt, nimirum septimum millenarium post aduentũ Christi huic vitæ & terræ deberi. Octauum denique millenarium fore vitæ æternæ in cœlis. Et ab hac sententia non videtur multum abhorrere. Hieronymus, vt alibi ostensum est, Vide locum Augustini in explicat. Ps.6. Similis curiositas fuit Stiphelij Vvittebergę, nostro seculo, & Hosiãdri ac similiũ.

Quidam ex nominibus bestiarum Danielis & Apocalypseos, idem conati sunt declarare. Simile est & illud curiositatis exemplum, in dictionibus *Aduentus Domini*, literæ Arithmeticæ dant tibi 2012. de quo numero subtrahe *Dies abbreuiabuntur*, hoc est, 517. restabunt 1495. illis adde *propter electos*, hoc est, 150. habebis 1645. qui nonnullis est terminus durationis. Sed aufer ab illo numero *a e n t s*. hoc est, 56. quem numerũ dant tibi literæ *a e n t s*. naturali positione in dictione aduentus habebis 1587. initium anni 1578.

Dassid dass iar dass Icleff betrac.t, gat den die vvelit nit vvider, so geschiit doch sinist groß vvunder.

Talis est & illa vnitas, post subtractionem numeri quem habes ex *Dies abbreuiabuntur*, numerus est 1495. adde illis numerum literarum *a n e t s*, hoc est, 56. habebis 1551. quæ meta iam elusa est temporum experientia, adde tamen adhuc 27. hoc est numerum literarum *n o* in dictione Domini, habebis Annum Domini 1578. quem quidem horrendum faciunt.

III. Tertij ordinis sunt, qui vanam iactant authoritatẽ, vt qui Elię scholam proferunt de

Error authoritate ementita fultus. sex millibus Annorũ, cùm Eusebius ab Adamo ad Christũ numeret 5199. annos. Augustinus verò 5353. Itaq; mera illa elusa erit. Tales hodie qui Brigidæ Sibyllinarũ proferũt authoritatẽ.

Hæc exempla sint curiositatis, ex quibus de similibus iudicandum est, nos illis opponimus firmissimas Apostoli rationes.

Primùm, Apostolus non vult suam valere authoritatem in hoc argumento, quicquid tandẽ scripserit de aduentu Domini. Ergo talis doctrina nullo prætextu velanda est, sed simpliciter damnanda vt impia & curiosa.

2. The. 2. vers.1. Deinde idem Apostolus graui obtestatione nos dehortatur ab hac inquisitione: valere igitur debet potiùs in hanc partem d. Apostoli authoritas, ne inquiramus, quàm vt certam metam statuamus.

2. Thess. 2. vers.2. Tertiò à proprietatibus huius doctrinæ, quæ sunt σαλευθῆναι, θροεῖσθαι, & ἐξαπατᾶν. Quæ illã habent significationem. Prius illud inconstantiam & periculum notat, nã in salo naues semper nutant nunc in hanc, nũc in aliam partem. Deinde naues salo oppressæ in syrtibus nullo pacto liberari possunt sed miserè pereunt. Hos fructus parit Curiositas, statuens certas metas

aduentui

aduētui Domini, θροεῖσθαι verò eſt loqui ad terrorem, quod faciunt præcones iſti intempeſtiui: vano metu & terrore implicant hominum conſcientias. Nec inficiamur hic quin terribilis futurus ſit aduentus, imo terribilior erit, quàm vlla ratio poſſit excogitare. Sed hoc ſaltem affirmamus vano & intempeſtiuo terrore illos compellere homines, vnde naſcitur anxietas illa deſperabunda in hominibus.

Ἐξαπατᾶν autem manifeſtam habet notationem errorum, cauenda igitur diligenter eſt illa curioſitas piis hominibus.

Quartò, cauſis malis originem ducit hæc doctrina à ſpiritu mendace, falſis ratiocinationibus, vanáque & ementita authoritate, ergo diligenter cauenda eſt. Pernicioſæ cauſæ non poſſunt non pernicioſam generare doctrinam.

Quintò Chriſtus ait Actor. 1. *non eſt veſtrum ſcire tempora & articulos temporum iſtorum*, q.d. mera eſt & damnabilis curioſitas, ad vos nil attinet, ergo inquirendum non eſt. Pernicioſæ cauſæ pernicioſam generant doctrinam.

Sextò, Pater in ſua repoſuit poteſtate, hoc eſt, ſolius Dei intereſt de his conſtituere: myſteria Dei ſunt homini minimè perſcrutanda. Itaque in hæc, inquirendum non eſt. Vide locum de nouiſſimo Iudicio & interitu mundi.

III. De extremis diximus, ſupereſt media & regia via eorum qui rectè ſentiūt, hoc eſt, qui cum metu & ſobrietate aduentum hunc in omnes horas expectant. Hoc probamus ex dicto Apoſtol. 1. Theſſ. v. 5. *vigilemus & ſobrij ſimus*: & ex hiſtoria ſtolidarum virginum Matth. 25. quæ lampades non præpararant, ſed ſoporatæ expectarunt venientem ſpōſum, vnde excluſæ ſunt. Et ex parabola Patris familias, qui ſi ſciret quando fur eſſet venturus, vtique vigilares. Nos verò ſcimus quod ſit redditurus Dominus, vigilandum igitur nobis eſt, ne imparatos & inter oſcitantes opprimat nos.

1. Hunc aduentū ſic definimus, Aduentus Domini eſt manifeſtatio, qua Dominus Chriſtus declaratur corpore viſibili, cœlitus omni carni Iudex viuorum & mortuorū, in certo quidem momento, certiſſimo tamen euentu. Definitio

2. Addimus & hanc generalem definitionē, Aduentus Domini eſt manifeſtatio qua Chriſtus declaratus eſt: declaratur adhuc, & declarabitur in fine mundi verus Deus & homo, redemptor fidelium, & Iudex omnis carnis.

1. Ex definitione ſtatuamus triplicē Domini aduentū. Primus eſt humilitatis, quo venit ſpecie ſerui aſſumpta. De quo loquitur Chriſtus Matt. 20. *filius hominis non venit vt illi miniſtretur, ſed vt ipſe alis miniſtret*: ſignificans finem ſui aduentus eſſe noſtram ſalutem. Vnde Auguſtinus inquit, Non noſtra merita, ſed peccata de cœlo filium Dei traxerunt. De hoc loquitur Eſa. 52. *Lætare filia Zion quia Rex tuus venit tibi humilis.* Huc pertinet incarnatio filij Dei, vitæ curſus in hac terra, & nobilis ille ingreſſus Hieroſolymam in die Palmarum, in quo ſeſe Iudæis obtulit ſuámque præſentiam palàm confirmauit. Diuiſio. Primus Chriſti aduentus humilitatis dicitur.

Secundus eſt prædicatæ ſalutis, quando in toto orbe omnibus annūtiatum eſt Euāgelium, vt nulla ſit natio ſub ſole, cui Chriſti nomen notum nō ſit. Atque hic vel cognoſcitur vel etiā recipitur Chriſtus veniens. Ab impiis cognoſcitur, à piis autem ſimul recipitur in cordibus, qui per illius gratiam regenerantur. De hoc loquitur Chriſtus Ioan. 14. Qui diligit me, & mādata mea ſeruat, veniemus ad ipſum ego & Pater meus, & manſionem apud ipſum faciemus. Secundus aduentus Chriſti in mūdum per euangelij prædicationem.

Tertius eſt Maieſtatis & Iudicij, de quo hactenus ſolùm diſſeruimus. De eo loquitur Apoſtolus 1. Cor. 1. *Deus confirmet vos in diem aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Huius tyrociniū ſentimus in agone mortis, tum enim incipimus accedere tremendum Domini tribunal: ac ſanè plus hic terroris eſt, quàm ex ipſo mortis ſenſu. Dominus Ieſus Chriſtus omnibus piam hanc emigrationem concedat & ſuo merito hos terrores mitigare velit, Amen. Tertius aduentus maieſtatis.

DE VITA ÆTERNA.

LOCVS CLXIIII.

LOCVS proprius eſt Eccleſiæ fideliū, ſcire vitam æternam hāc ſupereſſe poſt hanc miſeriam, quæ ad ipſos pertineat ex promiſſione & merito Chriſti. Quare diligenter confirmandi ſunt animi noſtri ex eo loco, contra omnem fortunā, ne velut Ethnici verſemur in hoc mundi theatro, aut vt hypocritę, qui Chriſtum & omnia bona cœleſtia contaminăt vita & moribus. Irridet Plinius quæſtionem de Deo, & vita æterna: & argumentum dicit eſſe cæcæ mortalitatis. Sic Epicurus cum corpore omnia interire dicit. Democritus & Dicæarchus animam etiam mortalem eſſe auſi ſunt dicere. Et Stoici quidam immortalem dixere: ſed quandiu duret mundus. Cum mundo verò animam ipſam interire. Galenus etiam in illo hæſit luto, quemadmodū eſt videre, Tom. 1. Contra huiuſmodi opiniones, quæ hodie etiam apud nonnullos repullulant, muniendi ſunt animi noſtri ex verbo Dei. Aſtipulatur autē verbo Dei ipſa natura, & qui rectiùs ſunt philoſophati, aliquem guſtum de immortalitate animarum, de ſtatu poſt hāc vitam ha- lib. 2. c. 7. Abſurdæ quorundam Philoſophorum opiniones.

buere, qui licet tenuis fuerit, lucem tamen huic negotio affert.

Quòd sit vita æterna.

I. Videamus ergo primùm τὸ ὅτι, quòd sit vita aliqua post hanc. Primùm hinc euincit cõditio & natura Dei. Nam cùm Deus sit, & sit æternus, idémque viuat, sequitur necessariò esse vitam æternam, qua Deus viuat & sit æternus. Ac quòd Deus sit, multis ia rationibus non est opus. Sacræ literæ nobis vnum & æternum proponunt Deum, & à Philosophis copiosè etiam est affirmatum, præcipuè à Platonicis, & apud Platonem δημιουργὸς, ποιητὴς, καὶ πατὴρ τοῦδε τοῦ παντὸς appellatur. Et 10. de legibus præcipuè hanc quæstionem tractat, quòd Deus sit. Stoici etiam multis hoc argumentũ tractarunt, vt est videre apud Cic. Apud Hip. in libello de morbo sacro, elegãs est locus, vbi & Deũ esse statuit, & illius propriũ esse dicit καθαίρεσθαι καὶ ἁγνίζεσθαι, precipuè autem μέγιστα τῶν ἁμαρτημάτων καὶ ἀνοσιώτατα. purgare & mundare maxima & maximè impia peccata. Est igitur Deus, & est expiator peccatorum, & verè est ἔρυμα ἡμῖν, hoc est, liberator noster. Hæc testimonia suauia sunt, cùm audimus quousque progressi fuerint viri sapientes in gentilismo. Nos, qui sacra habemus testimonia vtriusque Testamenti, longè instructiores debemus esse, ac colligere, cùm Deus sit, sponte sequi vitam quãdam esse, quæ Deo conueniat perpetuitate.

Hippo. fol. 123. in græco.

Cùm anima sit immortalis sequitur illam vita frui æterna.

Deinde idem hoc postulat animæ ratio. Nam cùm sit immortalis, & in eo Deo similis, sequitur vitam superesse post hanc, in qua anima viuat, & in ea Deum agnoscat. De animæ verò immortalitate concionantur Prophetæ & Apostoli. Et Christus Sadducæos conuincit ex verbo Dei: *Deus est Deus viuentium non mortuorum.* Est autem Deus Abrahæ, Isaac, & Iacob. Ergo illi viuunt, nec mortui sunt.

Philosophi quædam de hoc articulo attigerunt, Aristoteles, 3. de an. cap. 5. Νοῦς, inquit, χωριστός ἐστι μόνον καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, mens est separabilis tantùm, & id solùm est immortale & æternum, de anima rationali loquens. Clariùs de eo loquitur Plato, in Phędro sic fermè illud astruit. Τὸ ἀεικίνητον, ἀθάνατον. Ψυχὴ autem est ἀεικίνητον. Ergo ψυχὴ est ἀθάνατος. Itẽ τὸ αὐτὸ κινοῦν illud est ἀθάνατον. Sed ψυχὴ ἑαυτὴν κινεῖ. Ergo est ἀθάνατος. Plato sic infert conclusionem ἄρα ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη.

Quare cùm non solùm sacræ literæ: sed etiam Philosophia hoc nobis testetur, debemus citra dubitationem, animæ præstantiam agnoscere, & scire statum esse quendam post mortem, in quo animæ bene esse debeat, in quo similis sit Deo, eo ipso quòd viuit.

Plato refert Erum quemdã Armeniũ resurrexisse.

Præterea corporum resurrectio hoc omnino postulat. Nam ad quid prodesset articulus de resurrectione, nisi vita sit, ad quam resurgant corpora fidelium? Citat Plato huius rei exemplum, quòd Erus quidam Armenius olim resurrexerit à mortuis, & exposuerit pœnas & præmia, qualia post mortem singulos maneant. Hoc idem exemplum citat Euseb. de præparat. Euang. lib. 11. cap. 18.

Deniq; natura ipsa tacito quodam instinctu hominibus monstrat superesse statum aliquem post hanc vitam. Nam vnde terrores in tyrannis, qui dum in vita neminem habẽt quem metuant, tamen cruciantur animo, anguntur quodam metu, trepidant ad quęuis? Alastor vtique est, qui eos ad quoddam iudicium & quidem seuerum vocat. Et contra, vnde innocentiæ tãta vis? vnde animi pacati & ingenui tanta alacritas? Vtiq; in præsenti vita nihil habet, quod speret dignũ tanta serenitate, tanto gaudio ac pace. Animus igitur ipse mõstrat, quid illius propriũ sit, quæ sit sua vera vita. Hinc non solùm Philosophi: sed Poëtæ etiam de Elysæis campis, de inferno, & pœnis inferorum tot tantaque prodidere. Et cùm quid res esset ostendere non possent, vmbram tamen eius persecuti sunt. Porrò certiora his habemus ex diuinis oraculis.

Elysæi cãpi.

Primùm articulus est fidei nostræ. Credo vitam æternam. Hanc ergo esse certum est.

Deinde Apostolus 1. Corin. 15. prolixè τὸ ὅτι probat, cùm resurrectionem astruit. Miserrimi omnium mortalium essent pij, nisi sit vita æterna. Nam hic afflictionibus macerantur: quòd si status nullus sit, vbi fiat compensatio malorum, vtique miserrimi sint oportet. Non sunt autem miserrimi, nec Deus iniustus. Ex quo constat articulũ de Deo, de prouidentia, de immortalitate animarum, & de resurrectione corporũ nõ posse subsistere, sine hoc, de vita æterna. Huc faciunt testimonia Apostolorum. 1. Tim. 3. *hæredes sumus iuxta spem vitæ æternæ.* 1. Ioan. 5. *Vitam æternam dedit nobis Deus.* Et. 1. Petri appellat κληρονομίαν ἄφθαρτον, ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς. i. hæreditatem incorruptam & immarcessibilem serratam in cœlis. Huc faciunt reliquæ appellationes, quibus ornatur hic status. Vt quòd passim appellatur regnum Dei, regnum cœlorum. Item paradisus, sinus Abrahæ. Sic in Apoc. dicitur *noua & sancta ciuitas Ierusalem,* Apoc. 21. Item *vera patria.* Sic Heb. 13. ait, *non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus,* Regnum quod concuti non possit, Heb. 12. Sic Christus Matt. 7. ait multos venturos ab Oriente & Occidente, accubituros cum Abraham in regno cœlorum.

Quia Deus iustus est, necessariò sequitur vitam quandam esse æternam.

Quid sit?

Quid sit vita æterna aliquo modo exprimi potest: verè autem nunquam eloqui lingua humana põt. Nã vt alterius seculi est status hic fœlicissimus: sic in hoc seculo, nec corde intelligi, nec vocibus exprimi, nec auribus percipi potest. Ita quicquid ad hãc rẽ dicas, parũ dixeris.

Definitio vitæ æternæ.

Dicamus ergo simpliciter, vitã æternam esse statũ beatorum post hanc vitã, in quo perfecta sit futura agnitio Dei, & iustitia, sine peccato & morte æterna, perpetuo gaudio. Christus

rem pla-

rem planiorem facit Ioan.17.cùm inquit, *Hæc est autem vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ex quo conficitur vitam æternam esse veram Dei agnitionem, & Christi mediatoris. Hæc plena erunt in illa vita, hic inchoantur. Aberit etiam dolor, tristitia, gemitus, vt ait Esa. 25. In summa perfectio quædam animorum & corporum, in qua nihil sit reprehensibile, sed ad nutum Dei omnia perfectè inseruient volũtati creatoris & redemptoris Christi.

Vbi sit?

Dum hîc viuimus, scriptura nos ad cœlos remittit. Nam quasi locum monstrans, regnum cœlorum appellat. Sic Christus inquit, merces vestra copiosa est in cœlis. Matth.5. Et Apostolus 2. Cor.5. *domum non manu factam: sed æternam in cœlis.* Οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Et Philip.3. ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ex quo & seruatorem expectamus dominum Iesum Christũ. Christus præterea ascendens ad cœlos monstrat locum vitæ huius melioris. Eundem locum paradisum appellant & sinum Abrahæ. Christus latroni in cruce promittit, *hodie mecum eris in paradiso.* Et Luc.16. miser ille ab Angelis portatur in sinum Abrahæ. Ioan.14. domus patris dicitur, *In domo patris mei multæ sunt mansiones.* Quibus vocibus sacræ literę locum nobis designare volunt certum, in quo post deposita corpora animæ piorũ bene habeát, & fœlices sint. In quo loco, præsentia Christi fruantur, conspectu Dei & indicibili gaudio.

Cœli sũt beatorũ locus determinatus, dum simul durat hic mundus corruptioni obnoxius.

Porrò, quod sit hoc cœlum, non est expressum. Simpliciter cœlum scriptura appellat, & iubet nos attollere capita, ad cœlum nimirum visibile nos inuitans. Nec est quòd hic philosophemur de cœlo cristallino. Superant illa hominis ingenium, & curiosos in rebus diuinis arguunt. Satis est, nobis cœlos esse determinatum locum beatorum, quem locum nos scire vult & inquirere Deus noster. Ac certum est locum esse oppositum terræ, rebus terrenis, hoc est, corruptioni, peccato, morti, & quicquid cum Dei voluntate pugnat. In hoc ergo loco vita æterna est, dum simul durat hic mundus corruptioni & peccato obnoxius.

Post iudicium vita æterna erit non solùm in cœlis, sed etiã in terra.

Verùm post nouissimum iudiciũ, scriptura nobis quasi ampliora & manifestiora proponit loca. Cœlos nouos & terram nouam. Tum igitur vita æterna erit non solùm in cœlis, sed etiam in terris. Quare iam in cœlis est solùm vita æterna, semota à terrenis rebus: tum autem erit etiam in terra. Sic.2.Pet.3. *Cœlos nouos & terram nouam iuxta promissum eius expectamus, in quibus iustitia inhabitet.* Esa.65. *Ecce ego cœlos nouos & terram nouam.* Et cap.66. *Sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio, stant coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum, &c.*

Describunt nobis hæc, statum beatorum post nouissimum iudicium, non solùm perfectissimum: sed etiam manifestissimum. Quòd terra & cœlum sanctis tribuantur, tanquam propria loca mansionis. Ioan.21. in Apoc. cœlum nouum & terram nouam vidisse se testatur. Locus hîc erit beatorum.

Via ad vitam æternam.

Pertinet ad considerationem causarum, medium per quod ad finem peruenimus. Scopus est vita æterna. Efficiens est promissio diuina, faciens nobis spem per Christi meritũ nos eò peruenturos, iuxta sententiam Christi: *Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Promissio hæc postulat in nobis fidem, quæ & ipsa quidem est opus Dei in nobis, tamen à nobis eam requirit. Est enim organum apprehendens promissionem Dei. Quare ad Hæbr.11. scribitur, *Sine fide impossibile est, vt quisquam Deo placeat.* Et Apostolus ad Rom. toties fidei tribuit iustificationem cap.3. *Arbitramur hominem iustificari per fidem.* cap.5. Iustificati ex fide. Et cap.14. *Quicquid non ex fide est, peccatum est.* Sed via exprimitur ab ipso Christo, Ioan.14. *Ego sum via & veritas. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Christus via est, quia vnicum est organum salutis nostræ. Via etiam dicitur ad vitam æternam cursus vitæ, quo per multas tribulationes ingredi oportet fideles. Vt est Act.14. Hinc angusta describitur Matt.7. *Introite per angustam portam: quoniam lata est porta & spaciosa via, quæ abducit in exitium multique sunt qui ingrediuntur per illam. Quoniam angusta est porta, & stricta via, quæ abducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt illam, angusta est via.*

Ioan.6. Promissio.

Fides.

Cur angusta sit porta quæ ducit ad vitam.

Primùm quia vnicum est salutis mediũ Christus Iesus, cuius meritò oportet nos iustos pronuntiari & effici hæredes vitæ æternæ. Nam vt lata & spaciosa sunt ad quæ diuersis mediis, & itineribus accessus patet: sic angusta sunt, quæ vnum tantùm habent aditum.

Deinde ignota fuit hæc via rationi. Ideo angusta & difficilis. Ratio ludit in religione, diuersa effingẽs sibi media ad salutem, opera non solùm sua: sed aliena, & in ipsa Religione, cuíque liberum permittit in suo cultu impetrandi salutem. Ista excluduntur, & nouum certúmque genus proponitur. Quòd filius qui est in sinu Patris reuelauit nobis, absconditum hoc fuit à seculo mysterium crucis.

Tertiò, angusta est, quia pauci hanc ingrediuntur. Et, vt inquit Nazianzenus, διὰ τὸ μὴ πολλοῖς εἶναι βατήν, ὡς πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἐναντίων, καὶ ὅσοι διὰ τῆς κακίας ὁδεύουσι, quia non patet multis accessus ad illam, quia maxima pars per vitia ambulant. Nam si conferas piorum mores

mundi ingenio & moribus, vtique res ipsa clamat paucos esse, qui viam veritatis ingrediuntur. Quemadmodum via virtutis collata, vitiorum itineribus, admodum est angusta, raros habet viatores.

Virtutis vis, raros habet viatores.

Quartò, ingrata est carni, difficilis & laboriosa, pietatis veræ regula, & ob difficultatem raros habet cultores, angusta igitur est.

Denique affectibus nostris repugnat, eos iubet deponere, sui abnegationem præcipit. Nos contrà ad salutem aspiramus, multis instructi oneribus. Ac tanquam transuersa pertica portā hanc accedimus. Non capit autem tot impedimēta, vix nudos admissura: non recipit tot affectus, tot concurrentia, solam animam agnoscit Christo innitente. Angusta igitur est, quæ piis lata satis est. Nos angustam iudicamus, angustam nobis facimus. Quæ per se admittit omnes, ita vt vim patiatur regnum Dei.

Ad quos pertineat.

Non capit quosuis viatores porta illa Christus: ita non ad quoslibet pertinet vita æterna. Sunt certi homines expressi, qui promissiones habent. Abraham & semen eius huc pertinent, sed semen eius secundùm fidem. Hinc Christus Matth. 8. *Multi ab Oriente & Occidente venie̅t & accumbent cum Abraham, Isaaco, & Iacobo in regno cælorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Et Luc. 13. *Venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei.* Ostendit Christus his verbis promissionem vitæ æternæ vniuersalem esse, sic, vt ex omnibus gentibus admittat hæredes: non autem simpliciter omnes gentes.

Quomodo promissio vitæ æternæ sit vniuersalis.

Videndum ergo, quales isti sint, qui ex omnibus gentibus admitti possint. Primùm sunt tales, qui Christum agnoscunt, eique credunt. Sic Ioan. 6. *Qui credit in me habet vitam æternam.* Et Ioan. 5. *Qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transibit à morte in vitam.* Et Ioan. 3. *Sic dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui in eum credit non pereat: sed habeat vitam æternam.* Declarant illa testimonia vitam æternam pertinere ad solùm credentes.

Sacramenta.

Porrò fides suam etiam habet formulam, quam in rebus externis requirit Deus. Vult nos coniungi Ecclesiæ fidelium militanti in hac terra, nō aspernari cœtus pios, in quibus sunt sacramenta, & verbum Dei auditur. Hinc ait Marc. 16. *Qui credit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sacramenta instituit, quæ nos separant à reliquis cœtibus: & quia Sacramentis etiam mali communicare possunt, fidem requirit & bona opera, quæ fidelium propria sunt. De fide iam diximus. De bonis operibus non hypocriticis sunt testimonia plura. vt Matth. 7. *Non omnis qui dixerit mihi, domine, domine, sed qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, intrabit in regnū cælorum.* Idem declarat Christus Matth. 25. in parabola quinque virginum, & seruorum, quibus diuersa fuere commissa talenta. & Rex pronuntians sententiam finalem inter electos & damnatos, citat bona opera sibi & suis exhibita aut neglecta. Quæ omnia eò faciunt, vt intelligamus oportere vitam electorum professioni respondere, alioquin non esse spem vllam vitæ æternæ.

Bona opera.

Nulla spes vitæ æternæ his, quorum vita professioni nō respondet.

Commoda vitæ æternæ.

Vt præstantiam vitæ æternæ, nulla potest exprimere lingua: sic eius commoda impossibile est commemorare. Quare Apost. 1. Corinth. 2. *mysterium vocat, & bona quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ parauit Deus diligentibus se.* Proponit tamen quædam nobis scriptura, ex quibus de præstantia eius & commodis iudicare possumus.

1. Gaudium æternum illic habebimus Ioan. 16. *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et Luc. 25. dicitur seruo frugi, *Intra in gaudium domini tui.*

Præterea societas cum Abrahamo, Isaaco. Matth. 8. Luc. 13. suauissimus erit hic cœtus Patriarcharum & Prophetarum, & iucundum sodalitium cum tot sanctis, quorum historias in hac vita euoluimus, tum autem præsentes intuebimur.

Item Angelorum consortium, quibus reddemur similes, vt testatur scriptura, Matt. 22. Luc. 20.

Item cum ipso Christo esse, & videre gloriam. Ioan. 17. Christus nobis omnia vt est, in hac vita: sic omnem αὐτάρκειαν in illa beatorum congregatione habebimus, ex ipsius corporali præsentia.

Item corporum nostrorum maior est maiestas, maior claritas, *fulgebunt sicut sol.* Matth. 13. quo significatur maior agilitas, perfectio immortalis, quæ nesciat vllam corruptionem, vllam labem, aut defectum. Aberit omne peccatum animi & corporis.

Sancti erimus, vt Deus sanctus. Ioan. 1. epist. 3. *similes erimus ipsi Deo.* Hæc sunt alba vestimenta sanctorum Apoc. 3. *stola alba* 6. 7. & *byssinæ vestes.* Apoc. 19. *Hæc sponsa est sine ruga & macula,* Eph. 5.

Mors ad plenum excludetur. *Non erit mors, neque clamor, nec dolor vltrà.* Apoc. 21. & 1. Cor. 15. *absorpta est mors in victoriam.*

Opera diaboli non habebūt ampliùs locum, quod significauit Ioan. in Apo. 12. draconem illum magnum proiectum in terram. Et cap. 20. & Rom. 16 *Diabolus piorum pedibus conculcatus.*

Similes

Similes erũt etiã imagini Christi. *Transfigurabit corpus nostrũ humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso*, Phil. 3. & *quemadmodum gestauimus imaginem terreni: sic gestabimus imaginem cœlestis*. 1. Cor. 15.

Hæc vtcũque illustrant, quanta sint futura bona illius beatissimi cœtus. Animo & corpore bene habebũt, perfectissimo, plenissimo, æterno gaudio. Vera αὐτάρκεια erit ipse Deus *Schadai*, qui omnimoda bonitate omnia complebit. Ad hanc vitam quidem post resurrectionem perueniemus: sed initia eius in hac ponenda sunt. Sunt illa quidem rudia & aspera: sed tantorum bonorũ spes alacres nos debet reddere. Det Dominus Iesus Christus, vt verè imitemur ipsum, verè etiam apprehendamus, & beatissimi illius cœtus consortes efficiamur, Amen.

MISCELLANEÆ QVÆDAM TRACTATIONES THEOLOGICÆ EIVSDEM D. Benedicti Aretij.

DE CRVCE ECCLESIÆ MILITANTIS. LOCVS I.



ECCLESIA Christi duplicem habet statum, militiæ vnum: alterum triumphi. Militaris in hac vita exercetur: Alter beatissimus, vt corona & præmium immortalitatis, Ecclesiæ conseruatur ad vitam æternam. Et militi sanè conducit sæpius expendere personam suam. Sic enim stationem animosiùs tuebitur: ita Ecclesiæ vtile est frequenter in sese redire, & vocationem suam perpendere. Nã pij sic considerabũt certò fine vtili sese exerceri. Habebunt inde consolationes manifestas cõtra infirmitatem carnis: & paratiores erunt ad omnem fortunam. *Ecclesia militans ecclesia triumphans.*

Dicamus ergo paucis de cruce, ac vt res apertior sit, obseruent adolescentes istas metas. 1. Quid crux sit in Ecclesia. 2. Quæ eius species. 3. Quæ sint causæ.

Crux Ecclesiæ, est Conditio seu fortuna Ecclesiæ in hoc mũdo: qua variis periculis & afflictionibus exponitur, idque singulari Dei consilio.

1. Definitio satis est perspicua. Primùm docet conditionẽ hanc esse huius mũdi. Sic Christus ait, *in mundo pressurã habebitis*. & *Eritis odio omnibus hominib. propter nomen meum*. Sic Matt. 10. *Mitto vos velut oues in medium luporum*. *Definitio.*

Deinde, de magnitudine admonet ipsa crucis varietas. Quo pertinẽt Ecclesiæ historiæ Stephanus lapidatur. Ioannes carceribus mancipatur, decollatur. Apostoli è synagogis excludũtur, in exilia ablegantur, flagellantur, variis mortibus tollũtur è medio, tanquam καθάρματα. Christus ipse affligitur, Infans fuga & exilio exercetur, paupertate, mox tentationibus. Deinde Iudæorũ odio exponitur, dicitur ἄνθρωπος φάγος, οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. Pharisæi addunt grauiora conuicia. Beelzebub habet, dæmonium habet, insanit, spiritum immũdũ habet: πλάνος habetur, Samaritanus, &c. demũ cruci affigitur. Pij martyres alii bestiis obiiciuntur, alij torrentur, alij exuruntur, suffocantur, dilaniantur, & quid non? mille tormentis explorantur.

Tertiò, definitio exprimit subesse in his malis omnibus certum Dei cõsilium. Pertinet id ad consolationem & iubemur eò mentes nostras reuocare ad causarum considerationem. Nam mundus iudicat, vel illa euenire casu quodam & fortunæ malitia: cui hominũ consilia nõ possint interdum maturè succurrere, vel Deo irato, qui puniat non solùm hîc: sed cum pœnis abiiciat à conspectu suo. Contrà, fidelium est, in his malis meliora quærere, & sese erigere vero scopo, & veris causis consideratis. *Cognitio diuini consilij in afflictionibus summã piis ad fert consolationem.*

Videamus igitur quasdam etiam species. Vtile enim erit fortasse etiam videre, non eadem statione omnes cõstitutos esse. In malitia alij alia tuentur loca: singuli fortiter agunt: alij alio etiam modo vel vincunt, vel succumbunt.

Prima hæc est diuisio. Crux alia salutaris est: alia perniciosa. Salutaris quæ ad patientis incolumitatem facit. Perniciosa, quæ eiusdem interitum spectat. Quare illa solius est Ecclesiæ, & ad electos spectat: hæc impiorum & martyrum satanæ. Eius exempla statuerunt Cain, Iudas, Iulianus aliique tyranni & blasphemi homines. De hac inquit Petrus 1. epist. 4. *Nemo vestrum affligatur vt homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum*, &c. De salutari multa extant dicta. Hebr. 12. *filium, quem diligit, castigat dominus, flagellat autem omnem filium quem recipit. Si castigationem sustinetis velut filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius est, quem non castigat pater*. Et Apocal. 3. *quoscunque amo arguo & castigo*. Idem Prouerb. 3. & Tobias ait cap. 11. *benedico te Deus, quia castigasti me*. Patiuntur igitur boni & mali: crucem ferunt etiam impij, sed impari in causa, diuerso euentu quoque: similitudo passionum, non secum fert etiam patientium similitudinem, De quo eleganter loquitur Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei ca. 8. Boni & mali pariter afflicti sunt: sed non ideo, isti distincti non sunt: quia distinctũ non est, quod vtrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum. Et *Diuisio.*

Simile. licet sub eodem tormento, non est tamē idem virtus & virium. Nam sicut sub vno igni, aurum rutilat, & palea fumat: & sub eadem tribula, stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo, cum oleo amurca confunditur, quia eadem prœli pondere exprimitur. Ita vna eadémque vis irruens bonos probat & purificat: malos damnat, vastat, & exterminat. Vnde in eadē afflictione, mali Deum detestātur, & blasphemant, boni autem precantur, & laudant, &c.

Non moueat ergo nos calamitatum varietas, quod tum bonos, tum etiam malos ἀτυχήματα subsequi videmus. Causa beatos facit non martyrium.

Diuisio crucis salutaris. Cæterùm salubrem persequamur crucem. Illa vel est communis totius alicuius Ecclesiæ vel cœtus: aut est priuata. Communis, pœnas cōplectitur publicas, quas certis calamitatibus Deus certo etiam consilio immittit. Sic interdum punit prouincias bello, fame, peste, In his boni & Christiani viri est non peculiarem sibi quærere fortunam. Publicæ calamitates in societate Christiana patienter ferendæ sunt, & aliorum infirmitas sublenanda, præsentia, constantia, cōsilio, opera. Aliàs communes sunt, sed paucorum tantùm. Vt cùm familiæ certæ obruuntur infortunio, peste vastantur, iactura fit rei domesticæ, opum, honorum, famæ, &c. Vt videmus Iacobo accidisse. Familia Abrahæ carnalis & Dauidis posteritas, certo Dei consilio periit.

Priuata crux vt plurimùm exercitia habet hominum priuatorum. Vt Dauid exulat, Ioseph venditur, Iacobus decollatur, alij aliis modis priuatim affliguntur. Huc pertinet tyrannorum sæuitia & crudelitas, quæ variis tormentis fideles examinare solet.

Christi crux. 1. Ista exercitia priuata fine differunt & vsu. Nam quædam omnibus conferunt, cùm priuata sint. Sic Christi patientis & morientis crux bono omnibus fuit & od id rectè λύτρον appellatur. Heb. 9. *dicit Christum per proprium sanguinem ingressum in sancta αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος*. Et 1. Timot. 2. *Qui dedit seipsum ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων*. Et Ephe. 1. *in quo habemus ἀπολύτρωσιν per sanguinē eius*. Et 1. Cor. 1. *factus est nobis sapientia à Deo, iustitia etiā & sanctificatio, & ἀπολύτρωσις.*

Martyriū vox ambigua latinis. Alia exercitia bona quidem sunt posteris, non tamen sunt λύτρον sed testimonia potiùs veritatis. Hinc μαρτυρία rectè dicuntur. Latini etiam martyria ambigua voce appellant, qua & cruciatus & confessionem veritatis exprimunt. Huc pertinent fidelium exempla, Abelis: Esaias serra à Manasse dissecatur. Ieremias lapidatur: Zacharias à Pontificibus occiditur: Iacobus ab Herode: Apostoli singuli sua habuere martyria, quibus μαρτύριον hoc est, confessionem & testimonium veritati exhibuere. Mox Ecclesia plurimos exhibuit huiusmodi testes, vt est apud Euseb. lib. 5. ca. 1. 2 3. aliísque locis. Attalus ignitis carbonibus torretur: Blandina cum Pontifico diacono bestiis obiicitur, &c.

Alia sunt παιδεύσεις castigationes. Sic Dauid ob adulteriū & homicidium postea exulat, calamitates domesticas sentit. Paulo datus erat stimulus carnis, ne superbiret. 2. Cor. 12. Sic pij, quia in ipsis manet adhuc peccatum, habent suas pœnas in hac vita, vt sentiant ærumnas.

Alia probationes sunt, quibus Deus fidem explorat, & aliis spectandum proponit. Huc faciunt Iobi calamitates, in quo, constantiæ exemplum nobis voluit relinquere. Sic Patriarchæ exilio, fame, aliísque malis probati sunt. Ioseph venditur, incarceratur, ad regnum tandem per varia pericula ascendit. Δοκιμασία quædam fuit casti & pij animi.

Causæ. Porrò causas consideremus, cur Deus suos ita affligi patitur, vt ex his consolationem capiamus: & vitam nostram eò commodiùs regamus. Causæ debent considerari tripliciter. Partim à persona Dei, partim ab Ecclesiæ persona: denique ratione Satanæ. Nam in cruce illa tria agentia concurrunt, & quamuis diuerso agant respectu seu fine, tamen in vno eodémque interdum casu synerga sunt.

In cruce tria concurrunt agentia. Deus igitur primùm inspiciatur in cruce Ecclesiæ. Is vult non solùm agnosci: sed etiam timeri & metui à suis, supra tyrannos. Quare hanc obedientiam requirit, vt debitum cultum. Hinc Apostol. sententia, *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus*, Act. 5. Hæc Dei voluntas regula esse debet, ad quam referamus nostras cogitationes in cruce. Quòd si vult Ecclesiam suam ita exerceri, & stercorando fertilem reddere, quid dicemus aliud, *quàm oportere per multas tribulationes nos intrare in regnum Dei?* Act. 14. Cur verò ille sic velit, & cur nos ita oporteat ingredi, postea inter fines explicabimus. A persona Ecclesiæ: ad efficientes causas pertinet peccatum. Nec

2. Ecclesiæ peccatum. solùm infectio naturæ, quæ reuera peccatum est, & destructio ordinis diuini manens etiam in sanctissimis quibusuis: sed etiam actualia peccata. h. e. certa quædam delicta, quæ Deus punit, vt Dauidis adulterium punit domesticis calamitatibus. Hinc Mich. *iram domini portabo, quia peccaui ei*, &c. Et quanquam non sint externa semper delicta: cogitare tamen debemus superesse in aliis dubitationem, pusillanimitatem, neglectū officij, &c. quę Christus quoque punit. Quia peccatum sunt, & ei displicent. Itaque rectè potest responderi & propriè, cùm quæritur cur Ecclesia affligatur, aut boni viri malè habeant: Quia peccatū manet in Ecclesia, & boni viri quoque labuntur & peccant. Rectè igitur manent etiam peccati pœnæ.

3 Satanæ odium. Tertiò persona satanæ etiam ad efficientia pertinet. Nam osor est, & antiquus serpens, de quo dictum est, *Ponam inimicitias inter te, & semen eius*. Gen. 3. Hoc odium declarat in persequenda Ecclesia, in diuexandis viris bonis.

Amor domicilij. Deinde ipse Satan mirificè ambit & amat domicilium humani cordis & corporis. Proinde quærit omnes occasiones occupādi illud. Occupatum etiam admodū ægrè deserit, vt est videre in

re in obsessis, Matt. 8. 9. Huc pertinent organa Satanæ & ministri, quibus vtitur in persequendis bonis. Habet enim suos satellites improbos homines, tyrannos, quos incitat cōtra bonos. Aliàs elementis abutitur. Sic mare perturbat, vt obruat nauiculam, in qua vehitur dominus, Matth. Herodem incitat, vt quærat Christum inter infantes ferro, vt trucidet Baptistam, &c. Alios ad alia facinora armat. Organa.

Præterea huc referantur occasiones, quas arripit contra bonos; Christum in infantia persequitur, quasi faciliùs oppressurus: & eo prætextu effudit infantum sanguinem, delectatus, tali spectaculo. Petrum temerarium videt, tentat ergo, quantùm valeat. Occasio.

Item prætextus huc pertinet: Nam aliud confingit & obtrudit spectatoribus, quàm reuera sit in negotio. Blasphemi dicuntur, incendiarij, malefici, & inauditorum criminum authores, vt videre est apud Euseb. Iudæi Christum dicunt seditiosum esse, & affectare regnū, ob id morti adiudicatur &c. Ista in causa efficiente consideranda sunt. De materiali faciliùs est iudicare. Nā materia circa quā versatur ista actio, Christus est, deinde Ecclesia ipsius, deniq; singuli eius sectatores, præsertim verò doctores per quos nauem dirigit. Eius imaginem habemus in tēpestate illa Matth. 8. sæuit mare, ita vt obruatur nauis à fluctibus, vehitur autem in illa Christus cum discipulis, & fortassis alia modica turba fidelium. Hanc nauem petunt tempestates & fluctus huius mundi. Materia in qua sunt ipsæ occasiones, & singularia certamina. Vt Ioannes in Pathmo exercetur. Apostoli alij exilio, alij ducuntur ad Tyrannos, obiiciūtur feris, &c. hæc est palæstra Christiani hominis, in qua probatur fides. Huc pertinent exempla ad Hebr. 11. cap. Materia, ex qua nascitur crux, est partim confessio veritatis iuxta illud, veritas odium parit. Ioannes increpat Herodem & Herodiadem. Hinc illi quæsitus carcer: hinc capite plectitur. Taxatur mundus, & arguitur eius impietas, leuitas vitæ. Hinc mille pericula. Partim etiam odium Satanę, ex quo tanquam officina publica omnia genera periculorum prodeunt. Cuduntur hic species & formæ persecutionum: Noua excogitantur hic tormenta. Est enim peritus iste artifex. Prætextus. Materia circa quam. In qua. Ex qua.

Forma complectitur varietatem crucis. Alia est interna, alia externa. De in alia versatur circa bona tantùm corporalia, in quibus est iactura opum, honorum, famæ, amicorum, fortunæ, liberorum, rei domesticæ, &c. Alia versatur circa ipsam vitam. Fundēdus est sanguis, iugulum præbendum gladio. Paratus est ignis, feræ, mille cruces. Verùm hæc varietas non potest recenseri. Typicam eius habemus ideam in tempestate marina & fluctibus, quibus adumbratur nobis varietas illa qua Satan alia atque alia forma contra bonos concitatur. Forma.

Finales causæ ampliorem habent considerationem, & sunt etiam huius loci propriæ. Nam plurimùm interest scire finem, cuius respectu agat Deus ita cum suis electis. Dixi suprà, primū inspiciendas causas efficientes: ad quas etiam retulimus Deū. Quare in omni afflictione cogitemus primùm Deum hæc ita nobiscū agere, nec illo inscio quicquam nobis euenire mali. Deinde cogitemus de fine, cur ita nobiscum agat. Hìc multa sese offerunt. Finis.

Primùm vt nos peregrinos agnoscamus in hoc mundo, vt de alia cogitemus patria permanente. Hinc tot exercitia, quibus mentes nostras aliò vocat. Hinc etiam tot speciosæ similitudines quæ ad ecclesiam militantem pertinent.

Nauis est apud Matt. 8. quæ fluctibus obruitur. Hinc excitatur Christus. Portū auidè petunt. D. Augustinus eleganter hanc imaginem illustrauit in Psal. 93. cuius verba sunt: cùm cœpisset Christus tantis vocibus prædicari, cœpit irasci mare, cœperūt crebescere persecutiones. Cùm eleuassent ergo flumina vocem suam, à vocibus aquarum multarum, mirabiles suspēsuræ maris. Suspensuræ exaltationes sunt. Quia quando irascitur mare, suspendūtur fluctus. Suspēdantur fluctus quantùm volunt, fremat mare quantum vult: mirabiles quidem suspensuræ maris, mirabiles minę, mirabiles persecutiones: sed vide quid sequitur, mirabilis in excelsis dominus: Compescat se ergo mare, & aliquando tranquilletur, detur pax Christianis. Turbabatur mare, fluctuabat nauicula. Nauicula ecclesia est, mare seculū est. Venit Christus & ambulauit super mare & pressit fluctus, &c. Nauicula.

Rubus est ardens Exod. 3. qui vritur: sed non comburitur. Ita hunc rubum interpretatur etiā D. Hieronymus in mansionibus. Rubus.

3. Ciuitas obsessa, quæ oppugnatur in dies, sed non expugnatur. Defensores habet Angelos, Quam imaginem diffusè tractauit D. Augustinus de Ciuit. Dei. Allegoriæ notādæ.

4. Luna laborans sub eclypsi item crescens & decrescens: semper tamen renouatur & à sole iterum illustratur. De quo habes locum in Augustino in enarrat. Psal. 10.

5. Archa Noë diluuio exposita. In hac seruatur Noachus cum Ecclesia, ex tanta mūdi clade.

6. Mulier parturiens Apoc. 12. quam persequitur draco: seruatur tamē & mulier & infans.

9. Lilium inter spinas Cant. 2. speciosus est eius aspectus: sed difficili loco nascitur. Huc pertinēt aliæ imagines, vt quòd agro cōfertur, quòd vinea dicitur. Nam subsunt labores putationes, repastinationes: quib. adūbratur fideliū crux. Cogitēt ergo pij propriam hanc esse formam Ecclesiæ, nec aliam postulent propriam aut singularem, auocent mentes suas aliò, ac dicant,

Per varios casus, per tot discrimina rerum.

Tendimus in patriam veram, vitámque perennem.

Ecclesia Christi cruce crescit.

Secundò, crux bonos comitatur, quia sic crescunt optimè & perficiuntur ad vitam æternã. Hinc aurum illud purum, quod igni probatur. Cùm igitur crescat Ecclesia sub cruce, satis nobis esse debet rationis, vt huic sorti acquiescamus. Testatur id eleganter totius Ecclesiæ historia. Hinc D. Hieron. ait, fundendo sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias Christi fundata est Ecclesia, persecutionibus creuit, martyriis coronata est. Et in vita Malchi: persecutionibus creuit. Postquam verò ad Christianos principes venit: Potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. Huc pertinent similitudines de agro, de vinea, &c.

Tertiò, vt sint exercitia fidei, inuocationis, pœnitentiæ, aliarumque virtutũ, quæ nunquam meliùs discuntur, aut conseruantur, quàm in ipsa persecutione.

Quartò, eò faciunt, vt agnoscamus Dei præsentiam. Nam cùm mirabili ratione liberat suos ex periculis extremis, discunt præsentiam Dei agnoscere. Discunt constanter orare, discunt aliis gratiam Domini commendare.

Quintò, de suis viribus, discunt desperare & agnoscere Dei potentiam, quę est efficax in nostra infirmitate. Nec id tam in liberando, quàm in perdurando in afflictionibus. Ferunt tormenta non solùm viri: sed mulieres, pueri quoque ad stuporem vsque. Non possunt illa non commouere etiam tyrannorum interdum pectora.

Illustre socratis dictum.

Sextò, Testimonia debent esse veræ doctrinę. Hæc sunt verè, nomine & re μαρτύρια, quæ posteritati relinquit Ecclesia, quò firmiùs insistat vestigiis suis. Vtilia sunt exẽpla in imitationem.

Septimò, sunt testimonia futuræ vitæ, in qua sit ærumnarum compensatio. Nam cùm boni pessimè hîc vt plurimùm habeant: colligere debemus testimonia esse vitæ æternæ, in qua boni sint meliùs habituri. Socrates apud Platonem testatur sese libẽter moriturum hoc nomine, quòd visurus esset cœtus veterum heroum, Nestorem, Homerum, &c. Nos multò firmiùs excitemus nos, qui scimus visuros veros Angelorum cœtus: Sanctorum congregationes ab initio, mundi Apostolorum, Martyrũ, Prophetarũ: & inter illos ipsum Dei filium Iesum Christũ. Huius rei nobis testimonia exhibent afflictiones in hoc mundo.

Octauò, vtilis est etiam eo nomine, quòd deponitur fiducia nostri: deponitur fastus & superciliũ carnis: discimus nos ipsos agnoscere, & cupiditatibus, libidini, aliisque malis affectibus ponitur repagulum.

Nonò, Filio Dei similes esse debemus etiam hac in re. Rom. 8. Item sufficit discipulo vt sit sicut magister. Ioan. 15. Item, non est discipulus supra præceptorem.

Decimò, Censura hæc discrimen facit inter verè credentes & hypocritas: quos segregari est necessum, vt manifesti fiant filij Dei.

Vndecimò, Propagatur etiam cruce & afflictionibus Ecclesia Christi, vt est videre in Diocletiani, Maximiniani persecutionibus, aliisq; in quibus Ecclesia dispersa est per orbẽ, & multiplicem fructum dedit. Sic ex dispersione Apostolorum facta messis. Hæc & similia ad causas finales referre debemus.

Effecta.

Huc pertinent effecta crucis, quam rem vt boni fructus consequũtur. Efficitur hinc primùm probatio. In aliis qui scilicet perdurant, conspicitur βεβαιοπιστία vt in Apostolis, in veris martyribus. In aliis ὀλιγοπιστία vt in infirmis, qui ad tormenta resiliunt, quanquam boni fuerint. In aliis detegitur ἀπιστία & ὑπόκρισις, vt qui priuato commodo pietatem metiuntur. Deinde statuuntur exempla martyrum, qui militanti Ecclesiæ facem præferunt, viam mõstrant ad victoriam. Sunt hæ mercuriales statuę, quæ peregrinantibus viam ostendũt. Præterea sanguis martyrum irrigat vineam Domini. Item impij inexcusabiles redduntur, alij conuertuntur, vt Centurio sub cruce, &c.

Cognata.

Cognata cruci sunt. Primùm carnis imbecillitas, quæ crucem horret & præsidia cupit conquirere. Deinde huic oppositum est fidelium officium, quod sub cruce domino præstare debent. Illud est in his ferè positum. Primùm Christum accedunt. Deinde eundem precibus excitant, inuocant, angustias & præsentia enarrant pericula. Hinc in illis excitatur spes & confirmatio. Tertiò, consideretur hic officium Christi, qui vigilat, hoc est, exaudit inuocantes, & tẽpestatem vel sedat, vel tolerabilem facit, confirmat enim suos spiritu suo, vt possint & velint durare. Docet interim Christus in ipsis alios: increpat mundi ingratitudinem, impiorum tyrannidem, aliorum ὀλιγοπιστίαν. Quæ omnia vt plurimùm comitatur quoque admiratio & stupor apud spectatores qui medij sunt, &c.

DE PERSECVTIONIBVS.
LOCVS II.



PRIMVM, Persequi est vim inferre, vel insidiis appetere: quemadmodum Augustinus vocem hanc explicat in sermone Domini in monte habito. Vis est cùm arma sumuntur contra pios, cùm ad supplicia, ad mortem rapiuntur nomine Christi. Insidiæ autem cùm astu capiuntur, vel blandimentis in periculum trahuntur, vel vitæ vel abnegationis. Diuus Augustinus vtriusque petit exemplum ex historia Passionis Christi: qui enim tradidit Dominum insidiis egit.

Nam stipulatus proditionem, opportunam tradendi occasionem quæsiuit: nec refert, quòd Dominus illam presciuit & ad eandem se accommodauit. Qui autem crucifixerunt, vim intulerunt, quòd sententiam mortis sine iusta causa extorserunt Pilato.

Tertullianus de fuga scribens, ait persecutionem esse Agonem, quo Deo iudice confusus fidelium aceruus ventilatur, discernendo frumentum martyrum à paleis negatorum. Rem ex causis descripsit: in persecutionibus enim in primis ad Deum iudicem vt authorem debemus respicere. Pertinet autem ad eandem considerationem quoque, persona Ecclesiæ & Satanæ: quòd verò adiecit, discerni frumẽtum martyrum à paleis negatorum, ad finem pertinet. Nam huc Deus respicit vt suos probet, quanquam & alij fines etiam hic considerari debeant: nec enim δοκιμασία solùm huc pertinet: de quo vide locum de cruce Ecclesiæ. Persecutionis descriptio ex Tertulliano.

Definiamus ergo persecutionem ita.

Persecutio est conditio Ecclesiæ, qua variis periculis exponitur pro nomine Christi, idque Dei consilio: eandem definitionem vide in loco de Cruce. Definitio persecutionis.

II. Persecutio diligenter distingui debet: non enim vnius est generis. Manichæi olim gloriabantur de persecutionibus, ideóque penes se quærendam esse veritatem contendebant: quos diligenter refutat Augustinus, lib. 2. de moribus Manich. idem fecerunt Donatistæ, vt videre est apud August. epist. 61. & 166. Circumcelliones, etiam prædicabant suas persecutiones, vt videre est epist. 68. Ideóque diligenter attendendum est, ne persecutionum species nobis imponat. Statuamus igitur ita.

Persecutio alia bona est, alia mala. Bona, qua boni iusta de causa malos persequuntur, vt dum Iosue persequitur hostes populi Dei, Dauid Iebusæos delet. Pius magistratus persequitur latrones, grassatores, & alios homines nocentes. Mala est, quæ à multis contra bonos instituitur, vt Iulianus persequitur confessores nominis Christi, euertit scholas, prohibet ingenua studia piis. Mala dicitur quia à malis suscipitur, bona dici poterit, quia bonis imponitur ad salutem. Diuisio persecutionis.

Hæc diuisio eò debet diligentiùs obseruari, vt intelligamus crucem imponi diuinitus non piis solùm, sed impiis quoque: vt Iudas quoque affligitur, non solùm Christus, Herodes etiam, & nõ solum Apostoli: communis ergo palæstra est, in qua sudant non solùm martyres Christi sed & Satanæ. Ideóque rectè dixit August. causa, non pœna, martyrem facit. Christus sanè hoc discrimen apertè significauit Matth. 5 cùm addidit, *Beati qui persecutionem patiũtur propter iustitiam*, Si enim sola persecutio causam commendaret, non erat opus hac clausula *propter iustitiam*. Item quod eodem est capite, *mentientes aduersus vos*.

Quare in persecutione respiciendum est, vt patiamur eam pro Christi nomine, pro iustitia, & vt illi qui nos persequuntur mentiãtur de nobis, cùm omne malum verbum dixerint contra nos: ne patiamur tanquam fures, aut malefici.

Secũda diuisio, Alia est externa, qua hostes Ecclesiæ fideles vrgẽt, eos sedib. eiiciũt, & bonis omnib. exuũt. Niceph. li. 7. ca. 2. Alia domestica qua in pace ipsi fideles sæpe scindũtur ac sese cõtentionib. tradũt. Hæc vt plurimùm à petulãtia, rebus secũdis oritur, sempérq; plurimũ mali intulit Ecclesiæ. Hic. n. subortę hæreses & schismata, quòd nullus modus nec finis esset quęstionũ & cõtẽtionũ: ex his fontib. orta est persecutio sub Diocletiano, quæ postea latissimè serpit.

3. Diuisio. Alia est priuata, alia publica, de priuatis quædam diximus in loco de cruce. Hic igitur persequamur publicas, hoc est illas, quę totas Ecclesias Christi implicarunt. Huius generis passim reperio 10. enumerari, quæ aliis fuerunt maiores, plúsque sanguinis fidelium absumpserunt. Has breuiter perstringemus. Decem publicę persecutiones Ecclesiæ.

Prima Neronis sæuitia commota est, anno Imperij illius 13. in hac absumpti sunt Petrus, Paulus, Iacobus maior, Iacobus minor, Philippus, Bartholomæus, Barnabas, Marcus, Apollinaris. Scribunt nonnulli Petrum in hac persecutione in ipso carcere baptizasse 47. Christianos. Nero autem vt libidini Satanæ indulgeret liberiùs, hortos suos populo Romæ obtulit spectaculo huic, in quo die noctúque fideles occidebantur.

Secunda Domitiano principe qui anno 12. Imperij sui crudelissimè persecutus est Christianos. In hac persecutione Ioannes Euangelista in olei feruentis dolium coniectus est, sed illæsus euasit: hinc in Pathmon relegatus. Martyres celebres hic facti sunt Cletus, Nicomedes, Pontia, Theodora, Domicilla. Ioannes Euangelista.

Tertia. Sub Traiano: hanc efflagitarunt improbi fidelium hostes. Itaque 10. anno Imperij sui iussit inquiri in Christianos: in hac absumptus est Simeon Cleophæ filius Episcopus Ierosolymitamus secundus. Vide epistolam Plinij secundi pro Christianis ad Principem scriptam. Nam illius intercessione videtur mitigata persecutio in tantum, vt nõ inquirerentur pij, nec sine accusatione certorum criminum occiderentur. Epistola Plinij secũdi pro Christianis.

Quarta. Sub Antonio Principe: in hac Polycarpus Romam tractus est ad bestias. Iustinus Philosophus & martyr quoq; pro fide occubuit, cuius extat Apologia ad Principẽ pro Christianis, pestis dirissima huic finem dedisse fertur.

Quinta. Sub Seuero Imperatore: de hac vide Niceph. lib. 5 cap. 2. in hac martyr factus est Leonides Alexandrinus pater Origenis, Irenæus Lugdunensis Episcopus, Alexander Episcopus Hierosolymitanus, Tiberius, Eusebius, Iulius, Valerianus, Eugenia, Perpetua, Felicitas.

Sexta persecutio, est Maximini, de qua vide Niceph. lib. 7. cap. 13. vbi narrat mirabiliter hanc finitam esse: nam in grauissimum morbum incidit, in quo sera tandem pœnitentia ductus, destitit à persecutione, templa illis restituit, ac pro salute sua orare eos mandauit.

Septima, Decij Imperatoris circiter annum Domini 251. Maxima hæc passim in historiis prædicatur persecutio: absumpsit multos bonos viros, imprimis Philippum Imperatorem cum filio, qui Christi fidem confessus erat, in cuius rei odium Decius adhuc miles contra dominum suum surrexit, & eum occidit cum filio itidem Philippo: diuinitus tamen cohibita est, nam solùm biennio regnauit, vt est apud Niceph. lib. 5. cap. 25. martyr. hic etiam factus est Fabianus, vt est eodem lib. cap. 26. Cyprianus, vt est eodem lib. cap. 27. Serapion, Apollonia, Victoria, &c.

Cyprianus.

Octaua, Valeriani Imp. fuit. Is initio pius & fidelibus amicus, sed mox ab impostore ad idola reuocatus, tantámque rabiem contra Christianos induit, vt passim curaret trucidandos. Absumpsit hæc persecutio Cyprianum, vt alij referunt, quem ex Nicephoro priùs diximus sub Decio passum. Laurentius quoque huc refertur, quem alij sub Decio martyrem constituunt. Hippolytus, Quirinus, Valentinus, Romanus, &c. martyrio ab eo coronati sunt.

Nona, Aureliani: finita est hæc interitu Imperatoris, quem notarius proprius iugulauit.

Decima, Diocletiani & Maximiani: sæuissima hæc fuit: quemadmodum Decij maxima: durauit hæc biennio, vt refert Niceph. lib. 7. cap. 3. sed eo mortuo successores persecutionem continuarunt. Idem refert lib. 14. cap. 20. quòd in die Paschatis omnes vbique Christianorum Ecclesias dirui iusserit, & pios occidi. Eusebius refert, 20. milia intra dies 30. martyrio affecta. Comburebantur etiam sacri codices, examinabantur etiam serui: initium cœpit primū à militibus, quos primò honoribus exuit, vt est lib. 7. cap. 3. apud Niceph. Deinde eos occidit: mox ad præsides Ecclesiarum irrepsit: Ecclesias euertit: fideles in ipsis templis trucidauit. In Nicomedia. 10. millia, natalem Domini celebrantes simul concremauit.

Hæc persecutio Mauritium quoque absumpsit cum suis sodalibus, Vincentium, Cosmam, Damianum, Christophorum, Sebastianum, Marcellinum, Marcellum Episcopum, Margaretā, &c. Hæc insignes sunt persecutiones quas Imperatores maximi contra Christum susceperunt. Quibus possunt annumerari aliæ: qualis fuit Iuliani persecutio, qui astu non ferro persecutus est, sed liberales disciplinas & literas illis prohibuit. Sub quo mirabilis est Theodori iuuenis in martyrio constantia: & tempore Augustini Valens Imp. pios est persecutus, quum monachos coegerit militare.

Nicephorus lib. 8. cap. 36. narrat in Perside grauissimam fuisse persecutionem sub Sapore rege, à quo Simeon Episcopus quidam occiditur cum aliis 100. pridie dominicæ resurrectionis: hanc ipsam quoque citat D. Hieronymus, qui scribit in hac persecutione in die Passionis Christi. 16. millia martyrum affecta esse: quod idem testatur Niceph. lib. 8. cap. 37. ad finem. Finita est hæc persecutio opera Constantini Magni. Niceph. lib. 8. cap. 38.

Persecutiones fidelium quæ nostra ætate acciderunt.

Ad publicas persecutiones pertinent nostri seculi calamitates fidelium in Gallia, Flandria, Italia, Hispania, Anglia, quæ regna numero martyrum superioribus non cedunt: sed de his desino dicere.

Est & hæc quarta diuisio obseruanda, qua vtitur Augustinus in explicatione Psalm. 9. Alia est violenta, qua tormentis explorati sunt sancti, quæ etiam hodie durat. Alia fraudulenta, qua vsus est Iulianus, vtuntur ea hęretici, & falsi fratres. Tertia est mixta, hoc est, & violenta & fraudulenta, qua singulariter vsurus est Antichristus: nam & armis & signis prodigiosis sanctos conabitur à via veritatis auocare. Ideóque omniū est periculosissima, de hac loquitur Christus, Matth. 24. *surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & edent signa magna & miracula, ita vt seducant, si fieri posset, etiam electos*, & Mar. 13. vers. 22.

Causæ calamitatū.

III. Harum calamitatum vtile est cognoscere causas: nam & consolationem & emendationem præstabunt. Rectè quidem hîc Dei persona primitus consideratur à Tertulliano, is enim est agonotheta, qui suos probare & examinare vult: sic ad consolationem nobis faciunt. Nam intelligimus à Deo non solùm immitti, sed etiam gubernari: quod impij in suis calamitatibus perpendere non possunt, isti vt Deum iratum fugiunt, nullam spem de misericordia sibi faciunt. Boni contra suo bono imponi, & Deum cum tentatione daturum euentum, vt ad gloriā sui nominis persistere in confessione possint. Ad consolationem interdum euentus confirmat, vt Maximini persecutio mirabiliter finitur præter expectationem, Antonini, Decij, aliorúmque, cum omnes carceres, insulæ, metalla confessorum & martyrum catenatis gregibus implerentur, subita pestis, subita mors tyranni, aut insperata intercessio malis finem imposuit.

Deinde Satan hic expendatur: qui paci bonorum inuidet, odium illud antiquum serpentis declarat. Hic cautiores redduntur sancti: non enim illis lucta est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates tenebrarum, & aduersus principem aëris.

Tertiò, persona Ecclesię consideretur etiam, quę suis peccatis sæpe illa mala concitat, Deum enim ad iram prouocat, quemadmodum olim Iudaica Ecclesia: quæ Deum offendens, effecit vt iam Persis, iam Babyloniis, iam Ægyptiis, Græcis, Romanis, &c. traderetur: vt est videre in Esa. 42. & passim in Prophetis. Itaque in persecutionibus sancti etiam agnoscunt suam infirmitatem,

mitatem, sua peccata, & ad Deum pro remissione confugiũt. Interea falsa crimina, fraude obiecta, diligenter refutant. Constare enim debet de illorum innocentia, licet in conspectu Dei peccatores sint.

Falsa crimina illis semper sunt obiecta. Incendiarij sæpe proclamati sunt, sub Nerone quasi Romam incendissent. Euseb. lib. 8. cap. 6 refert incendium Nicomediensis illis imputatum. Falsa crimina sem per fidelibus obiecta.

Spurca mysteria per meretrices diuulgata de Christianis, vt est lib. 9. ca. 5. apud Euseb. Publicæ querelæ, & causæ famis, pestis, in illos reiectæ, quasi aëris læta temperies, & vberior segetũ fuerit prouẽtus, deletis Christianis. eodẽ li. cap. 7. Itaque clamabatur Christianis ad leonẽ, &c.

Athenagoras in sua defensione conqueritur, quòd solũ etiam nomen Christianis obsit: cùm non ipsa nomina, sed facta iniqua digna sint supplicio.

Tria verò insignia, commemorat de Christianis falsissimè conficta. Impietatem in deos omnes, quasi hi soli athei essent: Deinde cœnas Thyestæas, hoc est, quòd humanis vescerentur carnibus. Tertiò, Oedipodis concubitus, quibus nihil fœdius nec vanius illis obijci poterat. Vide quid Athanasio priuatim sit obiectum criminum, Arsenij cædes & brachium, quòd frumentum detinuerit, quòd Philumenem auro corruperit, quòd cum Magnentio egerit de occidendo Imperatore Constante, &c.

Refert Tertull. in Apolog. cap. 16. quod Asinarij dicti sunt quia publicè traducti, quasi colerent asinum, adorarent solem, aliáque nephanda. Christianorum Deus traducitur pictura Ononychitis, vt videre est eodem loco, &c. His conuitiis ac mendaciis delectatur Satan, quæ tamen re ipsa tandem deprehensa sunt falsissima.

IIII. Expendi etiam hic debet vtilitas persecutionum, quæ rationem habet finis, certo enim fine eóque bono, adeóque vtili, Deus illas permittit concitari. Vtilitates persecutionũ.

Primùm gloria Dei in his illustratur, probantis hunc, reprobantis alium, imponentis aduersa, & iterum deponentis suo tempore: manus Domini in his vtiliter agnoscitur, cuius virtus in infirmitate fidelium perficitur.

Deinde, ipsi Ecclesiæ afflictæ prodest: crescit enim hoc condimento magis. Augustinus de catechizãdis rudibus viti solet cõferre, quæ rigata sanguine suo, ampliùs pullulat: sanguine plãtata est Ecclesia Christi, sanguine igitur crescit & propagatur magis. Niceph. inquit li. 4. ca. 2. persecutiones Ecclesiã nitidiorem reddebãt. Est enim in persecutionib. locus virtutibus, quarũ nitor in pace non potest videri: fides exercetur, constantia, & confessio, illustrior est.

Tertul. ait, fides in expeditione, solicitior & disciplinatior, in ieiuniis, orationibus, humilitate, dilectione, sanctitate, sobrietate: non enim vacat, nisi timori & spei. Hinc est quòd Hieronymus coticulam fidei appellet persecutionem.

Propagatur etiam latiùs in persecutionibus: nam cùm cætus dissipantur, alij aliò dilapsi doctrinam veram spargunt: quo sanè consilio Deus in primis noluit vni loco alligari Ecclesiam, sed demigrando passim spargere veritatis cognitionem: hinc dissipatio discipulorum Ierosolimis facta est, vt Samaria, Asia, Græcia, aliæque nationes acciperent doctores, discipulos Christi, præcones veritatis.

Sic in illis decem magnis persecutionibus semper aliqui elapsi alibi docuêre, alij cum exercitibus Romanis hinc inde ducti, sparserunt illam doctrinam: sic Mauritius, Vrsus, Felix, in has terras peruenêre milites ex Thebaica legione, ac vestigia fidei reliquerunt incolis, quæ sensim creuerunt. Paulus Ierosolymis eiectus in Illyricum vsque deduxit Euangelij notitiam, hinc captus, Romam intulit illius cognitionem, vbi biennio docuit, Act. 27.

Apostoli diu Ierosolymis substiterunt: deinde in Pella, tempore excidij vrbis, mox dissipato illo cœtu in omnem orbem flammæ dissipatæ sunt.


Thomas Osroenos docuit, Abgarum etiã regem, Euseb. lib. 1. ca. 13. Andreas Scythis prædicauit, lib. 3. cap. 1. Euseb. in Græciam etiam peruenit. & Byzantij docuit. Simon Zelotes in Africa, Niceph. lib. 2. cap. 40. Britanniam etiam adiit, idem lib. 2. cap. 4. Marcus in Ægypto, Libya, Cyrenæis & Pentapolitanis prædicauit, idem lib. 2. cap. 43. In Europa Paulus in primis docuit per Greciã, Italiã & Hispaniã: Barnabas Mediolani & in Lõbardia finitima, vt testis est Bergomẽsis. Rauẽnæ docuit Apollinaris, vt scribit Nauclerus. Petrus, vt scribit Henricus de Erdfordia, Ægistum, vnũ de septuaginta, misit in Germaniam, qui circa Luneburgum docuit, & cũ Mariano ibi martyr est factus, in Bardeuuick. Lucius Cyrenẽsis, de quo Act. 13. Ratisbonæ docuit, Marcus Pauli comes Bæduri, hoc est, *zu Boffonn*, Crescens Moguntiæ, Clemẽs Metis, Nathanael Treuiris docuerũt & Coloniæ à Petro ad id emissi. Mauritius in Valesia, Vrsus ad Iutam & Solodori, Felix Tiguri persecutionibus acti docuerunt, & fidem sanguine cõsignarũt.

Hoc beneficium debemus persecutionibus, quòd in illis ærumnis Deus mundo offert. Hodie dissipationes Ecclesiarum idem præstant, si quis id accuratè obseruet.

Demùm vtiles ad hoc sunt vt detegantur reprobi & palam deplorati: nam aperti hostes Ecclesiæ hic deteguntur, deinde hypocritæ tanquam paleæ ventilando separantur à tritico martyrum. Hi coronantur martyrio, illi pœnas suffugiendo, in æternas incidunt. Est quidem Dei Ecclesia hic mixta: tamen illi putridi pisces aliquando prodendi sunt & zizania cum paleis cognosci debent etiam in hac vita, &c.

DE CONSTANTIA IN PROFESSIONE Christi.

LOCVS III.



HRISTI sectatores, non tam ex professione, quàm professionis constantia iudicandi sunt. Quemadmodum Cic. de Philosophis dixit, non ex singulis vocibus Philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constãtia. Ideo vtile est vt sancti sæpe conditionem suam & vocationem in memoriam reuocent. Ad crucem & angorem sese vocari, quantúmq; præstare nomine Christi velint & posse præstare sperent, idque eò magis quia caro infirma est, vt vt spiritus fuerit promptus. Expedit igitur sæpe carnem in colloquium cum spiritu producere, vt de communi salute deliberet simul, si res in periculum deducatur: de prælio quid speret, de euentu & victoria quantum sibi polliceri possit, faciet certè illa meditatio paratiores ad omnẽ fortunã. Discant igitur adolescentes quoque maturè in his cogitationibus sese exercere, vt vna cum ætate crescat in nobis vsus militiæ Christianæ. Considerent igitur primùm, quid hæc virtus sit.

Definitio. Constantia est virtus inter pertinaciam & mollitiem constituta, perseuerans in vera Christi professione contra omnia aduersa auxilio Spiritus sancti ad salutem.

Definitio sumpta est ex causis: ostendit enim causam formalem, materialem, efficientem & finalem.

Forma. ὑπερβολή. Forma enim est quod inter duo extrema perseueret. Excessus dicitur pertinacia, quæ est in mala constantia. Quales hodie sunt Iudæi in conceptis & prauis opinionibus pertinacissimi contra Christum Filium Dei. Tales etiam hæretici conuicti in defendendis dogmatibus suis. In Republica hoc vitio laborant ambitiosi, qui in suis sententiis constantiam tuentur ne victi appareant, & inde maiores habeantur eis honores. Græcis tales dicuntur αὐτάρεσκοι, sui admiratores, & vitium ipsum αὐθάδεια. Nos tales vocamus *Einthënig*, q. d. vnisonos, semper enim oberrant, vt mali musici eadem in corda. Item *harët nëckig*, duræ ceruicis, duri & intractabiles ingenio, cedere enim melioribus nesciunt.

Mollities opponitur constãtiæ per defectũ. Defectus dicitur mollities, quæ cedit periculis, vbi cedendum non est: deserit hæc bonam causam, & pertinaciter malam causam ad mortem vsque tuetur. Dicitur βλακεία stoliditas, à βλάξ pisce stolido, & esui inepto, adeò vt ne à canibus tangatur. Et χαύνωσις & χαυνότης leuitas, quia facilè cedunt durioribus, vt spongia, & corpora porosa durioribus cedunt. Tales sunt timidi & meticulosi in qualibet re. Apostolus hoc vitiũ ad Eph. 3. v. 13. vocat ἐκκακεῖν, quòd est ἐκκάμνειν, laboribus succumbere, cedere malis, terga dare. Inter hæc duo vitia media est constantia, quæ βεβαιότης dicitur, à basi, vt apparet: nam & columna in basi solida & firma stat, sic constantes in sua professione minimè vacillãt. sed sunt omni in parte tetragoni, in eandẽ sententiam verbo κραταιωθῆναι, vtitur Apostolus ad Eph. 3. ver. 16.

Ex his intelligi potest qualis sit vir pius & verè constans à pertinacia abest: quia veram tuetur sententiam, & pro veritate mori paratus est. Non est etiam mollis, quia non cedit, deterioribus quod illi nefas est facere. Christum agnouit, eúmque toto pectore recepit, ideo ex animo dicet, Nihil mihi triste Christo recepto. talem voluit depingere Horatius virum bonum.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni.
Mente quatit solida, neque auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Non fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur Orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Sic pro Christi gloria affectus erit vir pius, vt cedere crimen iudicet, constare sibi & nulla pallescere culpa, summam gloriam.

Causa efficiens. Sed considerent studiosi etiam causas reliquas, ne quid in hac virtute sibi tribuant. In definitione causa efficiens expressa est, Spiritus sanctus. Is enim dat hanc voluntatis constantiam, & robur impauidum, contra quæuis pericula. Est ille Spiritus consolator quẽ suis promisit Christus, Ioan. 15. imò & ipse Filius Dei promisit seipsum præsentem. Nõ deseram vos: sed sum vobiscum vsque ad consummationem seculi, omnibus diebus. Itaque Apostolus eã virtutem optat Ephesiis à Deo, vt scilicet per Spiritũ eius corroborẽtur. Omnino enim Deus dat & velle & perficere, & Iudith inquit, *Da Domine in manu mea, viduæ, quod cogitaui robur.* Sic Machabæi in periculis confugiunt ad Deum, vt illis animi constantiam largiatur.

Causa adiuuans. Adiuuãs causa est ardẽs oratio, ieiuniũ & similia exercitia quibus pij in aduersis occupãtur. Ita videmus Apostolos, in carceribus orare ad Deũ, laudare Deum & illius implorare auxiliũ.

Finalis

Finalis causa est vita æterna, salus æterna, pro qua decertant tanquam pro corona, & laborum præmio. Interim agnoscunt in Deo agonotheta liberalem gratiam. Finis etiam est gloria Dei, illustratio nominis Christi, confirmatio veritatis, & vt exempla ponant posteritati, quæ imitetur: præsentem quoque Ecclesiæ statum confirment, multósque ad similia testimonia veritati exhibenda excitent.

Materialis causa hic duplex est expressa: prior vt fundamentum, seu materia in qua versatur. Illa est vera de Christo notitia, eiúsque professio, in qua cum rectè sit imbutus, huic indiuulsa adhæret, tanquã fundamentali lapidi. Ideo diligenter est animus noster imbuendus veris sententiis, ne pro veritate opiniones sequamur, & postea non pro veritate, sed pro opinionibus decertemus. Quod accidit Hæreticis & Schismaticis qui non constantes, sed pertinaces potius dici merentur dementati Spiritu erroris, & fascinati opinionibus: reprobi à Deo & indurati iusto Dei iudicio, Quod malum diligenter à nobis auertat Dominus Iesus Christus.

Altera est materia circa quam versatur, seu obiectum cõtrarium. Huius generis sunt omnia aduersa quæ pium à proposito suo auocare conantur, qualis est mors, carcer, persecutio, tormenta & similia. Hæc palæstra est in qua virtus ista desudat. Sic inquit Tertullianus ad Martyres: virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur. Et Cyprianus, & ipse Martyr, de Martyrum constantia inquit, Creuit pugna, creuit & pugnantium gloria. Itaque animus diligenter est muniendus contra aduersa vt quicquid eueniat opinione minus videatur. Pia Tertulliani sentẽtia.

II. Expendunt etiam aliquot rationes, propter quas hanc obedientiam Deo debemus si res ita postulet.

Primò Deus hanc obedientiam à nobis requirit: vt nomini ipsius testimonium exhibeamus.

Quemadmodum igitur ipse constans est: ita nos in veritate qua Deus est, constantes esse oportet. Sic in Paulo requirit constantiam Angelus, Act. 23. *θάρσει constans sis. Roma etiam oportet te de me testari.*

Deinde præceptum est Christi, quod sectatoribus suis dat, tollere crucem suam, & Christum ducem, Matt. 16. q. d. Sectatorum meorum proprium est constantes esse in aduersis, crucem portare, hoc est, cum aduersis confligere. quemadmodum igitur præcepit constantiam: sic exemplo suo eam docuit.

Et sanè indigni sumus Christo nisi hac ornemur virtute: ideo dixit apud Matth. 10. *Qui non suscipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Indigni certè nomine Christiano qui pro virtute erubescunt crucem ferre.

Inepti etiam ad regnum cœlorum & vitam æternam tales sunt Luc. 9. *Nemo manum suam apponens ad aratrum, & respiciens, idoneus est ad regnum cœlorum.* Respiciunt inconstantes: aratrum deserunt negantes, Deum non metuunt supra omnia, cum is solus possit animam etiam in gehennam perdere, Matth. 10.

Apostolorum hæc vota passim sunt, & piorum omnium, vt Ecclesias constantia muniant. Eph. 3. Rom. 16. 1. Cor. 1. 2. Cor. 13. & passim alibi.

Est etiam nobilissima professio, veritatem constanter fateri. Requirit igitur dignitas illius vt constanter in testimonium prębeamus, cum in rebus leuioribus homines interdum ad miraculum vsque sint constantes. Argumẽtum à minori ad maius.

Nec deest quoque certa consolatio Spiritus sancti, quam Christus promisit, qui dictat dicẽda & facienda in ipsa hora: Tertull. pręclare inquit Spiritum sanctum nobiscum ingredi carceres ad confirmandos nos. Luc. 21 v. 15. Matth. 10 v. 19.

Mirabile sæpe adest Dei auxilium, vt pręter spem sibi & aliis prosint sua constantia, quemadmodum in act. Apost. Liberantur ex carcere per Angelum, & pręses carceris cõuertitur ad Christum. Simile refert August. de Firmo Episcopo Aphricano, qui hominem pium ad se confugientem persequutoribus noluit prodere: etiam ad tormenta raptus, noluit illum indicare: tãdem ad Imperat. ductus Episcopus Firmus, & sibi & homini qui quęrebatur ad supplicium, indulgentiam impetrauit: vid. lib. de Mendacio. Notanda historia.

Reliquæ virtutes omnes sine hac sunt inutiles, adeo vt nec spes, nec fides, nec charitas quicquam prosint sine constantia, Domino dicente, *Qui perseuerauerit vsque ad finẽ hic saluus erit,* Matth. 10. Damnantur igitur πρόσκαιροι, temporanei illi, qui benè quidem incipiunt, sed deficiũt in medio cursu: non coronatur qui fortissimè incipit currere, in medio autẽ cursu deficit.

Ideo hæc sola etiam habet spem obtinendi promissa bona, vitam æternam sola hæc ingreditur: cùm reliqui deficiendo excidant, hæc minimè: ista via ardua est, & paucis nota.

Reliqua omnia facilia efficit, & quæque durissima euenit, leuioráque in dies facit vsu, assuescit enim animus, & ipsum corpus tandem laboribus. vt athletæ suis exercitiis indurantur, vt labores familiares & faciles fiant, qui aliis durissimi videntur.

In hac re Martyres adeo præstiterunt vt aliquando ipsis tyrannis & carnificibus insultarint in ipso martyrio: tantum potest præsens Dei auxilium. Constantia martyrum.

Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.

Posteritati hęc exempla debemus, nam vt sanguine Apostolorum & martyrum plantata est

Ecclesia Christi olim: ita certè decet vt à nobis ad posteros hoc seminariū transmittatur: adeo vt sanguine idē obsignemus, si Domino ita visum sit. Sic Prophetarū tempore, pij in veris sententiis confirmati sunt Prophetarum & aliorum constantia. idem nos posteritati debemus.

Est maxima consolatio in rei euentu posita, quia nobis vita æterna ob id promissa est: iudicium in impios, consortium Angelorum, aspectus Dei, contubernium Prophetarum & omnium sanctorum. Contrà, defectoribus, persecutoribus, aliisque impiis æterna pœna, damnatio, luctus, lachrymæ, tenebræ, confusio extrema, dicente Domino Christo Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quia illorum est regnum cœlorum:* & Sapient. 5. *Tunc stabit iustus in confidentia multa, contra faciem eorum qui angustiauerunt eum: videntes turbabuntur timore magno, & stupebunt in insperata salute, & dicent intra se, hic erat quem aliquando habuimus in derisum, quomodo computatus est inter filios Dei, & inter sanctos sors eius?*

Constantia Ethnicorum nos ad constantiam in professione stimulant.

Et sanè turpe sit nobis, Ethnicos tot dedisse exempla constantiæ pro vana mundi gloria, pro tuendis opinionibus incertis: Hæreticos pro dogmatibus suis semel assertis non dubitasse mori aliquando. Quid ergo non facient Christi milites pro veritate ipsa asserenda, pro vita æterna, pro gloria nominis Christi, pro Dei maiestate illustranda? Dicant pleno spiritu,

Tu ne cede malis: sed contrà audentior ito. Dominus nos iuuet sua gratia.

DE LEVITATE.
LOCVS III.



LEVITAS dicitur, quæ iusto caret pondere & relatiuè ad aliud benè dicitur, quod pari non constat pondere: vt ventus leuis dicitur, quia terræ & aquæ tenuior est pondere. Sic Græcis dicitur κυφότης, de rebus pondere carentibus, & per consequens, quæ mobiles sunt: quo sensu dicitur & ἐλαφρότης παρὰ τὸ ἔλαφος quia ad cursum, quolibet strepitu cerui excitantur. Vnde etiam Homerus ἐλαφροὺς πόδας veloces pedes. Κενότης dicitur vanitas, quæ caret re solida: hinc in corpore humano, κενεών, dicitur pars ossibus carens. Vt igitur Græcis κυφότης ἐλαφρότης & κενότης, idem sunt: ita apud Latinos, leuitas, mobilitas & vanitas in pari significatione accipiuntur: quod enim leue est, inane est, & vtrunque mobile.

Leuitas pro incōstantia morum hic sumitur.

Per translationem autem leuitas dicitur de morum inconstantia, quæ est instabilitas quædam animi, vanitas consiliorum, qua nunc huc nunc illuc, mens impellitur, siue in vita, siue in sermonibus. Hoc vitium Apostolus ad Cor. 2. cap. 1. vocat ἐλαφρίαν, & à causa efficiente describit, esse κατὰ σάρκα βουλεύειν, secundum carnem consultare, hoc est, vt carni consultum videtur. Item à forma dicit esse, si in alicuius sermone simul sit ναὶ & οὒ, hoc est, affirmatio & negatio: id enim extremæ leuitatis est idem affirmare, & idem mox negare: promittere & non præstare, dicere & non seruare: quale vitium Salustius Ciceroni grauiter obiecit, quod aliud stans aliud sedens diceret, & Cicero Antonij vitam leuissimam fuisse dicit, vt qui in cauponis cœnitaret propinaret & obuoluto capite noctu obambularet, ne agnosceretur. Definiamus igitur leuitatem ad hunc modum.

Definitio leuitatis.

Leuitas est mobilitas animi, qua non satis graui de causa mores vel sermonem facile mutant. Causa efficiens est debilitas seu impotentia animi, qua non satis firmiter hæret in vno obiecto bono. Nam motus quidem natura competit animo hominis, & qui æternus est, & quietem nesciens: sed peccato regularis ille motus corruptus est, vt non in vno bono, hoc est, Deo, sed quouis obiecto moueatur. Hæc inconstantia mox in mores & vitam, dicta & facta effunditur.

Obiectum illius, est bonum apparens rationi, quæ liberum vult esse mutare consilia, ad motum commodi: inde non diutius in proposito manet, quàm sibi videtur expedire. Vnde verissimè dixit Apostolus id esse κατὰ σάρκα βουλεύειν.

Proinde in definitione diximus, vitium hoc non satis graui de causa consilia mutare, & id quidem faclè.

Non omnis leuitas aut mutatio est culpabilis.

Primùm enim non omnis mutatio culpabilis est, sed illa quæ fit in peius. Hinc Græci dicunt, Oportet εὐμετακινήτους εἶναι πρὸς τὸ κρεῖττον, ἀκινήτους δὲ πρὸς τὸ χεῖρον, ad bonum facilè mobiles, immobiles ad malum. Deinde in mutatione consiliorū sæpe excusat grauitas causæ, quæ mutationem suadet. vt Pompeius mutat consilium de conflictu, Huc facit necessitas quę cogit: vt Paulus non venit Corinthum vt promiserat: sed illum excusat necessitas, quæ sæpe illum coegit de vita desperare, nedum consilium mutare de profectione Corinthum. Hoc non considerant leues, sed animi morbo, consilia mutant. & Basilius, quibus mens est facilis ad mutationem, his vitam esse μὴ τεταγμένον, hoc est, non ordinatam oportet.

III. Considerandum est in quos cadat imprimis hoc vitium.

Timidi leues & inconstantes.

Primùm cadit in timidos, quos pusillanimitas leues facit: vt miles metu periculorum detrectat pugnam, ad quam tamen fidem dederat.

Deinde in credulos: nam & isti sæpe consilia mutant, non satis graui de causa. Sic dicit Ecclesiasticus

clesiasticus. *Qui citò audit, leuis est corde.*

Tertiò, qui omnia metiuntur vtilitate, qua cessante, mutant consilium, quo modo vulgus præcipuè leuitate laborat, vt vulgus Iudaicum, Christum iam dignum imperio iudicat, quia conferunt manifestam vtilitatem corporalem: mox eundem cruce dignum clamitant, quia expedire rebus suis vident. Et Israelitæ Mosen approbant in Ægypto, mox illum repudiant, quia Pharaonem plus prodesse putant. Idem in deserto aliquando declarant, Exod. 16. Num. 13. vers. 14. Quia sua quærunt leues sunt.

Quartò, assentatores eo vitio præcipuè laborant: huc pertinent parasiti, latrones, ganeones quibus in ore est illud, Aiunt, aio: Negant, nego. In causa religionis, illustre huius habemus exemplum in historia Tripart. lib. 6. cap. 38. de Eccebolo: Is enim mores & religionem ad nutum imperatorum mutabat. Sub Constantio seuerissimum se finxit Christianum, mox sub Iuliano gentilis effectus est: rursum post Iulianum iterum Christianus esse voluit, quia principem talem esse videbat. Ideo scribunt de eo, quod prostratus ante ianuam templi, clamarit magna voce, Conculcate me saltem insipidũ. Tales Ecceebolos hodie multos habet nostrũ seculũ.

Quintò, huic vitio subiecti sunt arrogantes & honoris auidi. Ideo Demostheni obiecta est κουφότης, leuitas, quod in applausu populari sese offerret, vt conspici posset. Historia de quodã Porphyrio.

Sic de Porphyrio refert historia Ecclesiastica initio fuisse Christianum: sed cum in Cæsarea Palestinæ à quibusdam Christianis cæsus esset, iram non ferens, Christianismum per furorem abnegauit. Et Iulianus ante principatum Christianus fuit, adeo vt lector Ecclesiæ constitueretur Nicodemiæ: sed mox in spem imperij erectus, religionem mutauit: Hunc elegãter depinxit leuem Nazianzen. his verbis, *Consensus & negatio simul, ratio nulla ratione consistens.* Trip. 7. cap. 2. Trip. 6. cap. 5.

IIII. Possitne mutari consilium sine leuitatis nota? Ex superioribus id facilè patet: posse mutari sæpe consilia, vt absit tamen leuitas. Trip. 7. cap. 2.

Primùm enim non omnis mutatio vitiosa est: sed est quædam in meliùs propositi emendatio, ad quam oportet esse faciles: inde illud εὐμετακινήτους δεῖ εἶναι πρὸς τὸ κρεῖττον, ἀκινήτους δὲ πρὸς τὸ χεῖρον. Ex quo perspicuum est consilia variis de causis mutari posse, vt absit leuitas. Deinde in definitione diximus mutari hic mores vel consilia, non satis graui de causa. Vbi igitur iusta satis est & grauis subest causa, leuitas non potest habere locum. Adde quòd vir bonus in communi vita sæpe etiam mutat multa tum in moribus tum in consiliis sine reprehensione. Vnde illud Catonis, Consilia variis de causis mutãtur.

Temporibus mores sapiens sine crimine mutat. Mores igitur sine causa mutare leuitatis est argumentum. Deinde in peius mutare, leuitatis est, imò impietatis, si cum religione sit coniuncta, vt Ammonius preceptor Origenis à puero fuerat Christianus, senex tandem rediit ad philosophiam. Et Hero Alexandrinus, dicitur monastica vita relicta ad secularem rediisse, hoc est, piis moribus abiectis prophanos assumpsisse. Exemplum prioris sit, Curio Hostis Cæsaris acerrimus, quem mox studiosissimè defendit, non satis graui de causa: auro enim & splendidis promissionibus corruptus, id fecit. Sic in promissionibus, stipulationes, conuenta & pacta rescindere sine causa, aut nõ satis graui de causa, leuitas est: vt Carthaginienses Scipioni in pactis promiserant elephantes, camelos, naues, aliáque udituros Romanis: verùm Hannibale redeunte ex Italia, mox conuentorum pœnituit, vnde seminaria noui belli pullularunt. Curio Hostis Cæsaris mox fit eius defensor.

Contrà sæpe incumbens necessitas cogit mutare. Aliàs honesto fine mutantur, aliàs rebus ipsis mutatis, mutantur deliberationes: cuius illustre est exemplum in 2. Corinth. 1. Apostolus promiserat aduẽtum suum Corinthiis in priori capit. 15. nec venit postea. Calumniatores mox leuitatis accusant Apostolum: sed defendit se, quia venire non potuit persequutionum magnitudine præpeditus. Fuit enim illi de vita desperandum, ne dum de profectione Corinthũ. Deinde honesto fine mutauit, si maximè nulla impendisset necessitas: ne scilicet præsentia sua plus doloris afferret quàm gaudij, hoc est, plus incommodi, quàm commodi. Præterea dedit illis locum ista mora corrigendi sua vitia, de quibus per Apostolum fuerant admoniti.

Denique tota prius acta vita & doctrina cũ professione Christiana semper fuit hactenus aliena à nota leuitatis. Non est igitur probabile in hac promissione non præstita voluisse esse leuem: itaque calumnia mera est, à maleuolis studiosè excogitata, vt extenuarent personam & doctrinam Apostoli.

Vir bonus nihil magis cauet. Est enim vitium hoc alienum à bonis moribus, quos studiosè amplectitur. Deinde à vera religione quoque alienum est. 2. Pet. 2.

Inde est, quòd Apostolus Petrus canibus & porcis confert eos, qui ad vomitum & lutum facilè reuertuntur. Et Christus Luc. 9. ineptum pronuntiat ad regnum Dei, *qui manu ad aratrum posita, retrò respiciat.* Prouer. 26.

Præterea ipsi semper dubij hærent, incerti quid sequantur, aut quos sperent euentus, quemadmodum nubes, quæ ventorum vi, nunc huc nunc illud impelluntur, & qualia sunt κύματα ἄστατα, hoc est, fluctus nunquam consistentes, quales sunt in Euripo. Inde & illud sequitur vt rarò ad speratos euentus perueniant. Cùm enim sæpe mutatur consilium ad propositũ, simul fructus differtur in aliud tempus, quemadmodum in plantis solet euenire, quæ semper translatæ steriles perpetuò manent, &c.

DE FVGA.
LOCVS V.


E fuga frequens est quæstio, vt de aliis nonnullis, an Christiano homini sit concessa, nec ne? quemadmodum quæri solet de bello, de gladij vsu politico, de vindicta. In quibus etsi ex sacris literis certa possit dari responsio: tamen simplices mentes humanum aliquid patiuntur, cui accedit sophistarum calliditas, calumniantium fugam omnem in homine Christiano, & quærentium in hac communi vita, quandam perfectionem impossibilem.

Dicamus igitur pauca hîc de fuga. Primùm de eius origine. Deinde quid sit. Tertiò quàm sit multiplex. Quarto denique expendamus ζήτημα istud. An homini Christiano interdum liceat fugere, nec ne?

1. Origo. Quòd originē eius concernit, Omnis fuga non eiusdem est generis. Nā prima origine fuga quidē est ex peccato orta. Sic Adam Gen. 3. postquā peccasset, fugit quærens latebras. Et Gen. 4. Cain à facie domini expellitur vagus & mobilis. Ionas tamen non tam post peccatum fugit, sed fugiendo demum peccat. Ionæ 1. Sic Ionæ factum ex inobedientia fugam habet culpabilem. Discipuli verò Christi ex infirmitate quadam fugiunt & deserunt dominum. Ita fideles à Paulo Apostolo fugiunt in prima sua defensione. 2. Tim. 4. Aliàs oritur ex spe tuendi stationē suam alio loco & tempore rectiùs. Vt Paulus dimittitur per sportulam ex Damasco. Act. 9. 2. Cor. 12. Christus fugit infans in Ægyptum inde rediturus ad vocationē suam: Paulus alibi meliùs facturus est officium, nec debuit tam citò opprimi spes in herba, debuit prodesse ecclesiæ Christi, mediis ergo idoneis ex periculo fuit liberandus. Quare fuga origine sua, h. e. causis efficientibus ac impellentibus alias ex peccato, pudore & dedecore promanat. Aliâs pœna est necessario imposita, vt in Caino. Aliâs imbecillitatis est, vt in discipulis. Aliâs prudentiæ humanæ & inobedientiæ, vt in Iona. Aliàs etiam est iusti consilij & prudentiæ serpentinæ, quam in suis requirit Christus, vt in Apostolis, in Paulo, aliísque piis martyribus, qui sæpenumero fuga conseruarunt vitam, non tam sibi quàm Ecclesiæ Christi.

2. Definitio. Quid sit fuga? Ex his iam constituamus de definitione. Fuga est loci mutatio mali præsentis vitandi, alibíque meliùs degendi gratia, suscepta cum timore domini. Definitio bona est, constat enim genere & suis differentiis. Quod enim mutatio loci dicitur, genus exprimit, ac significat declinationem quandam præsentium malorum, quæ euitari non possunt nisi mutando locum. Quare ad formam illa particula potest referri. Mala præsentia materialis est causa, ex qua fuga nascitur. Finis est, vitare periculum, alibi melius degere. Efficiens timor Domini, qui ad illa media capessenda hortatur, ac distinguit hæc differentia inter fugam temerariam, quæ caret timore domini, & ob id turpis est: & inter honestam fugam, quæ concessa est, & cum iudicio Spiritus Sancti suscepta, qualis fuit Christi, Apostolorum, Pauli, Athanasij, &c.

Fuga alia temeraria & turpis, alia honesta. Nam quod nonnulli afferunt ex Augustino in Psal. 67. qui scribit, quòd fuga sit animi timor, non admittimus: nam nec omnis fuga timor est, aut ex timore animi enata. Quis enim Christum timoris in fuga sua arguat, cum potiùs sit prudentiæ, declinare furorem præsentem, séque melioribus conseruare rebus? Nec ipse Augustinus omnem fugam sine discrimine damnat, vt suo videbimus loco. Estque imperfecta definitio, cùm non omnis animi timor fuga dici possit, vt hic de fuga loquimur, nec omnis fuga sit animi, cùm etiam corporis sit alia. Nostra verò cum definito ἀντιστρέφεται, quæ nota bonæ definitionis solet esse apud censores harum rerum.

3. Definitio. Porrò quàm sit multiplex fuga, inspiciamus. Alia est animi fuga, alia corporis. Animo fugimus, quæ auersamur. Ita vitia fugimus, & contagionem malorum, cum quibus tamē nobis est versandum: sic è mundo ipso possumus fugere animi proposito, omnia negotia mūdi contemnentes. Sed est & hæc media fuga. Nam & ad dominum sic fugiūt aliqui, nonnulli verò à domino. Dauid ad dominum percutientem fugit, & ait, Tu domine refugium meum: contra Saul à domino fugit ad auxilia humana, ad Necromanticos &c. cum quibus tandem perit.

E mūdo quomodo fugiant fideles. Corporis fuga nostri est instituti, de hac ergo videamus. Est & hæc multiplex. Nam aliter fugit Adam faciem domini, Aliter Abraham famem, aliter Christus Herodem.

Multiplex fuga. 1. Statuamus ergo primam fugæ speciē in rebus externis, quæ pietatem non impediunt nec eam etiam propriè concernunt, sed quę cum pietate seruata suscipitur. Quemadmodum Abraham fugit famē Gen. 12. Iacob fugit à facie Esau fratris sui in Haran ad Labanū. Gen. 17. Et idem fugit cum omnibus quæ habet ex Haran, dum Labam tonderet oues, qui fugam Iacobi, tertia demum die intellexit. Gen. 31.

2. Altera species fugæ est, quæ suscipitur post læsam pietatem, cùm lædens interim à læso non quæratur ad mortem. Vt Adam post transgressionem fugit, Cain post homicidium, Absalon post rebellionem. Fugiunt isti, quia pœnas peccati metuunt. Hæc mala est, quia ex peccato oritur. Sic Ionas, inobediens domino, fugit. Sic fugit Onesimus post commissum furtum. Sic omnes malefici pœnas sceler um fugiunt.

3. Tertia

3. Tertia species est, quando nomine religionis quærimur, & periculum est, vt ob confessionẽ ad supplicium ducamur, aut ob cognitionẽ veritatis ad mortem rapiamur. Sic quæritur Christus ab Herode, qui repertus, ob veritatis cognitionem periisset, pro quo pereũt infantes innocentes. Sic quæritur Paulus ab Areta in Damasco. 2. Corint. 12. sic quæsiti sunt Apostoli & pij martyres, & tandem deprehensi, pro confessione, diuersa subière supplicia.

Iam quod est nostri instituti propriũ, quæri solet hoc loco, an homini Christiano liceat fugere, nec ne: ac vt res careat ambiguitate, de hac tertia specie quæstio instituitur, hoc est, cum pietatis nomine ingruit persecutio, aut priuatim pauci vel vnus quæritur, possitne salua conscientia solum vertere, & mutando locum, declinare imminentia pericula? In hac quæstione triplices reperio sententias. 4. An sit concessa piis fuga.

Prima & antiquissima est Tertulliani, Qui ad Fabium Presbyterum scribens, penitus negat fugam omnem Christianis: quasi rem minime necessam piis. Circa annum do. 160.

Altera est Athanasij episcopi Alexan. qui floruit circa an. d. 340. Hic non solum interdictam piis fugam non esse, contendit, sed insuper præceptam scribit, idque ex vi verborum Christi. Mat. 10. *Si fuerint vos persecuti in vna ciuitate, fugite in aliam*, &c.

Tertia est Augustini omnium modestissima, qui concessam piis scribit ad Honoratum epistola 180. ac piè distinguit inter persecutionem publicam totius alicuius ecclesiæ, & priuatam, qua soli quæruntur ministri ecclesiarum. De singulis obseruationes & præcepta piè tradens, de quibus infrà paucula. Nunc audiamus eos, qui cum Tertulliano hodie quoque omnem fugã adimunt piis.

Primò aiunt, præceptum Matt. 10. *Si persecuti fuerint vos in ciuitate vna, fugite in aliam*, non esse generale, sed ad solos discipulos pertinuisse, & abrogatum, quemadmodum & alia duo ibidem posita: *Viam gentiũ ne ingrediamini*. &, *In ciuitatem Samaritanorũ nolite ingredi*. Quæ expressè sunt sublata Matt. vlt. *Euntes docete omnes gentes* &c. Itẽ Mar. 16. *Ite in mundũ vniuersum*, &c. Hoc præceptum si vos persecuti fuerint &c. fugite in aliam: an ad solos spectet Apostolos.

Respondemus non esse eandem rationem illorum præceptorum, & adhuc desiderari probationem, qua ostendatur hoc, sublatum & reuocatum esse. Nec enim sequitur: illa duo correcta sunt, ergo & hoc etiam reuocatum est. Ratio est: Quòd illis duobus manifesta habentur Christi emendantis verba vt est Matth. 28. & Marc. 16. Sed de præcepto fugæ, non extat locus, qui id corrigat. Quod sine dubio fecisset Christus, si & hoc emendatione opus habuisset. Et malè illi colligunt: duo hæc emendata sunt, ergo & illud tertium etiam emendatum est. Primùm hoc præceptum de fuga superioribus duobus non cohæret, ergo non ad eandem regulam trahi debet. Deinde alia multa sunt ibidem præcepta, quæ pari ratione possis eadem consequentia, cõspici, cõtendere fuisse emendata: quo nihil sit absurdius. Quod vt faciliùs possit perspici paucis rem perstringã. Christus Matth. 10. mittit discipulos ante faciem suam, vt doceant per Iudæam. Ac formulam instructionis eis exhibet, in qua hæc sunt præcepta. Primùm qui docendi in hac legatione non sint. *Gentes scilicet & Samaritani*. Deinde qui docendi sint. *Oues perditæ domus Israel*. Tertiò, quid debeant docere? *Appropinquauit regnum cœlorum*. Quartò, quid facere debeant: *Infirmos sanare, leprosos mundare, mortuos suscitare, dæmonia eiicere*. Quintò, quæ sit expectanda merces: *Gratis accepistis, gratis date*. Sextò, vnde viaticum & res necessariæ sumendæ? *Ne possideatis aurum & argentum*, &c. *sed in quãcunque ciuitatem ingressi fueritis, inquirite*. &c. Septimò, quid de reprobis statuendum? *Excutite puluerem de pedibus vestris*, &c. Octauò, quæ sint illis expectanda pro laboribus istis pericula? *Ecce mitto vos velut oues*, &c. Nonò, his periculis opponit antipharmaca. Primùm simplicitati cõiungenda est prudẽtia. Deinde, Dabitur etiã in mediis periculis certa defensio. Tertiò, perseuerantia sola prodest. Quartò, licebit etiã interdũ fuga declinare pericula. Quintò, exemplum suum illis proponit: Non est discipulus supra præceptorem, &c. His aliísque multis instruit eos & confirmat contra imminentia pericula. Formula instructionis Apostolis data per Christũ.

Iam expende quàm rectè præcepta instructionis cum consolationibus argumentis confundantur. Deinde quæ sit illa intemperies, ex tot præceptis primum arripere & ad eius normam non reliqua proxima: sed solum istud de fuga accommodare? cur non eadem lege licebit, secundum, tertium, quartum, & reliqua ordine, dicere esse correcta?

Hic operosè nobis se opposuit. D. Thamerus, ac conatus est reconciliare hæc duo præcepta, dicítque idem esse, aut idem valere has duas propositiones. In vias gentium ne ieritis: &, Fugite ex vna ciuitate in aliam, nisi quod vna affirmatiua, altera negatiua. Qui enim ex vna ciuitate Israelis in aliam fugit, vias gentium nõ ingreditur. Verùm arbitror Sole clarius discrimẽ esse. Et satis dedit, cùm, qualitate pugnare, dixerit: pugnantia igitur sunt: & ob id non sunt idẽ, vias gentium non ingredi, & fugere. Sed & id falsum est, quod sumit, vt is qui ex vna ciuitate Israelis in aliam fugerit, non possit vias gentium ingredi, cum per vrbes gentium interdum itinera ad proximas vrbes Israëlis ducant.

Quare non obtinet quod vult. Prius mandatum est correctum, ergo etiam posterius de fuga correctum est. Idem enim non sunt, nec solùm qualitate pugnant, vt ipse affirmat, sed forma & conditione temporis ac personarum: cùm illud de via gentium, ad primam discipulorũ missionem pertineat: posterius de fuga, generale sit non tam ad discipulos, quàm ad omnes bonos ministros & ipsum Christum pertinens. Nec addit Christus in fugæ præcepto, vt ex vna ci-

fugerēt solùm in terra Israel, vt Dom. Thamerus interpretatur: sed ex præcepto de fuga licita, argumentum consolationis illis proponit contra tot proposita pericula. Quasi verò Christus voluerit tantum in terra Israel omnia illa fieri, quæ ibidem præscribit, qualia sunt quid docere, quid facere debeant, quam expectare mercedem, &c. Quòd autem speciale hoc faciat mandatum inter tot generalia illius capitis, non video firmam rationem. Quare distinctio firmior erit, si specialia dicas illa, quæ aperto verbo Christi postea sunt correcta. Generalia autem mansisse, quæ ab eodem Christo & Apostolis correcta non sunt.

Porrò, quòd tandem rem totam conatur eludere per λογομαχίαν, Quasi verbo fugiendi, quędam insit insolēs logomachia: nihil ei prodest ad causæ defensionē. Nam nō est quęstio de verbo φεύγειν, quod cōstabat iam ante à Luca. cap. 10. reddi per verbū ἐξέρχεσθαι & a Marco ἐκπορεύεσθαι. Quid tum? Res in eo versatur, an Christiano liceat fugere nec ne? ac negotiū eò descendit, vt illi demonstrandum sit præceptum de fuga esse sublatum. Quod nisi fecerit, persistit consequentia inuiolata, Christus iussit fugere, ergo Christiano licebit authoritate præceptoris sui fugere. Nec debuit eò etiam confugere tandem, vt licebit authoritate præceptoris sui fugere. Nec debuit eò etiam confugere tandem, vt diceret propter seipsos non licere præsens periculum declinare. Nam id iam pridem excepimus. nec illa emollitio sui instituti tuetur quod profitebatur, quòd præceptum esset sublatum. Dat autem quasi herbulam nobis. Nam si propter seipsos non licebit, ergo propter dominū licebit. Stat ergo propositio nostra immota ex præcepto Christi, quod & ipsum correctum, nondum est demonstratum. Falsa est etiam interpretatio verbi, quia φεύγειν mox conatur per τελεῖν interpretari. Christus de cursu loquitur Apostolorum in verbo τελεῖν: sed quid hoc ad persecutionem, & fugam concessam, de qua nobis quæstio est? Reliqua verè habēt λογομαχίαν. Nam de affectata nō loquimur, nec eam vnquā sumus tutati. Obscurus autem est & in loquendo, & scribendo. Quis enim intelligit phrases eius? Christum passiuè pręcipere discipulis: contrà verò nos actiuè accipere? quis Palæmō, quis Oedipus nobis has tenebras discutiet? poterat apertiùs dici: Christum cōcedere fugam coactam, hoc est, vbi per vim auditores aspernarentur Apostolos, nollent eos non solùm audire, sed adderent minas & pericula: nos contrà tueri quæsitā fugam, vbi sine necessitate, & inuitis auditoribus, elabendi occasiones venarentur doctores. Sed in ea luce non poterat Sepia latere. Nō tuemur enim hanc fugam: sed quam Christus discipulis concedit solum.

Hęc collectio firmaest.

2. Aliud argumentum adducunt ex cap. 10. Mat. *Nolite metuere vobis ab his, qui occidunt corpus*, &c. Si non est timendum: Ergo multò minùs fugiendum. Dicimus non esse timendum, vt metu mortis, aut metu incommodorum aliquid designet, quod cum Dei voluntate & sua vocatione pugnet. Vult enim Deus timeri supra tyrannos: & ita quidem fuga quoque est prohibita. Verùm consequentia non tenet à vitioso timore, ad honestam & piam fugam. Nam qui sic fugiunt, non faciunt hoc, quòd animam suam pluris faciant quàm Dei gloriam, aut quòd timore percussi negare Christum velint: sed ne tentare videantur dominum, & accersere periculum non necessarium.

Quompiis & fugere liceat.

3. Quòd autem addunt Deo sciente & volente immitti persecutionem, cui nemo debeat sese subtrahere. Respondemus non consequi. Antecedens verum est, omnia præsciente & sic disponente Domino euenire. Quod autem assumunt, ergo in persecutione nemo debet fugere, mala est consequentia. Nam & fames, & bellum, & pestis, morbi quoque, mors ipsa à Domino est. Quæ eadem sequela non possent vtiliter declinari, quod sanè absurdum est. Pręterea qui fugiunt, non eo nomine fugiunt, vt velint se ordinationi diuinæ subtrahere, sed eidem se se cōseruant. Nam de hora nondum sunt certi, sequuntur ergo præeuntē & vocantē dominū.

4. Ad idem recidit, quod aiunt impossibile esse, vt effugiamus illa, quæ Deus ab æterno de nostra morte determinauit. Et ob id non esse fugiendum: quod si faciant, Dei ordinationi & potentiæ sese opponent. Nam qui fugiunt, si pij sunt, Dei potentia potiùs nituntur. Sciunt enim se non effugere posse, nisi Deus voluerit & idonea media concesserit. Rom. 9. *Non est volentis neque currentis.* Deinde nolunt etiam statutam horam mortis effugere, de qua nondum certi sunt, & media salutis vident sibi diuinitus concedi: quæ si negligerent, Deum magis viderentur tentare, & insultare voluntati eius, quàm fortitudinis laudem consequi. Vbi verò vident horam imminere, nec ampliùs sine pudore & dedecore gloriæ Dei, fugam concedi, vtique non solùm persistunt: sed alacres & sponte sua se periculis offerent.

Quando fuga est licita.

5. Iterum dicunt: Omnis persecutio est bona, facit enim ad gloriam Domini, & nos meliores reddit reuocando ad Deum, ergo fugiendum non est. Respondemus asyllogistian esse in argumento, quam debuissent tollere. Nam plura sunt in argumento, quæ illud multiplex & dubiū faciūt. Primùm omnis persecutio est bona. Ergo nulla est fugienda, non tenet consequētia. Cùm bonum aliud sit per se & sua natura bonum, aliud per accidens. Sic per se mala, bona fiunt per accidēs: vt mors: bonum est mori & esse cū Christo: tamē mors euitari potest suo tēpore & loco, vt non sit necessum omnes mortis occasiones arripere. Sic de persecutione res se habet. Bona est, quia Deus illa ad bonum vtitur, quòd verò ad hostes Dei attinet, qui organa sunt persecutionis, per se mala est, & ob id non est necessum quæuis mala ab impiis tolerare. Deinde quòd faciat ad gloriam Dei ambiguum est. Nam & fuga in persecutione interdum facit ad gloriā Dei: & quid, si Deus ob id interdū persecutiones immittat, vt illustretur illius potentia

Bonum per se & bonū per accidēs.

tentia, dum mirabili modo suos eripiat,& eludat hostium conatus? Omnis igitur persecutio facit ad gloriam Dei,siue manendum sit,siue fugiendum.Fuga elabitur Dauid tot insidias Saulis,quæ res magis illustrauit gloriam Domini,quàm si ad primos conatus se gladio persequẽtis obtulisset. Videmus etiam,quot elegantissimos Psalmos in fuga composuerit,& Deo interdum agit gratias,quòd ad fugam quasi pedes ceruorum dederit. Tertiò & illud in argumento ambiguum est,quòd nos meliores reddat reuocando ad Deum. Nam persecutioni tribuitur, quod gratię Dei est,& Spiritus Sancti:meliores enim reddere,item conuertere ad Deum gratiæ diuinæ est,nec istius conuersionis dici potest causa,persecutio,nisi per accidens:cùm eiusdẽ vera causa & efficiens primaria sit Spiritus Sanctus.Qui si desit persecutio in nobis edet potius desperationem,impatientiam,apertam etiam blasphemiam & abnegationem nominis Christi:qui veri & proprij effectus sunt persecutionis,quoad Satanam.

Exemplũ Rutilij martyris.

Adducũt exemplum Rutilij martyris ex Tertulliano,Qui multoties fuga fuerat elapsus: interdum etiam pecunia pericula redemerat.Tandem improuiso apprehensus,tormentis examinatur & igni traditur.Facilè est respondere exemplo.Rutilius vt vir bonus fugam accommodauit ad gloriam Dei,& honestis mediis est vsus quoad licuit. Cæterùm cùm media tollerentur honesta,forti animo martyrium subiit,ac constantia sua testatus est, quid de fuga senserit.Verùm vt demus aliquid eum fugiendo deliquisse,non ob id concludi debet,omnes fugientes delinquere.Hæc præcipua sunt argumẽta,quibus hodie quidam,in primis autem D. Thamerus, fugam in genere damnant. Habent ea ex Tertulliano,quem tamen & ipse Thamerus mordet. Et fortasse poterat Tertullianus aptiùs defendi,quàm illi faciant,in hoc negotio. Nam scripsit illum libellum ad Fabium Presbyterum,qui tempore persecutionis consuluerat,an liceret fugere.Accommodat ergo totum argumentum ad eam personam,vt ministrum in ecclesia illa periclitante retineret.Deinde si illud argumentum ad totam Christi ecclesiam trahatur videãt iudicium D.Hieronymi de isto libello:qui recensens Tertulliani scripta,librum de fuga testatur contra ecclesiam scriptum esse.Cùm passim in omnibus persecutionibus Christiani fugerint,quoties iusta fugæ est data occasio.

Tertullianus suo ad Fabium libello conatur eũ retinere in Ecclesia periclitante.

Ad reliqua argumenta copiosiùs est respõsum ab aliis.Quare quid pro fuga dici possit,breuiter audiamus.

Primum habemus præceptum Christi Matt. 10. quod nõ fuisse temporale supra ostendimus. Ea igitur sit basis nostra.Christus nihil turpe,nihil etiam indignum suo nomini & gloriæ Dei Patris concessit suis.Fugam autem non solùm concessit:sed in loco & tempore pręcepit. Ergo fuga est res honesta in loco & tempore.

Nec volo vt hîc iterum dicant omnem fugam approbari,aut temerè concedi quibusuis. Nã suo loco solùm laudabilis est.Et eam tantùm defendimus,quam concedit Christus.

Rationes Fugæ licitæ.

Deinde insitum est in ipsa natura studiũ defendẽdi se suaque. Id dum fit honestè,& suo tẽpore & loco scriptura non improbat,imò damnat eos,qui talia media contemnunt.Historia Lothi satis id testatur.

Tertiò,pij hominis non est,anteuertere velle diuinam de nobis prouidẽtiam. Id quod omnino fiet,si citra discrimen omnis fuga damnetur,Qui enim scies hanc tuæ mortis horã,dũ vides offerri euasionis media?& tot exempla sint eorum,qui post fugam diu vtiliter & laudabiliter præfuerint?

Quartò,parcendũ etiam in hoc negotio non tã nobis,quàm hostibus,ne ipsi,quãtùm in nobis est,sanguine & cæde innocentium polluantur.Danda enim est ratio pro his qui nostra culpa deteriores redduntur.

Denique,tot sunt exempla honestissima in ea causa,vt sine rubore & salua verecundia non possit damnari fuga in vniuersum.Exemplum in primis D. Saluatoris habemus, qui infans in Ægyptum fugit,Matth.2.Et furori Pharisæorũ cedit,Matt.12.& 14.Herodis tyrannidem fugit, & Ioan.8.è templo cedit,cùm vellẽt eum lapidare.Paulus ex Damasco fugit iram Aretæ.Act.9. & 2.Cor.12.Reliqui Apostoli idem aliquoties facere. Patres itidem,Athanasius, quem Cõstantius in exilium egit,de quo ecclef.hist.lib.10.cap.17.18.& 19.&c.

Quare constat fugam in genere non esse damnandam,sed salutare interdum esse remedium, per quod Ecclesiæ idonei ministri possint conseruari.Ac honesta fuga in primis respiciet, quid ad gloriam Dei faciat,& ad commodum Ecclesię.Nam vt tota nostra vita ad gloriam Dei illustrandam facere debet,& proximi commodum:sic etiam fuga.Quòd ad Deum ergo,vidẽdum ne fugiendo imminuatur gloria Dei & consulamus potiùs nostræ imbecillitati,minúsque fidamus domino,quàm par est.Quòd proximum attinet,in primis cauendum est, ne cum offendiculo fratrum & detrimento Ecclesiæ fuga instituatur.

Epist. 180. ad Honoratum.

Eleganter hîc admonet Augustinus,ne ministri fugiant,nisi sint quorum opera interea vtatur Ecclesia.Quo consilio ait Paulum ex Damasco fugisse. Sin periculum est commune,& tota Ecclesia ad loca munita se confert,minister eandem sequi debet.Cùm verò periculum est peculiare quo soli ministri quæruntur,si alij sint qui Ecclesiæ docendo, consolando & administrando Sacramenta,præesse possunt,Ecclesiæ est, quæsitos ad necem occultare. Quòd si nõ sit satis tutum,clam dimittere debent.

Sin ad omnes ministros commune spectet periculum, & metuendum sit ne omnes pereant, consulit vt dum plures sunt, quàm Ecclesiæ obsessæ postulat necessitas, aliqui discedant reliquis manentibus. Et vt res suspicione & præiudicio careat, sorte quæstionem iubet dirimere, & quos sors liberat, liberè discedant: quos verò sors manere iubet, cum Ecclesia aduersa quæque perferant.

Verùm de his nemo rectiùs iudicabit, quàm is, quem pericula talia deprehenderint, quique Spiritu Domini illustratus, instinctu diuino, nihil sui quærens, ad gloriam Domini & commodum proximi ac animæ propriæ salutem totum se & in fuga & in perseuerantia manciparit. Dominus Iesus Christus tueatur Ecclesiam suam, & verè cordatos in talibus casibus, det ministros & consultores, &c. Amen.

DE SATANA ET MALIS SPIRITIBVS IN GENERE.

LOCVS VI.



VARIÆ sunt appellationes mali spiritus, ex quibus paucas explicabimus: præcipuæ sunt, Satan, Diabolus, Dæmon: aliæ accedunt tanquam epitheta:

Satan hostis. Satan Hebræis est *Satan*, idem ferè quod οἰεν hostis, inimicus. *Satan* enim inimicatus est, detraxit, significat. 1. Reg. 6. versu 4. Salomon ait *en Satan* non est Satan, hoc est, hostis. Græci habent ἐπίβυλος insidiator. 1. Sam. 29. duces Achis de Dauide, aiunt, reuertatur ad locum suum, ne sit nobis in prælio *leSatan*, hoc est, aduersarius 2. Sam. 19. Dauid de filiis Zeruia, cur estis mihi *leSatan* aduersarij? Zach. 3. Satan adest Iehosuæ sacerdoti magno *listena*, vt aduersaretur illi. Hinc fons Isaaci in Gerar dicebatur *Sitenah* inimicitia. Gen. 26.

Deinde est & alia huius nominis ratio: nam vox *satath* idē est quod *natah*, quæ significat declinare, deficere. Appositè igitur hinc satan dicitur quasi apostata, defector, defecit enim à Deo creatore suo, & fuit author, homini quoque vt deficeret, defectio præcessit, subsecuta est deinde inimicitia, quam inspirauit mox homini post lapsum quoque.

In historia Iobi, tertia occurrit nominis huius ratio, nam cap. 1. inter filios Dei adstat quoque Satan, quem Dominus Deus interrogat vnde veniat, respondet ille: *mischut baarets vmehithehallec bah*: qua sententia videtur ad vim nominis sui alludere: à discursu per terrā & à perambulatione per illam. Idem respondet cap. 2. iterum à Domino interrogatus. Est autem *Schut* lustrare, explorare alicuius consilia & actiones, inspicere mores, discurrere insani more. Quæ significatio propriè Satanæ furorem explicat, hinc D. Petrus. 1. cap. 5. ait illum circumire, ac quærere quem deuoret instar leonis rugientis: quo hoc ipsum expressit, furiosi more explorare nostra omnia, discurrere passim, vt ab eius insidiis nemo sit tutus. Hinc Christus Matth. 12. dixit quòd arida loca pererret, vbi non reperto idoneo loco tandem reuertatur ad prius hospitium, assumptis secum aliis septem, se peioribus.

Diabolus. Diabolus autem dicitur Græca voce, apud quos διαβάλλω significat insidiosè capio, fallo, implico verbis: quo sensu artes illius & fraudes multiplices intelligi possunt. Eustathius inquit, τὸ διαβάλλειν συκοφαντικὸν ἔχει τὸν νοῦν. Sycophanticum erat quod dicebat, non moriemini, sed eritis similes diis: vnde à Christo dicitur pater mendacij, quia vt fallat, excogitat falsa. Inter homines quoque serit rixas & bella: homines quoque amicissimos interdū separat sycophanticè, quod breuiter & eruditè dixit Aristoteles 4. Top. cap. 5. ὁ δυνάμενος διαβάλλειν, καὶ τοὺς φίλους ἐχθροὺς ποιεῖν, qui potest ex amicis inimicos facere.

Dæmon vox media est, & quæ in vtramque partem capi potest, bonis enim & malis cōmuniter tribuitur: hine δυσδαίμονες & εὐδαίμονες: κακοδαίμονες & καλοδαίμονες: tamen sacræ literæ nomen hoc in malam partem accipiunt, non minùs quàm Satanæ & Diaboli Matth. 8. Dæmones precabantur eum, si eiicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum, aliàs passim ferè dæmonium & dæmonia scriptura habet.

Dæmones scientes vel sapientes. Cæterùm nominis ratio explicatur eleganter à Platone, δαίμονες dici quasi δαήμονες: δαήμονες autem sunt sapientes, ex quo illam elegantissimam sententiam habet: δαήμονα πάντα δαιμόνιον εἶναι ζῶντα καὶ τελευτήσαντα, καὶ ὀρθῶς δαίμονα καλεῖσθαι, sapientem vel scientem quemlibet esse diuinum & dum viuit & dum mortuus est, rectéque dæmonem vocari.

Habent igitur nomen hoc à prudentia & sagacitate, nam post Deum conditorem, angelica natura sagacissima est: sunt etiam multarum rerum inuentores & architecti, quarum initia homines ad Deum retulerunt: hinc diuinum appellarunt δαιμόνιον, vt Platonem sapiētem, Aristotelem verò δαιμόνιον dixit antiquitas.

Tria præcipua malorum spirituū nomina. Hæc tria præcipua sunt malorum spirituū, & principis illorū nomina: Sunt huc etiā colligēda reliqua epitheta: vt quòd Ioan. 8. dicitur *pater mendacij, pater impiorū Iudæorū*. Ioan. 16. *princeps mundi*. 2. Cor. 4. *Deus huius seculi*, quia diuinos sibi arrogat honores, & haberi vult Deus inter homines: & impiorū reuera princeps est. Ephes. 6. *rectores tenebrarū*. Ephes. 2. *princeps aëris*. Colos. 1. *potestas tenebrarū*. Luc. 11. *Beelzebub*, hoc est, dominus muscarū: quale idolū in Ecrō fuit.

II. Quòd talis natura spiritualis sit, probari potest ex diuersis historiis. Iobi primo & secundo *inter filios Dei adstat Satan*, qui potestate accepta à Deo Iobum vexat variis calamitatibus. Matthæi quarto adest Christo in deserto, *spiritus tentator*: primæ Corinthiorum capite sexto, *Angelos iudicabunt pij*. Matthæi decimo, discipuli accipiunt potestatem contra immundos spiritus, Leuit. 10. lex est, de non immolãdo dæmonibus. Quæ scire eò prodest, vt refutari possint nostri Peripatetici vel potius Epicurei, qui dæmones hodie negant. Viuunt illi ita, vt neque Deum neque diabolum credant, nec vitam nec damnationem post hanc mortem, sed qualem illi optarent statum, talem sibi fingunt. Vnde illud apud eos inoleuit, dæmon non adeò niger est, vt eum fingunt pictores. Veteres Peripatetici Deum supremum admittebant, post quem rationales potestates non malè addebant, quæ mouerent orbes cœlestes: hinc animas hominum rationales: illas intelligentias bonas dicebant, quia ad bonum seruirẽt in mũdo. Nostri hodie peiores sunt, qui horum nihil credunt, Sadducæos rectiùs dixeris.

III. Quid autem sit illa natura rationalis & mala, variè explicatur. Proclus ex sententia Platonis dicit: quod sit substãtia animalis & intellectualis condita à Deo supremo: non satis explicat, quemadmodum nec Apuleius Platonicus, qui dicit dæmonia esse, natura animalia, ingenio rationalia, corpore aëria, tempore æterna, animo passiua. Dæmonia ζῶα appellat, vt Plato Deum quoque ζῶον dixit, cùm ζῶον potiùs concretæ sit naturæ, & non simplicis ac incorporeæ: rectiùs Græci Theologi definiunt quòd sit Natura rationalis bona condita primitus, sed quæ propria voluntate à bonitate exciderit. In qua definitione ista tria sunt. Primùm quòd sit substantia, & res iam per se subsistens, quo tollitur eorum sententia, qui docuerunt, malos spiritus solùm esse animorum nostrorum dispositiones & qualitates inhærentes, per se verò non subsistere, qualis est ira, amicitia: &c. quæ inhærent aliis qualitates, per se verò non habent substantiam. Sciendum igitur est, dæmones substantiam esse conditam, non qualitates inhærentes substantiis. Deinde quòd conditi sint: quod eò facit, ne putemus semper fuisse, aut Deo coæterno esse: quod Pythagoras inter Philosophos docuit, constituens duo rerũ principia, vnum boni, alterum mali. Inter Christianos Manichæi idem docuerunt, similiter & Archontici & Caiani hæretici, de quibus consule Epiphanium. Quid sit malus spiritus. Manichæi discipuli Pythagoræ.

Sacræ literæ testantur conditos esse. Coloss. 1 *Angelos ait conditos per Christum, qui est primogenitus omnis creaturæ*. Psal. 104 *qui creat Angelos suos spiritus*, qui locus citatur ad Heb. 1. Cæterùm quando sint conditi & quales, scriptura non exprimit: consentiunt tamen Theologi sub cœli nomine cõtineri Angelorum creationem: quod eò est probabilius quòd credãtur præesse omnibus cœlestibus, quos regunt & torquent sic iubente Domino.

Cur verò sit omissi, probabilis est ratio: ne homines ad idololatriã alioquin proni, inuitarentur ad illorum cultum, si speciem, potestatem, naturam diuinam, aliáque illorũ ornamenta legerent. Preterea ne putaremus Deum illorum opera vsum in concedẽdo, & disponendo mũdo, si iam productos priùs angelos audiremus. Vtut sit, certo & arcano Dei consilio factũ est, vt illorum creatio nominatim non sit descripta à Mose. Cœli nomine cõtinetur angelorum creatio.

Fuerunt apud Philosophos, qui dicerent cœpisse quidem dæmones, & esse aliunde ortos, sed ex hominum animalibus nasci: ex bonorum animabus fieri bonos & felices dæmones: ex malis verò effici cacodæmones: quæ sententia hodie à quibusdam adscribitur Platonicis, sed malè & inconsideratè: docuit quidem Plato quãdam metempsychosin, sed non hoc consilio: intellixit is animas migrare in noua corpora, Pythagorico more, & purgationibus sortiri loca digna vitæ hic actæ: quò facit Homericum figmentum de sociis Vlyssis, qui in porcos, vrsos, leones, &c. transeunt: sed nihil docuit Plato, quòd ex animabus hominum fiant dæmones, quod copiosè quoque confutat Proclus Platonicus. Platonis perpetua est sententia, dæmones medios esse inter deos & animas hominum. &c. Plato medios esse dixit Dæmones inter deos & animas hominum.

Tertium in definitione est, quod Dæmones lapsi sint sua quadam culpa & voluntatis libertate: quò facit locus Ioan 8 *in veritate non stetit*. 2 Petr. 2. *Deus angelis, qui peccarunt non pepercit, sed catenis noctis, in tartarum præcipitatos tradidit seruandos*. Iudas etiam testatur in epistola sua non seruasse angelos originem suam, *& ob id seruari ad diem iudicij*. Luc. 10. Christus ait *se vidisse Satanam de cœlo cadentem, vt fulgur*. Apocalyp. 12. *draco ille magnus in terram proiectus dicitur*. Esa. 14 *quomodo cecidisti de cœlo helel*, hoc est, Lucifer? Ezech. 28. de Tyro loquens, *perfectus es, tu in viis tuis à die quo conditus es donec inuenta est iniquitas in te*: quæ de casu angelorum interpretantur Theologi, quemadmodum locum in Iobo cap. 20. de *Behemoth, principiũ viarum Domini, qui fecit ipsum*.

Non sunt igitur mali conditi: sed boni: quos cùm eleuaret superbia sui cordis, in peccatum prolapsi sunt sua culpa.

IIII. Genera & species horum spirituum variæ recẽsentur: qui volet consulat Proclum, Iamblicum, Psellum, aliósque harum rerum scriptores. Vtilis est illa communis partitio. Spiritus alios esse bonos, alios malos. Priores boni dicuntur: malorum depulsores & custodes mortalium, quod repetit ex Hesiodo Plato aliquoties. Mali verò noxij, Alastores, Erinnyes dicuntur: Homero est Ate. Partitio spirituum.

Mali spiritus apud Platonem secundùm elementa distinguuntur, vt alij sint ignei, alij aërei,

alij aquei,demum alij terreni,de quibus vide Proclum.Michael Psellus Græcus scriptor sex genera dæmonum recenset.Primi ordinis dæmones barbara voce dicit nominari Lelurion, quæ vox Hebræa est, *leeluron:* significat autem Deum lucis.quare hoc genus igneum dicit, & versari circa orbem lunæ:secũdi aërei sunt circa aërem nobis vicinũ,tertij terreni, quarti aquei, quinti subterranei,metallici,qui infesti sunt metallicis hominibus:& nostri fabulãtur in specubus custodire thesauros,specie canum nigrorum,virginum,aut serpentum.Sextum genus planè tenebrosum est,& lucifugum,dirum & execrabile,hos omnes ait Dei & hominũ inimicos esse.

Sacræ literæ testãtur alios impuros spiritus delectari locis fœdis,vt sepulchris desertis, qualis ille Luc. 8. Matt. 5. Alij aquis & abysso, vt Leuiathan ille ludens in mari apud Iobum,alij in aëre.In hominibus alij muti sunt,alij furiosi,alij surdi,alij alios infligunt morbos,vt sacrũ morbum,lunaticum morbum,paralysin,&c.

Familiares dæmones. Alij familiariter sese insinuant hominibus,quales sunt vitiorum suasores ; alij in Angelum lucis sese transformant & oracula fundant:alij nugas tractant,irrident prætereuntes,lapidibus vidẽtur petere,omnia suppellectilia videntur subuertere,iam cachinnum tollunt,iam flent, iã strepitu omnia complent,quos appellamus *Bolderpeister.* Refert Olaus Magnus in Septentrionalibus regionibus aliquãdo assumptis corporibus eos oberrare inter homines, seruire etiam ad tempus seruitutem,sordida obire munia,verrendo domum , expurgare stabulum , ligna,aquam comportare,postea euanescere, &c.

V. Consideranda est etiam illorum natura,ad quam pertinet tum scientia,tum potentia.

Temporis diuturnitas, & longa experientia dæmones fecit sapiẽtissimos. Scientia in dæmonibus amplissima est sine dubio:nam cùm rationales sint conditi,temporis diuturnitas, longa experientia sapientissimos effecit. Præterita igitur norunt exactè, valent enim memoria,hinc Matth. 4.promissionum de Christo memor est tentator , nouit scripturam: *non offendes pedem tuum ad lapidem.* Act.19. *Iesum nouit fuisse in carne.* Præsentia quoque nouit,Matt.18. *venisti ante tempus torquere nos.* Act.19.Paulũ nouit.Futura quoq; nouit.Iacobi 2. *dæmonia credunt & contremiscunt:* scilicet quia iudicandos se norunt.& Matth.8.aiũt, *venisti ante tempus torquere nos.* Euentus quoque norunt rerum:quos possunt ex coniecturis colligere:norunt causas rerum in naturalibus exquisitiùs,quàm vllus Philosophus:norunt causas applicare generantes vt effectus habeãt,hinc miraculosè multa efficiunt. Accedit ingenij subtilitas & agilitas,vagantur momento huc & illuc,intersunt etiam consiliis & deliberationibus rerum apud homines.Dei quoque ministri,cuius consiliis etiam sæpe adsunt vt testatur historia Iobi. cap.1.& 2.& historia Achab.1.Reg.22.hinc effecta tanti temporis experientia,eos solertissimos futuri coniectores facit.Adde quod scripturam sollicitè quoque tenet,cuius oracula de futuris studiosè perquirit:hinc Christi natiuitatem adeò suspectam habuit,aduentum illius horruit, quasi nunc damnandus foret.

Omnia tamen non nouit:hoc enim solius est Dei:deinde quia Deus sæpe secũdas causas impedit,imò necessariò agentes mutat sæpe Dominus:hinc fit vt Satan sæpissimè erret, hinc in morte Christi errauit.Et quia videt se falli & decipi frequenter,astutè tegit sua oracula ambiguitate,vt interim Deus in mundo habeatur:inde passim Loxias Apollo dictus est, quòd ambiguè respõderet,quale Crœsi oraculum , *Crœsus Halym penetrans,magnam peruertet opum vim:* & Pyrrhi, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.*


Dæmones nostras cogitationes ignorant. Nostras quoque cogitationes scire non potest,cùm Dei hoc epitheton sit Cardiognosten esse:tamen ex moribus nostris,ex habitu,incessu,sermonibus,actionibus multa colligit, videt facilè in quam partem proni simus,in hanc nos mox præcipitat:& certè meliùs nos sæpè cognitos habet,quàm nosmetipsi,tanta nostra est securitas & stoliditas. Alterum est, quanta sit illius potentia.

In Iobo extollitur illius potentia in Leuiathan,& Behemoth,robustissimis beluis,Christus Luc. *fortem armatum ait,* Petrus *Leonem rugientem.* Reipsa autem declarat cùm passim nocet hominibus. Mat.2.occidit infantes per Herodem. Luc. 8. momento perdit porcos: mutos efficit.Mat.9.cęcos,Matt.12.claudos.Luc.13.furiosos Matt.8.aufert etiam ex cordibus nostris verbum Dei,Matt.13.Luc.8. cribrat fideles.Luc.22.Et Christus testatur,quòd cum signis & portẽtis venturus sit Antichristus,in quo operatur Satan,Matt. 24 2.Thes.2.

Huc pertinent nomina illius quę potentiam declarãt, *vt quòd Deus huius mundi dicitur, Princeps aëris,* hoc est, *aëris spiritus,* qui ex alto tanquam specula nostra omnia explorat, *rector tenebrarum: draco, serpens* & similia,quibus & robur & fraus exprimi potest. Auget illius potentiã hominis ad malum facilitas,nam illa in malo societas & audacem & potentem reddit. Prętereà credulitas,vt quicquid nobis offerat probabili specie,statim pro vero arripimus : hinc per miracula sese nobis commendat,quæ mox homines ad opera diuina malè rapiunt : vt quòd Æsculapius serpentem Romam ducit,quòd Claudia nauem trahit sola zona,Tuccia vestalis cribro haurit aquã,quòd idolum Apollinis viua voce loquitur, quòd de quercu auditur vox humana & similia, quæ arte dæmonis fiunt.

DE

DE TENTATIONE. LOCVS VII.



APVD Lucam cap.4. Nobile describitur certamen D. saluatoris Christi & Satanæ tentatoris, in quo superatis omnibus tentationibus, Christus diabolo monstrauit quid de illo sibi polliceri debeat. Et quanquam illo congressu Satan fuerit superatus: tamen non destitit deinceps insidiari Domino, quem adhuc tentationibus varijs persequitur in suis membris: de quorum numero cùm simus & nos, operæpretium est locum hunc de tentatione, paulò altiùs repetere, vt intelligamus vnde istæ nobis obueniant, & quam faciles ipsi simus ad lapsum, vt hinc infirmitatis nostræ admoniti cautiùs discamus viuere.

Πεῖρα & πειρασμὸς significat experimentum: inde πειράζειν tentare, hoc est, experimentum capere de re aliqua sibi aut aliis non satis cognita. Primitiuum videtur esse πείρω, hoc est, stimulo, pungo, quod sanè tentationis proprium est: quæ animum sollicitat ad rem aliquam, vtilem aut nocentem. hinc πεῖραν λαβεῖν quod est periculum facere, experiri alicuius vires, ingenium, virtutes, imbecillitatem & similia. Ratio nominis.

Apud Hebræos dicitur *nasa* à verbo *nes* quod significat signum, inde *nasa* signo & aliquo indicio inquirere in rem quampiam: vt amici fidem probare vis, petis ab eo, vt tuo nomine aliquid præstet: ex quo deinceps colligis, quantum illi tribuendum sit. Satan de Christi vocatione & diuinitate dubitat: petit ergo signa diuinitatis. idem Satan iam de diuinitate certior de constantia & perseuerētia pacturus, variis modis Christum persequitur, vt opprimat, aut Christum de gradu deiiciat.

Tētatio est conatus explorādi rem sibi vel aliis incognitam, tendens ad laudē vel perniciē tentati. πειρασμὸς ἐστιν ἐπιχείρησις τινὸς ἄδηλου εἰς ἔπαινον, ἢ βλάβην τοῦ πειρασθέντος τελοῦσα. Definitio tentationis.

Conatum explorandi dicimus: quia in tentatione noua est deliberatio & consilium de futuro euentu, quem innotescere volumus: vt Satan tentat Dauidem, obiecta forma Bersabeæ: Euam monstrata pomi elegantia: Iobi pietatem obiectis multis periculis: Deus Abrahami fidem obiecto filij sacrificio.

Conatus hic interdum vanus est & irritus: quales sunt Satanæ conatus vt plurimum in sanctis tentandis: in Christo tentando omnes irriti inuenti sunt. Aliàs effectum habent, vt in Adamo, Eua, Dauide, tentando. Dei tentationes omnes effectiuæ sunt, finem enim optatum consequūtur. apud Græcos ἐπιχείρησις quoque nō semper inanis est, sed ἐνεργητικὴ quædam est.

Ex quo emergit tētatio duplex, alia enim efficax est, in qua est ἐπιχείρησις ἐνεργητικὴ. sic Deus Abrahamum tentauit, ἐνεργητικῶς. Satan Adamum, Dauidem, Iudam, Simonem Magum, Ananiam & Saphiram, in his enim omnibus successus aliis fuit tentatoris. Duplex tentatio.

Alia tentatio est irrita, in qua est ἐπιχείρησις ἀργὸς, ἄνευ ἐνεργείας: quales Satanæ & hominum tentationes solùm sunt, sic Satan tentauit Christum sine effectu, Iobi patientiam, Apostolorum constantiam, piorum martyrum fidem: qui omnes constantes mansēre, scientes quòd Dominus eos erepturus esset, aut ad meliora translaturus.

Hactenus de genere diximus tentationis, hoc est, quòd sit conatus quidem & ἐπιχείρησις. quò pertinet quoque causa efficiens tentationis. Nam scire conuenit, vnde hic conatus oriatur, & quis illas ἐπιχειρήσεις hominis nectat. Effecta.

Est hic triplex causa. Nam Deus tentat: & Satan, & homo. Deus tentare dicitur, vt patefaciat abdita cordium, quæ non patebant antea. Ac primùm bonos ita tentat dum fidem, constantiam, aliásque virtutes patefacit mundo: sic Abrahamum tentauit immolatione Filij postulata, Gen.22. Deut.8. Israëlem dicitur tentasse per annos quadraginta, hoc est, eos probasse, vt posteritas nosset qualis hic populus fuerit. Deut.13. Mandat ne credant pseudoprophetis, *quia tentat vos* (inquit) *Dominus Deus vester*, hoc est, vt mundo patefaciat quales vos sitis: sic tentat pios afflictionibus, vt innotescat fides illorum: *sed dat semper cum tentatione pium euentum*. 1. Corinth.10. Deinde Deus etiam tentat etiam improbos, vt & horum improbitas patefiat: sic Pharaonem multis signis & prodigiis probauit: tales tentationes vt plurimū Satanæ tribuūtur. Deus autē permittēs est causa. Ideóque in oratione dominica oramus, *Et ne nos inducas in tentationē*, hoc est, ne permittas nos Satanæ ludibriis vēxilādos, sed arce illius conatus. Deus bonos ostētat. Deus tētat improbos.

Contrà, homo Deum tentat, malè videndo, illicita postulādo: sic de Israele scribit Apostolus 1. Cor.10. *quòd Deum irritarint & tentarint in deserto*, & Exod.17. tentant postulando aquam, & Psal.95. *in die tentationis in deserto*. huc pertinent tentationes Pharisaicæ aduersus Christum, Matt.6. petentes signum cœlitus. Esa.7 Achab non petit signum à Deo ne tentet illum, quo ipso Deum tentauit: nam mandato illius obedire debuit, quod cum spernat, Deū verè tentat. Atque hic primus modus est tentationis, quo Deus hominem, & contrà, homo Deum tentare dicitur. Homo Deum tentat.

Alter modus est inter Satanam & hominem. Satan propriè tentat, hinc πειράστης καὶ πειράζων Satan ho

dic tétat. dicitur.Bonos hic explorat quales sint,vt ad lapsum compellat,sic Euam per serpentem,Dauidem,vt numeraret populum.Christum etiam tentauit tanquam hominem,quem Deum reperit victorem.tales tentationes Satanæ sunt omnes persecutiones fidelium, quibus solùm hoc quærit,vt à fide auertat,& in lapsum præcipitet.Deinde malos Satã tentat,vt in malo retineat, vt in interitum pleniùs præcipitet:sic Iudam auertit,Saulem,Simonem Magum,Porphyrium, Iulianum & alios.

Contrà vt homo tentarit Satanam non legimus,Deum tentat, & contra tentatur ab vtroque,tamen improbi Satanam tentãt dum libidinosiùs affectibus indulgent:nam sic eos irretire solet,vt priusquam aduertant,capti sint:huc pertinent illicitarum artium sectatores,vt magiæ:nam de viribus Satanæ suo malo periclitantur isti.

Homo hominē tentat. Tertius modus est inter ipsos homines.homo hominem tentat:homo seipsum tentat.Prioris modi exemplum est 1.Reg.10.de regina Saba quę tentauit Salomonem in ęnigmatibus posterioris,hoc est,quòd homo seipsum tentet,Iacobi,1.*quisquis tentatur à propria concupiscentia, quæ postquam concepit parit peccatum,peccatum verò gignit mortem.* Ac diligēter ibi distinguit Iacobus inter causas efficientes:nam Deum longè separat à malis tētationibus:nam vt ipse tentari efficaciter non potest,sic idem Deus ad malum neminem tentat:sed hoc Satanæ proprium est, & ipsius hominis. Sed reuertamur ad definitionis explicationem.

Materialis causa. *II.* Diximus de genere tentationis,quò pertinuit quoque causæ efficientis explicatio. Sequitur alterum membrum,de causa materiali,quò pertinent illa definitionis verba,Rē sibi vel aliis incognitã explorare,Græcè ἀδελέντι.ὑλικὰ ista diximus: quòd omnis tentatio in istis versetur in genere.per species deinde tentationum diuersæ sunt obiectę materiæ, quę ad occasionales causas pertinent.Duplex hinc quoque emergit tentatio,alia quæ authori ignota scrutatur,talis est Satanæ & hominis. alia, quæ aliis ignota patefit.talis est Dei tentatio. Nam cùm sit omniscius,nō opus habet vllo experimento,nō est illi opus πεῖραν λαμβάνειν vt hinc cognoscat nostros animi sensus: sed aliis nos spectãdos vult proponere,vt alij cognoscant,quæ alioquin ignorassent,ex quo vel confirmantur in bono,vel auocantur à malo.sic dicitur Abrahamum tentasse:& Israelem immissis falsis prophetis,vt sciret an toto pectore illum amarent:& Israelem in deserto,vt sciret quid esset in corde suo,Deut.8.Sic Christum Filium suum proposuit mundo tentatum per omnia ad similitudinem hominis,vt constaret mundo hūc esse Messiam promissum.quò facit illud Luc 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*, hoc est,in aduersis & certaminibus quibus patientia & constantia mea patefacta & declarata est mundo,&c.

Finis tentationū. *III.* Tertium membrum definitionis est:quia tendit ad laudem & perniciem tētati.Prioris generis sunt,Dei tentationes,*qui solet addere euentum cum tentationibus* vt est 1.Cor.10. Posterioris generis,hoc est,quæ ad perniciem faciat tentati,sunt omnes diabolicæ & hominis tentationes:pertinent ista ad causas finales. Ex quo perspicimus solum Deum in his bono fine agere,Satanam autem & concupiscentiam hominis malo fine facere omnia:nam Satan perniciem hominis quærit,vt videre est in exemplo Iobi:ad quam rem hominis etiam & concupiscentiæ opera abutitur.manet finis generalis idem:cognitio scilicet rei incognitæ,quam diuersis mediis quærit Satan,& Deus patefacit:speciales etiam fines diuersi sunt, hîc salus & gloria fidelium,illic pernicies & turpitudo reproborum.

Pertinent huc fructus tentationum:vt in bonis incrementa fidei,spei,charitatis: quia dum boni vincunt,& ex tentationibus tãdem emergunt,victores firmiùs consistunt, aliísque prosunt suo exemplo.Sin ruant aliquando,fortiores tamen mox surgunt. Sic Dauid & Petrus agnoscunt suam infirmitatem,cautiùs deinceps ambulant.

In malis contrà,fructus tentationum est pertinax peccatum, publica statuere defectionis exempla & iræ diuinæ testimonia contra peccatū,confirmare: quæ omnia tandem externa pœna mórsque stipendiū peccati consequitur.Hæc de definitione præsenti afferre placuit:ex quibus diuisionem pleniorem iam colligamus.

Alia diuisio tentationis. Omnis tentatio respectu efficientium causarum & ipsius finis duplex est. Alia enim bona, alia mala sit,necessum est.Bona à Deo oritur,& ad laudem ac vtilitatem tentati cedit,habēs finem victoriam.Mala autem à Satana oritur, ad perniciem faciens tentati, finémque sortitur, seruitutem æternam. Ac bona vnius generis est,qua Deus suos tentat,dans semper euentū honestum.Similia tamen habes in rebus humanis.Pater sic tentat filium:præceptor discipulos,vt eruditiores fiant,est enim vterque aliquo pacto πειραστικός.Ita Socrates suos auditores semper eruditiores remittit,quãuis sit πειραστικός.Ita opinor,dicitur dialectica πειραστικὴ ὧν ἡ φιλοσοφία ἐστὶ γνωστική:confirmat enim rationibus illa quæ philosophia vera esse agnoscit.

Mala tentatio gemina est.Nam ipsi per se aduersi casus dicuntur tētationes:maláque sunt ex sua natura.Sic de Pharaonis casibus loquitur scriptura Deu.7.& Pet.2. *nouit Deus ex tentationibus eripere*,hoc est,ex malis.

Deinde incitationes:ad peccãdum tentationes dicuntur, omninóq; omnia illa quæ ad perniciem spectant.Atque illa tentatio duplex est,alia enim digna est & commerita:sic impij ad lapsus æternos,vt Pharao,Saul,Iudas,Simon,aliíque.

Alia

Alia indigna, quæ nullo vitio personæ tẽtatæ est enata, aut eidem obiecta. Atque hanc docendi gratia in duo secamus membra. Nam tales conatus tentandi vel irritus est, hoc est, effectu caret: ideóque frustraneus est conatus, quia ad optatum finem non peruenit. Sic homines tentant Deum: ita Satan Filium Dei tentauit vitæ necessariis, superbia, diuitiis ac ambitione glorię. Vel successum habet ille conatus, hinc lapsus ęterni & temporanei: ita serpẽs tẽtauit Euam, Eua Adamum, Satan Iobum, aliósque, &c. Atque hanc doctrinam perspicuam esse iudico, & sacris per omnia conformem. Dominus Iesus Christus tueatur suos ab omni mala tentatione: & in bona simul alacres nos faciat, vt intrepidè per omnes ærumnas ad vitam æternam & beatam illam victoriam eluctemur, Amen.

DE MENDACIO.

LOCVS IX.



TRIPLICEM reperio in hac causa sententiam. Primùm enim fuerunt & adhuc sunt homines, qui putant, salutis causa, & commodi gratia, mendacia concedenda esse: sic passim de mendacio loquuntur poetæ, ἐν νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν, non est reprehendendum si quis dicat mendacium etiam in anima. Quo consilio hodie plurimùm valent mendacia: ad vsurarios, mercatores, negotiatores, singuli suas laudant merces non secundùm veritatem, sed confictis mendaciis. In religionis negotio idem faciunt, qui oris confessionem non iudicant esse necessariam: sed accommodant passim iis se hominibus, cum quibus versantur: tales olim fuêre Priscillianistæ, quos refutat D. Augustinus.

Mendacij triplex opinio.

Altera sententia huic ex diametro opposita est, nulla de causa mentiendum, adeò vt nec pudicitiæ conseruandæ nomine, nec pietatis, nec alterius salutis causa, imò nec æternæ vitæ causa mentiendum sit. Qui hanc sequuntur opinionem, iocos fermè excipiunt, tropicas locutiones, hyperbolas, parabolas Euangelicas, fabulas ad vtilitatem discentium confictas, quales sunt Æsopicæ & similes, quas nemo prudens vnquam mendacia dixit: in hac sententia est D. Augustinus, qui licet iocos quoque excipiat, attamen in medio relinquit, num animis perfectis sint concessi, nécne. Voluit is omnem excusationem, & fenestram mendacibus sedulò pręripere: cuius sententiam duplici volumine habemus luculenter expressam, de mendacio, & contra mendacium, & alibi passim.

Nullo modo mentiẽdum.

Tertia, inter has media incedit, mendacium quidem grauiter prohibitum: tamen ei non obesse, quin tempore & loco, officiosa mendacia, item iocosa, bona conscientia dici possint: quam sententiam sequitur Eustath. Homeri interpres, illud Homeri explicans: ψεῦδος δ᾽ οὐκ ἐρέει, μάλα γὰρ πεπνυμένος ἐστί, mendacium non pronunciabit est enim admodum prudens. Hãc fermè sententiam sequitur etiam D. Hieron. Et poterat illa cum Augustini reconciliari, vtrinque enim iocos excipiunt, item ψευδολογίαν μυθικὴν, mendaciũ fabulosum, qualis est apud Æsopum, & in ipsa philosophia, nisi officiosa mẽdacia excusaret hic: cùm Augustinus etiam illa prohibeat: & exempla quæ pro officioso mendacio afferuntur, diceret Augustinus illa vel mendacia non esse, vel vitiosa, ideóque ne imitanda quidem.

Dicamus igitur mẽdaciũ simpliciter abesse debere à bene institutis animis: id ita cõstabit.

Primùm ratione ipsius nominis: nam mendacium dicunt appellatum, quasi contra mentis itionem: si enim mentiri est contra mentem ire, vtique mendacium est itio contra mentem, hoc est, aliud ore dicere quàm mente sentias, quasi repugnante mente loqui: quo sanè nihil potest esse vitiosius. Nisi placeat mendacium esse mentis otium, hoc est, vanitatem quandam & leuitatem, cui nulla subsit rerum natura.

Rationes variæ cur penitus à mẽdacio abstinendũ.

Alij à menda deriuant, nec malè: est enim menda error castigatione dignus, vt mendosum scriptum corrigitur à præceptore in scholis, sic mendacium iusta castigatione indiget.

Eadem vis est Græci nominis: nam ψεῦδος dicitur, si Platoni credimus, quasi εὗδος, ac si dormitionem dicas, ψ, verò inquit κρύπτει τὴν βούλησιν τοῦ ὀνόματος. Ponit enim ille veritatẽ in motu, vt sit ἀλήθεια, quasi θεία ἄλη. Ideóque mendacium in otio constituendum erat: significans rem esse inertem, & viro bono minimè dignam.

Grammatici ψεῦδος quasi φεῦγος vocant. ὅτι φεύγομεν ἅπαντες. Adeò enim res exosa est, vt in alio ne mendacissimus quidem, contra se ferre possit.

Aristoteles libro quarto ethic. cap. 7. videtur alludere ad ψέκτον nam inquit, αὐτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν: τὸ δὲ ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. i. mendacium ipsum est malum & fugiendum: verum autem est honestum & laudabile.

Summa eò redit, rem esse talem, quæ debeat simpliciter abesse à rectè institutis animis. Siue sit ψεῦδος, quasi ψέκτον, siue tãquã φεῦγος, seu vt Platoni placuit εὗδος, ad rẽ ipsam nihil interest.

A definitione sic astruimus. Mendacium est falsa significatio vocis, cum intentione fallendi. sic scholastici definiunt, ex Aug. qui sic loquitur, falsa significatio, cum voluntate fallendi. Falsa significatio propria est omnibus mendaciis, falsum enim tam in iocoso, quàm officioso

Arg. à definitione

ac damnoso profertur. Intentio autem fallendi non ita omnibus quadrat, cùm iocosa alium respiciant finem, vt oblectent: officiosa verò, vt prosint alteri vel sibi: solùm perniciosum fallere vult cum damno alterius.

Attamen falsa significatio vitiosa est, cùm scilicet symbola rerum ab ipsis rebus dissonant: illud est, bilinguem fieri.

Plato Polit. 2. ait. quòd sit ignorantia in anima. Respicit enim ad fontem, qui latet in corde quod obtenebratum rerum vanitate, mendaciū fundit, oblectatione, rerum ignorantia. Itaque fōs est ipsa cordis cæcitas: quòd verò in oratione latet mēdaciū, illius est idolū vel typus.

Mēdacij definitio. Nos igitur sic definiamus: mendacium est inæqualitas orationis & mentis, cum studio fallendi coniuncta. Inæqualitatem dicimus, quia veritas æqualitas est: à contrario igitur mendacium inæqualitatem dicimus. Materia addi poterat, falsa loqui: ac forma erit, si accedat voluntas: finis autem studium fallendi: ita ex causis videbitur satis integra definitio.

Mēdacium est inæqualitas orationis à mente dissidens falsa loquendo volenter, ídque cum studio fallendi: nihil hîc ad defensionem alicuius mendacij adferri potest.

Diuisio. Diuisio maiorem affert negotio huic prætextum.

Nam aiunt aliud esse iocosum, aliud officiosum, aliud perniciosum. Iocosum dicunt, quod alteri aut sibi delectatione quadam placere possit. Hinc idem vocant otiosum. hoc August. à mendaciis excipit: siquidem consistat in iocis, quanquam ne iocos quidem facilè concedat in viro bono. Sed quia prosunt alteri vel delectatione, vel vtili aliqua doctrina, quales sunt Apologi, fabulæ, parabolæ, tropicæ locutiones & similia, quæ nemo vnquam sapiens mendacia dixit. Sin adsit habitus mentiendi & voluntas vana dicendi, vtique peccatum est.

Quare sic contra iocosum concludimus, aut vtilis est in iocis doctrina, tum non erunt mēdacia: ideóque ne nostra quidem oratio contra eos instituta est. Aut vanitatis studium, tum mēdacia dicimus, & ob id ne imitandos quidē iocos, sed relinquēdos scurris & ganeonibus.

Officiosum mendacium à fine nobis commendant: quia prosit primùm in externis fortunæ bonis, obsit nemini. Deinde prosit etiam ad vitam conseruandam, ita vt nulli noceat: denique prosit in spiritualibus, ad munditiam animæ, & tueatur etiam ab immunditia corporali sine alterius detrimento.

Nos illis opponimus omnibus: non esse facienda mala, vt bona veniant: si malum est mendacium, quemadmodum est, vtique nulla spe boni consequendi committi debet: aut probet illa mendacium licitum esse.

Quod illi hîc obiiciunt Saræ exemplum, Gen. 20. Iacobi, Gen. 22. cùm diceret, *ego sum Esau filius tuus*. Obstetrices Hebræorum, Rahab, Iosuæ, &c.

Resp. ad eos qui piorum mēdacia obiiciūt. Nos ad ista respondemus, singularia esse, nec ad exemplum esse trahenda: nec in his planè excusamus homines vtut sanctos. Aug. inquit Deum clementer malum illis ignouisse. Quanquam non sint mendacia simpliciter in his omnibus: vt Sara reuera soror erat Abrahę. Iacob erat reipsa quod esse debuerat Esau. Verùm singularia nō sunt trahēda ad imitationē, 1. Sam. 25. Dauid iurat se occisurum Nabal, quod postea nō fecit. Respondemus temere iurasse, ideóque prudenter mutasse, in illo peccatū fuit, in emēdatione laus: nihil igitur prodest mendaciorū patronis. Sed nolo his immorari, cū satis ab Augustino & aliis illa sint excussa.

Superest tertium genus mendacij perniciosum, quod in doctrina fidei nocentissimum est. Deinde in rebus corporalibus lædit suo exemplo bonos mores, vt in falso dicendo testimonio, quod nulli prodest, obest autem plurimùm: aut si vni prosit, aliis contrà obest, hoc ita fœdum est, vt careat patronis etiam apud iniquissimos.

Mēdacij diuisio altera. Addamus huic diuisioni alteram, ad hunc modum: mendacium aliud est in verbis, quale est perniciosum, officiosum, iocosum. Vbi iocos honestos excipimus, μυθολογίαν etiam vtilem, hyperbolicas locutiones, allegorias, parabolas & similia: quia in his non est fallendi propositum: deinde nō inest his voluntas falsum dicendi: deniq; non inest eis inęqualitas orationis & mentis, præsertim si respiciamus ad æqualitatem rei.

Mēdaciū in moribus. Aliud est mendacium in moribus, quò pertinet simulatio & dissimulatio: sic Cicer. loquitur, natura, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur, oratio verò sæpissimè. Est igitur quoddam mendacium in moribus. Sic fallunt Pseudoprophetæ, mali doctores, qui habitum bonorum prę se ferunt, & longas preces, honestum vestitum & similia. Ita pseudochristus ipse, qui Christum sese fingit, quanquam hic non habitu, sed verbis sese tueatur & armis: inest igitur hîc dissimilitudo. In aliis similitudo quædam fallit: quales fuēre, Pseudonero, Pseudophilippus, Pseudodarius, Pseudoalexander, & nuper Pseudolandgrauius ille Ioann. Ioachimus, cùm nullus illius nominis sit: sed ne in isto quidem, qui 1578. in censura autumnali adfuit, fortè similitudo fuit, verùm mera impostura.

Mendaciū in rebus. Aliud est in rebus, quæ similitudine se æmulantur, aut inscitia hominum supponuntur adulterinæ: vt apud medicos talia multa sunt vitiosa, si deprehendantur, qualia sunt Pseudoaloe, Pseudobalsamum, Pseudocistus, Pseudonerium, & talia infinita, in quibus magnos facit errores & intolerabiles ipsa artis ignorantia, & professorum inscitia. Hinc tot ἀντιβαλλόμενα, tanto cū periculo, quid pro quo admittitur, opiū pro apio, putres panni pro mumia, sarmenta

menta scoparum pro xylobalsamo: sed illa persequi non est præsentis instituti.

A causis sic explicabitur, Satan mendacij author est. Genes. 3. mentitur primis parentibus: *non moriemini, sed aperientur oculi vestri, & eritis similes dijs, scientes bonum & malum:* quo mendacio turpiter traduxit Deum apud creaturam, & hominem decepit. Et Christus apud Ioan. 8. mendacij patrem vocat, & cùm loquitur mendacium, *ex suo loquitur:* ab hac mentiendi libidine videtur dictus Diabolus, nam διαβάλλειν est decipere, & apud Hebræos *schatan*, serpens hinc *nachasch*, dicitur etiam apud Hebræos: vicina omnia sunt mendacio.

Homo inde dicitur organum Satanæ, qui totus consutus ex mendacijs, vanitati sese tradit: dixit Apostolus ad Rom. 3. *omnis homo mendax*, quo expressit naturæ nostræ corruptionem, quæ si examinetur ad normam veritatis diuinæ, vtique omnes mendaces prodet, vt rectè dixerit Salomon: *vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Sed hîc non de tota corruptione agimus: verùm de vitio quod veritati opponitur. Homo Satanæ organũ.

Materia mendacij considerari potest secundùm materiã veritatis. Subiicitur illi primùm sermo quotidianus in congressibus, disputationibus, narrationibus rerum nouarum, scriptionibus, meditationibus, compositionibus, quibus omnibus sese vestit mendacium. Materia mẽdacij

Deinde mores illi inseruiunt, in quibus simulationes & dissimulationes plurimùm valent. In multis naturæ est similitudo, vt, nisi à sagace, fucus deprehendi non possit.

Tertiò, actiones accedũt, quę muniũt superiora, vt in Pseudoalexãdro & similib. est videre.

Forma mẽdacij in genere consistit, in eo, quòd falsa loquitur pro veris, Veritas inquit moriemini, mendaciũ dixit, non moriemini. Deinde, accedit voluntas appetens, quæ cùm posset vera loqui non vult: videt meliora ac probat: sed deteriora sequitur, idque sponte ac liberè. Ad formã etiam pertinet delectatio in mendacio, oblectamentũ imposturæ, & dãni alterius. Forma.

Finis iam explicatus est, fallendi propositum ac intentio: pugnat id cum fraterna dilectione. Deinde boni viri moribus, qui prudens neminem fallet: adeò vt tutò vel in tenebris cum illo mices. Adde quòd ne veritas sic dicenda sit, vt fallas, itaque minùs excusari eo fine potest mendacium. Plato quidem concessit magistratui vt bono publico interdum mentiri posset: sed priuato nulli vlla de causa concessum esse voluit. Id quidem rectè priuatis prohibuit: an verò magistratui rectè hoc ius dederit, mentiri in loco, bono publico, nondum satis liquet: cùm firma sit illa sententia, *non sunt facienda mala, vt veniant bona.* Finis.

Effecta quoque rem damnant. Primùm enim mendacium fidem adimit, vt vera dicenti non possis satis tutò credere. Vt enim qui semel malus est deprehensus: semper præsumitur malus: ita semel in mendacio deprehensus, semper fidem suspectam habet. Effecta.

Apud Græcos Demetrius rogatus quid mentientes lucri haberent? respondit rectè, vt vera dicentibus deinceps non credatur: idem Cicero de Diuinat. sic extulit mendaci homini ne vera quidem dicenti credere solemus.

Deinde signis abutitur. Cùm enim verba symbola sint rerum animo conceptarum, hæc ille peruertit, quid ille aliud facit, quàm tenebras luci inferre? dona Dei corrũpit, & quid cum bilingue ages. Satyrus dicitur hominis amicitiam repudiasse, quem videbat ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Adde quòd lædat ius humanæ societatis: aliud dicit mendax, quàm sentiat: & quomodo cũ illo constabit amicitia & societas, qui aliud sedens, aliud stans loquitur? Charitas facilis est, omnia facilè credit, mendax omnia facilè peruertit: nulla hîc potest esse amicitia.

Veritas apud omnes honoranda est: vincit etiam & diu oppressa à mendacijs, tandem erũpit: inde temporis est filia: & imperio digna: suauissima etiam illius oratio. Oportet igitur de mendacio omnia in contrarium valere, vt illius oratio sit exosa, detestabilis, regnans etiam ad tempus, tandem ad meritas pœnas reperiatur tenebrarum filia carcere digna.

Testimonia accedunt passim ex sacris literis & prophanis. Psalmus 5. inquit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* & Salomon in prouerb. capite 6. *Linguam mendacem perdet Dominus.* Moses Leui. cap. 19. *non mentiemini nec decipiet quisque proximum suum.* Idem in decalogo, *non dices falsum testimonium contra proximum tuum.* Et Apostolus ad Ephes. capite quarto, *Deponentes mendacium, loquimini veritatem.* ad Coloss. capite 3. *Nolite mentiri inuicem.* Testimonia ex sacris in mendaces.

Intelligamus igitur publica Dei authoritate prohibita omnia mendaciorũ genera, ac quẽadmodum affirmatiua præcepta ligant nos ad certa officia ciuilium operum: sic negatiua, certa prohibent, quæ sine graui pœna committi non possunt. Ideo validius est, quòd nulla fiat mentio vllius acceptionis, aut mitigationis. Porrò quòd Christus Luc. cap. 24. simulat se vlterius iturũ, non huc facit: quia Christus reuera vlterius iturus erat, & hac sermonis figura discipulorum animos voluit excitare, vt tandem considerarent, quem haberent præsentem.

Apud Ethnicos, prudentibus viris, semper visa est res indigna honestati: sic Homerus grauiter loquitur, Mendaciũ etiã ab ethnicis damnatum.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλησιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δ' εἴπῃ.
Ille mihi iniustus est vt porta orci,
Qui aliud pectore celat, aliud autem dicit.

Et suprà attulimus illius carmen, quo ostendit Nestorem non mendacium dicturum: & cur? quia est prudens, sic enim colligit, ψεῦδος δ' οὐκ ἐρέει, μάλα γὰρ πεπνυμένος ἐστί, quasi diceret est prudens, ergo non mentietur Nestor: à prudente igitur longè aberit mendacium. Huic consentit Menandri versiculus, ψεῦδος μισεῖ πῶς σοφὸς καὶ χρήσιμος, mendacium odit vir sapiens & frugi. Plato Polit. capite 2. grauiùs dicit, diis & hominibus exosum. Pin. Pyth. 9. epod. 2. de hominibus solùm: οὐ θεμιτὸν ψεύδει θιγεῖν. Et his similia multa.

A temporis duratione: non diu consistunt mendacia, sed deteguntur: sic dixit Sophocles: ἀλλ' οὐδὲν ἕρπει ψεῦδος εἰς γῆρας χρόνου, nullũ mẽdacium ad senectutẽ repit. Et Menandri versus. ψευδόμενος οὐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον, nullus mentiens diu latet.

A consequẽtibus: publicè notari mendaces publica est persuasio. Veteres dixerunt in summa lingua mendacibus subnasci pustulas, quod vel vnus testatur Theocritus Idyll. 9. μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγόνα φύσῃς, & ὀλοφυγόνα interpretantur ἀνάβλαστημα. Simile nos hodie dicimus *ein blatteren vff der Züngen han*, tanquam mendacij argumentum. Liberiùs dixerunt Græci has pustulas etiam subnasci in naso, quæ inde quòd mendacij essent symbola dicebantur ψεύσματα, erant autem φύσκαι λευκαὶ *vvisse blatteren*, & affirmarunt esse hæc indicia vanitatis & mendacij. Vnde illud Theocriti est Idyl. 12. ἐγὼ δέ σε τὸν καλὸν αἰνῶν, ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω: id sic hodie non interpretamur, sed cùm pudore suffundi significare volumus, dicimus *du hast das byelzu vvyt pevvorffen*: aut fenestra aperta mendacio damus liberum aërem, vt possit euanescere, sibilo ac similibus explodimus, &c. sed satis sit de mendacio, & fortè nimiùm satis.

DE ANATHEMATE. LOCVS IX.



DE Anathemate dicemus, quomodo scilicet hac voce vtatur scriptura, & deinceps Ecclesia, eadem cœperit vti, qui vsus hodie etiamnum durat.

I. Initio autem sciendum est duas esse voces apud Græcos vicinas, quæ vsu contrariam vim habebant ἀνάθημα & ἀνάθεμα. Nam Græci homines ἀνάθημα vocabant quicquid diis dicatum & consecratum à publico priuatóque prophano vsu eximebatur. Alia voce dicebãtur ἀφιερώματα & ἀνακείμενα, & κοσμήματα, hoc est, donaria, reposita, ornamenta. Latini per donaria rectè exprimunt ἀναθήματα. Nomen habent ἀπὸ τοῦ ἀνατιθέναι, hoc est, reponendo, suspendendo, aut consecrando. quo sensu dicimus Deo consecrare, æternæ memoriæ opera sua consecrare.

Talia sunt donaria templis suspensa, qualia hodie multa videntur in sanctorum sacellis, vt Luc. 21. discipuli Christo ostendunt templum ornatum ἀναθήμασι.

Sic Grammatici hanc vocem explicant, vt Suidas ait ἀνάθημα, πᾶν τὸ ἀφιέρωμα θεῷ. Apud Hebræos dicitur *theruma* à verbo *rum* quod significat eleuare, extollere, quòd talia donaria eleuare, extollere quòd talia donaria eminentiori aliquo loco proponebantur spectanda, vt in parietibus aut postibus templi affixa. Vel quòd singularia quædam & selecta oportebat esse, quæ diis dedicabantur, minimè vulgaria, sed cum delectu ex aliorum turba desumpta.

Quid Anathema. Ανάθεμα autem dicebatur piaculum, hoc est, res Deo inuisa. Sic Hesichius ait, ἀνάθεμα ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, hoc est, significat hominem execrabilem & exclusum à rerum communione. Huic respondet apud Hæbreos vox *therem*, qua exprimunt res Deo inuisas, & extremam quandam execrationem ac maledictionem vt est in historia Ierichuntis, Iof. 6. 7. cap. & alibi. Hoc discrimen sine dubio seruatum est olim in Græca lingua, vt aliud esset ἀνάθημα & aliud ἀνάθεμα.

Hoc discrimen postea non seruatum est præsertim à Theologis Græcis & sacris scriptoribus. Nam septuaginta interpretes in veteri Testamento, aliquoties *therem* vertunt non per ἀνάθεμα, sed ἀνάθημα. Exempla vide Leuit. 27. ad finem ferè. Suidas ac reliqui etiam ostendunt confundi illas voces. Sic Iustinus responsione 121. ad Orthodoxos ait ἀνάθεμα λέγεται, τὸ ἀνακείμενον, καὶ ἀφωρισμένον θεῷ καὶ εἰς κοινὴν χρῆσιν μηκέτι λαμβανόμενον, ἢ τὸ ἀπηλλοτριωμένον θεοῦ διὰ κακίαν, hoc est, dicitur Anathema repositum & separatum Deo, quod in communi vsu non amplius recipitur, vel abalienatum à Deo propter malitiam, significans ἀνάθεμα etiam ἀναθήματος loco sumi.

Huius rationem eleganter reddit D. Chrysostomus in 9. cap. ad Rom. scribens. Quia inquit, in vtroque est χωρισμὸς tam in donariis, quàm in piaculis. Donariis enim abstinemus tanquam τῷ ἀνακειμένῳ θεῷ, hoc est, re Deo consecrata & dilecta. Piaculis autem abstinemus, tanquam ἀπηλλοτριωμένῳ θεοῦ, hoc est, re Deo inuisa & odiosa. Et congruit vtrique etymoni. Donaria, quia suspenduntur ad spectaculum, quod significat ἀνατιθέναι. Piacula autem ab eodem verbo ἀνατιθέναι quia etiam significat perimere, occidere, cui congruit Germanica vox *abthun* ἀποθεῖναι, nam piacula indigna habebantur hac vita.

II. Porrò ἀνάθεμα propriè sumptũ. h. e. vt significat piaculũ & *therem*, geminũ adhuc videtur.

Anathe- 1. Aut enim significat ipsam rem pollutam vt homines pollutos. Sic OEdipus est ἀνάθεμα, hoc est,

ma accipitur pro ipsa re polluta.

hoc est, homo odiosus Deo, & indignus qui viuat. Sic Ierichuntini cũ tota ciuitate, omnibúsque bonis sunt *therem*, hoc est, indigni hac vita, dignissimi autem qui funditus ad vnũ omnes pereant. Et tales nisi delerentur, iram Dei prouocare, & polluere totas gentes dicebantur. Sic Hesiodus inquit, vnius ob noxam sæpe puniri totam ciuitatem. Tale anathema est, Num. 18. & 1. Sam. 15. Talia anathemata habiti sunt olim Christiani, hoc est, homines pessimi, & diis inuisi. inde est, quod 1. Cor. 4 περικαθάρματα καὶ περιψήματα vocat ipsos etiam Apostolos.

Quid de Gallis narrent historiæ.

Crassus.

2. Aut significatur illa voce hostia ipsa piacularis, quæ aliorum scelera expiare credebatur, vt fieri solebat in lustrationibus vrbium, exercituum, familiarum, agrorum, &c. Narrant historiæ de Gallis quòd hominem aliquem saginarent toto anno, quem postea pro tota gẽte extra vrbem lapidabant. Tali hostia placari numen credebant. Tales deuoti dicebantur, si spõte subirent talem mortem, vt Imperator pro exercitu, ciues pro patria, quod Romæ frequens fuit. Aliàs inuiti rapiebantur, vt in decimatione exercitus quod Crassus fecisse legitur. Tales propriè Græcis erant καθάρματα & notabantur in terra, si quando in mare præcipitarentur, vocabantur περιψήματα, quod discrimen annotauit Suidas, talis fuit Ionas: ideo Apostolus non frustra illas duas dictiones coniunxit. 1. Cor. 4. Quia terra, maríque habebantur damnabiles Apostoli, & de Christianis refert Tertul. in Apolog. cap. 39. Si Tyberis in mœnia ascendisset, aut Nilus in Arua ascendisset, aut si qua lues incidisset, calamitas euenisset, clamabant Christianũ ad lenonẽ, quasi totius mundi scelera morte Christianorum expiari possent. Deinde cap. vltimo cùm viderent expugnari non posse pudicitiam fidelium matronarum, cœptum est clamare, Christianam ad lenonem, quia omni morte durius & acerbius ferebant pollui castitatem. In hac significatione sumitur ad Rom. 9. vbi Apostolus pro fratribus suis vellet fieri anathema, hoc est, hostia piacularis, qua Iudæorum peccata expiarentur. q. d. ego damnari à Deo in ęternũ vellem, modò illi saluarẽtur. Sic Moses Exo. 32. volebat deleri de libro vitæ in populi sui salutem. Ideo apud Hebræos vituperatur Ezechias Rex, quòd pacẽ sui regni prætulerit posteritatis saluti. Esa. 39. 8. dicendo, Bonum est verbũ Domini, modò sit pax in diebus nostris. In priori significatione, hoc est, pro re impia, sumitur. 1. Cor. 16. ver. 22. Qui Dominum Christum non amat, sit anathema, hoc est, sit damnatus & execrabilis 1. Cor. 12. v. 3. Christum dicere anathema, id est, execrabilem. Sic tempore persecutionis, infirmi qui deficiebant ad idola, aut fidem negabant, cogebantur Christo maledicere, illum execrari, quod erat illum dicere anathema ad Gal. 1. v. 8. Qui aliam doctrinam attulerit sit anathema, hoc est, *verfluchen*, vt nos dicimus.

Maior excommunicatio.

III. Postea Ecclesia hac voce vti cœpit in disciplina Ecclesiastica, & comminationibus cõtra peccatores. In mortali crimine, quodque corrigi non poterat, addiderunt anathema, & manifestos hęreticos & blasphematores Christi, anathemate percusserunt. Vocarunt hãc posteri maiorẽ excommunicationem, quæ pœna non nisi finaliter impœnitentibus, & mortali crimine detentis imponebatur. Priuabat ista sacramentorum vsu, ciuilium rerum vsu, aqua & igni, honestis actionibus, & honoribus ciuilibus, officiis, diuinis suffragiis Ecclesiæ sepultura fidelium, denique cœlo ipso & vita æterna.

Minor excommunicatio.

Huic inferior erat minor pœna excommunicatio temporalis, quæ dicebatur ἀφορισμός, hoc est, separatio ad tempus, donec Ecclesiæ peccator satisfecisset. Inde est verbum Anathematizare, quo Pontifices hodie frequenter vtuntur contra Reges & Principes. Habemus illius vsum Act. 23. 12. vbi viri 40. seipsos deuouerunt ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, nisi occiderent Paulum, non esuros. Et Mat. 26. Petrus seipsum cœpit καταναθεματίζειν, quasi dicat, καθ' ἑαυτοῦ contra seipsum statuere damnationis æternæ pœnam.

Quærunt hic quando sit imponenda anathematis pœna?

Respondemus, scriptura hanc non statuit nisi in maximo scelere, & in corruptela synceritatis Euangelicæ, quando nec Angelo parcit Apostolus, Gal. 1. v. 8. sic in deprauatione Scripturæ sanctę, quę fit, tum addendo, tum demendo cum falsa interpretatione. Quò pertinent maledictiones contra corruptelas has, quæ sunt Deut. 5 & Apoc. 22. vers. 18. 19. Si quis addiderit his, addet Deus super illũ plagas scriptas in hoc libro, & si quis diminuerit de verbis prophetiæ huius, auferet Deus partem eius è libro vitæ, &c. hoc est, sit reuera damnatus in æternum. Perfectio enim scripturæ sanctæ non admittit sutelas vllas. Hinc Abrahamus dicit diuiti, Prophetas & Mosem habent audiant illos, quibus si non credant, nec si quis è mortuis redeat, credent. Hoc cogitent qui hodie conqueruntur de scripturarum imperfectione, quasi Apostoli non omnia scripserint ad salutem necessaria. Contra talia dogmata torquendum erat fulmen anathematis. Sic Athanasius Arium anathematizauit, & alij alios: Polycarpus Marcionem primogenitum Satanæ pronuntiauit, vt apud Iræneum lib. 3.

Luc. 16.

Quòd feriat Papa sine anathemate.

Scholastici dixerunt in mortali scelere, quod corrigi non potest, locum habere, sed postea crimen mortale praua interpretatione detorserunt ad suas opiniones, vt contradicere Papæ, ferire monachum, hoc illis erat mortale peccatum, ideo contra tales præcipuè exercuerũt sua fulmina. Alij ad res sacras, & illarum violationem solùm retulerunt, vnde ille versiculus confectus est. *Qui frangit, rapit, vrit, & ferit, est anathema.* Sacrilegium propriè dicitur talis committere, & anathema dici potest: hoc est, homo morte dignus, indignus hac luce: sed anathematis pœna longius progreditur, respicit exitum à Deo & vita æterna, &c.

DE ORIGINE ET DIGNITATE CHRISTIANI NOMINIS.

LOCVS X.



NORVNT Philosophi sectarum suarum rationes, adeò vt turpe illis sit quicquam hîc ignorare.

Platonici non solùm Platonis norunt placita:sed vitam illius & nominis originem tenent. Idem Aristotelici, Cynici,aliique faciunt.

Turpis igitur debet censeri in homine Christiano, nominis tanti ignorantia.Cùm non solùm Philosophorum excellat omnia nomina:sed aliarum sectarum, vt Mahometis,Paganorum,Iudæorum,& quæcunque sub numinis religione vnquam apud homines fuerunt angusta.Quare de illius origine in præsentia paucis agemus.

Christiani nominis præstantia.

Ostendemus autem vobis,à condito mundo,populi Dei, nullum vnquam nobilius nec augustius nomen impositum esse:vt appareat fœdissimè peccare eos,qui suis moribus & impietate vitæ,contemptu & ignominia hoc onerant.

Porrò rem hoc ordine prosequentur. Primùm indicabimus vnde dicamur Christiani, & quæ fuerint alia verè Deum colentium nomina.II.Quis rectè dici possit Christianus. III.Quæ sint præcipua genera Christianorum.IIII.Qua de causa venerit hoc nomen augustissimum in contemptum.

Christiani vnde & quãdo primùm dicti.

I. De origine nominis vera extat historia Act.11.quòd Antiochiæ primitus dicti sint fideles Christiani,non ab aliis,sed quod sibi hoc nomen sponte sumpserint discipuli Christi, in memoriam præceptoris sui.A Christo igitur Christiani dicimur,quemadmodum ab Israele Israelitæ,à Iuda Iudæi,ab Abrahamo Abrahamidæ.Attamen gentiles,in primis verò Græci,videntur nominum affinitate ducti, Christianos ἀπὸ τῆς χρηστότητος dixisse: sonat autem χρηστὸς beneficum,humanum,liberalem. Hoc argumento vtitur Iustinus martyr in 2. Apolog.ad Anto. Imper. χρηστότατοι ὑπάρχομεν. Et mox χριστιανοὶ εἶναι κατηγορούμεθα, τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι, οὐ δίκαιον, hoc est,cùm optimi simus,Christiani tamen esse accusamur: at,quod optimum est odisse,non oportebat.Vicinæ sunt autem voces apud Græcos,χρηστὸς & χριστὸς,quarum prior bonum,humanũ significat posterior,vnctum:à priore Latini Chrestũ pronũtiant,quod cognomen fuisse Phocionis reperio,ob singularẽ beneficentiã.Et quanquã virtus illa χρηστότης aptissimè competat Christianis,non tamen inde nomẽ sortiti sunt χρηστοτάτους fuisse Christianos liquet ex Iustino passim,& Euseb.cap.8.lib.9.vbi etiam paganorum iudicio optimi habiti sunt.Verùm,non rectè hinc dici,locuples testis est Tertul.in Apolog.cap.3.Sed & cùm perperã Chrestianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis est penes vos certa notitia) de suauitate vel benignitate compositum est. Et Lactantius lib. 4. instit. cap. 7. indicat Chrestum pro Christum malè per errorem ab illis dici.

Christus dicitur quia vnctus.

Vera est sententia à Christo rege & pontifice dici Christianos, Christus porro παρὰ τὸ χρίεσθαι dicitur,hoc est,vngi:hinc χριστὸς vnctus.Nomẽ hoc Messiæ est,non quidẽ propriũ:sed nuncupatio potestatis & regni,vt inquit Lactantius.Respõdet autem Hebreæ voci *Messiach*,quæ vnctum quoque significat.Et quia hac voce Messias dictus fuit,hoc est, promissus liberator & rex humani generis,Græci Christi vocem pari significatione retinuerunt.

Vngebantur autem apud Iudæos reges & sacerdotes,quo fuit adumbratum, verum Messiã regem & sacerdotem fore:& quoties Deo singulariter consecrati homines sunt exprimendi, Messiæ vel Christi Domini dicuntur:vt de Saule rege.1.Sam.16.24 26.2.Sam.1. *quare non timuisti,vt mitteres manum tuam,& occideres Christum Domini?* Psalm.105. *Nolite tangere Christos meos.* Esa.45. Cyrus Christus Domini dicitur,quia typus Christus fuit liberando populum. Dan. 9. Christus dux,& eius mors describitur.

Dicitur autem Christus,quia vnctus à Deo Patre ad puram hostiam redemptionis : deinde quia mediator æternus est:tertiò quia idem verus est rex,verus Deus, verus homo, verus redemptor & intercessor pro suis fidelibus.

Cur à Christo Christiani dicimur.

Nos ab illo Christiani dicimur,hoc est,vncti,quia illius gratia & merito peruncti sumus,ad cuius rei typum veteres in Baptismo etiam adhibuerunt oleũ,vnde chrisma illud fluxit:de quo vide Iustinum in responsione ad quæst.137.& Damasc.lib.4.cap.10.

Deinde quia in Christum credimus,meritò ab illo Christiani dicimur : non enim amor solùm Christianos facit,sed qui credit in me,inquit Christus, hic discipulus meus est.Inde Nazianz.inquit,Christianus vocaris quia in Deum credis,h.e.non quia Christum amas, sed quia in Christum Deum credis,operibus igitur ostende quod credis. Præterea quia in hunc Filium Dei baptizamur,meritò illius nomen gerimus:baptizamur autem vt credimus. Credimus verò in Patrem,Filium, & Spiritum sanctum, igitur in hanc ipsam Trinitatem baptizamur, & Christiani compellamur.Testamur hoc nomine nos huic soli inniti, agnoscere nos hunc vnicum redemptorem:nam etsi alios sanctos amemus, tamen nomina illorum non gerimus. Itẽ

mandata

mandata huius obseruamus, regulam illius perfectionem rectè viuentium iudicamus: in huius verba iurauimus, quemadmodum boni milites sacramento suorum ducum nomina inserunt. Item quia illum cum Patre & Spiritu adoramus, & offerimus illi preces & laudes, qui verus Dei cultus est. Hæc cùm præstamus, rectè à Christo Christiani dicimur.

Cæterùm nomen hoc post ascensionem Domini demum veris Dei cultoribus est impositũ: quòd si ad antiquiora te conferas: dicti sunt olim Iudæi à Iuda cognitores veri Dei, Hebræi ab Heber traiectores, Israelitæ ab Israele principes Dei. Semen Abrahæ, Abrahamidæ: filij & posteri Iacob, domus Iacob, &c. Hæc præcipua fuerunt.

Nomina à piis vsurpata exhibito Messia.

Exhibito iam Messia, noua illius Ecclesia his ferè vsa est nominibus. Fratres sese compellarunt, idque ex mandato Christi, Matt. 23. Vos omnes fratres estis: sed & ipse Dominus eo vsus est, Matt. 28. Mulieribus inquit, *abite, nuntiate fratribus meis, vt abeant in Galilæam, ibi me videbunt*. Et Matt. 25. rex nouissimi iudicij electis respõdebit: *Quicquid fecistis vni ex minimis his fratribus meis, mihi fecistis*. Hinc frequens mansit inter sanctos compellatio fraterna. Dicti sunt etiam fideles, vt Act. 10. *fideles ex circumcisione stupent, dari Cornelio & aliis ex gentibus Spiritum sanctum*. Fideles dicuntur, quia in Christum credebant, & Christiani re ipsa erant, licet nomen nondum esset repertum.

Discipuli passim antea dicti fuerant, quia Christum præceptorem agnoscerent. Et Christus suos sectatores discipulos vocauit: hinc duodecim Apostoli discipuli dicuntur & præter illos duodecim omnes in eum credentes: hinc Ioseph ab Arimathæa discipulus eius dicitur, cùm nõ esset de numero duodecim Mat. 27. Ioan. 19. & Ioan. 6. multi discipulorum abierunt, cùm duodecim omnes manserint. Act. 9. fideles non credũt Paulum factum esse discipulum. Ibidem *Ioppæ quadam fuit discipula nomine Tabitha*. Ad hos omnes pertinet quod Christus dixit Iudæis credẽtibus in ipsum, Ioan. 8. *Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis*. Sancti etiam dicti sunt, Actor. 9. *Petrus venit ad sanctos qui erãt Lyddæ, & ibidem Tabitham resuscitatam reddit sanctis*, hoc est Christianis.

Hæc præcipua erant nomina inter Christianos vsurpata, antequam à Christo Christiani dicerentur. Manserunt tamen postmodum etiam, in primis in sacris literis, hinc passim in Paulinis scriptis, fratres, fideles, sancti, serui Dei, Christiani appellãtur. Et in vsu publico eadẽ vocabula manserunt, vt colligi potest tũ ex phrasi scripturæ: tum ex Euseb. li. 5. cap. 1. Eccl. histor. vbi inseruit epistolam Christianorum Lugdunensium ad Ecclesias Asiæ, in qua, fratres, fideles, discipuli, serui Dei passim & promiscuè dicuntur Christiani.

Antiochiæ Christiani primùm dicti fideles.

Sed ad Christianum reuertamur nomen. Impositum est illud fidelibus Antiochiæ primùm circa annum Domini 38. Si ab Abrahamo annos colligas, dicti sunt fideles semen Abrahæ per annos 2063. à Christo iam deinceps per duos vltimos millenarios dicemur Christiani: numeramus autem hodie 1569. à nato Christo, quòd si numeri sibi respondere debeant, finis certè non procul abest, *sed & dies abbreuiabuntur propter electos*. Illa imminutio quanta sit futura, solus nouit Dominus: nos attollamus capita nostra & maturè colligamus sarcinas ad gloriosum regis nostri aduentum. Epiphanius libro primo, Tit. 2. indicat Christianos etiam dictos Nazareos, & Iessæos, illud à Christi patria, quia Nazarenus vocatus est. Posterius à Iesse, vt ille refert: vel ex nomine Iesu: sed vtrumque non est sumptum ex vsu Ecclesiæ, ideóque abolita sunt à fidelibus, inhæserunt autem sectis postea. Olim Nazaræi, hodie Iesuitæ, his gloriantur nominibus.

Nos vnius Christi nomen profitemur: quo nullum augustiùs habet mundus. Nam superiora si expendas, omnia ab hominibus sumpta fuerũt: semen Abraham, filij Iacob, Iudęi, Hębræi, Christiani verò ab ipso Messia dicimur: nõ sic Iudęi publicè dicti fuerunt Messiani: nos à Christo Christiani, ab vncto vncti, à filio Dei, filij Dei dicimur.

Fuit huius nominis dignitas à Prophetis prædicta, quanquam homines parum assequerẽtur secretum oraculorum. Esa. 65. *Seruos suos vocabit nomine alio*, hoc est, vt nõ amplius Iudæi & Israel dicantur: sed à Christo Christiani & Esa. 62. *Vocabit te nomine nouo, quod os Domini nominabit*: quo loco addit D. Hieron. à nomine Domini deriuatum, vt populus illius nequaquam veteri nomine dicatur Israel: sed nouo, hoc est, Christianus. Esa. 55. ad finem, *& erit Domino in nomen, in signum æternum, non excindetur*, hoc est, vt ex illius nomine dicantur Christiani, & crucis illius inurantur cauterio. Esa 43. *Omnis qui vocatur nomine meo*: vt scilicet appellantur Christiani in gloriam conditoris.

A Christiano nomine quid habeant fideles.

Ab hoc nomine dignitatem regiam habemus, non solùm quia in æternum regnabimus cum Christo, vt in Apoca 22. dicitur de seruis agni: sed quia sancti mundum etiã iudicabũt, 1. Cor. 6. *An nescitis, quòd sancti mundum iudicabunt*: quasi dicat non est pœnitenda conditio nostra.

Ab illo nomine sacerdotium consecuti sumus, vt simus reuera quod Petrus inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*. Iudæis hic titulus dabatur, Exod. 19. *Eritis mihi in regnum sacerdotale, vel sacerdotiũ regale*: sed cùm illi offerrẽt in vno tãtùm loco, nos rectiùs sacerdotes regales sumus, qui in omni loco pura sacrificia Deo patri offerimus per filiũ vt prædixit Malac. 1. qui de Iudæis inquit, *oblationẽ minha non acceptabo de manibus vestris*: de Christianis verò oblationibus labiorum addit, *quoniam ab ortu solis, vsque ad occasum eius, magnum est nomen meum in*

Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, atque oblatio munda, &c. Hoc ad Christianos pertinere prædixit Christus, Ioan. 4. *Venit hora & nunc est, quando viri adoratores adorabũt Patrẽ spiritu & veritate*: illa hostia laudis est, de qua Dauid cecinit Psal. 50. Oseas 4 5. Heb. 13. 15.

Hæc nominis nostri dignitas nos debet excitare ad virtutem ac veram pietatem, ne omnibus vitiis mancipiorum instar nos submittamus: magna est dignitas, Christianum esse, maius opinione hominum Christum profiteri. Iustin. Martyr suauiter hanc vtilitatem Christiani nominis extollit contra Thyphonem, οὐκ εὐκαταφρόνητος δῆμος ἐσμὲν, οὐδὲ βάρβαρον φῦλον, οὐδὲ ὁποῖα καρῶν, ἢ φρυγῶν ἔθνη, id est non sumus gens contemnenda: neque barbaricum genus, neque tales, quales dicuntur Carum & Phrygum nationes.

Christianus quis propriè dicatur.

II. Proximum est, vt explicemus quis propriè sit Christianus. Id scire operæpretium est, vt corrigantur multorum errores. Nam alij nasci Christianos iudicant, vt ex Christianis Christiani generentur, vt columba columbam gignit, passer passerem. Alij Christianum in dignitatibus constituunt, nominatim Ecclesiasticis. Contrà, quidam paucitate metiuntur Christianismum, cùm pusillus sit grex, & pauci ambulent per viam illam strictã. Bona pars metitur Christianismum copia & numero baptizatorum ac profitentium nomen Christi.

Verùm illos omnes errare manifestè docet Christus, in sententia nouissimi iudicij: *non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, ingredietur in regnum cœlorum*: quare diligenter considerandum est, quid Christianum faciat.

Dixi priùs Christianos dici fideles: & quis est fidelis? respondet Christus Matth. 24. Luc. 12. *quem reperit Dominus facientem sic*. & Matth. 26. Luc. 19, *Euge serue bone, fidelis fuisti in minimo, constituam te super maiora*: itaque fides est quæ Christianos facit. Fidelitas autem est seruare ea quæ nobis sunt tradita: ex quo apparet si verè esse volumus quod dicimur, fide operosa nos oportere ornari, hoc est, vt hoc ipsum præstemus operibus, quod verbis profitemur. Hinc est quòd fides operosa requiratur à diuo Iacobo. cap. 2. & Christus Ioan. 3. beatos prædicat Apost. suos, si fecerint illa: & passim charitatis opera prædicantur ab Apostolo Paulo, &c.

His consentiunt Christiani Catholici scriptores: vt reliquos sileam, Iustini celebris est sententia. Christiani sunt οἱ τὰς ἐντολὰς τοῦ χριστοῦ φυλάσσοντες qui mandata Christi obseruant. Item, οὐκ ἐν λόγοις ἀλλ' ἐν ἔργοις τὰ τῆς ἡμετέρας θεοσεβείας πράγματα nostræ pietatis res consistunt non in verbis, sed in operibus.

Obseruandum tamen Christiani nomen non ita latè patere, quemadmodum illud extẽdit Iustinus noster: nam alibi scribit: οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷον ἐν ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς ἐν βαρβάροις δὲ ἀβραάμ, καὶ ἀνανίας, καὶ μισαήλ, καὶ ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. &c. Quibus verbis Socratem & Heraclitũ Abrahamo & Heliæ æquat, omnes pariter Christianos faciens: quia vixerint μετὰ λόγου, hoc est, cũ ratione, quo sanè modo Ethnici omnes saniores forent Christiani, Cato, Plato, Aristides, & similes, in quibus ratio valuit, & studium virtutis in pretio fuit. Nos contrà dicimus non esse sufficiens secundùm rationem viuere, quòd hæc etiam in sagacissimis ingeniis sit corrupta: deinde cùm illi caruerint filij Dei notittia, illum inuocare non potuerunt nec professionem illius suscipere. Christi autẽ regula est. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit*. Summa, Christus vnica est salutis ianua, quam qui non habent, à via aberrant: quantumuis iusti & prudẽtes sint ciuiliter. Hoc quidem illi largimur libenter, quod alibi addit: quæcunque apud omnes rectè dicta sunt, nostra Christianorum sunt: multa enim scriptores gentilium bona habent ex Patriarchis ad eos deriuata, quæ tanquam possessionem iustam ab iniquis repetimus possessoribus. Non tamen illos scriptores seu possessores, quales Philosophi fuerunt, concedimus mox fuisse Christianos: quemadmodum enim barba nõ facit Philosophum & habitus Philosophicus, sed vita professioni respondens: ita de Christiano pronuntiandum est: is Christianus est, qui in Christo pius & religiosus est. Sic Augustinus ferè dicit, professio & vita Christianum facit: ne vna manu ædificet, altera destruat. Per cætera in his vita simplicissima est, Christum norunt, & præter hunc nihil: se suáque proximo impendunt: lites fugiunt, affectus reprimũt, faciles, benigni, affabiles, cœlestia speculantur, terrena ignorant, qualis propè describitur philosophica vera vita à Platone in Theæteto, & ad Christiani mores est accommodata à Clemente Alexand. sed optimè adumbrata est ab ipso Domino Christo, Matth. 5. & 6.

Christiani hominis descriptio.

Describamus igitur Christianum ita: Est homo in Christum credens, illiúsque seruans mandata, quoad fieri potest. Inter præcepta autem Christi sunt præcipua: de fide in ipsum. 2. de dilectione Dei. 3. de dilectione proximi. 4. de mortificanda carne & affectibus. 5. de noui hominis regeneratione, natura, & armatura: in his sese tota sua vita exercebit Christianus, nec palæstram hanc deseret.

Christianorũ varia genera.

III. His iam addamus præcipua quædam genera Christianorum. Ac optandum erat, nos hîc omni destitui materia. Vnus enim Christus est, vna fides, vnum Baptisma: ita vnum genus Christianorum esse decebat. Attamen quod malum corrupit Philosophiam, idem Christianismum in infinitas dirimit sectas. Nec hîc dicemus de diuersitate secundum maiores, quales sunt Christiani Romani, Gregoriani, Thomitæ, Persiani, Græci, qui singuli à singulis ritu aliquo differunt, vt quòd alij imagines admittunt, alij non: hi missam patria lingua recitant, alij

peregrina,

peregrina, alij hoc, alij alio modo Sacramenta peragunt: sed vt nobis singulis cognitæ sunt differentiæ, hoc modo.

Christiani alij veri sunt, alij falsi. Veri, quales nos descripsimus re verbóque Christianos. Falsi, qui titulum quidem gerunt, professioni tamen non satisfaciunt. Veri, orthodoxi dicuntur à fidei rectitudine & vitæ integritate, seu, quia recta sectantur, vt Augustin. alibi exponit Catholici dicuntur, quia illam sequuntur fidem, quæ omnibus tradita est, & per quam omnes saluari possunt modo velint, & sine qua salus nulli contingit. Veri. Falsi.

Augustinus contra Gaudẽtium Episcopum, inquit: quia per totum orbem radios porrigit, ex Cypriano explicans locum contra Donatistas, & in epist. 177. à communis orbis communione: cùm omnium præceptorum obseruatione definirent Donatistæ.

Sed vtrinque peccatur: nec enim quod vniuersale est & catholicum, statim veros facit Christianos, cùm maior pars sępe deterior sit: nec omniũ pręceptorũ diuinorũ possibilis est obseruatio, & quatenus possibilis est, hypocritæ eã obseruantiã exprimũt. Adeò vt catholica quædã sint extra veram Ecclesiam, quemadmodum in vera Christi Ecclesia quædam sunt non catholica: illic multitudo non facit Christianos, hîc paucitas non derogat.

Catholici igitur rectiùs dicuntur, qui fidem integram sequuntur & bonos mores. Hęc enim duo capita generalia sunt omnibus in vniuersum tradita: & hanc fidem per totum orbem sparserunt Apostoli. Hinc vniuersalis dicta est Ecclesia, quæ in hac doctrina generali permansit. Orthodoxi Christiani.

Porrò hi veri Christiani, re & nomine orthodoxi, nomine gemini sunt. Alij enim re solùm Christiani non nomine: alij verò, etiam nomine Christiani. Ad priores referendi sunt omnes electi ante Christum exhibitum, & nato Christo, nondum autem reperto nobili isto Christianorũ nomine. Nam in Christianismo, duo sunt considerãda: ipsa per se religio, deinde religionis nomen: illa semper vna & eadem fuit à cõdito orbe: hoc verò sæpe mutatum est. Huc facit locus Aug. lib. 1. retract. Res ipsa, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, vnde mox religio, quæ iam erat, cœpit appellari Christiana. Et Christus de Abrahamo dicit, quòd viderit diem suum, & sit gauisus: & Apostolus ad Corinthios ait, Omnes patres eandem escam spiritualem edisse: & eundem potum spiritualem bibisse: quòd scilicet eadem fide & religione in Christo sint iustificati. Nam cùm vnum & idem semẽ fuerit Adamo & consequẽtibus semper promissum, nobísque exhibitum, necessum est, negotium ipsum religionis vnum & idem esse. Fuerunt igitur ab Adamo omnes electi, reipsa Christiani. Posteri verò electi re & nomine, quales Apostoli, pij martyres & confessores, aliíque seriò fideles.

Falsi & ficti Christiani sunt in ipsa quidẽ Ecclesia, & nomen gerunt Christi: sed reuera professioni non respondent. Iustinus inquit, Qui autem non viuunt vt ipse docuit, produnt se Christianos non esse, tametsi lingua & ore ipsius Christi doctrinam gerant: & alibi omnes etiam mali fatentur se Christianos, doctrinam tamen Christi nõ docent. Et August. qui Christum non habet in se, non potest Christianus dici. Falsi Christiani.

Quæri hîc solet, an Chistianis illis, qui dissolutè viuunt, nulláque ratione professioni respõdent, nomẽ Christiani hominis prosit? Breuiter respõdemus, frustrà ab illis quæri hęc effugia: cùm Apostolus expressè scribat, Gal. 5. *in Christo Iesu nihil valet, nec præputium, nec circumcisio: sed fides per dilectionem operosa.* Quòd illi igitur gloriãtur de nomine Christi, flagitiosè autẽ viuunt, testantur nihil aliud, quàm fidem in illis mortuam esse. quod igitur illi habẽt ex mortua fide commodi? nihil certè nisi mortem ad vitã si velint redire, viuida sit in illis fides oportet. Proinde rectè dixit August. illos qui his spem faciant salutis, humana quadam beneuolentia falli, &c. Quæstio an Christianis malè viuentibus nomen Christiani prosit.

Nostris tamen pseudochristianis seueriùs respondendum erat: *Nolite errare fratres, nec fornicatores, nec idololatræ, nec adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque maledici, neque ebriosi, nec rapaces, regnum Dei poßidebunt.* Hãc & similes sententias illi audiant: non enim humana beneuolentia simpliciter falluntur.

Alij enim ritu Baptismi cõtenti, per cætera nihil habẽt Christiani nominis. Cruce se signãt, vitam sceleribus: his Baptismus, chrisma, & crucis nota prodest, perinde *vvie dẽknecht deß herrem farb truvv macht.* Christianus enim sonat fidem Domino suo. Pseudo Christiani varij.

Alij articulos fidei & scripturam recitant, preces quoque aliena aut sua lingua, non tamen cum intellectu: quæ non magis Christianum reddunt, quàm concepta verba graculum reddũt hominem, & Psittacus suum nouit χαῖρε.

Alij consuetudine viuunt, & more maiorum: talia credunt & defendunt, quia maiores hãc religionem illis reliquerunt: quid illi facerent ab Ethnicis progeniti aut Turcis, vtique mallẽt Ethnici aut Turcæ manere.

Alij nomine Christi non contenti, superaddunt noua quoque nomina: vt non simpliciter sint Christiani: sed simul Dominicani, Franciscani, Augustiniani: olim D. Hieronymus Marcionitas & similes pronũtiauit non ex Christi Ecclesia, sed Antichristi synagoga prodire: hoc ipso argumento, quòd Christi nomine non essent contenti, sed insuper alia sibi sumerẽt, quid igitur nos pronunciabimus de nostris tot sectis, quibus Christiani hominis nomen non satis

eſt, niſi ſuæ familiæ & nomen & habitum addant?

Alij ſuperioribus peiores ſunt, docti homines & miniſtri Eccleſiarum, diſſolutè tamen viuentes. Reperias enim ſcortatores, ebrioſos, prophanos, leues, vſurarios, &c. in iſto ordine: quicquid reſponſuri ſint Domino ſuo, olim viderint: certè omni excuſatione caret, vna manu ædificare & altera deſtruere.

Alij mixtim viuunt: hi omnia ſuo metiuntur commodo, ad palatum ſuum applicant totam religionem: iſti quædam ex papatu approbant: alia ex Euangelicis Eccleſiis, nonnulla ex Anabaptiſmo: cum illis ſecuritatem vitæ approbant: cum ſecundis libertatem dicendi, cum tertiis immunitatem tributorum & redituum, *das ſind vortheilig Chriſten.*

Demum alij palàm prophani ſunt, ſcortatores, ebrij, ſuperbi, blaſphemi, &c. Epicurei ſimpliciter & Athei. De his quid dicam non habeo, niſi illud Salluſtianum de Carthagine ſatius eſſe ſilere, quàm minùs grauiter dicere.

Hæc genera hominum Chriſtianiſmus hodie alit: quibus ferè commune eſt, profeſſioni ſuæ vitæ & moribus non reſpondere. Dominus aliquando his medebitur malis.

Chriſtianiſmi nomen quo modo in contemptũ venerit.

IIII. Vltimum inſtituti noſtri membrum eſt, de ratione, qua ſanctiſſimum Chriſtianiſmi nomen in contemptum venerit. Res digna eſt conſideratione: perſpici enim debet cauſa in pœnis publicis. Sic quidem populus Dei in calamitatibus, vt fame, bello, peſte, captiuitatibus, ad fontes malorum redibat: ita cauſis cognitis homines faciliùs ad ſanam redeunt mentem. Nec ſolum ad eos pertinet præſens conſideratio, qui in ipſo contemptu verſantur: ſed ad eos magis, qui adhuc immunes ab his calamitatibus ſunt: vt ſi velint aliena fruantur inſania, alienis periculis cauti fiant.

Porrò quantus ſit contemptus Chriſtianorum hodie, cognoſcatur ex his qui res Turcicas deſcripſerunt, hoc eſt, illorum expeditiones cõtra Chriſtianos, victorias, conditionem abductorum: aut qui his ipſis rebus interfuêre, pars extitêre miſerãdæ ſeruitutis. Breuiter ſummam illius referam, vt adoleſcentes cogitent, quo loco hodie ſit Chriſtianiſmi nomen. Quos Turcica barbaries in ſeruitutem redigit, mox concatenati per aſpera loca nudis pedibus in fame & ſiti tanquam bruta animalia abducuntur: qui in his laboribus viarum non extinguuntur, hì à mangonibus, vt vera mancipia paſſim venales exponuntur: ad rei ruſticæ labores diuenduntur. Qui rei ruſticæ ignari ſunt & artium mechanicarum, oppidatim circunducuntur donec & ipſi emptorem inueniant, qui loris & flagris illos compellunt, vt agriculturam, paſturam ouium, armentorum &c. diſcant. Alij ad naues damnantur, vbi exuti veſtibus vincti compedibus excoriantur. Virgines & formoſiores iuuenes dominorum libidinem experiri coguntur. Qui ditioni ſeſe ſubmittunt, libertatem amittunt bona tam mobilia, quàm immobilia, Turcæ tributaria fiunt, quartam pendunt quotannis omnium bonorum & artificij manuarij nomine: adde quòd in ſingula capita quotannis coronatus pendi debet: filios inſuper impuberes abripiũt ad miniſteria Turcica quo nomine ſingulis quoque annis Chriſtianorum domos perluſtrant: Chriſti nomen blaſphemiis afficiunt; templa euertunt, aut equorum ſtabula efficiunt: Chriſtianos omnes, quales quales ſint, indignos honoribus ducunt, ad nullum magiſtratum admittunt, fidem publicè doceri prohibent. Hæc facies eſt Chriſtiani nominis hodie per Aſiam, Africam, ac bonam Europæ partem.

Iam de cauſa inquire, cur res Chriſtianæ foris afflictæ ſunt? cur hoſtibus in contumeliam ſubiiciũtur? cur Barbaris ſeruiunt? cauſa in promptu eſt. Deus illis malè propitius eſt: & hoc quare? redi ad fontem, peccatis ſuis offenderunt, nec offendere deſinunt. Hic Dei mos eſt: ſuos affligit, quoties eum peccatis offendunt: affligere deſinit, quoties agnitis peccatis, redeunt per veram pœnitentiam in viam.

Virtutes olim Chriſtianorum.

Olim Chriſtiani reuera erant, quòd dicebantur, ſobrij, caſti, vigilantes, conſtantes, aliiſque virtutibus ad ſummam admirationem peruenerunt, adeò vt terrori eſſent impiis. Virtutes has Chriſtianorum petant ſtudioſi ex Actis Apoſtolorum, Euſebio, Iuſtino martyre contra Tryphonem, & ex Apologia ad Anton.

Euſebius refert lib. 9. Eccl. hiſt. cap. 8. ſingularia officia Chriſtianorum, quæ gentilibus præſtitere tempore peſtilentiæ & famis. Iuſtinus verò oſtendit quales fuerint illorum congreſſus, preces, eleemoſynæ, communes facultates. Idem Tertul. in Apolog. Acta Apoſtolorum concordes deſcribũt, ſobrios, vigilantes, precibus deditos: hinc ſenſim creuit his virtutibus res Chriſtiana: vt impij principes admirati ſint Chriſtianorum virtutes. Hinc reſcriptum Adriani pro Chriſtianis, de quo Niceph. lib. 3. cap. 27.

Item Antonini reſcriptum apud Niceph. lib. 3. cap. 28. apud Euſeb. lib. 4. ca. 13. Traiani ad Plinium iuniorem. Neruæ quoque apud Dionem Marci Antonini illuſtris eſt epiſtola, in qua victoriam contra Barbaros Chriſtianorum precibus & armis obtinuiſſe teſtatur. Talis eſt Theodoſij victoria contra Eugenium Gallorum regem, quam deſcripſit Claudianus in conſulatu Honorij.

Quandiu igitur Chriſtiani honeſtiſſimos mores, decentiſſimas Chriſti leges obſeruarunt, quas nemo alius etiam exactiſſimus Philoſophus imitari potuit: tandiu admirationi fuerunt. Poſtquam verò contrariis vitiis nos cœpimus tradere, ad ima relabimur, ſummo & ignominioſiſſimo

nioſiſſimo

niosissimo contemptu obruimur.

Mores Christiani orbis confer cum veterum Christianorum vita: videbis præter nomen nihil reliqui esse de Christiana professione: sed & his malis aliquando medebitur Dominus, &c.

DE IMITATIONE CHRISTI & sanctorum.

LOCUS XI.



EXEMPLA sanctorum rectè nobis proponuntur ad imitationem: sic enim Apostolus Paulus 1. Cor. 4. se ipsum proponit, *Imitatores rogo vos mei estote*. Et Iacobi 5. Iobi patientia proponitur nobis. ad Heb. 13. sanctorum fides, constantia, tolerantia, cæteræque virtutes spectandæ. Verùm vt bonarum rerum pessimus est abusus, sic imitatio sanctorum à rebus seriis, ad superstitionē ferè tota trāslata est, vt tota sit propè iam κακοζηλία. non virtutes illorum imitamur, sed mores, habitum, vestitum, ieiunia, preculas, sermonis interdum vitia & nescio quæ alia: dicendum igitur nobis est de re vtilissima, quandoquidem præsens Apostoli locus nobis plenam dedit occasionē: tem à definitione ordiemur. Occasio

I. Imitatio est expressio virtutum, optimorum proposito exemplo, quorum similes esse videri volumus. Plato ποίησιν vocat, quia finem habet, boni absentis acquisitionem: ad quod deuenitur agendo: dicitur igitur actio, qua alterius virtutes æmulamur exprimere. Vt Vergil. Theocritum æmulatur in Bucolicis, eiúsque virtutes non malè refert. In Æneide imitatur Homerum. Cicero ex Græcis Demosthenem, ex Latinis Hortensium: sic virtutibus Theseus Herculem sibi imitādum proposuit. Paulus se Corinthiis, Philippensibus, Thessalonicēsibus imitandum proponit. Ac magna illius vis est, tum in artibus, tum virtutibus. August. lib. 1. de Musica, ait omnes penè artes hac sublata perire: præbent enim se magistri ad imitandum, & hoc ipsum est, quod vocant docere. Rectè quidem cum artes experientia & vsu addiscantur, in quo plurimum valet, industria boni anteambulonis, quem sequantur discentes. Sic in virtutibus & religione magna vis est imitationis. Cùm enim posteri maiorum insequuntur vestigia, religio & boni mores conseruari possunt. Sic in populo Dei, imitatione diu conseruata fuit pastoritia vita, cum ab Abrahamo omnes maiores viderant pastores fuisse. Hinc in Ægypto terra Gosen illis assignatur à Rege. Sic vera pietas & cultus vnius Dei, imitatione conseruatus est, cùm maiorum intuerentur exempla, & illa mordicus tuerentur professione & vitæ moribus. Et pij Martyres infinitos excitarunt ęmulos ad sui imitationem, adeò vt contentio visa sit pro martyrio consequendo, quæ res suos quoque habuit κακοζήλους: sed postea magis corrupta est, dum quæuis in mores admitterent pro exemplo. Imitatio quid.

II. Imitatio triplex est: alia φυσική, naturalis, quæ naturæ est æmula, qualis est bona ex parte pictoria ars: ludit eadem varietate qua natura, quanquam acumen illius non assequatur: alia τεχνική, artificialis, quæ non tam naturam, quàm artificiū æmulatur, qualia sunt certamina ingeniorū in qualibet arte, in poesi maximè, & in oratoria facultate: hodie Latinę linguę studiū, multos ad Ciceronis imitationē allexit. Tertia est mixta ex superiorib. duabus: plurimùm enim valet si artis præsidio nitatur naturæ imitatio: vt pictor alia petit à natura, alia ab arte. Diuisio imitationis.

Plato duplicem facit in sophista, quam aliquoties deinde repetit: alia illi dicitur εἰκαστική, hoc est, veri collimatrix, hanc postea dicit coniunctam cum scientia μετ᾽ ἐπιστήμης, & ἱστορικὴν eandem appellat. Platonis duplex imitatio.

Altera sine iudicio suscipitur, & ad optatum non peruenit: inde φανταστική illi dicitur, & δοξομιμητική, quia opinione potiùs constat quàm rei veritate: hoc pacto dicit Sophistam esse μιμητὴν τοῦ σοφοῦ, quia sapiens non est, sed illius potius simia: & poetas definit μιμητὰς εἰδώλων ἀρετῆς, quia vmbras proponunt non veras virtutes quas ignorant, ideò non possunt.

Nos sic diuidemus. Imitatio alia est naturalis, alia artis, alia virtutum: seu, alia est φυσική, alia τεχνική, alia ἠθική, ac priores duæ species iam explicatæ sunt. Ἠθικὴ superest: in se complectitur virtutum & pietatis imitationem, item vitæ genus & professionem, vt quod posteritas Iacob pastoritiam vitam sequitur, vt Rechabitę paternos mores retinent in abstinentia vini: huc pertinet sanctorum imitatio.

III. Vt imitatio rectè fiat, ad duo nobis respiciendum est, quid scilicet nobis ad imitandū proponamus. Deinde quomodo idem exprimamus: prius παράδειγμα exemplar dicitur & archetypus ad imitandum propositus, posteriùs verò ἐκτύπωμα efficta expressio. Quis veræ imitationis scopus.

Quod archetypum attinet: in exemplum vitæ optimus proponendus est, quem imitemur, qualis est Christus filius Dei, omnium virtutum perfecta idea: in reliquis, ne vitia pro virtutibus admiremur, aut illa his copulemus. Ac cōducibile est mox à pueris talia nobis proponi & inculcari exēpla. Pręsertim si quæ sint nobis domestica. Rectè Plato censuit in Politicis, μιμεῖσθαι τὰ τούτοις προσήκοντα εὐθὺς ἐκ παίδων, ἀνδρείους, σώφρονας, ὁσίους, ἐλευθέρους, καὶ τοιαῦτα πάντα. i. statim à puero ea esse imitanda quæ sunt decentia, nempe fortes, tēperantes, pios, liberales & Plato.

cætera eiusmodi.illiberalia autem nequid facere:neq; imitari illis liceat, neque aliud quicquã turpium,ne ex imitatione id consequantur etiam, vt sint. Nam, μιμήσεις ἔθη καὶ φύσιν καθίστανται, imitationes in mores & naturã abeunt. Hieron. rectè etiam inquit, nunquam exẽplum à malis sumitur. Item virtutes imitamur, non vitia: de genere igitur honesti ac boni esse debet archetypus. In quo genere quia præstat ad perfectissimam aliquam ideam respicere, Christum omnes ante oculos habere debent: is enim optimus vitæ honestæ magister est. Primùm quia ipse pater hunc nobis proponit, *hunc audite*. Deinde quia ipse nobis se in exemplum proponit, Matth. 11, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Et Apostolus ad Ephes. 5. hortatur vt nos diligamus mutuo, quemadmodum Dominus nos dilexit ad Hebr. 12. iubet nos respicere ad fidei ducem & completorem Iesum: quod nihil aliud est, quàm ad Christi exemplum nos reuocare. Cæterùm quomodo Christum imitemur, & in quibus permagna quæstio est. Sunt qui non sint contenti virtutibus, quibus vita humana iuuatur & ornatur, sed ad miracula ausint prodire imitanda.

Christus in miraculis nõ imitãdus

1. Cæterùm illis opponimus primùm ipsam rei naturam. Impossibile est exprimere illius miracula. Ideò non sunt imitanda, cùm omnis imitatio in re possibili suscipi debeat.

Deinde quia idem inutile est, & desperato successu: quid enim sperabis boni ex re, quæ non sit successura, si coneris?

Tertiò, idem impium quoque est. Nam Christus his miraculis se ab omnibus mortalibus separauit, tanquam verum Messiam patribus promissum, hinc ad illa prouocauit, cùm discipuli Ioannis venientes interrogarent quisnam esset Matt. 11. Luc. 7. quasi dicat, ex signis Messiæ propriis Ioannes agnoscet quis ego sum. Itaque hæc inuolare, Christi gloriam est imminuere, præsertim qui hoc mimicè faciunt. Nam scimus Christum vim miraculorum suis etiam discipulis contulisse, & nonnullis etiam ex martyribus: non tamen legimus eos quicquã spõte sibi tale sumpsisse.

4. Denique Christus non præcepit vt in his illum imitaremur: non enim dixit, Ambulate super aquis, omne genus morborum sanate, leprosos, claudos, cæcos, &c. *sed discite à me quia humilis sum & mitis corde*. Item *exemplum dedi vobis, vt quod vidistis me facere, faciatis*: viderant autem lauantem pedes discipulorum. Quod ex sententiis D. August. quoque comprobatur, vt vbi illa quoque leguntur: imitatores Christi esse debemus, non in faciendis miraculis, quæ nemo requirit, sed in custodienda humilitate & patientia, ad quæ nos Christus inuitauit, suo exemplo. Idem elegantiùs persequitur in explicatione Psalm. 90. Non hoc dicit: non eris discipulus meus, nisi ambulaueris super mare, aut nisi suscitaueris mortuum quadriduanum, aut nisi oculos cæci nati aperueris: nec hoc, quid est ergo intrare per ianuam? *discite à me quia mitis sum & humilis corde*. Quod factus est propter te, hoc in eo debes attendere: vt imiteris eum. Remouendum igitur ab imitatione, hoc genus operum, ideò ridiculum est ieiunium illius 40. dierum velle imitari, quasi hoc vel miraculum non fuerit, vel nobis factum etiam concessum.

Virtutes quæ vitã ornãt imitãdæ in Christo.

Reliquæ sunt virtutes, quibus adiuuatur & ornatur vita humana, in his nos exercere debemus. Patientia in aduersis, beneficentia erga proximum, dilectio mutua, constantia in confessione, ignoscere inimicis, orare pro hostibus. In summa nulla est virtus quin illius exemplum in Christo habeamus. Filij parentibus obedientiam discant, exemplo Christi, qui terrenis parentibus vixit subditus, & cœlesti patri obediens fuit ad mortem crucis vsque. Vxores maritis obedientiam debent exemplo Ecclesiæ, quę Christo subdita est: mariti dilectionem vxoribus, vt Christus dilexit Ecclesiam. Eph. 6. Ac longum esset omnium catalogum nectere ex sacris literis, nec fortè huius instituti: obseruet quisq; virtutes singulas in Christo, quas requirit, nec deerit exemplum. Id solum obseruemus ne vana quadam persuasione nimiùm nobis placeamus, si in imitatione res faciliùs videatur succedere: verè enim dixit ille, *In omni re vincit imitationem veritas*. Et Christus quia ipsa est veritas, vtique infinitis modis omnem hominis conatũ superat, ideò nihil præsumptuosè nobis licet de nostris operibus hîc sentire, semper absumus ab archetypo plus quàm cœlum à terra: satis nobis sit vmbram posse quandam assequi. Itaque rectè imitamur Christum archetypum, si abnegata nostra volũtate, voluntati Dei Patris, bene merendo de omnibus, in primis verò de domesticis fidei nos totos subiiciamus.

Sanctorũ imitatio piis cõmendata.

IIII. Restat sanctorum post Christum imitatio: hanc scriptura non solùm concedit sed mandat etiam. Primùm enim Apostolus se passim proponit typum quem sequantur fideles 1. Cor. 4, *Estote imitatores mei*. Philip. 3 *Estote mei simul imitatores, vt nos habemus typum*. 2. Thes. 3. *ipsi nostis quomodo oporteat nos imitari*, & mox, se illis proponit exemplar Gal. 4, *Sitis vt ego, quia ego vt vos*. Deinde ministros cæteros Ecclesiarum auditoribus prælucere vult, vt habeãt quos imitentur. 1. Timoth. 4. *Esto exemplar fidelium*. Tit. 2. *exemplar bonorum operum*. 1. Pet. 5. iubet vt ministri sint typi gregis, quæ non possunt alium habere sensum, quàm vt auditores imitentur virtutes suorum doctorum: hinc ad Heb. 6. ait, *imitatores sitis eorum, qui per fidem & patientiam obtinent promissam hæreditatem*. & Heb. 13. *Imitamini fidem ducum vestrorum*. Accedit quod exempla passim hoc fine inducuntur à scriptura, vt tum imitationem virtutum, tum fugam scelerum doceant. Iacob. 5. proponit exemplum patientiæ in Iob. Paulus ad Rom. 4. fidei & iustificationis in Abrahamo, vt nobis applicemus ait, *Scriptum hoc non solùm propter Abrahamum, sed*

mum, sed etiam propter nos. Christus exemplum pœnitentiæ proponit in Niniuitis. Matt. 12. & Matth. 6. securitatis laudatæ exemplum proponit in volatilibus cœli, quæ iubet imitari, ne nimium simus solliciti in crastinum. Adde quòd Christus præceperit dare exemplum aliis. Matth 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est:* sed quatenus sanctos imitabimur?

1 Respondet ipse Paulus 1. Cor. 11. *Imitatores mei estote, vt ego Christi* Hinc statuimus vniuersalem imitationis regulam. Sancti imitandi sunt, quatenus ipsi Christum imitantur, hoc est, quatenus ab archetypo non aberrant, sed ad eum nos reducunt, quam rem elegantissimè expressit August. explicans Psal 39. illa verba, *Videbunt iusti & timebunt:* verba illius sunt, In Ecclesia iste ordo est, alij præcedũt, alij sequũtur: & qui præcedũt, exẽplũ se præbent sequentibus, qui sequuntur, imitantur præcedentes, sed & illi, qui se exemplũ præbent sequẽtibus, nũquid neminem sequuntur? si neminem sequuntur, errabunt: sequuntur ergo & illa aliquem, ipsum Christum, Meliores quique in Ecclesia, quibus non remansit iam homo, quem imitarentur, quia omnes proficiendo superauerunt, ipse Christus eis remanet, quẽ vsq; in finẽ sequuntur.

Sancti quatenus imitandi.

Deinde cùm homines sanctos imitamur, non in illis nimiùm hærere debemus: sed oculos ad Deum attollere, & in illis Christi Spiritum respicere, vt nõ tam homines, quàm Christum videamur imitari: rectè dixit Aristoteles de poësi, imitandum potiùs Homerum, quàm Cherilum, hoc est, ad optimi ideam dirigere imitationem, ita minus euagabitur, & semper habet quod imitetur in archetypo.

Quæ vitãda in imitatione sanctorũ.

Tertiò, ne fiat ex imitatione adoratio, quod ferè in Christianismo accidit in sanctis imitandis: tales sibi finxerunt sanctos, qui non solùm imitandi essent: sed potestatem haberent vires imitationis conferendi. Hinc quem quisque sibi imitandum proposuit, inuocauit. Verùm scriptura inuocationem, vtpote Dei cultum, soli Deo reseruat, imitationem concessit etiam sanctis, de quo vide locum de adoratione sanctorum.

Quartò, absit etiam persuasio meriti: nec enim coram Deo quicquam mereri nos dicit scriptura, sed iubet semper dicere, *quicquid fecerimus, serui inutiles sumus.* Prodest vitæ humanę piorum imitatio, ideóque Deo placet, & mercedis nomine repromittit vitam æternam rectè agentibus, quæ tamen non debẽt alere meriti priuati persuasionem, cùm sua in nobis coronet bona, nec dicimus, perinde esse apud Deũ piè aut malè viuere: nõ enim ista cohærent: nullum est meritũ bonorũ operum apud Deũ: ideò perinde est vt vt viuas: bona enim opera in renatis fructus sunt fidem præcedentem sequẽtes: fides autem in Christũ refertur, quem sequũtur & bona opera, eíque omne meritum adscribũt: vide locum de meritis hominũ apud Deum.

5 Vt prosit etiam exemplum imitationis proximo, & videãt homines opera nostra bona, & laudent patrem qui in cœlis est, non debet Theorica esse imitatio, qualis ferè est monachorũ vita contemplatiua, qui imitationem sanctorum ferè omnem ad cõtemplationẽ retulerũt, in quo res ipsa eos confutat: imitatio enim πρᾶξις quædam est, & ποίησις vt dicit Plato, non est θεωρία, ideò malè ad Theoriam refertur, non dicitur imitari discipulus, dum tabellam solùm contemplatur, sed admouenda manus est operi. At hodie comprobamus illud dicterium: *boni Theoretici, mali sunt practici:* quanquam de eo quoque libeat dubitare, vix enim possunt bonæ esse cogitationes, in pessima & corrupta vita.

6 Ne sit simulata, qualis erat Pharisæorum de quibus dicit Christus, *in angulis platearum orant: sed cæci sunt, & duces cæcorum, sinite illos.* Imitamur ferè hodie sanctos, non aliter quàm Diogenes Corinthios trepidos, qui cùm contra Philippum summis viribus munirent ciuitatem sine intermissione, ipse suum versabat dolium, ne solus videretur otiosus: illi seriò egerũt: nos nostra solùm versamus dolia.

Imitatio simulata vitanda.

7 Cum iudicio suscipiatur, vt absit κακοζηλία: de quo dixit Christus, Matth. 23. in Cathedra Mosis sedent, quæ docuerint facite: secundum opera autem illorum nolite facere. Hypocritarum enim opera non sunt imitanda, ne & ipsi hypocritæ reddamur. Platonis est sentẽtia, Βέλτιστον τῷ λογιστικῷ ἐθέλειν ἕπεσθαι. Præstat enim cum ratione aliquid imitari: id fit si non mox quæuis recipimus in mores, quæ in aliis videmus laudabiliter fuisse vsitata: in illis circunstantiæ aliquid postulabant, quæ in nobis non sunt: sic temerè admissæ sunt preculę diuersę, consuetudines, vestimẽta, gestus, quę omnia magis mimisin hystrionicã recipiũt, quàm piã imitationem. Referunt de Fabio Bibaculo, quod hinc dictus sit Pantomimus quòd omnia vellet imitari, nec sine laude hoc conatus est, in theatro enim prodest actori facilitas imitationis personarum: sed in pietate laudanda non est hystrionica imitatio.

Præpostetus zelus fugiẽdus in imitatione.

8 Certæ virtutes in sanctis rectè proponuntur, præcipuè in his sanctis quos nobis cõmendat ipsa scriptura, vt in Patriarchis veram inuocationem respicimus, & confessionẽ: quòd in terris peregrini essent. In Prophetis habemus diligentiã docendi, exẽpla persecutionũ, patiẽtiæ, consolationis. In Apostolis studium propagandi veram doctrinã, martyria, constantiam, confessionem: ad illa sæpe debemus oculos referre, vt similem diligentiam in officio nostro præstemus. In Martyribus posteris & confessoribus eadem habemus, in primis ad veram inuocationẽ & sanctimoniam vitę omnem referamus imitationem: in his duobus capitibus cõsistit tota religio Christi, quæ tamen facilè postponimus.

Vitia pro virtutibus nō imitāda in sanctis.

9. Ne pro virtutibus vitia arripiamus imitāda, aut ex virtutibus nos efficiamus vitia, quod sanè nostris imitatoribus solenne est, pro vera inuocatione, & vitę innocentia, imitantur potiùs vestitum Ioan. Baptistæ, pro castitate Hieronymi cellulas illius, soleas & cibum, quemadmodum discipuli superstitiosi pallium & incessum præceptoris imitantur non eruditionem. Simiæ sumus & laruati imitatores, vt in scenis qui heroum circumferunt personas, clamores, verba, gestus, habitum illorum imitantur, sic hodie multi imitari volunt παῤῥησίας Christi & Baptistæ, sed ita mordaces fiunt, vt canina magis quàm Christiana reddatur facundia, palàm malos auertunt ab Euangelio, bonis molesti sunt declamatores. Alij Paulū imitantur quem vident in Actis passim ex tempore dixisse, sed non aduertūt Spiritum sanctū adstitisse, & ea ipsa hora dicenda dictasse, præterea instructus erat peritia legis & prophetarū, imò Græcorū scriptorum, quod testantur hinc inde testimonia inde adducta, ideò facile illi erat ex tempore dicere, non tamen damnarim hunc conatum, si cætera adsint quæ dictionem extemporalem iuuare possint varia lectio, memoria locorum scripturæ & similia. Scribunt hoc de Lolliano Ephesio qui Isæum imitatus est, vt ex tempore diceret: & eo notat Plato Gorgiam Leontinū: malim imitari Demosthenem qui exemplo Periclis nunquam nisi præmeditatus apud populum dicere voluit. Sed illa fortè non huius sunt loci: pertinent ad contentionem ingeniorum, & ad exercitia iuuentutis spectant. In imitatione sanctorum Christum respiciamus, cuius honori omnia inseruire debent, ad vtilitatem Ecclesiæ, vt ædificet nostram salutem, quæ consistit hoc loco in vitæ innocentia & vera inuocatione vnius Dei, &c.

DE SANCTIS.
LOCVS XII.



LVCAS in Actis cap. 9. de fidelibus loquens, ait, *Petrum venisse ad sanctos qui habitant Lyddæ:* & mox infrà, cùm Ioppæ excitasset Tabitham ait, Petrum vocatis sanctis ac viduis Tabitham illis viuam restituisse: ex quo perspicuum est sanctos non perfunctos, sed viuentes appellari.

Dicemus igitur iam de sanctis, primùm cur dicti sint. Deinde qui sint. Tertiò quòd sit illorum munus. Quartò quid illis sit deferendum à nobis.

Sancti cur dicti sunt.

I. Sancti dicti sunt, quia Deo vero consecrati & segregati sunt, sanctitate non innata aut meritoria: sed imputata ab ipso Deo, in sui nominis gloriam & ipsorum salutem gratificata.

Hinc non malè sanctus à sanguine dicitur. Nam vt olim, sancta sub hostiæ sanguine consecrari solebant, vt deinceps inuiolabilia essent, & ab vsibus prophanis segregata: ita sancti Dei cultores agnoscunt se Christi sanguine veræ religioni consecratos, quam proprij etiā sanguinis effusione non erubescunt confirmare.

Nec approbo hìc sententiam Iurisconsultorum, qui sanctum à sagminibus deriuant, hoc est, à verbenis, quas herbas legati populi Romani ferebant, missi ad repetendum amissa, ne violarentur. Verum quidem esse damus, legatos Romanos vsos sagminibus herbis, quemadmodum Græcorum legati ceratiis vtebantur: & hinc agnitos, eos fide publica venire, ideóque iure gentium ab omnibus inuiolabiles fuisse: adde, hinc sanctos dictos legatos, hoc est, inuiolabiles: non tamen sequitur, à sagminibus sanctum dici: sed hoc sequitur propter sagmina sanctos, hoc est, inuiolabiles esse habitos. Nam isti ex Martiani iurisconsulti sententia sanctum definiunt esse, quod ab iniuria hominum defensum, atque munitum est. At legati propter sagmina, hoc est, indicia & symbola publici officij muniti & defensi erant ab hominum iniuria: itaque propter illa symbola sancti habebantur.

Sancti nominis etymologia Grā.

Magis arridet sententia Grammaticorum, qui sanctum à sanctione deriuant, quasi dicant sancitum: sancire autem firmare sententia aliquid, decernere, ordinare, constituere. Sanctum igitur quod sanctione aliqua firmatum est. Rectissimè sancti hinc dicti sunt, quia authoritate diuina, & sanctione sanctissima firmati sunt in sua vocatione: & hinc etiam inuiolabiles, defensi & muniti sunt contra omnes omnium hominum iniurias. *Stat enim solidum Dei fundamentū, habens signaculum hoc, nouit Dominus qui sui sint:* & quod Christus de suis ouibus dicit: *nemo rapit illas de manu mea.* Sacri autem non dicuntur, quia non ab hominibus Deo dedicantur: sed diuina sanctione æterna pœna contra illos statuitur qui hos violant: hinc Dauid, *Nolite tangere Christos meos.*

Ἅγιοι vnde dicti.

Græci sanctos vocāt ἁγίους, exprimit autem ea vox electorum proprietatem: significat enim ἅζομαι, idem quod σέβομαι, colo, veneror, hinc ἅγιοι, cultores Dei: aut quod video placere, quasi minimè terrena sapiant, iam toti rebus diuinis consecrati, vt dicti sint ab α quod στερητικὸν est, & γῆ terra.

Mihi tamen placet (si pace Grammaticorum liceat pronuntiare) dictos esse ἁγίους ἀπὸ τοῦ ἄγειν: quasi actiuos dicas & certaminibus deditos: hinc ἄγος, & inde interposita iota ἄγιος, & spiritu mutato ἅγιος: varis enim periculis exercentur, & ipsi per se rebus secundis etiam non desinunt opera renatorum præstare, docendo, hortando, benefaciendo, &c. Item quia tra-

hunt*ur*

huntur ſpiritu Dei, & rapti ſunt ad nouas res, ad meditationes cœleſtium contemplationum. Et ſignificat etiam ἄγειν, trahere, & rapere: ſanctorum autem eſt trahi à Patre & Filio, rapi à Spiritu ſancto, vt toti honeſtis actionibus ſint intenti: inde toties opera ſpiritus repetuntur in ſacris, & opera carnis ac tenebrarum damnantur.

Hebræi eos appellant *kedoſcim*, quaſi dicas, diuinis vſibus conſecratos: ſic enim verbo *kadaſch* vtitur ſcriptura, vt Gen. 2. verſ. 3. *Et benedixit Deus diem ſabbathi, & ſanctificauit eum, vaie kiddeſch*, hoc eſt, ſegregauit ad peculiarem vſum, ab aliis diebus.

Eſt tamen contraria quoque verbi huius ſignificatio: nam prophanare quoque ſignificat, & polluere, hinc *kedeſchah* ſcortum dicitur, vt eſt Gen. 38. in hiſtoria Thamar & Iuda, verſ. 21.

Sic apud Græcos, ἅγιος non ſolùm dicitur purus, ſed pollutus & inquinatus: cuius ratio eſt quòd vox ἄγος in bonam & malam cadat ſignificationẽ: ſignificat enim τὸ ἄγος crimẽ, ſcelus, rem pollutam: hinc ἐναγὴς, execrabilis, conſceleratus. Et ſignificat factum pium, ſanctum, inde ἐναγὴς purus, ſanctus. Non diſsimili forma Latini ſacrum pro execrando appellant: hinc, Auri ſacra fames, &c.

II. Qui verò ſint ſancti, explicandum eſt.

Sancti qui dicātur.

Hodie vſus obtinuit ferè, vt ſancti dicantur ſolùm defuncti cœlites, qui iam omni labe carẽtes, conſortio electorum fruuntur, expectantes beatam corporum reſurrectionem. Acceſsit ex ſuperſtitione mox abuſus alter, vt ſanctos cùm audimus nominari, idiotæ ferè imagines defunctorum intelligant & ſtatuas. Hinc apud Germanos dicuntur *die helgen*, promiſcuè de imaginibus ſanctorum, & ipſis defunctis, quos in imaginibus colunt. Qui verò rectiùs loquuntur, imagines appellant *die helgen*, ſanctos autẽ defunctos *die heiligen*, hoc eſt, ſaluatos & ſanatos.

In vtraque ſignificatione abuſus eſt. Nam ſcriptura ſacra nullibi imagines titulo ſanctorũ ornat: ſed abominationes, ſcortationem, lignum & lapides vocat, deos mutos, qui dij nõ ſint, qui oculos habent & non vident, &c. Huc pertinet locus de imaginibus, &c. Itaque graue eſt peccatũ: imagines ſanctitatis nomine ornare, cùm illis nulla inſit nec natura, nec ars, aut gratia: ſupereſt igitur vt antiphraſticῶs ſancti dicantur.

Quòd verò defunctos attinet, abuſio tolerabilior eſt. Nam electis verè competit titulus ſanctorum & ſanctitatis, cùm certiſſimum ſit, illos gratia effectos eſſe ſanctos, qui tales natura non erant. In eo tamen peccatur, quòd titulus ſanctorum, ſolis defunctis tribuitur. Nam ſcriptura viuos hoc cognomẽto quoque ornat: quemadmodum igitur de imaginibus non rectè prædicatur ſanctum eſſe, ſic de mortuis non ſolùm prædicatur. At viuis tribus manifeſtum eſt ex cap. 9. Act. *venit Petrus ad ſanctos, qui erant Lyddæ.* Rom. 1. Apoſtolus ſcripſit *vocatis ſanctis.* & 1. Cor. 1. *vocatis ſanctis.* 2. Cor. 1. *cum omnibus ſanctis qui ſunt in tota Achaia.* Col. 1. *ſanctis qui ſunt Coloſsis.* Idem Phil. 1. & ad Eph. 1. 1. Pet. 2. *vos genus electum: gens ſancta.* Leuitic. 16 *eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum*, Deut. 7. *ſculptilia illorum combaretis: quia populus ſanctus es Dominus Deo tuo.*

Sanctorũ duplex genus. Deus per ſe ſanctus.

Sanctorum igitur duplex genus eſt. Alij natura ſancti ſunt, alij participatione: illi per ſe ſanctitatem habent à nulla antecedente cauſa mutuantes: ſed cum tales natura ſint, alios quoque ſanctificare poſſunt: hi verò precariò accipiunt, quod non habebant, & ſancti efficiuntur ab alia cauſa præſtantiore: illi ſanctificati, hi verò ſanctificantes dici poſſunt. Per ſe, & ſua natura Sanctus, ſolus eſt Deus ipſe, ita ſanctitatem illi ſcriptura attribuit. Leuit. 19 *ſancti eritis, quia & ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter.* Sam. 2, Hanna dicit, *non eſt ſanctus, vt eſt Dominus quia nihil eſt præter te, nec eſt fortis vt Deus noſter.* pſalm. 99, ad finem, *ſanctus eſt Dominus Deus noſter.* Eſa. 49, *ſic dicit redemptor Iſraelis & ſanctus eius.* Oſe. 11, *Deus ego ſum & non homo, in medio tui ſanctus.* Quòd autem idem ſanctificet teſtatur, Leuit. 20 *ego ſum Dominus ſanctificans vos.* Porrò ſanctificat Deus primùm ſegregando ad vſus peculiares, vt ſabbathum ſanctificauit, vt ſolùm quieti & celebrationi nominis diuini inſeruiret. Deinde ſanctificat ſeipſum in impiis, dum de illis pœnas ſumit, vt alij quoque timorem habeant, & vincat dum iudicatur. Tertiò nomen ſuum ſanctificat, dum ſanctum, glorioſum proponit hominibus. Quartò homines ſanctificat, dum imputat illis iuſtitiam, & ſanctos pronuntiat cõmunicando ſuæ ſanctitatis radios: hanc contulit in filio ſuo Chriſto. hinc 1. Cor. 1 dicitur, *Chriſtus noſtra eſt ſanctificatio.* & ad Epheſ. 5. de Chriſto redimente Eccleſiam, *ſemetipſum expoſuit pro illa, vt eam ſanctificaret, purgans lauacro aquæ per verbum.* Sanctificat etiam bellum Deus & alias pœnas contra ingratos, dum iuſtas pronuntiat.

Pertinet hæc ſanctitas etiam ſpecialiter ad tres perſonas diuinitatis: ſic pater ſanctus eſt ſanctificans in filio. Ioan. 17, *pater ſancte ſerua eos per nomen tuum:* & infra, *ſantifica eos tua veritate, ſermo tuus veritas eſt.*

Filius Dei ſanctus per ſe.

Filius quoque ſanctus. Act. 2. & pſal. 16 *non dabis vt ſanctus tuus videat corruptionem.* Marc. 1. Luc. 4. immundus ſpiritus item fatetur, *Sanctus Dei es.* Act. 3 *ſanctum & iuſtum negaſtis.* Luc. 1. *quod naſcetur ex te, ſanctum vocabitur, & filius Dei.* Heb. 7. *pontifex ſanctus.* Sanctificat etiam filius primùm ſeipſum pro ſuis. Ioan. 17, *pro eis ego ſanctifico meipſum.* Deinde ſanctificat Eccleſiam ſuam imputando ſua merita electis: ad hoc enim opus ſelectus & ſegregatus eſt, corpus etiam ſuum in puram & ſynceram hoſtiam Patri obtulit. Denique quia immunis

est ab omni peccato: sāctificat igitur suos reuera, quia iustus & innocēs pro iniustis passus est.

Spiritus sanctus. Spiritus quoq. paracletus sanctus est: hinc passim in scripturis dicitur spiritus sanctus, quia natura talis, & sāctitatē efficit in electis, sāctorū opera operatur. Ad hāc trinā personarū sācti tatē pertinet, quod apud Es.6. clamatur *sanctus sanctus sanctus Dominus zebaoth*, de quo alibi.

Superest alterū genus sanctorū, scil. quod non per se: sed communione sanctum dicitur. huc iam pertinent omnia in cœlo & terra, quæcunque vspiam aliqua ratione sancta dici possunt.

Sancta communione duplicia. Sunt igitur ista sancta duplicia: quædam rationalia: quædam verò ratione carentia.

Prioris generis sunt, primùm Angeli, qui lapsi non sunt, sancti dicuntur. Deinde homines, qui lapsi sanctitatem suam amisêre, quam tamen ipsam à conditore acceperant merito filij Dei: hinc titulus ille electis passim tribuitur. Sunt enim iusti & immaculati in conspectu Domini, gratuita imputatione: sic Apostolus sanctis se connumerat ad Eph.3. *mihi autem omnium sanctorum minimo.* & ad Cor.1. capit.6. sanctis tribuit quòd hunc mundum sint iudicaturi. & Tobias inquit cap.2 *filij sanctorum sumus.* ad Eph.5 *auaritia ne nominetur inter vos, sicut decet sanctos.* Col.3. *induite igitur electi Dei, sancti & dilecti viscera miserati onum.* &c. & alia infinita loca.

Homines quando dicantur sancti. Cæterùm humana illa sanctitas, aut in hac terra prædicatur de hominibus: aut post hanc vitam. In hac terra verò, de priuatis, hoc est, de electis: vt sāctorum minimus est Paulus, hoc est, inter verè electos, se minimum reputat: ita sancti fuêre Apostoli omnes in hac etiam vita, Abraham, Isaac, Iacob, &c. Tobias, qui se sanctorum filium aliis seriò credentibus pronuntiat.

Deinde sancti dicuntur integri cœtus, quāuis in eis multi sint mali permixti. Populus enim Iudaicus totus dicitur sanctus, vtut impuros habuerit multos. Exod.22. *homines sancti eritis mihi.* Leuit.20 *sancti estote, quia ego Dominus sanctus sum.* Deut.33, *venit cum decem millibus sanctorum, à dextra eius, ignea lex pro eis: & mox, omnes sancti eius sunt in manibus tuis.* Deut. 7. *populus sanctus es Domino Deo tuo, aliisque infinitis locis.* In nouo Testamento Ecclesiæ bonis & malis commixtæ dicuntur sanctæ, vt Corinthiaca cum in illa multa reprehendat vitia, 1. Cor.6. Sic Romanam Ecclesiam sanctam vocant, Roman.1, cùm interim suis laborarit vitiis, vt constat ex fine Actorum.

Sanctitatis in homine ratio. Quòd si huius sanctitatis quæratur ratio, non potest in ipso homine dari: cùm natura sit filius iræ: sed reperietur causa eius in Deo, scilicet æterna illius electio. Eph.1, *elegit nos ante mūdi constitutionem*: ac electionem ad vitam æternam non hominis: sed Dei esse testatur Apostolus, Rom.11, *non est volentis, aut currentis, sed miserentis Dei.* Electos suo tempore vocat Deus ad sui cognitionem: hi mox verbo Dei & Sacramentis innituntur, ex verbo discunt Dei volūtatem, Sacramentis confirmantur, Spiritus verò sanctus illis operatur fructus regenerationis, vt vita & moribus testentur professionem suam, fidem accendit in Christum, cuius merito illi iusti & sancti reputantur in conspectu Dei. Hunc ordinē iustificationis describit Apostolus ad Rom. 8. Hos in genere vocat sanctos scriptura, fratres & fideles, postea cœperunt in genere dici Christiani.

Tertiò sancti sunt pij defuncti, qui vera in Christum fiducia, spretis huius mundi nugis in Christo obdormiuerunt. Tales fuerunt, qui Christo moriente resurrexerunt, Matthæi 27. & qui mundum iudicabunt in nouissimo die, 1. Cor. 6. Hi olim μάκαρες, & μακάριοι dicti sunt Græcis, quia τῇ κηρὶ hoc est, τῇ φθορᾷ non essent amplius subiecti. Aristoteles tamen μακάριον videtur deriuare ἀπὸ τοῦ χαίρειν, quia iste status beatorū perpetuo gaudio & omnimoda felicitatis sufficientia firmatus est: cùm sanctorum status in hac terra mille modis perturbetur.

Sancta ratione carentia. Superest vltimum sanctorum genus: quod scilicet ratione caret: quò pertinent res Deo consecratæ. In veteri populo cùm essent multæ ceremoniæ, necessaria erat scientia sancti & prophani hoc est, quid licitum aut non licitum esset: ac pertinebat hæc notitia in primis ad sacerdotes & Leuitas, vt est Leuitic. decimo, vbi Dominus Aaroni loquitur: *vt discrimen faciatis inter sanctum & prophanum, inter immundum & mundum, & doceatis filios Israel omnia statuta*, &c. & Ezech. hanc notitiam sacerdotibus tribuit, capite 44. *& docebunt populum meum inter sanctū & prophanum, & facient eos scire mundum & immundum.* In nouo Testamento causa facilior est, discrimina enim in cibo, potu, & vestitu, &c. sublata sunt, ceremoniæ quoque & hostiæ cum aliis oblationibus, vt simplicissima vita sancti hominis optima esse possit. Tamen est aliqua ratio habenda sancti, de quo loquitur Christus Matt.8. *nolite sanctum dare canibus*, sed de eo non hîc est locus agendi.

Sancta huius generis sunt, hostiæ & res ad hostias spectantes, de quibus in Leuit. Vestes sacerdotum & Leuitarum. Vide Leuitic. & Exod.28. *facies sanctas Aaroni fratri tuo, quæ faciant ad gloriam & decorem*: oleum & alij liquores consecrati. Exod.30. *oleum vnctionis sanctum erit.* Psalm.89. *oleo sancto meo, vnxi eum.*

Tempora sancta. Tempora sancta, vt *sabbathum sanctū Domino est.* Gen.2. Exod.36, nouilunia, neomeniæ, festa præcipua, vt Pesach, Pentecoste, tubarum, &c. aliaque diuinitus constituta.

Loca sancta. Loca sancta, in quibus Deus aliquid singulare edidit. vt inuocatione Mosis, Exod.3 dicitur, *locus in quo stas terra sancta est*, & Iosuæ 5. ad finem. Aut loca religioni consecrata: vt templum Ierosolymis sanctum passim dicitur. psal. 5. *adorabo ad templum sanctum. psalm.* 26 64, & aliis multis. 1. Paral.29. Et in templo alius alio sanctior erat locus: hinc sanctum sanctorum, hoc est, locus

eſt,locus ſacratiſſimus in quo certa ſacra,à certis perſonis ſolebant perfici: reliqua ſacra foris in loco tamen ſancto.vt Exod.29.*coques carnes in loco ſancto.* Ciuitas quoque ſancta Ieruſalem dicitur, in Ioele 3. in Apocal. 21. & apud Ezechielem. Terra promiſſionis ſancta, quia ſancto populo erat deputata & promiſſa.*Mons Sion ſanctus* pſ.2.*Cœlum ſanctū*,quia Dei ſancti habitaculū dicitur. 2.Paral.30.ad finem,& peruenit oratio eorum ad habitaculum ſanctum eius cœlum,&c.

Verum ſanctorū munus.

III. De officio ſanctorum iam dicamus.Verum ſanctorum munus eſt,ſe Deo & proximo ſanctificare,hoc eſt,totos dedicare,vt iuſtè piéque viuant,ſecundùm ſpiritum ſanctificationis.Huius rei typus fuit in veteri populo,qui iuſſus eſt ſe ipſum ſanctificare, priuſquam ſacra adiret,Leui.20.Exo.19 *ſanctifica eos*,Moſi dicitur.In nouo teſtamento res apertiùs eſt declarata.ad Rom.6.*vt dediſtis membra veſtra,vt ſeruirent impuritati ad iniquitatem:ita nunc ſiſtite membra veſtra,ſerua iuſtitiæ ad ſanctimoniam.*1.Theſſ.4.*hæc eſt ſanctificatio veſtra , vt abſtineatis à ſcortatione,vt ſciat quiſque ſuum vas poßidere in ſanctificatione,& honore.*

Ex quo perſpicitur verè ſanctorum eſſe,Deo ſeſe citra omnem hypocriſin approbare.Deinde,vt quàm honeſtiſſima vtantur conuerſatione in hac vita degunt: quare D.Petrus 1.ep.3. fideles matronas hortatur,vt ſancta & caſta conuerſatione etiam infideles maritos lucrifaciāt: cōuerſationem in genere Chriſtiani hominis depingit Apoſtolus ad Eph. 4. vbi veterem deponere iubet ac nouum induere hominem,qui ſecundùm Deum formatus ſit: & D. Iacobus cap.3.ex bona conuerſatione iubet demonſtrare opera noſtra 1.Pet. 1. in omni conuerſatione ſancti ſitis:& in Timotheo ſuo Apoſtolus vult in primis elucere exemplar honeſtæ conuerſationis.Ad hanc conuerſationem pertinet ſtudiū benefaciendi,quo conſilio & re proximum iuuamur,veſtiendo,inſtituendo,admonendo,&c.

Sanctian pro amicis orare debeant.

Hic iam quæri ſolet,an officij ſanctorum ſit pro amicis orare, intercedere apud Deum? Reſpondemus ſancti viuentes pro viuis,nedum amicis , ſed etiam inimicis debent orare Deum. Matt.5 exemplum præbuit Abrahamus quoq;,qui pro Sodomitis orat Dominū,Gen.18.Prophetæ orant pro peccatis populi Dei,Moſes pro populo rebelle,Exod.31.Iob pro amicis,c.42. Apoſtoli pro aliis,Act.8.12.Paulus pro ſe orationem fidelium petit,Rom.19 *obſecro vos fratres, vt iuuetis me orationibus veſtris apud Deum*,vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa.

Verùm de cœlitibus ſanctis iam defunctis,nihil tale probari poteſt ex ſacris literis. Patres quoque qui huic negotio tamen fauiſſe videntur,non certò id affirmare audent.Auguſt.in libro de cura pro mortuis tandem ita pronuntiat.Fatendum eſt neſcire mortuos, quid hîc agatur:quòd ſi neſciunt quid hîc agatur,& rebus noſtris non interſunt,quomodo pro nobis orarent?aut doceant illi priùs hoc illos poſſe & velle.

Cœlitum officium certius illud eſt,adorare Redemptorem ſuum,laudare & celebrare nomen eius cum ſanctis Angelis.Iudicare olim impios & ipſum mūdum.Mediatoris autem perſonam nunquam aſſument,cùm hoc ſit Chriſti ſolius,1.Timoth.2.

Dominus apud Ierem.16.ait,*ſi Moſes & Samuel ſteterint coram me*,non eſt tamen anima mea ad populum iſtum.& Ezech.14.*ſi fuerint tres iſti viri in medio eius,Noah,Daniel & Iob,ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animam ſuam,filios autem & filias non liberabunt.* Ex quibus ſic colligi poteſt, in hac terra,vbi pœnitentię eſt locus ſanctiſſimorum non valere interceſſiones,quid ergo vita exuti intercederent pro impœnitentibus?Sed dicis,pro pœnitentibus intercedunt vtiliter. Reſpondeo pro malis & damnandis non intercedunt,quia fruſtrà id facerent:pro electis verò non,quia Chriſti hoc munus eſt,cuius officium ne inuadant,conditio vitę cœleſtis prohibet. At Angeli hoc faciunt? Reſpondeo.Angeli miniſtratorij ſunt ſpiritus ad hoc conditi,vt ſalutē ſanctorum promoueant,Heb.1.Animæ autem defunctorum non efficiuntur miniſtri viuentium,nec ad eos vt Angeli mittuntur.

Sanctis cœlitibus quantum deferendum.

IIII. Quantùm cœlitibus ſit deferendum paucis dicamus. Hos omni honore & reuerētia digniſſimos cenſemus poſt Deum Creatorem & Redemptorem,honore inquam, qui Chriſti gloriæ non detrahat.Nam vt ſanctis viuentibus debetur ſumma animi beneuolentia:ita cœlitibus ſumma reuerentia.Illi enim ſunt propter quos cæteri viuunt:ſi enim Dominus decem ſanctos in Sodomis reperiſſet,vtique toti regioni huic parſurus erat:quòd igitur durat mundus,ſanctis electis debetur quòd felices ſunt ciuitates,Reſpub. regna,imperia in pace viuunt, ſanctis totum debetur,in horum enim gratiam Dominus non ſolùm parcit,ſed benefacit cęteris,vt Pharaoni propter Abrahamum,Lotho itidem, &c.

Hi verò ad apicem felicitatis peruenêre,& πολίτευμα ingreſſi ſunt, quò nos adhuc aſpiramus,quare exemplo Dauidis dicamus de vtriſque:*erga ſanctos tuos Domine, omnis mea volūtas propenſa eſt.* Sentiamus de ſanctis honeſtiſſimè,quemadmodum etiam de Angelis,quos tamen nec adoramus,nec diuinis ornamus honoribus.

Hodie in ornandis ſanctis duplici modo peccat hominum præſumptio. Primum canonizando,deinde adorando.

Sanctorū canonizatio damnanda.

Canonizatio,Ethnicum eſt inſtitutum & admodum præſumptuoſum: quaſi cœlitibus aliquid accedat aut decedat,mortalium authoritate & ſuffragiis. Irriſa eſt iam olim etiam iſta ſtultitia Græca & Romana creandi deos:ac ſapientiſſima eſt in hac re ſententia Ageſilai, qui

cùm Thasij illum viuentem inter deos retulissent, dixisse fertur, Si deos faciendi potestatē haberent, prius seipsos Thasij deos facerent: postea demum Agesilaum quoque deificarent. Sed respondent nostri, non deos se facere: sed in sanctorum album solùm referre.

Nos reponimus hunc morem non esse deriuatum ex veteri Ecclesia populi Dei: sed ex medio gentilismo defluxisse: quod sanè non potest negari. Deinde quia in hac apotheosi seu canonizatione facilè errari potest, vt sanctus decernatur, qui talis apud Deum nō sit: hinc illa superstitio orta, multos coli tanquam sanctos, quorum animæ apud inferos sepultæ sint: & diuus Hieronymus idem fatetur in Ecclesiaste, cap. 8. Vidi impios cum tali opinione mortuos & sic sepultos, vt sancti æstimarentur in terra: qui dum viuerent, putabantur digni esse Ecclesiæ principes & templo Dei, &c.

Demum quòd in canonizatione additur cultus diuinus, officium pro eis soluunt, fundunt ad eos preces, quæ omnia Deo soli erant soluenda.

Inuocatio sanctorū nō ferenda.

Inuocatio sanctorum nulla iusta ratione defendi potest: nam tota scriptura, vnum Deum nobis proponit inuocandum: & Christus ad Deum Patrem nos clamare iubet, sic orant Apostoli passim. Et quid dicam? detrahit gloriæ Christi, qui ad se iubet venire omnes oneratos & afflictos, ac certā promittit requiem. Nec vlla hîc est vtilitas, quæ nos debeat excludere, cùm Christus omnibus peccatoribus sit paratus, latroni etiam in cruce. Petro defectori, discipulis dubitantibus: nulla igitur vtilitas nos debet ad alios mediatores detrudere, qui quantùm velint aut possint, scire nullo modo potes.

Honorare tamen vis sanctos: honores igitur, vt Augustinus præcipit, qui quanquam facilior fuerit in hac causa: attamen ingenuè fatetur sanctos honorandos imitatione non adoratione: quod sanè dictum aliquoties apud eum reperire licet. Consimilis est Chrysostomi sententia in Matt. cap. 24.

Quæ est ista iustitia sanctos colere, & sanctitatem contemnere? Primus est ad pietatem gradus, sanctitatem diligere. Sed nolo hoc argumētum de inuocatione sanctorum copiosiùs tractare, cùm priuati sit loci, & iam à multis studiosè excussum: illud addam coronidis loco. Peccari etiam in canonizando, quòd hoc ius solius Papæ sit, qui sanctos fingere & obtrudere orbi Christiano solus potest: ortum hoc malum ab Alexandro tertio, quē imitati posteri rem mirificè auxerunt. Hac de re vide epistolas decretales. Tit. de reliquiis sanctorum, &c. Satis.

DE TEMPLIS.
LOCVS XIII.



APOSTOLVS sanctos appellat Templum Dei, & Spiritus sancti, quod nulla ratione contaminandum est. Vnde quæri solet quomodo simus templum Dei, & quomodo contaminetur hoc templum. Quare vt rem melius intelligamus: dicendum nobis puto in genere de templis, hoc est, quæ sit illorum origo quæ vera ornamenta tam externi quàm interni templi, quomodo illa ornamenta amittantur & succedat contaminatio, quæ omnia more nostro ad iuuentutis captum proponemus.

Origo tēplorum à Deo.

1. Cùm de origine templorum quæri solet, primùm de re ipsa intelligitur: deinde de ratione nominis. Quod rem concernit, templorum originem non nisi ad Deum referimus. Nam Moses antiquissimus scriptor Deo authore ideam futuri templi Hierosolymis concepit, cuiúsque formam in tabernaculi dispositione & maiestate expressit, primúsque templi mentionem fecit. Hæc vt simplex est, ita verissima de templorum origine sententia. Exemplum Mosis, Satan postea apud diuersas gentes, diuersimodè æmulatus est. Nam quod Patriarchæ vni vero Deo præstitere, & idolis apud Ethnicos præstandum curauit.

Videtur autem prima ratio simplicissima fuisse. Nā Abel sacrificium Domino offert libero cœlo, loco, vtcunq;, vt apparet, præparato: Noë arā cōstruit, in qua offert sacrificiū: Iacob lapidē erigit, quē vngit oleo, & ornat eū titulo Domus Dei *Bethel*. Hūc morē, Abrahā & Isaac indubiè quoq; seruauerunt, seruatúsq; est vsque ad Mosen, cui Dominus augustiorē rationē tabernaculi & futuri tēpli patefecit. Hæc ex sacris testimoniis testimonia sunt. Apud Ethnicos scriptores, inconstans est de templorum origine sententia. Latini scriptores ad Ianum fere originem referunt, qui in Italia primus templa construxerit. Faunum ibidem sacra primum instituisse. Græci ad Epimenidē Circensem, alij ad Pythiū architectū, qui apud Priennēses, tēplū Mineruæ primus posuit. Sed hæc omnia lōgè sunt posteriora. In eo tamē cōueniūt sententiæ quòd rei diuinæ faciēdę gratia instituta sint. Inde habitus delectus, vt locus purus & liber deligeretur, & à cespite ad lapides, à lapidib. ad aras, ab aris ad tēpla sumptuosa factus est trāsitus.

Origo tēplorū apud ethnicos incerta.

Ethnici sepulchra tēpli nomine etiam ornarunt, quia hominibus mortuis honores diuinos cœperunt decernere. Hinc operosiùs monumenta defunctorum iniuncta sunt, & dignitatem & nomen templi meruerunt.

Nominis

Nominis origo ex linguis suis petenda est. Latini templum à templando, hoc est, aspiciendo dixerunt. Hinc contemplari verbum pro considerare & aspicere. oportuit enim locum templi liberum esse ab omni impedimento, vt vndique liberè aspici posset. *Ratio nominis.*

Græci ναὸν vocant à verbo ναίω habito, cuius reddunt rationẽ διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τοὺς θεοὺς, hoc est, quòd dij in iis creduntur habitare. Id Satan ad gentes detulit, cum sciret Deum Ierosolymitanum promisisse velle templum illud inhabitare. Est tamen alia Eustathij sententia, nã ναὸς deduci potest etiã à verbo νῶ quod est σωρεύω accumulo, quia ad illa loca donaria à diuersis colligerentur: cuius exemplum videmus hodie in papatu, in quo diuorum templa dõnariis redundant.

Potest tamẽ ea illa ipsa esse ratio, dici ab accumulãdo propter molẽ ædificij: cùm enim homines non essent contenti patrum illa simplicitate colendi Deũ, sed splendida erigerent ędificia ad quæ plurima opus erat materia, cœperũt etiam appellare ναὸν, hoc est, σωρὸν cumulũ.

Hebræi vocant domum Dei *Bethel*, quia Dominus promiserat, se ibi præsentem fore, & quia Iacob dixerat, Terribilis est locus iste, vtique domus Dei est & porta cœli. Communiter autem templum dicitur, *hecal*, à parte dicitur *mikdasch*, hoc est, sanctuarium, *kehilà*, dicitur à congregatione, nam *kahal* est cœtus hominum. Locus autem, in quo cœtus religionis ergo fiunt, dicitur ab iis, *kehila*, sic & *debir*, est templi appellatio.

Templum igitur multipliciter dicitur. Primùm locus ipse, in quo res ipsæ peraguntur. Deinde totus cœtus fidelium religionis ergo congregatus, & singuli fideles per se etiã templum Dei sunt & dicuntur, denique Dominus Deus templum ipsorum dicitur. Apocal. 21. *Diuisio.*

Templum illud externum, aut ethnico more, aut populi Dei consuetudine concipitur. Ethnicorum templa vel auspicij gratia deputãtur, aut cultus diuini nomine. Auspicio, vt cœlum templum dicitur, cuius partes quatuor: dextra Occidens, sinistra Oriens, antè Meridies, retrò Septentrio. In terra, cœlum dicitur, locus augurio destinatus. Sub terra, similitudine quadam dixerunt templum locum deorum infernalium. hæ nugæ ethnicorum sunt.

Populi Dei templum dicitur materialis moles & arte constructum ædificium: in quo religionis ergo cœtus piorum fiunt. Artificiale & religiosum dici potest templum, cùm illa superstitiosa & naturalia loca sunt. *Quid sit templũ.*

Templum veteris populi sub lege, insignia multa habuit ornamenta, quæ illi coram hominibus dignitatem magnam contulerunt. *Templũ veteris populi sub Lege*

Primùm enim expresso Dei mandato conditum fuit & ornatu singulari decoratum, quem præscripsit Moses iubente Domino, & præstitit Solomon admirandum. 2. Paral. 3. 1. Reg. 56. c. Deinde in eodem templo conseruabantur testimonia diuinæ beneuolentiæ erga hunc populum: qualia erant arca fœderis, baculus Aaronis, vrna mannæ, tabulæ legis, digito Dei scriptæ, serpens æneus & similia. Tertiò, vera religio huic loco erat alligata, vt putarent Iudæi semper duraturum propter ipsam religionem.

Erat etiam singulari pietate conditum. Nam Dauid consilium condendi tẽpli diuinitus coactus est deponere, materiam tamen vtcunque præparauit. Salomoni etiam pacis regi id cõcessum est Dei arbitrio, quo adumbratum est manus sanguinarias abesse oportere à Religionis cultu. Præterea præsentia Dei erat promissa, quod Dominus variis modis testatus est. Nã Domini gloria inter Cherubim sæpe apparuit, & Spiritus propheticus in eo tẽplo multos afflauit, præterea prophanatores eius, palàm sępe puniti sunt, vt Antiochus, qui Iouis Olympij statuã illic locauit. Chaldæi certè illo euerso, & ipsi mox imperiũ amiserũt. Macedones restitutũ violantes, infœliciter perierũt. Põpeius Magnus ad sanctũ sanctorum vsque accessit: sed infortunatissimus deinceps fuit tota sua vita. Cassius etiã spoliauit, sed nihil eo infœlicius. *Cur non à Dauide sed à Salomone cõstructum fuit Dei templũ.*

Voluit enim Dominus declarare, hunc cœtum sibi curæ esse, qui sęcundum ipsius mandatum verè Deum coleret, & idololatras, vtvt essent sapientes & potentes, abominabiles in ipsius conspectu.

Hinc Domus Dei dicta: nam & illic se habiturum promiserat, & se inuocantes exauditurum ibi non solùm Iudæos, sed gentes.

Itaque Domus Dei dicebatur, propter domesticos Dei quos ibidem congregari voluit, & illic audire veram Religionem, & explicationem Legis Diuinæ, sacramenta ab eo instituta vsurpare, preces ad Dominum fundere, eleemosynam exercere, aliásque veræ pietatis virtutes declarare. *1. Reg. 8.*

Alioquin Dominus ille rerum omnium conditor in templo manufacto non habitat, vt declarat Apost. Paulus. Act. 17. Est enim incomprehensibilis & incircumscriptus, vt loco includi non possit. Idem declarat Stephanus cap. 7. Esa. 66. Ierem. 7.

Iudæi enumerant decem miracula templi primi, quæ illud insigne reddiderint, de quibus consule illorum scriptores, & capita Patrum, & Galatinum lib. 4. cap. 8.

Posterius templum his ornamentis bona parte omnibus caruit, Ignem cœlestẽ non habuit arcam fœderis iam pridem amiserant. Vrim & Thumim ignorabant, oleum sanctum nesciebant, & sanctitas in illo non apparuit: sed & moles ipsa, & ornamenta templi longè inferiora erant, adeò vt flerent senes qui prius viderant. Vide Oziæ historiam. *Posterius templũ à Zorobabelo constru.*

[ctum lõgè ignobilius priore.] Dixi de ornamentis præcipuis templi Iudaici. Dicemus etiam de illius contaminatione.

Contaminatur igitur templum abusu. h. e. si ad eum finem & vsum adhibeatur ad quem non est conditum, vt si in oratorio, non ores, sed saltes: abusus ille cõtaminat oratorium, quia ad preces solum erat destinatum. Deinde si in oratorio non legitimè ores, hoc est, colas & inuoces idola cùm soli Deo illic sit supplicandum.

[Abusus templi geminus] Itaque abusus geminus est, doctrinæ & vitæ. Prioris generis est idololatria: posterioris, dissolutio vitæ, quæ duo in Iudæis reprehendit Dominus Ierem. 7. docétque frustra eos clamare *Templum Domini, Templum Domini.* Exemplo est Silo, locus deuastatus propter idololatriam & morum corruptelam.

Christus in nouo Testamento obiecit hanc templi contaminationem Iudęis Ioh. 2. Mat. 12. Luc. 19. qui nundinatione fœdauerant templum ac speluncam latronum inde fecerant, quod ex Ier. 7. citatur, videri potest. *Nunquid spelunca latronum, facta est Dominus ista, super quam inuocatum est nomen meum in oculis vestris?*

[Verus vsus templi.] De vero vsu admonuit apud Mat. 21. Et Esaia 1. ca. 56. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Oratione intermissa nundinationem induxerant specie sanctitatis. Hæc maxima est contaminatio, quæ templum polluit & euertit, quam suo tempore postea consequuta est pœnæ loco externa profanatio à Chaldæis, Antiocho, Græcis, Pompeio, Cassio: donec tandem in solidum sit euersum secundum Christi oraculum Mat. 24.

Primùm enim hominum scelera illic commissa punienda erant in ipsis authoribus, quod præstitit Deus variis cladibus ei populo immissis, bello, peste, fame, captiuitatibus.

[Templũ abominabile ob cõmissa in eo scelera.] Deinde locus ipse in quo commissa fuere, vt abominabile quoddam Domino, euertendus fuit, quemadmodum terræ maledicitur propter Adami peccatũ: & tractus Iordanis, ex amœnissimo horto, in sterile solum conuertitur, propter scelera Sodomorum. Sic Iudęa tota fluens olim lacte & melle sterilis effecta est: & Ierosolyma, elegãtissima ciuitas Domini, in aceruum lapidum est redacta, & templum ipsum solo æquatum.

[Error iudaici populi putãtis templum fore æternũ] Debuit etiam corrigi prauus iste error Iudaici populi, putantis tẽplum hoc fore æternum, h. e. religionem istam cum politica Mosaica, ceremoniis ac ordine sacerdotali huic loco semper alligatum fore. Hanc Domini mentem non fuisse euentus docuit: docuerunt etiam casus antecedentes. Primùm enim Dominus significauit id non obscurè, cum Ethnicis etiam patere vellet, vt est videre, 1. Reg. 8. in dedicatione Solomonis. Eius in nouo Testamẽto habemus exempla Act. 8. de Eunucho Hierosolymis adorante, & Ioan. 12. de Græcis Adumbrauit ęo Dominus aliquando fore religionem immutandam in communem & liberam adorandi & colẽdi Deum formam, quod prædixit Dominus Christus mulierculæ Ioan. 4.

[Templũ per se nõ placebat Deo, siue incolarũ pietate.] Deinde ipsa prophanatio, illustre erat argumentum, locum per se Domino non placere sine incolarum pietate, Primùm sanè templum longè fuit splendidissimum & si quod ædificium humanum Deo placere potuisset, hoc ipsum erat placiturum, ac profanari passus est, & vix tãdem per annos 46. restituitur ab Ezra, & hoc ipsum templum longè ignobilius priore: profanatione maiore pollutum fuit, nundinatione pecudum, turturũ, aliisque fraudibus, quas pietatis prętextu, & opinione boni meriti palliabant.

Accedebat praua doctrina, qua mentes corrumpebantur, quam rem homicidium interpretatur Christus, & locum ipsum speluncam latronum vocat. Denique sedes primaria erat hostium Christi & veritatis. Itaque fieri non potuit quin planè euerteretur locus iste vt religio in alium statum mutaretur.

Veniamus ad posterioris populi templa. h. e. Christianorum. Illa indubiè ab Ethnicis bona parte orta sunt, inducta à Paganis vel destructa more veteri, Christo & martyribus: mox aucta est superstitio à põtificibus, vt maior cura tẽplis quàm religioni sit impẽsa. Additi ẽt sunt templarij, quos ad vnũ omnes Clementis quinti pontificatus sustulit, nõ satis certa de causa.

[Locis nulla est superstitio tribuẽda.] De externis templis moderatè sentire debemus, hoc est, locis nullam tribuere superstitionem. Deus non habitat in manufactis templis, hoc est, illa non curat sine pietate incolarum: honestè tamen de illis sentiendum, tanquam de loco pietati & veræ religioni consecrato. Ornamenta illius vera & propria sunt, primùm verbi Dei lectio, & vera interpretatio: debet enim esse schola pietatis, per quam adulti retinentur in vero Dei cultu & iuuentus in eadem rectè instituatur.

[Vera ornamenta templorum.] Deinde, preces & vera Dei inuocatio, in primis templa ornant. Hinc oratoria dicta sunt ab orando, vt rectè ait Aug. In oratorio nihil fiat nisi hoc ipsum à quo nomen habet. Et quanquam vbique Deus inuocari rectè possit per Filium suum in Spiritu & veritate, attamen propter exemplum ardentius in cœtibus oramus, & congregationes Deus fieri vult, quę non alibi rectiùs quàm in templis fiunt.

[Martyrũ templa.] Veteres Christiani, tempore persecutionum ad martyrum templa conueniebant, non alia de causa, quàm precũ nomine, vt exẽplo mutuo sese excitarent, & mouerẽtur infirmiores memoria martyrum ad constantiam. Tertiò ad vera ornamenta pertinet verus vsus Sacramentorum. Inde sacraria dicta sunt, quo res sacrę, hoc est, sacramenta illic celebrarẽtur: in quorum actione, olim cathecumeni, pœnitentes, energumeni, & similes arcebãtur. In qua re nõ habebatur

batur loci ratio:sed potius Sacramentorum & disciplinæ publicæ, vt discerent cœtum fideliū ornare bonis moribus & vitæ innocentia.

Quartò ornatur Eleemosyna,aliisque sanctis virtutibus:sed mos antiquissimus fuit, vt in cœtibus habeatur pauperum ratio. Nam in doctrina & vsu Sacramentorum mutuā dilectionem profitemur,quam nulla alia re declarare possumus , quàm eleemosynis. Ideo Apost.1. Cor.16.in cœtibus iubet collectam fieri,& in 2.Corin.8.argumento vtitur à sui amore. videri vultis me summopere amare:ergo hunc amorem mei declarate liberalitate in pauperes. In cœtibus publicis habebatur ratio pauperum.

Hæc vera sunt ornamenta:extra quæ,reliqua superstitiosa dehonestamenta &profanationes potius dicenda sunt.

Contaminantur,primùm templa nostra praua doctrina,qua mentes à Deo abducuntur ad superstitiones,ad priuata merita,interdum ad manifestā idololatriā.Alitur etiā securitas: velantur primaria scelera,vt ignorātia veri Dei,hypocrisis,diffidētia,vitæ dissolutio, contēptus Sacramentorū & similia,vt manifesta hæresis,impietas doctrinæ,blasphemia in filiū Dei,&c. Quibus rebus tēpla contaminentur.

Ex doctrinæ corruptione nascitur nundinatio,qualis sub lege irrepsit ex falsa legis doctrina.Hodie ex mala Euangelij interpretatione,mirabilis nundinatio occupauit templa Christianorum. Prostant enim ibi res venales peregrinis ad oblationes,galli,panes,cerei,sales,aquæ, non desunt interdum nummularij. hinc dedicationibus templorum semper adduntur mercatus,vt homini ignaro res emporio similior videatur quàm templo,*einnem Koff hus glicher, dēn gottshus ein cormarkt merdan ein Kilch vvyche.*

Ex hac nundinatione,alia simul irrepserunt vitia,vt deambulationes,fabulæ,nugæ & similia colloquia de rebus profanis ac impiis,quibus hodie nimium patent Christianorum templa.Cui malo cauendo olim erant constituti ostiarij , quorum officium erat templa clausa tenere extra tempus congregationum,&in congregationibus obseruare ne qui improbi ingrederentur,aut alij quibus cœtus interdicti erant. Officium ostiariorū

Talis erat profanatio apud Corinthios,quòd in cœtibus publicis cōmessarentur:quæ cōtaminatio corrupit etiam agapas illas Christianorum olim,vt sublatæ sint.Hodie maximaest cōtaminatio in consecrationibus superstitiosis,in quibus partim est ingens καπηλεία:partim vanitas anilis:ad imitationem,Mosis & Solomonis multa conati sunt exprimere,quorum ille in tabernaculi,hic verò in tēpli consecratione variis vsus est ceremoniis:sed nō obseruant,Mosem & Solomonē habuisse manifestū Dei verbum,quod sequebantur:nostri tale nihil habēt.

Accedunt alia multa superstitiosa,vt quòd adhibent cereos,suffitum,cruces,oleum,salem, aquam lustralem & similia,vt Alphabetum hebraicum & græcum.Quis non illa mirabitur? Superstitiosa imitatio sine Dei verbo

Denique ornatus imaginum,& ipsæ imagines,luminaria,aurum & argētum, donaria tam varia,vestes pretiosæ,tituli & infinita alia quæ nullo Dei verbo nituntur,quid aliud comprobant quàm templa Christianorum degenerasse in abusum plusquam Ethnicum?

Externa contaminatio pœnæ loco interdum diuinitus immittitur,vt cùm ab impiis vastātur templa:sic à Turcis commutantur in stabula porcorum & equorum,quæ non debemus aliter interpretari quàm certissima iræ diuinæ argumēta, qui locis istis indignatur propter impietatem incolarum. Deus plerunque sinit contaminari tēpla propter incolarum impietatem.

Diximus de origine,ornamentis,& contaminatione externorum templorum, quę ingenio & arte humana constructa vel verbis nuncupata sunt.Superest alterum templi genus , internum,spirituale,sanctum,quod homines pro templo non habent,ideo per metaphoram sic dici aiunt,Nos viuum appellamus,illa superiora,mortua & moles sensu carentes.

Viuum templum prius distinguendum est secundùm scripturas. Deinde ornamenta illius indicabimus,deinde quomodo contaminetur. Viuum tēplum.

I. Viuum templum,primùm dicitur,de ipso creatore Deo,qui templum sanctorum est in cœlis.Sic in Apoc.cap.21.Ioannes sanctam ciuitatem perlustrando,nullum templum in ea reperit:*Templum* inquit *non erat in ea. Nam Dominus Deus omnipotens templum eius est* & Agnus, hoc est , vera adoratio & vita Deo approbata , non habet pædagogiam in cœlis vt in terris, cùm res ipsa propter quam in terris templa construuntur coràm habetur. Deinde de Filio Dei dicitur,vt Ioan.2.*Destruite templum hoc*,quod mox Euangelista,versu 21. interpretatur dictum fuisse de templo corporis sui,& in Apoc.loco priùs citato,*Agnus templum sanctæ ciuitatis dicitur*,hoc est,vera propitiatio,satisfactio & adoratio. Deus templum dicitur. Christus templum dicitur.

De homine renato etiam dicitur,idque vel de toto corpore Ecclesię , vel de singulis per se fidelibus.De toto cœtu Ecclesiæ dicitur Eph.2. *in quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit in templum sanctum Domino*,hoc est,sancta illa ciuitas quam Ioannes vidit in Apoc. Et, 1.Cor.3.16. *An nescitis vos templum Dei esse & Spiritum Dei habitare in vobis?* Item 2.Cor.6.ver. 16.*quis consensus templo Dei cum idolis? Vos autem templum Dei viuentis estis.* Homo renatus templum Dei est.

Tota Ecclesia templum Dei dicitur, quia in hac sola ritè colitur,verè adoratur , & cognoscitur Deus:in hac etiam sola est remissio peccatorum , vera hîc sacrificia Deo afferuntur precum & laudis:verum hic propitiatorium cernitur Agnus Dei,Sonat hic verbum Dei , auditur illius vera interpretatio,ex inspiratione Spiritus sancti, verus hîc habetur vsus sacramētorum,vera opera dilectionis exercentur in proximum. Tota Ecclesia templum Dei dicitur.

Singuli fideles.

Singuli hinc fideles dicũtur templum Dei,1.Cor.6. *An ignoratis corpus vestrum esse templum Spiritus sancti habitantis in vobis,quem habetis à Deo,nec esse vos vestri iuris?* Et Eph. 2.ex singulis lapidibus crescere.*In quo,*inquit,*& vos vnà ædificamini,vt sitis habitaculum Dei in spiritu.* Vult Apostolus singulos fideles castos & pios esse,quia Deo consecrati sunt,& sacrilegiũ sit templum Domini prophanare:ideo opera carnis,& omnis profanatio studiosè cauẽda est,vt enim in templo Dei,solus Deus regnat:sic in sanctis solus vult regnare, solus domũ suã possidere,Non feret,non patietur consortem regni.Magna est illa dignitas, si cogitemus nos tẽplum Dei esse,& maius incitamentum ad pietatem, vt templum hoc Dei altissimi ornemus. Maxima verò cõsolatio,in omni fortuna,quia Deus templum suum, domum suam, atriũ suũ tuebitur ac defendet contra oẽs aduersarios,& profanatores eius mille modis persequetur.

Quandoquidem Dei templum sumus, ipse suam domum tuebitur.

Dicimur templum Dei quia in nobis iam Spiritus Dei regnat, quia regeniti sumus, & opera carnis nõ habent in nobis locum,quia vera adoratio,vera Dei cognitio, vera dilectionis opera exercemus:cœlestia meditamur,& vitam æternam.Summa, quanti quanti sumus, Dei Spiritu ducimur,qui glorificatur per nos,professione,vita ac moribus.

Ornamenta templi viui:quod sumus nos,sunt,primùm sana doctrina, quia *oues Christi vocem sui pastoris audiunt:alieni autem pastoris vocem ignorant.*Ioan.10. Ad hoc ornamentum cõseruandum Christus instituit in Ecclesia sua ministerium docendi,vt perpetuò sonaret inter suos verbum Dei.Inde est quòd Tito præcipit Apostolus,*Tu loquere quæ decent sanam doctrinam.*& 2.Cor.6.v.20.legatum Dei pro Christo se dicit vt reconcilientur Deo,hoc est,docere veram doctrinam de reconciliatione: & Christus Iudæos ad scripturas reuocat quas scrutari iubet vt in quibus vitam habeant.Hoc ornamentum est pretiosa illa margarita quam Dominus in Euangelio nobis commendat.Itaque sonare dicitur vox verbi Dei inter nos,& hoc argumento agnoscimur templumDei:ne ex doctrina & pictura hominum templum comprobemur,aut idoli alicuius nocentioris.

Ca. 2. v.1.

Alterum est innocentia vitæ: nisi enim ipsam professionem ornauerimus morum innocẽtia& vitæ integritate,frustra audimus sanam doctrinam.Non enim speremus audiendo, nos saluos fore:nam & legis vox sonat, factores iustificandos. Sic Christi vox etiam beatos nos pronuntiat,si fecerimus ea quæ scimus recta. Inde ad decorum renati hominis Apostolus passim nos reuocat Eph.5. *Scortatio, & omnis impuritas,aut auaritia ne quidem nominentur inter vos,quemadmodum decet sanctos,*hoc est,illud decorũ vestrũ est,vt bonis operibus ornetis professionem vestram,& 1.Tim.2.mulieres vult *ornari non vestitu specioso sed operibus bonis, vt decet mulieres, quæ professæ sunt pietatem.* Christus etiam dicit, *nisi iustitia vestra abundauerit plus quàm Pharisæorum & Scribarum non potestis ingredi in regnum cœlorum,vt sic splendeat lux vestra coram hominibus, & videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Ad hoc ornamentum conseruandum plurimum confert,si gregis Antesignani vita sua id exprimant,quod ore docent Hinc est quòd Titum iubet se præbere exemplar bonorum operum. Ad nos verò omnes pertinet,quia conditi sumus ad bona opera.

Pia ministri vita multum confert ad templi viui ornatum.

Ex hoc ornamento fluunt reliqua specialia:vt eleemosyna in pauperes, quam passim commendat Christus & Apostolus:fraterna dilectio,quæ sine beneficentia declarari non potest. patientia sub cruce,tolerãtia in aduersis, & similes virtutes, quarum chorũ ternario numero constare dicit Clemens Alexand.quibus templum Dei fundatum sit,fide,spe & charitate.

Tertium ornamentum est εὐταξία in rebus externis: vt enim Deus ordinis author est: sic omnia ordine inter suos fieri vult. Non possunt cœtus hominum carere disciplina: ideo Ecclesia Christi semper studiosè incubuit,vt disciplina externa salua esset.


Contrà contaminatur hoc Domini templũ mala doctrina,hæresibus,sectis,prauis opinionibus,si pro Dei verbo,hominũ traditiones in eo regnẽt, audiatur non Domini vox, sed hominum,non scriptura sed traditio,qualis corruptela erat inter Iudæos tempore Christi, &c.

Deinde contaminatur malis moribus, operibus carnis, dissoluta vita, quæ prophanatio totum Christianismum contaminauit. Maior enim pars de religione Christiana loquitur vt Grammatici solent de rebus absentibus disserere, quas dum describunt suis proprietatibus, oblatas tamen non agnoscunt.Ita Christiani sumus,μέχρι τῶν λόγων.

Rogandus est Dominus Deus vt orbi Christiano sanam mentem restituat, & multos det verè zelatores bonorum operum,&c.

DE

DE ENCÆNIIS.
LOCVS XIIII.


NCÆNIORVM primùm, & fortè solùm fit mentio Ioan. 10. nam alibi in nouo Testamento non memini me legisse: ideóque de his in præsenti loco, dicemus commodissimè. Dicemus autem de origine eorum, tum de vsu ac de forma, qualis olim obseruata sit & hodie in his celebritatibus obseruetur, vt constet hodiernas illas solennitates, potius Gentilismum, quàm Christianas redolere festiuitates.

Nostri appellant kylby, quasi dicas, kilchvvych: quo significant festa hæc originem sumpsisse à templorum dedicationibus in quibus populus frequentiùs confluere solebat ad audiendum verbum Dei. Verùm cùm in Papatu quoque calices consecrent, non absurdum sit, æstimare à consecrandis calicibus kilchvvyche dici, hoc est, *kelchvvyche*. Vasa enim in templis frequentiùs consecrant quàm ipsa templa.

Latini dedicationes & consecrationes vocarunt, quòd res ab vsu hominum prophano eximerentur, & Deo, vsibúsq; sacris dedicarentur: sic nō solùm templa: sed etiā aras, statuas, vestes, donaria, &c. dedicabant. Posteri quidā Renoualia vocarunt, nō satis proprio vocabulo. Dedicatio nes cur sic dictæ.

Apud Græcos ἐγκαίνια dicūtur, ab ἐν & καινόω, quod est, innouo, quòd res innouentur vel ex prophano vsu, vel ad eum vsum in quem primitus erant institutæ, reducantur: hinc etiam ἐγκαινισμὸς innouatio. Encænia postea communiter Ecclesia dixit, vt olim Saturnalia, & Bacchanalia, quibus festa ipsa exprimuntur. Scribit Pausanias Antipatrum Milesium primum ex Ionibus statuam dedicasse in Olympiis: sic Daniel scribit de rege Nebuchadnezare, quòd statuam suam magna solennitate dedicarit in campo Dura, ad quam conuocati sunt omnes Satrapæ. Dedicatio statuæ Nebuchadnezaris.

Apud Hebræos dicitur *chanucah* dedicatio à *chanac* quod est consecrare, finito iam opere. Significat idem verbum imbuere & initiare, quòd in dedicationibus essent suæ certæ ceremoniæ, in quibus eruditos oportebat esse præsides dedicationum, & certa religio de qua admonebatur spectator. Res ipsæ quoque certis legibus sanctificantur, vt deinceps non prophanis vsibus, sed diuino cultui inseruirent.

II. Rectè inquit Gregorius Nazianz. ἐγκαίνια τιμᾶσθαι παλαιὸς νόμος, καὶ καλῶς ἔχων. i. celebrare encænia antiqua est & præclara &c. Etenim rem antiquam esse vel illud argumento est, quòd passim in omnibus linguis rei extant nomina & vsus. Latinos & Græcos dedicationes habuisse, omnésque Barbaros, ex illis quæ iam diximus colligi potest: sed his omnibus veriora & certiora sunt, quæ in sacris habemus historiis. ex quibus facilè perspici potest, νόμον non solùm παλαιὸν esse: sed verè, vt dixit Nazianzenus, καλῶς ἔχοντα.

Ab ipso enim Deo initium sumpsit: qui primitus dedicauit septimum diem rebus diuinis, & Adamum sibi consecrauit cū coniuge, & paradisum dedicauit, vt hortus esset veræ & immortalis voluptatis. Posteà, lapso homine, ex posteris Adæ consecrauit sibi Sethum, vt in illius posteritate constitueretur fidelium Ecclesia. Expressiùs postmodum Iacobi semen peculium factum est, cui ritus & formulam religionis per Mosen dedit. Dedicatio septimi diei.

Hinc Iudæi tradente Mose inter ceremonias reliquas, habuerunt dedicationes.

Nam Exod. 40. tabernaculum constructum in deserto certis ceremoniis dedicatur. & Numero 7. in dedicatione offerunt principes populi sua donaria *lachanucath*. h. e. *ad dedicationē*. Dedicatio tabernaculi.

Mosis exemplum imitatur Salomon postea, qui constructo & absoluto omnibus numeris templo, magna solennitate idem dedicat Domino, vt est 1. Reg. 8. Dedicatio templi.

Ante hunc David multa vasa ad vsum tēpli præparauerat & dedicauerat Domino. 1. Reg. 7.

Porrò templo vastato per Babylonios, eodémque reparato, iterum ad vsum veræ Religionis dedicatur per Zorobabelem & alios, vt est videre 1. Esdræ 6. & Ioseph. Antiq. lib. 11. ca. 4. Vrbis quoque muri dedicantur in hac reparatione, vt est Neh. 12. 3. Esdræ 7. Verum istæ dedicationes omnes solennitatibus caruerunt, semel enim factæ, quotannis non sunt repetitæ.

Vltima veteris templi dedicatio, quam instituit Machabæus superato Antiocho, solennis facta est: de hac vide 1. Machab. 4. 2. Machab. 2. & 8. Iosephum Antiq. lib. 12. cap. 10. Hæc vltima fuit veteris templi, & solennis reddita, in rei memoriam. Hinc est, quod Ioan. 10. legimus. Encænia fuisse Ierosolymis, & Christum interfuisse. Dedicatio tēpli per Machabæum, victo Antiocho.

Hunc morem postea imitati sunt pij principes, qui pace reddita Ecclesiæ, templa hinc inde idolis seruientia, meliori vsui consecrarunt, vt scilicet precibus fideliū & audiēdo verbo Dei inseruirent: ita factum est sub Constantino Imperatore, vt scribit Euseb. lib. 9. c. 10. & idē author est lib. 4. in vita Constantini, in quo modo Ierosolymis tēplum sit dedicatū Christo.

III. De origine diximus, videamus etiam vsum Encæniorum. In primis hoc seruatū fuit in veterum dedicationibus, vt templa vni & vero Deo consecrarent: ita Salomon, Esdras, Iudas Machabæus, &c. fecerunt: sed hodie, non Deo sed sanctis dedicantur. Deo nullus honos, sanctis maximus, Christi rara inuocatio, sanctorum frequentissima & solennis. De vsu Encæniorū.

Deinde in his admonebatur populus de promissionibus diuinis, & de vera inuocatione: legebatur verbum Domini:lex apud Esdram & Machabæum repetita est, & restitutus Dei cultus:sub Constantino Euangelium inferebatur in templa, audiebantur conciones ex verbo Dei,vt est videre apud Athanasium in Apologia ad Constantinum Imperatorem :id totũ hodie negligitur, ceremoniæ hîc celebrantur peregrina lingua, nihil de verbo Dei affertur, populus confluit tanquam ad spectaculum, in quo non audiat verbum Dei : sed contempletur ritus mirabiles.

Tertiò,canebantur psalmi,& Deo gratiæ agebantur,quibus exercitiis diem consumebãt. Diuus Gregorius Nazianz. concione de vsu encæniorum habita declarat auditoribus cogitandum de innouatione hominis Christiani:qualem dixit Dauid psal. 51. *Cor mundum crea in me Deus,& spiritum rectum innoua in intimo meo:* & Apostolus Ephes.4.*renouemini spiritu mentis vestræ.*Col.3.*induite nouum hominem,qui renouatur in agnitionem Dei.*

Ritus Papisticę dedicationis.

Harum rerum hodie nulla fit mentio,detinetur populus inani spectaculo. Episcopus circuit templum,clero & populo sequente,parietes aspergit hysopi fasciculo, pulsat ostium dicens.*Aperite portas principes vestras,* &c. Intus respondet diaconus,quis est ille rex magnus? &c.Ingressus inquit,salus huic domui,cruces facit in pauimento, ascribit literas alphabeti, cereos adhibent ardentes:sanctum cui dedicatur ornatissimè spectandũ proponunt populo, quæ omnia idololatriam potiùs gẽtilem spirant. Nam Romæ Sabina herba res ita ferè peragebatur,postem tenebant manu, expressa verba recitabant.Hinc laborasse scribunt Metellũ in dedicatione Opiferæ deæ,vt vocem,Opifera dea,expressè sine hæsitantia recitaret.

Non erant his dedicationibus posteà solennia festa. Neque enim Solomon anniuersaria instituit,neque Moses,neque Zorobabel,solus Iudas Machabæus. quæ consuetudo durauit vsque ad tempora Christi:qualis tamen fuerit,facilè ex historia colligi potest.Celebrabatur enim memoria restituti veri cultus diuini in templo,deiecto præsidio Antiochi:ita potissima pars erat gratiarum actio pro beneficio diuinitus accepto.

Abusus & corruptela in festis Papisticæ dedicationis

Hodie verò solennitates instituuntur,accedit mercatus,vt circa templa, nec non in templis,in cœmeteriis forum rerum venalium videas.Tota die bibitur,tota die luditur,saltatur, lasciui cantus audiuntur, quæ omnia magis spirant Bacchi quoddam festum, à Mænadibus celebrandum,quàm piam Christianismi antiquitatem.

Solius Papæ authoritate dedicantur templa.

Hodie hoc ius penes Episcopos solùm residet,imò nisi iubente Pontifice,non potest dedicari vllum templum:cùm hæc authoritas antiquitus semper fuerit,politici magistratus. Nã Solomon Rex iussit dedicari suum templum,& ipse illius dedicationis præcipuas obiuit partes,sic Esra,Zorobabel,Iudas, &c. Et sub Christianis principibus, Eusebius Ierosolymitanũ non dedicauit,nisi iubente Imperatore Constantino. Athanasius Alexandrinum templum non dedicari posse æstimauit,nisi iubente Constantino.

Vana est etiam illa superstitio:quòd dicunt, nisi dedicetur tẽplum,nõ posse ibi preces haberi,non exaudiri orantes,non rectè prædicari verbũ Dei,nec sacramenta administrari:quæ sententia manifestè Iudaismum resipit:alligat enim cultum adorationis ad certa loca. Christus tamen pronuntiauit,horam nunc esse,vt veri adoratores, nec in monte isto, nec Ierosolymis,sed vbique locorum Deum adorent in spiritu & veritate.Athanasius sanè nõ erubuit preces habere, & populum ad audiendum verbum Dei conuocare in templum Alexandrinum maius,quanuis nondum esset dedicationi consecratum:nondum enim iusserat Imperator.Id nostri hodie magnum nefas ducerent.

Addunt etiã,templa non posse dedicari,nisi dotata priùs,hoc est,vt suas tabulas pictas habeant,suum patronum elegãti imagine sculptum,reditus etiam vnde possint ali sacerdotes, aliáq; ornamẽta,vt cereos,vestes,oleũ,&c.Hęc miscellanea sunt partim à Iudęis sumpta, qui singulari ornatu suos sacerdotes à reliquis hominibus distinguebant:partim à Gẽtibus, quæ idola sculpta & picta,& dotata habebant templa,quale Delphicum fuit: quod Galli Senones posteà spoliarunt Christi institutum & primæ Ecclesiæ nihil tale nouit:vide Athanasium, & Gregor.Nazianz.Eusebiũ,qui in suis dedicationibus harum nugarum nõ faciunt mentionẽ.

Superstitiosa opinio.

Addiderunt hunc quoque abusum,quòd hoc ritu depellatur inde Satan, vt deinceps hîc orantes exaudiantur,laudes Deo gratæ sint,sacramenta cum fructu administrentur,& simul asyla sint piis hominibus.

Quòd me tuat diabolus, nõ cereos & cruces, sed piam conscientiam.

Verùm ista friuola sunt,& verbo Dei minimè consentanea. Nam quod Satanam attinet, versutior est ille spiritus,quàm vt cereos,cruces,aquam,& similes exorcismos metuat.D.Iacobus docens nos diabolo resistere,non hæc refert media, sed ait, *emundate manus vestras à peccato,purificate corda,simplices animo,humiles vos reddite in conspectu Domini,* &c.& D.Petrus 1.cap.5.*sobrios esse* iubet,*vigilare:quia aduersarius noster diabolus circuit, tanquam leo rugiens, & quærens quem deuoret:cui,*inquit,*resistite solidi fide,*& Christus de eo testatur,non egredi nisi oratione & ieiunio. Quare adferant in suis Encæniis priùs orationem veram, fidem,& ieiunium,sine quibus illi frustra aspergunt parietes,in quibus Satan non habitat,fortè magis in ipsorum pectoribus,vt hominum familiaritatem amat.

Quòd verò orantes tum demũ exaudiantur falsum est:cùm Christus Ioan.4. disertè *in spiritu &*

ritu & veritate adorare iubet, quales adoratores Deus, vt ibidem testatur, quęrit, & 1. Timot. 2. *volo*, inquit, *viros orare in omni loco*. In Actis passim orant Apostoli & fideles, & exaudiuntur priuatim & publicè: ideóque non refert dedicatus sit locus nec ne. dedicatur per orationem, vti cibus consecratur.

Ac quòd laudes Deo ibi soluendę sint, rectè quidem habet, modò id pręstetur, vt Deo non sanctis plus inseruiatur: deinde ne putemus laudes Deo non fore gratas, nisi nugis istis præmissis. Idem dici potest de vsu sacramétorum, qui si legitimus sit, rectè administrabitur inter fideles, omni loco & tempore. Nam in horum vsu quæritur, quales accedant, non in quo loco celebrent. ideò Apostolus iubet hominem sese probare in vsu Cœnæ: nihil de loci apparatu præscribit.

De Asylis verò politicum est, ac debet magistratus constituere asyla, non Episcopi & ministri: ac cùm asyla debeant etiam prophanis patere hominibus, consultiùs certè alia loca pro his deputantur, quàm Ecclesię. Cùm in his verbum Dei sonare debeat, & preces publicę, vsúsque sacramentorum valere. Templa non debent esse asyla.

DE GENEALOGIIS.

LOCVS XV.

DE Genealogiis pauca hîc nobis dicenda sunt: quæ apud Matthęum intacta manserunt. Sunt autem duo ferè. Primùm cur in veteri Testamento tam creber earum vsus fuerit. Alterum quare in Nouo, vnica tantùm Iesu Christi habeatur, per cætera verò earum non fiat, sine vituperio mentio. Quę vt faciliùs expediamus: dicemus paucula de vsu etiam apud prophanos authores. Vtile enim fuerit nouisse, num eodem fine, iisdémque de causis eadem res in vsu fuerit, ac manserit, tam sacris, quàm prophanis scriptoribus. Vocamus γενεαλογίαν græco sermone, λόγον περὶ γένους, hoc est, sermoné de genere seu maioribus. Originem stirpis appellare possumus, & prosapiá. Nomen.

Sit igitur in præsentia nobis Genealogia, personæ alicuius certæ, stirpis cómemoratio per intermedios maiores vel omnes vel præcipuos, ad certum vsque principium, vel ab eodem deducendo. Definitio

Partes definitionis perspicuæ sunt. Nam primùm certa debet esse persona & nominata, cuius genus recensere volumus. Deinde maiores etiá certi per quos fiat supputatio. Qui si multi sunt, aut si linea interrumpitur in successione, præcipui commemorari solent, vt in Matthæo obseruatum est. Denique progressus duplex in eo institui potest. Nam vel ascendendo ad certum principium generis, vel descendendo à principio ad vltimam nostri instituti personam deductio fit. Vtriusque exemplum monstrauimus in collatione Matthæi & Lucæ.

In hac materia, omne fermè scriptorum genus sese exercuit: præcipuè verò Poëtæ, & Historici, iidémque Græci cum maiori licentia, quàm Latini. Hesiodus copiosè Genealogias Heroum, Musarum, Nympharum ab ipsis Diis deducit. Homerus suum Achillem maioribus ornat. Et de Agamemnone eiúsque integni successione maioribus scribit: Vsus earũ apud prophanos scriptores. Iliad. 2.

Ἕστη σκῆπτρον ἔχων, τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων.
Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ κρονίωνι ἄνακτι·
Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ ἀργειφόντι·
Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ.
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ᾽ Ἀτρεῖ ποιμένι λαῶν.
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ.
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ᾽ Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι.
Stetit sceptrum gerens, quodquidem Vulcanus fabrefecerat.
Vulcanus autem dedit Ioui Saturnio regi.
Iupiter verò dedit nuntio Argicidæ:
Mercurius autem rex dedit Pelopi equiti.
Ipse rursum Pelops dedit Atreo pastori populorum.
Atreus autem moriens liquit Thyesti diuiti.
Rursúmque Thyestes liquit Agamemnoni, vt gestaret.

Et apud eundem Glaucus magnificè genus suum percurrit, vnde Diomedes πατρῴαν φιλίαν, paternam amicitiam cum eo renouat permutatis armis. Iliad.

Historici locum hunc studiosè sectantur, inter quos Plutarchus suos illustres viros plerũque ad primos quosdá & eximios deducit, vt est videre in Lycurgo, Theseo, Solone &c. aliísque. Inde apud posteros diu celebres manserunt familiæ, vt Heraclidæ, Pisistratidæ, Epigoni. Et nobilis illa medicorum familia Asclepiadarum. Iulio Cæsari quoque adulatores sui, genus referebant ad Iulum illum Æneæ filium & inde ad Asiæ illos Ilij reges.

Finis & vsus in describẽdis genealogiis.

Et apparet ſanè primis illis hominibus iuſtas fuiſſe cauſas, cur poſteros voluerint ſtirpes obſeruare. Nam familiarum diſtinctio per ſe honeſta erat & vtilis rebus publicis. Ius poſſeſſionum & hæreditatum acquiſitio requirebat certam generis notitiam. Faciebant etiam ad cõnubiorũ honeſtatẽ, vt legitimæ nuptiæ ab inceſtis diſtingui poſſent. Et in hoc vſu politico, honeſtæ locum habebant genealogiæ gentilium. Verùm ſcriptorum licẽtia aliò rẽ hanc pertraxit. Qui cùm delectationem auditoris eiuſque fauorem quærerent, operam dederunt, vt ſuos admirandos facerent. Et cùm illos humanæ naturæ terminos ſupragreſſos narrare vellent, diuinam originem illis affingunt, vt & origine & magnitudine rerum geſtarum è numero hominum eximi admiremur eò minùs. Hinc totum hoc ſcribendi genus in prophanis authoribus in fabulas & nugas abſurdas partim, partim etiam impias degenerauit.

Vſus Genealogiarum in ſacris literis.

In ſacris literis ſolùm honeſtus permanſit idémque neceſſarius vſus. appellant illas *Toledot* generationes. Et quanquam hiſtoricis rerum etiam narrationibus eam tribuãt vocem: tamẽ propagationem ſtirpis ſic etiã appellant, quæ dicitur apud Iudæos alias *taledah*, hoc eſt, natiuitas ſeu generatio. Sed extendunt eius ſignificationem etiam latiùs. Nam & totam vitam in qua ſunt res geſtæ, eadem voce comprehendunt, quæ *Corot*, hoc eſt, acta vel euenta nominãt. Ac ſingulis ſua adhibere exempla non eſt præſentis loci, in Matthæo id præſtitimus.

Diuiſio à fine.

Porrò hinc nobis cõſtare poteſt, Genealogias à fine duplices eſſe. Aliæ enim honeſtæ & vtiles ſunt. Quales ſunt in ſacris literis expreſſæ. Et illæ quidem habent continuationẽ vel Eccleſiæ fidelium. vt ab Adamo per Seth ad Noachum Genealogia inſtituta eſt, vt conſtaret fidelium ſucceſſio, apud quos vera Dei eccleſia in his manebat terris: inde ad Abrahamum per Sem eadem continuatur. Vel habent propagationem infidelium & cœtum impiorũ Eccleſiæ: qualis eſt Caini Genealogia per ſuos poſteros propagata. Et quanquam infidelium ille ſit catalogus, tamen vtili fine & honeſte hiſtoriis ſacris inſertus eſt. Aliæ turpes ſunt & inutiles, quales ferè gentilium omnes, præſertim Poëtarum illa impia Θεογονία. Hiſtoriarum, ſi politicum finem tantùm ſpectent eúmque neceſſarium & vtilem, honeſtæ erunt.

Diuiſio 2. à materia.

Deinde à materia quamlibet Genealogiam conſtare tribus partibus quaſi integralibus: eſt enim principium à quo deducitur genus, deinde eſt terminus in quem deducitur genus. Illud prima eſt perſona: hic nouiſſima. Tertiò ſunt intermedij quaſi gradus per quos aſcenſus & deſcenſus fit.

Diuiſio 3. à forma.

Hi certo numero comprehẽdi debent. Et cùm plures ſunt, intermitti poſſunt aliqui, vt numerus pro arbitrio ſcribentis ſibi conſtet. Vnde etiam hæc emergit diſtinctio. Alias integras eſſe, quæ intermedias perſonas omnes enumerant: Alias interruptas, in quibus vel linea naturalis ad legalẽ trãsfertur, vel perſonæ certæ intermittuntur, vel vtrunq; ſimul certo fit cõſilio.

Pertinet & illud ad diuiſionem, quod à nonnullis eſt obſeruatum: quòd aliæ directæ ſunt, quæ deſcendunt per medias perſonas: aliæ obliquæ vel retrogradæ, quæ contrà aſcendunt per medios gradus ad vltimum generis principium.

Cur in veteri Teſtamento tã crebræ?

Porrò nobis illud explicãdũ eſt, quod noſtri eſt magis inſtituti propriũ. Cur nimirũ in veteri Teſtamento tã frequẽtes fuerint. Exponemus in hac quæſtione cauſas præcipuas, quas quidem ad hãc rẽ pertinere iudicamus. Nam ab aliis hoc negotium explicatũ hactenus nõ vidi.

Primùm igitur de Genealogiis Biblicis ſentiendum iudico, vt de aliis Spiritus Sãcti & diuinæ ordinationis actionibus, quas quidem per ſanctorum ſcriptorum operam ad nos poſteros propagare voluit. Illas vtiles eſſe & honeſtas eſt neceſſum, etiamſi nobis ſecus videatur. Vnde D. Apoſtolus: *Quæcunque ſcripta ſunt ad noſtram vtilitatem ſunt ſcripta, vt per ſpem conſolationem haberemus.* Itaque ad conſolationem fidelium eas facere eſt neceſſum. Nam fidelium eccleſiam diſtinctam ſic videmus ab impiis.

Duo capita duarũ eccleſiarum Seth & Cain.

1. Inde Moſes Gen. 4. diligenter diſtinguit proſapiã Caini ab illis qui ab Adamo per Seth deſcendunt. Nam duo hic capita duarum eccleſiarum erant conſtituẽda fidelium in Seth, reproborum verò in Cain. Et cap. 5. repetita origine ab Adamo lineam per Seth continuat vſq; ad Noachum. Memorabilis is erat terminus Genealogiæ fidelium propter diluuiũ & catholicam illam morum corruptelam. Hinc interrupta hiſtoria propter catacliſmum cap. 10. repetita ſupputatione à filiis Noachi quaſi ad continuationis ſeriem redit. Nam hic nouum eſt rerũ principiũ, cùm à diluuio omnia confuſa, iterum propagatione opus haberent. Duas iterũ eccleſias deducit. Fidelium à Sem per Eber, Infidelium à Iaphet & Cham: quorum vterque licet infideles poſteros & à Republica Iſraëlis alienos habuerit, tamen Iapheti ſors eò eſt tolerabilior, quòd paternæ execrationi non fuerit ſubiecta. Hinc fœlicior eius poſteritas: & ad vnionem eccleſiæ Chriſti proculdubio maiori copia & alacritate congregata eſt.

Capite deinceps 10. deſertis duabus familiis, Iapheti dico & Cham, ipſius Sem poſteritatẽ continuat vſque ad Abrahamum. In cuius hiſtoria cùm prius Loth eſſet coniunctus: ſtudioſè hunc etiam cum ſua familia ſeparat à poſteritate Abrahæ. Et inter filios Abrahæ docet ad Iſaacum ſolum pertinere promiſſiones, à quo ad Iacobum tranſmittuntur. Quare capite 36.

Genealogia Eſau.

ipſius Eſau Genealogiam depingit, vt conſtaret quæ gẽtes à Republica Iſraëlis alienæ eſſent. In Iacobo ampliſſima eſt ſtirpis dilatatio. Nam in 12. familias fœcundiſſimas ſcinditur, in quibus verus Dei cultus, veráque religio, adoratio, agnitio etiam Dei ſolida debuit vigere.

Quare

Quare vt constaret posteris, per quos & quomodo vera Dei ecclesia esset in his terris cõtinuata, voluit Spiritus Sanctus per Mosen primùm, inde per reliquos pios scriptores tã studiosè annotari Genealogias. Et faciunt illa non ad mediocrem nostri cõsolationem, cùm videmus historiarum Genealogicarum beneficio in nos vsque propagatam non solùm successionem veræ ecclesiæ, sed etiam veræ religionis formam, cultum Dei, veram fidem &c. Hæc non minima vt apparet, Genealogiarum causa est in veteri Testamento. Cur spiritus sanctus voluerit annotari genealogias

Deinde fuit & illa causa aliqua, vt πολίτευμα Israelis in his terris certo tempore cõseruaretur distinctum à vicinis nationibus. Hinc post Babylonicam captiuitatem, cùm libertas esset Iudæis redeundi concessa, Zorobabel & Ezra tam studiosè in Genealogias inquirunt, & eos qui suam prosapiam inde probare non possunt, reiiciunt ex sacerdotio Israëlis, vt est Ezræ 2. & 8. capitibus. Debuit enim illa Respublica ad certum tempus separata esse à reliquis nationibus. Quod fieri poterat, si prosapiæ diligenter conseruarentur.

Tertiò voluit dominus hæreditates, & bonorum possessiones in terra Canaan distinctas etiam in singulis tribubus conseruari. Inde etiam matrimonia ad id accõmodata erant. Quare Moses tribus illas 12. in ordinem digessit, & terram Canaan secũdum sortem illis iussit distribui. Quod Iosua demum post eius mortem impleuit: non poterant autem possessiones & hæreditates sine annotatis Genealogiis conseruari distinctæ. Alius vsus & finis genealogiarum.

Quartò ad coniugia conseruanda, & ius nuptiarum faciebat. Sic enim constare poterat, qui gradus liciti, qui illiciti essent. Nec solum in propinquis vt nepotibus & patruelibus: sed etiam in concessis gradibus: cùm lex esset, vt singuli de suis tribubus vxores ducerent: & singulæ in suis etiam maritarentur tribubus. 4. Vsus.

5. His accedit longè maxima causa, Iesu Christi natiuitas. Nã cùm is promissus esset patribus, nominatim Abrahamo & Dauidi: quomodo cõstare potuisset Messiam secundũ promissionẽ ex illis originem trahere, nisi studiosè horum successio & posteritas annotaretur? Vt igitur publicè obseruatæ sunt familiarum illarũ propagationes: sic priuatim credibile est, singulos, in primis verò pios suas prosapias summa diligẽtia obseruasse, & posteris tradidisse. Spes enim singulis erat, ex se hoc benedictum semẽ, & regem illum Messiam oriturũ. Hac spe in educanda sobole diligentiores erant: &, ne familiæ confunderentur, cautiores. Hinc etiã iam nato Messia Matthæus & Lucas ex familiarum obseruationibus totam Christi Genealogiam proferre potuerunt. Et sanè quãquam in aliis multis partibus historiæ veterũ obscuritate non tenui laborent: tamen hac in parte, & lucem & fidẽ historia probè retinuit. Hæ mihi causæ videntur præcipuæ, cur in veteri Testamento tam crebræ occurrant Genealogiæ. Ex quibus etiam non erit difficile, ad alteram quæstionem respondere, Cur scilicet earũ vsus in nouo Testamento sublatus sit. Potissima causa propter quã descriptæ fuerũt genealogiæ

Nam ecclesia Christi iam non est ampliùs certi populi, vt illa veteris Testamenti. Quò facit locus Rom. 10. Non est distinctio vel Iudæi vel Græci, nam idem dominus omnium, diues in omnes inuocantes se &c. Altera quæstio. cur in nõuo Testamẽto nullæ sint.

Deinde nõ certi loci, aut ad certum tempus alligata, vt sub lege patres fuere. Venit enim illa hora de qua Christus Ioan. 4. *Quando veri adoratores adorabunt Patrem spiritu ac veritate.*

Denique Silo iam venit, & Messias exhibitus est, propter quem tanta diligentia annotatæ fuere priùs Genealogiæ. Item Regnum Christi non est de bonis externis, de diuidundis hæreditatibus, non etiam nuptiarum regulas tradit. Quare cùm nulla supersit causa, cur durẽt, satis constare potest meritò illas in nouo Testamento negligi, vtpote quæ vsum & finem suũ iam consecutæ sint. Ac deinceps nulla sit causa, cur reuocari debeant.

Vnica est saluatoris nostri Genealogia in nouo Testamẽto, eaque laudatissima. Nam finis & colophon est veteris Testamenti. Paulus suam modicè ac parcè attingit, *quòd de Tribu Beniamin.* Per cætera mali nominis sunt. Apostolus 1. Timot. 1. Scribit à se *Timotheum relictum Ephesi, vt denunciet quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis aut Genealogiis nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis, quàm ædificationem* Dei *quæ est per fidem.* Act. 22.
Vbi Genealogiæ non solum μύθοις & ἑτεροδιδασκαλίᾳ conjungũtur: sed ἀπέραντοι fine carẽtes dicuntur, quasi inexplicabiles, & ob id inutiles ac curiosas diceret, nam nõdum ex nodo cõnectunt, in quibus & solutio est laboriosa & inuẽtu difficilis: &, si inueniatur, nullius est vtilitatis, nihil habet vel consolationis vel ædificationis. Eadem est de his censura. Tit. 3. capite. *Stultas autẽ, quæstiones, Genealogias, & cõtentiones ac pugnas legales omitte, sunt enim inutiles & superuacaneæ,* quasi dicat, nulla ampliùs est ratio, cur illæ obseruentur: Μάταιον enim est quod ratione caret quod sine certo ducitur fine, quod agit sine certo proposito scopo, stultum illud esse necessum est. His de causis iustè dicuntur, vt apparet sublatæ sub Christo, quæ sub Mose in magno habebãtur loco. Interea nõ obest illis, quin inter Christianos suum habere possint vsum, parce & sine superstitione obseruatæ. Nam politicus ille vsus, in adeundis hæreditatibus, Itẽ in cauẽdis incestis & pollutis nuptiis omnino & laudabilis & necessarius est. Sed nõ ita procul, in his casibus, necessum est auos & atauos in promptu habere. Quod in genealogiis alioquin fieri solet. Nec illæ infinitæ sunt, nec quæstiones pariunt, quin soluunt potius, quod alioquin in dubio erat, cùm certos declarant gradus consanguinitatis, quos ex legibus Genealogiæ sublatæ sub Christo.

periti diiudicant & ex consuetudinibus regionum, qui admitti, aut prohiberi possunt.

Vsus politicus genealogiarum non prohibetur. Hos vsus politicos Apostolus non prohibuit, sed respexit ad Iudæorum mores. Qui maiores lōgo catalogo & infinita cōsequētia referebant vsque ad vetustissimos illos Patriarchas. Quod tamen scire nihil ampliùs prodest ad pietatē iam Christo exhibito: & in politicis rebus nullum habent locum, cùm Mosaica politia sit sublata. Eos D. Hieron. eleganter carpit in explicatione loci prædicti, vbi fermè ad hunc modum de illorum in hac re superstitione

Hier. T. 9 scribit. *Quod autem ait, Genealogias & contentiones & rixas, quæ veniūt ex lege deuita: propriè pulsat Iudæos: qui in eo se iactant & putant legis habere notitiam si nomina teneant singulorum.* Et mox postquam ostendisset, quàm sint superstitiosi in pronuntiandis illis vocibus, addit: *Est & illis alia occasio superbiæ. Quoniam sicut nos qui Latini sumus, Latina nomina, & origines de nostra lingua habentia, facilius memoriæ tradimus: ita illi à parua ætate vernacula sui sermonis vocabula, penitissimis sensibus imbiberunt, & ab exordio Adam vsque ad extremum Zorobabelem, omnium generationes ita memoriter, velocitérque percurrunt, vt eos suum putes referre nomen. Hoc nos qui aut alias literas didicimus: aut certè serò credidimus in Christum: aut etiam si infantes sumus ecclesiæ mancipati magis scripturarum sensum, quàm verba sectamur: si fortè non ita nouimus, putant se in nominibus referendis, & in supputatione annorum, & in nepotibus & abnepotibus, auis, proauis, & attauis doctores.*

Abusus genealogiarū duplex. Sic quidem D. Hieronymus locū contra Iudæos applicat. Ex quo illud colligi potest: abusum Genealogiarū duplici modo fieri posse. Primū cùm in veterū Genealogias nimiū curiosè inquiritur. Quod euenire pōt multis modis. Nā qui superstitiosè illis inhærēt, vt Iudæi, neglecta salubri doctrina, hîc peccant. Et qui hinc antilogias scripturæ cōtexūt, vt in ętate Metusalac, & Salomonis, & qui in infinitū progrediuntur in recensendis personis, ex Cabala & deuterosi, quę ex Biblhis probare nō possūt, desudāt hi vano labore: cū *Infiniti nulla sit sciētia.*

Deinde abusus etiam est cum nostras nimis curiosè & superstitiosè obseruamus & conteximus. Quo vitio adhuc Iudæi laborant, dum conantur per suos proauos certam tribum, certásque familias quibus oriundi sint, proferre: incassum isti laborant, cum & sceptrum & legislator ab eis sit ablatus. Nec plus fidei habent in hac re, quàm cum Iulius Cæsar suū genus ad Æneam illum Troianum refert: Aut dum Romani sua incunabula ad Rheam & Syluiam referunt. Aut Horatius sui Mœcenatis originem ad veteres Pergami reges transfert. Fatentur illis fabulis Iudæi, se iam extorres, & tot spaciis temporum, tot etiam exiliis, captiuitatibus, transmigrationibus, ne quidem Iudæos ampliùs esse, sed fecem quandam mundi ex omni mortalium perditissima turba collectam.

DE PERFECTIONE.

LOCVS XVI.

QVI de perfectione Christiana superioribus scripserunt seculis, fere eò inclinant, vt dicant, statum perfectionis eum esse, quo virtutum exercitio, & operum bonorum penu homines satis instructi sint per se, interdum etiam pro aliis vitam æternam promerendi. Et hanc duplicem esse dicūt, perfectionē personalem quæ sit in Laicis, in quibus sint virtutum opera: & perfectionem status, quæ est Clericorum & Ecclesiasticorum hominum. In his, vt gradus sunt differentes, sic differentem perfectionem esse affirmant. In primis autem aliam esse meritoriam quę non solùm pro suis delictis, sed pro aliorum peccatis perficiens sit perfectio. Quæ doctrina non est recens, sed peruetusta. Nam Pelagiani docebant quoque hominem eò ascendere posse, vt careret omni peccato in hoc mundo, si modo vellet, & ideo carens omni peccato dici perfectus posset. Vide Hierony. contra Pelagianos. Item Augustinum: qui contra eosdem scribēs, prodit eos affirmasse hominē omni peccato posse carere in hac vita, si velit. In primis inspiciendæ sunt refutationes eius, contra Cælestium. Idē docuerunt Valentiniani, vt refert Irenæus, qui se τελείους καὶ σπέρματα ἐκλογῆς. i. perfectos & semina electionis nominabant. Idem scribit de Sectatoribus Marci.

Quid per fectionis nomine veteres intellexerint.

Perfectio personalis & status.

Iren. 22.

Hoc dogma Manichæi illustrius fecerunt noua blasphemia, asserentes renatos ad eā perfectionē ascendere in hac vita, vt peccare ampliùs non possint, si maximè velint. Similis fuit doctrina Catharorum, Adamianorum, & similium. Hodie ex Anabaptistis etiam quidam nuditatem & innocentiam Adę conati sunt exprimere, sed admodum infeliciter.

Hieronymus.

Omnes in eo conueniunt perfectum aliquid & absolutum ab homine pręstari posse, quod coram Deo valeat vt meritorium. Nostri tamē eo sunt intolerabiliores, quòd perfectionem ita redundantem fecerint, vt non solùm pro ipsis, sed etiam pro aliis imperfectis impendi possit. Quæ doctrina est planè intolerabilis.

Rationes cōtra dogma perfectionis.

II. Dicamus ergo nunc, quare nobis secus videatur. 1. Primùm dogma hoc cedit ad ignominiam filij Dei: quia extinguit in animis hominum meritum eius, totósque nos rapit in propriæ dignitatis admirationem, imo possibilitatem hanc ita dilatat, vt aliis communicet perfectionis opera. Quę virtus solius Christi est, qui est perfectio nostra.

Deinde Scriptura secus docet. *Ne puer vnius diei mundus est coram eo. Stella non sunt munda in con-*

in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Iob.1.5.

Cœli non sunt mundi in oculis eius, quantò magis est abominabilis, & inutilis vir, qui velut aquam, bibit iniquitatem. Prou.20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* Psal.143. *Non iustificabitur coram te vllus viuens.* Quod Apostolus ad Rom.3.& Gal.2.citans, dixit, *Non iustificabitur in conspectu eius omnis caro.* 1. Ioan.5. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas Christi non est in nobis.* Et Apostolus ad Rom.7. fatetur se bonum quod velit, non facere: malū autem quod nolit, facere. His & similibus locis Scripturæ, facilè euinci potest nullam in hac vita perfectionem statui posse in nobis, sine Christo, quæ valere possit coram Dei iudicio.

Sed rationibus etiam facilè euerti potest. Primùm, repugnat nominis ratio. Τέλειον.n. Græci vocarunt τὸ ἔχον τέλος, Τέλος autem est τὸ πέρας, vt interpretatur Aristoteles, Phys.3.cap.7. hoc est, quod finem & terminum acquisierit. Sed in hac vita finis ac terminus nō datur: est enim vitæ æternæ status & fruitio bonorum cœlestium: quorum gustus quidem modicus hic exhibetur Sāctis, res ipsa demum in nouissimo iudicio. Itaq; frustra hanc perfectionē quærimus in hac nostra corruptione. Sic Latini perfectum, hoc est, absolutum vocarūt, quod omnibus numeris integrū sit: cui non possit addi. Non enim hic loquimur de Physica perfectione, quę constat partium integralium certo numero ac pleno, vt infantem recens natū dicimus perfectum hominem, quia mēbra omnia habet, quæ homo sua natura habere debet, nec habet aliquid monstrosum. Homo perfectus est, sed non perfectus ad tribunal Dei hac perfectione. Ἔτυμον. Quid propriè dici potest per fectum.

Repugnat definitio veræ perfectionis, quæ est apud Græcos tradita scil. τὸ συμπεπληρωμένον τῷ ἰδίῳ τῆς φύσεως λόγῳ, hoc est, perfectum est, quod completum est propria naturæ suæ ratione. λόγον ἴδιον vocant specificam proprietatem & præcipuam definitionis partem, vt in homine ἴδιος λόγος est mens seu imago Dei, quæ per peccatum deformata est & amissa. Hac igitur restituta, perfectus iterum erit homo. Sed hæc συμπλήρωσις nulli hic datur, nec etiā vllis meritis nostris acquiritur: sed Dei misericordia & Christi merito restituitur nobis in vita æterna quando Dei imago iterum ad ἀρχέτυπον restituetur. Hic datur nobis imperfectionis cognitio, vt perfecti hic sint potiùs, qui imperfectionem suam agnoscunt: quàm illi, qui sibi perfectionem aliquam affingunt. Definitio

3. Præterea causarum ratio hoc non fert. Nā id quod perficit aliud, perfectius esse debet eo quod perficitur. Quemadmodum videmus in natura positum esse vt perfecta animalia generēt ex se perfecta & imperfecta. Sic ex homine homo, sed ex eodem generatur vermis per corruptionem perfecti. Non sic fieri potest, vt ex imperfecto nascatur & imperfectu & perfectū: sed imperfecta solùm de se dant imperfecta. Vnde positum est hoc quasi principium ab Aristotele lib.2.cap.1. περὶ γενέσεως. τὸ τέλειον ἐκ τῶ τελειοτέρω γένεσθαι πέφυκε. perfectum ex perfectiore nascitur. Porrò genus humanum hic pari corruptioni subiectum est. Itaque nullus alterum perficere potest, si nudus sit homo, seipsum quoque nullus perficere potest, cùm sit corruptus & imperfectus. Superest igitur perfectiore aliqua causa ad nos perficiendos opus esse, quæ in solo Christo nobis est reposita. Arguta ratiocinatio.

4. Item perfectio, in hac disputatione, significat gradum dignitatis humanæ naturæ, ex quo decidit per peccatum, & ad quam si reuertatur sui conseruationem attigit, nec est quò aspiret vltra, quod Aristotelici dicunt, τὸ τέλειον ἐν ὑπεροχῇ, hoc est, Perfectum positum est in excessu quodam, sed illa ὑπεροχὴ, id est, excellentia, caret omni peccato: quod cùm maneat in hac vita, consequens est, vt τελειότης quoque in hanc vitam non cadat. Γένεσ. cap.7.

5. Adhæc repugnat huic opinioni perfectionis proprietas, quæ est naturæ suæ virtutem propriam obtinere, quod Græci dicunt, ὅταν λάβῃ τὴν ἑαυτῆ ἀρετὴν τότε λέγεται τέλειον ἕκαστον. τότε γὰρ ἐστὶ μάλιστα τὸ κατὰ φύσιν. Porrò ἀρετὴ humanæ naturæ, item τὸ κατὰ φύσιν hominis, positū est in imagine Dei: ad hanc enim primùm conditus est, Genes.1. Quandiu igitur illa restituta non fuerit, tandiu frustra ei tribuimus perfectionem. Phy.7. cap.3.

6. Adde quòd perfectio hęc vna est, in quāque specie, id quod absolutum & perfectū est, vnum esse oportet. Quia τὸ ἄριστον vnum est. Sed perfectionis gradus quem in hac vita attingimus, non respondet ei quem accipiemus in resurrectione. Igitur non est τὸ ἄριστον, & per consequens non etiam vera perfectio. Gal. de placit. Hip. & Plat.

Quod tamen sic accipi volumus, ne vnitas perfectionis in vita ęterna differentes gloriæ gradus excludat. Nam alia erit gloria filij Dei, alia Martyrum & Prophetarum, alia aliorum sanctorum, qualis est gloriæ differentia in Sole ad reliqua sydera, interim minores stellę perfectæ sunt non minus quàm Luna aut Sol. Vnitas perfectionis in vita æterna nō excludit differētes gradus gloriæ.

7. Denique communis orandi formula nos omnes peccati reos facit, quæ non poterat cōmuniter præscribi omnibus, nisi omnes imperfectione laborarent, Illa autem est, *Remitte nobis debita nostra.* Hoc orandum est sanctissimis quibusque in hac vita. Itaque eos habere debita ἁμαρτήματα, fateamur necessum est. *Omnes peccarunt, & egent gloria Dei*, ab hac regula eximant se, si qui possint

III. Porrò quæ hactenus diximus non excludunt gradus perfectionis, sed hoc solùm euincunt, in hac vita neminem potuisse dici verè perfectum: de hominis enim perfectione

nobis est sermo. Ac ne videamur omnem planè tollere perfectionem, illius gradus ordine secundùm Scripturas commemorabimus, vt tandem ad renati hominis perfectionem commodius perueniamus.

Diuisio perfectionis secundum gradus rerũ. Dei perfectio.

Primùm igitur Scriptura nobis proponit Deum absolutè perfectum. Docet enim rerum omnium authorem & perfectorem, habere perfectionem absolutissimam. In quo autem cõsistat eius perfectio, extra Deum non potest nec debet constitui, sed in seipso perfectus est. Quod eleganter etiam dixit Iustinus Martyr, τὸ τέλειον τοῦ θεοῦ ἐν τῷ αὐτῷ ἐστι. & paulò antè in quæstione 113. ἐν τῷ μὴ δέχεσθαι καθ᾽ ὀλίγον προσθήκην εἰς αὔξησιν.

Irenęus quoq; ait: perfectus infectus, hic autem Deus est, hoc est, hoc Dei proprium est, vt non sit factus, & in se perfectus. Hoc dixit Scriptura, cum Deum Mosi respondentem induxit, *Sum qui sum.* Item ὁ ὤν *Ens, misit me.* Item nomen *schadai,* hoc declarat quod sufficientiam perfectam indicat. Et in Apocalypsi, α, & ω, hoc est, principium & finis, dicitur.

Totius perfectio.

2 Altera perfectio est in toto hoc vniuerso, quod perfectum dicitur, quia attigit metas, quas conditor Deus illi præfixit, hoc est, partes integrales ad totius constitutionem necessarias totíque destinatas actu habet, vt cœlum, terram mediásque, inter hæc quasi extrema, naturas: quarum elegantissima harmonia totum perficit. Sic Moses loquitur de totius perfectione, Gen. 2. *Et perfecit Dominus Deus opus suum.* Item *perfecti sunt cœli & terra, omnísque exercitus eorum,* hoc est, metas à Deo præfixas actu obtinuerant. Sic Moses scribit Deut. 32. *Opera Dei perfecta sunt,* hoc est, fines à Deo propositos assequuntur.

Specierũ perfectio

Tertio gradu perfectio quædam est in singulis speciebus, quam species assequuntur. Sic in animalium omnium speciebus alia est naturæ consummatio, quæ perfectio dici potest. h. e. gradus naturæ à Deo præfixus, quem potest attingere, non autem illum egredi, & si attingat, perfecta dicuntur Animalia. In hoc gradu magna est diuersitas: nam singula suæ naturæ respectu dicuntur perfecta. Ad aliud verò collata, nõ perinde, vt in auiũ genere, Passer perfecta est auis in sua specie: sed ad Aquilã relata, nõ perinde est perfecta: h. e. alias metas naturę passeris præfixit, alias autem Aquilinæ naturæ. Hinc est opinor, quod Homerus Aquilam vocat τελειότατον. hoc est, perfectissimam volatilium, quia naturæ maior est præstantia & perfectio in aliqua, quàm in aliis. Inde etiam rex auium dicitur à Poëtis. Non ignoro tamen quosdam hoc referre ad auguria Aquilina.

Hominis perfectio.

Huc pertinet aliquo modo quæstio de hominis perfectione, quæ dupliciter debet considerari.

Primùm respectu partiũ integralium: quo sane modo homo perfectus est, si metas assequatur à Deo præfixas, hoc est, dicatur esse vt homo esse debet. Sic infans natus recẽs dicitur perfectus homo, quia nihil habet mõstrosũm: nil redundat, nil etiam ei deest ad corporis humani constitutionem, quanuis nondum sapiat, ac ratiocinetur: quod hominis proprium est.

Deinde considerãda est perfectio vsu partium integralium, hoc est, functione & officio omnium partium. Quo respectu infans non est perfectus, sed idem adultus, si accedat omniũ partium debita functio, propriáque virtus, tum dicitur perfectus ratione operationum. Sed neutra est, de qua hic quærimus. Videamus renati hominis perfectionem.

Renati hominis perfectio duplex.

3 Hanc, docendi causa, statuamus geminam. Aliam in futura vita, vt nomine, sic reipsa perfectam perfectionem: aliam in hac vita, imperfectam perfectionem: quæ sit nomine quidem talis, reipsa autem nondum perfecta, nisi quatenus spe bona & fide indubitata illam futuram apprehendit, sibique applicat.

Vitæ æternæ perfectio.

Ac de prima nemo dubitare pius debet aut potest. Cùm enim æterna sit vita illa futura cũ plena rerum αὐτάρκεια, omnimodáque fœlicitate, perfectionem vtique habebit. Deinde Vltima est, & finis rerum vltimus, in quo perfectionem esse oportet, alioquin ad alium statum dirigenda foret: sed non dirigitur vlteriùs ad aliud vitæ genus perfectius: igitur vita æterna ipsa est perfectio.

Sic scriptura loquitur de vita æterna. Eph. 4. 13. *Cum peruenerimus in virum perfectum, in mẽsuram ætatis plenitudinis Christi.* Philip. 3. vers. 12. *Non quòd iam perfectus sim, persequor autem vt apprehendam, quatenus apprehensus sum à Christo.* 1. Cor. 13. ver. 10. *Cum venerit autem id quod perfectum est, tum id quod ex parte est, abolebitur.*

Sic interpretatur D. Augustinus, locum ad Philipp. 3. *Quotquot perfecti sumus, ita sentiamus,* &c. hoc est quotquot perfectè currimus, hoc sapimus quod nondum perfecti simus, & illic perficiemur quò perfectè currimus.

Ad eundem modum interpretantur illud Matth. 5. *Sitis perfecti,* hoc est, ad perfectionem contendite.

1. Cor. 2. vers. 9.

Continet illa perfectio bona indicibilia, quæ nec animus hominis concipere satis, nec lingua verbis exprimere potest, sed illa extra controuersiam est perfectio.

Huius vitæ perfectio in homine renato.

Huius vitę perfectio in homine renato definiatur. Illa non debet describi, peccati carẽtia, aut bonorum operum redundantia, sed sufficienti acquisitione rerum ad vitam æternã cõsequendam necessariarum. Nam cum vera perfectio demum obtineatur post mortem, in hac vita satis erimus perfecti, si idoneis mediis ad illam feramur. Illa omnia cumulatim in Christo po-

sto ponimus. Itaque Christus in hac vita quoque nostra est perfectio, primùm quia redemit, deinde quia spiritu suo regenerat: postea eodem spiritu nos gubernat & tuetur: denique vitę æternæ conciues efficit. Christus perfectio nostra.

Sic scriptura de via ad perfectionem loquitur. Heb. 10. v. 14. *vna hostia perfectos facit in perpetuum sanctificandos*, hoc est, plenè redemit à vi mortis & peccati, id quod legis sacrificia nō poterant. Et Hebr. 9 vers. 12. *Æternam redemptionem repetit per sanguinem proprium.* Sic ad Hebr. 7. vers. 11. argumentatur. *Si perfectio dari potuisset per Leuiticum sacerdotium, non opus erat alio Pontifice secundum ordinem Melchisedek.* Et infrà, *Lex nil perfecit, sed inductio fuit melioris spei per quam ad Deum accederemus.* Quibus locis expressè testatur Scriptura in Christi merito nobis repositam perfectionem nostram.

Sic intelligo illud ad Hebr. 5. vers. 9 καὶ τελειωθεὶς ἐγένετο, *Et perfectus factus est, his qui ei obtemperant, causa salutis æternæ*, hoc est, plena est perfectio omnibus in ipsum credentibus. Similiter illud ad Hebr. 2. vers. 10. *Principem salutis fidelium per afflictiones perficere*, hoc est morte Filij Dei absoluere consummatam redemptionem. Dicitur enim Princeps salutis perfici afflictionibus cum officium redemptionis complet, quod erat in morte positum, afflictionum omnium vltima.

1. Hæc cognitio, bona perfectionis nostræ in hac vita portio est, scilicet vt sciamus in Christo nobis vnicam viā ad salutem esse repositam. Sic loquitur Apostolus ad Philip. 3. *Qui perfecti sumus hoc sentiamus*, hoc est, qui pleniore cognitione religionis prædití videri volumus ita iudicemus, quod non nostra iustitia sed fidei iustitia per Iesum Christum saluemur, atque hanc doctrinam ibidem Canonem constituit, à quo nulla ratione sit recedendum.

Sic 1. Cor. 14. Iubet nos intellectu esse perfectos, hoc est, rectè iudicantes de religionis nostræ fundamento. Ad Heb. 6. *Perfectorum solidus est cibus*, hoc est, in fide robustorum. Et 1. Cor. 2. *Inter perfectos* dicit *se loqui Mysteria*, hoc est, inter eos qui prædití sunt solidiori notitia fidei: Opponit enim scriptura perfectos infirmioribus & rudioribus, vt perfecti sint accipiēdi hi qui solidiores sint in causa fidei, articulos omnes rectè tenent, & donum habent constantiæ, hic perfecti sunt, hoc est, satis instructi. Quom. fideles in hac vita dicantur perfecti. Ire. 322.

Sic Irenęus loquitur de perfectis: Perfecti sunt, qui Spiritum Dei perceperunt. Et Epiphanius, Perfectio huius hominis est in cognitione Christi.

2. Sed ne de fide frustra gloriaremur, aliud ēt requirit Scriptura, in hac imperfecta perfectione, scilicet fraternam dilectionem, quæ ob id vinculum dicitur perfectionis, Col. 3. hoc est, vnionis in Christo neruus est, & qui perfici in eo volunt, eo vinculo conglutinantur: laus est dilectionis ab eiusdem vsu. Imperfecta perfectio.

3. Præterea requirit obediētiam erga Deum, eiusque legem, quod scriptura vocat perfectè ambulare coram Domino: & qui sese Deo sic approbant, perfecti dicūtur, vt de Noë Gē. 6. & 17. legimus, de Ezec. apud Esa. 38. de Aza. 1. Reg. 15. Scriptura hoc exprimit vocibus, *tam nolam* quod integros, incorruptos perfectos significat, hoc est, ἀμέμπτους, hoc est, qui sine hypocrisi, sed toto pectore Deum seriò colerent. Talis dicitur Iob fuisse, & alij. Contrà, Solomō talis non fuit, quia idololatra factus est, & hypocrita. Huc pertinet vitæ simplicitas, quæ illo titulo sępe ornatur in scriptura: exempla obuia sunt lectori. Hoc sensu etiam dona Dei dicūtur perfecta, Iacob. 1. ca. quia scilicet, cuique Dominus dat occasiones plenas ad salutem. Itē voluntas Dei perfecta dicitur, Rom. 12. vers. 2. quia perfectè nobis patefit de nobis iustificādis, cùm alio modo in se & absolutè perfecta sit eadem Dei voluntas.

Hęc ergo perfectio nostra est in hac vita, Christū rectè agnoscere, quæ in illo habeamus beneficia, proximum ex animo diligere, Dei voluntati obsequi, vitæ innocentiā, quoad fieri potest, seruare, vita & moribus professionem nostrā tueri & ornare, in omnibus tamen dicere, serui inutiles sumus, & vt vno dicatur verbo, ipsam nostri imperfectionē agnoscere & fateri, summa perfectio est, quæ nos deducat ad beatam illam immortalitatis perfectionem, quò omnes sancti aspirarunt. In quo sit fidelium perfectio sita.

ΠΕΡΊ ἘΠΙΕΙΚΕΊΑΣ.

De æquitate.

LOCVS XVII.



Πιείκεια dicitur ab ἐπὶ iuxta & εἰκὸς conueniens vel simile, quod ab εἴκω verbo ducitur significante assimilor: hinc ἐπιείκεια, conuenientia, congruentia pœnæ ad factum. Est enim respectus hic inter duo, quorum similitudo & iusta æqualitas quæritur. Vt in lege furti, Adolescens fame compulsus, surripuit pistori aliquot panes, lex iubet illum suspendi, sed iudex expendit circunstantias facti, iuuenis est, & non malitiosè peccauit, sed compulsus necessitate, ideo non conuenit tāta pœna huic facto, sed mitior. Latini æquitatem vocant, & mitigationem, mansuetudinem ex æquo & bono statuentē de alterius facto. hinc Apo. 2. Cor. 10. mansuetudinem & æquitatem coniungit, cum diceret, *Ipse autem Paulus hortor vos per mansuetudinem & æquitatem.* Chri- Ratio Nominis. Exemplū æquitatis.

sti. Et græcis ἐπιεικὴς dicitur πρᾶος clemens, humanus, & ἐπιείκεια πραότης. Differt tamē, quòd πραότης animi affectum potius declarat: ἐπιείκεια autem iudicij decretum statuētis probabili causa, de facto alicuius, ex circunstantiis. Definitur ab Aristot. quod sit ἐλάττωσις τῶν δικαίων τῶν κατὰ νόμον. Nam lib. 2. mag. mor. cap. 1. virum æquum sic describit ὁ ἐλαττωτικὸς τῶν δικαίων τῶν κατὰ νόμον, hoc est mitis vir est, qui imminuit iusta legibus expressa. δίκαια κατὰ νόμον vocat pœnas Legibus expressas contra delicta, vt fur suspendi debet, homicida occidi. his pœnis detrahit æquitas interdum, & homicidam non occidit, in adulterio occidentem adulterum & adulteram vxorem.

2. ὅρος.

2. Libro 5. Ethi. cap. 10. definit aliis verbis, sed eodem sensu ἐστὶν ἐπανόρθωμα τοῦ νόμου δικαίου ἐλλείποντος, ὅπερ ἂν ὁ νομοθέτης εἰ παρὼν παρέθηκεν τῷ νόμῳ, hoc est, Et correctio iusti legibus expressi, deficientis scilicet in certo casu, quemadmodum ipse legislator si præsens esset, addidisset legi. Significans Leges esse vniuersales regulas, quæ non omnes casus possint comprehendere. Ideo Iudex cum sit viuum ius, sæpe pœnas emendat in certis casibus, de quibus author legis non locutus est, vt dixi de furto, & homicidio.

Iudex est viuū ius vniuersales leges secūdum facti circumstantias moderans.

3. Ideo alij dicunt esse interpretationem legis. Nam legis mens non erat de his casibus statuere, sed de furto malitioso, & de homicidio sine causa iusta illato.

Est igitur æquitas mitigatio summi iuris probabili aliqua causa inducta in eo casu, de quo lex principaliter non loquitur. Ex qua definitione duo elicimus. Primum, vbi locum habeat: deinde cur. Locum habet in specialibus casibus, de quibus lex præcisè non loquebatur. Ratio autem cur inducta sit æquitas est, quod summi iuris rigor maior sit quàm qui conueniat facto præsenti. Id vt intelligi possit, paulò altiùs repetendæ sunt causæ. Quærunt Iurisc͞osulti an expediat recedere à legibus scriptis, & confugere ad mitigationem aliquam pœnarum. Sunt qui iuris rigorem vbique sequendum esse putent. Alij contra in certis casibus ἐπιείκειαν præferunt. Primum igitur quæramus causas, cur necessaria sit æquitas: deinde respondeamus his, qui illam planè tollunt.

Definitio æquitatis.

1. Primùm æquitatē defendit lex Diuina, quę summo iuri addit passim exceptiones certorū casuū, vt homicidiū capitaliter punit Moses: interim, si quis per errorē occiderit hominē, non eidem pœnę illum subiicit, sed vrbes refugij constituit, vbi possit esse tutus. Significans leges summas in certis casibus commodiùs esse accipiendas: quod proprium est ęquitatis.

3. Cur necessaria sit ęquitas rationib. comprobatur.

2. Deinde res humanę illam postulant. Non. n. factorū omnium eadē est causa. Alij peccāt προαιρέσει, hoc est deliberato animo, alij ἀνάγκῃ, necessitate: alij τύχῃ casu fortuito, vt latro in sylua viatorem spoliat & occidit: alius, vt vim vi repellat, aduersariū tollit: Alius casu prętereuntē vicinum de tecto præcipitās lapides obruit. Iā hos tres homicidas, eadē lege punire, nulla ratio dictat. Hinc fluxit gręcorū distinctio, qui facta dicūt esse vel αὐτόματα, vel αὐθαίρετα. αὐτόματα dicuntur quę sine deliberatione pręcedēte cōmittimus aliud agētes, αὐθαίρετα aūt quę certo cōsilio & proposito facimus. Et hęc vel veniā merentur, vel illa carēt. Merentur veniā, quę causam habent facti probabilem, vt mulier maritum sustulit veneno quia ille prior filiū ex priori marito optimæ indolis iuuenē improbè occidit. Itē Milo occidit Clodiū, sed graui iniuria prouocatus: Viator occidit latronem, sed sui defensio aliter fieri nō potuit, hęc varietas efficit, vt vtilis sit, imò necessaria iuris summi mitigatio. 3. Pręterea leges nō possūt explicare oēs casus. Arist. inquit leges vniuersaliter loqui solùm, h. e. Sunt vniuersales regulæ, quæ non statim omnibus indiuiduis congruunt, ideo industria iudicis commodè interpretandę sunt. 4. In factis quoq; & casibus sæpe magna est obscuritas quæ summo iure nō potest explicari. Cuius exemplū habes apud Gel lib. 12. ca. 7. Mulier, quę virū cum filio veneno sustulerat, remittitur ad Areopagitas: Defendit se mulier, quia illi filiū eius ex priori marito sustulissent. Non facilè hìc statui potest: ideo Areopagitę vtranque partē iubent post annum centesimum redire, significantes, nec cōmodè dānari, nec absolui posse. 5. Accedit quod τὸ ῥητὸν sępe nudè seruatū potiùs sit πανουργία, fraus & calliditas quàm iustitia: vt cùm legatus Romanus cum Antiocho pasciscitur vt dimidia pars nauium illi relinquatur, iuris regula saluam esse iubebat dimidiam partem nauium: sed legatus fraude interpretatur pactum, & secat omnes naues, adeo vt nulla vtilis maneat. Sic pactum de induciis octo dierum, hostis noctu deprædatur agros, dicens inducias dierum non noctium esse factas, hæc μοχθηρία est, & Sophistica interpretatio summi iuris, ideo rectè dicitur, Nimius legis rigor, calumnia legis est. 6. Ideo rectè dixit Salomon, Prouerb. 30. *qui emungit nimium, elicit sanguinem*, significans iuris speciem violentam, esse pernitiosam, cui consonum est illud, Ne sis nimium iustus. Necessitas certè sępe docuit leges non rigidè intelligendas esse, vt Machabæi intelligūt legem de Sabbatho posse saluam manere, si maximè necessariam defensionem contra hostes in Sabbatho suscipiant. Sic Christus defendit suos discipulos, Matth. 12. quod spicas in Sabbatho vellicarint, & ipse Dominus Christus salua lege, sanat in Sabbatho ægros, Dauid contra legem vescitur panibus propositionis 1. Reg 21.

Sophistica pacti interpretatio.

Machabæi, sabbato contra hostes necessariā defensionē suscipiunt.

8. In primis illam nobis commendat Dei exemplum, qui legem primis parentibus datā, non nimis rigidè sequitur. Poterat enim eos corporaliter etiam mox occidere, sed parcit vitę mitigatione summi iuris, vt sit pœnitendi spatium.

9. Christi

9. Christi insignis est in nos omnes ἐπιείκεια. hinc Apostolus 2. Cor. 10. per ἐπιείκειαν Christi obtestatur Corinthios vt sese æquiores præbeant iudices in sua causa. Iustũ autem est hos qui experti sunt æquitatem filij Dei, æquitatem præstare doctori suo contra calumniatores.

Ἐπιείκεια Christi est, quod pœnas peccatorum nostrorũ in se transtulit. Deinde quod quotidie peccantes non aspernatur, sed omnibus horis paratam relinquit veniam. Item, quod in filium Dei peccantes non statim damnat, imo pro hostibus suis orat, *Pater ignosce eis, nesciunt quid faciant*. Competit illi quod scribit Oseas. 11. *Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego in medio tui Sanctus*.

Hæc exempla imitari in Repu. valdè prodest, ne in neruum erumpant bonæ leges. Cauẽdum interim est, ne prætextu æquitatis laxentur leges, vt quiduis liceat æquitatis titulo. Cauẽdus prætextus æquitatis.

Reliquũ est vt audiamus eos qui æquitatis regulam tollunt, ac summo iure vtendum esse censent. Videntur illi Draconis sequi leges, quæ ideo dictæ sunt sanguine scriptæ, quòd sine discrimine omnia delicta capitaliter puniret.

1. Inquiunt illi, ἐπιείκεια discrepat a iustitia, debet autem fieri iustitia, licet confractus corruat orbis. Respondet huic argumento Aristoteles lib. 5. Ethi. cap. 10. cum inquit in genere non discrepare, sed certo casu. νόμιμον enim δίκαιον vniuersale est, a quo non dissentit æquitas, sed in casu præsenti de quo lex non principaliter loquitur, æquitas legem interpretatur. Negamus igitur quod discrepet in genere quod autem aliqua circumstãtia variet, nulla est contrarietas, quia de ea non loquebatur legislator. Æquitas ne discrepet a iustitia.


Deinde, lex scripta est sequenda, ἐπιείκεια non est scripta: Ergo sequenda nõ est. Respõdeo, Quoties leges scriptæ extant de factis specialibus vtiq; sequendæ sunt, sed cùm infiniti incidant casus, qui nullam habent expressam legem, quid facient? Deinde, æquitas scripta quoq; est, nam hanc natura dictat, & ius Gentium, & pro diuersitate delictorum variatur pœna.

3. Sed addũt, quid attinet scribi leges nisi illas sequamur? Rectè quidem leges sequẽdæ sunt: interim cõcedãt leges vniuersales esse: ideo casus omnes non possunt exprimere. Ità prudentiæ iudicis est, ex bono & æquo statuere de his, vbi legislator non potuit statuere, ita manet Legibus sua authoritas, & iudicis prudẽtia sese vtiliter exercet in his casibus, vbi nulla extat lex. ideo Imperator ẽt iussit in dubiis & obscuris ad se deferri æquitatis diiudicationẽ. Et laudatur Augustus Cæsar quod ius dixerit, nõ modò summa diligẽtia, sed etiam lenitate. Augustus Cæsar ius dicebat summa lenitate.

4. Additur etiã hoc, ius naturæ debet manere immutabile, æquitas id mutat: ergo sequẽda non est. Respondeo ex sententia Aristot. nõ fieri, nam lib. 2. Mag. mor. ca 1. expressè dicit, nõ est ἐλαττωτικὸς τῶν δικαίων ἁπλῶς, τῶν μὲν γὰρ φύσει καὶ ὡς ἀληθῶς ὄντων δικαίων οὐκ ἐλαττωτής. Itaque ius naturale non mutatur, sed cum habeat suos gradus, nil mirum est, si mitigationem summi iuris sequãtur interdũ, vbi expressum nil reliquit legislator: sed necessitas id sępe postulat: vt cùm Thrasybulus Athenis statueret ἀμνηστίαν, h. e. iniuriarũ obliuionem, nõ poterat aliter salua Republica agere, vt hodie in Gallia fieri non potest, vt singuli ad suas facultates reuertantur salua pace. Itaq; vtilissima foret similis aliqua ἀμνηστία. Sed id aliis relinquamus.

DE GRATITVDINE.

LOCVS XVIII.



QVAM Latini gratitudinem vocant, Gręci non benè exprimunt vna voce: χάρις enim magis de beneficentia dicitur & studio promerendi, quę virtus hanc nostram præcedit: εὐχαριστία verò magis gratiarum actionem sonat, eámque quæ in verbis consistit, non autem in re ipsa.

Circumloquuntur autem gratitudinem sic fermè, χάριν ἀποδοῦναι, χάριτας ἐκτίνειν, τὸν μισθὸν σωτηρίας ἀποδοῦναι, gratiam referre, gratias rependere, reddere salutis præmium, similibúsque sententiis quibus vim illius virtutis exprimunt.

Hanc virtutem nobis Matth. suo exemplo apud Luc. commendat, qui seruatori Christo sese gratum prębuit. Excepit illum in domum suam, instituit conuiuium magnum, alios etiã adhibet cõuiuas in gratiã Christi. Quę omnia eò sunt maiora: quia nõ casu fiunt, nõ coactus & inuitus illa pręstat, maxima præbet, mox omnia relicturus in illius gratiã. Et quia post vocationẽ, illa omnia præstat, satis causę est, cõsilio hãc animi declarationem fuisse susceptam. Matthæi gratitudo.

Quare ad eã virtutẽ res ipsa nos excitare debet. Primùm enim suauissima est compellatio χάριτος apud Gręcos, vnde εὐχαρεῖς etiam dicuntur, εὐχάριστοι. Nam priorem gratiam compẽsando nouã excitãt, hinc illud, χάρις χάριν τίκτει: gratia gratiam parit. ideóque in gratitudine spes est reposita maioris boni consequendi. Deinde cõmendat ipsa qualitas virtutẽ, quæ ἀπὸ τῆς χαρᾶς. i. à gaudio originem ducit, quo significarunt verã gratitudinem singulari cum animi lętitia esse cõiunctã: ideóque sine molestia & ęgritudine animi præstat officium. Et iustitię species, cuique pro accepto beneficio referens gratiam. Iustitię speciẽ dicimus, quia subest obligatio propter acceptum beneficium, quod vel agnoscendo & cõmendando cõpensare debemus: quę officij obligatio si violetur, iniustos nos efficit: obseruata aũt, iustos: ideóq; gratitudo est iustitiæ species.

ipsa virtus iustitiæ pars est. Acceptum beneficium ponitur tanquam causa efficiens, quæ animum excitat ad studium τῆς ἀμοιβῆς. Referre gratiam propria est differentia specifica gratitudinis: refertur, autem re ipsa, vt in Mat. Luc. 5. in Zachæo, Luc. 19. vel verbo, vt in leproso, Luc. 17. aliisque, qui beneficia à Domino corporalia acceperant, leprosus circa Ierichuntem, Luc. 18. Christum sequitur gratias agendo & laudando Deum. Refertur etiam emendatione vitæ: quod Zachæus promisit & Apostoli omnes præstitere. Nec curiosos hic decet esse, philosophorum more, quomodo & quantum pro beneficio respondeas. Curiosè hæc persequitur Seneca ad Lucillium, qui affirmat soli sapienti notum esse, quanti res quæque taxãda sit: rudis autem & vnus de turba, sciat quidem se debere gratitudinem, ignoret autem quantùm pro re debeat.

Stulta est hæc curiositas, & taxatio hypocritica. Christus ita suos inflammat, vt modũ non quærant, præstent quantumcumque possunt: ita vt oculos si fieri possit, eruãt pro benefactoribus: ideoque vera gratitudo modum omnẽ nescit: & quisque gratissimus est, quatenus beneficia maximi facit, sine omni taxandi ratione.

Diuisio. Multiplex est illa virtus: quot enim beneficiorum sunt genera, tot gratitudinis sunt species. distributa tamen est docendi gratia in duas classes, diuinam & humanam.

Diuina gratitudo. 1. Diuina est gratitudo, quæ Deo eiúsque beneficiis debetur. huc pertinent piorum exẽpla: Dauidis. Quid retribuã Domino pro omnibus quæ contulit mihi, Psal. 13. Iacobi, qui altare Domino construit, quòd defendisset eũ de manibus Labani, & qui benedixisset illi. In nouo Testamento, Matthæi publicani est exemplum. Zachæi, leprosi, Samaritani & similium.

Humana gratitudo. 2. Humanam dicimus, quæ homini benemerito debetur: vt quòd Galatæ Paulo officiosè omnia præstant: ita (vt testatur de illis) oculos etiam suos eruissent in sui gratiam? Hinc ministris ex Euangelio viuere colligit Apostol. 1. Cor. 9. quia illi spiritualia ipsis seminant. Non igitur magnũ videri debet, si, contrà recipiant carnalia: gratitudinis enim ratio hoc postulat.

1. Est & alia partitio. quædam enim beneficia compẽsari possunt: qualia sunt ciuilia officia inter amicos & conciues, inter quos illud valet δὸς τὶ καὶ λάβε τι.

Quędã beneficia cõpẽsari nõ possunt. 2. Alia compensari non possunt, & ob id æternam memoriam & animi gratitudinẽ postulant: qualia sunt quæ nobis præstat Deus, parentes, præceptores literarum. Vnde illud Aristotelis, Deo, præceptoribus & parentibus nõ posse τὸ ἴσον reddi. Maiora enim sunt illa, quàm vt compensationem admittant: quæ nos ad studium huius suauissimæ virtutis inflãmare debent. Nemo enim est, quin aliquo beneficij genere sit aliis obstrictus. Hanc legem etiam potentissimi monarchæ subire coguntur. Alexander haustum frigidæ aquæ à milite accipit: Xerxes consilium à muliere, alij alia ab aliis. Hinc arbitror factum esse, vt Græci Gratiarum templa in mediis vrbibus locarent: quo homines publice admonerentur huius virtutis. Refert Pausanias grauis author in Eliraicis, apud Eleos Gratias sculptas fuisse, ita vt vna rosam, altera talum, myrthum tertia teneret: qua pictura seu potius sculptura admonemur, in gratitudine tres esse suauissimos fructus: suauitatem boni nominis per rosam, adumbratam: fructum vtilem in myrtho, ac hilaritatem per talos significatam: tali enim iuuenibus & virginibus competunt.

Exempla summæ gratitudinis. Nec est quòd hic magna nobis somniemus in referenda gratia: quale Darius Silosonti præstitisse legimus, qui pro veste olim illi dono data, pòst factus Rex, illi concessit Sami imperium. Et Iulius Cæsar olim pro hausto frigidæ aquæ, postea militi dedit fertiles agros: & Ludouicus Imperator pro rapa, aureos nummos: sunt enim illi χρύσεα χαλκείων, vt est apud Homerum. sed Deus animum respicit, & boni consulit paupertatem nostram, est enim χαρίτων θυμὸς ἄριστος, hoc est, mens optima in officiis. Conari autem debemus, vt quiduis Deo præstemus, qualia Zachæus, Matthæus, reliqui etiam Apostoli, modo ne cum Dei voluntate pugnẽt officia nostra. Erga homines autem parua officia decet extollere, vt maioribus quoque videamur digni. Verum enim est, quod dici solet ἀγαθοὶ ἀντὶ μικρῶν οἴδασιν χάριν, hoc est, boni pro paruis etiam sunt grati. qui enim parua negligit, maiora videtur etiam contempturus: aut certè non tanti facturus, quanti oportebat.

Porrò benefactoribus eo plus debemus: quòd lex Christi etiam inimicis nos obstringit, à quibus nihil boni accepisti, nec sperare possis: quid ergo de amicis & de benefactoribus? si enim peccatoribus & palàm inimicis non debet esse clausa nostra beneficentia, magis certè patere debet fidei consortibus, & qui aliquo officij genere de nobis optimè sint promeriti.

gratitudo ciconiæ. Ciconia singulariter laudatur ab eo affectu à Physicis, quòd effœtos parentes alat, & subleuet: hinc apud Hebræos *casida* nomen reperit: hinc lex illa Ciconiarum apud Aristoph. est nobis auibus antiqua lex Ciconiarum tabulis inscripta: postquam pater Pelargus omnes Ciconiolas aluit par est pullos vicissim patrem nutrire, quem affectum nõ solùm suis declarat, sed benefactoribus hominibus gratam sese exhibet: pullum solet è nido quotannis hospiti suo deiicere. & refert exemplum Ælianus de Ciconia grata Heracleidi mulieri, cui pro beneficio *lychniten* gemmam contulit. Et quia ad Bruta animalia sermo peruenit, addamus alia

Exemplũ gratitudinis in leone. eiusdem argumenti: nota est Androclis historia, qui curato leone in deserto, postea Romę in theatro ab eo defensus est contra Pantheram.


Cæra-

Cæranus Parius à Delphinis è naufragio est seruatus, quos ipse priùs redemptos à piscatoribus liberos dimisit. Elephas pro nutritore suo amico depugnat. Pindi mortem draco vlciscitur quem aluerat liberaliter.

Hæc dum legimus, mirabilis affectus oboritur, homines rubore suffundi à brutis animantibus, quæ ratione dum carent, sensum tamen habent gratitudinis, & seposita natura, plus pietati tribuunt, quàm ipsi homines.

Ἀλλὰ παλαιὰ μὲν εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοὶ, sed vetus dormit gratia, mortales autem sunt immemores Pindarus ait: & Socrati tribuitur χάρις τάχιστα γηράσκει, citò senescit gratia: quæ notæ sunt improbitatis & extremæ ingratitudinis, quam omnibus modis fugere decet.

DE INGRATITVDINE. LOCVS XIX.



PARABOLA de ingrato seruo admonet nos, vt meritò plura de ingratitudine nobis sint dicenda. Est enim & enorme, & nocens, adeoque apud omnes inuisum malum: licet non perinde in nobis à nobis ipsis obseruetur. Quare, vt mali huius natura meliùs animaduertatur, totam eius materiam ad locos referant adolescentes hoc modo.

Primum. Nomen ipsum rei naturam satis illustrat. Nam priuationem quandã boni inesse exprimit particula. IN, quæ in cõpositione hac στέρησιν significat. Ingratitudo, quæ à gratia & gratitudine est aliena. Sic elegãter Germanis *vndanckbarckeit* dicitur, q.d. *on danck*. Quẽadmodum *vngnad, ongnad, vnfrig, onfrid, vnhuld, onhuld*, &c. quibus omnibus particula *on* vt Latinis in, priuationem boni alicuius exprimit. Similis est ratio apud Græcos, qui ἀχαριστίαν & ἀχάριστον dicunt eum qui ἀποστερεῖ τὴν χάριν, ἢ ἐπιλαθόμενον τῶν εὐεργεσιῶν. Et vt Eustath. ait, ὁ ἀποῤῥέει μνῆσις εὖ πεπονθότος, qui immemor est beneficij, cui è memoria elabũtur accepta beneficia. Hinc ἀχαριστία dicitur ὑποστέρησις τῆς χάριτος.

Ab ἐτυμολογία

Significant igitur hæ particulæ priuantes, in diuersis linguis adeò consonæ, vitium hoc à gratia & grati hominis ingenio esse alienum. Nam ex τῆς χάριτος, hoc est, à gratia excessit in nouum & deprauatum ingenium. Huius rei testes sunt voces στερητικαὶ, α, in & *on*.

Deinde rei natura penitus inspecta idem indicat. Nam ingratitudinem iniustitiæ speciem faciunt. Nec solùm authores, sed singuli ingratos solemus iniustos appellare. Socrates certè apud Xenoph. lib. 2. ἀπομν. ἀχαριστία, inquit, εἰλικρινὴς ἀδικία ἐστὶ, hoc est, notoria & manifesta iniustitia, aut si mauis iniuria. Quibus si subnectas, quæ paulò antè Lamprocleus filius eius de eadem dixit, integram habebis mali huius descriptionem. Ingratos enim cõfessus est esse τοὺς εὖ παθόντας, ὅνταν δυνάμενοι χάριν ἀποδοῦναι μὴ ἀποδῶσιν. Nã si ingrati sunt, qui cùm possint parẽ gratiam, non referunt: certũ est ingratitudinẽ esse iniustitiæ speciẽ, quæ pro beneficiis acceptis non respondeat. Ex quo efficitur omnẽ ingratũ iniustũ esse. Nec nõ eũdem esse iniuriũ & maleficum eo ipso quia ingratus est. Sic iniustus Catilina quia bellũ patriæ infert: dein de iniuria Roma, quæ Ciceronẽ in exiliũ mittit: fecit illi, quicquid victor Catilina fecisset. Est igitur ingratitudo notoria quædã iniuria, eo ipso, quia pro beneficiis acceptis nõ respõdet.

A definitione.

Ingratitudo est manifesta iniuria.

Præterea. Eò deterior & perniciosior est, quia peccat in optima quæque, in ea quæ oportebat esse charissima, & quæ religiosè colenda erant. Id vt perspici possit, expende ingratitudinis gradus. Est enim multiplex hoc malũ. Varietas eius vel à rebus ipsis, vel personis sumitur. A rebus. Sic ingratitudo alia pro bonis acceptis nihil reddit: alia pro bonis reddit apertè mala. In priori ordine subsistunt obliuiosi: qui eò peiores sunt, quia non solùm gratia beneficij: sed etiam memoria intercidit apud illos. Ideoque inter ingratos Seneca ingratissimos facit obliuiosos his verbis: Ingratus est, qui beneficium se accepisse negat, quod accepit. Ingratus est, qui dissimulat: ingratus qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus est.

A diuisione.

Ingratitudo à rebus sumpta.

In posteriori ordine locantur, qui benefactores suos lędunt. Sic ingrata patria erga benemeritos ciues, Ingratę Athenę in Phocionẽ, cuius est laudabilis vox, βούλομαι μᾶλλόν τι ὑφ᾽ ὑμῶν παθεῖν κακὸν αὐτὸς, ἢ αὐτός τι ὑμᾶς κακῶς δρᾶσαι, i. malo à vobis aliquid mali pati, quàm mali aliquid vobis inferre. Eædem in Themistoclem, qui illis aliquando vrbane obiecit. Non laudo inquit eos homines, qui eodem vase & pro matula, & ad infundendum vinum vtuntur. Ingratus Nero parentibus, ingratus idem pręceptori Senecæ.

A personis ingratitudo sic diuidi solet. Peccat vel in Deum, vel in homines. In Deum, generalis est mortaliũ ingratitudo, & quę ad hunc locũ propriè pertinet. In homines ingrati sunt, alij in parentes: vt Nero, Cham. Alij in patriam, vt Catilina, Sylla. Alij in præceptores, vt idẽ Nero. Alij in benefactores, vt Sodoma in Lothum, Saul in Dauidẽ. Porrò hos omnes vel natura ipsa nobis coniunxit, vt parentes, sorores, fratres: vel singulare beneficiũ & necessitudo commendauit, vt præceptores, patriam, benefactores, hos cum lędat ingratitudo manifesta eius est impietas. Ac de his ingratitudinis speciebus nolo hic plura dicere. Siquidem de his omnes & publicè conquerimur, quod satis est argumenti omnes ingratos aliquo pacto esse. Nec enim de omnibus omnes conqueri possent: nisi omnes eo crimine laborarent.

Ingratitudo à personis sumpta, multiplex.

Hominũ ingratitudinis erga Deũ arg.

De ingratitudine erga Deum paucula adhuc subnectamus. In eum umus eò ingratiores, quantò minùs eius beneficiis carere possumus. Maius enim crimen est & cum stupiditate cõiunctum eum lædere, cuius opera carere non possis. A Deo primùm vitam accepimus, victũ, amictum, & totum quod sumus illi debemus. Interea vita nostra conditori non respondet. Præstitit eius rei exemplum Adam, in quo rei omnes peragimur ingratitudinis.

Ac vt in Adamo à Satana ortum habuit peccatũ, vt in omnes propagetur omnis mali species: sic in primis ingratitudo illius studio efficitur: delectatur enim dissidiis, cædibus, odio, simultatibus, quæ in gratis familiaria sunt. Quis enim dicat, nisi satanæ instinctu Dionysium matrem propriam per venenum tollere? Neronem sororem & fratres interimere? Et quo ductus sit genio Saul, cùm in Dauidem surgeret, sacræ literæ testantur. Quo ductus Adam? Serpentis sanè consilio.

Ingratitudo tristitiã & odium parturit.

Præterea gratia creatoris nostri nos priuat. Hinc ἀπὸ χαίρειν & χαρᾶς prima origine desumpta est vox eius. Nã vt gratia & gratitudo cũ gaudio est cõiũcta & gratia: sic ingratitudo tristitiam & odium parturit. Illa gaudiũ habet propter acceptum beneficiũ, in quo est suauitas. Deinde inest ei studiũ referẽdi, in quo est amor, & ex amore voluptas. Deniq; propter memoriã non potest non suauiter ex eo affici: adde quòd fiducia gratiæ inest: scit enim benemerito se esse acceptum. Ingratitudo contrà efficit tristitiam, verè etiam διαλύει τὴν χάριν. Fugit enim faciem domini Adam, detestatur & odit creatorem suum. Idem est videre in Caino ingratissimo homicida. Gratia Dei excidit, lætitiam mentis amisit, timidus & tremebundus deinceps errat.

Ingrati igitur sumus Deo, qui vt creatorẽ non agnoscimus & veneramur. Deinde beneficia eius non eo loco habemus, quo habenda erant. Præterea nõ agnoscimus gratiam eius & amorem, qui auersos amore persequitur. Ac cùm nulla necessitas eum cogat, inuitos etiã diligat. Ingrati etiam illi qui se peccatores esse negant. Ad quid enim pœnæ, quid leges, quid iudicij comminatio? Ingrati quoque qui meritum suum iactitãt, qui Christum negligũt, qui extra eum salutem sperant: quibus malis in primis laborat mundus. Ingrati etiam qui externa beneficia non agnoscunt. Sic Luc. 6. Deus χρηστὸς dicitur, quia bonis & malis lucem cõmunem facit, solem sinit oriri super bonos & malos. Apostolus 2. Tim 3. inter notas vltimorum dierum ponit etiam fore homines ἀχαρίστους Ex quo ostendit in catholica corruptela ne hoc abfore vitium, quale etiam in diluuio & Sodomę vastatione commune & populare fuit.

Ingratitudinis comes est impudentia.

Comites etiam habet improbos, Impudentiam in primis ei vitio tributam videmus. Alij negant aperta beneficia. Alij extenuant, nonnulli contemnunt. Est Xenophontis dictum: Ingratitudinis comes est impudentia. Quæ ἀναισχυντία μεγίστη ἡγεμὼν ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρά. i. impudentia est maximus dux ad omnia turpia Nam ad quęuis paratus est ingratus. Da ingratitudinem, omne facinus dederis. Hinc ille mimus, quiduis dixeris si ingratum dixeris. Infœliciter quoque illi omnia administrãt, nullus successus, nulla satis firma ingratis respõdet fortuna. Hinc Sapien. 16. *ingrati spes tanquam hyemalis glacies tabescet, & fluet tanquam aqua inutilis.* Non poterat spem ingrati hominis magis deprimere, quàm glacie hyemali quę liquescit. Non. n. solùm instabilis est: sed nocẽs & periculosa. Aqua etiã inutili, hoc est, sordida nihil contemptius, ac fœdius.

Athenis nullũ admittebãt ingratum adRemp.

Hinc prudenter Athenis, vt ait, Socrates apud Xenoph. ingratum nullum admittebant adRep οὐκ ἐᾷ ἄρχειν. Æstimabant enim nec sacra pro vrbe ritè ab illo fieri posse: nec aliud quicquam καλῶς καὶ δικαίως ab illo fieri. Quod sanè nihil aliud erat, quàm ingratũ à sacris & prophanis arcere. Inde rectè & pueri apud Persas vt idẽ testatur. Xenophõ ἀχάριστον ἰσχυρῶς κολάζουσι, h. e. si quẽ ingratũ deprehẽderint, seueriter puniebant. Putabant enim ingratos & deos & parentes & patriam, & amicos negligere. Quæ singula in ingratis facilè est reperire. Nec enim vno modo lędit ingratitudo, alienis fruitur beneficiis, & licet maxima sint, pluma leuiora æstimat. Maioribus etiã se dignã: non reddendo benefaciẽdi studiũ extinguit, fontes illos saluberrimorum beneficiorum exiccat. Cæcos etiam reddit benefaciendo, vt non dent vbi dandum erat: dent interdum, vt dedisse noceat. Cuius est non illepida similitudo in caprimulgo aue, quæ αἰγοθήλας dicitur, de qua scribunt. Quòd aduolet capris & lac è mammis exugat. Nec solùm lacte fruitur caprarum: verùm ipsæ capræ ex eo excæcantur & lactis fontes exsiccantur. Sic maleficum quiddam est ingratitudo, quæ etiam nocet accipiendo. Accedũt pœnæ grauissimæ, quę meritò id nobis debẽt exosum reddere. Iudæos certè nihil magis perdidit, quàm quòd Deo ingrati esse perrexerint. Multas. n. istas plagas & sibi in deserto succedentes, nihil induxit aliud, quàm hoc ipsum: & in terra sua hostibus sæpe eos hoc malũ obiecit vt prædã. Demũ penitus euertit, vt prædixerũt Prophetæ. Et Christianas res quid magis affligit? pacem vt vile quiddam æstimamus, eam nobis eripit. Vitæ necessariis flagitiosè vtimur, penuria igitur nos castigat: in sanitate superbimus, peste nos flagellat, dedit Euangelium, dedit literas, dedit Ecclesię hospitiũ, negliguntur tãta bona. Quare aufert tanquam ab ingratis & indignis. Et cur res Christianas ita in arctum redactas esse dicemus? Vbi enim Asia, vbi Africa? vbi illæ splendidæ Ecclesiæ Alexãdrina, Ierosolymitana, Constantinopolitana? vbi scholæ illæ florẽtissimæ, vbi collegia monachorum per Ægyptum, per Syriã? nonne ingratus mundus hisce bonis indignus habitus est? Nobis serò tandẽ


Exemplũ ingratitudinis.

Ixioni relinquitur admonitio, quam dij non Locrides prodidere puellæ ad posteritatem, ὅτι χρὴ τὸς εὐεργέτας καλῶς ἀμοίβεσθαι. Verba eius sunt. Θεῶν δ' ἐφετμαῖς, Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα βροτοῖς λέγειν. Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι, hoc est, deorũ iussu aiunt Ixionẽ mortalibus hæc inculcare. Posteros debere benefactori respondere splendidis retributionibus. Pind. 2. Pyth. Stroph. 2.

Elegans est lex, ciconiarum tabellis inscripta, quam citat Graculus apud Aristoph. contra Patralœam. Ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν ὀρνίθων νόμος παλαιὸς, ἐν ταῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν, ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πελαργὸς ἐκπετησίμους πάντας ποιήσῃ τὸς πελαργιδεῖς τρέφων, δεῖ τὸς νεοττὸς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν. i. nobis auibus lex est antiqua in ciconiarum tabulis: cùm parens ciconia omnes pullos volucres reddiderit & nutrierit, postea oportet vt pulli patrem nutriant.

DE HVMILITATE.

LOCVS XX.



QVAM necessaria sit virtus rebus humanis humilitas, ipsa cõmunis origo declarat. Nã ab humo humilitas dicta est, quasi cõditio vitæ humi depressa, animusq; non alta & insolentia spirans. Eadẽ origine homo, quasi humo humonis dictus est: quod veteres mutata prima syllaba, homo hominis dixere. Conditio igitur ortus nostri de humilitate nos diligenter admonere debet. Ab humo humilitas dicta est. Homo quasi humo.

Græci vocarunt ταπείνωσιν & ταπεινοφροσύνην quæ sæpe idem significant, vt Matt. 11. Christus se vocat ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ humilem corde, hoc est, modestè de se, suóque officio sentiẽtem. Et 1. Pet. 5. dicitur quòd Deus det gratiam τοῖς ταπεινοῖς, hoc est, modestè de se, suísque donis iudicantibus. Quibus locis ταπεινότης idem est quod ταπεινοφροσύνη. Interim non ignoro, hæc duo distingui interdum, vt ταπείνωσις sit humilis conditio, sors, & fortuna abiecta, qualis erat in Maria & tota posteritate Dauidis, tempore incarnationis filij Dei. Ideo Maria virgo, Luc 1. v. 48. fatetur *Deum respexisse ad humilitatem ancillæ suæ*, hoc est, miseram conditionem, & commisertum afflictis rebus. Interim eadem virgo fatetur simul animi modestiam, nil de se altum & dignum tanto Dei beneficio in se agnoscentis. Eadem ambiguitas est in Hebræa lingua: nam *gnana* afflictam & miseram conditionem significat, & animi modestiam. Hic loquimur de ταπεινώσει quatenus est ταπεινοφροσύνη, quæ apud Hebræos per *schalpal* exprimitur, vt cum dicunt *schap il ruach biphne col adam*, hoc est, spiritus humilis coram omnibus, id est, animus modestè de donis suis sentiens.

Est autẽ ταπεινοφροσύνη, φρονεῖν τὰ ταπεινὰ, hoc est, humilia sapere, & ταπεινὸν Græci elegãter vocarunt per hyperthesim, quasi πατεινὰ, vt annotauit Eustathius. Sunt autem πατεινὰ protrita, humi strata, pedibus calcata à verbo πατεῖσθαι, hinc ταπεινὸς idẽ quod χαμαιπέτιος, quod humi repit. Alij non dissimili proposito deducunt à verbo τάπτω sepelio, alii ab ἔδαφος, i. à pauimẽto. vnde ἐδαφινὸς, vnde ταπεινὸς non desunt qui sumãt à πεδὸν vnde πεδεινὸς, vnde per hyperthesim interim emergit ταπεινὸς, idẽ quod πεζικὸς, sed mihi prior Eustathij ratio placet. Ὅρος.

Ex his statuamus nunc de definitione, Humilitas est modestia hominis diuino spiritu præditi de suis donis moderatè, de alienis autem magnificè sentientis. Modestiam appello, quia hoc respectu ad temperantiã tanquã genus refertur, quatenus scilicet non effert se. Et Græci ἐγκράτειαν vocarunt, simili ratione ἀνέχεσθαι πάντας ὑπερέχειν ἑαυτοῦ, hoc est, quia facilè patitur eos sibi præferri. Quatenus autem ipse etiam suo iudicio agnoscit aliena dona, & in his Deum celebrat, iustitiæ pars est, cuique sua tribuẽtis. Sic Apostolus ait, 2. Cor. 11. seipsum humiliasse vt Corinthij magni fierent, & affirmat se in hac re non peccasse. Definitio humilitatis.

Seruauit igitur medium, cuique tribuens quod suum erat.

Hinc constat in humilitate duplicem esse considerationem. Nam primò humilitas respectum habet sui, in quo moderatum est iudicium, in donis & cum donis agnoscens etiam enormia vitia, imbecillitatem, & errores emendatione dignos, quorum respectu deprimit se sub manu Domini. Inde est paupertas illa spiritus, quam Christus beatam dicit, Matth. 5. Partes.

Altera consideratio humilitatis versatur circa proximum, cuius commodum suis donis cupit promouere, ideo in proximo multa commendat & laudat suis donis præteritis, ab aliis etiam libenter fert illum sibi præferri. Vide Hierony. in Dan.

Alij, tres illius assignarunt partes, scilicet sui depressionem, obedientiam alterius, & donorum Dei in seipso absconsionem, sed sino eam suis authoribus. Dona certè Dei abscondere non debemus, sed re magis, quàm verbis illa illustria reddere. Deinde obedientia quoque non rectè vt pars humilitati adscribitur. Scholastici.

1. Cõsideremus igitur eius species. D. Hieron. in præfat. in Mich. Prophetam, tomo 6. duplicem facit, aliam vitiosam, quæ de conscientia peccatorũ venit. Quo sensu dicitur Deus humiliare hostes suos. Sic humiliauit Cananeos, & *oculus superbi humiliabitur*, Ps. 17. Et apud Esa. 13. *Arrogantia fortium humiliabitur, & cap. 26. Ciuitas sublimis humiliabitur*, hoc est, affligetur mutata fortuna, quod propriè est *gnanach* apud Hebræos miserum & afflictũ reddere. Sic fu- Species. Nehe. 9.

res,& latrones,aliique scelerati humiliantur dum ad pœnas commeritas rapiuntur.Ita Satã & omnes impij in iudicio nouissimo humiliabuntur.

2. Altera est humilitas virtus moderata in iudicio de se suisque donis: sed illa ad significationis varietatem pertinet diuisio.

Vera. Psal.130. 2. Alia est diuisio quæ propriè huc pertinet. Nam alia vera est animi depressio sine omni fuco,& hypocrisi in his quos pura conscientia humiles nouit.De hac dixit Dauid, *Domine non est exaltatum cor meum.*Et Psal.34. *humiliatam in ieiunio animam meam.*Et Christus, Luc.18. *Qui se humiliauerit, exaltabitur.* Et 1. Petr. 3. *humilibus dat gratiam*, quod etiam Iacob habet cap.4.

Falsa. Humilitas monastica. Alia est humilitas ficta,fucata,& hypocritica.Aliud enim est habere virtutẽ,& aliud virtutis similitudinem.Hæc solis gestibus corporis simulatur,aut fracta voce verborum, vt ait Hieronymus.Hæc,si verè loquendum sit,non est,humilitas,sed ἐθελοφρησκία, hoc est morositas affectata sub virtutis prætextu,qua olim Pharisæi laborabant, & hodie Monachi vultu tetrico in nudipedalibus,humistratis,lanea veste,cingulo,cucull a, sub quibus tamẽ animus latet arrogans & supercilium tolerabile.Contra hoc vitium nos munit Apost.Col.2. *Nequis nobis palmã interuertat per humilitatis speciẽ.*De quo loco,si lubet,plura vide apud Aug. Ep.59.

Alia diuisio humilitatis. 3. Est & illa obseruata diuisio,quòd alia respiciat Deum authorem,alia proximum.Prior propriè est contritio, quæ nascitur ex agnitione peccati & seueritatis Diuini iudicij contra peccatum,ideóque territa conscientia desperatis rebus in sui fiducia, confert sese ad misericordiam.Sed aliud est loqui de cõtritione,& aliud de humilitate.Quæ proximum respicit, libenter se quidem proximo submittit:sed regitur ab illa Diuina consideratione, Deum scil. in aliis etiam efficaciter operari,& liberalem esse in conferendo aliud quod sibi forte negatum sit.Itaque non potest dona Déi non magni facere,vbicunque illa deprehenderit.

Ab Etymologia. II. Amplectamur igitur toto pectore illam virtutem idque seriò, absque omni fuco & hypocrisi.Primùm quia Dominus hanc nobis ratione ortus nostri, commendauit, ab humo enim facti cùm simus, ab eadem humanitatem dici voluit, & humilitatem, quasi nunquam homines verè simus, nisi simul humiles simus futuri. Vt enim homo & humilitas res distinctæ conueniunt in tertio,homo sci.ratione ortus,sic inter se conuenire Deus,legis istius author voluit.

A causa efficiẽte nostri cognitio. Deinde bono oritur fonte,sui nimirum cognitione,tum enim rectè humiles sumus, cum cognita nostra miseria,nobisipsis incipimus vilescere,nostráque omnia,quæ excellentia haberi poterant,seriò contemnimus in conspectu Domini nostri.Sic Apostolus ad Philip. Circumcisionem & omnem prærogatiuam Iudaici populi contempsit, & pro stercoribus reputauit,cognita Christi gratia, repudiauítque omnem legis iustitiam, vt in Christo reperiretur,non habens suam sed Christi quæ est per fidem iustitiam. Ex hoc fonte nisi fluat humilitas,hypocrisis est.

Præcepit eam Christus. 3. Dominus Christus quoque illam imprimis præcipit & in suis vt propriam notam requirit,Matth.11.*Discite à me quia humilis sum corde.*Poterat alia in se nobis imitanda proponere,quod non fecit, hoc vnicum ornamentum est pij hominis, quod solum post fidem requirit.Non dixit,meo exemplo excitate mortuos, ieiunate 40.diebus,facite miracula, super aquas ambulate & similia facite, sed humiles estote meo exemplo, quasi omnia habituri in Christo,si humiles simus.

Deo placet in primis. 4. Hinc Deo in primis accepta est hæc virtus. Quomodo enim Filius Dei præciperet, quod Patri acceptum non esset?aut quomodo Deo non esset gratissimum quod filij sui mandato & exemplo pij facerent?Iacobus ait.4.ca.vers.6.ex oraculo Domini, *Deus humilibus dat gratiam,superbis autem resistit.*Idem habetur 1.Pet.5.quod sumptum est ex Prouerbiis Solomonis cap.3.vers.34.*Illusores ipse Deus illudit,humilibus autem dabit gratiam.* Esa. 66. vers.2. *Ad quem respiciam,nisi ad humilem & contritum corde,& timentem sermones meos?* Et Dauid testatur Psal.101.ver.18. *Deum respicere ad orationem humilium.* Et Maria canit, Luc.1.vers.51. *Detraxit potentes de thronis, & exaltauit humiles.* Non igitur dubitemus hac virtute nos Domino approbare,scientes indubiè quod nos quoque sit respecturus.

Contrarium Deo displicet. 1.Cor.1. 5. E contra nil magis odit Dominus,quàm ipsos superbos & arrogantes,Mat.23.v.12.*Qui se exaltauerit,humiliabitur.* Ideo Apostolus præcipit, Roman. 12. versic.16. *Ne sitis apud vos ipsos arrogantes,sed cum humilibus abripiamini.*Inde est quòd pauci sapientes, potentes,nobiles sint in cœtu fidelium, sed stulta coram mundo Deus elegit, vt pudefaciat superbiam istam mundi.

Honesta est Ciuilitas. 6. Est etiam apud homines suauissima virtus: humiles & modesti facilè laudem apud omnes merentur,omnium gratiam facilè impetrant,cum nulli inuideant, omnibus ob dona sua congratulentur,omnes etiam sibi facilè præferant. Hinc etiam Dominus Christus præcepit vt inuitatus non primo loco accumbas, hoc enim arrogantis esset, sed nouissimo loco pro modestiæ decore. Sic enim maiori cum laude audies, *Amice ascende huc ad locum digniorem.*

Conditio fidei. 7. Sed conditio nostræ fidei quoque omnino hanc virtutem requirit. Non enim videmur

mur ſeriò in Chriſtum credere,niſi humilitate noſtra hoc teſtatum faciamus. Ap.ad Eph.4.
v.2.præcipiens vt dignè ambularemus vocatione noſtra, ſtatim ſubnectit,cum omni humi-
litate & modeſtia,quaſi tum demum dignitas fidei ſeruetur,ſi teſtemur illam humilitate, ſi-
milibúſque virtutibus. Idem ad Philip.tractat,nam cùm primo ca.v.27.propoſuiſſet, ſaltem
dignè Euangelio Chriſti ambulare:mox hanc dignitatem per diuiſionem explicaturus oſtē-
dit ad hanc pertinere conſtantiam in profeſſione. Capite ſecundo reliquas addit dignitatis
iſtius partes, concordiæ ſtudium,fraternam dilectionem , & humilitatem tanquam coroni-
dem aliarum virtutum ſubiicit. Itaque certiſſimum eſt vanam eſſe fidem , merúmque ſpe-
ctrum quicquid de illa gloriamur,ſi deſit animi humilitas.

8. Hoc idem ſuadet nobis naturæ noſtræ fragilitas.Quid enim ſumus? vnde orti? quò tā- Conditio
dem redimus? Nonne cinis,puluis,vmbra,terra,flos,gramē,ampulla, & ipſa vanitate vanio- naturę fra
res ſumus:vt rectè dicas tibi ipſi:quid ſuperbis terra & cinis? quid animos tollis fragile gra- gilis.
men? quid geſtis σκιᾶς ὄναρ? Itaque hanc naturæ cōditionem, & ortum noſtri ſæpe nobis ob- Eccle-
iiciamus & in ea miſeria,tanquam in ſpeculo oculos noſtros paſcamus: indubie fiet , vt plu- ſiaſt.10.
mas iſtas & criſtas ſubmittamus. Veriſſima eſt conditoris noſtri ſententia, *Terra es, & in ter-
ram reuerteris.* Et Iobi confeſſio , *Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, nudus etiam hinc emi-
grabo.* Cui addantur ſimiles ſententiæ ex Claſſicis ſcriptoribus , qualis illa eſt Sophoclis ὁρῶ In Aiace
γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ᾽, ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην Σκιάν. Video enim nos aliud eſſe nil qui- flagel.
cunque viuimus,quàm Idola,aut leuem vmbram.

9. Quod ſi donis nos ornauit Dominus , ſcire debemus illa non in hunc finem nobis Dona nō
collata eſſe,vt hinc ſumeremus occaſionem ſuperbiendi, ſed illa eſſe organa prorogādi glo- materia
riam Domini,iuuandi proximum,& ædificandi Eccleſiam Chriſti. Verum ſubeſt etiam hic ſuperbiē-
periculum ne in ipſa humilitate nobis placeamus:quod venenum adeo ſuaue eſt, vt clàm nō di.
animaduertentibus ſubeat. Quemadmodum igitur dona Domini, ſic nec ipſa humilitas oc- Homil.2.
caſio debet eſſe ſuperbiendi. Qua de re eleganter monuit D. Chryſoſtomus, Si humiles ſu- ad Phile.
mus vt oportet,ſi mites & manſueti vt decet,non ſit nobis ea humilitas,elationis occaſio,hu
milis es & cunctis abiectior,noli idcirco inflari,neque exprobres cęteris,ne perdas gloriam
tuam ideo,nempe te humilias,vt arrogantiam fugias, quod ſi per hanc in arrogantiam cor-
ruas,melius fuerat te non humiliari. Quoties tibi ſurripit elata cogitatio, quod quaſi humi-
litatis culmen occupaueris,conſidera vbinam, vnde deſcenderit Dominus tuus,& tunc de-
ſines teipſum admirari,imo te & tua omnia ridere cogeris,cum ex collatione Dominicæ hu-
militatis,nil omnino te profeciſſe cognoueris,debitorem te ſemper exiſtimans.

10. Sed & metuendum nobis eſt,ne offenſus Dominus noſtra ingratitudine, dona ſua à Abingra-
nobis auferat. Ingrati autem ſumus dum donis ſuis abutimur tanquam materia ſuperbien- tis aufert
di. Itaque cum timore & tremore verſemur in officio noſtro , in ſpe & ſilentio poſſiden- dominus
tes animas noſtras. ſua dona.

11. Et dona quantulacunque ſint in nobis ſi ad naturæ prauitatem referamus,vix habe- Vitia ſem
bunt locum aliquem laudis. Tanta enim ſemper eſt vitiorum turba nos vndique circunſtās, per donis
vt boni ſi quid in nobis ſit,euaneſcat:vnam virtutem mille contaminamus vitiis. Da erudi- plura &
tum:donum inſigne dederis,ſed dediſti ſimul arrogantem, inuidum,auarum,prodigum,in- maiora.
circunſpectum,leuem,timidum,puſillanimem,negligentem,aut alia enormia errata. Aut e-
ſto,abſint illa omnia,adſunt tamen cogitationes malæ,mille modis iram Domini prouocan-
tes:ſunt errata quotidiana , iuuenilia, ſenilia : per iram & imprudentiam quot nobis obre-
punt? Quoties nobis dolendum eſt de conſiliis,de factis? Quoties pœnitudo obrepit? Quo-
ties infecta mallemus,quæ reuocare non poſſumus? Itaque ſemper cogitemus quid nobis po Sermone
tius deſit,quàm quid aſſecuti ſimus. Quod monet Auguſtinus alibi:magis (inquit) cogitare 59. in
debetis quid vobis deſit,quàm quid vobis adſit,quod habes,caue ne perdas : quod nondum Mat. Ra-
habes, ſupplica vt habeas:in quantis ſis minor conſiderandum,non in quantis ſis maior. ritas non

12. Rara quidem eſt virtus,ſed ob id non ſequitur negligendam eſſe. Rara chara dici ſo abſterreat
lent,& difficilia quæ pulchra. Ideo raritas magis nos incitare debet ad illius ſtudium, ſaltem Rara cha
illius nos admonet raritas vt cautius ſequamur illam,nam lapſus eſt fortè facilior. Multi qui- ra: & diffi
dem vmbram habent humilitatis:virtutem autem ipſam pauci ſectantur. Accedit hic nobis, cilia quæ
quod ſtultis iſtis quos ridens Satyricus dicit, pulchra.

Dum vitium fugiunt ſtulti in contraria currunt.

Dum arrogantiam quidam fugiunt,ignaui & ſordidi redduntur. Sordes dum alij fugiunt,
ciuilitatis prætextu,ſuperbis ſimillimi euadunt. Et ſanè in hanc partem frequentiùs pecca-
mus,quàm in defectum. Inde ſcitum eſt illud Hieronymi dictum , Difficilius arrogantia, Epiſt. 90.
quàm auro caremus,& gemmis.

13. In medio igitur tutiſſimus ibis:& eſt humilitas ſatis tuta virtus,ſimul firmiter animo Tuta ſatis
concepta. Multis enim caret moleſtiis,quibus ſuperbi diuexantur. Cauetur etiam per illam virtus.
multorum inuidia,vt non poſſint odiſſe,nec de quo inuideant reperiunt maleuoli,quod Ne-
potiano tribuit Hieron.quod multorum inuidiam declinarit ſua humilitate& facilitate. Co- Triſt.3.
gitemus igitur nos noſtro metiri pede,& mediocria affectare. Eleg.1.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Fundamẽtum aliarum Virtutum.

14. Quod si quis reliquas virtutes ex ordine consideret, quantumuis speciosæ sint, attamen hac carere non possunt, cum hæc sine aliis sæpe perfecta videatur, imo beatior, quantò ab aliis est alienior. humilis non cinxit se magna sapientia, prudentia, magnificentia, liberalitate, fortitudine: sed sinit istas dotes his qui eas possident, sed in his nondum facile acquiescit. Interim non caret sua constantia, temperantia, iustitia, pietate, dilectione, pacis studio, aliisque piis affectibus. Sed vir fortis liberalis, temperans, magnificus, prudens, sapiens, nisi simul sit modestus & humilis, quis tandem erit? Certè inutilis vir, morosus & omnibus molestus, iactator suæ virtutis, laudum suarum ebuccinator.

Humilitas condimentũ reliquarum virtutum

Itaque rectè mihi dixisse videtur Hieronymus primam hanc esse Christianorum virtutẽ, quia est condimentum reliquarum, & fundamentũ, sine quo reliquæ omnes in pręceps ruũt. Inde idem author perfectionem nominat. Hæc est sola perfectio, in omnibus suæ imperfectionis cognitio. Et Chrysostomi in hanc rem præclara est sententia. Esto, multùm ædifices, habeas eleemosynas, preces, ieiunia, virtutésque omnes, hac non præiacta, frustra & in vanũ erunt omnia, facileque ruet super arenam structum ædificium, nihil est in omnibus nostris bonis operibus quod hac non egeat, nihil est quod sine hac stare possit, etiam si dicas continentiam, virginitatem, contemptum diuitiarum, & quæcunque libet, omnia prophana sunt & impura, & abominabilia, sine humilitate.

Et homil. 9. secundum testimonium quidem Christi & Apostolorum, plenitudo legis dilectio est, tamẽ nutrix dilectionis est humilitas, vt odij mater superbia. Itaque totius boni initium humilitas, & totius mali initium, superbia, quæ cœpit per Diabolum: initiúmque salutis ab humilitate per Christum. Proinde conuenienter etiam omnium beatitudinum humilitas facit initium.

Christi exemplũ.


15. Domini Christi exemplum certè illustre est, qui non solùm nos iussit suo exemplo humiles esse, sed reipsa declarauit, vt explicat Apostolus ad Philip. 2. versicu. 6. 7. 8. *Cum esset natura Deus, demisit se in nostræ naturæ fragilitatem, vitam in his terris calamitosam egit. Patri obediens vsque ad mortem crucis.* Quem locum alibi Augustinus piè persequitur, ô sancta (inquit, venerabilisque humilitas, tu Dei filium descendere fecisti in vterum Sãctæ Mariæ virginis, tu eum fecisti inuolui vilibus pannis, vt nos indueret virtutum ornamentis, tu eũ circuncidisti in carne, vt nos circunciderei in mente, tu eum corporaliter flagellasti, vt nos à flagello peccati liberaret, tu eum coronasti spinis, vt nos coronaret suis æternis rosis.

16. Addamus ad finem, elegantissimum Augustini locum de nostra hac virtute, vt videamus illius dignitatem eò melius. Scribit is ad Dioscorum Epist. 59. ferè in hunc modum.

Prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sunt præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus & præcesserit & comitetur, & consecuta fuerit, & præposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamus, iã nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus, cũ interrogatus esset, quid ei primũ videatur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, Pronunciationem dicitur respondisse. Cum quæreretur, Quid secundo? Eandem pronunciationem. Quid tertiò? nil aliud quàm pronunciationẽ dixisse. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere, necessitas cogeret.

DE IGNORANTIA.

LOCVS XXI.



IGNORANTIA quanuis proprium malum sit hominis: tamen Deo tribuitur etiam in scriptura: sed & Satanæ proprium est ignorare multa, quandoquidem consiliis Dei non semper interest. Considerãdum igitur quomodo singulis tribuatur. Deinde qualis hæc affectio sit in homine, quot modis committatur, & an excuset hominem.

Ignorãtia quomodo Deo tribuatur

Deo tribuitur, quemadmodum alij affectus humani, cùm facit more ignorantium: vt Gẽ. 4. Cainum interrogat, *vbi est frater tuus?* sic dicitur ascendere, descendere, prospicere super filios hominum, vt cognoscat, num sit qui faciat bonum. Vocarunt interpretes Antropopathiam, cùm de Deo tanquam de homine Scriptura loquitur.

In nouo Testamento Christus aliàs omniscientiam suam declarat, vt in vocatione Nathanaëlis, Ioan. 1. in proditore Iuda, Ioan. 6. in historia Palmarum, Matth. 21. Aliàs se ignorare simulat, vt in historia Lazari, *vbi posuistis eum?* Ioan. 11. in mulieris hæmorrousæ historia, *quis me te-*

me tetigit, inquit? & similia passim, non quòd ignoret reuera, sed more ignorantis interrogat, vt veritas iusta occasione pateftat.

Deinde Deo tribuitur, cùm non statim punit punienda, sed longanimi patientia, expectat mortalium emendationem. Ita visus est Sodomorum mores ignorare, donec tandem in eos animaduertit.

Præterea ignorare dicitur ea, quæ indigna sunt eius commercio, & notitia: sic de impiis & damnatis pronuntiat, Luc.13. *discedite à me qui operamini iniquitatem, nescio vos*: repellit eos à suo commercio & patrocinio.

Demùm quia talem Deum sibi fingunt impij, qui solùm cœlestia curet, terram autem reliquerit filiis hominum sic de Deo loquitur Epicurus aliique prophani homines. Vellent Deum ignorare multa, vt sua flagitia sic quoque impunita manerent: sic impius seipsum erigit Psal.10. *dixit in corde suo, Oblitus est Deus, abscondit faciem suam, & non videt in æternum.* Cæterùm longanimitas est, non ignorantia, qua nos ad pœnitentiam prouocat, vt docet Apostolus. ad Rom.2.

Impij ignoratiam Deo tribuunt.

Satanæ propriè competit ignorantia: est enim creatura cui particularem rerum concessit cognitionem Deus. Sibi autem tanquam creatori reseruauit plenam rerum omnium cognitionem. Deinde Satan, quamuis de multis possit probabiliter coniicere, tamen cor hominis non habet exploratum, solus ipse Deus conditor. Cardiognostes est, hinc fit vt in multis erret Satan.

Satan non habet cor hominis exploratũ

Præterea consiliis Dei non semper adhibetur. In Iobi historia & Achabi interest quidem Satan Dei consilio, quia minister erat futurus plagarum & erroris. Attamen reliquis Dei cõsiliis non adest: arcana Domini ignorat. Hinc fallitur Satã in Christi natiuitate, vt quærat inter infantes Messiam, ferro, & non inueniat, fallitur in morte & resurrectione Domini, aliisque infinitis, quæ Deus illi non patefacit.

Sæpe fallitur Satan.

Homini tribuitur quoque propriè ignorantia: non solùm quia creatura rationalis imperfecta rerum cognitione prædita: sed etiam quod debilior illius sit natura & magis fluxa materia, pauci anni vitæ eius, & multa hominis afflictio. Eccl.8. Accedit affectata in multis excusatio per ignorantiam: quærit enim homo delictorum suorum vndicunque velamentum. In multis error minimè affectatus, quod de Niniuitis testatur Dominus. Ionæ. 4. *multa esse millia, quæ ignorent discrimen inter dextrum & sinistrum.*

Proinde Dominus in suo populo certum voluit esse sacrificium pro delicto ignorantiæ, vt est Num.16. & Dauid psal.25. orat Dominum, *ne recordetur peccatorum adolescentiæ suæ*, hoc est, eorum quæ per ignorantiam fecisse videtur. De hac specie ignorantiæ, hoc est, quæ hominis propria est dicamus deinceps.

Sacrificiũ pro delicto ignorantiæ.

II. Ignorantia, Iudicij error est, falsa pro veris amplectentis, tum in consiliis tum factis. Plato Polit.9. ait, Ignorantia est vacuitas quædam habitus animi: significans vocem sonare quandam priuationem boni Sic Græci ἄγνοιαν dixerunt: νοεῖν significat intelligere & sapere, qui habitus animi proprius debebat esse, sed eum per lapsum amisit: hinc successit, fugata veri notitia, priuatio quædam & crassæ tenebræ, caligo mentis, quę dicitur ἄγνοια, quasi ἄνοια vecordia & stoliditas mentis: sic Latinis ignorantia sonat quandam priuationem ignorantiæ, vt ita dicam, hoc est, scientiæ.

Definitio ignorãtię in homine.

III. Iurisconsulti duas species constituunt ignorantię. Vnam facti, alteram Iuris appellant: de vtraque celebris est apud eos sententia. *Ignorantia facti, non iuris, excusat*: de qua deinceps dicemus.

Apud Iurisconsultos duæ sunt species ignorantiæ.

Nunc alias mali huius expendemus species.

Plato alibi ἀμαθείαν quoque ignorantiæ speciē facit: rectè enim quæ non didicimus ignorare dicimur: hinc ignari linguarum dicuntur, artiũ, Philosophiæ, qui in his studiis non sunt versati. Alibi distinguit in bonam & malam. Bona est, ignorantia mali, bona est ignorantia occasionum ad peccatum. Bonum est si latro ignoret viatorem, quem si sciret, occideret.

Ignorãtia bona, ignorantia mala.

Mala est ignorantia boni vel optimi. Bona ignorare, malum est, in consiliis, optimi consilij ignorantia malum est. OEdippus per ignorantiam occidit patrem, quem si nouisset, nũquam occidisset: mala fuit ignorantia: sic Alcmæon, Amphiarai filius occidit matrem suam Euriphylen per errorem, ita Orestes, &c.

Idem Plato in Alcibiade II. Ignorantiam duplicem ait esse.

Vnam simplicem, & quæ minimè sit affectata, quæ causa est leuium peccatorum, vt ipse ait, hoc est, errores habet excusabiles. Alteram vocant duplicem, quæ est affectata ignorantia & præsumptuosa, vt cùm non solùm errant homines, sed sapienter agere videri volunt: quæ pernitiosa est ignorantia, si vires & robur acquirat efficiendi sua decreta. Quare inquit causa hæc est ἐπονειδίστων ἁμαρτημάτων. i. peccatorum vituperabilium. Sin desint vires exequẽdi, efficit pueriles & seniles errores.

Ignorãtia simplex. Ignorãtia affectata.

In Philebo triplicem constituit, quę species ad affectatam spectare videntur. Alij. n. errant in fortunæ bonis, qui putant se ditiores quàm sint, ideoque efferũtur. Alij in corporis bonis, qui se elegãtiores iudicãt, quàm sint, his perplacet corpus ipsum, ignorãtes imbecillitatē suã

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Fundamētum aliarum Virtutum.

14. Quod si quis reliquas virtutes ex ordine consideret, quantumuis speciosæ sint, attamen hac carere non possunt, cum hæc sine aliis sæpe perfecta videatur, imo beatior, quantò ab aliis est alienior. humilis non cinxit se magna sapientia, prudentia, magnificentia, liberalitate, fortitudine: sed sinit istas dotes his qui eas possident, sed in his nondum facile acquiescit. Interim non caret sua constantia, temperantia, iustitia, pietate, dilectione, pacis studio, aliisque piis affectibus. Sed vir fortis liberalis, temperans, magnificus, prudens, sapiens, nisi simul sit modestus & humilis, quis tandem erit? Certè inutilis vir, morosus & omnibus molestus, iactator suæ virtutis, laudum suarum ebuccinator.

Humilitas condimentū reliquarum virtutum

Itaque rectè mihi dixisse videtur Hieronymus primam hanc esse Christianorum virtutē, quia est condimentum reliquarum, & fundamentū, sine quo reliquæ omnes in præceps ruūt. Inde idem author perfectionem nominat. Hæc est sola perfectio, in omnibus suæ imperfectionis cognitio. Et Chrysostomi in hanc rem præclara est sententia. Esto, multùm ædifices, habeas eleemosynas, preces, ieiunia, virtutésque omnes, hac non præiacta, frustra & in vanū erunt omnia, faciléque ruet super arenam structum ædificium, nihil est in omnibus nostris bonis operibus quod hac non egeat, nihil est quod sine hac stare possit, etiam si dicas continentiam, virginitatem, contemptum diuitiarum, & quæcunque libet, omnia prophana sunt & impura, & abominabilia, sine humilitate.

Et homil. 9. secundum testimonium quidem Christi & Apostolorum, plenitudo legis dilectio est, tamē nutrix dilectionis est humilitas, vt odij mater superbia. Itaque totius boni initium humilitas, & totius mali initium, superbia, quæ cœpit per Diabolum: initiúmque salutis ab humilitate per Christum. Proinde conuenienter etiam omnium beatitudinum humilitas facit initium.

Christi exemplū.


15. Domini Christi exemplum certè illustre est, qui non solùm nos iussit suo exemplo humiles esse, sed reipsa declarauit, vt explicat Apostolus ad Philip. 2. versicu. 6. 7. 8. *Cum esset natura Deus, demisit se in nostræ naturæ fragilitatem, vitam in his terris calamitosam egit. Patri obediens vsque ad mortem crucis.* Quem locum alibi Augustinus piè persequitur, ô sancta (inquit, venerabilísque humilitas, tu Dei filium descendere fecisti in vterum Sāctæ Mariæ virginis, tu eum fecisti inuolui vilibus pannis, vt nos indueret virtutum ornamentis, tu eū circuncidisti in carne, vt nos circunciderет in mente, tu eum corporaliter flagellasti, vt nos à flagello peccati liberaret, tu eum coronasti spinis, vt nos coronaret suis æternis rosis.

16. Addamus ad finem, elegantissimum Augustini locum de nostra hac virtute, vt videamus illius dignitatem eò melius. Scribit is ad Dioscorum Epist. 59. ferè in hunc modum.

Prima est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: & quoties interrogares, hoc dicerem, non quod alia non sunt præcepta quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunq; benefacimus & præcesserit & comitetur, & consecuta fuerit, & præposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamus, iā nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur. Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus, cū interrogatus esset, quid ei primū videatur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, Pronunciationem dicitur respondisse. Cum quæreretur, Quid secundo? Eandem pronunciationem. Quid tertiò? nil aliud quàm pronunciationē dixisse. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nil me aliud respondere nisi humilitatem liberet, etsi forte alia dicere, necessitas cogeret.

DE IGNORANTIA.

LOCVS XXI.



IGNORANTIA quanuis proprium malum sit hominis: tamen Deo tribuitur etiam in scriptura: sed & Satanæ proprium est ignorare multa, quandoquidem consiliis Dei non semper interest. Considerādum igitur quomodo singulis tribuatur. Deinde qualis hæc affectio sit in homine, quot modis committatur, & an excuset hominem.

Ignorātia quomodo Deo tribuatur

Deo tribuitur, quemadmodum alij affectus humani, cùm facit more ignorantium: vt Gē. 4. Cainum interrogat, *vbi est frater tuus?* sic dicitur ascendere, descendere, prospicere super filios hominum, vt cognoscat, num sit qui faciat bonum. Vocarunt interpretes Antropopathiam, cùm de Deo tanquam de homine Scriptura loquitur.

In nouo Testamento Christus aliàs omniscientiam suam declarat, vt in vocatione Nathanaëlis, Ioan. 1. in proditore Iuda, Ioan. 6. in historia Palmarum, Matth. 21. Aliàs se ignorare simulat, vt in historia Lazari, *vbi posuistis eum?* Ioan. 11. in mulieris hæmorrousæ historia, *quis me te-*

me tetigit, inquit? & ſimilia paſſim, non quòd ignoret reuera, ſed more ignorantis interrogat, vt veritas iuſta occaſione pateſiat.

Deinde Deo tribuitur, cùm non ſtatim punit punienda, ſed longanimi patientia, expectat mortalium emendationem. Ita viſus eſt Sodomorum mores ignorare, donec tandem in eos animaduertit.

Præterea ignorare dicitur ea, quæ indigna ſunt eius commercio, & notitia: ſic de impiis & damnatis pronuntiat, Luc.13. *diſcedite à me qui operamini iniquitatem, neſcio vos*: repellit eos à ſuo commercio & patrocinio.

Demùm quia talem Deum ſibi fingunt impij, qui ſolùm cœleſtia curet, terram autem reliquerit filiis hominum ſic de Deo loquitur Epicurus aliique prophani homines. Vellent Deum ignorare multa, vt ſua flagitia ſic quoque impunita manerent: ſic impius ſeipſum erigit Pſal.10. *dixit in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, abſcondit faciem ſuam, & non videt in æternum.* Cæterùm longanimitas eſt, non ignorantia, qua nos ad pœnitentiam prouocat, vt docet Apoſtolus ad Rom.2.

Impij ignorātiam Deo tribuunt.

Satanæ propriè competit ignorantia: eſt enim creatura cui particularem rerum conceſſit cognitionem Deus. Sibi autem tanquam creatori reſeruauit plenam rerum omnium cognitionem. Deinde Satan, quamuis de multis poſſit probabiliter coniicere, tamen cor hominis non habet exploratum, ſolus ipſe Deus conditor. Cardiognoſtes eſt, hinc fit vt in multis erret Satan.

Satan non habet cor hominis exploratū

Præterea conſiliis Dei non ſemper adhibetur. In Iobi hiſtoria & Achabi intereſt quidem Satan Dei conſilio, quia miniſter erat futurus plagarum & erroris. Attamen reliquis Dei cōſiliis non adeſt: arcana Domini ignorat. Hinc fallitur Satā in Chriſti natiuitate, vt quærat inter infantes Meſſiam, ferro, & non inueniat, fallitur in morte & reſurrectione Domini, aliiſque infinitis, quæ Deus illi non patefacit.

Sæpe fallitur Satan.

Homini tribuitur quoque propriè ignorantia: non ſolùm quia creatura rationalis imperfecta rerum cognitione prædita: ſed etiam quod debilior illius ſit natura & magis fluxa materia, pauci anni vitæ eius, & multa hominis afflictio. Eccl.8. Accedit affectata in multis excuſatio per ignorantiam: quærit enim homo delictorum ſuorum vndicunque velamentum. In multis error minimè affectatus, quod de Niniuitis teſtatur Dominus. Ionæ. 4. *multa eſſe millia, quæ ignorent diſcrimen inter dextrum & ſiniſtrum.*

Proinde Dominus in ſuo populo certum voluit eſſe ſacrificium pro delicto ignorantiæ, vt eſt Num.16. & Dauid pſal.25. orat Dominum, *ne recordetur peccatorum adoleſcentiæ ſuæ*, hoc eſt, eorum quæ per ignorantiam feciſſe videtur. De hac ſpecie ignorantiæ, hoc eſt, quæ hominis propria eſt dicamus deinceps.

Sacrificiū pro delicto ignorantiæ.

II. Ignorantia, Iudicij error eſt, falſa pro veris amplectentis, tum in conſiliis tum factis. Plato Polit.9. ait, Ignorantia eſt vacuitas quædam habitus animi: ſignificans vocem ſonare quandam priuationem boni Sic Græci ἄγνοιαν dixerunt: νοεῖν ſignificat intelligere & ſapere, qui habitus animi proprius debebat eſſe, ſed eum per lapſum amiſit: hinc ſucceſſit, fugata veri notitia, priuatio quædam & craſſæ tenebræ, caligo mentis, quę dicitur ἄγνοια, quaſi ἄνοια vecordia & ſtoliditas mentis: ſic Latinis ignorantia ſonat quandam priuationem ignorantiæ, vt ita dicam, hoc eſt, ſcientiæ.

Definitio ignorātię in homine.

III. Iuriſconſulti duas ſpecies conſtituunt ignorantię. Vnam facti, alteram Iuris appellant: de vtraque celebris eſt apud eos ſententia. *Ignorantia facti, non iuris, excuſat*: de qua deinceps dicemus.

Apud Iuriſconſultos duæ ſunt ſpecies ignorantiæ.

Nunc alias mali huius expendemus ſpecies.

Plato alibi ἀμαθείαν quoque ignorantiæ ſpeciē facit: rectè enim quæ non didicimus ignorare dicimur: hinc ignari linguarum dicuntur, artiū, Philoſophiæ, qui in his ſtudiis non ſunt verſati. Alibi diſtinguit in bonam & malam. Bona eſt, ignorantia mali, bona eſt ignorantia occaſionum ad peccatum. Bonum eſt ſi latro ignoret viatorem, quem ſi ſciret, occideret.

Ignorātia bona, ignorantia mala.

Mala eſt ignorantia boni vel optimi. Bona ignorare, malum eſt, in conſiliis, optimi conſilij ignorantia malum eſt. OEdippus per ignorantiam occidit patrem, quem ſi nouiſſet, nūquam occidiſſet: mala fuit ignorantia: ſic Alcmæon, Amphiarai filius occidit matrem ſuam Euriphylen per errorem, ita Oreſtes, &c.

Idem Plato in Alcibiade II. Ignorantiam duplicem ait eſſe.

Vnam ſimplicem, & quæ minimè ſit affectata, quæ cauſa eſt leuium peccatorum, vt ipſe ait, hoc eſt, errores habet excuſabiles. Alteram vocant duplicem, quæ eſt affectata ignorantia & præſumptuoſa, vt cùm non ſolùm errant homines, ſed ſapienter agere videri volunt: quæ pernitioſa eſt ignorantia, ſi vires & robur acquirat efficiendi ſua decreta. Quare inquit cauſa hæc eſt ἐπονειδίστων ἁμαρτημάτων. i. peccatorum vituperabilium. Sin deſint vires exequēdi, efficit pueriles & ſeniles errores.

Ignorātia ſimplex. Ignorātia affectata.

In Philebo triplicem conſtituit, quę ſpecies ad affectatam ſpectare videntur. Alij. n. errant in fortunæ bonis, qui putant ſe ditiores quàm ſint, ideóque efferūtur. Alij in corporis bonis, qui ſe elegātiores iudicāt, quàm ſint, his perplacet corpus ipſum, ignorātes imbecillitatē ſuā.

Alij demùm animi bona nimiùm admirantur: βελτίους δοξάζουσι οὐκ ὄντας. i. existimant eos præstantiores esse, qui non sunt. Omnes isti ignorantia pessima laborant, extollunt & admirantur bona caduca, & τὸ θεῖον. i. numen in ipsis negligunt.

IIII. Diximus de vsu vocis, quid item sit ignorantia, quæ sint eius species. Videamus nunc quomodo excuset ignorantia facta nostra.

Apud Deum ignorãtia non excusat peccatum.

Cùm quæritur excusatio delictorum, homines ignorantiam prætexunt, vel apud Deum, vel apud homines.

Apud Deũ nulla tanta est ignorantia, quæ peccatum possit excusare. Iuris enim tota hæc est & crassa.

Homo ad imaginem Dei conditus, voluntatis diuinæ expressam habebat legẽ: quæ & obseruatu facilis erat, & intellectu perspicua, adde quòd nulla rerum inopia nulla etiam necessitas ad defectionem impellebat. Inde factum est, vt nec Adam, nec Eua, nec etiam serpens ignorantiam prætexere possint: nulla enim erat ignorantia voluntatis diuinæ.

Ignorãtia peccati fructus per se dãnabilis est.

Quòd posteros attinet, locum cœpit habere ignorantia, sed ex peccato fluens, ipsa tanquã peccati fructus per se damnabilis est: ideóque ad eam recurrendo non iusta petitur excusatio: sed facti profertur mala causa: quæ naturam transfundit in ipsa facta, & peccato inficit. Hinc Dauid rogat Dominum, *ne recordetur iuuenilium delictorum suorum*, hoc est, per ignorantiam commissorum. Item, *ne intret in iudicium cum seruo suo, non enim iustificabitur in conspectu tuo omnis caro.*

Cur Deus legem de expiandis peccatis ignorãtiæ instituerit.

Quòd si aliqua species ignorantiæ reperiri posset, quæ delicta excusaret, iam parata esset defensio carni coram iudicio Domini: quod passim scriptura pernegat. Quare Dominus certam legem etiam constituit, de expiandis peccatis ignorantiæ, Num. 15. vt intelligerent homines nullam hic valere ignorantiam.

Porrò hic nobis duo obiiciuntur. Primum Apostolos multa ignorasse ante diem Pentecostes: sic Patriarchæ multa ignorarunt, quæ postea reuelata sunt Apostolis, & sancti hodie adhuc ignorant multa, quæ tamen sine scelere piè ignorare possunt.

Alterum Niniuitas ab ipso Domino excusari ob ignorantiã, quòd nescirent discrimen inter dextrum & sinistrum. Valebit igitur excusatio per ignorantiam in iudicio Domini.

Non omnis ignorantia peccatum est, sed ea solũ quæ peccati causa est.

Respondemus, nõ rectè illa huc adferri. Nam quòd primum attinet: verũ est sanctos multa ignorare piè posse: sed illa ignorantia est ἀμάθεια non est ἄγνοια simpliciter, de qua hìc loquimur. Aliud est loqui de inscitia rerum, aliud de peccato cui quæritur in ignorantia excusatio. Sic Apostolus dicit se nescire, *an in corpore, siue extra corpus sit raptus.* Ita Iob *nescit quandiu subsistat*: nescit homo numerum arenæ, numerum stellarum: nesciunt pij etiam finem seculi, hoc est, diem & horam iudicij nouissimi: sed ista nec scire opus est, nec possunt nec debent, soli Deo ista cognita sunt: ad hunc modum, sunt multæ quæstiones in sacris literis, ad quas piè respondere potest Christianus, Nescio.

Nam, vt de lapide non requiris visum, non enim vt videat conditus est, sic ab homine non requiritur omnium rerum notitia: quia ad hanc non est conditus, ideóque illius respectu nõ dicitur ignorantia laborare: sed cùm nescit quæ scire debet.

Cùm homo nescit quæ scire debet ignorantia mala laborat.

Deinde cùm in hac ἀμαθείᾳ nullus sit error, sed potius laus hominis, frustra huc adducitur, cùm hic quæratur, non de omni ignorantia, sed quæ causa est peccati alicuius.

Ad alteram obiectionem respondemus, excusari Niniuitas à Domino per ignorantiã, sed hoc gratiæ esse, non meriti. Quòd si Dominus iustitiæ regulã sequi voluisset, tanta erant scelera Niniuitarum vt meritò eos delere potuisset: sed declaraturus gratiæ suæ vbertatem, Prophetam inhumanitatis conuincit, qui cum & ipse homo esset & peccator, nõ condoleret miseris peccatoribus. Deinde respici hic debet ius liciti. Principi in causa capitali multa licita sunt, quæ reo non permittuntur: licet illi vel summum sequi ius, vt reum mortis occidat, licet tamen illi reo indulgere per gratiam, & culpam in errorem aliquem reiicere. Interea nõ licet reo peccatum suum excusare hoc ipso errore, quasi ob id peccatum desinat esse peccatum, vel pœnas non mereatur, nam clementia principis & sola gratia subsistit, nec alio merito. 1. Tim. 1. *ignorans feci per incredulitatem*: sed addit se misericordiam consequutũ. Verùm ipsa historia Niniuitarum rem satis explicat: excusatio apud Prophetam valere debuit, nõ ad excusandum peccatum ciuium: nam datur illis certum resipiscentiæ tempus, intra quod nisi cõuertantur, certissimum excidium expectare debent: quo docentur nullam sceleribus illorum satis iustam adferri potuisse ignorantiam.

Agnoscamus ergo coram Domino simpliciter errores nostros, & veniam delictorum etiã occultorum petamus, ne excusando nos Dominum magis irritemus, stat enim firmissimum Dei decretum contra humanas omnes excusationes, *Non iustificabitur in conspectu tuo Domine omnis caro.* Psal. 143. & Iob testatur, *non iustificabitur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum de mille, &c.* Iob. 9.

Regula iuris.

Quòd porrò excusationem attinet coram hominibus valet hic aliquando ignorantia. Leges enim Politicæ puniunt voluntaria delicta quæ à scientibus & volentibus committuntur. huc pertinet iam memorata regula illa iuris.

Igno-

Ignorantia facti non iuris excusat.

Facti ignorantia intelligatur probabilis, non affectata ignorantia, nec voluntaria. In facto tali in quo prudentissimus etiam quisque errare potuisset: quale est si ignoret quod ad officiũ suum non pertinebat vt sciret: vt lex est, ne quis conscendat mœnia sub pœna capitali, casu peregrinus ingressus vrbem, mœnia conscendit, accusatus se tuetur quia scire non potuerit, hoc esse prohibitum.

Facti tamen ignorantia affectata non excusat, hoc est, si ignoret hoc, quod pro officio scire tenebatur: vt si medicus in sua professione, quid pro quo propinet ægroto, & æger moriatur, medico non prodest excusatio, per ignorantiam suæ artis, quia illa scire debet, aut à medici nomine abstinere, Ita Iurisconsultum non excusat ignorantia iuris, quia iura callere debet. Theologum non excusat ignorantia sacræ scripturæ, cuius debebat esse peritus. Ita Christianum non excusat ignorantia Christianismi, quia illius peritus esse debuit.

Iuris ignorantia dicitur, affectata, crassa & supina, quæ nostro vitio accersita est, & confirmata à volentibus per ignauiam. Huc pertinent exempla priùs allata de facti ignorantia affectata, Maneamus ergo in illa distributione aliam excusabilẽ esse, hoc est, cùm affirmare possumus non nostri officij esse illa scire, & in eo casu sapientissimum quoque errare potuisse: hæc probabilis dicatur ignorantia, quia vtcunque satisfacit iudici, vt non secundùm strictum ius, sed secundùm mitigationem iuris pronunciet. Ignorantia excusabilis.

Alia non excusat. Primum & perniciosissimum illius genus est, quando ignorantia nõ agnoscitur: faciunt illi quod ebrij, qui cùm ebrij sint, sobrij & haberi & dici volunt: perniciosus hic morbus est: hoc laborarunt Pharisæi tẽpore Christi, de quibus inquit Ioan. 9. *Si cæci essetis peccatum non haberetis: nunc verò dicitis videmus: ideò peccatum vestrum manet.* & Matt. 15. *Sinite eos, duces sunt cæci cæcorum.* & Rom. 2. Iudæis hoc obiicit Apostolus Paulus, *confidis te esse ducem cæcorum, & lumen eorum qui sunt in tenebris, &c. doces alium & teipsum non doces?* sic Christus Nicodemo ait, Ioan. 3. *tu es magister in Israel & illa ignoras?* Ignorantia non excusans.

Hæc illa est duplex ignorantia, quam grauissimorum delictorum causam dixit Plato: ac regnat in primis in hominibus φιλαυτοῖς, qui stultitiam suam & ignorantiam interpretantur sapientiam, nec aliis permittunt illius rei iudicium.

2. Si nos illius causa simus: quod elegãter alibi dixit Aristoteles ὅσα δὶ ἀμέλειαν ἀγνοεῖν δοκοῦσιν ὡς ἐπ᾽ αὐτοῖς ὂν μὴ ἀγνοεῖν, quæcunque videntur ignorare per negligentiã, quæ non ignorare per se poterant. Huc pertinent multi casus ignorantiæ facti, quoties in propria confessione homines errant & peccãt. Vt medicus in medicina, Theologus in Theologia, Christiani in pietate, Iudæi in interpretandis Prophetis & lege negligentia quadam multa ignorabant, quæ alioquin scire poterant: hinc illud Mar. 12. *erratis ignorantes scripturarum.* & Ioan. 5. *scrutamini scripturam, &c.*

3. Si difficilia non sint in quibus erramus. Aristoteles dixit μὴ χαλεπά hoc est, tum scitu nõ difficilia, tum factu. Scitu difficile non est ius positiuum, quale in qualibet Repub. ciues illius tenentur scire: quale apud nos ius cõtra ebrios, blasphemos: tritum est, vt scire omnes possint. Factu similiter facile.

4. Iuris naturalis ignorantia non excusat: quod enim natura dictet, omnibus impressit: sic gentes inexcusabiles sunt, quia contra naturam peccarunt. Rom. 1. Ignorantia Iuris naturalis non excusat.

5. Iuris Diuini ignorantia nõ excusat: quò pertinent verus illius intellectus. Nam licet Iudæi leges Dei verbotim tenerent: tamen veram mentem ignorabãt, quia suis interpretationibus corruperãt. Hinc in alios errores prolapsi multa cõsequenter ignorabãt. vt Ioan. 16. ipsum Deum patrem ignorare eos dicit Christus: *non nouerunt eum, qui misit me:* & cap. 16. *hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Christum non norunt, quia patrem Deum non norunt: illum, quia legem ignorabant, hoc est, verum illius intellectum: ἀγνοοῦν τάς τι τῶν ἐν τοῖς νόμοις ἃ δεῖ ἐπίστασθαι.

Hinc factum est, vt passim Iudæi apud Christum sint inexcusabiles, & væ & iterum væ illis comminetur: nam ignorantia illa denegerat in peccatum indurationis, & incredulitatis, quo tenentur & ligantur reliqua peccata omnia.

Inexcusabile est etiã factu, quod ignoranter fit, sed non ab ignorantibus, qualia committũt ebrij per ebrietatẽ, facta quidẽ ignorant, se ebrios esse sciunt. Ideóque prudẽter tales excusationes damnant Philosophi. Citat in hãc rem Pittaci legẽ Aristoteles, qui duplò tales puniebat, tum quòd ebrij fuissent, cùm possent esse sobrij: tum quòd per ebrietatẽ deliquissent, &c. Ebrij peccantes duplo puniendi.

DE SIGNIS SACRAMENTALIBVS, AN conferant gratiam.

LOCVS. XXII.



LOCI insignes fuerunt in 10. cap. Act. de vocatione gentium. 2. de ministerij dignitate. 3 fide, quæ sola in Christi nomine iustificat. 4. de linguarum dono. 5. de Baptismo, &c. Et quia Baptismus hic confertur post gratiam Baptismi iam collatam: non immeritò hic quæri solet de signi natura in Baptismo, qualem conferat gratiam: ac in genere hypothesis ad Thesin reduci potest: an signa in Sacramentis aliquam conferant gratiam. Agamus igitur in præsentia de ea quæstione, & quæramus ad hunc modum.

AN signa sacramentalia conferant gratiam, nec ne? quemadmodum si quæras an sua natura aqua Baptismi, vel actio Baptismi conferat regenerationem. Idem in aliis signis Sacramentalibus quæri potest.

Sententia Scholasticorum. Reperio in hac quæstione triplicem sententiam. Prima est scholarum superioris temporis, quarum doctores tradunt signa sacramentalia conferre gratiam. Ac de Baptismo nominatim tradunt, quòd in eo fides signatur, & eadem in confirmatione obsignetur, in ordine tandem variis donis ad militiam spiritualem ornetur.

Præterea de signis loquuntur dispositiuè, hoc est, quod illa non solùm instituta sint ad significandam gratiã: sed disponendam etiã. Hinc fluxit character ille indelebilis Christiani hominis, qui per Baptismum, cõfirmationem, & ordinẽ imprimatur indelebiliter: qua de re legãtur Bonauentura. 4. dist. 6. quæst. 5. Thomas Aq. p. 3. q. 63. art. 6. Summa angelica, & alij his similes.

Altera est huic ex diametro opposita, eorum qui signa hæc annihilant, ac aliis prophanis signis nihilo meliora constituunt.

Priorem admittere non possumus, quandoquidem multa incommoda secum inuehit. Primùm signis tribuit quod Deo tribuendum erat: nec loquuntur distinctè, vt apud eos agnoscere possis, quid Deus & quid signa præstent. Deinde homini tribuunt totum in conferendo gratiam, de Christo nihil loquũtur: hinc nata illa psychotyrannis, qua hominum conscientiæ cõstrictæ tenentur non Dei, sed hominum authoritate: quò pertinet etiam ius remittendi peccata, quod ita rigidè sacerdoti adscribunt, vt videatur solus quiduis posse, non solùm in remittẽdo peccato: sed etiam in conferenda gratia. *Error errorem parit.* Item quòd ex vi huius doctrinæ de signis conferẽtibus gratiam infantibus, qui moriũtur sine Baptismo, his inquã negatur salus & vita æterna: hinc seorsim sepeliuntur, alius illis locus assignatur extra cœlos. Meliùs sanè Pelagiani, qui salutem etiam his concedebant, quamuis non demus quod illi asserebant, propria innocentia illa saluari: immundus enim est infans vel vnius diei in conspectu Domini.

His & similibus rationibus moti, illam scholasticam sententiam non admittimus.

Alteram verò repudiamus, quia prophanat, quæ Deus ad sanctum vsum instituit. Deinde quòd signa nimis separat à signatis: cùm certum sit signa sine re signata esse non posse.

Signa offerunt, sed non conferũt gratiam. Tertia igitur sententia est, inter has media: signa sacramentalia offerre, non sua natura cõferre, omnibus gratiam. Ita quidem sine gratia non sunt, cũ illam offerant, ex sententia Dei instituentis: non autem exhibent mox aut conferunt, quod scholastici docuerunt.

At quòd signa gratiã nõ cõferant, vt loquuntur scholastici, aut exhibeãt, facilè ostẽdi potest. Primùm enim solius Dei est, non signorum, cõferre gratiam: Deus namque hæc instituit, vt de sua gratia homines admonerent. Ideóque ad veram causam recurrendum erat. Esa. 43. *Ego, sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ierem. 31. *propitiabor iniquitati illorum, & peccati eorum non recordabor.* Hinc Deus miserator dicitur & clemens, multæ misericordiæ, &c. Itaque valde errant in vera causa assignanda, dum signis Sacramentalibus gratias tribuunt.

Deinde quòd medias attinet causas, libenter damus signa Sacramẽtalia inter causas has, hoc est, organicas seu instrumentales & medias recenseri: sed in eo dissentimus quod illi docent, Signa illa causam instrumentalem esse dispositiuam, hoc est, quæ dispositum & aptum reddat ad suscipiendam gratiã, ex opere operato, quemadmodum in veteri lege Sacramenta suscipiebantur dignè ex opere operante: de qua re Thomistæ copiosè agunt. Alij ex istis docent signa Sacramentalia causam esse, sine qua non conferatur gratia. Quibus omnibus opponimus manifestum scripturæ testimonium. *Spiritus vbi vult spirat.* Ioan. 3. quo efficitur, Deum non alligatũ esse causis mediis, sed liberè agere, vbi, quando & quoties velit: nec illi probare possunt virtutem hanc inherentem, vt vocant, ex scripturis: cùm virtus iustificandi nullibi his signis tribuatur in scriptura.

Deus nõ est alligatus causis medijs. Ac iustificationis articulo repugnare manifestum est: quia hoc consistit in merito Christi & apprehenditur fide. hinc ad Rom. 3. *arbitramur hominem fide iustificari.* Gal. 3. *qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abrahamo.* Eph. 2. *gratia estis seruati per fidem, & id non ex vobis, Dei donũ est, non ex operibus, ne quis glorietur:* & passim in hac causa fidem vrget scriptura, quę nitatur merito Christi, non signis externis Sacramentorum.

Et res

Et res facilè explicari potest, quòd signa illa non sint *causa*, vt illi loquuntur, *sine qua non.* Nam, vt dixi, liberè agit, præsertim in hoc negotio, vbi quæstio est, per quæ & quomodo conferat gratiam. Gratia confertur ante signa Sacramentalia, vt de Circumcisione manifestum est ex historia Geneseos, & ex capit. 4. ad Rom. *Abrahamum iustum coram Deo habitum*, hoc est, *illi gratiam Dei fuisse infusam, in præputio, demum tandem accessit circumcisio.* Sic de Baptismo passim legimus fideles post confessionem fidei admittere ad Baptismum iā credentes, vt non detur fides in Baptismo. Act. 2. *qui libenter admittebant sermonem, baptizati sunt.* Act. 8. Philippus Eunucho dicit, *si credis ex toto corde, licet baptizari, respondet ille, Credo filiū Dei esse Iesum Christū,* & Actor. 10. *Cornelius cum tota sua familia credit, accipit Spiritum sanctū,* dona etiam linguarū, antequam suscipiat signum Sacramētale, Quomodo igitur causa esset, sine qua non? Itaq; Deus liberè agit, ante signa, post signa, cùm signis interdū infundit gratiā & lucem suæ cognitionis.

Signa nō sunt causa sine qua non conferatur gratia.

Accedit experientia, quæ manifestissima proponit exempla, signa in multis esse irrita, vana & inania, hoc est, carere suo fructu. Quot enim circumcisi sunt, qui fructum circumcisionis in corde non senserunt? Id collige apertiùs ex nostris symbolis Sacramentalibus: quot hodie mensam Domini accedunt athei? quot baptizantur reprobi? ex adultis Iudæis notum est quosdam bis, térve Baptismū in diuersis nationibus suscipere, solùm lucri causa, & inter nos quot infantes baptizantur, qui ad gratiam Dei nunquam perueniunt? de Simone Mago illustre est exemplum, Actor. 8. qui fidem simulat, Baptismum suscipit, at reprobus manet: quomodo signis igitur inhæret virtus iustificandi, aut infundendi gratiam vel disponendi ad gratiam?

Deus ante signū susceptū infundit gratiam in adultis credētibus.

Respondent illi, id fieri, quia homo obicem ponat. Sed hoc ipsos euertit: nam hinc colligi potest, quòd vis non sit in Sacramentis, non solùm quod impios attinet: sed etiam quod pios concernit. Nā in impiis inefficacia sunt signa: in piis ante signa adest gratiæ fructus. Itaq; neutro modo rectè signis adscribitur. Deinde infantes quomodo illi obicē ponunt? cùm in his nōdum agat ratio, vel, vt illi loquuntur, cùm infantes se non possint disponere libera eligendi volūtate? cur illos non omnes disponunt Sacramenta? præsertim cùm tanta illis adhuc sit innocētia? itaq; valde ineptum est signis ascribere, quod nec volenti, nec currenti adscribit scriptura.

Signis non inhæret virtus iustificandi nam impij signa accipiunt.

Et cui ascribendum sit satis ostendit Baptista. *Ego quidem baptizo vos aqua: sed qui post me veniet, baptizabit vos Spiritu sancto & igni.* Vides hic discerni à signis sacramentalibus gratiā, minister in Baptismo administrat signa externa, Christus verò gratiā, quæ doctrina aperta & simplex erat, non tot spinis inuoluta, modò in hac piè manerent homines: & Apostolus nec riganti nec plātanti aliquid tribuit, sed tantùm Deo miserenti, qui locus propriè ad hanc quæst. pertinet, cùm quæritur vera causa gratiæ.

Minister administrat signa Christus gratiam.

Addamus adhuc illud, Si conferūt signa gratiam, tum id faciunt vel natura sua, quemadmodum cibus naturaliter alit & nutrit corpus rectè constitutū, vel etiā ægrū, stomacho tamē non respuente cibum, nutrit corpus. Sed ita signa non essent, nā quę naturaliter agunt nō signa dicuntur, sed causæ efficientes per se ideóque & ipsi negāt signis hoc nō inesse sua natura. Non enim inest hoc signis meritoriè: quomodo enim signa, hanc vim promerita essent? cùm nō agāt voluntate & ratione, sed ἄλογα sunt, hoc est, creatura irrationalis: non etiā meritoriè hoc agūt respectu nostri, hoc est, quòd nos promeriti simus, vt per hæc signa infundatur gratia.

Nam merentis erat instituere signa: at nos nō instituimus, Igitur nullo etiā nostro merito: deinde vel omnes promeriti erāt, vel aliqui: sed ita oportebat signa non omnibus proponi, sed promerētibus tātùm: at cōmunia sunt, & in cōmuni proposita, nec à nobis instituta, sed à Christo Dei filio: itaque nullo nostro merito: sed Christi & gratia & merito. Aut agerent hoc obligatoriè hoc est, quia Deus sic promisisset, & stipulatione pacta & conuēta sic essent firmata. At in fœderis institutione huius nulla est mentio: non dicit Christus, per signa hæc dabo gratiam meam omnibus; aut, signa ista sua natura infundent eam, vel disponent ad ipsam; aut, alligabitur ea eis dispositiuè vel virtute inhærente.

Restat igitur gratiam signis adesse organicè quidem, sed conditionaliter, si scil. vera fide accipiantur, non fore irrita promissa. Hîc illi mox clamant: gratia sic inest signis virtute inhærēte conditionaliter, hoc est, si homo non ponat obicem. Respondemus non inesse signis gratiam, sed cum signis interdum conferri, quemadmodum aliàs ante signa contulit & post signa: ita cum signis conferri minimè negamus: non tamen sequitur, ergo signis inest gratia. Inest enim vt qualitas diffusa in signa, quod falsum est: aut spiritualis substantia, corporatæ, quemadmodū diuinitas inhabitat carnē, de quo eleganter loquitur Basilius, diuinitas in carne habitat μεταδοτικῶς & non μεταβατικῶς, hoc est, non transit ex cœlo, vt inhabitet: sed manens in cœlo, communicat se carni: sic de signis & gratia loqui nos conuenit.

Quomodo signis gratia non adsit, sed cum signis interdum conferatur.

Summa est, signa sua natura gratiam non conferre, sed Dei bona voluntate & Christi merito, quicquid hic confertur, nobis datur. Augustinus inquit, auari spiritū Dei nō habēt: & tamē habent Baptismum, igitur potest sine spiritu esse Baptismus. Idē nos colligere possumus in genere de signis sacramentalibus & gratia. Impij signa habent Sacramētorum, gratiā autem Dei non habent, igitur gratia Dei signis non est alligata: non igitur sua natura eam conferunt.

Pia sententia & cōclusiō quæstionis.

Obiiciunt nobis hic quædam scripturæ loca, quæ breuiter considerabimus. De Baptismo Actor. 22. dicitur, *surge, baptizare, & ablue peccata tua*: verba sunt Ananiæ ad Paulum. Ex quib.

inferunt, igitur per Baptismum abluuntur peccata: significantes aquæ iam consecratæ in Baptismo inesse vim abluendi peccatā.

Sed hāc non esse mentem, vel hinc colligi potest, quò distinctè loquitur Ananias, baptizare, & ablue peccata tua: si Baptismi hæc vis esset, quid opus erat addere alterum? ablue peccata tua: aliud est igitur baptizari, hoc est, externo cœtui fideliū, suscepto symbolo professionis, adscribi. Et aliud abluere peccata, hoc est, accipere vim & gratiam signi externi, quæ est ablui à peccatis: quod non præstat aqua vel symbolum externum, sed Deus qui signum instituit.

Sic ad Tit. 3. *lauacrum regenerationis* dicitur, ergo regenerationem exhibet signū Sacramētale? negamus consequentiam. Nam verba ipsa contextus reclamant: ita enim loquitur Apostolus: *seruauit nos nō ex operibus iustis, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam.* Quibus verbis primùm tollitur opinio meriti: seruamur nō nostris iustis etiam operibus, hoc est, gratiam Dei accipimus nullo nostro merito: si enim iusta quoque opera non cōferunt gratiam, quomodo hanc conferent alia opera quæ hypocritis sunt etiam communia? Deinde affirmatiuè assignat veram salutis causam: *sed secundùm suam misericordiam*: itaque misericordia Dei vera causa est, non nostra aliqua qualitas vel habilitas. Tertiò addit causam mediam, per lauacrum regenerationis: nec tamen Baptismum simpliciter nominat, vt intelligas vim non esse signi & elementi vtut consecrati: sed nominat *lauacrum regenerationis*, quia per solam regenerationem confertur gratia. Dicitur tamen Baptismus simpliciter quoque lauacrum regenerationis à fine, quia eò nos ducit: hic illius finis est: huius non admonet: quò nisi perueniamus frustrà eum assumimus & cui adscribi debeat regeneratio illa, mox exprimit consequēs commma, *renouationem Spiritus sancti.* Nihil igitur prosunt suæ causæ illæ.

Tollitur opinio meriti. Causa efficiens salutis. Causa media. Baptismus dicitur lauacrū regenerationis à fine.

Idem responderi potest ad locum, Act. 2. de linguis, & locum Ioan. 20. de flatu, ad quę etiam alij responderunt copiosè, quare pergamus.

Afferunt definitionē Sacramēti: quòd sit visibilis forma inuisibilis gratiæ. Ergo signis necessariò adest gratia. Respondemus hic nō quæri de definitione, sed de vsu signorum: ad definitionem constituendam necessaria est plena causarum commemoratio, vel aliarum partiū, ex quibus constare debet integra & bona definitio rei. Sed in sumptione & vsu nō sequitur illas partes semper cohærere. Hinc frequens est apud August. & alios, aliàs sumere signa, aliàs res ipsas, vt de Cœna Iudas sumpsit panem Domini, sed nō panem Dominum: sic Baptismus sumitur à multis sine regeneratione, vt Iudæi sumebant circumcisionem carnis sine circumcisione cordis. Itaque signorum & rerum non est necessaria connexio.

Res differt ab vsu: nec signorū & rerum necessaria est cōnexio.

Quòd verò de signis exhibitiuis dicunt, nos id totum negare poteramus, nisi scripturis illa probarent, quod scholastici non faciunt. Poterant, rectiùs dici signa offerentia. Nam exhibitiuum aliquid amplius est: signo exhibitiuo præsente, statuitur res ipsa pręsens, cuius est signū, quemadmodum in historia Samsonis, cum cæsarie redit robur Samsoni, cum symbolo sanctificationis redit Dei donum, cum signo ablato aufertur robur, non tamen rectè dicitur exhibitiuum signum, cum signum non agat: sed Deus per signum. Deinde speciale fuit hoc de Samsone vt non constituat regulam omnibus Nazaręis: sic de signis Sacramentalibus dici potest, Deus offert suam gratiam per illa: non tamen mox confert aut exhibet. Aliud enim est offerre, aliud exhibere & conferre. Magis coactum est quod dicunt, signis alligatā esse gratiā: cùm tempore diuisa sint & loco. 1. Reg. 11. Achia Propheta, ipsi Ieroboā exhibet signum regni, decē scilicet scissuras pallij: non tamē eodem tempore exhibuit regnum, nec eodem loco mox occupauit: vixit adhuc Salomon, quo tandem mortuo Ieroboam ex Ægypto redit & rex eligitur. signum igitur habuit in exilio quoque sine re signata, quæ postea demum accessit.

Signū futuri regni exhibitum Ieroboam.

Quare Propheta obtulit iussu Domini, & eo signo confirmauit Ieroboamum de voluntate Dei: Deus autem suo tempore ex promissis contulit quantùm voluit: nam domum firmam vt Dauidi seruo suo, non contulit ipsi Ieroboam, quāquam inter alia hoc etiam Achia illi sub certa conditione promisisset. Idem dici potest de aliis signis, quæ res offerunt, & ius rerū certa conditione dant, vt in matrimonio annulus, in emptione & vēditione literæ, in regno sceptrum, aliáque infinita. In quibus rerum potestas confertur, cum loco & tempore diuisa sint signa à rebus signatis. Itaque sua natura signa gratiam non ferunt.

Nemo tamen hic nobis obiiciat prophanationem: nam religiosè & augustè de signis Sacramentalibus sentire omnes debemus: & à prophanatione tantùm abhorremus, quantùm alius quisquam: nolumus tamen signis tribuere, quòd Dei est solius, & quod Dominus signis tribuere non iussit, imò prohibuit.

Habent interim splendidum vsum, etsi non dicamus illa conferre gratiam. Certos reddūt pios de remissione peccatorum in Christo; vt in Cœna, Christum pro nobis esse hostiam puram Deo Patri exhibitum: in Baptismo, nos ablutos per Christum, & deleta omnia peccata nostra etiam actualia, vt non damnent.

Vsus multiplex signorum.

Deinde fidem confirmant & alunt, quam ipsa actione testamur, Vt in Baptismo testamur nos credere in Deum Patrem, filium, & Spiritum sanctum. Hinc Basilius, Oporter nos credere vt baptizemur.

Distinguunt & nos ab aliis cœtibus, qui Christum non agnoscunt, nec profitentur, vt à Iudæis,

dæis, Turcis, Gentilibus, &c. De voluntate Dei nos admonet, quòd fœdere certo se nobis obligarit, modò in pactis maneamus. Specialiter verò de beneficiis Christi nos commonefaciunt, vt mens aliquid certi habeat, quò se consoletur in tentationibus conscientiæ.

Officij nostri nos commonefaciunt, vt perpetuò grati simus redemptori & liberatori nostro D. Christo.

Nos illi obsignant: imò, vniunt, vnione Sacramentali, vt verè vnum corpus cum Christo efficiamur per illius gratiam.

Admonet etiam rei gestæ, vt historia Passionis refricetur, expendatúrque diligentiùs.

Adde etiam his, si placet, cum symbolis conferri interdum gratiam Dei, ídque multis, modò vim non symbolis ad scribas, sed Deo agenti: modò etiam putes nec semper, nec omnibus hoc euenire cùm signorum participatione: quod est illis non esse alligatam gratiam, &c.

PROBLEMATVM INDEX.

LOCORVM SCRIPTVRÆ S. INDEX.

FINIS.

QVÆSTIONVM INDEX.

RERVM ET VERBORVM INDEX COPIOSISSIMVS.

A

de affe-

B

Doctores

medium

N

quænam

O